Universidad de Deusto
Biblioteca

Suarez.

Metaphysica

I

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

METAPHYSICARVM

DISPVTATIONVM, IN QVIBVS ET VNIVERSA NATVRALIS THEOLOGIA ORDINATE TRADITVR,

ET QVÆSTIONES AD OMNES DVODECIM ARIstotelis libros pertinentes, accuratè disputantur.

TOMVS PRIOR.

AVTHORE R. P. FRANCISCO SVAREZ
E SOCIETATE IESV.

CVM DVPLICI INDICE: QVORVM PRIOR, DISPVTATIONES ET SECTIONES COMPLECTITVR. POSTERIOR, BREuem Aristotelici textus expositionem continet, & loca, vbi quæstiones, ad textum pertinentes, hoc in opere disputantur, designat.

28104

MOGVNTIÆ,
Cum Gratia & Priuilegio Sacræ Cæs. Maiest.
Excudebat Balthasarus Lippius, Sumptibus Arnoldi Mylij.

ANNO DOMINI, cIↃ. IↃ. ic.

Universidad de Deusto
Biblioteca

REVERENDIS, NOBILITATE, AC PRVDENTIA CLARISSIMIS DOMINIS, D. PHILIPPO CRATZ A SCHARPFENSTEIN; METROPOLITANÆ ECCLESIÆ MOGVNTINÆ Præpoſito digniſſimo, &c. & D. Ioanni SCHVVICHARDO A CRONBERG, eiuſdem Eccleſiæ Mogunt. Decano vigilantiſſimo, &c. Dominis & patronis meis omni obſeruantia colendis, S.

PHILOSOPHIAM, Reuerendi & nobiliſſimi Domini, quæ à diuinarum, humanarumque rerum contemplatione hoc pulcherrimum nomen apud veteres conſecuta eſt, non hominum inuentum, ſed DEI immortalis donum eſſe, non Chriſtiani modo, ſed Ethnici quoque ſcriptores, ac imprimis ij, à quibus ceu fontibus omnes ſapientiæ riui in nos manarunt, ingenuè ſunt profeſſi. Huc enim reſpexerũt vetuſtiſſimi Philoſophorum Prodromi Poëtæ, cum ſapientiæ præſidem Mineruam è cerebro IOVIS, Diuûmq; hominumq; parentis, exortam: Muſaſque, quæ à diſquiſitione, authore Herodiano, nomen accepêre, eiuſdem & Mnemoſynes filias eſſe commenti ſunt. Huc digitos intendit apud Platonem Timæus, dum in nominis ſui dialogo conſtanter affirmat, nullum vnquam à DEO munus Philoſophia præſtabilius mortalibus collatum, vel deinceps conferendum eſſe. M. certè TVLLIVS qui omnes ferè cõmentarios ſuos eximiis Philoſophię reſerſit preconiis, huius doni admiratione attonitus, alicubi in hęc verba exclamat. *O vita Philoſophia dux, o virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum: quid nõ modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti: tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxiſti: tu inuentrix legum, tu magiſtra morum & diſciplinæ fuiſti: ad te confugimus: à te opem petimus, tibi nos penitus, totoſq; tradimus.* hucuſq; ille. Quo magis dolendum deplorandumq; eſt, noſtris temporibus extitiſſe homines, ingenij iuxta ac doctrinæ fama celebres, qui cũ priſco illo Apollonio Rhodio, Philoſophiæ nomen tam nobile, tam in omnibus Europę Academiis

*** decanta-

decantatum, non ſolum in ſummum odium vocare auſi fuerint, ſed etiã Philoſophorum Principem Ariſtotelem, cum omnibus interpretibus Græcis atq; Latinis, totaſq; ſubtiliores Scholas Lyceo excedere iuſſerint: nempe, vt eorum loco, neſcio quæ, hominum triobolarium compendia, epitomas, erotemata, ſyntagmata, nucleos, quæſtiunculas, aut ſi qua alia nomenclatio placuit, hoc eſt, riuulos fonti, vmbram corpori, luci nebulas, &, quod Diomedes apud Homerum fecit Glauco, χαλκεα χρυσείων ſupponerent. Quæ infauſta plaga, hoc pernitioſioris exẽpli fuit, quod ſemel exploſa illa, accuratè ſubtiliterq; de omnium rerum naturaliũ principiis, cauſis & effectis diſceptandi ratione, quam florentiſſima queq; Gymnaſia multis iã ſeculis vſurpauêre; neceſſe fuerit veteris quoque Theologię, quæ, quod in Scholis maximè vigeret, Scholaſticæ nomẽ obtinuit, triſtem inſequi ruinam. Vnde aliud expectandum non fuiſſe ſapientes omnes peruiderunt, quam, vt poſt exarmata tã vtili neceſſarioq; præſidio Theologorum auditoria, vniuerſa demum ſanæ doctrinæ ſynceritas, partim hæreticorum corruptelis, partim impiorum ſtrophis vexata & conuulſa, excideret. Verum DEVS OPT. MAX. tantam mentis caliginem Eccleſiæ Catholicæ offundi non diu permiſit, ſed inde ab annis quinquaginta eoq; amplius, ex celeberrima totius Europæ Academia, homines certos Philoſophia Theologiaq; illa ſubtiliori egregiè excultos diuinitus excitauit, qui in vnam Societatem ſanctiſſimè deuincti, Collegiis in Italia, Luſitania, Hiſpania, Germania, Gallia, Polonia, conſtitutis, magno bonorum applauſu, omnium laudandarum artium, ac inprimis vtriuſq; Philoſophiæ, profanæ atq; ſacræ, ludos, ad exemplum præſtantiſſimarum quarundam Academiarum, aperuerunt: eoſq; inter alios doctiſſimos viros non paucos, publicis in Ariſtotelem, & D. THOMAM Aquinatem Scholaſticorum Theologorum facilè principem, partim prælectionibus, partim diſputationibus doctiſſimis, cum ſumma ingenij & eruditionis laude hactenus ſic exornarũt; vt omnes ſapientiæ candidati, impensè gaudeant, tandem aliquando nõnullorum, qui in docendo inprimis eminuiſſent, cõmentarios, Chalcographorũ opera, lucem aſpexiſſe; vt Franciſci Toleti, Benedicti Pererij, Petri Fonſecæ, Ludouici Molinę, Gregorij de Valentia & Profeſſorum Conimbricenſium, ac nũc poſtremo R.P. FRANCISCI SVAREZ Theologi pariter & Philoſophi acutiſſimi & ſolidiſſimi. Cuius nobile ingeniũ, vt in Theologicis diſputationib. quadantenus delibãdum proponerem, hoc ipſo anno accuratiſſimas eius in Tertiã partẽ Summæ Theologicæ B. THOMÆ, quę eſt de Sacramẽtis commentationes, typis Moguntinis exprimendas curaui: nunc aũt eiuſdem diſceptationum Philoſophicarum in Metaphyſicen Ariſtotelæam adiũxi Tomos duos, omnigena doctrina refertiſſimos: minimè ambigens, me ab ambobus, tã Philoſophiæ, quam diuinarum literarũ ſtudioſis, magnam gratiã initurum: ab illis quidẽ, quod in hoc opere, licet Epigraphe Metaphyſices nomen obtendat, inuẽturi ſint copioſiſſimas etiã de Phyſicis, Logicisq; diſputationes: ab his verò, quod liquido hinc cognoſcere poſſint, quẽadmodum Agar Saræ, ancilla dominæ, philoſophia, inquam, Theologię ſeruire debeat; quibuſque in Philoſophia nitendum ſit fundamentis, vt ſalua illibataque S. Theologiæ doctrina

ctrina firmiter retineatur, & contra Ethnicos, hęreticos, omneſq; atheos verè & ſolidè defendatur. Omitto commemorare, quanta ſit huius Authoris in obſcuriſſimis quibuſq; queſtionũ nodis explicandis perſpicuitas: quanta in propriis opinionib. corroborandis, & alienis labefactandis copia & vbertas: quã incredibilis in omniũ veterum recentiorumq; monumẽtis peruolutandis hic appareat labor; mirum vt ſit, vnum hominem, vno ferè tempore, tot ingẽtia volumina, præter ea quæ iam exſtant, quę in reliquas Theologiæ partes parata feruntur, moliri potuiſſe. QVOD verò hoc præſtantiſſimum Opus, ſub Reuerend. & nobil. Dominat. Veſtrarum nomine & auſpiciis in vulgus venire voluerim, duæ inprimis cauſæ me impulerunt. Altera, quod poſt Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Archiepiſcopum Moguntinum, Principem clementiſſimum, cui nuper ante nominatum eiuſdem P. SVAREZ in Theologiam, Tomum dedicaram, proximæ occurrebant Reuerendæ, & Nobil. D.V. quibus ſecundus hic Officinæ Typographicæ BALTHASARI LIPPII veſtri partus debebatur. Altera fuit, ſingularis & eximia veſtra in eundem BALTHASARVM, cuius politiſſimis, vti cernitis, typis, hi philoſophici tomi prodeunt, fauor & beneuolentia multis ſignis & argumentis, à tempore quo primum ad vrbem Moguntinam aditum habuit, teſtata. Decebat enim, vt vel ipſe, vel ego certè, cuius ſumptibus in iſtis typographiæ iam naſcentis initiis, labor erat vtcunq; ſuſtentandus, minimum hanc papyraceam grati animi teſtificationem rependerem, pro ſummo & immortali beneficio, quod ſcio, non ipſi ſolum, per Reuerendas, ac Nobil. D. V. tanquam Eccleſiæ Metropolitanæ Moguntinæ præcipua lumina, & columina, ſed vniuerſæ Reipubl. litterariæ, contigiſſe. Quod ſupereſt, Deum Opt. Max. obteſtor & rogo, vt eaſdem DD. VV. Eccleſiæ Moguntinæ, literiſq; & pietati Chriſtianæ quam diutiſſimè incolumes & florentes conſeruet. MOGVNTIÆ, pridie Kalend. Aprilis. Anno à partu Deiparæ cIↃ. IↃ. Ic.

Reuerend. & Nobiliß. DD. VV.

Obſequentiſſimus,

Arnoldus Mylius Ciuis & Bibliopola Colonienſis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, alter columnam designat.

IN PRIORI TOMO.

DISPVTATIO I.

De natura primæ Philosophiæ seu Metaphysicæ.

SECTIO PRIMA.

QVOD sit Metaphysicæ obiectum.
2 *Vtrum Metaphysica versetur circa res omnes secundum proprias rationes earum.*
3 *Vtrum Metaphysica sit vna tantum scientia.*
4 *Quæ sint huius scientiæ munera, quis finis, quæve vtilitas.*
5 *Vtrum Metaphysica sit perfectissima scientia speculativa, veraq; sapientia.*
6 *Vtrum inter omnes scientias Metaphysica maximè ab homine appetatur appetitu naturali.*

Disputatio II.

De ratione essentiali seu conceptu entis.

Sect. 1. Vtrum ens inquantum ens, habeat in mente nostra, vnum conceptum formalem omnibus entibus communem.
2 *Vtrum ens habeat vnum conceptum, seu rationem formalem obiectiuam.*
3 *Vtrum ratio seu conceptus entis in re ipsa & ante intellectum, sit aliquo modo præcisus ab inferioribus.*
4 *In quo consistat ratio entis inquantum ens, & quomodo inferioribus entibus conueniat.*
5 *Vtrum ratio entis transcendat omnes rationes & differentias inferiorum entium, ita vt in eis intime, & essentialiter includatur.*
6 *Quomodo ens inquantum ens ad inferiora contrahatur seu determinetur.*

Disputatio III.

De passionibus entis in communi & principiis eius.

Sect. 1. Vtrum ens inquantum ens habeat aliquas passiones, & quales illæ sint.
2 *Quot sint passiones entis, & quem ordinem inter se seruent.*
3 *Quibus principiis demonstrari possint passiones de ente, & an inter ea hoc sit primum,* Impossibile est idem esse & non esse.

Disputatio IV.

De vnitate transcendentali in communi.

Sect. 1. Vtrum vnitas transcendentalis addat enti rationem aliquam positiuam, vel tantùm priuatiuam.
2 *Vtrum vnum de formali dicat solam negationem quam addit supra ens, vel aliquid aliud.*
3 *Quotuplex sit in rebus vnitas.*
4 *Vtrum vnitas sit adæquata passio entis: & de diuisione entis in vnum & multa.*
5 *An diuisio entis in vnum & multa sit analoga.*
6 *Quomodo vnum & multa opponantur.*
7 *An vnum sit prius quàm multa, & indiuisio quàm diuisio.*
8 *An diuisio entis in vnum & multa sit prima omnium.*
9 *Vtrum vnitas transcendentalis sit vnitas numerica.*

Disputatio V.

De vnitate indiuiduali, eiusq; principio.

Sect. 1. Vtrum omnes res quæ existunt, vel existere possunt singulares sint & indiuiduæ.
2 *Vtrum in omnibus naturis res indiuiduæ & singularis, vt talis est, addat aliquid supra communem, seu specificam naturam.*

3 *Vtrum*

3 *Vtrum materia signata sit indiuiduationis principium in substantiis materialibus.*
4 *An forma substantialis sit principium indiuiduationis substantiarum materialium.*
5 *Vtrum principium indiuiduationis sit existentia rei singularis.*
6 *Quod tandem sit principium indiuiduationis in omnibus substantiis creatis.*
7 *Vtrum principium indiuiduationis accidentium sit ex subiecto sumendum.*
8 *An repugnet duo accidentia solùm numero diuersa, esse simul in eodem subiecto ob eorum indiuiduationem.*
9 *An repugnet indiuiduationi accidentium vt plura solùm numero differentia successiuè sint in eodem subiecto.*

Disputatio VI.

De vnitate formali & vniuersali.

Sect. 1. Vtrum sit in rebus aliqua vnitas formalis distincta à numerali, & minor illa.
2 *An vnitas vniuersalis naturæ distincta à formali, sit in rebus actu ante mentis operationem*
3 *Vtrum natura communis ex se habeat aliquam vnitatem præcisionis extra indiuidua, & ante mentis operationem.*
4 *Quid sit in natura vniuersali aptitudo vt sit in multis.*
5 *An vnitas vniuersalis consurgat ex operatione intellectus. & quomodo difficultatibus in contrarium positis satisfaciendum sit.*
6 *Per quam operationem intellectus fiant res vniuersales.*
7 *An vniuersalia sint entia realia corporea, substantialia, vel accidentalia, quasq; causas habeãt.*
8 *Quotuplex sit vniuersale, seu vnitas eius.*
9 *Quomodo in re distinguantur vnitas generis & differentiæ, tam inter se, quã ab specifica vnitate.*
10 *Vtrum abstracta Metaphysica generum, & specierũ, & differentiarum possint inter se prædicari.*
11 *Quod sit in rebus principium vnitatis formalis, & vniuersalis.*

Disputatio VII.

De variis distinctionum generibus.

Sect. 1. Vtrum præter distinctionem realem & rationis, sit aliqua alia distinctio in rebus.
2 *Quibus signis seu modis discerni possint varij gradus distinctionis rerum.*
3 *Quomodo idem & diuersum tum inter se, tum ad ens comparentur.*

Disputatio VIII.

De Veritate, seu Vero, quod est passio entis.

Sect. 1. Vtrum in compositione & diuisione intellectus sit formalis veritas.
2 *Quid sit veritas cognitionis.*
3 *Vtrum veritas cognitionis sit solùm in compositione, & diuisione, veletiã in simplicibus cõceptibus.*
4 *An veritas cognitionis seu intellectus in eo non sit, donec iudicet.*
5 *An veritas cognitionis sit tantùm in intellectu speculatiuo, vel etiam in practico.*
6 *An in diuisione sit veritas æquè ac in compositione.*
7 *Vtrũ veritas aliqua sit in rebus, quæ sit passio entis.*
8 *An veritas per prius dicatur de veritate cognitionis, quàm de veritate rei, & quomodo.*

Disputatio IX.

De falsitate, seu falso.

Sect. 1. Quidnam, & vbi sit falsitas, & an sit entis proprietas.
2 *Quæ sit falsitatis origo.*
3 *Vnde oriatur difficultas veritatem assequendi.*

Disputatio X.

De Bono, seu bonitate transcendentali.

Sect. 1. Quid bonum, seu bonitas sit.
2 *Quomodo se habeat bonum ad rationem finis, Vel potius quotuplex sit bonum.*
3 *Quodnam bonum sit, quod cum ente conuertitur tanquam passio eius.*

Disputatio XI.

De Malo.

Sect. 1. Vtrum malum sit aliquid in rebus, & quotuplex sit.
2 *Quotuplex sit malum.*
3 *Vbi, & vnde sit malum, & quas causas habeat.*

Disputatio XII.

De causis entis in communi.

Sect. 1. Vtrum causa & principium idẽ omnino sint.
2 *Vtrum sit aliqua communis ratio causæ, & quænam, & qualis.*
3 *Quotuplex sit causa.*

Disputatio XIII.

De materiali causa substantiæ.

Sect. 1. An sit euidens ratione naturali dari in entibus causam materialem substantiarum, quam materiam primam nominamus.
2 *Vtrum materialis causa substantiarum generabilium, sit vna vel multiplex.*
3 *Vtrum prima & vnica causa materialis generabilium substantiarum, sit aliquod corpus simplex, vel substantia integra.*
4 *Vtrum materia prima habeat aliquam entitatem actualem ingenerabilem, & incorruptibilem.*
5 *Vtrum materia sit pura potentia, & quo sensu id accipiendum sit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

6 Quomodo possit materia cognosci.
7 Quid causet materia.
8 Per quid causet materia.
9 Quid sit causalitas materiæ.
10 Vtrum materialis causa substantialis in corporibus incorruptibilibus inueniatur.
11 An materia incorruptibilium corporum sit eiusdem rationis cum elementari.
12 Vtrũ materia cælestis ne an elementaris perfectior sit. (porum.
13 Qualis sit causalitas materiæ incorruptibiliũ cor-
14 Vtrum in rebus incorporeis dari possit causa materialis substantialis, & quomodo quantitas ad hanc materialem causam comparetur.

Disputatio XIV.

De causa materiali accidentium.

Sect. 1. Vtrũ detur vera causa materialis accidentiũ.
2 An substantia vt sic esse possit immediata causa materialis accidentium. (cidentium.
3 Quænam substantia possit esse causa materialis ac-
4 Vtrum vnum accidens possit esse proxima causa materialis alterius.

Disputatio XV.

De causa formali substantiali.

Sect. 1. An dentur in rebus materialibus substantiales formæ.
2 Quomodo possit forma substantialis fieri in materia, & ex materia.
3 An in eductione substantialis formæ oporteat materiam tempore antecedere.
4 An forma, dum ex materia educitur, per se fiat.
5 Quæ sit propria ratio formæ substãtialis, propriaq; causalitas eius in suo genere.
6 Quæ sit ratio causandi formæ.
7 Quis sit effectus causæ formalis.
8 Vtrum forma substantialis sit vera causa materiæ, & materia effectus eius.
9 Vtrum tanta sit dependentia materiæ à forma, vt sine illa nec per diuinam potentiam conseruari possit: & è conuerso. (formalis.
10 Vtrum vnius substantiæ vna tantùm detur causa
11 Quid sit forma Metaphysica, & quæ materia illi respondeat, quamq; causalitatem habeat.

Disputatio XVI.

De formali causa accidentali.

Sect. 1. Vtrum omnia accidentia veram exerceant causalitatem formalem, & circa quem effectum.
2 Vtrũ omnis forma accidentalis educatur de potentia subiecti.

Disputatio XVII.

De causa efficienti in communi.

Sect. 1. Quid causa efficiens sit.
2 Quotuplex sit causa efficiens.

Disputatio XVIII.

De causa proxima efficiente, eiusque causalitate, & omnibus quæ ad causandum requirit.

Sect. 1. Vtrum res creatæ aliquid verè efficiant.
2 Quodnam sit principium, quo vna substantia creata efficit aliam.
3 Quodnam sit principium, quo substantiæ creatæ efficiunt accidentia.
4 Quæ accidentia possint esse principia agendi.
5 Vtrum sola accidentia sine concursu formarum substantialium efficiant alia accidentia.
6 Vtrum accidens sit instrumentum tantùm in productione alterius accidentis.
7 Vtrum causa efficiens esse debeat in re distincta à recipiente, vt agere possit.
8 Vtrum causa efficiens debeat esse simul coniuncta, vel propinqua passo vt agere possit.
9 Vtrum causa efficiens ad agendum requirat passum sibi dissimile, & in qua proportione.
10 Vtrum actio sit propria ratio causandi efficientis causæ, seu causalitatis eius.
11 Vtrum causa efficiens aliquid efficiendo corrumpat aut destruat, & quomodo.

Disputatio XIX.

De causis necessariò, & liberè seu contingenter agentibus, vbi etiam de fato, fortuna, & casu.

Sect. 1. Vtrum in causis efficientibus creatis sint aliquæ necessariò agentes, & qualis sit illa necessitas.
2 Vtrũ inter causis efficientes causas sint aliquæ absq; necessitate, & cum libertate operantes.
3 Vtrũ in causis efficientib. possit esse aliqua liberè agens, si prima causa ex necessitate operatur: & in vniuersum, An libertas actionis requirat libertatẽ in omnib. causis in illã influẽtib. vel in vna sufficiat.
4 Quomodo stet libertas vel contingentia in actione causæ secundæ, non obstante concursu primæ: & consequenter. Quo sensu verum sit, causam liberam esse, Quę positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere.
5 Quænam sit facultas in qua formalis resident libertas causæ creatæ. (tionis.
6 Quomodo causa libera determinetur à inductora-
7 Quæ sit radix & origo defectus causæ liberæ.
8 Ad quos actus sit indifferentia in causa libera.
9 An libertas causæ sit dum actu operatur.
10 An ex libertate causarũ efficientiũ oriatur contingẽtia in effectibus vniuersi, vel sine illa esse possit.
11 Vtrum aliqua vera ratione possit fatũ inter causas efficientes vniuersi numerari.
12 Vtrum casus & fortuna inter causas efficientes numerari debeant.

Disputatio XX.

De prima causa efficiente, primaq; eius actione, quæ est Creatio.

Sect. 1. An possit ratione naturali cognosci creationẽ aliquorum entium esse possibilẽ, an etiam necessariam: vel (quod idem est) An vnum ens in quantum ens possit essentialiter dependere effectiuè ab alio ente.
2 Vtrum ad creandum requiratur infinita vis agẽdi, & ideò ita sit Dei propria, vt creaturæ communicari non possit.
3 An possit dari instrumentum creationis.
4 An creatio sit aliquid in creatura distinctum ex natura rei ab ipsa.
5 Vtrum de ratione creationis sit nouitas essendi.

Disputatio XXI.

De prima causa efficiẽte, & altera eius actione, quæ est Conseruatio.

Sect. 1. An possit ratione naturali demonstrari entia creata in suo esse semper dependere ab actuali influxu primæ causæ.
2 Quænam actio sit conseruatio, & quomodo à creatione differat.
3 Vtrũ res omnes à solo Deo pendeant in conseruari.

Disputatio XXII.

De prima causa, & alia eius actione quæ est Cooperatio, seu Concursus cum causis secundis.

Sect. 1. An possit sufficienter probari ratione naturali Deum per se ac immediate operari in actionibus omnium creaturarum.
2 Vtrum concursus causæ primæ cum secunda sit aliquid per modum principij, vel actionis.
3 Quomodo comparetur concursus Dei ad actionem causæ secundæ, & ad subiectum eius. (secundis.
4 Quomodo Deus præbeat concursum suum causis
5 Vtrum causæ secundæ pendeant essentialiter in operari à sola causa prima, aut etiam ab aliis.

Disputatio XXIII.

De causa finali in communi.

Sect. 1. An finis sit vera causa realis.
2 Quotuplex sit finis.
3 Quos effectus habeat causa finalis.
4 Quid sit, vel in quo consistat ratio causandi, seu causalitatis causæ finalis.
5 Quænã sit in fine proxima ratio finaliter causãdi.
6 Quæ res possit causalitatem finalem exercere.
7 An esse cognitum sit fini conditio necessaria vt possit finaliter causare.
8 Vtrum finis moueat secundum suum esse reale vel secundum esse cognitum.
9 Vtrum causalitas finis locum habeat in diuinis actionibus & effectibus.
10 Vtrum in actionibus naturalium & irrationalium agentium vera causalitas finalis intercedat.

Disputatio XXIIII.

De vltima finali causa, seu vltimo fine.

Sect. 1. An possit sufficienter probari ratione naturali dari aliquem vltimum finem, & non dari processum in infinitum in causis finalibus.
2 Vtrum finis vltimus per se ac proprie concurrat cum omnib. finibus proximis ad finaliter causandum, & consequenter, An omnia agentia in omnibus actionibus suis finem vltimum intendant.

Disputatio XXV.

De causa exemplari.

Sect. 1. An sit, quid sit, & vbi sit exemplar.
2 Vtrum exemplar propriam rationem causæ constituat, vel ad aliquã aliarum reuocetur.

Disputatio XXVI.

De cõparatione causarum ad effecta.

Sect. 1. Vtrum omnis causa sit effectu suo nobilior.
2 Vtrum omnis causa sit prior suo effectu.
3 Vtrum eiusdem effectus esse possint, aut debeant plures causæ.
4 An possit idem effectus esse simul à pluribus causis totalibus eiusdem generis & speciei.
5 Vtrum diuisim possit idem effectus naturaliter esse à pluribus causis totalibus.
6 Vtrum eadem possit esse causa plurium effectuum, præsertim contrariorum.

Disputatio XXVII.

De comparatione causarum inter se.

Sect. 1. Quænam ex quatuor causis perfectior sit.
2 Vtrum causæ possint esse sibi inuicem causæ.

IN POSTERIORI TOMO.

Disputatio XXVIII.

De diuisione entis in infinitum, & finitum.

Sect. 1. An rectè diuidatur ens in infinitum & finitũ.
2 An dicta partitio sit sufficiens & adæquata.
3 An sit Analoga, ita vt ens non vniuoce sed Analogice dicatur de Deo & creaturis.

Disputatio XXIX.

De primo & increato ente, An sit.

Sect. 1. An euidenter demonstretur dari aliquod ens à se, & increatum.
2 An demonstretur à posteriori Deum esse hoc vnicum ens à se.
3 An hoc idem aliquo modo à priori demonstretur.

Disputatio XXX.

De primo ente seu Deo, quid sit.

Sect. 1. An demonstretur esse Deum quoddam ens eximiè perfectum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2 An demonstrari possit Deum esse infinitum.
3 An demonstrari possit esse purum actum simplicissimum.
4 Quomodo excludatur à Deo omnis substantialis compositio.
5 Quomodo excludatur à Deo omnis accidentalis compositio.
6 Quomodo attributa Dei ad eius essentiam comparentur.
7 An Deum esse immensum ratione naturali ostendi possit.
8 An Deum esse immutabilem ratione naturali demonstretur.
9 Quomodo immutabilitas cum libertate diuina possit consistere.
10 Vnitas Dei quomodo demonstretur.
11 An Deus sit inuisibilis, quidq; possit ratione naturali circa hoc inuestigari.
12 An demonstretur, Deum non posse comprehendi nec quidditatiue cognosci.
13 Possitne demonstrari Deum esse ineffabilem
14 An demonstretur, Deum esse per essentiam viuens vita intellectuali, ac felicissima.
15 Quid possit ratione naturali de diuina scientia cognosci.
16 Quid de diuina voluntate eiusq; virtutibus.
17 Quid de diuina omnipotentia, eiusq; actione.

Disputatio XXXI.
De essentia entis finiti vt tale est, & illius esse, eorumq; distinctione.
Sect. 1. An esse & essentia creaturæ distinguantur in re.
2 Quid sit essentia creaturæ priusquam à Deo producatur.
3 Quomodo & in quo differant in creaturis ens in potētia & in actu, seu essentia in potētia, & in actu.
4 An essentia creaturæ constituatur in actualitate essentiæ per aliquod esse reale indistinctum ab ipsa quod nomen habeat, & rationem existentiæ.
5 Vtrum præter esse reale actualis essentiæ, sit aliud esse necessarium quo res formaliter & actualiter existat.
6 Quæ distinctio possit inter essentiam, & existentiam creatam intercurrere, aut intelligi.
7 Quidnam existentia creaturæ sit.
8 Quas causas præsertim intrinsecas habeat creata existentia.
9 Quæ sit proxima efficiens causa existentiæ creatæ.
10 Quos effectus habeat existentia, & in quo differat in hoc ab essentia.
11 Quarum rerum sit existentia, & an simplex, vel composita sit.
12 Vtrū essentia creata sit separabilis à sua existētia.
13 Qualis sit compositio ex esse & essentia, qualisue compositio sit de ratione entis creati.
14 An de ratione entis creati sit actualis dependentia, & subordinatio ad primum, & increatū ens.

Disputatio XXXII.
De diuisione entis creati in substantiam & accidens.
Sect. 1. Vtrum ens proximè & sufficienter diuidatur in substantiam & accidens.
2 Vtrum ens Analogicè diuidatur in substantiam & accidens.

Disputatio XXXIII.
De substantia creata in communi.
Sect. 1. Quidnam substantia significet, & quomodo in incompletam, & completam diuidatur.
2 Vtrum rectè diuidatur substantia in primam & secundam.

Disputatio XXXIIII.
De prima substantia seu supposito, eiusq; distinctione à natura.
Sect. 1. Vtrum prima substantia sit idem quod suppositum, aut persona, vel Hypostasis.
2 An in creaturis suppositum addat naturæ aliquid positiuum reale, & ex natura rei distinctum ab illa.
3 An distinctio suppositi à natura fiat per accidentia vel principia indiuiduantia, & ideo locum non habeat in substantiis spiritualibus.
4 Quid sit subsistentia creata, & quomodo ad naturam & suppositum comparetur.
5 Vtrum omnis subsistentia creata indiuisibilis sit, & omnino incommunicabilis.
6 Quam causam efficientem vel materialem habeat subsistentia.
7 Vtrum subsistentia habeat aliquam causalitatem, & quomodo actiones dicantur esse suppositum.
8 Vtrum in secundis substantiis concreta ab abstractis distinguantur, & quomodo in eis suprema ratio substantiæ, & coordinatio prædicamentalis constituenda sit.

Disputatio XXXV.
De immateriali substantia creata.
Sect. 1. Vtrū possit ratione naturali probari esse in vniuerso aliquas substantias spirituales extra Deum.
2 Quid possit ratione naturali cognosci de quidditate, & essentia intelligentiarum creatarum.
3 Quæ attributa cognosci possint de essentiis intelligentiarum creatarum.
4 Quid possit ratione naturali de intellectu & scientia intelligentiarum cognosci.
5 Quid possit de voluntate intelligentiarum ratione naturali cognosci.
6 Quid possit ratione naturali cognosci de vi agendi, & efficacitate intelligentiarum.

Disputatio XXXVI.
De substantia materiali in communi.
Sect. 1. Quid sit essentialis ratio substantiæ materialis & an eadem omnino sit cum ratione substantiæ corporeæ.
2 Vtrum essentia substantiæ materialis consistat in sola forma substantiali, vel etiam in materia.
3 Vtrum substantia materialis sit aliquid distinctum à materia, & forma simul sumptis, & vnione earum.

Disputatio XXXVII.
De communi ratione, & conceptu accidentis.
Sect. 1. Vtrum accidens in communi dicat vnum conceptum seu rationem obiectiuam.
2 Vtrum communis ratio accidentis in inhærentia consistat.

Disputatio XXXVIII.
De comparatione accidentis ad substantiam.
Sect. 1. An substantia sit prior tempore accidente.
2 Vtrum substantia sit prior cognitione accidente.

Disputatio XXXIX.
De diuisione accidentis in nouem summa genera.
Sect. 1. Vtrum accidens in communi immediate diuidatur in quantitatem, qualitatem, & alia summa genera accidentium.
2 Vtrum diuisio accidentis in nouem genera sit sufficiens.
3 Vtrum prædicta diuisio sit vniuoca, vel analoga.

Disputatio XL.
De quantitate continua.
Sect. 1 Quid sit quantitas, præsertim continua.
2 Vtrum quantitas molis sit res distincta à substantia materiali, & qualitatibus eius.
3 An essentia quantitatis consistat in ratione mensuræ.
4 Vtrum ratio & effectus formalis quantitatis continuæ sit diuisibilitas, vel distinctio, aut extensio partium substantiæ.
5 Vtrum in quantitate continua sint puncta, lineæ, & superficies, quæ sint veræ res inter se, & à corpore quanto realiter distinctæ.
6 An linea, & superficies sint propriæ species quantitatis continuæ, inter se & a corpore distinctæ.
7 Vtrum locus sit vera species quantitatis continuæ ab aliis distincta.
8 Vtrum motus, aut extensio eius propriam speciem quantitatis continuæ constituat.
9 Vtrum tempus sit per se quantitas, peculiarem speciem à reliquis distinctam constituens.

Disputatio XLI.
De quantitate discreta, & coordinatione prædicamenti quantitatis: & proprietatibus eius.
Sect. 1. Vtrum quantitas discreta sit propria species quantitatis.
2 Vtrum quantitas discreta in rebus spiritualibus inueniatur.
3 Vtrum oratio sit vera species quantitatis.
4 Qualis sit coordinatio generum, & specierum quantitatis.

Disputatio XLII.
De qualitate, & speciebus eius in communi.
Sect. 1. Quæ sit communis ratio, seu essentialis modus qualitatis.
2 Vtrum qualitas in quatuor species conuenienter, & sufficienter diuisa sit.
3 An quatuor qualitatis species sint inter se omnino distinctæ.
4 Vtrum diuisio qualitatis in quatuor species sufficiens sit.
5 An duplicatæ voces, quibus dictæ species proponuntur, significent essentiales, vel accidentales differentias earum.
6 Quæ proprietates qualitati conueniant.

Disputatio XLIII.
De potentia.
Sect. 1. Vtrum potentia sufficienter diuidatur in actiuam, & passiuam, & quid vtraq; sit.
2 An potentia actiua, & passiua semper re, vel interdum tantum ratione differant.
3 Quodnam sit diuisum illius partitionis, quæue definitio illius.
4 Vtrum omnis potentia sit naturalis, & naturaliter indita.
5 Vtrum vnicuique potentiæ proprius actus respondeat, & quo modo.
6 Vtrum actus sit prior potentia duratione, perfectione, definitione, & cognitione.

Disputatio XLIIII.
De habitibus.
Sect. 1. An sit, & quid sit, & in quo subiecto sit habitus.
2 An in potentia secundum locum motiua acquiratur habitus.
3 An in brutis sint habitus.
4 An in intellectu sint proprij habitus.
5 Vtrum

Universidad de Deusto
Biblioteca

5 Vtrum habitus sint propter actus efficiendos.
6 Quid efficiat habitus in actu.
7 Quos actus efficiat habitus.
8 Vtrum actus sit causa per se efficiens habitum.
9 An habitus vno, vel pluribus actibus generetur.
10 Vtrum habitus per actus augeatur, & quomodo.
11 Quale sit augmentum extensiuum habitus, vbi etiam de vnitate habitus.
12 Quomodo habitus minuatur, vel amittatur.
13 Quotuplex sit habitus, & præsertim de speculatiuo & practico.

Disputatio XLV.

De qualitatum contrarietate.

Sect. 1. Quid sit oppositio, & quotuplex.
2 Quænam sit propria contrariorum definitio, eorumq; ab aliis oppositis discrimen.
3 Vtrum propria contrarietas inter qualitates, vel omnes, vel solas inueniatur.
4 An contraria possint simul esse in eodem subiecto, & quomodo possit aliquid ex contrarijs componi.

Disputatio LXVI.

De intensione qualitatum.

Sect. 1. An sit latitudo intensiua in qualitatibus, & quid illa sit.
2 Cur hæc latitudo in solis qualitatibus, non verò in omnibus inueniatur.
3 An hæc latitudo acquiratur mutatione, seu successione continua.
4 An in hac latitudine detur maximus & minimus terminus. Vbi alia etiam breuiora dubia expenduntur.

Disputatio XLVII.

De relationibus realibus creatis.

Sect. 1. An relatio sit verum genus entis realis, ab aliis diuersum.
2 An relatio prædicamentalis distinguatur actu, & in re ab omnibus entibus absolutis.
3 Quotuplex sit relatio, & quæ sit verè prædicamentalis.
4 Quo differat respectus prædicamentalis à transcendentali.
5 Quæ sit definitio essentialis relationis prædicamentalis.
6 De subiecto prædicamentalis relationis.
7 De fundamento prædicamentalis relationis, & de ratione fundandi.
8 De termino prædicamentalis relationis.
9 Quæ distinctio necessaria sit inter fundamentum & terminum.
10 An tria relatiuorum genera, ex triplici fundamento rectè fuerint ab Aristotele diuisa.
11 De primo genere relationum, in numero, vel vnitate fundato.
12 De secundo genere relationum, in potentia, vel actione fundato.
13 De tertio genere relationum in ratione mensuræ fundato.
14 Sitne sufficiens dicta diuisio, omnesq; relationes comprehendat.
15 An omnes & solæ relationes tertij generis sint non mutuæ. Vbi de relationibus Dei ad creaturas.
16 Vtrum formalis terminus relationis sit altera relatio, vel aliqua ratio absoluta. Vbi etiam varia dubia incidenter expediuntur.
17 Quomodo prædicamentum ad aliquid sub vno supremo genere ordinari possit. Vbi etiam de individua distinctione relationum.
18 Quas proprietates habeat relatio.

Disputatio XLVIII.

De Actione.

Sect. 1. Vtrum actio essentialiter dicat respectum ad principium agendi. Vbi etiam de relationibus extrinsecus, & intrinsecus aduenientibus.
2 Vtrum actio vt sic essentialiter respiciat terminum, etiamsi immanens sit, ideoq; etiam illa in hoc prædicamento collocetur.
3 Quis ex dictis respectibus sit magis essentialis actioni ita vt inde sumat speciem.
4 Vtrum actio vt sic dicat respectum ad subiectum inhæsionis, & quodnam illud sit.
5 Quæ sit actionis essentia, quæ causæ, quæue proprietates.
6 Quot sint species, & genera actionum, vsq; ad supremum genus.

Disputatio XLIX.

De Passione.

Sect. 1. Vtrum passio in re ipsa distinguatur ab actione.
2 Quomodo passio ad motum vel mutationem comparetur, & quid tandem passio sit.
3 Vtrum de ratione passionis sit actualis inhæsio, vel aptitudinalis tantum.
4 Vtrum passio successiua, & momentanea huius generis sint, & quomodo sub illo differant.

Disputatio L.

De Quando, & in vniuersum de Durationibus.

Sect. 1. Vtrum duratio sit aliquid distinctum in re ab esse rei durantis.
2 Quæ sit formalis ratio durationis, per quam ratione distinguitur ab existentia.
3 Quid sit æternitas, & quomodo à creata duratione distinguatur.
4 Includatne æternitas in sua formali ratione aliquem respectum rationis.

5 Quid

5 Quid sit æuum, & quomodo à successiuis durationibus differat.
6 An æuum essentialiter etiam differat ab aliis durationibus permanentibus creatis.
7 Habeantne res corruptibiles permanentes propriam durationem, & qualis illa sit.
8 An res successiuæ propriam habeant durationem, quæ tempus vocatur.
9 An tempus in re distinguatur à motu.
10 Vtrum esse mensuram durationis alicui tempori conueniat.
11 Quæ res hoc tempore mensurentur.
12 Quæ duratio ad prædicamentum Quando pertineat, & quomodo illud constituat.

Disputatio LI.

De Vbi.

Sect. 1. Quid sit Vbi in corporibus, & an sit aliquid intrinsecum.
2 An Vbi sit locus corporis, ita vt per illud solum verè dici possit esse in loco.
3 Vtrum etiam in substantijs spiritualibus sit verum, & intrinsecum Vbi.
4 In quibus differant, vel proportionem seruent inter se Vbi spiritus, & corporis.
5 Vtrum Vbi solis substantijs conueniat, vel etiam accidentibus.
6 Quomodo distinguendum & ordinandum sit prædicamentum Vbi, quæue proprietates illi tribuantur.

Disputatio LII.

De Situ.

Sect. 1. Quidnam sit Situs, & quomodo ab Vbi differat.
2 Quomodo species, genera, & aliquæ proprietates, possint Situi attribui.

Disputatio LIII.

De Habitu.

Sect. 1. Quidnam habitus sit, & quomodo à substantia, & qualitate differat.
2 Quomodo species, genera, & aliquæ proprietates habitui tribui possint.

Disputatio LIV.

De Ente rationis.

Sect. 1. An verè aliqua rationis entia esse dicantur, & quomodo sub ente sint, qualeve esse habeant.
2 An ens rationis habeat aliquas causas, & quænam illæ sint.
3 An rectè diuidatur ens rationis in negationem, priuationem, & relationem.
4 An sufficienter diuidatur ens rationis in dicta tria membra, vbi tota varietas entium rationis, quæ occurrere potest, explicatur.
5 Quid commune sit, quidve proprium negationi & priuationi.
6 Quot sint modi relationum rationis, & quid omnibus commune sit, quid vero proprium.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

MENDA, QVAE IRREPSERVNT, SIC EMENDA. VBI nota, primum numerum. 1. paginam. 2. columnam. 3. versum post columnæ literam, signare.

11.1 B.14. in his non ex. 16.1.C.14. omnia. 17.1.C.24. tendat. 18.1.B.5. non est nisi met. 2.C.19. de quo satis. 19.2.A.1. tes omnes. ibid.C 24. alio modo. 21.1.A.11 non inuenirunt. 22.1.B 16. facultate intelligendi impropriissime. 23.2.C.8. habent. 31.2 B 11. quia ergo nos ex. 32. 2.A 4. Quin cognitio. A.17. Cum ea cert. 38.2.C.15. Quia est. 39.2.A.11. Acturi, 41.1.B.9. natis.1.C.10. prati, 51.1.C. 64.1.A.21. ens dixit de. 65.1.A. 10. determinantis. 2.A.1. quod. C. 24. quantum. 68 1 C.11 in primis. 69.1.A. 21. vt sit. ibid. C. 1. in in- completo. ibid. 21 infinita genera vel in iosipitum. 71.1.B.14. debet. 74.1.C.4. consideremus. 76.2. B.6. Fundanda. 84.2. C.11. po- gia. 92.1.A 1 prædicatorum. B.3. Quod vero diuis. 97.1.C.3. qua. 98.1.C.12. in intelligibilis. 2.A.11. sic se habent sicut infr. 100 2.C. vit. compatationem. 102.1 B.14. non vt vniuersale. C.4. in intelligibilem. 103.1.C.21. in immaterialibus. 105.1.C. 2. quanto 2.B.13. a neutra. 106 2 B.11. partitur. 116.2.A.13. vnicus. 121.1.B.16. eas rationes. 123.1. C.16. non potest contrahi. 144.1.B.18. adæquatè. 150. 1.C.23. identificata. 152.2.C.3 non repugnantia 2.C.16. operationem. 162.1.C.2. induere. 163.1. C.9. non prædicatur. 170.1.A.16. si. 2. A.10. esse. 173.1.A.8. comprehendendos. 177.2. A.6. in intelligibile. 183.1. C.22. constitit. 193.1.14. & non dicit. 201.2. B.8. coniun- gerentur. 202 2.C.23. considerato. 205.2. C.21. æqualitas. 206.1.A.8. quia. 212.1. B.14 ratione cuius. 213.1. C.3. alias. 2.A.17. tan- tum in. 229 2.A.3. vnde si in. 235.1.A.8. obiectum. 236.1.C.4. fundamentum. 237.1.A.2. in medium. ibid. 2.B.21. ablata. 245.2. A.14. malas. 249.1.C. vltim. bonum non sit. ibid. 2.B.13. intrinseca. 265.1.B.1. vtrum 267.1.B.10. dele, aliud. 268.1.C.8. in tale. 269.1.A.14. causat. B.14. seipsam. 2.A.4. quamuis. 271.1.B.11. effectus. C. vlt. dispositionibus. 274.1. C.12. ratione. 2.B.21. probanda 278.2.B.2. indiuisibilitatem. 281.2.C.7. in intelligibile. 302.1.B.19. materia. 2.C.10. in inferiori. 310.2.A.21. dele aquis. 318.2.C.14. quia. 340. 2.C.12. ex locis. 343.2.C.12. antonomasiam. 344.1. C.3. reperitur. 347.1.A.21. medii ordinis. 2.A.23. agentibus. 351.1.B.17. omni po- tentiæ. 352.2.A.12. dele ipse. 369.2.B.1. vnitatem. 370.2.B.3. facultates. 374.1.A.10. animetur. 376.1.C.4. post illud. Vnitæ. adde. Et componunt vnum integrum corpus. 379.2 B.12 fit. 391.1.B.21. est 394.2.B.11. conseruari. 21. vnionis. 397.2.A. 9. fit productio 401. 2.C.2. & hoc. 406.1.C.21. causæ 407.1.B. in marg instrumentalis. 417 1.B.15. quia. 421.1.B.13. accidentia. 2. C.18. actio. 424.1.B.5. se. 426.1.A.5. eius. 2 B.6. motus. C.8. facultas. 430.2.B.18. motum. 431.1.C.15 resistitur. 2. C.5. explendum. 438.2.A.6. ab. 447.2.C.23. vt. 455.1.B.9. siccitatis. 456.1.C.12. tractationem. 2.A.3. quantitatis. 470.2.C.2. per se sola. 471.2. C.11. partiales. 481.2.C.19. eadem ne- cessitate. 484 2.B.3. gereret. 495.1.B.13. iudicio. 497.2.C.20. prauus. 489.1.C.12. per. 512.2.B.2. inueniri. 16. potentialitas. 520.2.B.17. subsistentis. 531.2.A.13. creationem. 532.1.B.23. rationem. 534.2.B.4. & dele. 539.2.B.13. fit. 542.1.B.1. Gregorio. C.20. aliquo. C.1. asse- rentis. 545.1.A.8. durare. 546.2.B.21. vnuocis. 549.1.B.5.2 sola. 550.1.C. 20. inter se. 552.2. A.13. eius. C. 20. enim. 554.1. A.1. in Deo. B. 6. causa secunda. 2.A.12. causalitatem efficientem. 556.2.C.5. ab impetu. 557.2.A.16. nam. 560.2.A.21. si. 561.2.C.14. in intelligibile. 569.2.B.7. fundamentum. 573.1.C.4. in indiuiduo. 586.1.C.9. carentiam. 595.2.C.18. causalitatem. 603.2.A. vlt. hoc dele. B.24. in id. 614.2.B.2. aliqui. 616 1.B.5. quamuis. 620.1.A.10. secundarium. 627.1.C.21. forma, 628.1.B.5. effectus. 639.1.B.11. posteriores. 632.2.B. 7. forma. 2.A.21. effectum. 636.1.C.15. varium. 651.1, C.15. formalis.

RATIO ET DISCVRSVS TOTIVS OPERIS AD LECTOREM.

QVEMADMODVM fieri nequit, vt quis Theologus perfectus euadat, nisi firma priùs Metaphysicæ iecerit fundamenta: ita intellexi semper, operæpretium fuisse, vt antequam Theologica scriberem, Commentaria (quæ partim iam in lucem prodiere, partim collaboro, vt quàm primùm, Deo fauente, compleantur) opus hoc, quod nunc, Christiane Lector, tibi offero, diligenter elaboratum præmitterem. Verùm iustas ob causas, lucubrationes in tertiam D. Thomæ partem, differre non potui, easq; primùm omnium præla mandare oportuit. Indies tamen luce clarius intuebar, quàm illa diuina ac supernaturalis Theologia hanc humanam & naturalem desideraret ac requireret: adeò vt non dubitauerim illud inchoatum opus paulisper intermittere, quò huic doctrinæ Metaphysicæ suum quasi locum, ac sedem darem, vel potiùs restituerem. Et quamuis in eo opere elaborando diutius immoratus fuerim, quàm initio putaueram, & quàm multorum expostulatio, qui Commentaria illa in tertiam partem, vel (si sperari potest) in vniuersam D. Thomæ Summam, perfecta desiderant: tamen susceptí laboris nunquam me pœnitere potuit, confidoq;, lectorem sententiam meam, vel ipso adductum experimento, comprobaturum.

Ita vero in hoc opere Philosophum ago, vt semper tamen præ oculis habeam, nostram Philosophiam debere Christianam esse, ac diuinæ Theologiæ ministram. Quem mihi scopum præfixi, non solum in quæstionibus pertractandis, sed multo magis in sententiis, seu opinionibus seligendis, in eas propendens, quæ pietati, ac doctrinæ reuelatæ subseruire magis viderentur. Eamq; ob causam, Philosophico cursu nonnunquam intermisso, ad quædam Theologica diuerto, non tam vt in illis examinandis, aut accuratè explicandis immorer (quod esset abs re, de qua nunc ago) quã vt veluti digito indicẽ lectori, quanam ratione principia Metaphysicæ sint ad Theologicas veritates confirmandas referenda, & accommodanda. Fateor me in diuinis perfectionibus, quæ attributa vocant, contemplandis, immoratum fuisse diutiùs, quàm alicui fortasse præsens institutum exigere videretur: at cõpulit me rerum in primis dignitas, & altitudo, deinde quod mihi nunquam visus sum luminis naturalis, atq; adeò nec Metaphysicæ, limites transilire.

Et quoniam iudicaui semper, magnam ad res intelligendas ac penetrandas, in eis conuenienti methodo inquirendis & indicandis, vim positam esse, quam obseruare, vix, aut ne vix quidem possem, si, Expositorum more, quæstiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

stiones omnes, prout obiter, & veluti casu circa textum Philosophi occurrunt, pertractarem: idcirco expeditius & vtilius fore censui, seruato doctrinæ ordine, ea omnia inquirere, & ante oculos Lectoris proponere, quæ de toto huius sapientiæ obiecto inuestigari, & desiderari poterant. Illud verò obiectum, quodnam sit, explanat prima huius operis disputatio, simulq; in ea præfamur dignitatem, vtilitatem, & cætera, quæ in proœmiis scientiarum scriptores præmittere consueuerunt. Deinde in priori Tomo eiusdem obiecti amplissima, & vniuersalissima ratio, qua videlicet appellatur ens, eiusq; proprietates, & causæ diligenter expenduntur. Et in hac causarum contemplatione latiùs, quàm fieri soleat, immoratus sum, quod & per difficilem illam, & ad omnem Philosophiam, & Theologiam vtilissimam esse existimauerim. In Tomo autem altero inferiores eiusdem obiecti rationes prosecuti sumus, initio sumpto ab illa Entis diuisione in creatum, & creatorem, *vtpote quæ prior est, & entis quidditati vicinior, & ad huius doctrinæ decursum aptior: qui subinde procedit per contentas sub his partitiones, ad vsq; genera omnia, & gradus entis, qui intra huius scientiæ terminos, seu limites continentur.*

Quia tamen erunt permulti, qui doctrinam hanc vniuersam Aristotelis libris applicatam habere cupient, tum vt meliùs percipiant, quibus tanti Philosophi principiis nitatur, tum vt eius vsus ad ipsum Aristotelem intelligendum facilior sit, ac vtilior: hac etiam in re lectori inseruire studui, Indice à nobis elaborato, quo, si attentè legatur, facillimè (ni fallor) poterunt omnia, quæ Aristoteles in libris Metaphysicæ pertractauit, & comprehendi, & memoria retineri: rursusq; præmanibus haberi quæstiones omnes, quæ inter illos libros exponendos excitari solent.

Demum benignum lectorem admonendum duximus, vnum quidem opus hoc esse, nec eius disputationes fuisse ab vno volumine seiungendas, nisi aliqua nos ratio coegisset. Nam inprimis ne mole sua nonnihil afferret molestiæ, in duo volumina illud diuisimus: deinde vero, vt, quoad fieri posset, nostrorum laborum studiosis debitum officium præstaremus, hoc prius emisimus statim ac è prælo prodijt; quamuis aliud eo iam processerit, vt existimem, non prius hanc partem perlectam fore, quàm illa fuerit in lucem edita.

Vtinam vtraque, & cætera, quæ molimur, in magnam Dei Optimi Maximi gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem cedant.

Vale.

DISPV-

I.

DISPVTATIONES METAPHYSICAE VNIVERSAM DOCTRINAM DVODECIM LIBRORVM ARISTOTELIS COMPREHENDENTES.

AVTHORE R. P. FRANCISCO Suarez è Societate JESV.

PROOEMIVM.

DIVINA & supernaturalis Theologia, quamquam diuino lumine principiisque à Deo reuelatis nitatur, quia verò humano discursu & ratiocinatione perficitur, veritatibus etiam naturæ lumine notis iuuatur, eisq; ad suos discursus perficiendos, & diuinas veritates illustrandas, tanquam ministris, & quasi instrumentis vtitur. Inter omnes autem naturales scientias, ea, quæ prima omnium est, & nomen primæ Philosophiæ obtinuit, sacræ ac supernaturali Theologię præcipuè ministrat. Tum quia ad diuinarum rerum cognitionem inter omnes proximè accedit: tum etiam, quia ea naturalia principia explicat atque confirmat, quæ res vniuersas comprehendunt, omnemque doctrinam quodammodo fulciunt atque sustentant. Hanc igitur ob causam, quamuis grauioribus Sacrę Theologiæ commentationibus, ac disputationibus pertractandis, & in lucem emittendis sim distentus, earum cursum paululum intermittere, vel potiùs remittere sum coactus, vt quæ de hac naturali sapientia ante plures annos iuuenis elaboraueram, & publicè dictaueram, saltem succisiuis temporibus recognoscerem & locupletarem, vt in publicam vtilitatem omnibus communicari possent. Cùm enim inter disputandum de diuinis mysteriis hæc Metaphysica dogmata occurrerent, sine quorũ cognitione & intelligentia vix, aut ne vix quidem, possunt altiora illa mysteria pro dignitate tractari, cogebar sæpè, aut diuinis & supernaturalibus rebus inferiores quæstiones admiscere, quod legentibus ingratum est & parum vtile: aut certè, vt hoc incommodum vitarem, in huiusmodi rebus sententiam meam breuiter proponere, & quasi nudam fidem in eis à legentibus postulare. Quod & mihi quidem molestum, & illis etiam importunum videri meritò potuisset. Ita enim hęc principia & veritates Metaphysicę cum Theologicis conclusionibus ac discursibus cohærent, vt si illorum scientia ac perfecta cognitio auferatur, horum etiam scientiam nimium labefactari necesse sit. His igitur rationibus & multorum rogatu inductus hoc opus præscribere decreui, in quo Metaphysicas omnes disputationes ea doctrinæ methodo complecterer, quæ ad rerum ipsarum comprehensionem & ad breuitatem aptior sit: reuelatæque sapientiæ inseruiat magis. Quapropter necessarium non erit in plures libros opus hoc distribuere seu partiri: nam breui disputationum numero, ea omnia, quæ huius doctrinæ sunt propria, quæue subiecto eius sub ea ratione, qua in ipsa considerator, conueniunt, comprehendi & exhauri possunt: quæ verò ad puram Philosophiam aut Dialecticam pertinent, (in quibus alij Metaphysici scriptores prolixè immorantur) vt aliena à præsenti doctrina, quoad fieri possit, resecabimus. Prius verò, quàm de materia huic doctrinæ subiecta dicere incipiam, de ipsamet sapientia seu Metaphysica, eiusque obiecto, vtilitate, necessitate, attributisq; illius atq; muneribus, Deo auspice, disserere aggrediar.

DISPVTATIO I.

De natura primæ Philosophiæ, seu Metaphysicæ.

VT à nomine, vt par est, sumatur exordium, varia sunt nomina, partim ab Aristotele, partim ab aliis authoribus, huic doctrinæ imposita. Primò enim appellata est *Sapientia.* 1. Metaphys. ca. 2. quoniam de primis rerum causis, & supremis ac difficilimis rebus, & quodammodo de vniuersis entibus disputat. Nec refert quòd 1. Metaphys. *Prudentia* appelletur, id enim cognomen non propriè, sed per analo-

Varia Metaphysicæ nomina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

analogiam quandam illi accommodatum est: quia sicut in practicis prudentia, ita in speculatiuis hæc sapientia maximè expetenda est. Deinde dicitur absolutè & quasi per antonomasiam *Philosophia* 4. libro Metaphys. text. 5. vbi etiam text. 4. & lib. 6. text. 3. *Prima Philosophia* nominatur: est enim *Philosophia*, studium sapientiæ: hoc autem studium intra naturæ ordinem in hac scientia acquirenda maximè adhibetur, cùm ipsa sapientia sit, & in diuinarum rerum cognitione versetur. Hinc rursus, *naturalis Theologia* vocatur ex lib. 6. Metaphys. cap. 1. & lib. 11. ca. 6. quoniam de Deo ac diuinis rebus sermonē habet, quantum ex naturali lumine haberi potest: ex quo etiam *Metaphysica* nominata est, quod nomen non tam ab Aristotele, quàm ab eius interpretibus habuit: sumptum verò est ex inscriptione, quam Aristoteles suis Metaphysicæ libris præscripsit, videlicet; Τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, id est, de his rebus, quæ scientias seu res naturales consequuntur. Abstrahit enim hæc scientia à sensibilibus, seu materialibus rebus (quæ Physicæ dicuntur, quoniam in eis naturalis Philosophia versatur) & res diuinas & à materia separatas, & communes rationes entis, quæ absque materia existere possunt, contemplatur: & ideò *Metaphysica* dicta est, quasi post Physicam, seu vltra Physicam constituta: post (inquam) non dignitate, aut naturæ ordine: sed acquisitionis, generationis, seu inuentionis: vel, si ex parte obiecti illud intelligamus, res de quibus hæc scientia tractat, dicuntur esse post Physica seu naturalia entia, quia eorum ordinem superant, & in altiori rerum gradu constitutæ sunt. Ex quo tandem appellata est hæc scientia, aliarum *princeps & domina*, 6. Metaphys. cap. 1. & lib. 11. cap. 6. quòd dignitate antecellat, & omnium principia aliquo modo stabiliat & confirmet. Hæc autem vniuersa nomina ex obiecto, seu materia circa quam hæc doctrina versatur, sumpta sunt, vt ex eorum rationibus & interpretationibus facile constare potest. Solent enim à sapientibus vnicuiq; rei nomina imponi, spectata priùs cuiusque natura & dignitate, vt Plato in Cratilo docuit, vniuscuiusque autem scientiæ natura & dignitas ex obiecto potissimùm pendet, & ideò primùm omnium inquirendum nobis est huius doctrinę obiectum, seu subiectum, quo cognito, constabit facilè, quæ sint huius sapientiæ munera, quæ necessitas vel vtilitas, & quanta dignitas.

SECTIO I.

Quod sit Metaphysicæ Obiectum.

I. VARIÆ sunt de hac re sententiæ, quæ sigillatim ac breuiter sunt annotandæ & examinandæ, vt intelligamus exactè, de quibus rebus in discursu huius doctrinæ nobis differendum sit, ita vt neque illius fines transgrediamur, neq; aliquid intra eos contentum relinquamus intactum.

Prima & secunda opiniones exponuntur.

II. PRima igitur sententia est, ens abstractissimè sumptum, quatenus sub se complectitur non solùm vniuersa entia realia tam per se, quàm per accidens, sed etiam rationis entia, esse obiectum adæquatum huius scientiæ. Quæ opinio suadetur primò, quia ens sic sumptum potest esse obiectum adæquatum alicuius scientiæ: ergo maximè huius, quæ est omnium abstractissima. Antecedens patet, tum quia ens in tota illa amplitudine intellectui obiicitur: ergo & potest obiici vni scientiæ, est enim eadem ratio tum etiam, quia sicut intellectus illa omnia intelligit, ita hæc scientia de omnibus illis disserit, nempe de entibus rationis, & realibus: & de entibus per se & per accidens: ergo, si propter illam causam continentur sub obiecto intellectus, propter similē cotinenti debent sub obiecto adæquato huius scientiæ ergo ens prout obiicitur huic scientiæ, sumi debet sub ea abstractione & latitudine, qua hæc omnia directè comprehendat: & eodem modo sumenda erunt communia attributa, de quibus hæc scientia tractat, qualia sunt vnitas, multitudo, veritas, & similia. Vnde argumentor secundò, quia ad perfectionem & amplitudinem huius scientiæ pertinet, vt hæc omnia separet ac distinguat, & de vniuersis doceat, quicquid certa cognitione de his sciri potest: nam hoc maximè pertinet ad rationem sapientiæ: ergo hæc omnia entia secundum communes rationes suas directè continentur sub obiecto adæquato huius scientiæ. Tertiò, nam, si quid impediret quo minùs ens sic sumptum posset esse obiectum, maximè quia non est vniuocum: sed hoc non refert, satis enim est quod sit analogum: aliàs nec commune esse posset accidentibus realibus, & substantiis creatis, ac increatæ: ens autem quatenus analogum est, etiam rationis entia complectitur, vt ex 4. Metaphys. tex. 2. sumi potest: vbi Aristoteles priuationes, negationes, seu non entia subiicit analogiæ entis, quatenus intelligibilia sunt: ergo ens sic analogum esse potest adæquatum obiectum huius scientiæ, eò vel maximè quòd omnia illa comprehenduntur sub abstractione adæquata huius scientiæ, quæ est ab omni materia sensibili & intelligibili: nam omnes illæ rationes entium possunt absque huiusmodi materia reperiri. Tandem in ipsismet proprietatibus, quæ de ente in communi demonstrantur in hac scientia, ita includuntur entia rationis, vt sine his illæ intelligi non possint, vt postea videbimus: ergo necesse est, vt hæc scientia de illis disputet.

Nec satis est si quis dicat differere quidem hanc scientiam de his entibus, non tamen per se & ex instituto vt de obiecto, sed obiter, & dum aliud agit, vel ad meliùs explicāda sua obiecta, vel quia horum cognitio facilè comparatur ex obiecti cognitione: hoc (inquam) satis non est, quia rationes factæ plus probare videntur: alioqui idem posset dici de accidentibus, imo & de substantiis creatis. Præsertim quia huiusmodi entia rationis & similia, sunt per se scibilia, multaque de illis naturaliter cognoscuntur & demonstrantur: nulla est autem alia scientia, ad quam hoc per se pertineat. Licèt enim nonnulli hoc tribuant Dialecticæ, tamen neque in vniuersum dici hoc potest de omnibus entibus rationis, sed ad summum de quibusdam respectibus qui cōsequuntur operationes intellectus: nec de eis per se inquirit Dialecticus, quomodo rationem entis & proprietates eius participent, sed solum obiter ea attingit, quantum ad explicandas conceptiones intellectus, & denominationes ab eis prouenientes necessarium est.

III. Secunda opinio esse potest, obiectum huius scientiæ esse ens reale in tota sua latitudine, ita vt directè non comprehendat entia rationis, quia entitatem & realitatem non habent, complectatur verò non solum entia per se, sed etiam entia per accidens, quia etiam hæc realia sunt, vereque participant rationem entis & passiones eius: & de his vrgentiùs procedunt rationes factæ in confirmationem superioris opinionis. Et potest confirmari, quia aliquæ scientiæ particulares habent entia per accidens pro obiectis: sed obiectum huius scientiæ directè complectitur omnia obiecta particularium scientiarum: ergo.

Refutantur duæ primæ opiniones.

IIII. HÆ vero duæ opiniones manifestè repugnant Aristoteli 6. Metaph. Nam inprimis, quod ad entia per accidens attinet, quatenus talia sunt, sub scientiam cadere non possunt, vt ibidem Aristoteles probat text. 4. appellatur enim hic ens per accidens, non in ratione effectus, sed in ratione entis, id est, non quod ex accidente seu contingenter, & præter intentionem agentis efficitur, sed quod in se verè vnum non est, sed quoddam aggregatum ex multis: de qua distinctione dicemus plura inferius agentes de vnitate. Cum ergo hoc ens per accidens non sit vnum, sed aggregatio multorum, nec definitionem propriam habere potest, nec passiones reales, quæ de illo demonstrentur, & ideo sub scientiam non cadit. Quod si tale ens consideretur, quatenus aliquo modo vnum est, eiusq; vnitas aliquo modo est in re, iam non consideratur tale ens, vt omnino per accidens, sed vt aliquo modo comprehensum sub latitudine entis per se, quamuis fortasse in illa imperfectū aliquem gradum teneat: sunt enim varij modi entis per se, & per accidens, vt suo loco declarabimus, de vnitate tractantes. Propterea enim dixi, sermonem esse de ente per accidens, quatenus tale est: nam illud, vt sic non est ens, sed entia, & ideo directè non comprehēditur sub obiecto vnius scientiæ, sed plurium, ad quas pertinere possunt entia per se, ex quibus tale ens per accidens constat, vt D. Thom. notauit dicto lib. 6. Metaph. lect. 4. Si autem illa vnitas non sit in re, sed tantum in apprehensione vel conceptione, tale ens vt sic, nō verè dicetur reale: vnde eadem erit de illo ratio, quæ de cæteris entibus rationis. Hæc autem excluduntur à consideratione directa huius scientiæ ab eodem Aristot. libro 6. Metaphys. in fine, vt ibidem omnes interpretes notarunt. Et ratio est, quia talia neque verè sunt entia, sed ferè nomine tantum, neque cum entibus realibus conueniunt in eodem conceptu entis, sed solum per quandam imperfectam analogiam proportionalitatis, vt infra videbimus: obiectum autem adæquatum scientiæ requirit vnitatem aliquam obiectiuam.

V. Vnde non refert, quod aliquando Aristoteles analogiam entis declarauerit, prout se extendit ad hæc entia, quia ibi non assignabat huius scientiæ obiectum, sed explicabat vocis significationem ad æquiuocationem tollendam. Postea verò in proprio loco docuit, ens non esse obiectum secundum totam illam analogiam, quæ magis in vnitate vocis, quam obiecti consistit. Et propter hoc etiam nō est similis ratio de accidentibus realibus: nam illa reuera sunt entia, & sub vnitate conceptus obiectiui entis aliquo modo comprehenduntur, vt postea videbimus. Neque necesse est omnia, quæ aliquo modo considerantur in scientia, directè contineri sub adæquato obiecto eius, nam multa cōsiderantur obiter per quandam analogiam, seu reductionem, vel vt eorum cognitione obiectum ipsum magis illustretur, vel quia, cognito obiecto, per analogiam ad illud cætera cognoscuntur, & fortasse aliter cognosci non possunt. Item proprietates subiecti, quæ de ipso demonstrantur, non est necesse directe contineri sub ipso obiecto, saltem secundum omnia quæ includunt. Sic igitur, quamuis hæc scientia multa consideret de entibus rationis, nihilominus merito excluduntur ab obiecto per se & directè intēto (nisi quis velit de nomine contendere) propter vtramque causam dictam. Nam inprimis entia rationis considerantur aliquo modo in hac scientia, non tamen per se, sed propter quandam proportionalitatem, quam habent cum entibus realibus, & vt ab eis distinguantur, & vt melius & clarius concipiatur, quid habeat in entibus entitatem & realitatem, quid verò non habeat; nisi solam speciem eius. Vnde (vt sic dicam) magis considerantur hæc rationis entia, vt cognoscantur non esse entia, quam vt eorum scientia vel cognitio acquiratur. Deinde considerantur ad declarandas proprietates entis realis, & obiecti huius scientiæ, quæ à nobis non satis concipiuntur & explicantur, nisi per huiusmodi entia rationis: ita enim agit hæc scientia aliquo modo de genere & specie ad explicandas rerum vnitates, & sic de aliis, vt sumitur ex 4. Metaph. cap. 1. & 2. & ex libro 6. & 7. ex discursu quę materiæ id magis constabit. Deinde sæpè tractatur de his entibus ratione alicuius realis fundamenti, quod habent in rebus, vel certè, quia fundamentum ipsum non potest satis cognosci, neque eius realitas à nobis declarari, nisi prius explicemus, quænam denominationes rationis ibi misceantur.

Entia rationis quatenus excludantur ab obiecto huius scientiæ.

VI. Argumenta igitur præcedentium opinionū probant quidem, huiusmodi entia considerari in hac scientia, non verò, quod sint partes directè cōtentæ sub obiecto eius. Imo, vt ego existimo, ad nullam scientiam per se & primario pertinent, quia, cum non sint entia, sed potius defectus entium, non sunt per se scibilia, sed quatenus deficiunt à vera ratione entium, quæ per se consideratur, vel quatenus aliquo modo illam comitari videntur. Priori modo agit Philosopus de cœcitate, & de tenebris, ac vacuo, quatenus sunt defectus priuationesque visus, lucis, ac realis loci. Posteriori modo tractant multi de relationibus seu denominationib. rationis. Dialecticus in quantum ad illum pertinet dirigere & ordinare reales conceptus mentis, à quibus denominationes rationis sumuntur, & in quibus hæ relationes tationis fundantur: à Philosopho verò etiā considerantur, vel considerari possunt, quatenus ipse & per se propriè speculatur operationes intellectus, non solum directas, sed etiam reflexas, & obiecta earum. In hac verò scientia considerantur ob rationes iam dictas.

Soluuntur fundamenta præcedentiū opinionum.

Tertia Opinio exponitur.

VII. PRætermissis ergo his sententiis, quæ nimium amplificabant huius scientiæ obiectum, sunt plures aliæ, quæ nimium illud coarctant. Tertia itaque opinio, & per extremum opposita, solum supremum ens reale (Deum videlicet) facit obiectū huius scientiæ adæquatum. Hanc opinionem refert Albertus in principio Metaphysicæ ex Alpharabio, libro de diuisione scientiarum, potestque tribui Auerroi 1. Physicorum, comment. vltimo: reprehendit enim Auicennam, eò quod dixerit, ad primum Philosophum pertinere demonstrare primum principium esse: at (obiicit Auerroes) nulla scientia demonstrat suum subiectum esse: Deus autem seu primum principium est obiectum totius Philosophiæ. Aristoteles etiam libro 1. Meta- Albert. Alpharab. Auicenna. Auerroes. Aristoteles.

Universidad de Deusto
Biblioteca

physicæ, in principio ait, hanc scientiam contemplari primam rerum causam, & ideò esse maximè Diuinam, quare vt vidimus, *Theologiā* illā appellat: Theologia autem nihil aliud est, quam scientia de Deo: erit ergo Deus huius scientię obiectum: nam ex obiecto accipit scientia suam dignitatem & præstantiam, eaque attributa vel nomina quibus talis dignitas indicatur: sed præstantissimum obiectū est Deus: ergo hoc debet esse obiectum præstantissimę ac dignissimę scientię.

VIII. Occurritur obiectioni. Neque satisfaciet, qui respondeat Deum esse præcipuum huius scientiæ obiectum, idque satis esse ad illam scientiæ dignitatem & appellationem, licet obiectum adæquatum non sit. Contra hoc enim vrgetur argumentum. Primò, quia nobilius & excellentius est habere Deum pro obiecto adæquato, quam solùm pro principali: est autem hæc scientia nobilissima omnium, quæ possunt naturali intellectus lumine acquiri: ergo Deus est adæquatum obiectum eius. Primum antecedens probatur, quia Deus secundum propriam rationem quid nobilius est, quam esse possit quælibet ratio communis Deo & creaturis, vt per se constat, B quia Deus secundum propriam rationem est ens infinitè perfectum: omnis autem alia ratio abstractior, ex se non dicit, neque requirit infinitam perfectionem: sed illa scientia quæ habet pro obiecto adæquato Deum, immediatè & per se primò tendit in ipsum secundum propriam rationem eius: illa verò scientia, quæ solum respicit Deum vt principale obiectum, ad summum potest per se primò versari circa aliquam rationem entis communem Deo & creaturis: ergo illa prior scientia erit longè nobilior: quia nobilitas scientiæ sumitur ex illo obiecto, in quod per se primò tendit. Quod etiam potest exemplis declarari & confirmari, quia diuinus intellectus nobilissimus omnium est, & ideo solum Deum habet pro adæquato obiecto, nihilque aliud attingit, nisi in quantum in ipsomet Deo, seu per ipsum manifestatur. Similiter visio beata nobilior est, habens Deum pro adæquato obiecto, quam si immediatè attingeret Deum, & aliquid aliud sub aliqua ratione communi. Et denique propter hanc causā Theologia supernaturalis censetur habere pro adæquato obiecto solum Deum vt C supernaturaliter reuelatum: ergo eadem ratione Deus, vt naturali lumine intellectus nostri cognoscibilis, erit adæquatum obiectum huius naturalis Theologiæ. Quin potius argumentari possumus, Deum non posse esse principale obiectum huius scientiæ, si non est adæquatum, quia Deus & creatura non possunt conuenire sub aliqua communi ratione obiecti scibilis: ergo, vel Deus dicendus est adæquatum obiectum huius scientię, vel omnino excludendus ab obiecto illius. Antecedens patet primò, quia Deus est obiectum intelligibile longè alterius rationis & eminentioris, quam sit omne obiectum creatum, magisque distat Deus ab obiecto quouis creato, in abstractione & immaterialitate, quam distent omnia entia creata secundum proprias rationes suas: sed non possunt omnia obiecta creata conuenire secūdum proprias rationes sub vno adequato obiecto huius scientiæ: ergo multo minùs poterunt conuenire Deus & alia entia creata. Deinde, quia commune obiectum est prius natura iis quæ sub ipso cōtinentur, quia est superius ipsis, & cum eis nō cōuertitur subsistendi cōsequentia: sed nihil potest esse prius natura Deo: ergo non potest esse obiectum principale contentum sub ali quo communi: erit ergo adæquatum.

Quod si obiicias, scientiam hanc nō de solo Deo, sed de multis aliis rebus differere: Respondent, alia non tractari in hac scientia per se, seu propter se, sed quatenus ad Dei cognitionem conferre possunt. Et ita Aristoteles in 12. lib. Metaphysicæ concludit scientiam de Deo, omnia verò quæ in superioribus libris tradit, ad illum vltimum tanquam ad conclusionem præcipuè intentam referūtur. Vnde D. Tho. 1.2.q.56. art.2. & Caietanus ibi, dicunt, hanc scientiam versari circa id quod est vltimum respectu totius cognitionis, & iudicare de omnibus principiis per resolutionem ad primas causas, quod Caietanus interpretatur de prima, seu altissima causa, quæ eminenter continet primas rationes causandi, quæ & vniuersales sunt, & ad perfectionem simpliciter pertinent, vt sunt finis, efficiens, exemplar: nam materia & forma vniuersales non sunt, & imperfectionem includunt.

IX. Solvitur obiectio. Aristoteles. D. Thomas. Caietanus.

Reiicitur tertia opinio.

X. NIhilominus hæc sententia probanda non est, repugnat enim Aristoteli, & reliquis fere Philosophis, & interpretibus eius, vt videbimus: repugnat etiam ipsi (vt sic dicam) experientiæ, & doctrinæ, quæ in hac scientia tradi solet, & ad eius perfectionem & complementum necessaria censetur: nam in ea multa continentur & docentur, quę per se sunt necessaria ad alias res cognoscendas præter Deum, & ad perfectionem intellectus humani, quatenus in huiusmodi rebus, vel in rationibus ac principiis communibus cognoscendis versari potest, & ad Deum cognoscendum, vel nihil, vel parum conducunt, neque ex modo aut ratione talis scientiæ ad hoc referuntur, quidquid sit de intentione scientis. Ratio denique à priori est, quia hæc scientia, cum discursu naturali procedat, non attingit Deum prout in se est, sed quantum ex creaturis manifestari potest lumine naturali intellectus humani, & ideò nulla esse potest scientia naturalis quæ ipsum attingat, & respiciat, vt adæquatum obiectum, quia ratio, sub qua attingitur, semper communis est aliis rebus creatis. Vnde constat rectè dictum esse, tractando fundamentum superioris sententiæ, Deum contineri sub obiecto huius scientiæ vt primum ac præcipuum obiectum, non tamen vt adæquatum.

Ad instantias verò seu replicas respondetur. Ad primam quidem fatemur esse magnam excellentiam scientiæ, habere Deum pro obiecto, in quod solum per se ac primariò tendat, & per illud in reliqua, dicimus tamen, hanc perfectionem superare naturales vires ingenij humani, & scientiæ quæ per illas acquiri potest: & ideò, quamuis hæc scientia sit nobilissima intra suum ordinem, non propterea illi tribuenda est tanta perfectio. Neque in hoc est comparanda cum intellectu diuino, ac visione beata, imò nec cum Theologia supernaturali, quæ sub altiori lumine, & ex altioribus principiis procedit. Quamquam nec de supernaturali Theologia constet solum Deum esse obiectum adequatum illius: multi enim censent, non Deum, sed ens reuelatum, esse obiectum adequatum illius doctrinę: quia diuina reuelatio, quę est ratio formalis sub qua illius obiecti, æquè cadere pōt in Deum & res alias, quod attinet ad vim & rationē cognoscendi, quāuis in ratione finis, & in excellentia rei reualatæ Deus omnia superet, & ideò

XI.

& ideo dici soleat vel principale obiectum, vel simpliciter obiectum, practicè & in ordine ad mores res considerando. Sed de hoc aliàs. A

Deus an cū creaturis in ratione obiecti possit cōuenire.

Ad vltimum respondetur, non repugnare, Deum vt cognitum per creaturas, conuenire cum illis in aliqua ratione communi obiecti: nam, licet in suo esse, & secundum se magis distet à creatura qualibet, quam ipsæ inter se, tamen secundum ea, quæ de ipso manifestari possunt scientia naturali, & iuxta rationem & modum quo manifestari possunt ex creaturis maior proportio & conuenientia inueniri potest inter Deum & creaturas, quam inter aliquas creaturas inter se. Neque ad huiusmodi obiectum adæquatum constituendum, quod Deum sub se comprehendat, necesse est dari aliquid, vel aliquā rationem entis, quæ sit prior natura Deo, sed satis est vt detur secundum abstractionem vel considerationem intellectus, quod nō repugnat, vt infra ostēdemus, tractando de conceptu entis. Sicut enim intelligi potest cōuenientia aliqua vel similitudo imperfecta inter Deum & creaturas in ratione entis, substantiæ, vel spiritus, ita possunt dari aliqui conceptus secundum rationem priores Deo in vniuersalitate B prædicationis: hæc autem non est prioritas naturæ, nec ratione causalitatis, vt per se constat, nec ratione independentię seu prioritatis in subsistendo: nam omnis ratio, quantumuis abstrahatur cōmunis Deo, & creaturis, ita comparatur ad Deum, vt existere nō possit in rerum natura, nisi in ipsomet Deo, vel depēdenter à Deo, & ideo non potest esse prior natura ipsomet Deo.

Refutatur quarta opinio.

XII. ATque ex dictis contra præcedentem sententiam facile excluduntur duæ aliæ parum certè probabiles. Quarta ergo opinio sit, substantiam, aut ens immateriale, prout in se includit solum Deum & intelligentias, esse adæquatum obiectum huius scientiæ. Quæ opinio solet tribui Commentatori 1. Physic. comment. vlt. Sed ibi solum dicit, intelligentias per se pertinere ad obiectum huius scientiæ, non vero esse adæquatum obiectum. Potest autem hæc opinio suaderi ex discursu seu partitione scientiarum: omissis enim scientiis rationalibus, quæ potius sunt artes quædam, & de vocibus seu C conceptibus tractant, & scientiis Mathematicis, quæ non agunt de substantia, sed de sola quantitate; inter scientias, quæ agunt de substantiis, Philosophia tractat de omnibus substantiis generabilibus, & corruptibilibus, & de substantiis etiam corporeis incorruptibilibus, & de substantia etiam composita ex materia, & immateriali forma, qualis est homo: & de ipsa etiam forma immateriali, anima scilicet rationali, ac denique de quinque gradibus seu ordinibus materialium substantiarum, scilicet simplicium corporum, mistorum inanimatorum, vegetabilium tantum, sentientium tantum, & rationalium, & de omnibus proprietatibus eorum. Nihil ergo sciendum supereſt in rebus prēter immateriales substantias; illę ergo complent obiectum adæquatum huius scientię. Qui totus discursus primò confirmari potest duplici testimonio Aristotelis. Vnum est 4. Metaphy. tex. 4. vbi dicit, tot esse partes Philosophiæ, quot substantiæ. Vnde, sicut duplex est substantia, materialis scilicet & immaterialis, ita duplex est scientia, quæ de substantiis philosophatur: vnde concludit, illam esse primam philosophiam, quæ primam substantiam, id est, immaterialem contemplatur. Alterum testimonium est 6. Metaph. tex. 3. vbi Aristot. ait, si non essent substantiæ secundum esse abstrahentes à materia, naturalem Philosophiam fore primam, neque prēter illam fore aliam scientiam necessariam: ergo tota ratio obiectiua huius scientię, quæ illam suo modo constituit, & ab aliis distinguit, est substātia immaterialis: hęc ergo est adequatum obiectum eius. Secundò confirmatur, quia communiter distinguuntur Philosophia naturalis, Mathematica, & Metaphysica, ex abstractione obiectorum: nam Physica considerat res materia sensibili constantes: Mathematica abstrahit ab illa materia secundum rationem, non autem secundum esse, & ideo dicitur non abstrahere à materia intelligibili: Metaphysica verò abstrahit à materia, tam sensibili, quam ab intelligibili, non solum secundum rationem, sed etiam secundum esse: sed sola substantia immaterialis abstrahit à materia secundum esse: ergo illa est obiectum adæquatum huius scientiæ.

Cōmētator.

Aristotelis duo testimonia pro hac sententia afferuntur.

Hæc verò sententia, vt dixi, non habet maiorem XIII. probabilitatem, quam præcedens: vnde nullus est grauis author qui illam defendat: nam in toto discursu facto diminutè procedit. Probat quidem rectè ille discursus substantias immateriales maximè pertinere ad obiectum huius scientiæ. Probat etiam, ex rebus subsistentibus in rerum natura nullas alias cadere per se & secundum proprias rationes sub obiectum huius scientiæ præter substantias immateriales, vt paulò inferius contra Ægidium dicemus. Non tamen probat, nec rectè concludit, substantiam immaterialem vt sic, esse obiectum adæquatum huius scientiæ, quia in ipsa immateriali substantia considerari possunt aliæ rationes, seu conceptus obiectiui vniuersaliores, & communiores, de quibus secundum adæquatam rationem potest aliqua scientia tradi, nam his rationibus respondent propria principia & proprietates: nulla autem alia scientia præter Metaphysicam has rationes contemplatur: igitur adæquatum Metaphysicæ obiectum sub aliqua vniuersaliori ratione designandum est. Quamuis ergo discursui, & inductioni factæ concedamus, omnes res materiales secundum eas rationes, in quibus cum immaterialibus non conueniunt, sufficienter scirl per alias scientias à Metaphysica distinctas, non rectè concluditur immaterialem substantiam vt sic, esse obiectum huius scientię adequatum: quia adhuc supersunt rationes vtrisque rebus seu substātiis communes, in quibus propriæ demonstrationes fieri possunt.

XIIII. Aristotelis testimonia pro præcedente opinione allata exponūtur.

Et ideo ex testimoniis etiam Aristotelis nihil in contrarium colligi potest: ipse enim, vt statim videbimus, sæpe assignat huic scientiæ vniuersalius obiectum, quam sit substantia immaterialis. In priori autem loco citato solum dicit, substantias materiales & immateriales secundum proprias rationes suas ad diuersas scientias pertinere, & eam scientiam, quæ substantias immateriales contemplatur, priorem esse natura & dignitate: vtrumque autem verissimum est, etiam si substantia immaterialis vt sic, non sit adæquatum obiectum talis scientiæ, sed aliquo modo proprium, in quantum à sola hac scientia consideratur, tam secundum immediatam rationem suam, quam secundum omnem rationem superiorem in illa inclusam, atq; etiam secundum omnem rationem inferiorem seu partem subiectiuā, quę sub tali rōe cōsiderari possit. In posteriori aūt loco conditionalis illa (*Si non esset alia substantia superior prater materiales, naturalis Philosophia esset prima; neq;*

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset alia scientia necessaria) verissima est, non quia substantia immaterialis sit adæquatum obiectum primę Philosophię: sed quia, hac substantia ablata, auferretur tam proprium, quam adæquatum obiectū primæ Philosophiæ, quia non solum auferretur immaterialis, substantia, sed etiam omnes rationes entis vel substantiæ communes rebus immaterialibus & materialibus, &, data illa hypothesi, sicut nulla essent entia immaterialia, ita nullæ etiam essent rationes entium abstrahentes à materia secundum esse, & ideò non esset necessaria alia scientia distincta. Ex quo etiam constat, secundam confirmationem non rectè concludere, quia non solum substantia immaterialis vt sic, sed etiam omnis ratio entis abstractior vel superior illa, abstrahit à materia sensibili, & intelligibili secundum esse: nihil .n. aliud est abstrahere à materia secundum esse, quam quod possit in rerum natura verè ac realiter existere absque materia: hoc autem verum est non tantum de substantia immateriali vt sic, sed etiam de quacunque ratione superiori, quæ cum sufficienter existere possit in substantia ipsa immateriali, constat posse etiam in rebus existere sine materia.

Quid sit abstrahere à materia secundum esse.

XV. Dices, esto, hoc verum sit, diuerso tamen modo conuenire hoc abstractionis genus substantiæ immateriali vt sic, & rationibus superioribus: nam substantiæ seu enti immateriali conuenit per se, positiuè ac necessariò, quia nec communis ratio immaterialis substantiæ, neque aliquid sub illa contentum potest in materia existere, at verò rationes communiores, vt sunt ratio entis, substantiæ, accidentis, & similes, solum permissiuè (vt sic dicam) & quasi per aliud, participant illam abstractionem: possunt enim existere absque materia ratione vnius partis illis subiectæ, non tamen eis repugnat esse in materia, ratione alterius partis. Respondetur, hoc nihil obstare quo minus rationes illæ sub obiecto huius scientiæ contineantur, sufficienterque illius abstractionem participent, quia hoc ipso quod rationes illæ possunt sine materia existere, nequeunt ad inferiorem Philosophiam, vel scientiam pertinere, vt per se notum est. Neque etiam requirunt aliam scientiam præter hanc: vel enim esset prior quam Metaphysica, quod non est asserendum, cum Metaphysica sit prima Philosophia, vt ex Aristotele vidimus, & cum nullum sit nobilius obiectum scibile, quam sit substantia immaterialis vt Deum comprehendit: Vel esset scientia aliqua posterior, & inferior, & hoc etiam dici non potest, tum quia scientia, quæ contemplatur substantias immateriales secundum proprias rationes, potest multò magis contemplari rationes alias, quæ in eis sunt, licet sint communes aliis rebus inferioribus; tum etiam quia scientia humana, & naturalis vix potest attingere substantias immateriales, nisi incipiendo à rationibus quæ communes sint illis substantiis, & aliis rebus. Quocirca ad obiectum huius scientiæ satis est, quod in conceptu obiectiuo suo materiam non includat, neque sensibilem, neque intelligibilem. Quod verò includat etiam aliquid repugnans materiæ, hoc potest pertinere ad maiorem quandam excellentiam vel proprietatem obiecti, non tamen adæquatum obiectum constituit. Atque ad hanc & præcedentem sententiam reduci potest ea, quam Auicenna attingit in principio suæ Metaphysicæ, eorū sc. qui dicebant primam vel primas rerum causas esse obiectum adæquatum huius scientiæ. Quæ opinio ita absolutè sumpta per se improbabilis est: qualiter autem causarum cognitio ad hanc scientiā pertineat, dicetur sect. sequente.

Obiectio.

Solutio.

Auicenna.

Quinta opinio proponitur, & confutatur.

XVI. QVinta opinio, quæ à fortiori etiam manet ex dictis improbata, est omnino diuersa à duabus præcedentibus, iuxta diuersos sensus illius: dicit enim ens diuisum in decem prædicamenta esse adæquatum obiectum huius scientiæ: dupliciter autem potest concipi hoc ens iuxta diuersas opiniones. Primo supponendo immateriales substantias finitas, & accidentia earum in prædicamentis collocari, & hoc modo obiectum erit ens finitum, solumque excludetur Deus à ratione obiecti, quamuis non omnino excludatur à consideratione huius scientiæ, saltem quatenus causa prima est obiecti eius, & hoc modo defendit hanc opinionem Flandria 1. Metaphys. quæstio. 1. Alter sensus esse potest, si supponamus, iuxta aliorum opinionem, substantias omnes immateriales in nullo prædicamento collocari: hoc enim supposito, omnes illæ ab huiusmodi obiecto excludentur, si statuamus illud esse solum ens in decem prædicamenta diuisum. Quod hi authores sic ex Aristotele colligunt: nam, postquam ille in libro quarto, Metaphysicæ ens constituit obiectum huius scientiæ, statim illud in libro quinto, diuisit in decem prædicamenta. Addunt etiam D. Thomæ testimonium, qui interdum docet, Deum & intelligentias considerari à Metaphysico vt principia & causas sui obiecti, non vt partes eius. Afferunt etiam nonnullas coniecturas, quæ partim, tractando tertiam opinionem, solutæ sunt: illæ .n. rationes, quibus probari videbatur, nō posse Deum esse principale obiectum huius scientiæ, nisi fit adæquatū, vsurpantur ab his authoribus ad probādum nō posse vllo modo esse obiectum: sed illis iam responsū est. Alia autem earum pars soluetur examinando veram sententiam.

Flandria.

Aristoteles.

D. Thom.

XVII. Hæc itaque opinio in vtroque sensu falsa est & improbabilis, & inprimis omitto posteriorem sensum, qui supponit sententiam planè falsam, & ad rem præsentem valde impertinentem, scilicet, substantias immateriales finitas, & proprietates earum non collocari in prædicamentis: est enim hoc sine fundamento dictum, cum in rebus illis sint vera genera & differentiæ, & conuenientiæ vniuocæ cum inferioribus rebus, vt in sequentibus propriis locis ostendemus. Nihil etiam hoc refert ad obiectum scientiæ assignandum, quid enim interest quod res sit, vel non sit in prædicamento, vt sub obiecto scientiæ collocetur, nec ne? Deinde ob hanc etiam rationem sine causa excluditur Deus ab hoc obiecto, iuxta priorem sensum, propterea quod in prædicamentis non collocetur: est enim id impertinens. Falsumque subinde est, hanc scientiam non agere de Deo vt de primario ac principali obiecto suo, sed tantùm vt de principio extrinseco. Idemque de cæteris intelligentiis dicendum est, vt apertè colligitur ex Aristotele 4. Metaphysicæ tex. 7. vbi ait, Metaphysicam superare Philosophiam naturalem, quia considerat primam substantiam, nimirum, vt præcipuum obiectum, nā vt extrinsecum principium etiam à Philosophia aliquo modo consideratur, vt ex 8. Physicorum patet. Præterea, libro 6. capit. 1. dicit Aristoteles, quoniam præter substantias naturales datur alia superior, dari etiam superiorem scientiam, quàm sit Philosophia naturalis, quæ de illa consideret. Intelligit ergo considerare de illa, vt de obiecto præcipuo. Idemque satis conuincunt omnia argumenta in fauorem tertiæ & quartæ opinionis adducta. Nam Deus est obiectum naturaliter scibile aliquo modo (idemque semper de cæteris intelligentiis dictum intelligatur) ergo potest cadere sub aliquam naturalem scientiam, non solum, vt principium extrinsecum, sed etiam vt obiectum præcipuum: ergo hæc dignitas pertinet ad hanc scientiam. Probatur consequentia, tum quia hæc est omnium naturalium scientiarum prima & dignissima, quæ non est sine causa hac excellentia priuanda, tum etiam, quia non potest altiori via & modo Deus naturaliter inuestigari, quàm in hac scientia fiat. Vnde confirmatur, quia hæc scientia nō solum considerat Deum sub præciso respectu principij, sed postquam ad Deum peruenit, ipsumque sub dicta ratione principij inuenit, eius naturam & attributa absolutè inquirit, quantum potest naturali lumine, vt ex 12. lib. Metaphysicæ constat: ergo absolutè Deus cadit sub obiectum huius scientiæ. Confirmatur secundò, quia hæc scientia est perfectissima sapientia naturalis: ergo considerat de rebus & causis primis & vniuersalissimis, & de primis principiis generalissimis, quæ Deum ipsum comprehendunt, vt, *Quodlibet est, vel non est*, & similibus: ergo necesse est, vt sub obiecto suo Deum complectatur.

Deus nō solum vt causa obiecti Metaphysicę, sed etiam vt pars illius præcipua ad hanc scientiam pertinet.

XVIII. Nec Diuus Thomas vnquam oppositum docuit, sed solum hanc scientiam peruenire ad cognitionem Dei sub ratione principii: non tamen negat, eandem scientiam tractare de Deo, vt de præcipuo obiecto, vt ex eisdem locis facile constare potest, & ex his, quæ infra dicemus. Quod autem Aristoteles diuiserit ens in decem prædicamenta, nihil obstat, nam si illa diuisio intelligatur de his, quæ directè tantum in prædicamento collocantur, sic constat diuisum eius non esse ens, prout est adæquatum obiectū huius scientiæ, nam illud non solū complectitur entia, quæ in prædicamentis directè collocantur, sed etiam alias rationes transcendentales & analogas, vt accidentis, formæ, & similes, atque etiam differentias entium. Si autem sub ea diuisione intelligantur ea, quæ ad illa capita reuocantur, sic etiam Deus dici potest ad substantiam reduci: ens ergo, vel substantia, prout est huius scientiæ obiectum, non excludit Deum, aut intelligentias.

Proponitur sexta opinio, ferturque de illa iudicium.

XIX. SExta opinio, quæ Buridani esse dicitur, est, obiectum adæquatum huius scientiæ esse substantiam, quatenus substantia est, id est, vt abstrahit à materiali & immateriali, finita & infinita. Quod enim hoc obiectum non possit esse contractius, probant satis ea, quæ contra tres proximas præcedentes opiniones dicta sunt. Quod autem neque abstractius esse possit, sumi potest ex Aristotele, 7. Metaphysicę, tex. 5. vbi post diuisionem entis in substantiam & accidentia, cum dixisset solam substantiam esse simpliciter ens, ita cōcludit, *Quapropter nobis maximè & primum, & solum (vt ita dicam) de ente hoc pacto quidnam sit, speculandum est.* Quibus verbis solam substantiam videtur constituere huius doctrinæ subiectum. Vnde in libro 12. in principio iterum sic scribit, *Speculatio de substantia est, siquidem substantiarum principia & causæ quæruntur.* Ex quibus locis ratio etiam desumitur, nam substantia & accidens ita comparantur, vt substantia propter se sit, accidens verò sit proprietas substantiæ: ergo hæc scientia tractat de substantia, vt de subiecto, & de accidenti, vt de proprietate subiecti: ergo subiectum adæquatum huius scientiæ non abstractius constituendum est, quàm sit substantia vt sic. Patet consequentia, quia nihil potest esse abstractius, nisi aliquid commune directè seu in recto ad substantiam & accidens: hoc autem assignandum non est, quia subiectum adæquatum scientiæ non est commune illi subiecto, de quo demonstrantur passiones, & passionibus ipsis, sed obiectum adæquatum est illud subiectum, de quo passiones demonstrantur, aliàs æquè caderent sub scientiam subiectum & proprietates, quæ de illo dicuntur: de ratione autem communi vtrique, (quæ assignaretur, vt obiectum adæquatum) nihil posset demonstrari, quod est valde absurdum. Igitur, cum substantia & accidens se habeant, vt subiectum & proprietas, non est assignandum obiectum huius scientiæ, quod sit abstractius vtroque & directè, ac per se illis commune: erit ergo sola substantia vt sic, accidens enim esse non potest, vt per se notum est; sed considerabitur ab hac scientia, vt adæquata affectio substantiæ.

Aristoteles.

XX. Potestque hoc exemplis declarari ac confirmari, nam scientia quæ considerat de homine, & proprietates eius de illo demonstrat, non habet pro adæquato obiecto aliquid commune homini, & proprietatibus eius, sed tantum ipsum hominem. Similiter Philosophia naturalis habet pro adæquato obiecto substantiam naturalem, de qua demonstrat proprietates, & non aliquid commune ipsi & proprietatibus eius. Ergo idem est in præsenti dicendum de substantia & accidenti vt sic. Quod si contra hanc sententiam obiicias, hanc scientiam considerare rationem entis vt sic, quæ latius patet quàm substantia, & de illa demonstrare proprietates latius etiam patentes, & communes accidentibus: responderi potest hæc omnia esse analoga, & primò ac simpliciter cum substantia conuerti, & ideo perinde esse hæc demonstrare de ente, ac de substantia: quia ens simpliciter dictum nihil aliud est, quàm substantia, præsertim si verum est, enti vt sic, non vnum, sed plures conceptus obiectiuos respondere.

XXI. Hæc sententia habet nonnihil verisimilitudinis & apparentiæ: & reuera qui negant conceptum obiectiuum entis, satis consequenter hoc modo loquerentur, quia si nullus est communis conceptus obiectiuus substantiæ & accidenti, nihil reale abstractius concipitur, quod possit esse huius scientiæ adæquatum obiectum. Nihilominus hæc opinio simpliciter falsa est, & à mente Aristotelis aliena, quia, vt inferius ostendetur, simpliciter verius est dari conceptum obiectiuum entis, secundum rationem abstrahibilem à substantia & accidenti, circa quem per se & vt sic, potest aliqua scientia versari, eius rationem & vnitatem explicando, & nonnulla attributa de illo demonstrando; hoc autem fit in hac scientia, vt ex discursu eius constat, nec potest ad aliam pertinere, quia nulla est prior hac scientia, nullaq; præter illam consi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

considerat rationes entium quæ abstrahunt à materia secundum esse: ratio autem obiectiua entis vt sic, abstrahit à materia secundum esse, imò est prima & abstractissima omnium, ideoque ad primam scientiam seu Philosophiam pertinere debet. Non ergo potest ratio substantiæ vt sic, esse adæquata ratio obiecti huius scientiæ, quia non continet sub se rationem entis vt sic, sed sub illa potius continetur: & sicut illa ratio est secundum conceptus & obiectiue diuersa à ratione substantiæ, & latius patet quam illa, ita vniuersaliora, & abstractiora habet principia, & attributa, & ideò non potest commodè ad illam reuocari in ratione obiecti scibilis, quia, licet analoga sit, est tamen vna & communis, non tantum in vnitate vocis, sed etiam obiectiui cõceptus, & abstractionis eius.

XXII. Ex quo etiam intelligitur, in discursu seu fundamento huius sententiæ non rectè procedi. Primò quidem, quia supponitur, accidens esse adæquatum attributum quod hæc scientia de subiecto demonstrat: quod tamen falsum est, tum quia priùs demonstrat de suo subiecto alia attributa vniuersaliora, quam sit accidens vt sic: qualia sunt, *vnum, verum, bonum*, tum etiam, quia nec de substantia vt sic, demonstratur accidens vt adæquata passio: nam datur aliqua substantia, quæ nullum potest habere accidens: vnde, si illud esset adæquatum obiectum huius scientiæ, quod est veluti subiectum adæquatum accidentis, non substantia vt sic, sed substantia finita, ponendum esset adæquatum obiectum huius scientiæ, quod tamen falsum est, vt ostendimus. Vnde è conuerso, si substantia vt sic, ponitur adæquatum obiectum, assignandæ sunt proprietates, quæ de illa possint adæquatè demonstrari, & conueniant omnibus substantiis: hæ autem fortasse nullæ sunt præter eas quæ enti vt ens est, communes sunt, ac per se primò conueniunt: nam substantia finita, & infinita, nullam communem & adæquatam passionem habere videntur præter rationem subsistendi, & negationem inhærendi quæ illam intrinsecè comitatur. Accedit, quod, licet omne accidens dicatur proprietas substantiæ quatenus est affectio eius, non tamen semper ita est talis hæc proprietas quæ per se consequatur rationem substantiæ, & ideò non semper consideratur vt proprietas, quę de substantia vt subiecto adæquato demonstretur, quia solum illæ proprietates quæ per se consequuntur rationem subiecti, hoc modo demonstrantur. Ac denique quamuis ipsum accidens aliquid substantiæ sit, tamen in illo vt sic, potest interdum aliquid veluti absolutè considerari, & ideò aliquando potest aliqua scientia in solis accidentibus versari, vt Mathematica in quantitate.

XXIII. Accidens esse pòt subiectum alicuius scientiæ. Hæc igitur scientia, quæ vniuersalissima est, non considerat accidens solum vt proprietatem de substantia demonstrabilem, sed vt ipsum in se participat rationem & proprietates entis, quamuis illas semper participet in ordine ad substantiam. Quapropter non sunt similia exempla quæ ibi adducuntur. Neque etiam verba Aristotelis repugnant his quæ aliis locis ipse docuit vt statim videbimus: non enim intendit accidens excludere, sed substantiam ei præferre, primumque ac principalem locum substantiæ attribuere, vt D. Thomas rectè expositit, & ex eodem Aristotele sumitur, libro 4. Metaph. tex. 20. & ex verbis eiusdem in prædicto loco libro septimo, si rectè ponderentur: ait enim, *maximè & primum de substantia esse speculandum*, cum verò addit, *& solum*, subiungit illam limitationem (*vt ita dicam*) veluti significans illud esse per exaggerationem dictum, quia simpliciter non de illa solum speculandum est: quodammodo tamen dici potest, illam solam esse contemplandam, quia illa solùm propter se, accidentia verò fere tantum propter illam inquiruntur.

A

B

C

Diffinitur, quod sit Metaphysicæ adæquatum obiectum.

XXIIII. Dicendum est ergo, ens in quantum ens reale esse obiectum adæquatum huius scientiæ. Hęc est sententia Aristotel. 4. Metaph. fere in principio, quam ibi Diuus Thomas, Alensis, Scotus, Albert. Alex. Aphrod. & fere alij sequuntur, & Comment. ibi, & lib. 3. comm. 14. & lib. 12. comm. 1. Auicen. lib. 1. suæ Metaph. c. 1. Soncin. 4. Metaphy. q. 10. Ægid. lib. 1. q. 5. & reliqui fere Scriptores. Probataque est hæc assertio ex dictis hactenus contra reliquas sententias. Ostensum est enim, obiectum adæquatum huius scientiæ debere comprehendere Deum, & alias substantias immateriales, non tamen solas illas. Item debere comprehendere non tantùm substantias, sed etiam accidentia realia, non tamen entia rationis, & omnino per accidens: sed huiusmodi obiectum nullum aliud esse potest præter ens vt sic: ergo illud est obiectum adæquatum.

Aristotel. D Thom. Alensis. Scotus. Albert. Aphrod. Comment. Auicen. Soncin. Aegid.

XXV. Dissoluitur obiectio cõtra assertionem. Sed, vt hæc assertio amplius declaretur, occurrendum est obiectioni quæ statim se se offert, nam ad constituendum aliquod obiectum scientiæ necesse est vt habeat proprietates, quæ de illo demonstrari possint, & principia ac causas per quas possint demonstrari: sed ens in quantum ens, non potest habere huiusmodi ,pprietates, principia & causas: ergo. Maior constat, quia hoc est munus scientiæ, demonstrare scilicet proprietates de subiecto suo, quas debet per causas demonstrare vt sit perfecta scientia, vt constat ex 1. Poster. Minor autem quoad priorem partem patet, quia ens in quantum ens ita abstractum includitur per se & essentialiter in omni ente, & in omni modo vel proprietate cuiuslibet entis: ergo non potest habere proprietatem ita adæquatam & propriam, quia subiectum non potest esse de essentia suæ proprietatis Quoad posteriorem autem partem probatur, quia ens in quantum ens cõplectitur Deum, qui est sine principio & sine causa: ergo ens in quantũ ens nõ põt habere principia & causas, quia alioqui talia principia & causę deberent cõuenire omni enti, quia quod cõuenit superiori in quantum tale est, debet conuenire omni contento sub illo. Et confirmatur, quia hæc scientia est nobilissima: ergo debet habere obiectum nobilissimum: sed ens in quantum ens, est imperfectissimum obiectum, quia est communissimum, & in infimis etiam entibus includitur, multoque perfectius esset substantia, vel substantia spiritualis, vel Deus.

XXVI. Quas proprietates de suo obiecto demonstret Metaphysica. Respondetur, negando priorem partem minonis, nam reuera ens habet suas proprietates, si non re, saltem ratione distinctas; vt sunt vnum, verum, bonum, quod ostendemus statim disputat. tertia, vbi declarabimus an ens includatur intrinsecè & per se in huiusmodi proprietatibus: & an illud principium, quod subiectum non sit de essentia proprietatis, limitandum sit, vel ad proprietates realiter distinctas, vel ad subiecta quæ non dicunt rationes transcendentales, vel potiùs dicendum sit, has

proprietates nõ esse omnino reales quantum ad id, quod addunt supra ens, satisque esse, quod ens non includatur in illis quãtum ad id, quod supra ens addunt, quod probabilius est, vt videbimus. Vnde potest argumentum factum in contrarium retorqueri, quia plures proprietates, quas demonstrat hæc scientia, immediatè non conueniunt, nisi enti in quantum ens, & in eis explicandis magna ex parte versatur: ergo illud est adæquatum obiectum huius scientiæ, quia illud est subiectum scientiæ, de quo proprietates communiores in scientia immediatè, & per se demonstrantur.

XXVII. Quæ item principia. Ad posteriorem partem respondetur inprimis duplicia principia posse in scientia requiri: quædam dicuntur complexa seu composita, qualia sunt illa ex quibus demonstratio conficitur: alia sunt simplicia, quæ significantur per terminos, qui loco medij in demonstratione à priori sumuntur. Priora dicuntur principia cognitionis: posteriora autem, principia essendi. In hac ergo scientia non desunt principia complexa, imò, vt infra videbimus, ad eam pertinet principia explicare, & confirmare, & primum omnium principiorum constituere, per quod alia quodammodo demonstrentur. At verò principia incomplexa duplici modo intelligi possunt, primò, quod sint veræ causæ secundum rem aliquo modo distinctæ ab effectibus, vel proprietatibus, quæ per illas demonstrantur: & huiusmodi principia, vel causæ non sunt simpliciter necessariæ ad rationem obiecti, quia necessariæ non sunt ad veras demonstrationes conficiendas, vt constat ex 1. Posteriorum. Deus enim est obiectum scibile, & de eo demonstrantur attributa, non solum à posteriori, & ab effectibus, sed etiam à priori, vnum ex alio colligendo, vt immortalitatem ex immaterialitate, & esse agens liberum, quia intelligens est. Alio modo dicitur principium seu causa id quod est ratio alterius, secundum quod obiectiuè concipiuntur, & distinguuntur: & hoc genus principij sufficit vt sit medium demonstrationis: nam sufficit ad reddendam, veluti rationem formalem, ob quam talis proprietas rei conuenit. Quamuis ergo demus ens in quantum ens non habere causas proprie & in rigore sumptas priori modo: habet tamen rationem aliquam suarum proprietatum: & hoc modo etiam in Deo possunt huiusmodi rationes reperiri, nam ex Dei perfectione infinita reddimus causam cur vnus tantum sit, & sic de aliis. Quocirca etiam hanc partem argumenti retorquere possumus, nam ens in quantum ens de se est obiectum scibile habens sufficientem rationem formalem, & principia sufficientia, vt de eo demonstrentur proprietates: ergo circa illud versari potest aliqua scientia, quæ non est alia præter Metaphysicam. An verò ens in quantum ens habeat aliquo modo veras & reales causas, dicemus infra in disputatione de causis.

A

B

C

Sine causis in re distinctis ab effectibus fieri potest demonstratio.

XXVIII. D. Thom. Ad confirmationem respondetur ex Diuo Thoma, prima parte, quæstione quarta, articulo secundo, ad tertium, quamuis ens, vt præcise sumptum, & ratione distinctum, sit minus perfectum, quàm gradus inferiores, qui includunt ipsum ens & aliquid aliud, tamen simpliciter ens seu ipsum esse secundum quod in re reperitur cum tanta perfectione, quam habere potest in ratione essendi, esse quid perfectissimum. Scientia ergo hæc, quamuis vno modo consideret rationem entis præcisam & abstractam, non tamen in ea sistit, sed considerat omnes perfectiones essendi, quas in re ipsa potest habere ens, saltem absque concretione ad materiam sensibilem, & ita includit perfectissima entia, à quibus maxima perfectio huius scientiæ sumenda est, si in ordine ad res quas contemplatur, consideretur. Nam si ad modum etiam speculandi, & scientiæ subtilitatem, ac certitudinem inspiciamus, magna ex parte sumitur ex abstractione obiecti, à qua potest interdum habere maiorem perfectionē in ratione scibilis, quamuis fortasse in suo esse perfectius non sit.

Ratio entis qualiter perfectior, & imperfectior

Respectu inferiorum.

SECTIO II.

Vtrum Metaphysica versetur circa res omnes secundum proprias rationes earum.

I. Ratio dubitandi pro vtraq; parte. EX dictis in præcedente Sectione videtur inferri pertinere ad hanc scientiam de omni ente, & secundum omnem rationem entis disserere, quia scientia, quæ tractat de aliquo genere, vt de obiecto adæquato, tractat etiam de omnibus speciebus sub illo contentis, vt de Philosophia constat. Et ratio est, quia aliàs non erit adæquatio inter tale obiectum & talem scientiam: plura enim sub vno extremo, quàm sub alio continebuntur: ergo pari ratione scientia, quæ speculatur ens in quantum ens, vt adæquatum obiectum, omnia quæ sub illo continentur, considerat. In contrarium verò est, quia, si hoc ita esset, superuacaneæ essent omnes aliæ scientiæ, præsertim illæ, quæ proprias rerum naturas inquirunt, quandoquidem totum hoc sola Metaphysica sufficienter præstaret.

II. Prima opinio. Ad declarandam hanc difficultatem, & materiam, in qua Metaphysica versatur, eiusque fines, ac terminos clarius & distinctius aperiendos, proposita nobis est præsens quæstio. In qua Ægid. 1. Metaphys. quæst. 22. & in principio Poster. affirmat Metaphysicam de omnibus rebus & earum proprietatibus vsque ad vltimas species seu differentias earum considerare. Quam sententiam defendit Antonius Mirandul. libro 13. de euersi. singul. certam. Sect. 6. & 7. Qui consequenter affirmat cæteras scientias non esse à Metaphysica totaliter diuersas, sed esse partes eius, seu potius omnes esse partes vnius scientiæ, communi autem vsu distingui, & numerari, vt plures propter commoditatem & vsum earum in addiscendo, quia ita docentur, & addiscuntur, ac si essent distinctæ, idque propter rerum varietatem.

Aegid. Antonius Miranul.

III. Fundamentum. Aristotel. Fundarique potest amplius hæc sententia primò in authoritate Aristot. 1. Metaphysicor. cap. 2. dicente, Metaphysicam esse vniuersalem scientiam, quia de omnibus rebus disputat. Et libro 4. in principio ait, hanc scientiam vniuersaliter de ente disputare, & in fine text. 2. addit. *Sicut est vnus sensus vnius obiecti, & eorum quæ sub ipso continentur, ita vnam scientiam hanc speculari ens in quantum ens, & species eius, & species specierum*, & libro 1. Posteriorum, cap. 23. ait, eiusdem scientiæ esse considerare totum & partes, id est, genus & species, seu prædicata vniuersalia & specialia, & lib. 6. Metaphys. c. 1. dicit Metaphysicam, quod quid est rerum omniũ considerare:

Secundò

Universidad de Deusto
Biblioteca

IIII. Secundò argumentor in hunc modum, quia non repugnat dari vnam scientiam, quæ de rebus omnibus hoc modo cõsideret: ergo danda est huiusmodi scientia, tum quia non sunt distinguendæ & multiplicandæ scientiæ sine causa, tum etiam quia intellectus acquirit scientias perfectiori modo quo potest: perfectius autem est rerum omnium scientiam vnitam acquirere, quam diuisam, ergo: sed huiusmodi scientia non potest esse alia nisi Metaphysica, quæ dignissima & vniuersalissima est omnium quæ naturaliter esse possunt. Primum antecedens probatur, quia vna est intelligendi facultas, quæ circa ens, in quantum ens hoc modo versatur, descendendo ad omnes proprias & specificas rationes entium: ergo potest acquirere vnum scientiæ habitum, quo facilis reddatur & prompta ad totum ens eodem modo cognoscendum: oportet enim vt iste habitus tam vniuersalis sit, sicut est potentia ipsa, alioqui non potest perfectè illa potentia bene disponi ad omnes actus suos ad perfectam scientiam necessarios. Vt, verbi gratia, ad perfectam scientiam non satis est scire quid vnumquodque sit, sed necesse est illud à cæteris distinguere, vt verbi gratia, hominem à leone & ab angelo, & sic de cæteris, quod tamen nulla scientia præstare potest, nisi quæ vniuersaliter consideret omnia secundum proprias rationes eorum, per quas distinguuntur, quia non potest distinctio inter extrema cognosci, nisi cognitis ambobus secundum proprias rationes in quibus distinguuntur, vt per se notum est, & docet Aristoteles 3. de anima, capite secundo.

V. Vnde argumentor tertiò, quia si quid obstaret huic vniuersalitati Metaphysicæ, maxime, quod non omnes rationes entium abstrahant à materia secundum esse: sed hoc non obstat, quia necessariò dicendum est, Metaphysicam descendere ad considerandas plures rationes seu quidditates entium, quæ sine materia esse non possunt. Distinguit enim Metaphysica ens finitum in decem prima genera prædicamentorum: rursusque substantiam in materialem & immaterialem distinguit: non posset enim ad immaterialem descendere, nisi eam à materiali diseerneret, neque etiam posset hoc præstare, nisi propriam rationem & quidditatem substantiæ materialis vt sic, prius traderet: spectat ergo hoc ad Metaphysicæ munus: imò, cum nos immaterialia non nisi ad modum priuationum cognoscamus, prius oportet scire quid materialis substantia seu materia sit, vt per carentiam eius immaterialem substantiam apprehendamus. Atque ita Aristotel. 7. & 8. Metaphysicæ ex professo disputat de substantia materiali, & de principiis eius intrinseeis, quæ sunt materia, & forma.

Rursusque idem argumentum in accidentibus fieri potest, vt in qualitatibus, relationibus, & similibus. Sed peculiarem difficultatem inferunt quædam prima genera, quæ omnino materiam concernunt, vt sunt quantitas, habitus, & situs, quorum rationes proprias Metaphysica tradit, vt adæquatam diuisionem entis, quæ ad nullam aliam scientiam pertinere potest, conficiat. Quartò, vel supponimus Metaphysicam esse vnum habitum simplicem, vel collectionem plurium quasi partialium. Si primum dicatur, necesse est consequenter dicere Metaphysicam præcisè considerare rationem entis vt sic, & ad nullam particularem seu minus vniuersalem rationem entis descendere, quod est plane falsum, vt constat ex dictis Sect. præced. & patebit amplius ex dicendis. Sequela probatur, quia non potest idem habitus simplex attingere rationẽ communem secundum se ac præcisam, & ad particulares descendere, vt declarabimus Sect. sequenti. Si autem posterius dicamus, sc. solum esse vnum habitum collectione plurium partialium, nulla erit maior ratio conficiendi vnam scientiam quæ versetur circa ens vt sic, & circa quædam entia, quam circa omnia in particulari: quia vtrumq; æque commodè fieri potest collectione plurium.

Hæc vero sententia ab omnibus fere scriptoribus vt à mente Aristotelis, & à veritate aliena reiicitur: expresse enim ipse Aristoteles libro primo, cap. 2. cum dixisset, *Sapientem scire omnia*, subdit, *vt possibile est scire non habentem singulariter eorum scientiam*: & infra hoc declarans dicit, *Eum qui habet vniuersalem scientiam, quodammodo omnia scire, quæ subiecta sunt vniuersalibus.* Dicit autem, *quodammodo*, quia non scit illa simpliciter & secundum propria ex vi talis scientiæ, sed quatenus sub vniuersali continentur. Clarius lib. 4. in principio distinguit hanc scientiam à cæteris, *quia speculatur ens vt ens est, & quæ ei per se insunt: nullæ autem caterarum vniuersaliter de ente prout ens est, considerant, sed eius aliquam partem abscindentes, quod ei accidit* (id est, conuenit) *speculantur vt Mathematicæ scientiæ.* Distinguit ergo hanc scientiam à cæteris quæ circa particularia entia versantur: non ergo hæc considerat partem illam entis quam aliæ abscindunt. Idem repetit libro sexto à principio, vbi tres speculatiuas scientias distinguit, Philosophiam, Mathematicam, & naturalem Theologiam, quas distinguit tum ex abstractione obiectorum, tum etiam consequenter ex rebus de quibus tractant, tum denique ex modo quo procedunt & demõstrant, vt infra declarabimus. Atq; hanc diuisionem scientiarum speculatiuarum secuti sunt omnes Aristotelis interpretes, & fere omnes Philosophi, vt latius traditur in primo Posteriorum.

VI. Præcedens opinio reiectatur. Aristoteli inprimis testimonio.

Est ergo secunda sententia ab his omnibus recepta, Metaphysicam non considerare entia omnia secundum omnes gradus seu rationes speciales, prout à Philosopho, vel Mathematico considerantur. Vnde Auerroes 2. Physicor. comment. 22. ait, Metaphysicam solum considerare materiam vt est quoddam ens: Physicam verò considerare illam vt est subiectum formæ: & idem fere repetit 4. Metaphysicor. comment. nono, & super alia loca Aristotelis citata. Et Diuus Thomas eisdem locis, & super Boetium de Trinitate in quæstione de diuis. scient. articulo quarto, ad sextum. Ratio etiam contra priorem sententiam sic explicari potest, quia tribus modis intelligi potest hanc scientiam contemplari res omnes secundum proprias rationes earum. Primo vt non sola ipsa, sed aliæ scientiæ distinctæ à Metaphysica de eis speculentur, ita tamen vt cognitio earum quæ per alias scientias habetur, non sit verè ac propriè scientifica, sed alicuius ordinis inferioris: & solum appelletur scientia vulgari modo, quia habet aliquam certitudinem, vel ex sensu, vel ex aliqua fide humana; ad eum modum quo scientia subalternata, quando est sine subalternante, scientia appellatur. Et hic modus declarandi hanc sententiam falsus est: primò enim supponit falsam sententiam de subalternatione aliarum scientiarum à Metaphysica, de qua paulo post dicemus. Secundo supponit, alias scientias secluſa Metaphysica non habere propriam euidentiam ex propriis princi-

VII. Auerroes. D. Thomas. Nõ sola Metaphysica est scientia.

Aliæ scientiæ à Metaphysica ex propriis principiis habent omnimodam euidentiam.

principiis, quod est plane falsum. Sequela patet, quia si habent hanc euidentiam, nihil illis deest ad veram & propriam rationem scientiæ: falso ergo negatur cognitionem earum esse verè & propriè scientificã. Minor vero patet, quia est contra experientiam, nã Mathematica habet propria principia euidentia, & per se nota, ex quibus per euidentes demonstrationes procedit, nec nititur aliquo testimonio, aut fide humana, vt per se notum est, sed euidentia cogente intellectum. Neq; etiam nititur sensu, nam, per se loquendo, abstrahit à materia sensibili, & consequenter ab effectibus sensibilibus. Quod si aliquando vtitur figuris visibilibus, solum est vt mens perfecte apprehendat terminos principiorum, vt possit intrinsecam eorum connexionem perspicere.

De Mathematica probatur.

VIII. De Philosophia. Philosophia vero quamuis non habeat tantam euidentiã sicut Mathematica, habet tamen sibi propriam & accommodatam: quia etiam non fundatur per se in humana authoritate: quod si in aliqua parte ita procedit, quoad illam non est scientia, sed mere fides & opinio, neq; mutabit rationem suam, aut euidentior fiet propter connexionem cum Metaphysica: fundatur ergo per se in euidentia suorum principiorum, quam etiam non habet primariò ex Metaphysica, sed ex habitu principiorum. Quod si quis dicat hanc euidentiam in Philosophia solum esse à posteriori & ab effectibus per sensum cognitis: respondetur fatendo in nobis magna quidem ex parte ita contingere propter imperfectionem nostram: tamen hoc nihil referre ad id de quo agimus: nam illæ res physicæ, quæ tam imperfecte per Physosophiam cognoscuntur à nobis, non cognoscuntur perfectius aut euidentius per Metaphysicam. Quod si res aliquę naturales perfectiori modo cognosci possunt ab intellectu humano corpori coniuncto, vt reuera possunt, in his expectatur maior euidentia à Metaphysica, sed in ipsa Philosophia per se haberi potest: nam, licet incipiat per sensum, non tamen semper fundatur in illo, sed vtitur illo vt ministro ad percipiendas per intellectum rerum naturas, quibus cognitis conficit demonstrationem à priori per principia per se & ex terminis euidentia intellectui, nec potest fingi alius modus, quo per Metaphysicam habeatur perfectior scientia, aut euidentior huiusmodi naturalium rerum: est ergo gratis confictus huiusmodi dicendi modus.

IX. Aliter ergo intelligi põt quod Metaphysica tractet de omnibus entibus secundum omnes rationes eorum, scilicet, quia Metaphysica, tanquam scientia vniuersalissima, omnia hæc complectitur virtute & efficacia sua (vt sic dicam) etiam si aliæ scientiæ particulares aliquam partem huius obiecti possint attingere proprio & particulari modo, quamuis scientifico & in suo genere perfecto. Itaque sicut causa particularis & vniuersalis, sensus particularis, & vniuersalis, distincti sunt, & vniuersalis attingit quidquid particularis, quamuis non è contrario, ita existimari posset de hac scientia & de cæteris. Veruntamen hic etiam modus nihil habet probabilitatis, primò, quia, vt ex discursu proxime facto sumi potest, nullus est possibilis naturalis modus demonstrandi proprias res physicas, aut mathematicas, altior ac perfectior quam is quem seruant ipsæ scientiæ particulares: ergo superflue & sine causa ponuntur scientiæ particulares distinctæ, si est vna vniuersalis quæ ad illa omnia descendat. Deinde, quia hæ scientiæ non sunt excogitandæ vt facultates seu potentiæ distinctæ, sed vt habitus eiusdem facultatis propriis illius actibus acquirendi, vt ad similes actus eliciendos illam facilem reddant: ergo si Metaphysica speculatur res, verbi gratia, naturales secundum proprias rationes earum vt sic, non acquireretur per actus nobiliores quam sint ij quos Philosophia de eisdem rebus exercere posset, quia neque quoad eam partem haberent maiorem euidentiam, neq; altiora principia: ergo nulla esse posset ratio multiplicandi hos habitus circa easdem res: neque potentia indigeret habitu facilitante ad illos actus, circa quos iam haberet Philosophicam scientiam.

X. Tertio itaque modo intelligi illa opinio potest confundendo omnes scientias in vnam Metaphysicam, ita vt intelligamus has denominationes vel conceptus Mathematicæ, Philosophiæ, ac Metaphysicæ solum esse denominationes seu conceptus inadæquatos eiusdem scientiæ. Et hic sensus pertinet magis ad quæstionem de distinctione scientiarum, vt sunt quidam habitus, vel qualitates, quam ad quæstionem de obiecto, quam modo tractamus. Certum est enim ex dictis Metaphysicam secundum illum conceptum obiectiuum qui huic voci respondet, non versari circa res omnes in particulari, quia hoc ipso quod mens versari intelligitur circa res naturales, vel Mathematicas vt sic, iam intelligitur transilire terminos Metaphysicæ, & Philosophia, vel Mathematica vti. Sicut quamuis memoria non distinguatur ab intellectu re ipsa, sed ratione formali obiectiua, non dicetur proprie & formaliter versari circa res vt præsentes, sed solum circa præteritas vt sic. Addo deinde (quidquid sit de illis tribus scientiis, Philosophia, Mathematica, & Metaphysica quo modo vnaquæque earum per se vna sit, quod paulo post breuiter attingemus) per se se incredibile esse eas omnes verè ac propriè vnicam scientiam humanam esse. Primo quidem quia hoc per se notum visum est omnibus fere Philosophis. Secundo, quia agũt de rebus omnino diuersis, & fere nullam inter se habent connexionem, quantum ad ea quæ sunt propria vniuscuiusque. Tertiò, quia multum differunt in modo procedendi: nam Philosophus vix recedit à sensu: Metaphysicus verò procedit per principia vniuersalissima & maxime abstracta, Mathematicus verò medio quodam modo procedit: qui modi procedendi oriuntur ex illa vulgari triplici abstractione à materia. Quod si hæ tres scientiæ distinctæ sunt, non minus distinguitur Metaphysica ab aliis duabus quam aliæ duæ inter se, quia res à materia separatæ, de quibus tractat, non minus imò magis distant à cæteris quam reliqua omnia inter se, tum in perfectione entis, tum in abstractione, tum etiam in modo ratiocinandi, & difficultate ac subtilitate ipsiusmet scientiæ: cum ergo Mathematica distincta à Philosophia sit omnium consensu ob diuersam abstractionem, modumque procedendi omnino diuersum, idem maiori ratione censendum est de Metaphysica respectu illarum: ergo non versatur circa res omnes quas aliæ scientiæ considerant secundum proprias rationes, quibus ab eis considerantur.

Opinio tenenda, & pro ea prima conclusio.

XI. HÆC posterior sententia vera est, & tenenda, quam vt distinctius proponamus & confirmemus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

memus, & vt clarius constet de quibus rebus nobis A in discursu huius doctrinæ tractandum sit, nonnullæ propositiones subiiciendæ sunt. Dico ergo primò, quamuis hæc scientia consideret ens in quantum ens, & proprietates quæ ipsi vt sic per se conueniunt, non tamen sistit in præcisa, & quasi actuali ratione entis vt sic, sed ad aliqua inferiora descendit secundum proprias eorum rationes. Tota hæc assertio constat ex dictis in præcedente sectione: & quoad priorem partem de ente, in quantum ens, confirmari potest ex adductis inter referendam secundam sententiam. Quoad alteram vero partem confirmari potest ex dictis circa primam sententiam: & statim amplius declarabitur. Solum est animaduertendum, quod Dialectici dicunt, genus considerari posse, vel vt totum actuale, vel vt potentiale, seu (quod idem est) considerari posse, vt abstractum abstractione præcisiua, id est, secundum id tantum, quod in sua ratione formali actu includit in suo conceptu obiectiuo sic præciso, vel abstractione totali, vt abstrahitur tanquam totum potentiale includens inferiora in potentia: hoc (inquam) quod de genere dicitur, B posse suo modo applicari ad ens in quantum ens: nam & habet suam rationem formalem, quasi actualem, quæ præcisa secundum rationem considerari potest, & inferiora habet, quæ suo modo in potentia includit secundum rationem. Quando ergo ratio aliqua communis assignatur, vt adæquatum obiectum alicuius potentiæ, vel habitus, non semper assignatur, vt est quid actuale, & omnino præcisum abstractione formali, sed vt includit aliquo modo inferiora: sicut ens naturale, vel substantia materialis dicitur esse subiectum adæquatum Philosophiæ, non tantum secundum præcisam rationem substantiæ materialis, vt sic, sed etiam secundum proprias rationes inferiorum substantiarum materialium, corruptibilium vel incorruptibilium, &c. Sic ergo cum Metaphysica dicitur versari circa ens in quantum ens, non est existimandum sumi ens omnino ac formaliter præcisum, ita vt excludantur omnia inferiora, secundum proprias rationes, quia hæc sententia non sistit in sola consideratione illius rationis formalis actualis: sumenda ergo est illa ratio, prout includit aliquo mo- C do inferiora.

Ens concipi potest, & quasi totum actuale, & vt totum potentiale.

Quid intelligendũ quando Metaphysica dicitur cõsiderare ẽs in quantum ens.

XII.

Quas rationes in particulari speculetur Metaphysica, quas non item. Aristotel.

Dico secundò; Hæc scientia non considerat omnes proprias rationes seu quidditates entium in particulari, seu vt talia sunt, sed solum eas, quæ sub propria eius abstractione continentur, vel quatenus sunt cum illa necessariò coniunctæ. Hæc est mens Aristotelis, & authorum, quos citaui in secunda sententia, & aliorum, qui de hac scientia scripserunt. Qui omnes distinguunt triplicem abstractionem in scientiis speculatiuis, & realibus, quales sunt tres supra numeratæ, Physica, Mathematica, & Metaphysica: nam de aliis scientiis vel moralibus, vel rationalibus, vel practicis alia est ratio, & modus considerandi vnitatem obiecti, vel ex fine scientiæ, vel ex modo procedendi, de quo aliàs. Illæ ergo tres scientiæ in aliqua abstractione conueniunt, nam omnes considerant de rebus in vniuersali: differunt tamen in abstractione quasi formali & præcisiua à materia, nam Philosophia quamuis abstrahat à singularibus, non tamen à materia sensibili, id est, subiecta accidentibus sensibilibus, sed ea potius vtitur in suo ratio- D cinandi modo. Mathematica verò abstrahit quidem secundum rationem à materia sensibili: non autem ab intelligibili, quia quantitas quantumuis abstrahatur, non potest concipi, nisi vt res corporea & materialis. Metaphysica verò dicitur abstrahere à materia sensibili & intelligibili, & non solum secundum rationem, sed etiam secundum esse, quia rationes entis, quas considerat, in re ipsa inueniuntur sine materia: & ideo in proprio & obiectiuo conceptu suo per se non includit materiam. De qua triplici abstractione, & partitione harum trium scientiarum per has abstractiones ex professo differitur in libris Posteriorum. Nunc nobis sufficiat hactenus non esse inuentam aptiorem rationem distinguendi has scientias, & aliunde hanc videri satis conuenientem: nam, cum hæ scientiæ sint de rebus ipsis, sintque maximè speculatiuæ, ideoque abstractione vtantur, vt constituant obiectũ scibile, de quo possint demonstrationes fieri: rectè ex diuerso modo abstractionis intelligitur variari obiectum scibile vt sic: & ideo solet dici hæc abstractio, quatenus in ipso obiecto fundamentum habet, ratio formalis sub qua talis obiecti in ratione scibilis. Item, quia res eò sunt perfectius intelligibiles, quò magis abstrahunt à materia: & similiter cognitio, quò est de obiecto immaterialiori, & cõsequenter abstractiori, eò est certior: & ideo ex diuerso gradu abstractionis seu immaterialitatis, rectè consideratur varietas obiectorum scibilium, & scientiarum. Ex hac autem recepta doctrina facile intelligitur, & probatur assertio posita, quia scientia non transgreditur limites sui obiecti formalis seu rationis formalis, sub qua sui obiecti: considerat autem quidquid sub illa continetur: ergo hæc scientia considerat omnia entia seu rationes entium, quæ sub prædicta abstractione continentur: & vltra non progreditur; nam cætera ad Physicam, vel Mathematicam spectant.

Modus distinguendi scientias per diuersam abstractionem à materia quæ aptus.

XIII.

Rationem substantiæ vt sic, & accidentis, vt sic considerat Metaphysica.

Vt hoc autem clarius intelligatur, dico tertiò. Hæc scientia sub ratione entis considerat rationem substantiæ, vt sic, & rationem etiam accidentis. De hac assertione nullus dubitat: & patet facile ex principio posito, quia illæ duæ rationes abstrahunt à materia secundum esse: vt enim supra diximus, & rectè notauit Diuus Thomas in prolog. Metaphysicæ, non solum dicuntur abstrahere à materia secundum esse illæ rationes entium, quæ nunquam sunt in materia, sed etiam illæ, quæ possunt esse in rebus sine materia, quia hoc satis est, vt in sua ratione formali materiam non includant, neque illam per se requirant. Accedit etiam quod hæ rationes sunt scibiles, & habere possunt attributa, veluti adæquata & propria, & ad aliam scientiam non spectant: pertinent ergo ad hanc: non potest enim intellectus humanus, vt perfectè sit dispositus, carere huiusmodi scientia. Vnde, sicut Philosophia considerans de variis speciebus substantiarum materialium, considerat subinde communem rationẽ materialis substãtiæ, & adæquata principia, & proprietates eius: rursusque agens de variis speciebus viuẽtium, considerat communem rationem viuentis, vt sic, & propria principia, & proprietates eius: ita scientia humana (vt sic dicam) considerans varios gradus & rationes entium, necesse est, vt consideret communem rationem entis. Item cum varias substantias speculetur, & varia accidentia, necesse est, vt consideret communes rationes substantiæ & accidentis: hoc autem non præstat, nisi per hanc vniuersalem, & principem scientiam.

D. Thomas. Quid sit abstrahere à materia secundũ esse.

Scientiæ speculatiuæ reales qualiter in abstractione cõueniãt, differãt qualiter.

Atq;

XIV.

Quæ aliæ rationes sub ente ad Metaphysicam cõsideratio nẽ pertineãt.

Atque hinc constat (ne eadem repetamus) idem A dicendum esse de omnibus rationibus communibus, quæ sub ente, substantia, & accidente ita abstrahi possunt, vt sint in rebus sine materia: huiusmodi sunt ratio entis creati vel increati, substantiæ finitæ, aut infinitæ, & similiter accedentis absoluti vel respectiui, qualitatis, actionis, operationis, aut dependentiæ, & similium. De quibus obseruandum est, plures posse abstrahi rationes communes rebus materialibus, & immaterialibus, quarum consideratio iuxta principium positum in rigore deberet ad hanc scientiam spectare, vt est communis ratio viuentis, quæ abstrahi potest à rebus materialibus & immaterialibus: item communis ratio cognoscentis & intelligentis, sicut etiam communis ratio entis necessarij, seu incorruptibilis ab hac scientia considerantur: tamen quia plures ex prædictis rationibus, vt à nobis cognoscuntur, non nisi ex diuersis animarum gradibus cognosci possent, ideo nihil de illis potest hic conuenienter dici, præter ea, quæ in scientia de anima dicuntur: ideoq; in eum locum ea prædicata reiicimus, quæ ex operationibus vitæ sumuntur, & communia sunt.

Notatu dignum.

Prædicata solis immaterialibus reb. cõmunia, huius sunt cõsiderationes.

Secundò vlterius à fortiori infertur pertinere ad hanc scientiam tractare in particulari de omnibus entibus seu rationibus entium, quæ non nisi in rebus immaterialibus inueniri possunt, vt est cõmunis ratio substantiæ immaterialis, ratio primæ, seu increatę substantię, & spiritus etiam creati, & omniũ specierum, seu intelligentiarum, quæ sub ipso continentur. Solum est attendendum, has substantias præsertim creatas, valde imperfectè posse naturaliter cognosci, ad summum secũdum quasdam communes rationes, & negatiuos conceptus, non tamen secundum proprias, & specificas differentias: eo tamen modo, quo cognosci possunt, ad hanc scientiam potissimum pertinere earum contemplationem, vt supra dictum est. Non enim pertinet proprie, & per se ad Physicam nisi fortasse secundum quandam rationem communem extrinsecam, & nõ satis certam, scil. quatenus Angeli sunt motores cœlestium orbium; per se autem, & quoad cognitionẽ essentiæ & proprietatum intelligentiarum, quæ naturaliter haberi potest, excedunt Physicam facultatem, quia sunt à sensibus remotissimæ, & ideo earum cognitio difficilior est, & altior. Pertinet ergo ad hanc scientiam, quæ hominem perficit secundum id, quod in eo præstantissimum est, & in quo eius fœlicitas naturalis, magna ex parte consistit, id est, in contemplatione rerum altissimarum, vt Aristotel. dixit 10. Ethic. cap. 7.

Aristoteles.

XV.

Cõmunis ratio causæ, & quatuor generum causarũ, & potissimæ illarum causalitates ad Metaphysicã spectant.

Tertiò colligitur ex dictis pertinere ad hanc scientiam tractare de communi ratione causæ, & de singulis causarum generibus, vt sic, & de primis ac potissimis causis seu rationibus causandi totius vniuersi. Declaro singula, quia in primis ratio causæ & effectus, vt sic, ex se communis est rebus materialibus & immaterialibus: nam in Deo, qui summe immaterialis est, ratio causæ reperitur, & in angelis ratio effectus, & omnibus entibus creatis, quatenus entia finita sunt, commune & essentiale est, vt ab aliqua causa emanent, & ad ipsa etiam creata entia, vel materialia vel immaterialia secundum communem rationem aliquod genus operationis, vel causalitatis pertinet. Rursus hæc ratio causæ non tantum secundum communem rationem causæ, sed etiam secundum speciales & distinctos causandi modos ex se abstrahit à materia secundum esse: nam ratio causæ efficientis, vt sic, per se non requirit materiam & multò minus ratio finis. Item hæc ratio agentis liberi, & à proposito. Item ratio causę exemplaris, seu ratio causæ agẽtis per propriũ exemplar, vel ideã. Rursus causa materialis & formalis, quãuis prout in substãtiis reperiuntur, non videantur à materia abstrahere: tamen quatenus secundum communes rationes suas à substantiis & accidentibus abstrahunt, à materia etiam separantur: pertinet ergo ad Metaphysicam hæc genera causarum distinguere, & singulorum rationes explicare. Et quia ipsa Sapientia est, & suprema naturalis scientia, ad eã pertinet primas rerum causas, vel potius primas rationes causandi in prima causa considerare: eiusmodi autem sunt ratio causæ efficientis & finalis: hæ namque secundum suam perfectionem supremam nec materiam requirunt, neque ipsam, aut aliud genus causæ supponunt, neque imperfectionem requirunt, sed per se ac primario in prima causa, quæ est Deus, coniunguntur: secus vero est de ratione materiæ ac formæ: hæ namque necessario supponunt aliam causam priorem à qua oriantur saltem efficienter, & finaliter, & ideo non computantur inter causas seu rationes causandi simpliciter primas, & ideo earum exacta cognitio non pertinet ad Metaphysicum, nisi secundum rationes communes talium causarum, non tamen secundum eas res, in quibus tales rationes causandi reperiũtur, quæ sunt materia & forma substantialis: Nam licet hæ à Metaphysica attingantur, tamen integra earum scientia à Philosopho traditur. B

Illud denique circa hoc considerandum est, variis, scilicet, titulis seu rationibus pertinere ad Metaphysicum hanc causarum considerationem: nam si virtus causandi, vel causalitas ipsa, vel relatio inde resultans, considerentur, vt sunt entia quædam, pertinent ad hanc scientiam, vt obiectum eius, non quidem, vt adæquatum (vt quidam falso dicebant, quod supra retigimus) sed vt pars obiecti, quia hæc tantum sunt quædam entia, seu modi entium, non vero in se concludunt totam latitudinem entis. Si vero consideretur ratio, vel virtus causæ in ordine ad ipsam causam, scilicet, quatenus est proprietas, seu attributum eius rei, quæ causa dicitur, sic pertinet ad hanc scientiam considerare, de causa, non vt de obiecto, vel parte obiecti, sed vt de attributo quodam obiecti, vel partis eius: atque hoc modo, quia hæc scientia considerat de Deo, consequenter in eo considerat rationem primæ causæ finalis, efficientis, & exemplaris, & considerans de Angelis, inquirit quam virtutem causandi habeant in reliqua entia, & tractans de substantia, vt sic, speculatur, quam causalitatem habeat circa accidentia, & sic de aliis. Denique consideretur ratio causæ in ordine ad effectum: id est, quatenus eius cognitio necessaria est, ad exactam effectus cognitionem, sic etiã pertinet ad hanc sciẽtiam causarum cognitio, non vt obiectum, neque vt proprietas obiecti, sed vt principium, seu causa obiecti seu partis eius. C

XVII.

Animæne rationalis cõsideratio sit Metaphysici muneris.

Duæ vero supersunt difficultates circa dicta. Vna est de anima rationali, an eius consideratio ad Metaphysicũ pertineat, siue in ratione entis, siue in ratione causę consideretur: Est enim hæc anima substantia quædam immaterialis, & consequenter abstrahit à materia secundum esse, vnde ẽt abstrahit in propriis operationib. suis. Hac ergo ratione videri potest propria & specifica consideratio huius animæ ad hanc scientiam pertinere. Quod videtur confirmare Arist. 1. de partib. c. 1. significans Physicum non cõsi- Aristotel.

B derare

Universidad de Deusto
Biblioteca

derare de omni anima. In contrarium verò est, quia anima rationalis etiã, vt rationalis est, est forma naturalis habens essentialem ordinem ad materiam, & vt sic, est principium suarum operationũ, et earum vltimum per corpus exercet etiam secundum eum peculiarem modum, quo ab homine exercentur. Sed hęc communia tractari solet ex professo in principio librorum de Anima, vbi videri potest Cardin. Toletus quæst. 2. proœmiali.

XVIII. Nunc breuiter dicitur huius animę considerationem remittendã esse in postremã & perfectissimam partem Philosophiæ naturalis. Primò, quia scientia de homine, vt homo est, physica est: eiusdem autem artificis est de toto, & de essentialibus eius partibus cõsiderare. Deinde, quia licet anima habeat esse subsistens & separabile à materia quantum ad actualem coniunctionem: non tamen quantum ad aptitudinẽ nec quantum ad ordinem ad materiã, & consequenter, neq; quantum ad perfectam cognitionem, tã essentiæ, quam proprietatũ & operationũ eius; omnis autem cognitio per materiam Physica est. Non est ergo dubium, quin cognitio animæ quantum ad substantiam eius, & proprietates per se illi conueniẽtes, & modum, seu statum existendi, vel operandi, quem habet in corpore, ad Physicum pertineat. De statu vero animæ separatę, & modo operandi, quem in eo habet, considerare, putant aliqui ad Metaphysicum per se pertinere: q. est probabile, quia secundũ eam rationem videtur omnino fieri abstractio à materia, & nihil de anima prout in illo statu cognosci posse nisi per analogiam quandam & proportionem ad reliquas substãtias immateriales: nihilominus tñ, quia ad perfectionem scientiæ spectat integrè atque completè subiectum suum considerare, commodius hæc omnia in Philosophia tractantur, maximè, quia hæc consideratio animę & statuũ eius, quasi in partes diuisa, & in diuersis scientiis tradita, prolixitatẽ parit & confusionẽ: & ideo in discursu huius operis à consideratione animæ rationalis, tam coniunctæ, quam separatæ abstinebimus. Præsertim, quia etiã de angelis propter eandẽ causam perpauca dicturi sumus, quia integra eorum consideratio & contemplatio à Theologis meritò iam vsurpata est, quam totam huc traducere alienum esset à naturali scientia, & consequenter à nostro instituto: res autem obiter attingere, aut imperfectè tractare, aut nullius, aut paruę vtilitatis esset. Atque eadem fere ratio est de cognitione Dei, quamuis, quia de Deo plura possunt naturaliter cognosci, quàm de intelligentiis, & quia eius cognitio naturalis, magis est ad perfectionem huius scientiæ necessaria, nonnulla de ipso dicemus, quatenus vel à Philosophis tacta sunt, vel ratione naturali inueniri possunt.

XIX. Altera difficultas erat de communibus rationibus substantiæ materialis & aliis, quæ materiam ineludunt, vel sine materia esse non possunt: hæc vero in argumentis tangitur, & in solutionibus eorum expedietur.

XX. Rationibus oppositę sententiæ satisfit.

Ad primam ergo rationem dubitandi in principio positam solutio patet ex dictis: Non est enim necesse, vt si scientia, quæ considerat vniuersalem rationem, in particulari descendat ad omnia, quæ sub tali ratione continentur, sed solum ad ea, quæ eandem rationem scibilis, seu eandem abstractionem participant. Quocirca quamuis considerando conuenientiam realem in communi ratione entis, non videatur esse maior ratio de quibusdam entibus particularibus, quam de aliis, vt sub hanc

Quorundam entiũ in particulari cõsideratio cet ad Metaphy-

A scientiam cadant secundum proprias rationes, considerando tamen conuenientiam in abstractione à materia secundum esse, quæ est inter quasdam speciales rationes entium, cum ipsamet communi & abstractissima ratione entis, datur sufficiens ratio ob quam hæc scientia ad particularia quædam entia descendat, & non ad alia. sicam pertineat, nõ verò aliorum.

Ad primum vero fundamentum primæ sententiæ sumptum ex Aristotelis testimoniis patet re- XXI.
sponsio ex dictis, dicitur enim hæc scientia vniuersaliter considerare de ente, quia abstractissimam rationem entis in quantum ens considerat, & de omnibus, quæ in eadem abstractione & ratione scibilis cum illa conueniunt. Et eodem modo dicitur tractare de omnibus rebus, scilicet, quatenus entia sunt, & quia docet principia generalia, & communia omnibus rebus. Specialem verò difficultatem videntur habere verba illa, libro quarto, textu secundo, vbi dicitur huius scientiæ esse considerare ens & eius species, ac species specierum. Quidam respondent eam distributionem esse accommodate intelligendam, scilicet, de speciebus entis proximis B & remotis sub eadem abstractione scibilis contentis. Sed melius Diuus Thomas, & alij antiqui, quos Fonseca sequitur, ad hoc respondent, aliter construendo litteram Aristotelis, quæ sic habet secundum versionem antiquam; *Entis in quantum ens quæcunque species speculari vnius est scientiæ genere, & species specierum.* In quibus verbis illa duo *& species specierum* æquiuoca sunt: possunt enim coniungi, ita vt vnum determinet aliud, & referantur ad ens, & ad species specierum entis, & hunc sensum significat clare versio Argyropoli, & in eo procedit expositio data. Aliter verò possunt illa duo verba disiungi, & ad diuersa referri, scilicet, ad species rerum scibilium, & ad species scientarum, & hoc rectè significauit Fonseca vertens hoc modo, *Entis quotquot sunt species, vnius scientiæ genere est, & species specierum contemplari:* atque ita sensus erit, vnius scientiæ genere esse contemplari species entis in communi, & in genere: variarum tamen specierum scientiarum esse contemplari varias species entis secundum proprias & specificas rationes scibilis. Atq; ex hoc sensu confirmatur nostra sententia: nam si per scientiam vnam intelligamus in rigore commune genus scientiæ, ex hoc loco C habetur non pertinere ad aliquam scientiam in specie contemplari omnia entia secundum omnes specificas rationes eorum, sed hoc pertinere ad genus scientiæ speculatiuæ in communi: Ad scientias autem specificas spectare particularia obiecta scibilia secundum proprias rationes eorum. Si autem per scientiam vnam in genere intelligamus scientiam generalem ratione obiecti, qualis est Metaphysica, sic etiam ex hoc loco habetur huiusmodi scientiam solum considerare omnes species entis sub communi ratione entis, vel substantiæ: scientias autem speciales considerare species entis sub propriis & specificis rationibus. Difficilis Aristotelis locus exponitur.

Ad secundum respondetur non posse dari vnam XXII.
scientiam humanam, & propriis actibus humani ingenij acquisitam, quæ vniuersaliter illud perficiat quoad omnia scibilia secundum omnes rationes corũ, alioqui non solum illæ tres scientiæ speculatiuæ, Philosophia, Mathematica, & Metaphysica, sed etiam morales, & rationales, ac denique omnes in vnam coalescerent, quæ esset adæquata perfectio intellectus humani, quod est incredibile, quia cum actus, & discursus humani ingenij, sunt tam varij & tam Vna humana scientia acquisita ora scibilia ambire non potest secundũ proprias rationes.

tam particulares & distincti, atque independentes A
inter se, non est verisimile fieri posse, vt omnes concurrant ad eandem scientiam generandam. Neque id est necessarium ad effectum, de quo in argumento fit mentio, scilicet, ad iudicandum de diuersitate rerum distinctarum, quæ ad diuersas scientias pertinere dicuntur, quia vnaquæque scientia tradens cognitionem sui Obiecti sufficiẽter reddit facilem intellectum ad distinguendum illud à reliquis, si tamen reliqua cognoscantur, vnde duæ scientiæ possunt se inuare & concurrere ad huiusmodi iudicia, maximè si vna præbeat veluti formale medium: alia verò, quasi ministret materiã, cui medium illud applicatur. Ita enim fere in proposito contingit, vt enim intellectus iudicet, & demonstret vnum esse diuersum ab alio, verbi gratia, equum à leone, ex Metaphysica sumit formale medium, quod est ratio diuersitatis, seu quid sit esse diuersum, & illud applicat seu attribuit equo & leoni, quorum conceptus seu rationes ex Philosophia sumit, tamen quia medium est, quasi formale demonstrationis, ideo talis demonstratio, Metaphysica censetur, & hoc modo dicitur esse Metaphysi- B
cæ munus diuersitatem in rebus ostendere, & eodem modo dicitur demonstrare quidditates rerum: quia medium demonstrandi quidditatem in ratione quidditatis, Metaphysicum est, quia rationem quidditatis vt sic cognoscere, proprium est Metaphysicæ.

XXIII. Ad tertium respondent aliqui distinguendam esse in Metaphysica duplicem rationem. Vna est scientiæ particularis, sub qua ratione negant attingere materialia, vt sic. Alia est, quatenus est communis ars, aliisque scientiis, vel artibus præest: hoc enim munus tribuit illi Aristotel. in hoc proœmio & primo Poster. cap. 7. tex. 23. vbi per scientiam omnium Dominam Metaphysicam intelligit, vt omnes exponunt, sub hac ergo ratione dicunt, Metaphysicam cognoscere res immateriales, vel materiales sunt, imo & materiam istam, quatenus pura potentia passiua est; quod si obiicias, quia non potest scientia transgredi obiectum suum, sub eadem distinctione respondent, id verum esse de scientia, vt particularis scientia est: non verò vt communis ars. Veruntamen distinctio & responsio maiori indigent de- C
claratione. Nam illæ duæ rationes non distinguuntur ex natura rei in habitu Metaphysicæ, tanquam duæ partes eius in re ipsa distinctæ, sed solum consideratione, & præcisiua abstractione nostra per inadequatos conceptus: nam Metaphysica non nisi ratione sui obiecti abstractissimi, & vniuersalissimi dicitur esse vniuersalis scientia, & principia vniuersalia tradere, ideoque posse alias scientias iuuare: ergo non potest illa duo munera diuisim (vt sic dicam) seu per diuersas sui partes præstare, sed simul, dum suum obiectum proprium perfectè tractat, cõsequitur quidquid perfectionis habet super alias sciẽtias, & confert omnem vtilitatem, quam ad illas præstare potest: illa ergo partitio est tantum secundum rationem nostram. Igitur fieri non potest, vt Metaphysica transcendat rationem formalem sui obiecti, tam secundum vnam rationem, quam secundum aliam. Et cõfirmatur: nam si Metaphysica, vt esse dicitur vniuersalis, transcendit abstractionem suam, & in rebus materialibus, quatenus tales sunt, versatur: ergo in hoc nullum habet terminum, aut limitem, sed ad omnia obiecta aliarum scientiarum secundum omnes rationes eorum descendet, & sic inciditur in omnia incommoda, quæ contra alias sententias intulimus. Sequela vero patet, cũ quia si ex ratione formali obiecti non assignatur talis terminus, non est vnde assignetur: tũ quia si Metaphysicus attingit proprium obiectum philosophiæ, v. g. vt constituat illud, etiam attingere omniũ scientiarum obiecta, & in ipsa philosophia oporteret omnes species naturalium entiũ contemplari, vt si forte plures sunt philosophiæ, earum obiecta secernat, sic verò est vna, quomodo ex tot rebus vnum eius obiectum confletur, declaret.

Existimo ergo, Metaphysicam sub nulla ratione XXIV.
consideratam transilire propriè rationem formalem sui obiecti, nec attingere materialia, nisi concernendo aliquo modo abstractionem suam: nec denique esse vniuersalem, aut deseruire ad alias scientias, nisi sub ea ratione, qua perfectè exhaurit obiectũ suum. Vt autem hoc declarem; dico in primis, Metaphysicam non attingere rationem substantiæ materialis, & alias similes, quę sine materia non reperiuntur, nisi quatenus illarum cognitio propria necessaria est ad tradendas generales diuisiones entis in decẽ summa genera, & alias similes, vsque ad propria obiecta B
aliarum scientiarum præscribenda: hoc enim munus proprium ad huius scientiæ, vt sumitur ex 6. 7. & 8. Metaphysicæ, & quia ad nullam aliam scientiam hoc pertinere potest, vt per se facile constat. Item, quia sine his diuisionibus non posset Metaphysica suum obiectum exacte cognoscere, nec secundum communem rationem entis, quæ cum analoga sit, non satis distinctè cognoscitur non distinguendo modos quibus contrahi potest, neque secundum eas proprias & speciales rationes, quæ à Metaphysica per se & exacte contemplandæ sunt, quia non potest has rationes perfectè attingere, nisi ab aliis eas separet ac distinguat. ¶ Secundò dicitur, quoniam rationes XXV.
vniuersales, quas Metaphysica considerat, transcendentales sunt, ita vt in propriis rationibus entium imbibantur, hinc fieri, vt dum Metaphysicus attingit nonnullos gradus entium, quæ materiam includunt, vt ab illis separet cæteros gradus, qui ad se directe & per se pertinent, de illis abstracte consideret rationes & proprietates, quæ communes sunt entibus abstrahentibus à materia, & ipsis etiam materialibus entibus, etiam vt talia sunt, specificatiuè conC
ueniunt. Vt, verbi gratia, distinguit Metaphysica substantiam in materialem & immaterialem, vel vt substantiæ immaterialis propriam rationem & consideranem assumat, vel, quia ad scientiam pertinet proprias partes sui obiecti aliquo modo considerare, vt dicitur primo Posterior. capite 23. Tradita autem huiusmodi diuisione, substantiam immaterialem per se & directe considerat, omnia in vniuersum tractando, quæ de illa cognosci possunt: substantiam autem materialem non ita contemplatur, sed solum quatenus necesse est ad distinguendam illam à substantia immateriali & ad cognoscendum de illa omnia Metaphysica prædicata, quæ illi vt materialis est, conueniunt, vt, verbi gratia, esse compositam ex actu & potentia, & modum huius compositionis, & quod sit quoddã ens per se vnum, & similia.

Tertio in forma ad argumentũ respondetur, ideo XXVI.
Metaphysicam non considerare in particulari omnia entia, quia non transcendit propriam abstractionem sui obiecti: Gradus autem quosdam generalicos considerare, qui attingunt materiam, non omittendo suam abstractionem, tum quia illosmet abstrahit à materia, quatenus est subiecta motui &

Universidad de Deusto
Biblioteca

sensui, solumque considerat illos secundum communes rationes actus, seu formæ, & potentiæ, & similes: tum etiam, quia solum indirectè attingit proprias rationes eorum in ordine ad propriam abstractionem, scilicet, vt declaret quomodo in eis reperiantur cõmuni & transcendẽtia prædicata, & quomodo ab eis distinguantur alij gradus, vel genera, quæ vere ac secundum rem ab omni materia abstrahunt. Et hoc quod Aristoteles 4. Metaphys. textu quinto, significauit, cum dixit, *philosophi est de omnibus posse speculari: si enim non philosophi, quis erit, qui considerabit: si idem Socrates, & Socrates sedens, aut si vnum vni contrarium, &c?* Philosophiam enim per antonomasiam vocat Metaphysicam, ad quam dicit pertinere considerare diuersitatem rerum in communi, quia idem & diuersum sunt passiones entis: & hoc declarat prædicto exemplo, quod affectandæ fortassis obscuritatis gratiam in quodam indiuiduo posuit, cum constet scientiam non descendere ad indiuidua ex primo Poster. cap. 7. & lib. 3. Metaphy. cap. 13.

XXVII. Quartum argumentum est reuera difficile; attingit enim difficultatem de scientiæ vnitate, qualis sit, quę non potest hoc loco exactè tractari: attingemus tamen illam breuiter sect. sequente.

SECTIO. III.

Vtrum Metaphysica sit vna tantum scientia.

I. EXplicato obiecto Metaphysicæ, facile erit eius essentialem rationem exponere: quoniam vero essentia & vnitas rei, vel sunt idem, vel intrinsecè coniuncta, ideo simul explicanda est eius vnitas, præsertim quia sermo est de vnitate specifica, nam de numerica nulla est quæstio, cum constet in diuersis multiplicari hanc scientiam secundum numerum, sicut & reliqua accidentia. In eodem autem certum est non multiplicari in ordine ad easdem res, an vero respectu diuersarum ipsa etiam distinguatur, & consequenter in eodem subiecto multiplicari possit, pendet ex priori quæstione de vnitate eius specifica seu essentiali. Quoniam vero hęc vnitas per genus & differentiam declaratur rectè, eo quod species ex genere & differentia constat, ideo supponimus id, quod certum ac per se notum est, Metaphysicam esse verè ac propriè scientiam, vt Aristoteles in principio Metaphysicæ, & aliis innumeris locis docuit, & constat ex definitione scientiæ, quæ ex 1. Poster. & 6. Ethicor. cap. 3. sumitur, scilicet, quod sit cognitio seu habitus præbens certam ac euidentem cognitionem rerum necessariarũ per propria earũm principia & causas, si sit scientia perfecta & à priori. Hæc autem omnia in hac doctrina inueniuntur, quantum est ex vi & ratione obiecti eius, & ideo nõ est dubium quin hæc sit in se scientia, quamuis fortasse in nobis non semper, vel non quoad omnẽ, statum vel perfectionem scientiæ assequatur. Constat ergo hanc scientiam contineri sub genere scientiæ, Imò ex dictis facile cõstare potest contineri sub genere speculatiuę scięctię, vt Arist. dixit, 1. Metaph. c. 2. & lib. 2. c. 1. quia circa res maxime speculatiuas, & quę ad opus non ordinantur, versatur, vt inferiùs cõmodius declarabimus, attributa huius scientiæ explicãdo. Deinde constat ex dictis hanc scientiam esse essentialiter distinctam à reliquis scientiis speculatiuis ac realibus, vt sunt Philosophia & Mathematica:

Metaphysica vere ac proprie scientia.

Metaphysica scientia speculatiua.

Metaphysica ab aliis scientiis distinguitur.

A vnde fit etiam consequens habere illam, vt sic vnitatem aliquam, ratione obiecti à nobis explicati. Sub qua ratione diffiniri potest, Metaphysicam esse scientiam, quæ ens in quantum ens, seu in quantum à materia abstrahit secundum esse contemplatur. Metaphysicæ definitio.

Difficultas ergo in præsenti tractanda superest, an hæc vnitas sit generica, vel specifica, & consequenter, an illa differentia, quæ sumitur ex habitudine ad obiectum adæquatum à nobis expositum, sit subalterna, ita vt sub ea possint plures specificæ designari, vel potius sit vna indiuisibilis atque vltima. Multi enim priori modo de illa existimant: quorum sententia suaderi potest primò, quia in obiecto à nobis constituto abstractiones variæ possunt assignari: inprimis enim est illa duplex abstractio à materia secundum esse, aut necessario, aut permissiuè tantum, quæ videtur sufficiens ad variandum secundum speciem obiectum scibile, vt sic & consequenter scientiam. Rursus inter res, quæ necessario existunt sine materia, videtur, vt minimum valde diuersa abstractio Dei, qui est omnino purus actus, & B ab omni etiam Metaphysica compositione abstrahit, ab abstractione aliarum intelligentiarum, quæ licet materia careant: compositæ tamen sunt, eisque attributa longè diuersa conueniunt. Possunt ergo sub generali Metaphysicæ vnitate tres saltẽ scientiæ specie distinctæ cõstitui. Vna quæ versetur circa ens in quantum ens, & ad summum descendat ad communes rationes substantiæ, & accidentis, & ad nouem genera, quæ sub illo continentur, secunda quæ intelligentias creatas: tertia vero, quæ solum Deum contempletur: Nam sicut in eo solo naturalis beatitudo consistit, ita videtur danda scientia naturalis, quæ secundum vltimam & specificam rationem suam Deum solum attingat. Neque fortasse deerit, qui in plura membra hanc scientiam partiatur, iuxta diuersos gradus abstractionis in ipsis communibus rationibus entis in quantum ens, vel substantiæ in quantum substantia, & sic de aliis. II. Metaphysica ne vna sit in specie subalterna, an vero in infimas. Prima opinio.

Secundo principaliter argumentor in hunc modum, quia si hæc scientia est vna, maxime quoad habitum iudicatiuum, qui in mente relinquitur ex actibus eius: Nam species intelligibiles, quibus hæc C scientia vtitur, certum est esse quamplurimas, & non vnam tantum: similiterque constat actus eius esse varios & multiplices, non solum numero, sed etiam specie differentes: Quis enim dubitaret diuersum esse actum, quo iudicamus, omne ens esse vnum, seu vnitatem esse passionem entis, & quo iudicamus, intelligentias esse immortales, vel aliquid simile? Si ergo vnitas specifica in Metaphysica excogitari potest, solum est quoad habitum iudicatiuum: Sed in eo etiam constitui non potest: Ergo in nullo esse potest: Probatur minor, quia si ille habitus est vnus specie, vel est omnino simplex in sua entitate secundum ordinem ad obiectum (omissa pro nunc compositione, si qua est, per solam intensionem, aut radicationem in subiecto) vel est qualitas composita: Neutrum autem dici posse videtur. Primum probatur, quia cum habitus Metaphysicæ ad varia iudicia, & de rebus distinctissimis inclinet, vt sit ipsis actibus, quasi commensuratus, non videtur posse per vnam & eandem simplicem qualitatem ad omnes illos inclinare, seu omnes efficere. III.

Quod secũdo ita declarat, quia habitus Metaphysicæ primo acquiritur per vnum actum circa vnum obiectum, IIII.

A obiectum, verbi gratia, circa hanc conclusionem *Omne ens est verum*, vel etiam similem, deinde per alios actus augetur & extenditur ad alias cõclusiones valde diuersas, in quo augmento necesse est aliquid realitatis vel entitatis illi addi, quia impossibile est intelligere augmentum reale sine additione reali. Hæc autem additio non potest esse sufficiens per modum intensionis solius, quia hoc augmentum non tantum est ex diuersa participatione subiecti secundum maiorem & maiorem radicationem ipsius formæ in ipso, sed est ex parte ipsiusmet habitus per maiorem extensionem ad obiectum: ergo requiritur additio ex parte ipsiusmet habitus, quatenus ei aliquid additur, quo nouum obiectum, seu nouam conclusionem respiciat, vt aperte docuit Diuus Thomas agens de habitibus in communi, 1.2. quæstione 52. articulo primo & secundo. Non potest ergo huiusmodi habitus esse omnino simplex, vt respicit totam latitudinem sui obiecti. Quod verò neque compositus esse possit, & tamen esse vere vnus in specie, probatur primo, quia id, quod primo acquiritur in habitu per actus vnius speciei, & quod additur per actum specie distinctum, sunt etiam inter se specie B distincta: ergo non componunt vnum habitum secundum speciem. Antecedens patet, tum quia actus quibus illi generantur, sunt specie distincti, tum etiam, quia inclinant ad similes actus specie distinctos: tum præterea, quia non est maior ratio distinctionis inter actus ipsos secundos, quam inter inclinationes, quæ per modum actus primi manent, ad similes actus inclinantes, iis, quibus genitæ sunt, & consequenter commensuratæ, & proportionatæ ipsis, tum denique, quia si non esset distinctio specifica inter illa duo, nec numerica esset necessaria, sed sufficeret augmentum per modum intensionis. Cõsequentia autem prior probatur, quia ex duab. qualitatibus specie distinctis non potest vna qualitas, & vnius speciei componi. D. Thomas. Prima opinio.

V. Respondeti potest, illa duo non distingui specie totali, sed partiali, ideoque posse qualitatem integram, simpliciter vnam ex eis componi tanquam ex partibus heterogeneis. Sed contra, nam interrogo qualis sit hic compositionis modus, nam, aut est per veram & realem vnionem illarum qualitatum (quæ dicuntur partiales) non tantum in eodem subiecto, C sed etiam inter se, vel est solum per aduationem in eodem subiecto. Neutrum dici potest, nam primum non videtur satis posse intelligi, aut explicari; nam interrogo qualis sit illa vnio. At enim est per immediatam coniunctionem vnius cum alio, & hoc non, quia talis vnio non interuenit, nisi inter ea, quæ se habent, vt potentia & actus, vel vt forma & materia, accidens & subiectum, terminus & res terminabilis: nullo autem ex his modis illa duo inter se comparantur, vt per se constat, quia vtraque respicit per se suum obiectum, & non requirit aliam, vt ab ea terminetur, vel actuetur. Vel vniuntur per modum cuiusdam continuationis in aliquo termino communi, vt creduntur vniri gradus intensionis: & hic modus vnionis etiam est intellectu difficilimus. Primò quidem, quia oportet assignari aliquem indiuisibilem terminum, in quo illa duo vniantur. Quod tamen non videtur posse fieri, quia ille terminus etiam debet respicere aliquod obiectum: nullum est autem ad quod possit tendere, quia nec simul tendit in vtrumque in obiectum illorum partialium habitum seu actuum, per quos geniti sunt, neque est vlla ratio, ob quam magis tradat in vnum, quam in aliud: nec fingi potest nouum obiectum, in quod tendat, cum nullum aliud fuerit per actus cognitum seu iudicatum. Tertiò quia in actibus non potest requiri talis vnio, neque talis indiuisibilis terminus in quo vniantur: alias omnes actus scientiæ Metaphysicæ possent in vnum coalescere, & realiter vniri, quod est inintelligibile: ergo neq; in habitu est talis vnio, quia non potest aliquid esse in habitu, quod non fuerit in actibus: Si autem actus non habent inter se vnionem, non habent vnde, vel quo illam efficiant. Et hæ rationes procedunt, etiam si illi duo particulares habitus fingantur esse eiusdem rationis & speciei. Si autem specie differunt, addi potest quarta ratio, scilicet, quia ea, quæ differunt specie, non possunt per se esse continua, neque habere proprium terminum communem. ¶ Tandem, si propter has rationes dicatur illas qualitates solum componere vnum habitum per aduationem in eodem subiecto, sequitur primò, non esse veram vnitatem in hac scientia, sed tantum per accidens ratione subiecti, maximè si (vt videtur probabilius) qualitates illæ specie distinguuntur. Sequitur secundò eadem ratione ex omnibus habitibus scientiarum componi vnam scientiam per aduationem in eodem subiecto VI.

Dnæ difficultates seu quęstiones tanguntur in argumentis propositis. Prima est propria & specialis huius loci, an Metaphysica sit vna scientia specie, nec ne. Secunda est generalis & eiusdem rationis in omnibus scientiis & fere in omnibus habitibus acquisitis, an sint simplices qualitates, vel compositæ secundum extensionem ad obiecta. VII. Variæ hac super re opiniones.

Circa priorem partem, quæ est propria huius loci, aliqui sentiunt, Metaphysicam non esse vnam scientiam specie, sed genere, & ad minus continere sub se tres illas species prædictas, scilicet, de Deo, qui omnino abstrahit & à materia, & ab omni vestigio materiæ, vt existimari potest omnis cõpositio: item ab omni mutatione & vicissitudine, & de intelligentiis creatis, quæ neque abstrahunt ab omni compositione, neque ab omni mutatione, tum locali, tum intellectus & voluntatis: Abstrahunt tamen intrinsece & essentialiter à materia & motu Physico, & de ente, quod solum permissiuè abstrahit à materia secundum esse: Neque est hoc contra diuisionem scientiæ speculatiuæ datum ab Aristotele in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam, quia illa non est diuisio in vltimas species, sed subalternas, vt constat de Mathematica, quæ plures scientias sub se continet. VIII. Metaphysica est vna scientia specie. Aristoteles.

Nihilominus asserendum est cum communi sententia Metaphysicam simpliciter esse vnam scientiam specie. Hæc enim videtur clara mens Aristotelis in toto proœmio, seu capite primo & secundo, libro primo Metaphys. vbi semper de hac scientia, tanquã de vna specie loquitur, eiq; tanquam vni & eidem attribuit nomina & attributa, quæ partim illi conueniunt, secundum quod versatur circa Deũ & intelligentias: Sic enim vocatur Theologia, seu scientia diuina, & prima Philosophia: partim vt versatur circa ens in quantum ens, & prima attributa, & principia eius, quæ ratione dicitur scientia vniuersalis, & Metaphysica: *Sapientia* autem vocatur quatenus hæc omnia complectitur, & prima principia, primasque rerum causas contemplatur. Item in libro quarto, vbi ex professo tractare videtur de obiecto huius scientiæ, dicit illam esse vnam, & considerare omnia, quæ à materia sunt secreta. Vnde

Universidad de Deusto
Biblioteca

in discursu & modò tradendi hanc doctrinã, satis indicat esse scietiam vnam in specie, & sæpe indifferenter ait ens in quantum ens esse adæquatum obiectum huius scientiæ, eiusque præcipuam partem esse substantiam, vel simpliciter, vel immaterialem, ac primam, vt patet ex lib. 4. cap. 2. & 3. & lib. 7. cap. 1. & lib. 12. in quo de Deo & de intelligentiis cognitionem tradit, eamque dicit esse præcipuam huius doctrinæ partem, ad quam quodammodo cæteræ ordinantur. Ac denique lib. 6. cap. 1. & lib. 11. capite 6. abstractionem à materia secundum esse constituit vt adæquatam rationem formalem sub qua obiecti huius scientiæ. Si autem distincta esset scientia, quæ ageret de ente, vt ens est, ab ea, quæ tractat de ente immateriali, & re ipsa à materia separato, illa prior non participaret propriè ac perfectè huiusmodi abstractionem, neq; ageret de primis rerum causis, neque alia haberet, quæ Aristoteles Metaphysicæ tribuit. Et hoc fere argumento concludit D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. sapientiam naturalem tantum esse vnam, cum habitus aliarum scientiarum plures sint, vbi necesse est loqui de vnitate specifica: nam secundum genus, etiam aliæ scientiæ, vnitatem habent: hæc autem sapientia non est Metaphysica: nec potest dici sapientiam vocari solam eam partem, seu scientiam vltimam Metaphysicæ, quæ de Deo agit, quia illa præcisè sumpta non considerat prima principia communia omnibus scientiis, neque illa corroborat & confirmat, quod ad sapientiam spectat: sicut econtrario pars illa prior Metaphysicæ, quæ agit de ente vt sic per se sola non considerat omnes altissimas causas, & ideo etiam illa præcisè sumpta non habet propriam rationem sapientiæ: oportet ergo, vt vna & eadem scientia hæc omnia complectatur. Et hoc ipsum docuit idem D. Thom. sup. citata loca Aristotelis, & præcipuè in prologo Metaphysicæ, idemque sentiunt reliqui expositores antiqui & moderni.

D. Thomas.

IX. Ratio vero huius sententiæ est, quia nullum est sufficiens fundamentum ad hanc scientiarum multiplicationem: & alioqui omnia ea, quæ in hac scientia tractantur, adeò sunt inter se connexa, vt non possint commodè diuersis scientiis attribui. Eò vel maximè, quod ratione eiusdem abstractionis omnia conueniunt in eadem ratione scibilis: Nam licet Deus, & intelligentiæ secundum se consideratæ, videantur altiori quodam gradu & ordine esse constitutæ, tamen prout in nostram considerationem cadunt, non possunt à consideratione transcendentium atributorum seiungi. Vnde etiam confirmatur: nam perfecta scientia de Deo & aliis substantiis separatis tradit cognitionem omnium prædicatorum, quæ in eis insunt: Ergo etiam prædicatorum communium & transcendentium. Neque est eadem ratio de inferioribus scientiis, verbi gratia, Philosophia quæ licet consideret de materiali substantia, non tamen propterea contemplatur prædicata communia, & transcendentia, quæ illi etiam insunt, quia cum illa sit inferior scientia, non potest ascendere ad abstractiora & difficiliora prædicata cognoscenda, sed per altiorem scientiam cognita supponit. At verò scientia de Deo, & intelligentiis est suprema omnium naturalium, & ideo nihil supponit cognitum per altiorem scientiam, sed in se includit quidquid necessarium est ad sui obiecti cognitionem perfectam, quantum per naturale lumen haberi potest: eadem ergo scientia, quæ de his specialibus obiectis tractat, simul considerat A omnia prædicata, quę illis sunt cum aliis rebus communia, & hęc est tota Metaphysica doctrina: est ergo vna scientia.

X. Rationi primæ dubitandi respondetur.

Atq; ex his satisfactum est primæ rationi dubitãdi in principio positę: declaratum est enim, quo modo illa abstractio à materia secundum esse, quæ permissiua dicitur, vel necessaria, non variet specificam rationẽ obiecti scibilis, tum pp nostrã cõnexionem talium rerum & prædicatorum inter se, præsertim in ordine ad cognitionem, tum etiam propter eundem ordinem doctrinæ, & certitudinis. Denique, quia illa diuersitas abstractionis solum est secundum diuersos conceptus rationis, quæ diuersitas sola per se non sufficit ad diuersam scientiam constituendam, nisi alia maior ratio distinctionis occurrat. Alioqui quot sunt communia prædicata abstrahibilia ab inferioribus: tot essent scientiæ multiplicandæ, & quot essent rerum species, tot etiam essent scientiæ specie differentes, quod communiter non admittitur.

Ad secundam dubitandi rationem non possumus B in hoc loco ex professo satisfacere, quia, vt dixi, quæstio quæ ibi tangitur, communis est omnibus scientiis, & fortasse inferius tractando de qualitate, eam examinabimus. Nunc breuiter dico, difficillimum mihi videri velle defendere habitum Metaphysicæ esse, aut vnam simplicem qualitatem, aut ita compositam, vt ex variis partialibus entitatibus, vera ac reali vnione inter se vnitis consurgat, quam difficultatem satis ostendunt, quæ in illo argumẽto proposita sunt. Quare facilius dici videtur huiusmodi scientiam includere partiales qualitates seu habitus, qui vnam scientiam componere dicuntur non sola aggregatione per accidens in eodem subiecto, cui inhærent, sed subordinatione aliqua ac dependentia, quam inter se habent per ordinem ad idem subiectum, circa quod versantur: non enim necesse est in omnibus rebus eundem ordinem vnitatis inueniri. Quod si quis inquirat, quisnam sit iste ordo subordinationis & dependentiæ: responderi potest consistere in habitudine ad idem obiectum, quod licet res varias complectatur, & diuersas proprietates habeat, quæ de illo demonstrantur, ita tamen inter se sunt connexæ, vt harum cognitio ab illis pendeat, & sese mutuo in cognitione iuuent sub eadem ratione & modo scientiæ, ac doctrinæ. Sed hæc res, vt dixi, magis accuratam postulat inquisitionem ac disputationem suo loco tradendam.

'Metaphysicæ vnusne habitus.

SECTIO IIII.

Quot sint huius scientiæ munera, quis finis, quæue vtilitas?

L EXplicato obiecto, & essentia huius scientię, oportebat nõnihil dicere de causis eius: sed quoniam de materiali, formali, & efficiente nihil proprium ac peculiare dicendum occurrit, ideò solum dicemus de causa finali. Materialis enim causa huius scientiæ non est alia, nisi subiectum eius, quod cõstat esse intellectum, nisi quis velit materiam circa quam ad materialem causam reuocare: illa autem materia non est alia, præter obiectum scientiæ, de satis dictum est. Rursus cum ipsa scientia forma quędam sit: non habet aliam causam formalem propriã, sed habet essentiam suam, seu rationem formalem, habet ẽt obiectũ, quod quatenus speciem tribuit rationem

Quæ sit materialis causa Metaphysicæ.

Quæ formalis.

Quæ efficiẽs. tionem quandam formę habere dicitur, saltem extrinsecæ. Deniq; cũ hæc scientia acquisita sit, per proprios actus, tanquam per proximam causam efficiẽtem sit, in quo nihil speciale habet præter ea, quæ cõmunia sunt cæteris habitibus acquisitis. Igitur solus finis & munus huiꝰ scientiæ explicãda superfunt: hæc enim duo ita in præsenti coniuncta sunt, vt vnũ potius esse videantur: est autem hæc scientia quoad habitum propter suam operationem, quam proximè elicit: hoc enim commune est omni habitui, neque aliquid in particulari habet habitus huius scientiæ, quod noua declaratione indigeat. De ipsa vero operatione, seu actu huius scientiæ explicandũ est qualis sit, & quem finem habeat, & inde constabit, quænam fuerit huius scientiæ necessitas, vel vtilitas.

II. Quis finis Metaph. Aristot.

Dico ergo primò, finem huius scientiæ esse veritatis contemplationem propter se ipsam. Ita docet Aristotel. 12. Metaph. cap. 2. & lib. 2. cap. 1. vbi id probat primò à priori, quia ea scientia maximè est propter veritatis cognitionem, & propter seipsam, quæ de primis rerum causis, & principiis, & de rebus diguissimis considerat: huiusmodi enim res aptissimæ sunt, vt sciantur, & earum cognitio maximè expetibilis est, sed hæc scientia versatur in cognitione altissimarum rerum & causarum, vt constat ex his, quę de obiecto illius diximus: ergo hæc scientia maximè est propter se, & propter veritatis cognitionem. Secundò, quia hæc scientia non inquirit veritatis cognitionẽ propter operationẽ: ergo propter seipsam: non est enim inter hæc inuenire mediũ. Antecedens autem probatur ab Aristotele duplici signo: vnum est, quod homines propter admirationem & causarum ignorationem hanc scientiam inuenire cœperunt: ergo propter cognitionem, & non alterius operis gratia, eam inquisierunt. Secundum signum est, quia homines, cum eis omnia ad hanc vitam necessaria suppeterent, hanc scientiam inuestigarunt: non ergo propter alium vsum, sed ad expellendam ignorantiam, atque adeò propter ipsam veritatis cognitionem, eam inquisierunt. Tertiò nos id probare possumus, quia, scientia, quæ cognitionem ordinat ad operationem, proximè disputat de rebus operabilibus ab homine: hæc autem scientia non tractat de huiusmodi rebus, sed de nobilissimis entibus & de vniuersalissimis rationibus entis, & maximè abstractis.

III. Sed si quis rectè consideret, tam assertio posita, quàm ea, quæ ex Aristotele in eius confirmationem adduximus, cõmunia sunt omnibus speculatiuis scientiis, & maximè naturali Philosophiæ, & ita ex dictis rationibus rectè infert Aristoteles hanc scientiã speculatiuam esse, & non practicam, quia proximè non ordinatur ad opus, sed sistit in veritatis cognitione, quod (vt dixi) commune est vniuersæ naturali philosophiæ, vt ergo in assertione posita proprius finis huius scientiæ declaretur, subintelligere oportet eam esse propter cognitionem earum veritatum, quæ de ipso ente vt tale est, & de rebus, quæ secundũ esse abstrahunt à materia demonstrari possunt. Atq; ita proprius finis eius est declarare naturã, proprietates & causas entis in quantum ens, & partium eius, quatenus secundum esse à materia abstrahunt.

IV. Atque hinc colligitur prima necessitas seu vtilitas huius doctrinæ, nimirum vt perficiat intellectum secundum se (vt sic dicam) & propter perfectissimas res, rerumq; rationes cognoscẽdas. Intellectus enim humanus licet in corpore sit & ideo ministerio sensuum & phantasmatum indigeat, tamen secundum A se spiritualis est, & vim habet omnes, etiam spirituales & diuinas percipiendi, propter quod, *quodammodo diuinus*, appellatus est ab Aristotele, lib. 1. de anima, text. 82. Philosophia igitur naturalis videtur intellectum perficere, prout vtitur sensibus, & circa sensibilia versatur. Mathematicæ verò scientiæ illum videntur perficere, prout aliquo modo abstrahit ab externorum sensuum experimento, cum dependentia tamen ab imaginatione, seu phantasia. Hæc autẽ doctrina intellectum illustrat secundum se, abstrahens, quantum in corpore fieri potest, à sensibus, & phantasia, & res spirituales, ac diuinas contemplans, rationesq; ac principia omnibus rebus communia, & generalia attributa entium, quæ à nulla inferiori scientia considerantur.

Secundò verò addendum est, scientiam Metaphysicæ, non solum propter se ipsam esse cõuenientem, sed etiam ad alias scientias perfectè acquirendas esse valdè vtilem. Hæc assertio sumitur ex Arist. 1. Metaph. cap. 2. & lib. 3. cap. 2. vbi inter alias conditiones sapientiæ ponit, quod reliquæ scientiæ illi ministrẽt, ipsa verò aliis præsit, eisque (ait Aristot.) præcipiat B non imperio practico, quod ad prudentiam potius, vel morales scientias spectat, sed directione speculatiua, & subdit huiusmodi esse Metaphysicam, respectu aliarum scientiarum, quia de præstantissimis rebus, & de primis rerum causis, ac de vltimo fine & summo bono disputat. Addit etiam 1. Poster. cap. 7. Metaphysicam solam versari circa prima principia reliquarum scientiarum. Sunt enim duplicia principia scientiarum, vt in eodem lib. docet cap. 8. quædã propria, quæ in vnaquaque scientia declarantur: alia communia multis, vel potius omnibus scitiis, quia omnes illis vtuntur, vt res subiecta postulat, & quatenus ab eis cætera particularia principia pendent, vt ibidem Philosophus ait, & lib. 4. Metaph. text. 7. Cũ ergo omnes scientiæ ab his principiis maximè pendeant, necesse est, vt per hãc scientiam maximè perficiãtur: quia, vt supra dictum est, horum principiorum cognitio & contemplatio ad nullam specialem scientiam pertinere potest, cum ex abstractissimis, & vniuersalissimis terminis constet. Sic igitur est hæc scientia ad aliarũ consecutionem & perfectionẽ valdè vtilis. Vnde D. Thom. in princip. Metaph. & in 2. dist. 3. quæst. 2. art. 2. dicit, Metaphysicam esse ordinatiuam aliarum scientiarum, quia considerat rationẽ entis absolutè: aliæ verò secundum determinatã rationem entis, & in 2. d. 24. quæst. 2. art. 2. ad 4. ait Metaphysicam dirigere alias scietias. Deniq; ex his, quæ de obiecto & materia circa quam versatur, diximus, id facilè probari potest, quia hæc scientia considerat supremas entium rationes, & vniuersalissimas proprietates, & propriam rationem essentiæ & esse, & omnes modos distinctionis, qui sunt in rebus: at sine horum omnium distincta cognitione non potest perfecta particularium rerũ cognitio haberi. Quod experimento etiam cognosci potest: omnes enim aliæ scientiæ sæpè vtuntur principiis Metaphysicæ, aut ea supponunt, vt in suis demonstrationibus, vel ratiocinationib. progredi possint, vnde sæpe cõtingit ex ignoratione Metaphysicæ in aliis scientiis errare.

Aristot.

D. Thomas.

Dices, cum hæc scientia Metaphysicæ maximè propter seipsam inquiratur, quo modo potest esse vtilis ad alias: Nam quod est vtile ad alia, est propter illa. Respondetur: Dupliciter contingit aliquid dici vtile ad aliud: vno modo tanquam medium ordinatum ad aliud: vno modo vtile ad aliud dicitur tanquam

Soluitur obiectio.

Ad aliud multipliciter aliquid vtile.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tanquam causa superior & eminentior, influens suo modo in aliud. Hoc igitur posteriori modo est Metaphysica vtilis ad inferiores scientias, & ideo nō repugnat, sed potius est valde consentaneum ac consequēs, quod sit maxime propter se, & aliis valde vtilis seu proficua. Priori autē modo cęteræ scientiæ ordinantur ad Metaphysicam, quatenus omnis alia cognitio, tam speculatiua, quàm practica ordinatur ad supremam contemplationem, in qua naturalis hominis fœlicitas consistit. Ita ferè Diuus Thomas 3. contra Gentes c. 25. ratione 6. vbi sic inquit. *Hoc autem modo se habet philosophia prima ad alias scientias speculatiuas: nam ab ipsa omnes aliæ dependent, vtpote ab ipsa accipientes sua principia, & directionem contra negantes principia, ipsaque prima philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad vltimum finem.*

D. Thom.

Sed vt hæc Methaphysicæ munera ex actius intelligantur, oportet in specie declarare, quæ sint officia, quæ circa alias scientias exercet, & quomodo illa exequatur.

Quomodo Metaphysica circa obiecta aliarum scientiarum versetur, ea vt demonstret.

V

PRimum itaque attribui solet Metaphysicæ, quod vnicuique scientiæ obiectum præscribat, &, si necesse sit, illud esse demonstret, quod significauit Auerroes 3. de cœlo, comm. 4. dicens Metaphysicæ esse defendere, acverificare (sic enim loquitur) subiecta particularium scientiarum. Ratio vero esse potest, quia, vt Aristoteles docet 1. Posterior. scientia non probat, sed supponit suum subiectum esse, & quid sit: ergo oportet vt aliunde sumat: ergo cum non semper id sit per se notum, sæpeque indigeat aliqua declaratione & probatione, oportet illud sumere ex aliqua superiori scientia, quæ non potest esse nisi Metaphysica, ad quam spectat considerare essentiæ, quidditatis & ipsius esse rationem.

Auerroes.

VI. Obiectio.

Dices; Quomodo potest Metaphysica de obiectis aliarum scientiarum demonstrare quod sint: nam, si sermo sit de actuali existentia, hæc non requiritur, vt res scientiæ obiiciantur, sed quasi per accidens se habet: vnde demonstrari nō potest, præsertim de entibus creatis, cum illis non necessario conueniat, quod si aliquo modo ex effectibus probari potest, id magis videtur ad Philosophum naturalem pertinere, qui ex effectibus sensibilibus philosophatur, si verò sermo sit de esse in aptitudine, seu in potentia, hoc non potest de vno subiecto demonstrari, quia nullum est medium, quo demonstrari possit: sicut etiam non potest de subiecto scientiæ demonstrari quid sit, quia nullum est medium quo vnicuiq; rei propria essentia conueniat, sed immediatè ac per seipsa illi conuenit. Adde, quod hæc scientia non potest descendere ad particularia obiecta singularum scientiarum, quia non potest suam propriam abstractionem transcendere: sicut ergo propter hanc causam non potest demonstrare proprietates eorū, ita neque ostendere, an sint, vel quid sint. Præterea, si aliæ scientię huius ope indigerent, vt ab ea sumerent obiecta sua, non possent ante hāc scientiam addisci: quod est falsum, vt constat experientia: nam licet hæc scientia dignitate prima sit, non tamen generatione. Denique, si necessarium est vt hæc scientia aliarum obiecta demonstret, necessaria erit alia scientia, quæ huic deseruiat ad ostendendum proprium eius obiectum, quia ipsa nō potest demonstrare subiectum suum esse, sed supponere debet: neque illud est ita per se notum, quin aliqua ostensione indigeat.

A

Respondetur ad primam difficultatem, hanc scientiam ita iuuare alias ad ostendendam earum obiecta esse vel quid sint, sicut ipsę de obiectis suis, hoc supponunt. Scientiæ autem, per se loquendo, non supponūt suum obiectum actu existere: hoc enim, vt argumentum factum probat, accidentarium est ad rationem scientiæ, illam excipio, quæ est de Deo, cuius esse est de quidditate eius: in aliis vero rebus ad scientiam & demonstrationem non est necessaria existentia earum, nisi fortasse interdum ex parte nostra ad inquirendam & inueniendam scientiam, quia nos ex rebus ipsis scientiam accipimus. Igitur hæc scientia non demonstrat aliarum obiecta actu existere, sed ea solum de causa dici potest alia obiecta esse, quia præbet principia ad ostendendum, in quo gradu entium talia obiecta collocentur, & quam quidditatem habeant. Hoc autem præstat hæc doctrina, declarando in primis ipsam rationem entis, & essentię seu quidditatis, & in quo consistat, & deinde distinguēdo varios gradus entium, sub quib. omnia obiecta scientiarum continētur. Quocirca quamuis à priori & in se non possit per proprium medium intrinsecum demonstrari obiectum scientiæ esse & quid sit, tamen quoad nos ostendi potest ex signis, seu effectibus, declarando in primis, quid requiratur ad rationem entis, & in quo ratio essentiæ consistat, & quam connexionem cum talibus signis vel effectibus habere possit, quæ omnia non nisi per principia huius doctrinæ exactè ostenduntur.

B

VII. Responsio.

Accedit etiā, quod per causas extrinsecas, vt sunt finalis & efficiens: potest interdum ostendi aliquod obiectum esse, quod maxime fit per primas & vniuersales causas, de quo hæc scientia cōsiderat, vt ostēdere possumus angelos esse, quia & ad perfectionem vniuersi sunt necessarij, & talis sunt naturæ, vt non repugnauerit à Deo fieri.

VIII.

Atque ita etiam constat, quomodo possit hæc scientia tale munus exercere circa obiecta particularium sciētiarum, etiam si infra illius abstractionem esse videantur. Nam in primis, vt supra sectione secunda tetigimus, quamuis Metaphysica per se non versetur circa res omnes secundum proprias rationes earum, tamen aliquo modo attingit illas, quatenus, scilicet, necesse est ad proprias rationes explicandas, vel diuisiones tradendas, & proprios gradus Metaphysicos secernendos ab aliis, quæ diuisiones Metaphysicæ multum aliis scientiis deseruiunt ad sua subiecta præscribenda, & ab aliis secernenda. Ac deinde non semper necesse est, vt Metaphysica per se ipsam immediate ostendat singularum scientiarum obiecta, sed satis est quod tribuat principia, & declaret terminos, quibus aliæ scientiæ vti possunt ad supponenda, vel ostendenda, quantum necesse fuerit, obiecta sua.

IX.

C

Vnde consequenter fatendum est, si ordo doctrinæ spectetur secundum se, Metaphysicam esse cæteris priorem, quod non solum ex hoc munere, sed etiam ex alio, quod statim explicabimus, colligi potest; nam confirmat aliquo modo omnium scientiarum principia. Deinde transcendētales rationes entis declarat, sine quarum cognitione vix potest in aliqua scientia quippiam exactè tractari. Ac denique quandam habet singularem connexionem cum dialectica, quam inferius declarabo, ratione cui⁹ effectū fortasse

X. Metaphysica prior omnibus scientiis doctrinæ ordine.

Quare vltima addiscatur.

fortasse est, vt magna pars huius doctrinæ à modernis Dialecticis confusè tractetur. Nihilominus tamen ratione nostri modi cognoscendi hæc scientia postremum locum sibi vendicauit, vt constant ex vsu omnium, & ex ipsamet Aristotelis inscriptione: nam propterea hāc scientiā *Transphysicam seu Postphysicam* vocauit. Et ratio est, quam tetigit Diuus Thomas in 1. Metaph. cap. 1, lect. 2. & Auicen. lib. 1. suę Metaph. cap. 3. quia res, quæ à materia abstrahunt secūdum esse, licet secundum se sint maxime intelligibiles, à nobis tamen inueniuntur nisi per modum, vt constat ex 12. Metaph. Et similiter rationes entis vniuersalissimè & abstractissimè, quamuis secundum se sint notiores, præsertim quoad quæstionē an sint, tamen, quid sint, & quas proprietates habeant, difficile à nobis cognoscitur, & sæpe incipere oportet à particularibus & sensibilibus, vt ad illas pertingere possimus, & hoc modo dixit Aristot. 1. Metaph. cap. 2. vniuersalissima esse cognitu difficillima. Vnde loquendo de ordine quoad nos, non semper necesse est, hanc scientiam aliis premitti: semper tamen supponuntur aliqua principia huius scientiæ, vel termini metaphysici, quatenus aliquo modo cognosci possunt virtute naturalis luminis intellectus, & prout satis est ad discurrendum, & progrediendum in aliis scientiis, quamuis non tam exactè & perfectè, sicut fit comparata hac scientia.

D. Thomas. Auicenna.

Vniuersalissima cognitu difficillima.

A

B

XI.

Ad vltimam confirmationem dicitur, hanc scientiam in hoc superare reliquas, quod ipsa non solum supponit suum obiectum esse, sed etiam, si necesse sit, illud esse ostendit, propriis principiis vtens, per se loquendo: nam per accidens interdum vtitur alienis & extraneis propter excellentiam sui obiecti, & defectum nostri intellectus, qui non potest illud perfectè attingere, vt in se est, sed ex inferioribus rebus. Cum autem dicitur scientiam supponere suum obiectum esse, intelligitur per se loquendo, vt notauit Caietanus prima parte, quæstione secunda, articulo tertio, per accidens vero non inconuenit scientiam aliquam demonstrare quoad nos obiectum suum. Quod si illa scientia suprema sit, non indiget ope alterius, sed vi sua id præstare potest, & huiusmodi est Metaphysica in ordine naturalium scientiarum, sicut etiam id Theologia habet in ordine supernaturali.

Sciētia quomodo suppona t suum obiectum.

C

Quomodo Metaphysica prima principia confirmet ac tueatur.

XII.

SEcundum munus præcipuum, quod huic scientiæ tribuitur, est prima principia confirmare, ac defendere. Hoc munus tribuit huic scientiæ. Aristoteles 1. Poster. cap. 7. & 1. Physic. cap. 1. & illud ex professo tradit atque exercet 4. Metaph. capite 3. vbi commentatores omnes idem tradunt, & Proclus lib. 1. Comment. in Euclid. cap. 4. vbi etiam Mathematicis sciētiis ait, Metaphysicam suppeditare principia. Quale autē sit hoc munus, & cur vel quo modo ad hanc scientiam pertineat, non est facilè ad explicandum. Et ratio difficultatis est primò, quia prima principia sunt per se, naturaliter, ac sine discursu nota: hæc autem scientia, cum essentialiter scientia sit in omnibus partibus suis, in nulla earum potest, nisi per discursum, & consequenter circa conclusiones, & propositiones mediatas versari: ergo nullum munus proprium circa prima principia potest exercere. Secundo, quia alias confunderetur habitus Metaphysicæ cum habitu primorū principiorum, quia Metaphysica vsurparet proprium munus illius habitus: vnde non oporteret eos distinguere, contra Aristotelem 6. Ethic. capite tertio, vbi quinque virtutes intellectus distinguit & inter eas ponit intellectum, id est, habitum principiorum, & sapientiam, quam esse Metaphysicam constat ex eodem in procemio huius operis. Prima sequela patet, quia ad habitum principiorum pertinet, assensum præbere primis principiis cum maiori euidētia & certitudine, quam omnis scientia: quandoquidem omnis scientiarum euidentia ab illo habitu pendet: ergo Metaphysica non potest confirmare prima principia, aut robur aliquod addere assensui illorum, nisi munus habitus primorum principiorum vsurpet. Tertiò, quia vel hæc scientia exercet hoc munus, explicando tantum terminos ex quibus prima principia constant: & hoc non est munus scientiæ, neque ad illud est necessarius aliquis habitus iudicatiuus, sed solum conueniens apprehensio, & terminorum explicatio. Vel exercet hoc munus, demonstrando aliquo modo ipsa principia: & rursus interrogo, an hoc intelligatur de demonstratione à priori, vel à posteriori. Et primum dici non potest, quia prima principia, vt sic sunt immediata, vnde à priori demonstrari non possunt. Si autem sumantur, vt non sunt immediata quoad nos, quale est illud principium, quo prima passio prædicatur de definito, sic non est munus vnius scientiæ talia principia demonstrare, sed vnaquæque scientia in sua materia demonstrat ea, quæ ad ipsam pertinent, nec potest Metaphysica ad singula in specie descendere, vt ex dictis in sectionibus præcedentibus constat: Ergo nihil proprium potest hac in parte Metaphysicæ tribui. Secundum autem de demonstratione à posteriori non potest conuenientius dici, quia hoc genus demonstrationis & scientiæ non pertinet ad sapientiam, qualis est Metaphysica, sed pertinet vel ad experientiam, vel ad scientiam à posteriori, quam *scientiam quia* appellant, quæ sine dubio est inferior, & distinctus habitus à scientia perfecta, quia fortasse non est vnus circa prima principia communia, & propria singularum scientiarum. Vnde sicut perfectæ sapientiæ seu Metaphysicæ adiungi potest in nobis aliquis imperfectus habitus demonstrans à posteriori prima principia cōmunia, ad Metaphysicam spectantia, ita singulis scientiis particularibus adiungi potest similis habitus proportionatus, vniuscuiusque principia à posteriori demonstrans, quid est ergo quod in hoc munere propriū ac singulare habet Metaphysica?

Aristotel.

Proclus.

Prima difficultatis ratio.

Secunda.

Tertio.

XIII. Propositæ rationes dubitādi soluuntur singulatim.

Non possumus commodiùs ad hanc interrogationem respondere, & hoc munus declarare, quam per difficultates propositas breuiter discurrendo. Et prima quidem facilis est: concedimus enim munus huius scientiæ circa prima principia non esse elicere illum assensum euidentem & certum, quem intellectus lumine naturali ductus sine vllo discursu præbet primis principiis sufficienter propositis: Hoc enim recè probat argumentum illud, & confirmat etiam secundum. Pertinebit ergo ad hanc scientiam aliquo discursu vti circa ipsa prima principia, quo illa conformet aliquo modo ac defendat: quo modo autem id præstet, in secunda & tertia difficultate declarabitur.

Circa secundam aliqui tractare hoc loco solēt, an habitus principiorū, quem Aristoteles intellectum appellauit, sit qualitas à potentia intellectiua in re ipsa

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa distincta, & vtrum sit qualis à natura congenita, an potius acquisita. Qui enim negant, hunc Habitum esse qualitatem aliquam præter ipsum naturale lumen intellectus, quod, quatenus natura sua est sufficienter propensum ad assensum primorum principiorum, illorum habitus appellatur, & non realiter, neque ex natura rei, sed sola ratione à facultate intelligendi distinguitur. Qui (inquam) ita sentiunt, facile expedietur difficultatem propositam, dicentes Metaphysicam distingui à naturali lumine intellectus; non vero distingui ab alio habitu, qui potest conferre intellectui facilitatem aliquam circa primorum principiorum assensum. Alij vero (& quidem probabilius) videtur hanc quæstionem ab illa non pendere, nam siue habitus principiorum sit qualitas distincta, & per actus acquisita, siue nõ, necesse est Metaphysicam esse habitum ab illo distinctum, quia, vt in priori difficultate dicebam, Metaphysicæ munus non potest esse præbere assensum simplicem, seu absq; discursu primis principiis. Qui autem ponunt illum habitum qualitatem distinctam, eius munus & vtilitatem esse dicunt elicere promptius & facilius cum intellectu ipsummet assensum simplicem & immediatum primorum principiorum: ergo, etiam si ponamus habitum principiorum esse propriis actibus acquisitum, non propterea confundere illum debemus cum habitu Metaphysicæ.

XV. Non ergo sunt hæ quæstiones connexæ, neque vna ab altera pendet. Et (vt ego opinor) Aristoteles vtrumque posuit, scilicet, & habitum principiorum esse virtutem distinctam à sapientia, vt constat ex citato loco tertio Ethic. & esse habitum, quem nostris actibus comparamus, vt ex eodem loco, & ex secundo Poster. capite vltimo, facile sumi potest. Nam in priori loco manifeste ponit illum inter habitus seu virtutes intellectus: Si autem non esset res distincta ab ipsa difficultate intelligendi, propriissimè, imo & falso diceretur esse habitum intellectus. In posteriori autem loco apertiùs sentit esse habitum, non à natura inditum, sed acquisitum, non per discursum, sed per simplices actus ex sola terminorum propositione, & intelligentia comparatos. Et reuera hoc posterius sequitur ex illo priori: Nam si hic habitus non esset facilitas aliqua vsu C comparata ad similes actus promptius eliciendos, nulla esset ratio, aut fundamentũ, cur existimaretur esse qualitas aliqua distincta ex natura rei à lumine naturali intellectus, seu ab ipsa facultate intelligendi, tum quia vt Aristoteles dixit, tertio, de anima, capite quarto, intellectus natura sua est pura potentia in ordine intelligibilium, & tanquam tabula rasa, tum etiam, quia si natura ipsa dedisset totam vim, quæ ex parte potentiæ necessaria est ad eliciendos hos actus, non tantum quoad substantiam, sed etiam quoad promptitudinem & facilitatem, superuacaneum fuisset multiplicare entitates in ipsa facultate intelligendi, sed ipsa posset & deberet in suamet intrinseca entitate fortior & efficacior constitui, neque esset vllum indicium ad illam distinctionem entitatum colligendam: Sicut si voluntas natura sua ita est prompta & facilis ad amandum bonum in communi, vt non possit per actus promptior & facilior reddi, optimum argumentum est, non habere illam promptitudinem per habitum innatum, sed per suammet entitatem. Et similiter visus, quia ex natura sua habet totam inclinationem & efficacitatem, quam ex parte sua habere potest ad elicien- A dum actum videndi, recte colligimus habere totam illam vim, & inclinationem per intrinsecam facultatem & entitatem suam indiuisibilem, & non per aliquam aliam à natura inditam. Vnde Diuus Thomas, 1.2. quæstione 51. articulo 1. sensit hunc habitum non esse naturalem secundum se, sed quoad inchoationem quandam, quia, scilicet, actus per quos acquiritur, non sunt per discursum habiti, sed immediate ab ipso naturæ lumine profluunt, quamuis in principio & ante habitum non emanent cum tanta promptitudine & facilitate, sicut post acquisitum habitum; de qua re late in secundo, Posteriorum disputauimus, & fortasse in sequentibus nonnihil addemus. D. Thom.

XVI. Hac ergo sententia supposita, ad secundam difficultatem negatur sequela: Nam Metaphysica aliter versatur circa principia prima, quam habitus principiorum: Nam inprimis Metaphysica non versatur circa prima principia formaliter, vt principia sunt, sed vt sunt aliquo modo conclusiones: At vero habitus versatur formaliter circa principia, vt talia sunt, & veritates immediatæ: Et ideo B hic habitus attingit sine discursu, Metaphysica vero, mediante aliquo discursu. Hinc rursus habitus principiorum non addit proprie aliquam euidentiam, vel certitudinem assensui principiorum, qui ex sola natura haberi potest, sed addit facilitatem & promptitudinem in exercenda illa euidentia & certitudine: Metaphysica vero addit certitudinem & euidentiam, quia nouo modo & per nouum medium facit assentiri eidem veritati. Est autem attente considerandum, hoc augmentum non esse intensiuum, sed extensiuum. Primò quidem, quia Metaphysica non auget euidentiam, vel certitudinem, imo neque intensionem ipsiusmet assensus, quem elicit habitus principiorum, quia vt dixi, Metaphysica nullo modo operatur circa illum assensum, sed circa obiectum seu materiam eius præbet nouum assentiendi modum, per actum vtique distinctum. Secundo, quia si hos actus inter se conferamus, reuera non certior aut euidentior assensus Metaphysicæ, quam assensus habitus principiorum, vt argumentũ factum probat, quia semper necesse est, assensum Metaphysicæ in aliquibus primis principiis, vt per se notis niti. Et hac ratione dicimus Metaphysicam non augere intensiue euidentiam, vel certitudinem circa prima principia, sed extensiue tantum, nouam eorum euidentiam, & certitudinem præbendo. Qualiter Metaphysica versetur circa prima principia qualiter cit ea principiorũ habitus.

XVII. Circa tertiam difficultatem attingitur alia quæstio, scilicet, quibus modis versetur Metaphysica circa prima principia, iuuando & confirmando intellectum in assensu eorum. In qua breuiter dicendum est, doctrinam hanc præstare hoc munus duobus modis in tertia difficultate insinuatis. Inprimis enim tradit & declarat rationem ipsorum terminorum, ex quibus prima principia constant. Quod fere experientia ipsa patet in discursu huius doctrinæ, tum apud Aristotelem, præsertim libro quinto, septimo, octauo & nono, tum etiam apud alios authores, & ex his, quæ in disputationibus sequentibus dicemus, constabit: Traditur enim in hac scientia, quid sit ens, quid substantia, quid accidens, quid totum, quid pars, quid actus, quid potentia, ex quibus terminis, & ex aliis similibus, prima principia constant. Cum enim hæc principia in re non habeant intrinsecum, & quasi formale medium, quo illorum extrema connectantur, per se Terminorũ cognitio ad

esplexa prin cipia cognoscenda maxime conferr.

per se cognoscũtur ex cognitione terminorum: vn- A de nihil magis potest ad eorum cognitionem iuuare, quam scientifica, & euidens notitia terminorum, seu rationum eorum, qualis est illa, quæ in hac scientia traditur. Neque enim verum est, quod in prædicta difficultate tertia sumebatur, scilicet, hoc munus non pertinere ad scientiam, quæ discurrendo & iudicando procedit, sed ad simplicem terminorum apprehensionem: nam licet, per se loquendo, ex parte simplicium rerum & terminorum non requiratur demonstratio; imò neque compositio ad intelligendum, quid vnumquodque sit, aut significet, tamen quoad nos sæpe potest hoc demonstrari, præsertim vtendo diuisione constante ex oppositis mẽbris, & demonstrando quid res non sit (quod frequenter est nobis notius) & inde concludendo quid sit. Sæpe etiam hoc fit, tradendo aliquas descriptiones rationum simplicium, quæ sunt quoad nos notiores, & illis vtendo, vt mediis ad demonstrationes efficiendas, quæ ad scientiam humanam acquirendam interdum sufficiunt. Atque hinc tandem intelligitur hunc modum illustrandi prima principia præcipue & immediate exerceri in hac scientia B circa illa prima principia, quæ vniuersalissima sunt, & constant terminis abstractioribus, id est, significantibus res aut rationes rerum, quæ sine materia possunt existere: nam, vt diximus, hæc sunt, quæ, per se loquendo, sub obiecto Metaphysicæ continentur, cumque illa sit suprema scientia, per se sufficiens est ad tradendum & explicandum rationes omnium rerum, & terminorum, quæ sub obiecto eius clauduntur. At vero non ita proxime & immediate descendit ad proxima & particularia principia singularum scientiarum, & ad terminos ex quibus constant, sed solum illa attingit altero ex duobus modis superius explicatis, scilicet, vel quatenus necesse est ad propias definitiones tradendas, proprioq; terminos explicandos, vel quatenus in eis generales rationes, & præsertim transcendentales, includuntur, sine quarum cognitione & adminiculo non potest aliqua ratio, seu quidditas cuiuscunq; rei in particulari explicari.

XVIII. Alter modus, quo hæc scientia versatur circa prima principia, est, demonstrando illa, seu veritatem C & certitudinem illorum, quod variis modis præstare potest. Primò dicunt aliqui, Metaphysicam demonstrare principia à priori, nõ quidem per causam intrinsecam formalem, vel materialem, quia (vt recte probat argumentum factum) in his principiis immediatis, nõ habet locum tale genus demonstrationis, sed per extrinsecam causam formalem, efficientem & exemplarem: nam quia Metaphysica considerat primas causas, etiam Deum ipsum, qui sicut est prima veritas, ita est causa omnis veritatis, saltem extrinseca omnibus prædictis modis, potest saltem per hanc causam demonstrare veritatem, non tantum primorum principiorum, sed etiam conclusionum. Hic tamen modus demonstrandi rarissime, aut nunquam exercetur in hac doctrina, &, si attentius consideretur, vix habere potest locum: Nam in primis, quod attinet ad causam efficientem: hæc non habet locum in vniuersalissimis principiis constantibus ex terminis communibus Deo & creaturis: nam sicut respectu Dei nulla potest dari causa efficiens, ita nec respectu illorum principiorum, quæ in Deo ipso veritatem habent, vt est illud; *Quodlibet est, vel non est*, &, *Impossibile est aliquid de eodem affirmare & negare*. Atque hinc etiam constat, hæc prin- Vniuersalissima principia non possunt per causas demonstrari.

cipia non posse per causam finalem demonstrari, quia causa finalis est in ordine ad effectionem, & operationem, & ideo quæ abstrahunt ab efficiente, abstrahunt etiam à fine. Rursus hinc fieri videtur, etiam illa principia, quæ solis creaturis communia sunt, quatenus sub scientiam cadunt, non posse per causam efficientem, vel finalem demonstrari, quia, vt sic, abstrahunt ab actuali existentia, & consequenter ab efficientia: nam omnis efficientia est circa rem existentem, seu quæ ad exitum perducitur, vt, verbi gratia; *Omne totum esse maius sua parte*: verum est, omni efficientia secluſa, & sic de cæteris. Et hinc vlterius non videtur hic possibilis probatio per causam exemplarem, tum, quia quod abstrahit ab efficiente causa, abstrahit et ab exemplari: nam exemplar est id, ad cuius similitudinem efficiens operatur, & comparatur tanquam ars, vel ratio operandi respectu efficientis intellectualis: si ergo veritas horum principiorum abstrahit ab efficiente, etiam abstrahit ab exemplari causa: tum etiam, quia essentiæ rerum vt sic, non pendent à causa exemplari: ergo nec veritas primorum principiorum. Antecedens patet, quia homo, verbi gratia, non ideo est animal rationale, quia Deus talem illum cognoscit, seu quia in exemplari diuino talis repræsentatur, sed potius ideo talis cognoscitur, quia ex se postulat talem essentiam.

XIX. Occurritur obiectioni. Sed ad hæc dici potest, hæc principia abstrahere quidem ab efficientia actuali, non tamen ab efficientia possibili, & consequenter non omnino abstrahere à causa efficiente, exemplari, & finali, vt enim infra dicemus, quamuis essentiæ creaturarum abstrahi possint ab esse, non tamen ab ordine ad esse, sine quo intelligi non potest vera & realis essentia: eadem ergo ratione prima principia communia entibus creatis veris & realibus, etiam si secundum necessariam connexionem abstrahant à tempore & actuali existentia, non tamen ab ordine ad esse, scilicet, quia cum tali connexione possent existere, & non aliter, & hoc modo possunt etiam habere respectum ad prædictas causas, & per eas demonstrari. Vt, si quis probet omne totum esse maius sua parte, quia ita potest à Deo fieri, & non aliter, vel hominis essentiam esse animal rationale, quia in eo potest à Deo condi, & non in alia. Et similiter ex causa finali potest ostendi, hominem esse animal rationale, quia potest ad Deum cognoscendum, & amandum institui. Vel ex causa exemplari, quia in diuina idæa talis repræsentatur: Non enim haberet homo talem essentiam realem, nisi in Deo habere tale exemplar; nec repugnat sub diuersis rationibus, vtrumque verum esse, scilicet, & Deum cognoscere hominem esse talis essentiæ, quia reuera talis est, & hominem habere talẽ essentiam, quia in Deo talem habet idęam.

XX. Quæ responsio declarat quidẽ hunc modum demonstrãdi non semper esse impossibilem, nec inutilem. Quamquã hi modi demonstrandi in singulis primis principiis non omnes locum habeant; nam, q tria & quatuor sint septem, non est necesse, vt habeat causam finalem, & sic de aliis principiis, in quib. est veritas ex cõnexione extremorũ, non quidem ordinata ad aliquẽ finem, quia prędicatũ non declarat proprietatem aliquam, vel essentiã subiecti, sed idẽtitatem potius, seu repugnantiã oppositorũ, vt patet in hoc; *quodlibet est, vel nõ est*, & similibus, in quib. dicti modi demonstrandi per causas extrinsecas locum

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non habent. Nihilominus tamen ad multa principia applicari possunt, præsertim illa demonstratio, quæ est per causam finalem: nam essentiæ rerum, & proprietates causam finalem habent, per quam possint demonstrari, si talis causa aliunde per se nota sit, vel per aliud notius principium ostendi possit: hoc enim in omni demonstratione necessarium est.

XXI. Fit efficiens finem & exemplar primum demonstrare non potest naturale lumen.

Addo vero vlterius, sæpè hoc probationis genus excedere vim naturalis luminis intellectus humani, & pertinere potius ad Metaphysicam diuinam (vt sic dicam) vel supernaturalem, quam naturalē. Nam exemplaria diuina, nisi in seipsis videantur, esse non possunt ratio aut medium cognoscēdi aliquam veritatem: non possunt autem in seipsis videri per Metaphysicam naturalem, imo non potest hæc sciētia ostendere, Deum habere hæc, vel illa exemplaria rerum, nisi à posteriori ex rebus ipsis, sicut ex artificio in re effecto cognoscimus, qualē ideam in artifice habuerit. Atq; eadem ratio est de causa efficiēte prima: quamdiu enim non agnoscimus virtutē Dei in se, nō possumus ex illa cognoscere, quales possint ab ea res fieri, sed potius ex rebus factis virtutem Dei inuestigamus, quamuis, cognita virtute Dei ex B quibusdam effectibus, possit per illam demonstrari, quid in aliis facere possit. Et similiter ex perfectione & efficientia eius possumus inuestigare finē & perfectionē operum eius, vt quod ad eū spectet omnia propter se condere, vel perfectum facere vniuersum. Ex quo possumus vlterius collgere, quas naturas rebus cognitis tribuerit, quem phylosophandi modum attigit Arist. lib. 12. Metaphysicæ in fine

Aristotel.

XXII. Demōstratio per deductionē ad impossibile Metaphysici muneris est.

Præter hos demonstrandi modos, qui parum sunt vsitati, est alius per deductionem ad impossibile, & hoc modo ostenduntur omnia principia per deductionem ad illud: *Impossibile est de eodem simul idem affirmare & negare*: Et quia hoc est generalissimū principium huius doctrinæ proprium, ideo huiusmodi demonstrādi genus ad hanc sapientiā spectat: de illo autem principio & vsu eius dicturi sumus plura inferius disp. 3. Denique ad augendam hanc certitudinem circa prima principia, plurimum conferre potest consideratio ipsius luminis intellectualis, quo ipsa principia, prima manifestantur, & reflexio circa illud, & reductio ad fontem vnde dimanat, scilicet, ipsum diuinum lumen Sic enim recte colligimus C prima principia, vera esse, quia ipso naturali lumine immediate, & per se vera ostenduntur, quia in huiusmodi modo assentiēdi non potest hoc lumen decipi, aut ad falsum inclinare, quia est participatio diuini luminis in suo genere & ordine perfecta. Vnde est illud Psalm. 4. *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vnde Aristoteles in principio scientiæ de anima, illam scientiam iudicauit esse valde certa, quia lumen ipsum intellectuale cōtemplat, in quo hæc sapientia illā scientiā superat: nam altiori modo considerat vim, & perfectionem huius luminis secundum se, quatenus secundum esse abstrahit à materia, & quatenus certitudinem & infallibilitatem diuini luminis participat.

Psalm. 4.

Deductio ad impossibile quomodo sit demōstratio àpriori quomodo à posteriori.

Dices huiusmodi ostensionem primorum principiorum non esse à priori, sed à posteriori tantū: non .n. hæc principia vera sunt, quia per infallibile lumen cognoscūtur, sed potius, quia vera & immediata, ideo per tale lumen manifestantur. Respondeo, cōcedendo hanc probationē non esse à priori, si veritas principiorum in esse rei (vt ita dicam) consideretur, potest tamen aliquo modo dici à priori in ratione cognoscibilis, seu euidentis & certi: recte enim & à priori ostenditur, aliquam propositionem esse certam, quia à Deo reuelatur, vel esse euidētem, quia demonstratione probatur: Sic ergo ostendi potest hæc principia esse euidentissima, quia ipso lumine naturali immediate manifestantur: Atque hæc probatio & reflexio maxime confert ad confirmandum intellectum, eiusque certitudinem augendam, saltem ex parte Subiecti, in assensu principiorum.

Ex his ergo satis declaratum est, quomodo prima XXIII. principia contineantur sub Obiecto seu materia circa quam hæc scientia versatur, quodque munus circa illa exerceat. Atque obiter colligi etiam potest, Illatio. hoc quidem esse verum de primis & vniuersalissimis principiis, non de illis solis, vt Soncinas & Iauellus, Soncinas. Iauellus. & nonnulli alij voluerunt: quia licet circa priora principia, per se loquendo, immediatius versetur hæc doctrina, & pluribus modis illa demonstret, vt ex dictis patet, tamen etiam ad alia se extendit, quia nonnulli ex prædictis modis generales & communes omnibus sunt. Et ideo Aristoteles absolute de Aristoteles. omnibus locutus est, dicens Metaphysicam demonstrare principia omnium scientiarum, vt patet ex Procemio, cap. 1. & 2. & ex lib. 4. Metaph. tex. 7. & ex 1. Posterior. cap. 7. & ex 1. Topic. cap. 2. & 1. Physicor. cap. 2. vbi ait, si quis neget prima principia Geometriæ, non pertinere ad Geometriam illa probare, sed ad primum Philosophum. Estque aperta sententia Diui Thomæ, 1. 2. quæst. 57. art. 2. præsertim ad 1. & secundum. Et ratione facile ex dictis ostendi, nam modi ostendendi prima principia, etiam in particularibus & propriis principiis aliarum scientiarum locum habent. Imo addit Diuus Thomas, cita- D. Thomas. to loco ad hanc scientiam non solum pertinere cōfirmare intellectum in assensu principiorum, sed etiam conclusionum, quod intelligi potest remote & mediate, quia confirmando principia, virtute etiam confirmat conclusiones: vel materialiter tantum (vt sic dicam) quia interdum per altiores causas potest sapientia ostendere conclusiones, quæ per alia media inferiora in aliis scientiis demonstrantur.

Non esse munus Metaphysicæ tradere instrumenta sciendi.

SVnt qui existiment munus hoc etiam ad Meta- XXIV. physicā pertinere. Nam licet Dialecticus definire Aliquorum sententia. docet diuidere, &c. non tū potest ex propriis principiis huiusmodi instrumēta declarare, eorumq; rationem reddere, sed solum quoad quæst. an sint, huiusmodi instrumenta tradere & exponere: ad Metaphysicum autem spectare de illis differere, eorum primas radices & causas declarando. Quod de singulis ita exponi potest; nam definitio declarat essentiam rei, sed rationem essentiæ declarare ad Metaphysicam pertinet: Ergo & perfectam rationem definitionis tradere, munus est Metaphysicæ. Rursus diuisio declarat rerum distinctionem: sed de rerum distinctionibus agere munus est Metaphysicæ: ergo & rationem diuisionis explicare ad eam pertinet. Ad hæc, omnis vis argumentationis, si formam eius spectemus, consistit in altero ex his principiis; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: Non potest idem simul de eodem affirmari, & negari:* Sed hæc principia sunt propria Metaphysicæ scientię, ad quam pertinet tractare de eodem, & diuerso, & de ente, & non ente, quæ per affirmationem & negationē explicantur: ergo ex hoc etiam capite pertinet ad Metaphysicum, instrumentū sciendi tradere. Tandem sciētia est spiritualis qualitas: ergo vt sic comprehenditur sub

sub Metaphysicæ obiecto: ergo eadem ratione pertinet ad Metaphysicam tradere rationem acquirendi scientiam, & declarare quibus modis aut instrumentis acquiratur: nam agere de fine & mediis, eiusdem est doctrinæ; omnia autem hæc ad scientiam tanquam ad finem ordinantur.

XXV. Reprobatur.

Sed hæc sententia, nisi amplius declaretur, confundit Metaphysicam cum Dialectica, nam Dialecticæ proprium munus est, sciendi modum tradere, quod non aliter facit, nisi docendo instrumenta sciendi, & eorum vim & proprietates demonstrando. Quocirca, vt, quid veritas rei habeat, exponamus, & vnicuique scientiæ suum proprium munus tribuamus, aduertendum est, hęc instrumenta sciendi propriè & formaliter inueniri in cogitationibus mentis, seu internis actibus intellectus, fundari vero in rebus, vocibus autem explicari. Scientia enim in actu quodam intellectus consistit, vel in habitu, iuxta diuersas acceptiones scientiæ, actualis scilicet & habitualis: & ideo necesse est vt propria sciendi instrumenta in ipso intellectu, & in actibus ipsius posita sint: nam, quia homo per discursum scientiam B acquirit, & ad discursum perficiendum aliis prioribus operationibus, seu conceptionibus rerum indiget, ideo huiusmodi conceptiones mentis ita dispositæ & ordinatæ, vt ad scientiam acquirendam per se ac directe conferant, dicuntur instrumenta sciendi: sunt ergo huiusmodi instrumenta formaliter in operationibus mentis. Quia ergo mentis operationes vt rectæ sint & veræ, esse debent rebus ipsis proportionatæ, & commensuratæ, ideo necesse est vt huiusmodi instrumenta aliquo modo in rebus ipsis fundentur: explicantur autem vocibus, quæ à natura datæ sunt ad exprimenda animi sensa, iuxta illud Aristotelis 1. Peri herm. *Sunt autem ea quæ in voce, earum, quæ sunt in anima, passionum notæ.* & illud Cic. 1. de Orat. *Hoc vno præstamus feris, quod loquimur inter nos, & quod exprimere dicendo sensa possumus.*

XXVI. Vera in hoc sententia.

Sic ergo dicēdum est non pertinere ad Metaphysicum directe tradere instrumenta sciēdi, & modum ac dispositionem eorum docere, quam in conceptibus mentis habere debent, vt apta sint ad scientiam generandam. Probatur argumento supra insinuato, quia hoc spectat ad munus Dialecticæ: qua ratione C dixit Aristoteles 2. lib. Metaphys. cap. 3. *Absurdum esse scientiam simul & modum scientiæ quærere.* Quibus verbis docere voluit (vt omnes expositores tradunt) Dialecticam ante alias scientias præsertim ante Metaphysicam, esse acquirēdam, eò quod ad illam spectat modum sciendi tradere: quod nihil aliud est, quam instrumenta sciendi docere, modumq; aperire tractandi & probandi res scientiæ accommodatum. Neque est verum Dialecticam solum perfunctorie, & quoad an est (vt vocant) hęc explicare, tum quia experimento constat non solum tradere Dialecticam leges recte definiendi, argumentandi aut demōstrandi, sed etiam rationes harum rerum: nam etiam à priori demonstrat, cur recta definitio & argumentatio tales conditiones & proprietates requirant, & similia: tum etiam quia alias non satis esset Dialectica ad scientiam acquirendam, sed oporteret etiam Metaphysicam præmittere, quod est plane falsum, & contra omnium sensum & vsum. Sequela patet, quia nunquam acquiritur vera scientia, nisi quis sciat se scire: nam scientia esse debet perfectum intellectuale lumen, quod se ipsum manifestat, alioqui non erit omnino euidens: non potest autem scire, quod sua cognitio est vera scientia, nisi sciat suam

Dialecticæ est, an, & quid sint sciendi instrumenta, tractare.

A ratiocinationem esse veram demōstrationem, quod scire non potest, nisi sciat quid sit vera demonstratio, & cur talibus principiis, talique forma ratiocinandi constare debeat. Si ergo Dialectica horum omnium rationem non redderet, sed potius fidem quandam illorum postularet, non posset ad veram scientiam acquirendam deseruire, aut esse sufficiens. Et confirmatur, quia demonstratio non est aptum instrumentum sciendi, nisi cognita vt demōstratio, id est, vt ratiocinatio necessario concludens ex principiis certis & euidentibus. Nam si quis conficiat rationem quæ in se sit demonstratio, ab ipso autem non cognoscatur, sed existimetur ratio probabilis, vel procedens solum ex certis, non vero euidentibus, in illo non generabit veram scientiam, quia talis demōstratio sic proposita, vel est ineptum instrumentum, vel non satis applicatum ad talem effectum. Vnde Dialectica ita tradit modum sciendi vt scientifice illum doceat: propter quod, qui recte de illa sentiunt, non tantum sciendi modum, sed etiam veram scientiam illam esse existimant: hoc igitur munus ad Dialecticam pprie & per se spectat, & non ad Metaphysicam.

Atque hinc etiam fit ciusdem Dialecticæ, & non XXVII. Metaphysicæ esse huiusmodi instrumenta tradere Consectarii. seu dirigere, prout vocibus exprimi, aut confici possunt (sub vocibus autem scripta complectimur, quia quoad hoc solum materialiter differunt) imo nec Dialectica ipsa directe & ex instituto circa hæc versatur vt circa proprium obiectum & materiā suam, sed ex consequenti, & quasi ex quadam concomitantia hoc præstat. Cum enim voces à conceptibus oriantur, dum Dialectica conceptus dirigit & ordinat, consequenter docet quibus verbis, seu qua verborum forma exprimendi sint, vt vim habeant suadendi ac demōstrandi, quod totum & per se clarum est, & ex ipso Dialecticæ vsu perspicuum.

Addendum vero est, quatenus hæc instrumenta XXVIII. sciendi in rebus ipsis fundantur, eorum scientiam & Metaphysica plurimum illustrat sciēdi instrumēta. cognitionem plurimum perfici per scientiam Metaphysicæ, ita vt quod circa omnes scientias & principia earum Metaphysicam præstare diximus, peculiari quadam ratione circa Dialecticam eiusque munera locum habeat. Hoc probat ratio dubitandi in principio posita, & declaratur in hūc modum. Nam peculiariter pertinet ad Metaphysicam cognitio essentiæ, & quidditatis vt sic: definitio autem, cuius rationem ac formam Dialectica tradit, si sit perfecta, explicat rei essentiam & quidditatem, & ideo dum Metaphysica tradit quid sit vniuscuiusque rei essentia & quidditas, plurimū confert ad perfectum definiendi modum. Præsertim quia non solum tradit Metaphysica rationem essentiæ in communi, sed etiam intra suam abstractionem varios essentiarum gradus ac modos declarat: ex quibus maxime pendet cognoscere, quibus partibus definitiones rerum constare debeant, aut quem modum definiēdi in distinctis rebus (verbi gratia, in substantia, vel accidēti, & in re simplici, aut composita) tenere oporteat. Sic igitur Metaphysica plurimum perficit definiendi artem, quamuis directe & ex instituto illam non tradat. Simili modo cōtingit circa aliud instrumentum sciendi, quod est diuisio, cuius leges & cōditiones tradit Dialectica: illæ vero omnes fundantur in rerum distinctione seu oppositione: agere vero de variis distinctionibus rerum ad Metaphysicam pertinet: nam idem & diuersum ad proprietates entis reducuntur, sicut vnum & multa: & idcò, dum

C Metaphy-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Metaphysica distinctiones varias rerum exactè declarat, artem etiam diuidendi illustrat. De argumentatione autem seu demonstratione non videtur similis ratio, quia non fundatur proximè in essentia, vel aliqua proprietate entis, sicut definitio, & diuisio: nihilominus alia via, etiam in hoc munere, Metaphysica Dialecticam iuuat, tam ex parte materiæ, quã ex parte formæ. Ex parte quidem materiæ, quia dum Metaphysica fere omnium entium rationes distinguit ac separat, & generatim declarat quid sit res in essentia, quid etiam proprietates: quid res quid verò modus: materiam subministrat demonstrandi, & argumentandi, seu potiùs exactè declarat qualia esse debeant tam extrema, quam media demõstrationis. Ex parte verò formæ, quia hæc doctrina exactè declarat & ostendit omnia principia, in quibus omnis recta forma argumentandi nititur, vt sunt illa, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Nõ potest idem de eodem simul affirmari & negari*, & similia.

XXIX. Rationes pro opposita sententia solluntur.

Ad rationes dubitandi in principio positas facilis est responsio ex dictis. Ad primam de definitione respondetur Metaphysicum quidem declarare in communi, quid sit essentia, & qualis etiam sit, simplexne, an composita, intra sui obiecti latitudinem, suamq; abstractionem: Dialecticum autem tractare de modo quo à nobis concipienda est & declaranda distincte per definitionem, rei essentia & natura, seu ex quibus conceptibus aut vocibus componenda sit definitio, quasue proprietates habere debeat vt apta sit: hæc autem munera distincta sunt, quamuis se se mutuò iuuent: nam Dialectica iuuat Metaphysicam, sicut modus sciendi scientiam: Metaphysica autem iuuat Dialecticam tãquam generalis scientia, quæ proximè & exactè de rebus disserit, quas Dialectica, vel supponit, vel solùm remote attingit. Atque eadem ferè responsio applicanda est ad alteram partem ex diuisione, nam Metaphysica tractat de distinctionibus rerum, prout in rebus ipsis sunt: Dialectica verò de modo concipiendi & explicandi partitiones rerum. Similiter ad tertium membrum de argumentatione dicendum est, quod licèt Metaphysica aliquo modo demonstret illa principia, eaque reducat ad illud vniuersalissimum, *Quodlibet est vel non est*, seu *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, tamen etiam Dialectica supponit simile principium vt per se notum, id est, non posse idem de eodem affirmari & negari: ad quod ferè omnem vim & formam rectæ argumentationis reducit, vt illius proprietates, & conditiones demonstret.

XXX. Scientiæ tractatio ad quã scientiã pertineat.

Ad vltimum membrum de scientia respondetur, considerationem scientiæ, prout est quædam spiritualis qualitas mentis, & habitus, vel operatio eius talis conditionis & naturæ, multiplicem esse posse. Vna est merè speculatiua, qua contemplamur quid sit talis res, & quas proprietates habeat: & hæc consideratio, vel pertinet ad eam partem Philosophiæ naturalis, quæ de anima rationali tractat, si de humana tantùm scientia: quæ non est sine phantasia, sit sermo: vel, si abstractè & absolutè loquamur de scientia, pertinebit ad Metaphysicam, nam est res vel proprietas abstrahens à materia secundum esse. Alia consideratio scientiæ est quasi practica, & artificiosa, quæ non est de habitibus, sed de actibus scientiæ: nam ars circa operationes versatur: & solùm habet locum hæc consideratio in humana scientia, quæ per compositionẽ & discursum perficitur: ars enim non versatur circa simplicia, sed circa composita: nam scopus artis est dirigere compositionem aliquam, vel concentum: vnde forma artificio'a ex debita proportione & cõpositione partium seu rerum simplicium consurgit: hæc ergo scientiæ directio & consideratio ad Dialecticam spectat, quæ est ars sciendi, non ad Metaphysicam. Vt autem Dialectica hoc munus exercere possit, non oportet quòd exactè speculetur totam naturam & essentiam illius qualitatis quæ est scientia, sed satis est, quod supponat esse operationem mentis, & aliquas eius proprietates tradat, quas ad veritatem exacte & sine errore manifestandam requirit, vt quod sit euidens, certa, & similes. Atque hæc cognitio scientiæ traditur à Dialectico, vt constat ex libris Posteriorum, eaque sufficit Dialectico, vt ad eam tanquam ad finem suam artem & sciendi methodum dirigat. Alia denique consideratio scientiæ potest dici moralis, quatenus vsus, vel exercitium scientiæ potest esse laude, vel reprehensione dignum: quod munus ad moralem Philosophiam, vel prudentiam spectat.

SECTIO V.

Vtrùm Metaphysica sit perfectissima scientia speculatiua, veraq; sapientia.

I. EXplicando causam finalem & vtilitatem huius scientię, simul effectum eius declarauimus: nam tota eius vtilitas in operatione & effectu eius posita est: reliquum ergo est vt de illius attributis pauca dicamus, quæ ex materia subiecta, & ex fine illius facilè colligi poterunt.

II. Prima conclusio.

Dico primò Metaphys. scientiam esse speculatiuam omnium perfectissimã. Ita docet Arist. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 1. & lib. 3. c. 2. & omnes interpretes. Est q; satis probata hæc assertio ex dictis. Nam sect. præced. ostendimus sinẽ huius scientiæ esse veritatis cognitionẽ, & ex se in ea sistere: scientia autem ex hoc fine vocatur speculatiua, vt Arist. lib. 6. docet, & inferiùs suo loco tractabitur. In Sect. autẽ prima ostẽsum est obiectum huius scientię esse nobilissimum, tã in esse obiecti, propter summã abstractionem, quã in esse rei, propter nobilissima entia, quæ cõprehẽdit. Omnis autẽ scientia habet nobilitatẽ suã ex obiecto suo: est ergo hæc sciẽtia speculatiua, omniũ præstantissima.

III. Quæstiuncula.

Interrogabit autem fortasse aliquis an hæc scientia purè speculatiua sit, vel etiam practica: vt enim nunc suppono, non repugnat eandem scientiam vel cognitionem simul eminenti ratione speculatiuam esse & practicam: id enim Theologi attribuunt sciẽtiæ diuinæ, non tantum vt in ipso Deo est, sed etiam vt participatur à nobis, vel per visionem claram, vel per obscuram Theologiam & fidem: ergo etiam in scientiis acquisitis & naturalibus esse poterit aliqua, quæ hanc eminentiam participet, simulque sit speculatiua & practica. Quod si alicui, maximè huic doctrinæ conuenire debet. Primò, quia est suprema omnium scientiarum, omnibusque imperat, prout in proœmio Aristoteles dixit. Deinde quod naturalem Dei cognitionem, quantum naturæ lumine fieri potest, perficiat: ex Dei autem cognitione pendet iudicium rectum de agendis: ergo hoc etiam iudicium per hanc scientiam dirigitur atque adeò ex ea parte practica est. Et declaratur in hunc modum, nam hæc scientia demonstrat attributa diuina quæ naturæ lumine demonstrari possunt, inter quæ sunt esse summè bonum, esse vltimum finem omnium, esse primam veritatem: ergo hæc omnia demonstrat hæc scientia: ergo etiam demõstrabit Deum esse super omnia diligendũ, quia hoc debetur ei quatenus

quatenus summe bonus, & vltimus finis est. Rursus demõstrat hæc scientia Deum habere omnium prouidentiã: esseque sapientissimum & iustissimum: ergo consequenter etiam docebit eum esse timẽdum, & illi esse fidendum, & similia: quæ omnia ad mores & praxim spectant. Denique non alia ratione Theologia infusa merito existimatur eminẽter practica, & speculatiua, nisi quia sub altiori lumine considerat in Deo illam rationem finis vltimi, consequendi per media moralia & practica: ergo idem erit de naturali Metaphys. vt sub inferiori lumine procedit, seruata proportione.

IIII. Responsio.

Nihilominùs dicendum est, doctrinam hanc nihil habere practicæ scientiæ, sed tantum esse contemplatricem. Ita sumitur ex Aristotele, & aliis expositoribus, nam licet expresse non attingant hanc quæstionem, tamen dum simpliciter docent, hanc sciẽtiam esse speculatiuam, & aut tacent de practica, aut certe id negant, plane sentiunt esse pure speculatiuam. Accedit quod Aristoteles in libris Ethicorũ ex professo disputauit de beatitudine hominis tanquam de prima regula moralium actionum: Beatitudo autem hominis consistit in Deo vt est finis vltimus omniũ, & singulari modo creaturę rationalis, illa ergo consideratio non spectat ad Metaphysicam: ergo nulla alia consideratio supereſt, sub qua possit hęc doctrina esse practica. Quia si est practica, maximè moralis: nam per se notum est non esse factiuam seu directiuam operationum artis, imo nec actionum intellectualium, vt præcedente sectione dictum est; moralis autem non est, quia consideratio vltimi finis in ordine ad mores non est munus eius, sed moralis Philosophiæ, vt dictum est.

Aristoteles.

V. Cur Theologia speculatiua & practica, Metaphysica tantum speculatiua.

Ratio autem à priori reddi potest ex differentia inter supernaturalem Theologiam, & hanc naturalem: quæ ex differentia luminis sub quo vtraq; procedit, sumenda est. Illa enim procedit sub lumine diuinæ reuelationis fidei, quatenus mediatè ac per discursum applicatur ad conclusiones in principiis fidei contentas: fides autem non solum reuelat Deum vt finem vltimum omnium, sed etiam specialiter docet in eo consistere hominis Beatitudinem: ac proinde non solum reuelat fides veritates speculatiuas circa Deum, sed etiam practicas: imò etiam fere omnia prima principia morum reuelat: & eadem certitudine, atque ex se eodem modo circa hæc omnia versatur: ex quibus discurrit Theologia, considerans non tantùm speculatiue in Deo rationem vltimi finis, sed etiam moraliter in ordine ad media quibus est consequendus. At vero Metaphysica procedit tantùm sub naturali lumine, quod non eodem modo, nec eadem certitudine omnia obiecta sua complectitur: & ideo Metaphysica non est habitus illi adæquatus, sed sub speciali quadam ratione, & abstractione perficit naturale lumen circa ea obiecta quæ abstrahunt à materia secundum esse, vt diximus. Et ideo de Deo solum speculatiuè considerat rationem vltimi finis & supremi boni, scilicet quatenus in se talis est, taliſque cognosci potest lumine naturæ, potiùs quantum ad *an est*, quàm quantum ad *quid est*. Non verò considerat practicè, quomodo hic finis sit ab homine consequendus, imò nec in particulari attingit vel inquirit modum quo Deus est finis vltimus hominis, vel quo homo ipse potest attingere Deũ, prout est suus finis vltimus: quia hoc iam est infra Metaphysicam abstractionem & contemplationem, & ad Philosophiam spectat, imo supponit considerationem physicam hominis, seu naturalem philosophiam, quę mere speculatiua est: & spectat ad philosophiam moralem, quæ quodammodo, & (vt ita dicam) inchoatiuè, practica scientia est: de quarum scientiarum distinctione non est hic dicendi locus. Fateor tamen, quod si de angelis prout in se sunt, haberi posset naturalis scientia Metaphysicæ, ad illam pertineret non solùm naturam eorum contemplari, sed etiã quomodo essent capaces vltimi finis sui, & in quo eorum beatitudo consisteret, quibusque mediis ad illã possent peruenire: quæ scientia ex parte moralis esset, simulq; praxim aliquam cum speculatione coniungeret: esset q; tota Metaphysica, quia tota abstraheret à materia secundum esse. Veruntamen huiusmodi scientia, angelica potius esset, quàm humana: nos enim de angelorũ Beatitudine vix aliquid possumus nisi per analogiam ad nostram inuestigare; & ideo Metaphysica prout in nobis est, merè est speculatiua omni ex parte, & ad moralia seu practica non descendit.

VI. 2. Cõclusio.

Dico 2. Metaphys. non solum sciẽtia est, sed etiam naturalis sapientia. Hanc assertionem ponit, & ex professo probat Arist. lib. 1. c. 1. & 2. & lib. 3. cap. 2. Qui primum supponit esse in nobis aliquam virtutẽ intellectualem quæ sit sapiẽtia: quod etiam docuit idẽ Arist. 6. Eth. c. 2. & sequent. Est q; communis omniũ sapientium cõsensus: nam si nullus habitus hominis esset sapientia, nullus hominum sapiens dici posset, nã sapiens à sapientia est & dicitur, non. n. est homo sapiens à natura, nec ex sola potentia seu facultate, vt est per se notum, alias omnes homines essent sapientes: sed sapiẽs fit homo aliquo vsu, & habitu aut virtute: est ergo sapiẽtia habitus. Rursus ex ipsa voce & omnium sensu constat significare habitũ ad intellectum pertinentem, non quemcunq;, sed perfectum, quiq; virtus intellectualis sit, & valde pfecta. Quod optimo discursu probat Aristoteles in proœmio cap. 1. distinguens experientiam ab arte, & artem à scientia, quæ propter se quæritur, & in causarum ac principiorum cognitione versatur: & concludens sapientiam esse debere aliquam huiusmodi scientiam.

Aristoteles.

VII. Multiplex sapientiæ acceptio.

Est autem hoc loco aduertendum, si attendamus vulgarem sermonem, interdum videri hoc sapiẽtiæ nomine significari, non vnum determinatum habitum intellectus, sed rectitudinem quandam intellectualem ad bene iudicandum de rebus omnibus, consurgentem ex perfecta consecutione scientiarũ omnium, ad eum modum quo iustitia in vna acceptione non significat vnum singularem habitum, sed concentum & rectitudinem omnium virtutum voluntatis. Atq; ad hanc sapientiæ acceptionem videtur optime accommodari descriptiones illę Ciceronis, *Sapientia est rerum diuinarum atque humanarum, causarumque quibus hæ res continentur, scientia.* Atque eodem sensu videntur de sapientia locuti antiqui Philosophi, qui de ratione sapientiæ aiebant esse, vt omnium rerum sit cognitio, etiam vsque ad infimas species, & omnes proprietates earum: hoc enim non fit vna scientia, sed omnium collectione. Imò, si de homine sit sermo, neque per omnes scientias simul sumptas tam exactam rerum omniũ cognitionẽ assequitur: & ideo ipsi aiebant non esse in homine veram sapientiam, sed fucatam: nos autem verius dicimus esse in homine veram sapiẽtiam, etiã naturalẽ, sed humanã, ac proinde valde limitatam. Alio verò modo, magisque apud sapientes vsitato, sumitur sapientia pro aliquo peculiari habitu, idq; dupli-

4. Tusc. & 2. Officior.

Universidad de Deusto
Biblioteca

citer: est enim quædam quę dicitur sapientia simpliciter: alia; quæ tantùm secundum quid: illa est quodammodo vniuersalis, non prædicatione, aut omnium collectione, sed eminentia & virtute, vt statim declarabimus: hæc est particularis, non tantùm habitu, sed etiam materia, & virtute. De hac posteriori sapientia est longus sermo Socratis apud Platonẽ, dialog. 3. seu de sapientia, vbi distinguit sapiẽtiam artificum, & gubernatorum, & similes. Et hoc eodem modo videtur dixisse Paulus 1. Corinth. 3. *Vt sapiens architectus, fundamentum posui.* Dicitur enim sapiens in aliquo genere, vel materia, qui scientiam, vel artem quæ circa eam versatur, perfectè nouit, & per supremas causas illius generis, vt notauit D. Tho. 2. 2. q. 45. art. 1. Alio denique modo (vt ibidem ait D. Thom.) quædam particularis scientia, seu intellectualis virtus dicitur sapientia simpliciter, & hoc modo vsus est Aristoteles hac voce, lib. 6. Ethic. loco citato, & in præsenti: & hoc sensu tribuit Metaphysicæ hanc dignitatem sapientiæ.

Tlete. D. Thomas. Aristoteles.

VIII. Aliquot sapientiæ proprietates.

Secundò ad hoc probandum subiicit Aristoteles cap. 2. conditiones sapientiæ, quarum aliquæ communes illi sunt cum aliis scientiis speculatiuis: aliæ vero sunt illi propriæ: & illæ quæ communes esse videntur, ita accipiendæ sunt vt secundum quandam eminentiam, & singularem perfectionem, sapientiæ conueniant. Prima ergo conditio est, sapientiam versari circa omnia, essęque omnium scientiam, vt possibile est. Hæc conditio satis est à nobis expolita in sect. 2. ratio verò eius constabit ex dicendis.

Prima.

IX. Secunda.

Secunda conditio sapientiæ ab Aristotele posita est, vt in rebus difficilioribus & à sensibus remotioribus versetur: nam ea cognoscere quæ omnib. sunt obuia, quæue sensibus percipiantur, non ad sapientes, sed ad quoscunque vulgares homines spectat. Hæc autem conditio intelligenda videtur de cognitione rerum difficiliorum, quanta homini possibilis est: non enim spectat ad hominis sapientiam altiora se quærere, & quæ lumine naturali cognosci non possint, quales sunt futurorum contingentium euẽtus, & similia, quæ per humanam scientiam velle cognoscere, non sapientia est, sed temeritas. Sapientia igitur humana in rebus altioribus ac difficilioribus iuxta ingenii humani capacitatem versatur.

X. Tertia.

Tertia conditio est vt sit certissima cognitio: sub qua conditione etiam euidentia, & claritas comprehenditur: quia naturalis certitudo, de qua sermo est, ex euidentia nascitur, eiq; commensuratur. Ratio autem perspicua huius conditionis est, quia sapiẽtia significat perfectam scientiam, & eximiam cognitionem: maxima autem perfectio cognitionis humanæ in certitudine, & euidentia posita est.

XI. Quarta.

Quarta conditio est vt sit aptior ad docendum, causasq; rerum tradendas. Hoc ipsum significauerat Aristoteles c. 1. dicens, signũ sapientis esse posse docere, & ad sapientẽ pertinere causas rerũ cognoscere, ac tradere. Item in vnaquaq; arte vel scientia illum sapientiorẽ existimamus, qui rerum causas intimiùs & vniuersaliùs comprehendit. Deniq; humana cognitio tunc perfectior est, cum causam assequitur, alioqui semper est imperfecta: cuius signum est, quia inquirentis animus non quiescit, donec causam inueniat. Igitur sapientia simpliciter illa erit, quæ rerũ causas altiores & vniuersaliores assequitur; vnde etiam fiet vt aptior sit ad docendum.

XII. Quinta.

Quinta est, talem sapiẽtiam maxime dignam esse quæ propter se, sciendiq; causa appetatur: hoc enim ad dignitatem pertinet, vt per se constat: cùm ergo sapientia dignitatem quandam, & excellentiam inter sciẽtias obtineat, non est dubium, quin in eo genere scientiarum collocanda sit quæ propter ipsum scire quæruntur: & quòd in eo habeat supremum quendam & excellentem gradum, atque adeo quod propter se sit maximè expetibilis.

XIII. Sexta.

Sexta proprietas sapientiæ est præesse aliis, potius quàm eis ministrare: quod etiam est consonum dignitati eius: quo autem sensu accipiendum sit, statim declarabo. Solum circa has proprietates aduerto Aristotelem in eis assignandis ferè non loqui de sapiẽtia, sed de sapiente: subintelligit tamen eam scientiã esse sapientiam, ratione cuius sapienti hæ conditiones conueniunt. Quod si quis dicat non conuenire has proprietates sapienti, ratione vnius scientiæ, sed ratione omnium, vel plurium simul: respondẽdum est id nunc supereſſe ostendendum, probando has cõditiones reperiri in scientia Metaphysicæ, simulq; ostendetur esse vnam quandã scientiam quæ omnibus illis attributis aliis præemineat, ideoq; sit sapiẽtia, illamq; esse Metaphysicam.

XIIII. Dictæ proprietates sapientiæ in Metaphysica reperiri demonstratur.

Tertio igitur loco probat Arist. dicto cap. 2. has omnes conditiones in Metaphys. reperiri. Primam quidem, quia ille quodammodo nouit subiecta omnia qui præditus est sciẽtia vniuersali: sed Metaph. est vniuersalissima scientia: ergo est scientia rerum omnium eo modo quem sapientia requirit, scilicet quantum possibile est. De hac conditione satis dictũ est suprà, sect. 2. & ex ibi dictis colligere licet, duobus vel trib. modis agere Metaphysicam de omnibus rebus. Primo confuse & in communi, quatenus agit de rationibus entis communibus omnibus rebus, aut omnibus substantiis, vel accidentibus, & consequenter de primis & vniuersalissimis principiis, in quibus omnia principia reliquarum scientiarum aliquo modo fundantur. Secundo in particulari de rebus omnibus vsque ad proprias differentias, & species; quod aliqualiter verum est, non tamen æquè, nec eodem modo in omnibus: nam in rebus vel rationibus rerum, quæ abstrahunt à materia secundum esse, id est simpliciter verum ex parte ipsarum rerum: limitatur tamen ex imperfectione intellectus nostri. Itaq; Metaphysica humana (de qua tractamus) de his demonstrat & disserit, quantum humanum ingenium naturali lumine potest. In rebus autem quæ sensibilem, aut intelligibilem materiam seu quantitatem concernunt, non est id simpliciter verum, etiam ex parte ipsius scientiæ, sed quatenus in eis reperiuntur transcendentalia prædicata, vel eis aliquo modo applicantur metaphysicæ rationes & media abstrahentia à materia, vt per ea aliquid de eis demonstretur. Tertiò addere possumus hanc scientiam agere de omnibus nõ in se, sed in causis suis, quia disputat de vniuersalissimis causis rerum omnium, & præsertim de Deo.

XV.

Posset ergo inquiri, quinam ex his modis ad rationem sapientiæ sufficiat, & consequenter qua ex parte Metaphysica, sapientia sit, vel an solum sit sapientia, prout omnes hos modos comprehendit. Ad quod breuiter dicendum videtur Metaphysicam requirere totam illam amplitudinem & cognitionem, vt sit absolutè & simpliciter sapientia. Etenim si quis ex Metaphysica sciat communem rationem entis in quantum ens, & eius attributa ac principia, habet quidem inchoatam sapientiam, quandoquidem principia tenet vniuersalia, quibus potest alia principia confirmare & diiudicare. Item, quia habet quandam scientiam, vel scientiæ partem per se

per se se valde appetibilem, & scitu dignissimã, & ad alias omnes scientias vtilissimam; & quodammodo necessariam: esset ergo illa, aliqualis sapientia. Non tamen posset dici sapientia simpliciter: quæ enim est simpliciter sapientia sine Dei cognitione? Item, quia ens in quantum ens, in eo præcisè sistendo, licet in ratione obiecti scibilis sit satis perfectum propter eius abstractionem, subtilitatem, & transcendentiam, tamen in esse rei habet minimam perfectionem, nam maior est in determinatis entibus: ad rationem autem sapientiæ non satis est obiectum scibile sine dignitate rerum quæ sciuntur. Tamen si in nomine vim faciamus, certè Metaphysica, si in ea entis abstractissima ratione sistat, non erit satis sapida scientia, vt sapientia simpliciter possit appellari. E contrario verò si fingeretur Metaphysica quæ de Deo, & non de ente tractaret, illa quidem plus aliquid haberet de ratione sapientiæ, tum propter nobilitatem obiecti, quod reipsa non minus abstractum est quàm ens, licet non prædicatione aut vniuersalitate, tum ob iucunditatẽ, quam maximè habet adiunctam talis contemplatio, tum denique, ob virtualem continentiam & causalitatem, ex qua fit vt talis Dei cognitio facile pariat aliarum rerum cognitionem. Veruntamen huiusmodi cognitio Dei exacta ac demonstratiua non potest per naturalem Theologiam obtineri, non cognitis prius communibus rationibus entis, substantiæ, causæ, & similibus, quia nos non cognoscimus Deum, nisi ex effectibus, & sub communibus rationibus, adiunctis negationib. quibus imperfectiones excludimus. Et ideo fieri non potest vt Metaphysica sit sapientia sub postrema ratione, nisi etiam primam includat. Si autem fingatur Metaphysica quæ ex primo & secundo modo cognoscendi omnia habeat, quæcunque necessaria sunt ad cognoscendum Deum, eumque primariò attingat & contempletur, illa quidem dici posset sapientia absolutè, etiam si de aliis rebus parum aut nihil in specie cognosceret: esset tamen valde imperfecta, & mutila sapientia, quam necesse esset multa etiam de Deo ignorare, aut imperfectè attingere: quia cùm Deus ex effectibus cognoscatur, ignoratis præcipuis effectibus, necessarium esset etiam ipsius Dei cognitionem esse diminutam. Et propter hanc causam merito Aristoteles, non partem Metaphysicæ, sed totam illam appellauit sapientiam simpliciter, quam dixit esse vnam tantùm 6. Ethic. cap. 7. & Diuus Thomas 1. 2. quæst. 57. articulo secundo.

XVI.

Secundam conditionem sapientiæ in Metaphysica reperiri probat Aristoteles, quia tractat de rebus maxime vniuersalibus, & à sensu remotissimis: hæc autem sunt nobis cognitu difficilima: nam cùm nostra cognitio à sensu oriatur, quod à sensu longissimè abest, difficile in nostram intelligentiam cadit. Hinc vero occasione sumpta solent, hoc disputare interpretes, an intellectus noster in hoc statu directè cognoscat singularia, vel vniuersalia tantum: & an inter ipsa vniuersalia facilius cognoscat ea quæ minus communia sunt, vt species vltima, & ideo verum sit quòd hoc loco ait Aristoteles, *Vniuersalissima esse cognitu difficilima.* Veruntamen prior ex his quæstionibus omnino aliena est à præsenti instituto: quid enim refert ad dignitatem Metaphysicæ scientiæ declarandam, aut ad prædictum Aristotelis textum intelligendum, quod singulare directè cognoscatur ab intellectu, nec ne? hæc ergo quæstio omnino est à nobis in proprium locum, hoc est, in scientiam de anima, remittenda. Speramus enim fore vt, adiuuante Deo, illius etiam scientiæ disputationes pro viribus elaboratas aliquando tradamus. Quòd si id assequi non potuerimus, sufficient quæ à grauissimis authoribus de prædicta quæstione hactenus tradita sunt: statui enim de nulla re extra proprium locum, aut omnino extra methodum disserere, etiam si omittenda prorsus talis disputatio sit: minoris enim incommodi esse censeo aliquid tacere, quàm importunè peregrinis quæstionibus aliunde vocatis, lucidam ac distinctam methodum obscurare & confundere.

XVII. Vniuersalia-ne an singularia facilius cognoscat noster intellectus.

Atque eadem ferè ratio est de posteriori quæstione, quam ideirco etiam omittam, attingendo tantum id quod necesse est vt sensus Aristotelis in citato loco intelligatur, ne sibi ipsi repugnare videatur. Etenim lib. 1. Physicorum statim in initio ait in scientia progrediendum esse ab vniuersalioribus ad particularia, quia incipiendum est à notioribus nobis, & vniuersaliora, notiora nobis sunt: hic verò ait hanc scientiam esse de rebus difficilimis, eò quòd sit de vniuersalissimis, quæ sunt hominibus cognitu difficilima. Quam apparentem contradictionem ità D. Thom. 1. Metaphys. cap. 2. lect. 2. conciliat vt intelligamus Aristotelem 1. Phys. locutum fuisse de simplici tantum apprehensione, & imperfecta cognitione rerum vniuersalium, hic verò de scientifica cognitione, & complexa, qua proprias rationes vniuersalium distincte cognoscimus, eorumque proprietates de illis demonstramus. Non enim semper ea quæ facilius in mentem veniunt per simplicem apprehensionem, facilius etiam intimè penetrantur & cognoscuntur: quid enim facilius apprehendimus quam tempus, motum, & similia? Quid verò difficilius inquiritur quoad exactam cognitionem, tam rationis formalis, seu entitatis, quã proprietatum talium rerum? Sic ergo vniuersaliora dicuntur notiora nobis quoad simplicem & imperfectam apprehensionem, quoad *an est.* (vt sic dicam) quis enim non facilius concipiat hanc esse arborem, quàm sit ne pyrus, aut ficus? Ad hos enim vniuersaliores conceptus confusos, & imperfectos paucioribus indigemus, & ideò faciliùs illos formamus. Dum tamen illorum exactam cognitionem inquirimus, difficilius eam assequimur, eò quod sint à sensibus remotiores, vt hic dixit Aristoteles.

D. Tho. qualiter concilient duo Aristotelis loca difficilia.

XVIII. Obiicitur contra præcedentem conciliationem.

Huic autem expositioni solũ obstare video, quòd Aristoteles 1. Physic. non videtur tantum loqui de rudi illa & imperfecta vniuersalium apprehensione, sed de scientifica cognitione: nã ex ea facilitate cognoscendi vniuersaliora colligit ordinẽ in sciẽtia seruandum: scientia autem non debet procedere à notiorib. quoad apprehensionẽ, sed quoad eam cognitionem quæ per scientiam haberi potest: nam si scientifica cognitio difficilior est, nihil ferè conferet quod simplex apprehensio facilior sit, vt iuxta conuenientem methodum ab huiusmodi rebus sit incipiendum. Adde ipsa experientia constare etiam in cognitione scientifica faciliùs cognosci rationes cõmunes, quàm proprias, vt ens mobile aut naturale, quàm cœlum, vel hominem: & rationẽ entis, quàm rationem substantiæ, vel accidentis. Et ratio etiam id suadet, nam in scientia per se & directè intenditur distincta cognitio tam essentiæ, quam proprietatum vniuscuiusque rei, vel rationis formalis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vniuersalia ipsa non tractantur aut sciuntur, per se loquendo, vt tota vniuersalia seu potentialia sunt, sub qua ratione ipsorum distincta cognitio pendet ex cognitione rerum inferiorum: hæc enim est veluti reflexiua cognitio & dialectica, quia illa proprietas seu ratio totius potentialis per intellectum potius conuenit, quàm re ipsa: sciuntur enim huiusmodi vniuersalia in scientiis propriis ac realibus secundum proprias actuales essentias, & proprietates illis consentaneas, & adæquatas: sic autem facilius sciuntur vniuersaliora, quia ab eis omnino pendet cognitio minùs vniuersalium: non verò è contrario, quia vniuersaliora sunt de ratione inferioris, & non è conuerso. Atque hæc obiectio non solum videtur concludere Aristotelem in 1. Physicor. de scientifica cognitione vniuersaliorum fuisse locutum, sed etiam falsum esse hæc vniuersaliora esse difficiliora cognitu.

XIX. Aliorum cõciliatio.

Quapropter nonnulli volunt Aristotelem hoc loco non de vniuersalibus rationibus, sed de vniuersalibus causis fuisse locutum, id est, non de vniuersalibus quæ in prædicando vocant, de quibus in primo Physicorum fuerat locutus, & de quibus procedit discursus factus, sed de vniuersalibus in causando, vt sunt Deus, & intelligentiæ. De quibus videtur etiam rectè intelligi ratio Aristotelis, scilicet quia vniuersalia sunt à sensibus remotissima: hoc enim est verum de his vniuersalibus in causando, de cæteris verò minime: nam cum hæc sint etiam in singularibus materialibus, non videntur à sensu remota: nam hoc ens, vel hæc substantia obiicitur sensui, sicut hoc animal vel hic homo, vnde vniuersaliora prædicata facilius obiiciũtur sensibus ratione suorum propriorum singulariũ, quàm minùs vniuersalia, & ideo facilius cadit in intellectum nostrum, saltem ex parte nostra animal, quam homo, & substãtia quàm animal, & sic de aliis: quia, regulariter loquendo, & iuxta ordinarium modum quo nobis applicãtur obiecta sensibilia, facilius imprimunt sensibus species seu phantasmata horum singularium.

XX. Refutatur.

Nihilominus hæc expositio reiicitur communiter ab interpretibus Aristotelis, licet enim fateantur dictum Philosophi esse verum etiam de vniuersalibus causis: docent tamen eum propriè locutum fuisse de vniuersalioribus prædicatis: tum quia hæc propriè & simpliciter dicuntur vniuersalia: tum etiam quia reuera etiam ex ea parte qua Metaphysica tractat de ente & substantia vt sic, est difficilior cæteris scientiis. Et in hæc etiam prædicata cadit ratio Aristotelis, quòd scilicet longiùs absunt à sensibus secundum suam abstractionem & præcisam rationem: hæ namque communes rationes non habent propria singularia, sed mediis rationibus minùs vniuersalibus ad singularia descendunt.

XXI. Explicatur & approbatur conciliãdi modus ex D. Thoma adductus.

Alias responsiones afferunt expositores tam in hunc Metaphysicæ locum, quàm in illum Physicor. & super 1. libr. Poster. cap. 2. & libr. 2. capit. 15. & 18. vbi etiam Aristoteles ait vniuersalia esse naturæ notiora, singularia nobis. Quibus omissis in priori responsione persistendum censeo, si paululum tamen explicetur. Dicendum ergo existimo Aristotelem in libr. 1. Physicorum locutum fuisse de ordine doctrinæ, in qua dicit esse incipiendum ab vniuersalioribus, quia nobis sunt notiora quoad simplicem & confusam cognitionem eorum, quatenus sunt quædam tota potentialia & vniuersalia. Nec refert quòd in scientiis non intendatur cognitio confusa, sed distincta, quia Aristoteles non dicit vniuersaliora esse notiora ea cognitione quæ per scientiã intẽditur, sed ea potius quæ imperfecta supponitur, vt per scientiam perficiatur. In hoc verò loco Metaphysicæ non agit Aristoteles de ordine doctrinæ à nobis obseruando, sed de perfecta scientia ipsorum obiectorum obtinenda, & hoc modo ait vniuersaliora esse cognitu difficiliora. Quod tamen non asseruit simpliciter, sed cum hac limitatione *fere*: quia contingit interdum vniuersaliora esse etiam quoad perfectam cognitionem nobis notiora: quia difficultas quæ ex parte abstractionis in eis est, potest aliunde compensari: quo modo ens naturale vt sic, est nobis notius quam cœlum, & ens quàm angelus. Non obstante autem ea limitatione, concludit Aristoteles hanc scientiam esse de rebus difficilimis, quia in ea tanta est abstractio vt omnino præscindat à materia, & ab actionibus & proprietatibus sensibilibus vt tales sunt, & ideò nihil in eius obiecto esse potest, vnde difficultas ex tãta abstractione proueniens tollatur: atque hæc satis sint de illa secunda conditione.

XXII. Dubium.

Circa tertiam conditionem sapientiæ meritò dubitari potest, quomodo huic doctrinæ conueniat, scilicet, esse certissimam. Et ratio difficultatis potissima oritur ex scientiis Mathematicis, quæ videntur multò certiores, cum ex principiis euidentissimis, imò & sensu notissimis procedant. Vnde idem Aristoteles lib. 2. Metaphys. cap. 3. text. 16. significat modum procedendi Mathematicæ esse accuratissimum, & certissimum, eò quod à materia & mutatione abstrahat, à qua non abstrahit Philosophia, & licet Metaphysica videatur abstrahere, si res de quibus tractat, considerentur, prout tamen in nobis est, non videtur abstrahere, quia non considerat de reb. illis, nisi ex effectibus sensibilibus qui in materia versantur. Vnde idem Aristotel. lib. 2. tex. 1. ait res notissimas natura sua esse nobis ignotas, quia intellectus noster ita ad eas comparatur sicut vespertilionis visus ad lucem Solis. Et confirmatur, nam humana cognitio à sensu incipit, vnde per sensum accipit claritatem & certitudinem: quo ergo fuerit cognitio de rebus à sensu remotioribus, eò erit minus certa: sicut ergo ex hoc principio colligit Aristoteles supra hanc scientiam esse difficilimam, ita colligere potuit esse incertissimam. Imò hæc duo videntur semper esse coniuncta, difficultas videlicet & incertitudo, aut minor certitudo: si ergo hæc scientia est maxime difficilis, erit consequenter minus certa.

Aristoteles.

XXIII. Responsio.

Distinguendæ videntur duæ partes huius doctrinæ: vna est quæ de ente vt ens est, eiusque principiis & proprietatibus disserit. Altera est quæ tractat de aliquibus peculiaribus rationibus entium, præsertim de immaterialibus. Quoad priorem partem non dubium est, quin hęc doctrina sit omnium certissima, quod satis est vt hęc proprietas ipsi absolutè & simpliciter tribuatur: nam quoties comparatio fit inter habitus, secũdum id quod in eis est optimũ & maximum, fieri debet, vt sumitur ex 3. Topic. capit. 2. sic ergo Aristoteles in dicto procœmio absolutè ait hanc doctrinam esse certissimam, & videtur loqui de illa prout in nobis est. Et ratio eius est optima, & procedit de hac scientia quoad hanc partem, scilicet, quia ea scientia est certissima quę circa prima principia maximè versatur, & quæ ex paucioribus rem

rem conficit: ita vero se habet hæc scientia, quia talis scientia magis est independens, habetque principia notiora, ex quibus alia principia robur & certitudinem accipiunt, vt declaratum est: sic enim res illæ de quibus Mathematicę tractant, includunt cõmunia & transcendentia prædicata, de quibus Metaphysica disserit: principia etiam Mathematica includunt Metaphysica, & ab illis pendent.

XXIIII.

De altera vero parte huius scientiæ quæ in determinatis rationibus entis versatur, distinguendum est: potest enim esse scientia certior, aut secundum se, aut quoad nos. Scientia igitur harum rerum ex se non est dubium quin sit certissima, & quod Mathematicas scientias antecellat. Nam certitudo scientiæ hoc modo pensanda est ex obiecto: huiusmodi autem res, & substantiæ immateriales sunt ex se aptæ ad gignendam certissimam sui cognitionem: tũ quia sicut sunt perfectiora entia, magisq; necessaria simpliciaq;, & abstracta, ita in eis maior est veritas, maiorq; certitudo principiorum. At vero ex parte intellectus nostri est hæc scientia in nobis quoad hanc partem minus certa, vt experientia docet, & probant rationes dubii in principio positæ. Præsertim illa, quod cum nostra cognitio à sensu oriatur, obscurius & ex natura rei minus certo attingimus ea quæ ab omni materia sensibili abstrahunt.

XXV. Dubiá ali. quot proponuntur & dissoluũtur. Primum.

Dices primo; Ergo hæc scientia prout in nobis est, semper est minus certa in hac parte, quam Mathematica: ergo simpliciter est minus certa, quia Metaphysica de qua agimus, non est alia nisi humana: hæc autem tantum in nobis est, quid ergo refert ad nobilitatem Metaphysicæ, quod secundum se sit certior? illud enim erit verũ de Metaphysica angelica, non de nostra. Vnde tractando de nostra, videtur inuolui repugnantia in illa distinctione, secundum se, & prout in nobis: hæc enim distinctio accommodata obiectis seu rebus cognitis optime quadrat, & ita est illa vsus sæpe Aristoteles in primo Posteriorũ, & in principio Physi. & Metaph. ac vero accommodata actibus, vel habitibus nostris nullo modo videtur posse habere locum, propter rationem factam: hic autem non de obiectis, sed de re ipsa loquimur. Respondent aliqui satis esse quod Metaphysica in angelis sit certior, quia eiusdem rationis est cum nostra, quia sub eadem ratione seu abstractione de his entibus disserit. Sed hoc non recte dicitur, quia illa scientia angelica est altioris rationis, primum quia illa vel est à priori & perfecta, scilicet, vt versatur circa res creatas, vel si est à posteriori vt de Deo, est per cognitionem perfectam nobiliorũ effectuum. Deinde quia scientię differunt genere ex modo procedendi: modus autem intelligendi angelorum est altior, simplicior, & essentialiter perfectior.

XXVI. Corollario inter Metaphysicam, & Mathematicas in certitudine.

Respondetur ergo primo fortasse in aliquo statu posse Metaphysicam humanam esse perfectiorem & certiorem quam sint Mathematicæ: nam licet, acquirendo hanc scientiam solis naturalibus viribus & ordinario modo humano, non possit tam perfecta obtineri, si tamen noster intellectus iuuetur ab aliqua superiori causa in ipsomet discursu naturali, vel si ipsa scientia modo supernaturali fiat, licet res ipsa sit naturalis, potest forte esse tam clara & euidens vt Mathematicas superet. Quia vero hæc responsio magis est Theologica quam Philosophica, addo vlterius, quamuis Metaphysica in nobis semper sit quoad hanc partem inferior Mathematica in certitudine, nihilominus simpliciter & essentialiter esse nobiliorem: ad q̃ multum refert, quod sit secundum se: & ex parte obiecti certior: nam dignitas obiecti maxime spectat ad dignitatem scientiæ, & illa est quæ per se redundat in scientiam: imperfectiones autem quæ ex parte nostra miscentur, sunt magis per accidens: & ad hoc tendit distinctio data, in quo sensu nullam inuoluit repugnantiam.

XXVII. 2. Dubium.

Dubitabit secundo aliquis, nam hinc sequitur, hanc scientiam Metaphysicæ quatenus de Deo agit, minus certam esse quoad nos, quam vt tractat de intelligentiis, quod tamen non videtur verum. Sequela sic deducitur ex ratione facta, nam si hæc scientia est minus certa quoad nos, vt versatur circa res abstractas à materia, quia nostra cognitio à materialibus incipit: ergo quo res de qua tractat Metaphysica, magis elongata & remota fuerit ab hac materia, eo Metaphysica prout in illa versatur, erit minus certa: sed Deus summe distat à rebus materialibus & sensibilibus: ergo. Respondetur, negando sequelam, absolute loquendo. Duobus enim modis intelligi potest vnam rem magis distare ab alia, scilicet perfectione seu entitate, & causalitate seu connexione effectus & causæ. Priori modo magis distat Deus à materialibus rebus, quam spiritus creati: posteriori autem modo magis distant spiritus creati ab omnibus rebus creatis, quam Deus. Pendẽt enim omnia essentialiter à Deo, non à cæteris spiritibus, &, per se loquendo, omnia Deum imitantur, & aliquam eius similitudinẽ aut vestigium gerunt: quod vero inde resultet aliqua similitudo, vel cõuenientia cum angelis, est secundarium & accidentarium. Quia ergo non ex rebus sensibilibus non vtcunque consideratis, sed vt effectibus, ascendimus ad substantias separatas contemplandas, inde fit vt naturaliter certius assequamur Dei cognitionem, quam angelorum, quod ipso vsu & experientia constabit amplius ex dicendis.

XXVIII. 1. Dubium.

Tertio potest dubitari, præsertim circa priorem partem positam, an hæc scientia superet alias solum quoad principiorum certitudinem, vel etiam conclusionum. Nam ratio facta solum videtur procedere de principiis: at si hoc dicatur. sequitur nõ hãc scientiam, sed habitum principiorũ, qui distinctus est, esse certiorem aliis scientiis. Vnde obiter etiam dubitari põt, an sit hæc scientia certior habitu principiorum. Nam si hoc dicatur, facile expeditur posita difficultas, vt per se constat: at hoc ipsum videtur difficilimũ: nam hæc scientia nititur in ipsis primis principiis: quo modo ergo potest esse certior, quam illorum habitus, cum hic etiã verum sit axioma illud, *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis?*

XXIX. D. Thom.

Ab hac posteriori parte incipiendo, D. Thom. 1. 2. quæst. 2. arti. 2. ad secundum significat sapientiam esse nobiliorem & certiorẽ etiam ipso habitu principiorum, sic enim ait: *Scientia pendet ab intellectu, sicut à principaliori, & vtrumque pendet à sapientia, sicut à principalissimo, quæ sub se continet & intellectum & scientiam*: sentit ergo Diuus Thomas sapientiam esse intellectu seu habitu principiorum principaliorem & perfectiorem. Et rationem indicat, quia sapientia habet quidquid est perfectionis in habitu principiorum, & illud ipsum nobiliori modo, & præterea aliquid amplius: est ergo perfectior. Antecedens declaratur, quia intellectus versatur circa prima principia, iudicium de illis ferendo: sed hoc ipsum habet sapientia, vt supra ostensum est, & vltra hoc versatur circa plura alia, quæ ex principiis inferuntur, & circa res nobilissimas, & primas re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum causas, vt supra ostensum est. Rursus circa ipsamet prima principia versatur nobiliori modo sapientia, quia intellectus simplici tantum modo versatur, ferendo iudicium ex naturali & immediata efficacitate naturalis luminis intellectus: sapientia vero, reflexionem faciens supra ipsummet lumen, & originem illius contemplans, à qua ipsum habet totam certitudinem suam, illud assumit vt medium ad veritatem & certitudinem principiorum demonstrandam: hic autem modus iudicandi videtur altior, magisque comprehensiuus: ergo habet sapientia plus perfectionis quam intellectus, & quidquid nobilitatis est in intellectu, id habet perfectiori modo. Vnde etiam videtur satisfieri difficultati in contrariũ insinuatæ: nam licet sapientia in principio & quasi via generationis pendeat ab intellectu, quia necesse est vt supponat aliqua principia, tamen secundum se, si perfecta sit, non pendet ab eo essentialiter, sed per se sufficit ad assentiendum principiis per propria media, & reflexionem supra ipsum lumen intellectuale, & fortasse ad eam perfectionem peruenire potest, vt iam sine vllo discursu formali principiis suis præbeat assensum. Atq; eandem sententiam tenet Albertus lib. de apprehen. p. 6. habetq; magnum fundamentum in Aristotele, li. 1. Poster. capit. 7. tex. 23. vbi significat Metaphysicam esse omnium principem, eo quod sua principia demonstret: & lib. 6 Ethic. cap. 7. vbi sic ait: *Sapientem non solum ea scire, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet. Quare sapientia, & intellectus est & scientia, & (vt caput est) scientia rerum earum quæ summis afficiuntur honoribus.* Non potuit autem intelligere sapientiam esse aggregatum ex intellectu & scientia aliqua, cum hæc sigillatim distinxerit, vt virtutes diuersas: intelligit ergo esse intellectum & scientiam secundum quandam eminentem perfectionem, vt ibi etiam expositores intelligunt: & disputat Buridan. quæst. 12. qui hanc sententiam insinuat in quæst. vlt. eiusdem libr. 6. Ethicorum.

Albertus.

Buridanus.

XXX. Nihilominus aliqui probabiliter existimant limitandam esse hanc sententiam, vt nimirum sapientia præferatur intellectui principiorum, vt versatur circa principia aliarum scientiarum, non vero vt versatur circa principia eiusdem Metaphysicæ. Quę limitatio videtur sumi ex verbis quæ Diuus Thomas supra subiungit, dicens, sapientiam esse principalissimam, continereque sub se intellectum & scientiam, *Vt de conclusionibus* (ait) *scientiarum dijudicans, & de principijs earundem*: vbi notandum est illud relatiuum, *earundem*, referri enim alias scientias à sapientia distinctas: ergo solum comparatur sapientia ad intellectum vt versatur circa principia aliarum scientiarum, & quia de illis diiudicat, ideo nobilior esse dicitur. At vero secus videtur accidere in eadem sapientia comparata ad intellectum vt versatur circa principia ipsiusmet sapientiæ: nam ab illo vt à proximo fonte habet suam totam certitudinem. Item, ille habitus circa easdem res nobiliori modo versatur, quia ille habitus non sistit in primis principijs abstractissimis, pertinentibus ad ens vt sic, & ad alios terminos abstractos, vt est illud, *Quodlibet est, vel non est*, & similia, sed etiam versatur circa prima principia substantiæ vt sic, & Dei, & intelligentiarum vt sic: vnde ad illum proprie pertinet earum quidditates contemplari: nam quidditas rei per simplicem cognitionem intelligitur, vel ex ea immediatum principium constituitur, si à nobis per compositionem cognoscatur: ad sapientiam vero pertinebit, proprietates harum rerum ex quidditate demonstrare. Et quidem non videtur posse negari, quin cognatio illorum principiorum quibus hæc scientia nititur, certior simpliciter sit, quam sit ipsa scientia, quandoquidem ab illa pendet vt à propria causa, alterius & superioris rationis in modo assentiendi. Nec refert, quod Metaphysica in sua principia reflectatur vt ea demonstret: semper enim necesse est, vt secundum propriam rationem suam per discursum procedat, & prioribus principijs nitatur, quæ vt notiora & certiora sumat: non enim dicendum est eundem habitum acquisitum, per discursum & sine discursu assentiri. Igitur absolute & vniuersim comparando principia Metaphysicæ ad ipsam scientiam, certior est illorum cognitio. Et hoc ipsum confirmat experientia, nihil enim demonstratur in Metaphysica, quod sub ea ratione tam certum sit, sicut hoc principium, *Quodlibet est, vel non est*, quatenus est per se notum.

Metaphysica ne habitu principiorũ certior?

D. Thom.

XXXI. Cum ergo sapientia præfertur omnibus aliis virtutibus intellectualibus, etiam intellectui principiorum, intelligi potest primo de sapientia vt includit sua principia, & comparatur ad alias scientias, vt sua etiam principia, & conclusiones includunt: ita enim solere scientias considerari sumitur ex Aristotele 3. Metaphysic. capit. 2. tex. 5. vbi Fonseca id aduertit. Dicitur autem Metaphysica excedere alias scientias quoad certitudinem tam conclusionum, quam etiam principiorum, non solum comparando principia ad principia, & conclusiones ad conclusiones: sic enim non esset propria comparatio scientiæ ad intellectum, sed scientiæ ad scientiam, & intellectus ad intellectum; in quo sensu etiam vna scientia particularis diei potest certior quam intellectus principiorum, quia potest habere certiora principia. Igitur intelligi debet, etiam comparando conclusiones Metaphysicæ ad principia propria aliarum scientiarum, dici Metaphysicam excedere in certitudine, quia discursus eius nititur principiis adeo notis & certis, vt possit generare assẽsum certiorem, quam sit simplex assensus aliquorum principiorum in aliis materiis: & propter alias rationes supra factas.

Sapientia omnibus aliis intellectualibus habitibus quoad excellentior.

Aristoteles. Fonseca.

Vel secundo, & fortasse clarius, dici potest sapientia præferri intellectui principiorum nobilitate, & excellentia simpliciter, non vero semper certitudine aut euidentia, præsertim respectu nostri, seu prout in nobis est: non enim semper nobilitas habitus, seu ipsius dignitas, aut scientiæ, cum certitudine aut euidentia conuertitur: fides enim Christiana simpliciter in substantia aut specie sua est nobilior, quam naturalis Metaphysica, licet non sit ita clara & euidens: & naturalis Philosophia est nobilior, quam Mathematicæ, licet sit minus certa, propter obiecti nobilitatem, quæ ad dignitatem simpliciter intellectualis virtutis magis confert, vt significauit Diuus Thomas libr. 1. de anima capit. 1. & 1. part. quæst. 1. artic. 5. ad 1. vbi adducit illud Aristotelis lib. 1. de partibus animal. capitul. 5. *Res superiores tamet si leuiter attingere possimus, tamen ob eius cognoscendi generis excellentiam amplius oblectamur, quam cum hæc nobis iuncta, omnia tenemus.* Et similem fere sententiam habet libr. 1. de cœlo, capitul. 12. Sapientia ergo siue Metaphysica etsi non sit certior in nobis, quam intellectus, saltem quoad sua principia, est tamen simpliciter nobilior & altior, quia attingit

XXXII. Habitus in euidentior euidentiori potest esse nobilior, & incertior certiori.

Aristoteles.

tingit nobiliora entia, & supremas causas entium, nempe Deum & intelligentias, quas intellectus principiorum secundum proprias rationes earum non attingit, sed solum secundum communem rationem entis, & substantiæ: nam licet de Deo & intelligentiis multa sint principia per se nota secundum se: tamen respectu nostri nihil est per se notum: nam, si Deum esse non est nobis per se notum, vt infra ostendemus, multo minus reliqua quæ de his rebus in Metaphysica demonstrantur. Atque ita fit, vt de his rebus nihil per intellectum principiorum immediate cognoscamus, sed solum per sapientiam, & ideo sapientia nobilior sit; esto, non sit certior suis principijs, prout in nobis existit: quia ad maiorem nobilitatem satis est, quod sit de rebus simplicioribus & secundum se certioribus, cum ex certitudine & euidentia quæ per naturale lumen ingenii humani haberi potest. Vnde beatitudo naturalis hominis (quod hoc maxime confirmat) non in aliquo actu intellectus principiorum, sed in actu & contemplatione sapientiæ consistit, dicente Aristotele 6. Ethicor. capit. 12. quod sicut sanitas est quædam fœlicitas corporis, ita sapientia est fœlicitas animæ: & ideo ibidem præfert illam prudentiæ: nam prudentia ad sapientiam vt ad finem refertur: est namque (vt optime ait) sapientiæ procuratrix prudentia: ita enim animum regit, vt eum pacatum reddat, & à perturbatione liberum quod ad contemplationem sapientiæ maxime necessarium est: idemq; docet lib. 10. Ethic. cap.

XXXIII. 7. & 8.

Atque ex his constat etiam resolutio tertiæ dubitationis quoad priorem partem eius: dicendum est enim hanc doctrinam esse certiorem aliis scientis, non solum quoad principia, sed etiam quoad conclusiones. Quod quidem si intelligatur proportionate, indubitatum est, vt dixit, scilicet quod principia huius scientię sunt certiora principijs aliarum scientiarum, & conclusiones huius, conclusionibus aliarum: hoc enim posterius ex priori sequitur: nam illæ conclusiones certiores sunt, quæ sequuntur ex certioribus principijs eodem genere illationis. Quod autem principia sint certiora, constat, quia sunt abstractiora & vniuersaliora, & omnium prima, vt infra videbimus: vnde deseruire possunt ad demonstrandum aliquo modo principia aliarum scientiarum, vt declaratum est. At vero si intelligatur illa comparatio absolute, & sine dicta proportione, id est, quod hæc scientia secundum se totam, etiam secundum conclusiones suas, superet certitudine alias scientias, secundum totum quod in eis est, etiam quoad principia earum, sic comparatio est minus certa, & nõ necessaria ad nobilitatem & perfectionem sapientiæ. Nihilominus tamen probabilis est, si loquamur de principijs proprijs & particularibus aliarum scientiarum prout à nobis cognoscuntur: vix enim vnum reperies, quod ex sola terminorum cognitione tanta certitudine nobis innotescat, quanta potest ex principijs Metaphysicæ manifestari.

Quomodo Metaphysica aptior ad docendum sit.

XXXIV. Quartam sapientiæ conditionem, quæ est esse aptiorem ad docendum, Aristoteles ita demõstrat, quia *illa scientia aptior est ad docendum, quæ magis in causarum cognitione versatur: ij enim docent qui causam cuiusque rei asserunt.* Tacite autem subsumit hanc doctrinam maxime versari in causarum cognitione: & ita concludit esse aptissimam ad docendum, ideoque sapientiam esse. Hanc eandem conditionem declarauit Aristoteles fere toto capite primo huius procœmij seu primi libri. Vt enim concludat sapientiam pertinere, rerum supremas causas inuestigare, longe petito principio ait homines naturaliter appetere scientiam: nam hãc maxime ratione sensus diligunt: & in cæteris quidem animalibus esse tantum cognitionem sensuum, & quædam eorum habere etiam memoriam, & innatam quandam prudentiam, vel potius naturalem instinctum & sagacitatem, & aliqua etiam participare quendam disciplinæ modum, nunquam tamen assequi perfectam experientiam; hominem autem per sensus cognoscere singularia, quæ non solum memoria tenet, sed etiam inter se confert, & ita paulatim acquirit experientiam, quæ solum circa singularia versatur. Per experientiam vero vltra progreditur, & artem inquirit, qua iam vniuersalia cognoscat, eorumque rationes & causas inquirat, & ideo qui artem assecutus est, sapientior censetur, quam solum expertus, quia non solum an res sit, sicut expertus: sed etiam propter quid, & causam rei cognoscit. Et ideo (inquit) in quacunque arte architectos nobiliores & sapientiores putamus eos, qui non tantum actiui sunt (quod suo modo commune est inanimatis) sed etiam causas rerum rationesque cognoscunt. Et statim subiungit proprietatem in qua nos versamur, dicens, *Et prorsus signum sapientis est posse docere*: quod præstare potest qui causas rerum nouit, non vero qui solos effectus expertus est.

A

B

C

Circa hanc vero conditionem inprimis dubitari potest, cur hæc scientia aptior ad docendum existimetur quam reliquæ: nam omnis scientia propria & à priori (inter has enim faciendæ est comparatio) demonstrat rem per suas causas: ergo tam apta est ad docendum vnaquæque scientia in sua materia, quam hæc in sua. Neque ad hoc refert quod hæc scientia de nobilioribus rebus tractet: nam hoc conferet quidem vt ipsa sit nobilior, non vero vt ad docendum sit aptior: nam ad hoc magis confert proportio effectus ad causam, quam nobilitas vtriusque: tam accommodate enim docetur effectus inferior per suam propriam causam, quam superior per suam: hæc ergo conditio vel nulla est specialis in Metaphysica, vel non est distincta à nobilitate obiecti. Quod si alicui scientiæ hæc proprietas attribui potest, certe potius Dialecticæ esset tribuenda: nam illa docet discere, & docet docere: ergo aptior illa est ad docendum quam omnis alia, Atque ita Plato hoc munus Dialecticæ accommodat in Dialogo de Ente, seu Sophista, & ideo ibidem, & 7. libr. de Repub. eam præfert omnibus scientiis.

XXXV. Dubium.

Ad priorem difficultatem respondetur, licet aliæ scientiæ demonstrent suas proprietates, vel effectus per proprias causas eis accommodatas, quia tamen illæ causę non sunt primæ, nec independentes, sed superioribus subordinatæ, ideo non sunt ita aptæ ad docendum aliæ disciplinæ, ac Metaphysica, quæ primas rerum causas, & principia considerat. Itaque non solum excedit Metaphysica in obiecti nobilitate, sed etiam in causarum & principiorum independentia ac superioritate. Ex qua fit, vt hæc scientia per se sola & sine alterius adminiculo plene

XXXVI. Dubii solutio.

& ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

& exacte doceat omnia quæ sub obiectum illius cadunt: aliæ vero scientiæ in multis pendeant ab hac, vt exactam causarum cognitionem possint tradere, & ideo dicitur hæc scientia aptior ad docendum.

Ad confirmationem respondetur duo esse quæ ad docendum iuuant, scilicet methodum & modum docendi, & rerum ac causarum comprehensionem. Quoad illud prius, ad Dialecticam pertinet docendi munus, & in eo sensu potest dici aptissima ad docendum, vel potius ad discendum, quoniam formâ & methodum docendi tradit. Quãtum vero ad posterius attinet, Metaphysica est ad docendum aptissima, quoniam docet demonstrandi media altiora, & efficaciora, & maxime à priori. Quia ergo hoc est potissimum & difficilimum in scientia: & quia ipsamet Dialectica quatenus scientia est, & per causas demonstrat, in hoc pêdet aliquo modo à Metaphysica, ideo simpliciter hęc est ad docendum aptissima. Nec aliud sensit Plato, qui Dialecticæ nomine Metaphysicam sæpe intelligit.

XXXVII. Quomodo Metaphysica à priori demonstret.

Secundo circa eandem conditionem, seu probationem eius, dubitari potest, quomodo hęc scientia B per causas possit demonstrare, cum habeat simplicissimum obiectum, quod proprias causas habere non potest. Ens enim in quantum ens, nec secundum se, nec secundum nobilissimum obiectum sub eo communi contentum, proprias causas habere potest: ergo Metaphysica non potest per causas demonstrare, saltem in suprema sui parte, neque in ea quæ vniuersalissimas rationes entis considerat. Antecedens constat, quia Deus non habet causas, & cõsequenter neque ens vt ens, quod Deum comprehendit. Respondetur duplices esse causas, alias proprias, & quę re ipsa influunt in effectũ, & alias latius dictas, quæ sunt potius causæ cognoscendi rem à priori, quam existendi, & proprie dicuntur rationes attributorum seu proprietatum quæ de subiecto demonstrantur. Loquendo igitur de subiecto huius scientiæ secundum abstractissimam rationem eius, abstractissimam (inquam) vel secundum rationem nostram, vt est ens in quantum ens: vel secundum rem ipsam, vt est ens primum seu ipsum esse per essentiam, sic verum est non habere hanc scientiam proprias rei causas, per quas ali- C quid de suo obiecto demonstret, habet tamen rationes & media secundum modum concipiendi nostrum distincta ab extremis, quibus conficit demonstrationes à priori: nam ad huiusmodi demonstrationes, cum modo humano conficiantur, sufficit distinctio conceptuum cum aliquo fundamento in re, & quod proprietas per vnum conceptum cognita, sit ratio alterius attributi demonstrati: & hoc modo demonstramus Deum esse ens perfectum, quia est ens ab intrinseco necessarium, & vnam proprietatem entis, vel substantiæ eodem modo demonstramus per aliam. Et hunc demonstrationis modum comprehendit Aristoteles, cum dicit hanc scientiam docere rerum causas, id est, principia & radices ac rationes rerum; siue sint propriæ causæ Physicæ, siue Metaphysicæ rationes, quæ solent etiam formales causæ late appellari. Et hoc

D. Thom. modo exponit Diuus Thomas 6. lib. Metaphys. tex. 1. quod ibi Aristoteles ait, nempe inquiri in hac scientia principia & causas entium in quantum sunt entia. At vero quoad alias partes seu entia quæ Metaphysica comprehendit sub obiecto suo, vt sunt entia creata, intelligentiæ, &c. sic proprias habet causas reales seu in re ipsa vere influentes, per quas possit demonstrationes conficere, vt per se notum est.

Per quot causarum genera demonstret Metaphysica.

Occurrit autem statim tertia interrogatio, an XXXVIII. hæc scientia vt versatur circa hæc entia, demonstret per omnia causarum genera, an per aliqua Per finalem demonstrat. tantum. Et inprimis certum est sæpissime & maxime demonstrare per causam finalem, vt ex ipso vsu constat, & quia hæc est causarum prima & nobilissima, & quæ maxime conferre solet ad rerum naturas & proprietates, imo ad cæteras rei causas inuestigandas. Rursus etiam est certum demonstrare hanc scientiam per causam efficientem, nam considerat Per efficientem. de primo ente, quod est cæterorum omnium potissima causa efficiens, à qua cætera omnia essentialiter pendent. Et sub ea causa considerat etiam de intelligentiis, quæ aliquam habent causalitatem in hæc inferiora, & denique de aliis rerum causis, quatenus sub obiecto suo comprehendi possunt.

Dices, Causalitas causæ efficientis tota versatur XXXIX. Obiectioni fit satis. circa rerum existentiam, scientia vero abstrahit ab existentia: non ergo potest per efficientem causam quidquam demonstrare. Respondetur primo, licet actualis dependentia à causa efficiente quatenus in actu exercita (vt sic dicam) non cadat per se sub scientiam, quia non est simpliciter necessaria, sed contingens & libera: habitudo tamen intrinseca ad causam efficientem, præsertim primam, est necessaria, & consideratur in scientia, multæque proprietates rerum ex illa colliguntur. Nam ex eo quod creatura habet essentialem dependentiam à causa efficiente, colligitur non esse ens per essentiam, sed per participationem, & esse non esse de essentia eius, esseque ens finitum, & similia. Deinde dicitur, esto, scientia non consideret existentiam rei in actu exercito, considerare tamen illam in actu signato, id est, quid sit ipsa existentia, & quomodo vnicuique rei conueniat aut conuenire possit, atq; ad hoc maxime confert causæ efficientis consideratio. Vnde etiam fit, vt de his rebus quæ aliquo modo sunt en- C tia necessaria, scientia contempletur ipsam existentiam actualem, & exercitam, quod maxime habet verum circa Deum, qui est simpliciter ens necessarium, & actu existens, cuius existendi necessitas non per efficientem causam, sed per negationem efficiẽtis causæ considerator. De aliis vero rebus etiam inquiritur in scientia an æternæ sint, & quomodo dimanent à sua efficiente causa. Multa ergo in Metaphysica per hanc causam demonstrantur.

Atque hinc etiam constat, posse hanc scientiam XL. Per exemplarem. vti causa exemplari in demonstrationibus suis, si tamen veritatem ac proprietatem ipsius exemplaris possit attingere in se se, quod tamen rarum est, & in exemplaribus diuinis, quæ ideas vocant, impossibile naturaliter, quia nõ possunt illa diuina exemplaria in se conspici; nisi Deus in se ipso videatur. Quacunque tamen ratione exemplaris causa cognoscatur, optimum medium est demonstrandi, & Metaphysicæ maxime proprium, nam ex se abstrahit à materia, & in rebus spiritualibus & intellectualibus proprius reperitur, & est quodammodo ratio aut forma per quam agens operatur, & ita eadem est de illa ratio, quæ de efficiente causa.

De causa tandem materiali Soncinas 4. Meta- XLI. Quomodo per materialem. physic. quæst. 15. absolute negat Metaphysicam demon-

monstrare quicquam per hanc causam. Ratio eius A est, quia Metaphysica abstrahit ex parte obiecti à materia: ergo & principia Metaphysicæ abstrahunt à materia: ergo & demonstrationes. Sed hæc sententia limitatione indiget, nam causa materialis vt sic, & in tota sua latitudine sumpta, latius patet quam materia sensibilis, aut intelligibilis seu quãtitatiua, à quibus abstrahit Metaphysicæ obiectum. Assumptum declaratur, nam in rebus spiritualibus vere datur causatio (vt sic dicam) materialis: substantia enim spiritualis creata, vere est causa materialis suorum accidentium, & multi arbitrantur essentiam esse causam materialem existentiæ, & naturam personalitatis, & terminum actionis quæ ad illum tendit. Quamquam ergo demus, Metaphysicam non vti materia propriissime dicta in demonstrationibus suis, negari tamen non potest, quin sæpe vtatur causa materiali, vel ad affirmandum, vel ad negandum aliquid. Priori modo demonstrat, verbi gratia, accidentia angelica esse immaterialia, indiuisibilia, & tota in toto, & tota in qualibet parte, quia sunt in subiecto spirituali, &c. Posteriori autem B modo demonstrat, illa accidentia non creari, quia pendent à suo subiecto in fieri & conseruari, & similiter ex propria definitione causæ materialis demonstrat, essentiam non posse comparari ad existentiam vt subiectum. Denique causalitas potentiæ passiuæ vt sic, materialis est, pertinet autem ad Metaphysicum considerare potentiam passiuam, & per eam demonstrare: ergo & per materialem causam. Addo vlterius ex supra dictis de obiecto huius doctrinæ, quod licet per se & ex primario instituto non tractet de materia physica, tractat tamen aliquo modo de illa, scilicet, quatenus necessaria est ad complendam sui obiecti tractationem, & considerationem, & ad distinguendum actum à potentia, & formam completam ab incompleta, & vtramque à materia, ac denique ad collocandam materiam in eo gradu entis, in quo vere constituenda est: in hac vero tractatione multa potest ex ratione communi causæ materialis colligere ac demonstrare, vt per se notum videtur, & ex ipso vsu constabit. Non est ergo omnino aliena ab hac scientia demonstratio per materialem causam, quamuis aliæ C frequentius occurrant, magisq; propriæ huius doctrinæ esse videantur.

XLII. De quinta proprietate nihil occurrit addendum his quæ in priori conclusione, & in præcedente sectione dicta sunt. Ostensum est enim scientiã hanc esse maxime speculatiuam, & versari circa res propter se maxime expetendas ac cognoscendas: vnde euidentissimum est hanc scientiam appetendam & quærendam esse propter se ipsam. Item dictum est naturalem fœlicitatem in aliquo actu huius scientiæ positam esse: at fœlicitas maxime expetitur propter se ipsam.

Metaphysica aliarum scientiarum facile princeps.

XLIII. Atq; ex hac conditione facile intelligitur, sextam etiam sapiẽtiæ conditionem in Metaphysicam perfectissime conuenire: vnde Aristoteles in hunc modum eam demonstrat. Ea scientia maxime princeps est, ministrantique præponitur, quæ primas rerum causas considerat, præsertim finalem & vltimam, cuius gratia res fiunt: hoc autem est Metaphysicæ munus: illa ergo est quæ dominatur reliquis disciplinis: ergo hoc etiam titulo ipsa est sapientia. At vero dicunt aliqui non hanc, sed moralem scientiam, præsertim politicam, habere hunc principatum, & quasi imperium in cæteras scientias, vt docte Fonseca ad hunc Aristotelis locum Fonseca. annotauit. Etenim præcipere ac dominari inter intellectuales virtutes practicis potius quam speculatiuis tribuendum est, præcipere enim practicus actus est, & Philosophia moralis, practica est, & in ea præcipua est politia, quæ in ordine ad commune Reipublicæ bonum cuncta præcipit: ergo. Et confirmatur, nam iuxta debitum rationis ordinem non boni mores ad scientiam, sed scientia ad bonos mores referenda est: scientia ergo illa quæ bonos mores procurat, ei imperare debet quæ in sola rerum speculatione sistit. Sed hæ rationes si quid probant, potius de prudentia, quam de morali Philosophia procedunt, nam præcipere ad prudentiam pertinet, non ad Philosophiam: intendere autem bonos mores nec Philosophiæ, nec prudentiæ proprie conuenit, sed voluntati, & virtutibus eius. Deinde probant quidem illæ rationes prudentiam esse perfectiorem in ratione virtutis moralis, & sub ea ratione practice imperare, & consequenter dare etiam gratis possumus in ordine ad bonos mores aliquo modo præire cæteris scientiis speculatiuis moralem philosophiam: non autem probant rationes illæ vel absolute & simpliciter esse perfectiorem prudentiam Metaphysica, vel in genere virtutis intellectualis philosophiã moralẽ habere primatum.

Oportet ergo in scientiis duo distinguere, scili- XLIIII. cet veritatis contemplationem seu iudicium & infallibilem vim seu rectitudinem attingendi illam, & bonum vsum talis scientiæ & actuum eius, quatenus liberi sunt, & bene vel male, & propter honestũ finem, & cum debitis circumstantiis possunt fieri, aut non fieri. Prior ratio est essentialis scientiæ, vt sic, imo in vniuersum omni virtuti intellectuali hoc per se primo conuenit, quamuis practica virtus vlterius ipsam veritatis cognitionem & iudicium ordinet ad opus: quod non pertinet ad maiorem perfectionem scientiæ vt tic, sed potius est indicium minoris perfectionis, vt hic Aristoteles docuit in procœmio Metaphysicæ, & fortasse inferius id attin- C gemus, tractando de qualitatibus & habitibus mentis. Posterior ratio, scilicet vsus scientiæ, quod nimirum sit honestus, vel Reipublicæ vtilis, vel ad alios fines, est accidentalis scientiæ vt sic, licet sit maxime necessaria homini. Imperare igitur scientiæ vsum hoc posteriori modo proxime spectat ad virtutes aliquas & ad prudentiam, & ad idem imperium magis conferunt scientiæ morales, quam Metaphysica, & hoc proprie vocatur imperium practicum, quia respicit opus scientiæ, magis vt est opus voluntatis, quam intellectus: vsus enim est actiue in voluntate, quamuis interdum executio sit in intellectu. At vero dirigere scientias sub priori ratione scilicet, ad veri cognitionem, per se primo ac maxime pertinet ad Metaphysicam, à qua quodammodo accipiunt principia, & terminorum cognitionem, & obiecta, seu quidditates suorum obiectorum, iuxta ea quæ in superioribus declarata sunt. Et ratione huius directionis & independentiæ dici potest Metaphysica imperare aliis, imperio potius speculatiuo, quam practico: ratione cuius ipsa simpliciter eminet in ratione scientiæ & sapientiæ. Addo denique, si Metaphysica consideretur quatenus in perfectissimo actu eius naturalis beatitudo hominis consistit, sic ad illam vt ad finem ordi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ordinari non solum alias scientias, sed etiam mora- A
les virtutes & prudentiam, nam hæc omnia ad fœlicitatem hominis ordinantur, & actiones omnes ad hunc finem optime referuntur, vt scilicet hominem disponant, aptumque reddant ad diuinam cõtemplationem, quæ formaliter seu elicitiue ad hanc scientiam pertinet, licet habere debeat coniunctum amorem, qui ex tali contemplatione solet nasci. Atque hac etiam ratione concludit Aristoteles scientiam hanc omnibus imperare, quia contemplatur summum bonum & vltimum finem simpliciter: sicut enim in artibus quæ ad aliquem finem subordinantur, illa architectonica est, aliisque imperat, quæ supremum finem in illo ordine considerat: ita Metaphysica, quæ absolute contemplatur vltimum finem scientiarum, artiumque omnium, totiusq; humanæ vitæ, dicitur imperare omnibus, esseque omnium princeps, non quia proprie & practice imperet, sed quasi virtute & eminẽter. Non enim procedit Metaphysica, practice ostendendo quomodo ille finis obtinendus sit, aut alia in eum dirigenda, & ideo non proprie & formaliter imperat: ostendit ta- B
men finem, in quem omnia dirigenda, eumq; finem vltimum rerum omniũ esse ostendit: & ideo ex parte rei cognitæ, virtute & eminenter, quantum est ex se, omnibus imperat, omniaq; in eum finem ac summum bonum dirigit.

Expeditur dubium de subalternatione aliarum scientiarum ad Metaphysicam.

XLV. Aliquorum opinio.

HIc vero dubium occurrit circa conditionem hanc, an hoc imperium, vel directio Metaphysicæ in alias scientias, tale sit, vt dicendæ sint omnes scientiæ ratione illius subalternari Metaphysicæ. Non enim defuere, qui ita de hoc imperio Metaphysicæ existimauerint, vt ratione illius omnes scientias subalternatas, solam vero Metaphysicam simpliciter, aut tantum subalternantem esse dixerint. Quam sententiam aliqui tribuunt Aristoteli, 1. Physicor. cap. 2. & lib. 1. Posteriorum capit. 7. & Platoni, lib. 7. de Repub. vbi de Metaphysica nomine Dialecticæ disputat. Eamque insinuat D. Thom. opusculo de natura generis, cap. 14. Alii vero simpliciter negant hanc subalternationom: & hæc est communis & recepta sententia, vt videre licet in Iauello, 1. Metaphysic. quæst. 2. Soncinate, lib. 4. quæst. 9. Soto, 1. Physic. quæst. 11. Alii denique distinctione vtuntur, & sub vna ratione seu vsu vocis, *subalternationis*, docent posse Metaphysicam dici subalternãtem, saltem aliquo modo, simpliciter vero negant. Lege Fonsecam, lib. 4. cap. 1. quæst. 1.

Aristot. Plato. D. Thom. Aliorum placitum. Iauell. Soncin. Soto. Fonseca.

XLVI. Quæ sit subalternata scientia.

Ne vero in nominum ambiguitate versemur, supponamus, proprie scientiam illam dici subalternatam alteri, quæ essentialiter seu necessario ex natura rei ab illa pendet in esse scientiæ, ita vt esse scientia non possit, nisi scientiæ subalternanti coniungatur, & ab illa sumat euidentiam principiorum. Ratio autem huius est, quia scientia subalternata non habet principia per se nota & immediata, sed conclusiones demonstrabiles in superiori scientia, & ideo sicut omnis scientia ab habitu principiorum essentialiter pendet: ita subalternata à subalternante proprie dicta: quia vtraque sumit à superiori virtute euidentiam principiorum. Dices; Vnde constat subalternatam scientiam non posse habere principia per se nota, sed conclusiones alibi demonstrabiles, illi esse principia? Respondetur, hoc non posse nisi ad significationem vocis pertinere: nam in re constat esse a- liquas scientias quæ huiusmodi vtuntur principiis, vt Medicina, Musica, &c. has ergo dicimus subalternatarum nomine significari. Nam illæ quæ principia habent immediata, proxime ac per se subordinantur habitui principiorum, & ideo nõ est cur respectu alterius scientiæ subordinationem habere dicantur, cum ab illa per se non pendeant: hæc ergo dependentia vnius scientiæ ab alia, nomine subalternationis significatur.

Ex quo fit, vt subalternatio vera non sit, nisi inter XLVII. Quæ conditiones ad subalternationẽ requirãtur.
scientias diuersas: nam etsi in eadem scientia sit dependentia vnius cõclusionis ab altera vsq; ad principia prima, non tamen ideo scientia dici potest, vel in totum, vel in partem subalternata, cum absolute tota scientia non alteri scientiæ priori, sed immediate habitui principiorum subordinetur, sed ad summum dici potest vna cõclusio subordinata, vel subalternata demonstrationi alterius. Oportet ergo vt scientiæ distinctæ sint, & quod inter se habeant prædictam dependentiam, & subordinationem. Contingit vero interdum scientiam aliquam non in omnibus suis principiis, neque in omnium conclusionum demonstrationibus, sed in quibusdam habere dictam dependentiam à scientia superiori: & tunc dicitur illi subalternata, non in totum, sed ex parte, seu partiali subordinatione, non totali: quo modo Geometria dicitur subalternari naturali Philosophiæ, quia, licet vtatur multis principiis indemonstrabilibus, aliqua tamen habet quæ in Philosophia demonstrantur, vt illud, *A quolibet puncto in quodlibet punctum lineam duci*: quod in Physica demonstratur, quia nulla indiuisibilia sunt immediata, eo quod ex indiuisibilibus componi non possit continua quantitas.

Oriri autem solet hæc dependentia vnius scien- XLVIII. Vnde enascitur scientiæ vnius ad aliam subalternatio.
tiæ ab alia ex subordinatione obiectorum: nam, sicut esse scientiæ consistit in ordine ad obiectum, ita & principia sunt proportionata illi. Quapropter si obiecta duarum scientiarum non sunt inter se subordinata, vtpote si sint genera vel species omnino condiuisę, inter illas scientias non potest esse subalternatio. Oportet ergo vt hæc subalternatio in obiectis fundetur, nimirum in eo, quod obiectum vnius est idem cum obiecto alterius, adiuncta aliqua differentia accidentali, quæ in esse entis sit per accidens, in esse autem scibilis sit aliquo modo per se, & constituat speciale obiectum scibile. Quando enim duo obiecta scientiæ per se subordinantur, etiam in esse rei, scilicet vt genus & species: vel vt superius & inferius essentialiter, scientiæ de illis obiectis non possunt esse subalternatæ, saltem totaliter, quia, vel pertinẽt ad eandem scientiam, si in eadem omnino sint abstractione, vel certe, si scientiæ diuersæ sint, erit vtraque subalternans, quia vtraque habere potest propria principia sumpta ex propria differentia obiecti quod considerat, vel ex prima passione, & per illa poterit demonstrare reliquas conclusiones, quæ de posterioribus passionibus conficiuntur. Nã scientia de homine non considerat quæ conueniunt hominni vt animal est, sed tantum vt rationalis est, & in illis non subalternatur scientiæ de animali, quia esse rationale immediate conuenit homini, & ex hoc principio oriuntur aliæ passiones hominis vt homo est. Quod si aliqua est quæ pendeat ex gradu sensitiuo vt sic, aliquo modo, aut ex speciali cõiunctione sensibilis cum rationali, quantum ad id subalternabitur partialiter scientia de homine scientiæ de animali, non tamen omnino & totaliter.

Ad

XLIX. Ad subalternationem ergo absolutam & totalem A
necesse est vt subiectum subalternatæ scientiæ addat accidentalem differentiã subiecto scientiæ subalternantis, vt linea visualis addit lineæ, numerus sonorus numero, humanum corpus sanabile humano corpori: nam ex hac coniunctione prouenit, tum vt scientia quæ specialiter considerat proprietates ex illo coniũcto vt sic, manantes, sit diuersa à scientia quæ abstrahit ab illa compositione, & subiectum secundum se considerat: tum etiam, vt principia talis scientiæ sint conclusiones superioris scientiæ, quia nimirum proprietates talis compositi oriuntur ex ipsis componentibus, & ex proprietatibus quas secundum se habent, & in superiori scientia demonstrant. De quibus omnibus in lib. 1. Posterior. cap. 11. latius disseritur: hic verò solum insinuata, & quasi delibata sunt, vt breuiter explicemus, quomodo Metaphysica sit affecta ad alias scientias, ẽt quoad hanc proprietatem.

L. Scientiæ sub alternantis proprietates nullæ insunt Metaphysicæ.

Ex dictis igitur non obscure colligitur nullam proprietatem scientiæ propriè subalternantis conuenire Metaphysicæ respectu aliarum scientiarum. Primum enim non pendent omnino aliæ scientiæ B
in esse scientiæ à Metaphysica, quia non pendent in omni euidentia & certitudine suorum principiorum. Habent enim sua principia immediata, & indemonstrabilia ostensiuè & directè: quod satis est vt possint habere euidentiam eorum immediatè ab habitu principiorum, quæ sufficit ad generandam scientiam. Etenim, licet Metaphysica demonstrare possit aliquo modo illa principia, illa tamen demonstratio non est simpliciter necessaria ad iudicium euidens talium principiorum, cum ex terminis possint euidenter cognosci, & illa demonstratio non sit propriè à priori, sed per deductionem ad impossibile, vel ad summum per aliquam extrinsecam causam. Metaphysica ergo non est simpliciter necessaria ad euidẽtiam horum principiorum: ergo neq; vt habitus ex eis genitus sit vera scientia: ergo talis habitus non est scientia subalternata Metaphysicę. Rursus obiecta inferiorũ sciẽtiarũ non sunt per accidens subordinata enti, aut substantiæ, sed per se & essentialiter, vt patet in ente naturali, quod est obiectum Philosophiæ, & de quantitate
quæ est obiectum Mathematicæ. Et ratio est, quia C
sub ente nihil continetur per accidens, sed per se: ep si sit aliqua scientia quæ agit de aliquo ente rationis, illa nullo modo subordinatur Metaphysicæ quatenus agit de ente reali, quia ens rationis vt sic, non cõtinetur sub ente reali, sed est primò diuersum: quatenus verò Metaphysica agit de ente rationis, sic quodlibet ens rationis, non per accidens, sed per se continetur sub ente rationis vt sic, quod Metaphysicus considerat: nõ ergo intercedit propria & totalis subalternatio. Quod ipse etiam vsus docet, aliàs esset Metaphysica ante omnes scientias acquirẽda, quoniam sine illa nulla scientia esse posset: oppositum autem habet vsus propter causas supra tactas, & nihilominùs verę demonstrationes fiunt ex principiis per se notis sine Metaphysica, & prę̃sertim in Mathematicis: non intercedit ergo vera subalternatio. Quod autem in vna vel altera conclusione intercedat interdum, id nõ repugnat, vt ex principiis positis facilè intelligi potest.

LI. Quod si extenso vocabulo quis velit subalternationẽ vocare illã excellentiã, & quasi imperiũ quod Metaphysica habet in alias scientias, quatenus earũ principia põt aliquo modo stabilire, & confirmare, & quatenus magnam lucẽ omnibus affert, vel quatenus attingit vltimũ finem, vel fœlicitatem hominis, nõ est cum eo contendendum, cum de nomine disceptatio sit, præsertim cum graues authores interdum eo genere locutionis vtantur, vt videre licet in Simplicio lib. 1. Physi. tex. 8. & Themist. in Paraph. ad 1. lib. Poster. cap. 2. Aristoteles verò nũquã est vsus illo loquendi modo, neq; illam proprietatem ad rationem sapientiæ requisiuit, sed solum vt aliis scientiis quodãmodo dominetur, quod longè diuersum est, vt ex dictis constat. Simplicius.

Hactenus ergo satis probata est secunda assertio, LII. Interrogatio ni respondetur.
Metaphysicam scilicet esse veram sapientiam. Interrogabit verò aliquis quo modo prior & posterior assertio cohæreant: nam Aristoteles in Ethicis scientiam & sapientiam ponit species condistinctas sub genere virtutis intellectualis: nos verò doctrinam hanc simul facimus & scientiam & sapientiam. Hoc autem facili negotio expeditur, si dicamus cum D. Thom. 1. 2. quæst. 57. art. 2. ad primum. Sapienti- D. Thomas.
am condistingui à scientia, non quia scientia non sit, sed quia in latitudine scientiæ habeat specialem gradum & dignitatem. Vnde fit scientiam dupliciter sumi, vno modo genericè vt dicit habitum per demonstrationem acquisitum, vt in primo Poster. capit. 2. definitur, vbi hac ratione nulla mentio fit sapientiæ in particulari, quia solum agitur de scientia sub illa generali ratione sub qua sapientiam complectitur, & sic procedit prior assertio à nobis posita. Alio modo accipitur scientia magis strictè, put dicit habitũ qui solum versatur circa conclusiones demõstrabiles, & non circa ipsa principia, id est, pro habitu qui solum scientia est, & nullo modo intellectus, ad eum vtiq; sensum quo Aristoteles dixit sapientiam esse intellectum & scientiam: & in hoc sensu scientia distinguitur à sapientia, & sic dicimus Metaphysicam non esse scientiam huiusmodi, sed sapientiam.

SECTIO VI.

Vtrum inter omnes scientias Metaphysica maxime ab homine appetatur appetitu naturali.

HAnc quæstionem præcipuè propono I. Ratio proponẽdi quæstionem.
propter Aristotelem in proœmio Metaphysicæ, vt occasione illius nonnulla declaremus, quæ ex illo proœmio declaranda supersunt, ne aut ea omnino prætereamus, aut necessarium nobis sit ad ea iterum redire. Conferet etiam huius dubitationis expositio ad dignitatem huius doctrinæ amplius cõmẽdandam, ex eo quod naturæ hominis vt rationalis est, maximè est cõformis, vel potiùs summa naturalis eius perfectio,

Aristoteles ergo lib. 1. Metaphysicæ capit. 1. & 2. II. Aristoteles.
videtur directè intendere partem affirmãtem huius dubij, nimirum naturalem hominis appetitum maximè ad Metaphysicam attrahi. Quod vt persuadeat, præmittit axioma illud, *Omnis homo naturaliter scire desiderat.*

Quis sit sensus illius pronunciati, Omnis homo naturaliter scire desiderat.

CIrca quod inprimis sensum Aristotelis expo- III.
nere oportet, deinde propositionis veritatem. Tres ergo termini in illa propositione declarandi

D sunt:

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt: prior est appetere vel desiderare. Circa quem supponenda est primò vulgaris distinctio duplicis appetitus, innati, & elicitiui. Prior impropriè ac metaphoricè dictus est appetitus: propriè verò nihil aliud est quam naturalis propensio, quam vnaquæque res habet in aliquod bonum, quæ inclinatio in potentiis passiuis nihil aliud est quam naturalis capacitas, & proportio cum sua perfectione: in actiuis verò est ipsa naturalis facultas agendi. Itaque in his omnibus appetitus non addit aliquid vltra ipsam rei naturam, vel proximam facultatem, ratione cuius conuenit rei talis appetitus. Neque in hoc appetitu distingui potest actus primus & secundus, quia hoc modo appetere non est agere aliquid, sed solum habere innatam talem propensionem, qualem habet grauitas ad centrum, etiam si nihil agat. Appetitus elicitiuus est propriè appetitus, quia fertur in bonum vt bonum, illudque per proprium actum potest appetere. Vnde duo sunt in hoc appetitu (loquimur in creaturis) vnum est facultas appetendi, aliud appetitio ipsa. Primum retinuit iam nomen appetitus, qui in sensitiuum & rationalem diuiditur: & hic appetitus vt sic, etiam est innatus, si generatim de innato loquamur, quia cum ipsa natura datus est, & habet naturalem propensionem ad suum obiectum, & ad suum actum. Quia verò ita est innatus vt sit etiam elicitiuus actualis appetitionis qua tendit in bonum formaliter, & quatenus bonum est, atq; ita sit propriissime appetitus, ideò condistinguitur ab appetitu pure innato & metaphorico: sic enim prior diuisio accipienda est. Secundum, id est, actus appetendi, qui propriè dicitur appetitio, vel appetitus elicitus, nihil aliud est quam actus elicitus ab appetitu eliciẽte, quo amat, vel desiderat bonum: & hic appetitus nũquam est innatus, saltem in nobis, de quibus in præsenti agimus: interdum verò est naturalis, vt inferius ex professo magis declarabo.

Quis sit appetitus innatus

Quis elicitiuus.

IIII. Alter igitur terminus exponendus, erat *naturaliter*: appetitus enim naturalis multipliciter dicitur, interdum enim naturale dicitur quod ab ipsa natura datum est, neque est effectum per propriam ipsius hominis, verbi gratia, actionem, seu effectionem. Et hoc modo omnis appetitus innatus, naturalis est, & ipse etiam appetitus elicitiuus: non tamen appetitus seu actus elicitus, vt ex data terminorum expositione satis constat. Aliquando verò dicitur naturale quod necessario sit ex intrinseca propensione naturæ, etiam si absolutè & in se non sit à natura datum, sed ab appetente factum: & hoc modo est homini naturalis appetitus qui est fames, aut sitis, quãdo deficit cibus, aut potus: qua ratione appetitus elicitus, naturalis esse potest, & in appetitu sensitiuo ex se semper talis est: in voluntate verò licet interdum talis appetitus sit naturalis, non tamen semper, quia libera est. Omitto, interdum sumi naturale vt à supernaturali distinguitur, quo sensu apud naturales Philosophos, seu procedendo ex solo lumine naturæ, vt nunc loquimur, omnis appetitus naturalis est, nam supernaturalis appetendi modus, qui per gratiam fit, non potest naturali ratione inuestigari. Aliquando etiam sumitur naturale vt violento opponitur, vt est frequens in Philosophia. Atque his etiam duobus modis appetitus elicitus etiam si liber sit, naturalis tamen esse potest, vt per se constat. Imò interdum dicitur naturalis appetitus elicitus, hoc ipso quod est naturæ consentaneus, & opponitur ei quod est præternaturale tanquam naturæ dissonum, etiã si violentum non sit: quo modo appetitus virtutis, naturalis est, vitij autem minimè. Quo tãdem sit vt multò magis naturalis dicatur appetitus ille ad quem ipsa naturæ propẽsio necessitatem infert: & ideò appetitus necessarius, tametsi elicitus, naturalis meritò vocari potest.

Quot modis dicatur naturale.

V. Duplex autem necessitas huius appetitus distingui solet, scilicet, quoad exercitium, & quoad specificationem. Prior est quando appetitus vitalis ex necessitate elicit seu exercet actum appetendi: quę necessitas in appetitu sensitiuo facile reperitur: in rationali verò non inuenitur in hac vita, sed solum in beata & supernaturali, quę ad nostram considerationem non spectat. Posterior in hoc consistit quod licet voluntas non exerceat actum appetendi ex necessitate, tamen si exerceat, necessario appetit, & non refugit tale obiectum, & talis actus vocatur necessarius quoad speciem, non quoad exercitium: & secundum eam necessitatem dicitur naturalis, & recedit ab actu omni ex parte libero, quoad exercitium sc. & specificationem: quo modo voluntas appetit bonum in communi. Ex his ergo satis clara manet illius vocis ambiguitas.

VI. Tertia vox est *scientia*, seu *scire*, quæ ab Aristotele indefinite sumit: & potest generatim sumi pro quacunq; cognitione seu intelligentia veritatis, sed præsertim pro illa quæ perfecta est, & propriam rationem scientiæ habet, prout scire dicitur esse, rem per causam cognoscere cum euidentia, & certitudine. Et de scientia etiam hoc modo sumpta loqui possumus, vel indefinitè, vel abstractè, vel distributiuè de omnibus scientiis, vel singulariter de aliqua, qui modi loquendi de scientia non parum inter se differepant.

Sciẽtia & modi eã tur.

VII. Incipiendo ergo ab hoc vltimo termino, certum est Aristotelem in illo generali dogmate non loqui de aliqua singulari scientia, vt patet, tum ex verbis eius, tum ex probatione, quæ generalis est, tum denique ex intentione: assumit enim hoc generale principium, vt inde ad hanc scientiam in particulari descẽdat. Atque hęc ratio vlterius concludit, quod, licet Aristotelis verba indefinita sint, tamen cum sint doctrinalia, æquiualent vniuersalibus: ita vt sensus sit omnes homines naturaliter appetere quamcunque scientiam: tum quia non ex peculiari ratione alicuius scientię vt talis est, oritur hic appetitus, sed ex ratione scientiæ vt sic, tum etiam quia alias non satis efficaciter procederetur in eo discursu ab indefinito sermone ad singularem. Hęc est ergo mens Aristotelis: eãque sententiam in eo sensu veram esse patebit facilè ex dicendis.

Omnes homo.

VIII. Rursus existimant multi expositores hic, præsertim Scotus & sequaces, Aristotelem loqui de appetitu innato: nec D. Thom. ab ea sententia abhorret, vnde illam sequuntur Iauellus & Flandria. Neque est dubium quin eo sensu verissima sit propositio, quam variis rationibus D. Thomas confirmat. Summa earum est, quia est, quia omnis res naturaliter appetit suam perfectionem, operationem, & fœlicitatem: sed omnibus his modis comparatur scientia ad hominem: est enim magna perfectio eius, & operatio ipsius, & in ea eius fœlicitas cõsistit. In qua ratione duo priora membra communia sunt omnibus scientiis, tertium verò est huius proprium, vt dicemus. Vnde etiam existimo Aristotelẽ nõ excluisse hũc sensum, sed supposuisse potius. Quod aũt in illo solo locutus fuerit, nec necessarium videtur, nec verum.

Appetitus innato. Scotus. Iauell. Aristotelis

rum. Quod ex proprietate verborum eius colligi potest, nam ex sensuum dilectione & amore colligit scientiæ appetitum: loquitur autem aperte de amore sensuum per actum elicitum: id enim propriè amor significat, & inferius similiter ait, quod sensum visus cæteris anteponimus, nimirum in elicito amore. Et quamquam dici posset verum esse Aristotelem in ea ratione loqui de actu elicito, & ex illo colligere appetitum naturalem, certè ea collectio bona non esset, nisi supponeret illum elicitum amorem esse etiam aliquo modo naturalem: quia nõ ex quolibet appetitu elicito colligi potest appetitus naturalis, nam interdum appetimus actu voluntatis quæ ipsi naturę repugnant, vt mortem, verbi gratia, ergo si ex appetitu elicito colligit Aristoteles naturalem, supponit ipsum elicitum esse etiam naturalẽ: quod si amor elicitus sensuum est naturalis, multò magis amor scientiæ.

IX. Appetitu & elicito.

Dicendum ergo est hominem appetitu etiam elicito scientiam amare. Hoc probant rationes insinuatę ex D. Thoma: illę enim ęquè procedũt de appetitu elicito, & de pondere naturæ: quia etiam homo hoc appetitu appetit naturaliter suã pfectionẽ, operationem, & fœlicitatẽ: sed scientia est pfectissima hominis operatio, & vel est fœlicitas ipsa, vel ad fœlicitatem, & commodum huius vitę maximè necessaria. Nam si sit contemplatiua scientia, in pfectissima eius operatione fœlicitas cõsistit, vt dicitur lib. 10. Ethic. cap. 6. aliæ verò scientiæ speculatiuę illi superiori deseruiunt, & in omnibus est magna quædam iucunditas: nam contẽplari optimũ est 12. Metaphysicorum, text. trigesimonono. Practicæ verò scientiæ ad commoda etiam huius vitæ necessariæ sunt, vel valde vtiles.

Exponitur doctrina Aristotelis de visus, aliorumq; sensuum dilectione.

X. PRætereà discursus Aristotelis ex dilectione sensuum, & præsertim visus, desumptus, optimus est ad idem confirmandum. Duo autem sumit Aristoteles in eo discursu: primum est quod in dilectione sensuum visum anteponimus: secundum est, eausam huius esse quia ad scientiam maximè deseruit. Ex quibus infert tertium, scilicet amorem scientiæ esse maiorem, magisque naturalem, quam ipsius visus, aliorumque sensuum. Quæ consecutio videtur per se euidens, & fundata in eo principio, propter quod vnum quodque tale, & illud magis. Prima autem propositio assumpta, in primis intelligenda est cum præcisione, vt rectè fiat comparatio: tactus enim inueniri potest sine visu, non verò è contrario, quia tactus est omnium sensuum primus, aliorumque fundamentum. Vnde destructo tactu non potest naturaliter visus manere: quia nec vita sine tactu conseruatur, 3. de anim. capit. 12. & libro 13. de sensu, & sensibus, cap. 1. Quatenus ergo visus quodammodo includit tactum, appetibilior erit visus quam solus tactus: & in contrario sensu quatenus amissio tactus includit amissionem visus, & non è conuerso, præfertur tactus visui, quia potius eligeret homo conseruationem tactus quam visus, si ad amissionem tactus visus necessariò amittendus est. Hæc verò comparatio sic intellecta nullius momenti est, quia non comparantur singuli sensus inter se, sed duo ad vnum qui in eis includitur: est ergo comparatio præcisè facienda in eo quod singuli per se conferunt.

XI. Deinde est obseruandum Aristotelem hic duplicem amorem sensuum indicare. Vnus est ob vtilitatem: alter verò propter cognitionem. Prior est per se notissimus: & sub vtilitate comprehendi potest omnis commoditas corporis, pertinens vel ad conseruationem eius, vel ad delectationem, vel ad alias operationes humanæ vitæ. Posterior amor est maximè proprius hominis, & in ordine ad hunc amorem præcipuè comparatur hic visus cum aliis sensibus, eisque præfertur. Quod experimento probat Aristoteles, quia nihil (inquit) actu ipsum visum aliis anteponimus. Rationem autem à priori, & quæ ad rem præsentem maximè spectat, reddit in altera propositione. Circa quam est tertiò notandum duos esse modos acquirendi scientiam, scilicet disciplinam, & inuentionem. Ad priorem modum vtilissimus est auditus, vt per se constat, quia voces sunt signa conceptuum, solus autem auditus voces percipit, & quamuis ipse non percipiat earum significationem, sed mens, satis est quod sit organum proprium, quo mediante tale signum ad mentem perueniat. Hic tamen excessus, & est per accidens, & minimus. Per accidens quidem, quia modus acquirendi scientiam per disciplinam, est quasi per accidens, nam & supponit alium, loquendo secundum naturas rerum, & solum est ad supplendam imperfectionem, vel negligentiam hominum in vacando scientiis inueniendis. Minimum autem excessum appello, quia etiam visus plurimum deseruit ad disciplinam: nam etiam scripturæ sunt signa conceptuum, & illæ percipiuntur visu: vnde multò plura videntur addisci lectione, quæ visu fit, quam auditione. Est tamen discrimen quod tota ferè vtilitas scripturæ potest etiam auditu percipi, non tamen è conuerso: ea enim energia, vis, ac claritas, quæ est in voce ad exprimendos proprios conceptus, non potest scriptura sola aut visu suppleri: vnde legimus nonnullos carentes visu, fuisse doctissimos, partim auditis solis scriptis aliorum, partim etiam explicationibus seu doctrinis viua voce sibi propositis: quod verò aliquis omnino surdus euaserit doctissimus, me legisse non memini, & vix id fieri posse existimo. Non igitur comparantur hic ab Aristotele hi sensus quoad hoc munus, sed quoad modum acquirendi scientiam per inuentionem. In quo dubium non est quin visus, & tactus, tam auditum, quam alios sensus superent, quod adeò notum est, vt non egeat probatione: solum de comparatione visus & tactus inter se, breuiter dicendum superest.

Visus & auditus inter se comparãtur.

Lege Aristo. de sensu & sensibili.

XII. Est igitur aduertendum quartò, aliud esse loqui de signo (vt ita dicam) melioris facultatis, maiorisque aptitudinis ad scientiam acquirendam: aliud de aptiori instrumento inueniendæ scientiæ: tactus enim priori ratione visum superat, quia tactus est vniuersalis sensus ex parte subiecti: nam est per totum corpus diffusus, & est signum optimæ, & temperatæ complexionis; vnde est illud, *Molles carnes aptæ sunt ingenio*, de quo latius in 2. de anima textu 34. At visus per se, & vt instrumentum ad scientiam, multis modis tactum superat. Primò in latitudine obiecti, plures enim differentias percipit, vt hic dixit Aristoteles, & circa cœlestia & terrestria vagatur, & rerum motus, actiones, & figuras perspicacius cognoscit, quam vllus alius sensus: sunt autem hæc veluti prima signa, & indicia, quibus ad res cognoscendas vtimur. Secundò citius quam alij sensus percipit, cum tamen ad res etiam distantissimas se se extẽdat, & causa est quod puriori & immate-

Comparatio visus cũ tactu.

Universidad de Deusto
Biblioteca

terialiori modo, & absque alteratione materiali operationem suam perficit. Tertiò vehementiùs imprimit phantasiæ quę percipit, quod experimento constat: nam tenaciùs inhærent memoriæ, & faciliùs posteà occurrunt. Causa autem esse videtur, quòd eius operatio sicut spiritualior est, ita maiori vi animæ & conatu, & cooperatione etiam maiori ipsius phantasiæ fit. Quartò, experimentum visus certius esse videtur experimento tactus, per se loquendo: etsi enim Aristoteles, libro primo de histor. animal. capit. 15. dicat tactum in homine esse exquisitissimum, ibi tamen non comparat sensus hominis inter se, & respectu ipsius hominis, sed cum sensibus aliorum animalium: & hoc modo ait hominem superare alia animalia in tactu & gustu, cum tamen in aliis sensibus superetur à multis, saltem in multis conditionibus sentiendi, vt ab aquila in perspicacia & fortitudine visus: non tamen ait tactum hominis superare visum in certitudine. Quin potius Sectione 31. Problem. quæstione decima octaua, inquit tactum æmulari visum. Itaque quilibet horum sensuum habet suam certitudinem in ordine ad proprium adæquatum obiectum: interdum verò deficit circa communia sensibilia ex insufficiente applicatione: & fortasse, quia visus eminus sentit, & non tactus: ideò faciliùs contingit obiectum visus indebitè applicari, ac visum decipi: si tamen cætera sint paria quoad applicationem obiecti, & dispositionem potentiæ, non magis accidit deceptio in visu, quàm in tactu. Et aliunde visus ob suam immaterialitatem percipit acutiùs obiectum, & ex hac parte certior est: ideoque frequentiùs adhiberi solet ad certitudinem de rebus sensibilibus accipiendam. His ergo de causis visus est simpliciter vtilior ad scientias, eamque ob rem naturaliter magis diligitur: signum ergo est, vt Aristoteles concludit, quod & ipsa scientia naturaliter ab homine diligitur.

De appetitu elicito scientiæ.

XIII. SEd quo sensu intelligendum sit, hominem appetere naturaliter scientiam appetitu elicito, explicandum superest. Non enim in eo sensu hoc accipi potest, quod homo aut ex necessitate semper exerceat amorem vel desiderium scientiæ, quoties C de illa cogitat: neque quod illam spernere non possit, eamque inquirere nolle: vtrumque enim contra experientiam est: non ergo potest hic appetitus elicitus esse naturalis tanquam necessarius omnino, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem. Primum ergo certum est hunc appetitum rectè dici naturalem, quòd sit valde consentaneus naturæ hominis, eiusque naturali inclinationi, quatenus homo est. Vnde rectè Cicer. 2. de Finib. *Natura* (inquit) *ingenuit homini cupiditatem veri inueniendi.* Secundò dicitur naturalis, quia est aliquo modo necessarius quoad specificationem: tum quia, licet homo possit negligere scientiam, vel nolle illam quoad appetitum efficacem quærendi illam: id tamen solum accidere potest propter extrinsecas causas seu impedimenta quæ ex accidente adiunguntur scientiæ, nimirum propter laborem & difficultatem quam habet scientiæ studium, aut quia impedit aliarum rerum inquisitionem, quibus homo vel indiget, vel affectus est, vel ob alias similes causas: vnde rudiores ingenio minùs videntur scientiam appetere ob difficultatem, quam etiã impossibilitatem vocauit Aristotel. 5. Politicor. cap. A vltim. At verò per se se scientia non potest displicere: atque ita seclusis impedimentis, necessitate quadam amatur, saltem quoad specificationem. Atque hoc quidem maximè verum habet in scientia in communi quatenus scientia est, tamen etiam est suo modo verum de qualibet scientia in particulari, si in ea veritatis cognitio in tali materia per se spectetur: semper enim est illa perfectio per se expetibilis homini. Quod si contingit hominem vnam scientiam non amare vt alteri intendat, hoc etiã reducitur ad extrinseca impedimenta, de quibus diximus: nam quia homo non potest vtramque scientiam acquirere, & vnius studio ab alterius perfecta inquisitione impediretur, ideò illam omittit, vt hanc obtineat. Atque hoc modo quidam homines ex indiuiduali & propria complexione, ad vnam scientiam magis afficiuntur, quàm ad aliam: per se tamen ac seclusis impedimentis, vel (quod idem est) si vna alteram nõ impediret, oẽs sciẽtias naturaliter appetimus, nec ratione vnius alterã despiceremus.

Atque hinc facilè etiam constat, quid sit hic appetitus in homine: si enim sit sermo de appetitu e- XIII. Illatio. B licito, constat esse actum voluntatis, vel efficacem, vel saltem inefficacem & per simplicem complacentiam, quæ maximè naturalis est, & manet etiam in his qui efficaciter non intendunt seu eligunt scientiæ vacare. Si verò sit sermo de pondere naturali, illud potest considerari vt immediatè terminatum ad ipsam scientiam, & sic non est aliud quam intellectus ipse & capacitas eius qua scientiam respicit vt propriam perfectionem. Sicut .n. in materia prima appetitus ad formam nõ est aliud ab ipsa materia, & naturali eius capacitate: & similiter in omni alia potentia appetitus ad suũ actũ nõ est aliquid additum ipsi potentiæ, sed naturalis constitutio & aptitudo. ita in intellectu se habet appetitus ad scientiam. Ac si consideretur pondus naturæ vt terminatur ad scientiã medio appetitu elicito, non est aliud quã voluntas hominis, quæ hoc modo naturaliter propensa est ad omnes hominis perfectiones: non .n. appetit voluntas habere scientiam, appetit tamen naturaliter velle scientiam homini seu intellectui: & hoc modo dicimus hoc pondus voluntatis terminari ad scientiam medio actu elicito.

Appetitum naturalem sciendi ad speculatiuas scientias esse maximum.

EX his ergo satis explicatũ relinquitur axioma il- XV. lud generale, homini innatum esse appetitum naturalem ad scientiam: sub hoc autem principio sumendum est hunc appetitum maximum esse ad scientias speculatiuas, quæ veritatis cognoscendæ gratia tantùm quæruntur. Hoc tacitè videtur intendisse Aristoteles toto discursu illius capitis primi huius procemij. Ad quod explicandum distinguit hæc omnia, & ordinem eorum inter se, sensum scilicet, memoriam, experimentum, artem, scientiam, quam tacitè distinguit in eam quæ propter opus seu vtilitatem, & eam quæ propter se ipsam quæritur, & vltimo loco adiungit sapientiam.

Dicit ergo inprimis sensum à natura datum esse XVI. cunctis animantibus: non verò explicat quid sit, Aliquot Aristotelis dicta in procemio explicatur. quia hoc non spectat ad præsens: nec etiam dicit omnem sensum cõmunicatum esse omnibus animalibus, sed sensum indefinitè: solumque intendit supponere, hunc esse imperfectissimum gradum cognitionis. Secundò addit bruta animalia interdum præ-

præter sensum habere memoriam, & quandam ve- A luti prudentiam naturalem: & aliqua ad hoc extendi vt sint etiam disciplinabilia, parum autem vel nihil experientiæ participare. Vbi aduerte nomine sensus intelligere Aristotelem eam cognitionem sensitiuam, quæ solum in præsentia obiecti fit, siue per externos sensus, siue per interiorem sensum communem seu phantasiam fiat: quidquid enim ad sentiendum in præsentia obiecti necessarium est, sub nomine sensus comprehendit: est autem in omnibus necessarium aliquid phantasiæ seu imaginationis ad sentiendum etiam exterius: & ideò sicut sentire, ita etiam imaginatione vti omnibus brutis commune est. Memoria autem addit vim interiorem conseruandi species & vtendi illis in absentia obiectorum, vt hoc modo recordari possit quis earum rerum quas sensu percepit, etiam cum illas præsentes non habet secundum externos sensus. Hanc ergo facultatem ait Aristoteles habere animalia quędam, non verò omnia: non tamen declarat quænam hæc vel illa sint.

XVII. Communiter tamen censentur habere memoriam quæ propriè ac perfectè moueri possunt de loco B ad locum distantem, siue progressiuo motu per terram, siue volando per aerem, siue in aqua natando: nam memoria in hunc finem data videtur animalibus, vt ad distantem locum moueri possint, vel fugiendo nociua, vel quærendo vtilia, quæ aliquo modo experta sunt. Nec refert quod interdum potest brutum ad locum distantem moueri non ex aliqua memoria, vt in recens satis cõstat: quia vel tunc mouetur ab obiecto aliquantulum distãti; vel oberrat, & quasi casu vagatur. Quod verò de muscis ait Muscę an habeãt memoriam. hic Aristoteles non habere memoriam etiam si ad loca distantia moueantur, satis incertum est: nam signum quo mouetur Aristoteles ad id asserendum, sc. quia percussæ muscæ, & loco pulsæ, statim redeũt importunè, insufficiens est, cum potiùs id possit accidere ex memoria delectationis quam ibi capiunt, & ex vehementi appetitu, vel quia obiectũ illud sẽp est aliquo modo præsens per visum aut olfactũ; & ideò vehementius mouet. De solis ergo illis animalibus imperfectis quæ solo sensu tactus, aut etiam gustus potiuntur, certò affirmari potest carere memoria, quia nullum illius signum, aut effectum habent, C nec vtilitatem.

XVIII. Quod verò Aristoteles ait, bruta quædam cum memoria habere prudentiam, non propriè, sed per Qualis in brutis prudentia. translationem intelligendum est: non enim vtuntur discursu, nec habitum acquirunt quo de agendis iudicent: sed quia naturali instinctu ita sæpè operantur, vt tali naturæ expedit hic & nunc, & ita prouident de futuris, ac si verè ratiocinarentur, ideò per metaphoram prudentia appellantur. Dices, Ergo hæc prudentia brutorũ nihil est aliud quàm instinctus naturæ: sed hunc instinctum sibi accommodatum omnia animalia habent, etiam illa quæ memoria carent; cur ergo Aristoteles hoc tribuit peculiariter quibusdam brutis? Ad hoc Iauell. lib. 1. q. 7. videt nihil distinguere inter naturalem instinctũ, & prudentiam brutorum, & concedere totum quod ratio facta probare videtur, esse scilicet in omnibus brutis hanc prudentiam, eamque opinionem D. Thomæ ascribit. Sed licet fortasse sit quæstio de nomine, ille tamen modus loquendi alienus est à mẽte Aristotelis, vt ratio facta ostendit: est q; pręter rationem metaphorę: nã quædã sunt animalia ita stolida, vt nec per metaphoram possint prudentia appellari: non A solum ex his omnibus quæ memoria carent, sed etiam ex his fortasse quę memoria prædita sunt. Vnde Aristoteles non omnia, sed quædam dixit cum memoria habere prudentiam. Alij nimio rigore accipientes hanc metaphoram, dicunt illa tantũ animalia appellari prudẽtia quę operantur ex memoria præteriti, vel ad futura prouidẽda, vel quasi ad eligendũ aliquod medium. Ita tenet Fonseca hic referens alios. Sed nimia videtur hæc limitatio: non est enim necessaria in metaphoris tanta proprietas. Cùm enim Christus dixit, *Estote prudentes sicut serpentes*, nõ ob operationem cũ memoria præteriti, sed ob naturalem sagacitatem, qua serpens caput custodit, id dixit, vt Sancti exponũt. Et formica prudẽs censetur cũ grana in hyemẽ congregat, etiam si sine memoria id faciat, vt cum primo ita operatur. Igitur prudẽtia hęc brutorum, specialis sagacitas quorundam est, quæ naturæ instinctu ita reguntur vt rationem & prudentiã hominis imitari videantur, vt in genere dixit Arist. lib. 1. de hist. anim. c. 5. & in particulari de multis lib. 9. c. 6. & seq. & in 7. ait hoc prudẽtię genus frequentius in minori animalium genere, quàm in maiori reperiri: & ibi multa commemorat, quæ ad hãc prudentiam pertinere dicit: non quia ex memoria præteritorum, sed quia ex quodam quasi naturali ingenio, quo rationem hominis imitantur, proficiscuntur. Atq; in hunc modum hęc prudentia naturalis non in omnibus reperitur: quę tamen bruta prædita sunt illa, semper etiam memoriam habent: non quia hæc prudentia semper in memoria fundetur, sed quia hæc animalia semper sunt ita perfecta, vt memoria participent. Addere etiam possumus hęc ipsamet animalia natura sua prudentia, memoria rerum quas experta sunt, prudentiora fieri. Atque hoc modo dici posset in fauorem secundæ sententiæ, quod ipsa naturalis sagacitas tunc maximè prudentiæ nomen meretur, quando rerum memoria quasi exculta est & perfecta: sed de vsu vocis hæc sint satis dicta.

Subiungit Aristoteles quædam animalia non so- XIX. lum memoriam habere, sed etiam esse disciplinabi- Quæ animalia disciplinabilia. lia, alia verò minimè. Huius posterioris generis esse dicit, quæ cum memoriam habeant, auditu carent, quia auditus est sensus disciplinæ: & quamuis visus etiam ad disciplinam iuuet, & interdum videamus bruta quædam, vt catulos, signis etiam quibusdam externis doceri & instrui, tamen hoc nunquam fit sine aliqua cooperatione auditus, quo excitantur & vocantur, vt signa percipiant. Ponit autem Aristoteles exemplum in apibus, de quibus tamen magna controuersia est an audiant, vt ipsemet Aristoteles Apes an audiant. docet libro nono de histor. animal. cap. 40. & Plinius lib. 11. c. 20. affirmat eas audire: quod absolutè videtur probabilius cõsideratis signis & experientiis quas ipsi authores referunt. Docent enim, apes quibusdam sonis demulceri & attrahi. Item inter se se quosdam sonos ędere, quando aut fugam volunt arripere, aut à somno excitantur, aut ad dormiendũ conuocantur. Vnde Albertus hic distinctionem quandam auditus probabilem adhibet: est enim auditus soni vt sic, vel vocis vt dearticulatus sonus est: aitq; apes habere priori modo auditum, non tamen posteriori: hunc autem modum posteriorem, esse ad disciplinam necessarium.

De priori genere animalium, scilicet disciplina- XX. bilium, nihil notandum occurrit, nisi disciplinam hanc ẽt esse metaphoricè intelligendam sicut prudentiam: dicuntur .n. disciplinæ capacia illa animalia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ vsu quodam assuescunt, vel accedere cum vocantur certo nomine, vel congregari cum talem sonum aut vocem audiunt, aut fugere cum aliud signũ percipiunt. Vnde quædam docentur more humano saltare, alia loqui, & similia. Quæ omnia fiunt ab his solo naturali instinctu supposita memoria & experientia talis signi aut vocis. Ait verò Aristoteles omnia animalia, quæ auditum habent, disciplinabilia esse. Quod fortasse verum est, difficile tamen fuerit creditu in omnibus animalibus id experientia constare: sine experimento verò non video quomodo de omnibus, tam volatilibus, quàm aquatilibus id affirmari possit. Faciliùs dici potest omnia animalia, quæ disciplinabilia sunt, auditum habere, & fortasse etiam visum, memoriam, ac metaphoricã prudentiam seu sagacitatem.

XXI. Concludit igitur Aristoteles bruta imaginationibus, memoriaque viuere, parumque experientiæ participare: indicans tres gradus, quorum posterior priorẽ includit: vnde priores cum exclusione posteriorũ intelliguntur. Animalia enim imperfecta, viuunt tantum imaginatione imperfecta, quam simul cum sensu tactus, vel etiam gustus habent: alia verò perfectiora cum imaginatione habent solam memoriam: alia verò quæ his sunt disciplinæ capaciora, imperfectam quandam experientiam participare dicuntur, quæ vsu & consuetudine assuescunt, quasi experimento quodam: cur autem illa experientia imperfecta dicatur, statim ampliùs declarabimus. Homines verò ait arte & ratione viuere, quod in reliqua parte capitis declarat, vt ad institutũ perueniat. Meritò autem illas duas coniungit, quia neutra videtur sine altera sufficere, saltem ad perfectum hominis regimen: nam ratio, quæ naturalis est, non sufficit, nisi arte excolatur: ars verò semper indiget rationis vsu, & attenta consideratione, vt ad opus applicetur.

XXII. Tertiò igitur ait in hominibus generari experientiam ex memoria. *Nam multæ (inquit) eiusdem rei recordationes vnius experientiæ vim perficiunt.* Quo loco offerebat se occasio declarandi tusè quid experientia sit, & an ad sensum pertineat, vel ad intellectũ: item sitne habitus iudicatiuus, an apprehensiuus, & quomodo gignatur, vel ad quid inclinet. Sed quia hæc magis pertinent ad scientiam de anima, & obiter tantum hic ab Aristotele attinguntur, breuiter aduertendum est, Aristotelem hic planè docere experientiam non versari circa vniuersale, sed circa singulare; sic enim ait. *Compertũ haberi, Callia hoc morbo laboranti hoc profuisse, itemq; Socrati, atque eodem modo pluribus singulatim, experientiæ esse, profuisse autem iis omnibus, qui certo morbo laborent, ad tam artis esse:* & infrà probat vtilorem esse ad actiones experientiam, quàm solam scientiam, vel artem, quia actiones circa singularia versantur. Non ergo pertinet ad experimentum collectio vniuersalis ex singularibus: multoque minus assensus vniuersalis, sed solum firmum promptumque iudicium circa singularia. Potest enim experientia latè sumpta dici de quacunque perceptione vnius singularis, quomodo dici potest, quis esse expertus vinum inebriare, etiam si semel tantùm id passus sit, vel in alio viderit: quia verò, vt Hippocrates dixit, experimentum fallax est, propriè non accipitur pro vnius tantùm singularis cognitione, sed plurium singularium, vt dixit Aristoteles. Imò nec satis est ad propriam experientiam & perfectã, sæpius eundem effectum experiri: hoc enim etiam bruta animalia possunt, de quibus Aristoteles dixit

Experientia solum circa singulare versatur.

A parum experientiæ participare, quia solum habent simplicem memoriam eorũ singularium, quæ sensu perceperunt: sed ad perfectam experientiam vlteriùs requiritur collatio quædam eorundem singularium inter se, quæ propria est hominis, & ideò dixit Aristoteles ex memoria fieri homini experientiam: quia multæ eiusdem rei recordationes experientiam perficiunt. *Eiusdem rei*, dicit, non indiuiduæ & singularis, ita vt ad experientiam sufficiat sæpius recordari vnius & eiusdem singularis effectus sensu percepti. hæc enim repetitio efficiet prõptiorem memoriam talis effectus, non verò experientiam. Intelligit ergo eiusdem secundum similitudinem, & conuenientiam circumstantiarum: & ad hoc requiritur collatio singularium per recordationem, scilicet, quod tale medicamentum profuit Petro laboranti hoc morbo, & Paulo similiter: nam si non sit similitudo sufficiens, sæpe videbitur esse experientia, & reuera non erit. Vnde prouenit, vt sæpè sit experimentum fallax. Hoc igitur modo propria est hominis experientia, quæ licet sensu inchoetur, mente tamen & ratione perficitur, vt declaratum est. Vnde non consistit in notitia apprehensiua, sed in iudicatiua, ex qua generatur habilitas quædam, qua homo promptus redditur ad iudicandum hunc effectum solere a tali causa prodire, quæ habilitas fortasse nihil aliud est, quàm memoria talium effectuum singularium, non vtcunque, sed vt inter se collati sunt, & similes inuenti, & cum eis circumstantiis ab eadem seu simili causa manasse dignoscuntur. Atq; hæc nunc pro huius loci opportunitate de experientia sufficiant.

B Experientia propria dicitur hominis peculiaris.

Experientia quantum arti, ac scientiæ deferatur.

XXIII. QVartò addit Aristoteles artem per experientiam generari, perfectioremque cognitionem afferre quam experientiam, etiam si ad actionem sine experientia minus sufficiens sit. Vbi primò aduertere oportet Aristotelem hic indifferenter vti nomine scientiæ & artis, vt ex contextu constat: & quia, licet aliàs distinctæ virtutes sint, tamen secundum quandam rationem ars, quædam scientia est, C vel saltem, quod ad rem præsentem attinet, eadem ratio est de illa & de scientia. Deinde oportet aduertere scientiam vel artem duplicem esse: alteram vocant *quia*, quæ solum demonstrat hoc ita esse: alteram *propter quid*, quæ reddit causam. De priori facilè intelligitur, quod per experientiam generetur, quia solum ex effectibus experimento perceptis colligit rem talem esse, vel habere talem proprietatem. Sed Aristoteles hic non de hac scientia, sed de perfecta, & propter quid loquitur, vt manifestè patet: nam eum artifices sapientiores esse dixisset iis, qui experientia rerum valent, rationem reddit, *Quia illi causam sciunt, hi non item*: ergo per artem & scientiam intelligit illam quæ rei causam attingit, & docet. Cumque pluribus verbis & signis declaret artifices præferri operantibus ex sola consuetudine, aut ex experientia: omnia tamen huc tendunt, quod artifices cognoscunt propter quid & causam rei. Cum ergo ait artem experientia generari, de arte architectonica & propter quid intelligit.

XXIIII. Quod tamen difficile est, quia humanum experimentum est fallax, vt ex Hippocrate dixi, & quamuis demus interdum esse certum certitudine sensus: illa

illa tamẽ certitudo minor videt quam ea quę ad scientiam requiritur: maximè, quia experimentũ non est vniuersale, seu de omnibus omnino singularib⁹: sciantia aũt est vniuersalis simpliciter, & complectitur ea ẽt singularia quę sub experientiam non ceciderunt. Et quamuis interdum liceat ex his quę experimur, idem colligere de singularibus, quę sub experientiam nõ ceciderũt: hęc aũt collectio videt valde infirma, & ad summũ sufficiet ad scientiã quia, nõ verò propter quid. Rursus occurrebat hîc difficultas an appositio illa Aristotelis, artem ab experiẽtia generari, indefinita tantum sit, vt sonat, an verò sumenda sit vt doctrinalis, & vniuersalis, ita vt nunquam contingat scientiam aut artem in nobis aliter generari.

XXV. Scientia propter quid, quomodo ab experientia causetur.

Ad priorem partem respondetur argumentum concludere experientiam esse non posse propriam, & per se causam artis, seu scientię à priori, sed esse occasionem vel conditionem quandam necessariam, qua paratur via ad scientiam acquirendam. Quod intelligetur facilè, aduertendo in scientia duo per se requiri, scilicet veritatem, quæ scitur ac demonstratur, quæ conclusio dicitur; & principia, per quæ scitur, ac demonstratur. Scientia ergo conclusionis B per se tantum pendet ex principiis: nam, cum sit scientia à priori, vt diximus, medium ex quo per se deducitur, non est experientia, sed causa ipsius effectus quem experimur, vnde si principia quæ causam conclusionis continent, sciri possent vel intelligi clarè sine experientia, nullo modo scientia conclusionis ab experientia penderet. Principiorum autem cognitio euidens, quæ propria illorum est, non ex aliquo medio, sed ex ipso naturali lumine immediatè nascitur, cognita extremorum significatione seu ratione. Agimus autem de principiis primis, & immediatis, nam si sint mediata, erunt conclusiones demonstratę, de quibus eadem erit ratio, quę de omnibus aliis veritatibus, quę à priori sciuntur. Igitur nec immediata principia per se cognoscuntur per experientiam tanquam per proprium medium: hoc enim modo non cognoscerentur vt principia, sed vt conclusiones à posteriori demonstratæ, & scitę per sciẽtiam quia: vt sic autem, non possent esse sufficiẽtia ad generandam scientiam propter quid conclusionis, quia non potest causa nobiliorem effectum producere quàm ipsa sit. Relinquitur ergo experientiam solum requiri ad scientiam vt intellectus noster manu ducatur per eam ad intelligẽdas exactè rationes terminorum simplicium, quibus intellectis ipse naturali lumine suo videt clarè immediatã cõnexionẽ eorũ inter se, quę est prima & vnica rõ assentiendi illis.

C

XXVI. An sine experientia, sciẽtia generari possit. Fõseca lib. 1. c. 1. q. 4.

Altera pars difficultatis fusior est, sed proprium habet locum in lib. 1. Poster. cap. 14. & 18. & idcò breuiter quod sentio, proferam. Quidam enim absolutè, & sine vlla restrictione aut distinctione putant experientiam propriissimè sumptam esse necessariã ad scientiam vel artem ex parte iudicij principiorum, ita vt nunquam sufficiat vnius vel alterius singularis cognitio experimentalis; sed necessarium sit multa experiri, & inter se conferre, & omnia vniformia & sine discrimine reperire. Nam antequam intellectus omnem hanc diligentiam adhibeat, non potest omni certitudine naturali assentire, prout in primis principiis necessarium est: quia cum ipsum lumen intellectus nostri sit infirmum, & imperfectum, nisi iuuetur experientia, facilè hallucinari potest: sicut ẽ conuerso ipsa ẽt experientia per se fallax est, nisi intellectus suo lumine inuigilet ad rationes rerũ, & cõnexionẽ terminorũ in se ipsa intuendam.

Aristoteles.

Putatur quę hæc sententia esse Aristotelis variis in locis, scilicet libro 1. Prior. cap. 31. & lib. 2. cap. 23. & libro 1. Poster. cap. 14. & 2. Poster. cap. vltim. vbi interpretes antiqui ita sentire videntur. Nihilominus si de experientia propriè dicta sit sermo, mihi videtur distinctione vtendum, tam in principiis ipsis, quam in modo acquirendi scientiam. Dixi, si de experientia propria sit sermo, quia si generatim agatur de quacunq; sensibili cognitione necessaria ad terminorũ apprehensionem & intelligẽtiã, clarum est hãc esse necessariã ad cognitionẽ principiorum, quia omnis nostra cognitio à sensu incipit: hęc aũt nõ est propriè experientia, quę, vt ex dictis constat, in iudicio, seu habitu iudicatiuo consistit: & de hac sine dubio locutus est Aristoteles. De hac ergo loquendo, distinctione vtendum est: principia enim nõ omnia æqualia sunt. Est namque inprimis vnum vel alterũ generalissimum & notissimum, scilicet, *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est idem simul esse & non esse*: & ad hęc cognoscenda nulla requiritur experientia, sed sola terminorum apprehensio, intelligentia seu explicatio: imò vix possunt illa principia ad positiuam experientiam reduci: nam licet de quocunque singulari possimus experiri quod sit: tamen quod tunc non careat existentia, non possumus positiuè experiri distincto experimento ab eo quo videtur illud esse, sed sola intelligentia id percipitur explicatis terminis. Et hoc videtur adeò per se notum, vt alia probatione non indigeat. Possumus tamen ad maiorem explicationem exemplum adhibere: nam si hominem rusticum qui ob ignorantiam terminorum nescit assentiri illis principiis, velimus inducere ad eorum assensum, nulla certè noua experientia vtemur, sed solùm conabimur ita terminos explicare, vt intelligat, rem, quam videt esse, non posse absolutè non esse.

XXVII. Præter hæc verò principia notissima, de quibus vix potest (vt opinor) esse controuersia, quin propriam experientiam non requirant, sunt alia etiam valdè vniuersalia, & communia ferè omnibus scientiis, vt, *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: &, *Omne totum est maius sua parte*: &, *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*. Et de his distinguere oportet, quando talium principiorum notitia inuentione acquiritur, vel disciplina. Nam in hoc posteriori modo existimo non esse necessariam experientiam propriè sumptam, sed supposita illa quæ ad distinctam notitiam terminorum satis sit, & explicatis sufficienter per doctrinam rationibus terminorum, absque alia experientia posse intellectum assentiri suo lumine cum sufficiente euidentia & certitudine. Et ratio est, quia hæc quæ requiruntur ad huiusmodi assensum euidentem, siue sit experientia, siue quæcunque alia terminorum declaratio, non requiruntur vt formalis ratio assentiendi, neque etiam vt principium per se efficiens, seu eliciens actum assentiendi, sed vt sufficiens applicatio obiecti, vt in priori parte difficultatis declaratum est. Sed nulla est sufficiens ratio quæ suadeat experientiam rigorosè sumptam, prout includit multorum singularium intuitionem, & collationem, ac inductionem, esse necessariam ad sufficientem applicationem horum principiorum, per sufficientem apprehensionem terminorum, eorumque rationum intelligentiam aptamque compositionem. Cur enim non potest hoc per doctrinam suppleri, adhibito ad summum vno vel altero exemplo sensibili, quo satis

Universidad de Deusto
Biblioteca

penetrato per intellectum, statim apparet per se euidens veritas principij? Atque hoc ipsum confirmat experientia: ad admittenda enim hæc principia in doctrinis, nullus expectat plurium singularium inductionem, vel experimentalem cognitionē, sed facillimo negotio rationes terminorum quisque intelligit, & statim illorū veritatem mente intuetur, præceptoris mediocri diligentia adhibita.

XXVIII. Ad scientiarum inuentionem experientia principiorum regulariter necessaria. At verò qui sola inuentione scientias acquirunt, indigent experientia ad horum principiorum cognitionem: quia sine illa, & sine exteriori adiutorio præceptoris & doctrinæ, non possunt hæc principia satis proponi, aut rationes terminorum satis cognosci, vt illis euidens præbeatur assensus. Atque hoc confirmant testimonia Aristotelis, & vsus ipse satis id ipsum docet. Ratio autem est, quia nostra intellectiua cognitio valde limitata est, & imperfecta, nimiumque a sensu pendet, & ideo sine sufficiente adminiculo eius non potest cum sufficiente certitudine & firmitate procedere, & inde accidit sæpè, vt qui multum de intellectu confidunt, sensum deserentes, facile in rebus naturalibus errent, vt annotauit Aristoteles 8. Physicorum capite 3. Oportet B autem hic limitationem adhibere, nimirum hoc regulariter intelligendum esse: nam adeò posset aliquis pollere ingenio, & tam attentè ac considerate rationem totius & partis, verbi gratia, in vno tantum singulari perpendere, vt veritatem totius principij inde statim eliceret: sicut dicunt Theologi animam Christi ex sola efficacia naturalis ingenij, sine speciali adminiculo supernaturali, ex vno phantasmate elicuisse multas veritates vel principia. Quia medium experientiæ non est tam per se necessarium, quin possit aliunde suppleri.

XXIX. Alia denique sunt principia particularia & propria singularum scientiarum: & de his verisimile est necessariam esse experientiam & collationem multorum singularium ad firmum & euidentem assensum eorum, non tantum via inuentionis, quod est notissimum, sed etiam via disciplinæ: quia rationes terminorum in his principiis non sunt ita notæ ac faciles, vt sufficiat quælibet propositio eorum, nisi is qui addiscit, eas conferat cum singularibus quæ nouit, & videat, cum illis, & cum omni- C bus quæ de talibus rebus expertus est, rectè consentire: nunquam item talia principia, instantiam (vt dicunt) passa esse. Denique in his tanta ferè semper est difficultas, vt vix perueniatur ad assensum proprium principiorum, seu per se notum de illis habendum, sed Inductione, & notitia à posteriori fistatur; ergo signum est ad obtinendum assensum euidentem ex ipsorum terminorum rationibus probè cognitis multam esse necessariam experientiam: maiorem quidem via inuentionis, aliquam verò via disciplinæ: quamuis pro ingeniorum diuersitate, maior etiam, vel minor sufficiat.

XXX. Scientiæ variæ partitiones. Quinto loco proponit tacitè Aristoteles diuisionem artis seu scientiæ (iam enim notauimus hæc nomina indifferenter hic sumi) in scientiam practicam, & speculatiuam, quas in eo distinguit, quod practicę ad vitæ vsum & commoditatē: speculatiuæ solùm ad veritatis cognitionem referantur. Practicas etiam subdistinguit tacitè: nam aliæ ad vitæ necessaria, aliæ verò ad voluptatem (vtique sensibilē) conferunt. Prioris generis sunt vel mechanicæ artes, vt sutoria, &c. vel medicina & similes: posterioris autem generis esse videntur artes quæ vocan- A tur liberales, vt musica, ars etiam pinguendi, omnes deniq; quæ ad oblectandos sensus pertinent. Ab his ergo omnib. separat scientiam speculatiuam, quæ in contemplatione veritatis sistit, & propter eam solū est, adeò vt licet ad illam maxima voluptas cōsequatur, tamen secundum rectum & optimum naturæ ordinem illa non propter voluptatem quæratur, sed propter se se: voluptas autem solum vt iuuet ad fruendum ipsa veritatis consideratione & contemplatione maiori quiete ac perseuerantia. Ex quo rectè colligit hoc genus scientiæ alteri præferri: eosque sapientiores haberi, qui contemplationem veritatis propter se ipsam intendunt. Nobilius enim est id quod est propter se, quàm quod propter aliud: Item quia optimum in homine est veritatis contēplatio: hæc autem eò excellentior est, quò est de rebus altioribus, & quæ ad operationem non ordinātur. Hactenus Aristoteles. Præferuntur practicis speculatiuæ.

Ex quibus tacitè, vt dixi, concludere visus est illum appetitum quem natura homini ad sciendum dedit, maximè propendere in contemplationē veritatis propter se ipsam: quia hæc est suprema hominis operatio. Et consequenter hinc concluditur quod propositum est, hunc scilicet appetitum esse magis inclinari ad speculatiuas scientias, quàm ad alias, quia illæ ordinantur ad veritatem contemplandam propter se ipsam. Vnde non excluditur, quin appetitu sciendi, etiam ad practicas scientias feramur, sed quod vehementius ad speculatiuas. XXXI. Conclusio omnib. Aristotelis aperte consentiens.

Sed quæres an practicæ scientiæ possint etiam appeti propter veritatis cognitionem in ea sistendo, absque vsus vtilitate. Quidam enim generatim negare videntur homines posse appetere scientias practicas tantum sciendi causa, sed solum propter opus. Veruntamen licet scientia practica hoc differat ab speculatiua, quod per se ordinatur ad opus, illa vero minimè, vt suo loco dicetur: hoc tamen non excludit quin practica scientia proximè & immediatè conferat alicuius veritatis cognitionem, imò id necessarium est: alioqui scientia non esset. Omnis autem cognitio veritatis est per se amabilis, etiam si aliam vtilitatem non afferat: nam per se est magna perfectio naturæ intellectualis. Vnde angeli has artes norunt, etiam si ad suum vsum illis nō seruiant. Et ideò scientiæ practicæ etiam sunt appetibiles propter cognitionem veritatis, etiam si in ea sistatur, & ad vsum non ordinetur. Et confirmatur, quia alias reuera non appeterentur ex vi appetitus sciendi, quia appeterentur tantum vt media: medium autem vt medium non appetitur, nisi ex vi propensionis ad finem: & ita Musica non appeteretur, nisi ex vi appetitus voluptatis, vel lucri: & sic de aliis, non autem ex vi appetitus scientiæ vt sic, cum sint veræ, & in suo genere perfectæ scientiæ. Quod etiam experientia docet: multi enim in harum scientiarum exercitio recreantur, non propter vsum, vel vtilitatem, sed solum vt sciant. Regulariter autem solum propter vtilitatem aliquam humanam quæruntur: quia hoc est magis conforme institutioni & fini talium artium: & quia sensibilia commoda vel necessitates aut voluptates frequentius plus mouent: & quia si scientia propter solam veritatem quærenda esset, in aliis scientiis nobiliorib. quæreretur, præsertim cū non possit homo omnib. simul vacare. Sic igitur practicę scientiæ appetibiles quidem sunt, multo tamen magis speculatiuæ, si apppetitus hominis, vt homo est, spectetur, & aliis humanis commodis, aut necessitatibus non impediatur. XXXII. Practicæ scientiæ per se primo solā veritatis cognitionem appetunt.

Totius

Totius quæstionis resolutio.

VLtimò concluditur ex dictis omnibus assertio intenta, Metaphysicam esse maximè appetibilem ab homine vt homo est, tam appetitu naturali, quàm rationali optimè ordinato. Probatur tacitè ab Aristotele in fine eiusdem capitis; quia inter omnes speculatiuas scientias, hæc maximè nomen sapientiæ meretur: cum versetur circa primas causas, omniumque principia, quod à nobis superiori sectione satis declaratum est: si ergo scientiæ speculatiuæ inter omnes maximè appetuntur, inter quas hæc est suprema: erit vtique ex se maximè appetibilis. Tandem maximus hominis appetitus est ad suam naturalem fœlicitatem: hæc autem per hanc scientiam comparatur, vel potiùs in ipsius perfecta assecutione consistit. Nam vt traditur lib. 10. Ethicor. hæc fœlicitas in contemplatione Dei & substantiarum separatarum posita est: hæc autem contemplatio proprius actus est, & præcipuus finis huius scientiæ: ergo & fœlicitas naturalis in actu huius scientiæ consistit: est ergo hic appetitus maximè consentaneus, tam naturæ, quàm rectæ rationi. Su- B perest ergo vt omni diligentia & studio hanc perfectissimam scientiam inuestigemus.

DISPVTATIO II.

De ratione essentiali seu conceptu entis.

HIs suppositis, quæ de obiecto seu subiecto huius scientiæ tradidimus, necessarium in primis est, eius propriam, & adæquatam rationem, ac deinde propietates eius, & causas exponere, & hæc erit prior principalis pars huius operis. In posteriori præcipuam eius partitionem proponemus, atque ita res omnes, quæ sub ente continentur, & illius rationem includunt, vt sub obiectiua ratione huius scientiæ cadunt, & à materia in suo esse abstrahunt, quantum ratione naturali attingi possunt, inuestigabimus, & explanabimus. Vt enim maiori compendio ac breuitate vtamur, & conueniente methodo vniuersa tractemus, à textus Aristotelici prolixa explicatione abstinendum duximus, resque C ipsas, in quibus hæc sapientia versatur, eo doctrinæ ordine ac dicendi ratione, quæ ipsis magis consentanea sit, contemplari. Nam, quod spectat ad Philosophi textum in his Metaphysicæ libris, nonnullæ partes eius parum habent vtilitatis, vel quod varias quæstiones ac dubitationes proponat, easque insolutas relinquat, vt in toto tertio libro, vel quod in antiquorum placitis referendis, & refutandis immoretur: vt ex primo ferè libro, & ex magna parte aliorum constare facilè potest: vel denique quod eadem, quæ in prioribus libris dicta fuerant, vel repetat, vel in summam redigat, vt patet ex libro vndecimo, & aliis. Quæ verò vtilia sunt, scituque digna, & necessaria, insudarunt satis in eis explicandis, prout in litera Aristotelis continentur, varii expositores Græci, Arabes, & Latini, ex quibus nos præcipuè vtemur Alexand. Aphrodisæi, Auerrois, & maximè omnium Diui Thomæ expositione. Rerum verò ipsarum examinationem in sequentibus disputationibus trademus, simulque curabimus Aristot. mentem ac sensum, & singula testimonia, in quibus ferè quæstiones omnes fundari solent, accuratiùs declarare. Vt verò Aristo- Ordoratio- quedoctrinæ in hoc opere seruanda. A telis studiosis omni ex parte satisfaciamus, in fine huius operis indicem quæstionum omnium, quæ circa textum Aristotelis, & seruato eius ordine tractari solent, vel nobis occurrerunt, posuimus, & loca, in quibus nos eos disputamus, designauimus. Quod si fortasse sententiæ aliquæ Aristot. quarum cognitio ad alias scientias vtilis est, in his libris occurrant, quę in nostris disputationibus, seruato doctrinæ ordine, quem instituimus, tractari non possint, in eodem indice breues circa textum Aristot. annotationes tradimus, in quibus, quidquid in disputationibus tactum non est, & aliquid difficultatis, vel vtilitatis habet, declaramus. In præsente ergo disputatione explicanda nobis est quæstio, quid sit ens in quantum ens: nam, quod ens sit, ita per se notum est, vt nulla declaratione indigeat. Post quę- stionem autem, an est, quæstio quid res sit, est prima omnium, quam in initio cuiuscunque scientiæ de subiecto eius præsupponi, aut declarare, necesse est. Hæc autem scientia, cum sit omnium naturaliū prima atque suprema, non potest ab alia sumere, vel probatam, vel declaratam subiecti sui rationem, & B quidditatem: & ideò ipsam statim in initio tradere, & declarare oportet.

SECTIO I.

Vtrum ens in quantum ens, habeat in mente nostra vnum conceptum formalem omnibus entibus communem.

I. Conceptus formalis, & obiectiuus quid sint, & in quo differant.

SVpponenda in primis est vulgaris distinctio conceptus formalis, & obiectiui: conceptus formalis dicitur actus ipse, seu (quod idem est) verbum quo intellectus rem aliquam seu commu- nem rationem concipit, qui dicitur conceptus, quia est veluti proles mentis, formalis autem appellatur, vel quia est vltima forma mentis, vel quia formaliter repræsentat menti rem cognitam: vel quia reuera est intrinsecus & formalis terminus conceptionis mentalis, in quo differt à conceptu obiectiuo, vt iam dicam. Conceptus obiectiuus dicitur res illa, vel ratio, quæ propriè & immediatè per concepcum formalem cognoscitur seu repræsentatur, vt verbi gratia, cum hominem concipimus, ille actus quem in mente efficimus ad concipiendum hominem, vocatur conceptus formalis, homo autem cognitus, & repræsentatus illo actu dicitur conceptus obiectiuus, conceptus quidem per denominationem extrinsecam à conceptu formali, per quē obiectum eius concipi dicitur: & ideo rectè dicitur obiectiuus: quia non est conceptus, vt forma intrinsecè terminans conceptionem, sed vt obiectum & materia circa quam versatur formalis conceptio, & ad quam mentis acies directè tendit, propter quod ab aliquibus ex Auerroe *intentio intellecta* appellatur: & ab aliis dicitur *ratio obiectiua*. Vnde colligitur differentia inter conceptum formalem, & obiectiuum, quod formalis semper est vera ac positiua res & in creaturis qualitas menti inhærens, obiectiuus verò non semper est vera res positiua, concipimus enim interdum priuationes, & alia, quæ vocantur entia rationis, quia solum habent esse obiectiuè in intellectu. Item conceptus formalis semper est res singularis, & indiuidua, quia est res producta per intellectum, eiq; inhærēs: conceptus autem obiectiuus interdum quidem esse

potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest res singularis, & individua, quatenus menti obiici potest, & per actum formalem concipi, sæpè verò est res vniuersalis, vel confusa & communis, vt est homo, substantia, & similia. In hac ergo disputatione præcipuè intendimus explicare conceptum obiectiuum entis vt sic, secundum totam abstractionem suam, secundum quam diximus esse Metaphysicę obiectum: quia verò est valde difficilis, multumque pendens ex conceptione nostra, initiũ lumimus à conceptu formali, qui, vt nobis videtur, notior esse potest.

Variæ sententiæ referuntur.

II. PRima sententia absolutè negat dari vnum conceptum formalem entis, qui reuera sit in se vnus, & præcisus ac distinctus ab aliis conceptib. particularium entium. Ita sentit Caietan. opuscul. de analog. nomin. cap. 4. & 6. Licet enim obscurè loquatur, & distinguat de conceptu perfecto, vel imperfecto, tamen illa distinctio coincidit cum alia Fonsecæ statim tractanda: vnde si attentè legatur, hoc reuera sentit, eumque veritatem attigisse, aut propius ad illam accessisse, dixit Fonseca 4. Metaphys. cap. 2. quæst. 2. sectione 3. Fundamentum est, quia alias ens esset vniuocum, & non analogum, quod infra videbimus esse falsum. Sequela probatur, quia vniuoca sunt quorum nomen est commune, ratio verò substantiæ nomini accommodata est eadem, teste Aristot. initio Prædicamen. sed omnibus entibus commune est nomen entis, ergo vel ratio nominis est vna & eadem, & sic ens erit vniuocum: vel non est vna: & sic nec conceptus formalis entis poterit esse vnus: quia conceptus formalis habet suam vnitatem ex aliqua vna re, vel ratione concepta, quàm adæquatè respicit. Vnde, si ille conceptus est etiam voci seu nomini entis adæquatus, non potest magis esse vnus, quàm sit vna ratio entis illo nomine significata.

III. Secunda opinio, quæ potius est præcedentis explicatio, est Ferrar. 1. contra gent. cap. 34. qui distinguit duplicem conceptum, vnum appellat quid nominis, alium quid rei: priorem dicit posse esse vnum in conceptu entis: posteriorem verò minimè: vtrumque verò fundat in analogia entis. Et explicatur in hunc modum ex communi ratione analogorum: dupliciter enim concipi possunt, vno modo proprio conceptu reali significato per nomẽ, & hoc modo, quatenus analoga sunt, non habent vnum conceptum realem, sed plures, vt patet, tam in analogis proportionalitatis, quàm proportionis seu attributionis: nam si audito hoc nomine, *ridens*, proprius conceptus rei significatæ formetur, nõ vnus, sed duplex conceptus formatur: vnus hominis, qui propriè ac formaliter ridens est: alius bruti, quod solũ per quandam proportionalitatem sic appellatur. Quod si non vterq; horum conceptuum, sed alter tantum formatur, non concipitur illa vox secundum totam analogiam, seu communem significationem ad res illas, sed vel solum prout vniuoca est respectu hominum, vel solum prout translata est, & metaphoricè brutum significat. Et simile est in analogis attributionis, v.g. *sanum*: nam si proprius rei significatæ conceptus formetur, non est vnus, sed multiplex: vnus animalis, quod formaliter, & propriè sanum est, alij aliarum rerũ, quæ per varias habitudines, seu denominationes à sanitate animalis extrinsecus sanæ appellantur. In vtroq; autem ex his analogis potest vnus conceptus valde confusus formari, qui magis est de vocis significatione, quàm de aliqua re, vt si, audito nomine, *sani*, concipias quod habet ordinem ad sanitatem. Sic igitur in præsenti, audito nomine entis, potest formari conceptus cõfusus comprehendens quidquid habet esse, vel habitudinem ad esse: sed hic tantum est conceptus quid nominis, tamen, si reuera concipiantur res illo nomine significatæ, non formatur vnus conceptus, sed plures.

IIII. Sententia Fonsecæ proxima.

Nec multùm ab hac sententia differt Fonseca supra distinguens triplicem conceptum entis, scilicet, distinctum, confusum, & medium, id est, partim cõfusum, partim distinctum. Distinctus est, qui determinatè & expressè repræsentat omnes entitates simplices, quas ens immediatè significat, & hic non est vnus, sed plures. Confusus est, qui repræsentat omnia confusè, & indeterminatè, & hic est vnus. Medius verò qui partim confusus, partim distinctus est, qui determinatè repræsentat vnam naturam, v.g. substantiam, cæteras verò, scilicet quantitatem, qualitatem, &c. implicitè & indeterminatè, quatenus omnes cum substantia proportione quadam conueniunt, & hic etiam vnus esse dicitur.

V. Tot distinctiones conceptuum entis sufficiunt esse portas quàm pauci dari debent.

Sed huiusmodi distinctiones mihi videntur sine causa multiplicari, remque potius confundere, quã explicare. Nam de conceptu formali entis loqui debemus, non iuxta id, cp de rebus omnib. quæ sub hac voce comprehenduntur, cognosci & comprehendi potest, prout in se sunt, sed prout hac voce significantur: alioqui non erit sermo de conceptu entis in quantum ens, sed de conceptu rerum omnium tum existentium, tum etiam possibilium, quatenus tales sunt, & inter se distinguuntur: quomodo à nemine possunt vno conceptu formali distinctè cõcipi, nisi à solo Deo, vt rectè idem author notauit. Hoc autẽ sensu etiam conceptus substantiæ, aut viuentis, si illo modo sit explicitus, & distinctus, erit tantũ ille, quo omnes substantiæ vel viuentia omnia, quatenus talia sunt, distinctè concipiantur, quomodo solus etiam Deus poterit habere eorum formalem conceptum distinctum substantiæ, viuentis, &c.

VI. Dices, substantiam, viuens, & similia nomina nõ significare immediatè has vel illas naturas substantiales, aut viuentes, sed rationem substantiæ, viuentis, &c. & ideo ad formandum conceptum distinctũ respondentem significato talis vocis, non esse necessarium ad particulares naturas descendere, secus verò esse de ente, quia immediatè significat entitates, saltem simplices, id est, non compositas ex natura communi & differentia contrahente. Sed hoc reuera falsum est, vt fusius constabit ex sectione sequente, & nunc breuiter patet ex communi modo concipiendi. Quis enim dicat, ens immediatè significare Deum vt Deus est, etiam si Deus simplicissimus sit, & non compositus ex natura communi & differentia contrahente? Deniq; idem interrogari põt de substãtia, accidente, & aliis generib. vel cõceptib. simplicib. Itẽ, cur magis dicetur ens significare immediatè entitates simplices, quã compositas ex natura communi & differentia contrahente, vt est animal, habitus, &c? nã ens vt sic, generatim omnia sub se comprehendit, &, sicut in conceptu substãtię, vel qualitatis nihil includitur quod non sit ens, ita neque in conceptu animalis, vel habitus. Quod autem conceptus compositus possit resolui in plures, quorum neuter alterũ includat, non autẽ conceptus simplex, parum refert ad mediatam, vel immediatã significationem. Quis enim credat ens immediatè signi-

significare rationale, & non hominem, quià rationale dicit simplicem conceptum, & homo compositum? Itaque sistendo propriè ac præcisè in conceptu formali entis vt sic, non pertinet ad ipsum, vt per eũ concipiantur distinctè particularia entia secundum proprias & determinatas rationes: ideoq; conceptus entis vt sic, si in eo sistatur, semper est confusus respectu particularium entium, vt talia sunt. Et ideò D. Tho. 1. p. q. 14. art. 6. dicit, quod si Deus tantum cognosceret alia à se, in quantum sunt entia, tantum cognosceret in communi, confusè, & imperfectè: vnde concludit, non tantum ea cognoscere secundũ quod communicant in ratione entis, sed etiam secundum quod vnum ab alio distinguitur: sentit ergo conceptum entis vt sic, præcisè in eo sistendo sẽper esse confusum respectu cuiuscunque determinatæ rationis entis, prout in se talis est, & ab aliis distinguitur, siue compositus sit, siue simplex.

VII. Quapropter etiam illud membrum de conceptu partim confuso, partim distincto, est superuacaneũ ad rem præsentem explicandã. Primò quidem, quia cõceptus substantię impropriè dicitur, implicitè vel confusè esse conceptus accidentis: & in vniuersum conceptus proprius primi analogati impropriissimè dicitur esse confusus conceptus cæterorum analogatorum, quę secundaria sunt, quamuis multi ita loquantur dicentes, sicut idem nomen, licet immediatè significet primum analogatum, secundario significat cætera: ita conceptum formalem primi analogati, confusè repræsentare cætera, quatenus illi primo similia sunt, vel proportionalia: nã quod repræsentat distinctè aliquid, consequenter videtur repræsentare, saltem confusè, alia illi similia. Sed hoc quamuis sit parui momenti, & fortasse de modo loquendi, mihi non probatur, quia huiusmodi conceptus proprius & distinctus primi analogati tantum est vnus, & formaliter tantum repræsentat ipsum primum analogatum: in quo non rectè cum nomine comparatur, quia nomen significat per impositionem tantum, & ideò idem nomen, quod primariò ac propriè vnum significat, potest per translationem imponi ad alia secundariò significanda: conceptus autem rei tantum naturaliter repræsentat rem ipsam, & ideò si est proprius & adæquatus conceptus primi analogati secundum propriam rationem eius non potest repræsentare reliqua, vnde nec per se facit illa cognoscere, sed ad summum esse potest, veluti origo, seu occasio, vt alia concipiantur, & denominentur secundũ aliquam proportionem, vel habitudinem ad primũ analogatũ: quod non est satis, vt conceptus specialis & proprius primi analogati dicatur implicitus vel confusus reliquorũ. Deinde interrogo an ille conceptus primi analogati sit idem omnino cum cõceptu, qui respondet proprio nomini eiusdẽ rei seu naturę, v.g. substantiæ, an verò sit diuersus? Hoc posterius dici nõ põt, quia, si vterq; est proprius cõceptus substantię, intelligi non potest, in quo sit diuersitas, vt alter dicatur repræsentare accidentia & nõn alius. Si verò dicatur prius, ergo nõ magis põt ille conceptus dici repræsentare accidẽtia, quã cõceptus proprius hominis alia animalia, imo minus id dici poterit, cũ sit minor similitudo. Item quia alioqui dicendũ esset, substantiã habere vnum conceptũ formalem aliquo modo communẽ substantiæ, & accidenti, quod reuera impropriissimũ est, & in rigore falsum, quia licet accidens dicat habitudinem ad substantiã, tamen conceptus substantiæ nullo modo repræsentat illam habitudinẽ,

Modus loquendi aliorum non probatur.

sed solũ terminũ eius, & illum nõ formaliter sub ratione termini, sed secũdũ absolutã rationẽ suã: ergo hoc nõ satis est, vt ille conceptus dicatur implicitus, vel confusus conceptus accidentis. Atq; idẽ cõsiderari facile potest in cęteris analogatis, seu cõceptibus eorũ: nam cõceptus formalis hominis ridentis vt sic, nullo mõ est conceptus confusus prati, nec conceptus proprius animalis sani est conceptus medicinę, & sic dealiis. Et ratio est, quia id, quod fundat huiusmodi analogiam, vel est aliqua realis conuenientia seu similitudo inter analogata, vt de ente infra dicemus: & illa non repræsentatur per concepum proprium alicuius analogati: vel non est propria similitudo, sed solum proportio quædã, vel attributio, & hæc etiam non satis est, vt conceptus proprius vnius analogati, vt tale est repræsentet aliquo modo reliqua, sed solum formam illam, per ordinem ad quã reliqua talia denominantur, quæ absolute & prout in se talis est, & non cum habitudine ad reliqua, per talem conceptum repræsentatur.

VIII. Addo vlteriùs. Quidquid sit de hoc loquẽdi modo, quod determinatus conceptus substantiæ dicatur confusus reliquorum generum entium, seu accidentium; tamen adhuc ille dici non potest conceptus formalis entis vt sic, tum quia ille est proprius conceptus formalis substantiæ, vt substantia est, cõceptus autem proprius entis esse debet diuersus à conceptu substantiæ, quandoquidem ens rectè diuiditur in substantiam & accidens; tum etiam, quia ens non significat immediatè substantiam, vt infra ostendam: ergo nec immediatè exprimit proprium formalem conceptum substantiæ. Relinquitur ergo, conceptum formalem entis vt sic, comparatum ad determinata entia, vt talia sunt, semper esse conceptum confusum & indistinctum in repræsentando hoc, vel illud ens. Dico autem, respectu particularium entium, vt talia sunt, quia respectu eius obiecti cp immediatè & propriè repręsentat (quodcũque illud sit) dici potest, & reuera est proprius & distinctus conceptus, sicut idem conceptus animalis, qui respectu hominis est confusus, respectu animalis vt sic, est proprius & distinctus, quãuis sub hac eadem comparatione idem conceptus simplex soleat dici confusus, respectu illius conceptus compositi, quo animal per suam definitionem concipitur. Atq; simili modo potest, vel in diuersis hominib. vel in vno diuersis temporibus, vnus conceptus entis esse distinctior alio, & è contrario vnus potest vocari confusus respectu alterius distinctioris, quatenus contingit ipsammet rationem seu quidditatem entis vt sic, magis vel minus perfectè cognosci: quæ distinctio conceptuum formalium nihil ad propositũ refert: quia magis est ex parte concipientis, & ex perfecto vel imperfecto lumine, vel modo concipiendi, quàm ex habitudine ad obiectum, quàm hic præcipuè consideramus.

Vera sententia.

IX. His ergo distinctionibus prætermissis dicendum est conceptum formalem proprium & adæquatum entis vt sic, esse vnum, re & ratione præcisum ab aliis conceptibus formalibus aliarum rerum & obiectorum. Hæc est communis sententia, vt fatetur Fonseca supra, tenent eam Scotus & omnes eius discipuli, vt videbimus sect. sequent. Capreol. in 1. distinct. 2. quæst. 1. conclus. 1. & 9. & in responsionibus ad argument. contra illas; & Caietan. de ente & essen. cap. 1. q. 2. qui citat D. Tho. q. 7. de pot.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de pot.art.5.& 6.Soncin.4.Metaphys. q.1.Iauell. q. A
1.Flandria q.2.art. 6. Heruæus quodl.2.q.7.Soto in prædicam.ca.4. q.1. & plane colligitur ex D.Thom. locis citandis, sect. seq. Et probatur primò experiẽtia, audito enim nomine entis experimur mentem nostram non distrahi neq; diuidi in plures conceptus, sed colligi potius ad vnum, sicut cum concipit hominem, animal, & similia. Secundò, quia, vt Aristoteles dixit 1. de Interpret. per voces exprimimus nostros formales conceptus: sed hæc vox, *ens*, non solum materialiter est vna, sed etiam vnam habet significationem ex primæua impositione sua, ex vi cuius non significat immediatè naturam aliquam sub determinata, & propria ratione, sub qua ab aliis distinguitur. Vnde nec significat plura vt plura sunt, quia non significat illa secundum quod inter se differunt, sed potius vt inter se conueniũt, vel similia sunt: ergo signum est huic voci respondere etiam in mente vnum conceptum formalem, quo immediatè & adæquatè concipitur, quod per hanc vocem significatur. Vel potius è contrario hoc signo colligimus, ex tali modo concipiendi res vno conceptu, talis nominis impositionem processisse. B
Tertiò argumentari possumus ex conceptu existentiæ: videtur enim per se euidens, dari vnum conceptum formalem existentiæ vt sic, quia, quoties hoc modo de existentia loquimur, & disputamus tanquam de vno actu, reuera non formamus plures cõceptus, sed vnum: ergo etiam conceptus formalis existentis vt sic, vnus est, quia sicut concipitur abstractum per modum vnius, ita & concretum vt sic, præcise constitutum: ergo similiter enti vt sic, vnus conceptus formalis respondet: nam ens vel est idẽ, quod existens, vel, si sumatur, vt aptitudine existẽs, conceptus eius habet eandem rationem vnitatis. Hinc etiam conceptus entis, non solum vnus, sed etiam simplicissimus dici solet, ita vt ad eum fiat vltima resolutio cæterorum, per alios enim conceptus concipimus tale, vel tale ens; per hunc autem præscindimus omnem cõpositionem & determinationem, vnde hic conceptus dici etiam solet ex se esse primus qui ab homine formatur, quia, cæteris paribus, facilius de quacunque re concipi potest, quæ omnia tradit D. Thom. q.1. de veri. articul. 1. & q. 21. artic. 1. & Auicen. 2. Metaph. Quapropter de vnitate huius conceptus communissimi, & confusi, ferè nullus est, qui dubitet: ostendimus autem nullum alium posse verè ac propriè dici conceptũ entis vt sic, qui non sit confusus respectu particulariũ entium, vt talia sunt. Tandem, si conceptus formalis entis non est vnus; erunt ergo plures: quot ergo erunt? non est maior ratio de duobus, quam de tribus, vel quolibet alio numero: quia, si multiplicantur hi conceptus, necesse est multiplicari iuxta aliquam diuersitatem rerum, vel entitatum sub latitudine entis comprehensarum: hæ autem entitates in infinitum possunt multiplicari, & secundum proprias rationes distingui, & si semel ponitur, conceptum vel conceptus entis vt sic, repræsentare determinatas nãturas entis, etiam vt distinctas, non est vlla ratio, cur sistendum sit in duabus potius, quam in tribus vel quatuor, &c. vt euidentius constabit ex his, quæ sect. sequente dicemus de conceptu obiectiuo: nam, licet formalis, quatenus à nobis, & in nobis fit, videatur esse posse experientia notior, tamen exacta cognitio vnitatis eius multum pendet ex vnitate obiecti, à quo solent actus suam vnitatem & distinctionem sumere. C

X. Ex quo intelligitur primò, quo sensu quaue ratione hic conceptus formalis dicatur secundũ rem ipsam præcisus ab aliis conceptibus, scilicet, quia à parte rei est realiter distinctus à conceptu substantiæ vt sic, accidentis, qualitatis, & cæteris similibus: loquimur enim in intellectu humano, qui dum ea etiam, quæ in re distincta non sunt, mente diuidit, in se ipso conceptus partitur, cõceptus realiter distinctos formãdo eiusdem rei secundum diuersam præcisionem, vel abstractionem rei conceptæ, quomodo conceptus formales iustitiæ, & misericordiæ diuinæ in nobis sint realiter præcisi, seu distincti, quãuis misericordia & iustitia in se non distinguantur. Sic igitur conceptus entis vt sic, cum in repræsentãdo præscindat à propria ratione substantiæ vt sic, accidentis, & omniũ aliarum, necesse est, vt in se sit realiter præcisus, & distinctus à conceptibus propriis talium rationum vel naturarum, vt tales sunt; & hoc etiam facile omnes fatentur.

XI. Secundò colligitur ex dictis, hunc formalem cõceptum entis, sicut in se est vnus secundum rem, ita etiam secundum rationem formalem suam, & secũdum eam etiam esse ratione præcisum à conceptibus formalibus particularium rationum. Patet primò, quia hic conceptus in se est simplicissimus, sicut obiectiue, ita etiam formaliter: ergo in se habet vnam simplicem rationem formalem adæquatam: ergo secundum eam præscinditur ab aliis conceptib. formalibus. Secundò, quia, sicut mens nostra præscindendo ea, quæ in re non distinguuntur, in se ipsa realiter distinguit conceptus formales suos, ita è conuerso confundendo, & coniungendò ea, quæ in re distinguuntur, quatenus in se similia sunt, vnit conceptum suum, formando illum re & ratione formali vnũ: hoc autem modo cõcipiũtur entia hoc formali conceptu entis: sumit enim mens illa omnia solũ, vt inter se similia in ratione essendi, & vt sic, format vnam imaginem vnica repræsentatione formali repræsentantem id, quod est, quæ imago est ipse conceptus formalis: est ergo ille conceptus simpliciter vnus re & ratione formali, & secundum eam præcisus ab his conceptibus, qui distinctius repræsentant particularia entia seu rationes eorum.

XII. Tertiò sequitur, hunc conceptum formalem entis non solum esse vnũ, sed etiam non posse esse plures secundũ habitudinẽ ad obiecta magis determinata, seu distinctius concepta ex parte obiectorum. Possunt quidem hi conceptus formales multiplicari, vel secundum numerum in diuersis subiectis, vel in eodem diuersis temporibus, fortè etiam secundũ speciem ex parte concipientis altiori modo, vel cum maiori claritate, & distinctiori apprehensione ipsius rationis formalis entis vt sic (quamuis fortasse tota hæc distinctio sit solum secundum magis & minus intra eandem speciem, maximè sistendo in conceptibus, qui ab homine naturaliter formari possunt) at verò ex maiori vel minori determinatione obiecti non potest conceptus entis vt sic, multiplicari: quia, vt ostensum est, hoc ipso, quod non sistitur in communi cõceptione entis vt sic, sed descenditur ad hoc & illud ens vt talia sunt, licet multiplicentur conceptus formales, non tamen conceptus entis vt sic; sed adiungendo conceptum substãtiæ, vel accidentis, &c.

XIII. Quartò colligitur ex dictis, falso vocari hunc cõceptum tantum nominis, & non rei significatæ nomine entis, & secundum eam rationem, qua per illud significatur. Primò, quia, vt dixi, hic conceptus prior

prior est voce, & impositione eius ad res tali modo A
significãdas. Nam, licet quoad nos conceptus sæpè formentur mediis vocibus: tamen secundum se, & simpliciter, prior est conceptus, qui ex se parit vocẽ, qua exprimitur, & est origo impositionis eius: ergo talis cõceptus est simpliciter & absolutè cõceptus rei secundũ se, & nõ tantũ in ordine ad significationem vocis, vt hac ratione dicatur conceptus nominis, seu quid nominis. Secundò, quia hic conceptus est per modũ cuiusdã simplicis imaginis naturaliter repræsentãtis id quod per vocẽ ad placitũ significatur; sed in hoc tantũ cõsistit, quod sit cõceptus rei, quãquã, quia cõceptus ille simplicissimus est, & ideò obiectũ eius non põt propria definitione declarari, ad illud explicandũ vti solemus descriptionibus, quę solùm videnť nominis significationẽ distinctiùs declarare; & hoc modo põt in bono sensu dici conceptus ille esse quid nominis, dummodò non excludatur, quin ille sit proprius, & adæquatus conceptus rei immediatè significatæ per illam vocem.

XIIII. Quorũ analogorũ detur vna ratio cõmunis.

Fundamentũ primæ sententiæ (nam de secunda iam satis dictũ est) tangit materiam de analogia entis infrà tractandã, & pendet ẽt ex dicẽdis de cõceptu B
obiectiuo, nam multi existimant vnitatẽ cõceptus formalis non repugnare analogiæ, sed vnitatem cõceptus obiectiui, de qua re posteà. Nunc breuiter dicitur ex D. Tho. in 1. d.19.q.5.art.2.ad 1. inter analoga attributionis quędã esse, quę significant formam, quę intrinsecè tantũ est in principali analogato, in aliis verò solùm per habitudinẽ, vel denominationẽ extrinsecam: vt sanũ, & similia, & his repugnat vnitas cõceptus formalis: quia analogata non habẽt inter se propriam similitudinẽm & conuenientiã. Alia verò esse, quę significant formam seu naturã intrinsecè inuentam in omnibus analogatis: & huiusmodi est ens, vt infrà videbimus, nam accidentia non sunt entia per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam naturã seu rationẽ entis, quã participãt: & in huiusmodi analogis non est inconueniens dari vnum conceptum formalem simpliciter & absolutè in se vnum re & ratione formali adequata; in quo aũt eius analogia consistat, infrà explicabitur.

SECTIO II.

Virum ens habeat vnum conceptum seu rationem formalem obiectiuam. C

I. Ratio dubitandi. 1.

RAtio dubitandi duplex est. Prima tacta est sect. præced. fundaturque in analogia entis, quia, si conceptus eius obiectiuus est vnus, vel vnitate vniuocationis, & sic tollitur analogia; vel vnitate tantum analoga, & sic vel reuera non est vnus; vel est repugnantia in terminis, quia analogia intrinsecè includit vel plures rationes habentes tantum inter se proportionem, vel plures habitudines ad vnam formam, ratione quarum conceptus obiectiuus nominis analogi non potest esse vnus. Quod declaratur, & confirmatur, quia vt ens habeat vnum conceptum obiectiuũ, necesse est vt omnia entia conueniant in vna ratione formali entis, quæ per nomen, *ens*, immediatè significetur, quia vnitas conceptus obiectiui requirit vnitatem rei, vel saltem rationis formalis; si autem omnia entia conueniũt in vna ratione formali: ergo vt sic, habent vnam, & eandem definitionem, sicut vnum conceptum obiectiuum: quia, si conceptus obiectiuus vnus est, ẽt definitio eius potest esse vna: ergo nihil deest enti ad perfectam vniuocationem.

II. Secunda. Secunda ratio dubitandi est, quia, si cõceptus obiectiuus entis est vnus, ergo secundum se est præcisus & abstractus ab omnibus inferioribus, seu determinatis entium rationibus: consequens est impossibile: ergo & antecedens. Sequela patet, quia si conceptus entis est vnus, ergo formaliter & actualiter non includit in se determinatos modos entium: illi. n. intrinsecè opponuntur, & distinctionem efficiunt: vnde impossibile est vt in vno conceptu obiectiuo actu includantur: ergo vt cõceptus entis sit vnus, necesse est vt ab his omnibus præscindat: hoc autem esse impossibile sic ostendo, quia si ens vt sic, præscindit à determinatis rationibus entium: ergo vt ad eas contrahatur seu determinetur, aliquid ei addi necesse est: ergo vel id quod additur, est ens, vel nihil; si nihil, quomodò potest ens realiter determinare, & propriam aliquam rationem entis constituere? si verò est ens, ergo non potest ens vt sic, ab eo præscindi, nam quod ab alio præscinditur, non includitur in illo. Neq;. n. intelligi potest quod ens præscindatur à modis quibus contrahitur; & quod nihilominùs in eis intrinsecè includatur: neq; ecõtrario q̃ modus contrahens ens, nihil includat nisi ens, & tamẽ q̃ illud determinet ad specialẽ rationẽ entis. Nã cõtractio, & determinatio nõ intelligiť sine additione: nõ põt aũt intelligi additio, nisi id quod additur tale sit, vt non includat id cui additur, aut secundum rem, aut secundũ rationẽ, iuxta modũ quo addi intelligiť. Et cõfirmatur, nã ob hãc causam dixit Arist. 3. Metap. tex. 10. genus esse extra rationẽ differentiarum, sc. quia abstrahit, & præscindit ab illis: ergo, si conceptus obiectiuus entis est præcisus & vnus, necesse est, vt in contrahentibus non includatur.

III. Ratio difficultatis in contrarium.

In contrarium aũt est, quia vni conceptui formali vnus conceptus obiectiuus necessariò respondet: sed ostensum est dari vnum cõceptum formalem entis: ergo necessariò dandus est vnus obiectiuus. Maior constat, quia conceptus formalis habet totam suam rationem & vnitatem ab obiecto: ergo, vt sit vnus, necesse est vt tendat in obiectum aliquo modo vnũ: sed conceptus obiectiuus nihil aliud est, quàm obiectum ipsum vt cognitum vel apprehensum per talẽ conceptum formalem: ergo si conceptus formalis est vnus, necesse est vt obiectiuus etiam vnus sit.

Variæ sententiæ referuntur.

IIII. Prima sententia. Caiet. Soncin. Hilpal. Heruæus, Flandria. Pereira. 2. phys. c. 2. in fine.

IN hac quæstione, qui negant dari vnum conceptum formalem entis, cõsequenter etiam negant dari obiectiuum. Et ita sentit Caietan. locis cit. sect. præced. in prima opinione, & Ferr. loco citato. Ex his verò qui admittunt vnum conceptum formalem entis, negant vnum obiectiuum Soncin. 4. Metaph. q.2. & 3. & Hispal. in 1. d.3. q.1. Heruæus & Flandr. locis cit. sect. præced. Tribuitur ẽt Capreolo, sed reuera id non docet, vt infrà dicam. Citatur etiam pro hac sententia D. Tho. 1.p. q.13. art.5. q.7. de potentia, art.7. q.2. de verit. art.11. quibus locis significat, vocibus quæ communes sunt Deo, & creaturis, non respondere vnam rationem cõceptã seu significatã, sed plures. Fundamenta huius opinionis tacta sunt in principio: nam licet plura argumẽta ab his authoribus afferantur, tamen vis omnium in duabus difficultatibus tactis posita est. Nõ conueniũt aũt prædicti authores in explicãdo conceptũ, vel potius cõceptus obiectiuos, qui enti correspõdẽt. Quidã. n. aiũt, immediatè repræsentari per cõceptũ formalẽ entis omnia genera entiũ, quatenus inter se habẽt aliq̃ pportionem vel habitudinẽ, vt Ferrar. & idem sentit

Universidad de Deusto
Biblioteca y...

Caiet. Alij verò dicunt, per conceptum formalem entis immediatè repræsentari hoc disiunctum, *substantia vel accidens*, vt Soncinas, Heruæus, & alij. Rursus alij dicunt repræsentari absolutè omnia genera, seu rationes, vel conceptus simplices, non copulatinè, nec disiunctiuè, vel simpliciter, vt Fonseca 4. Metaph. c. 2. q. 2. sect. 4. & 7.

2 Sententia.

Secunda sententia omnino contraria est, dari cõceptum obiectiuum entis simpliciter vnum. Hanc tenet Scot. in 1. d. 3. q. 1. & 3. d. 8. q. 1. & in 2. d. 3. q. 3. & 6. Iauell. 4. Metaph. q. 1. Soto in prædicam. c. 4. q. 1. & in eadem opinione est Capreolus in 1. d. 2. q. 1. Est tamen diuersitas inter hos authores: nam Scotus ponit hunc conceptum ex natura rei præcisum ab inferioribus naturis, & modis contrahentibus ens: Alij verò solùm ponunt hanc vnitatem conceptus obiectiui ex modo concipiendi nostro, absq; præcisione & distinctione quæ sit in rebus: de qua diuersitate opinionum dicemus sect. seq. De alia verò differentia quæ etiam est inter hos authores quoad vniuocationem, vel analogiam, dicemus inferius.

Scotus. Iauell. Sotus. Capreol.

VI.

Tertia opinio media inter prædictas, vtitur distinctione, & variis modis explicatur. Quidam. n. dicunt, conceptum entis obiectiuum in se & absolutè sumptum sine inferioribus, esse vnum, & ratione præcisum ab illis, tamen comparatũ ad inferiora, & vt inclusum in illis, non esse vnum; & ita conciliant rationes dubitandi in principio adductas: nam, quia per conceptũ formalẽ entis concipitur ens secundũ se, & sine vlla comparatione ad inferiora, necesse est vt sub hac saltem consideratione conceptus ille obiectiuus habeat vnitatem. Quando verò hic conceptus consideratur, vt in ipsis inferioribus existens, non põt habere vnitatẽ: differunt. n. ipsa inferiora, v. g. substantia & accidens, per id ipsum quo entia sunt: ergo non possunt in illo vt sic, habere vnitatẽ, quia non possunt secundũ idem cõuenire & differre, & hanc ẽt posteriorem partẽ cõfirmãt rationes dubitandi in principio positæ. Aliter Fonseca supra, supposita illa distinctione de conceptu confuso, distincto, & medio, seu partim confuso, partim distincto, de hoc tertio conceptu dicit posse quidem esse vnum, non tamen præcisum ab inferioribus, sed esse conceptum subsũtię, v. g. de cõceptu autem distincto similiter dicit non esse vnũ adequatum enti, nisi fortasse in Deo, in nobis verò includere conceptum subsũtię, qualitatis, &c. Sed, vt dixi, hi reuera non sunt conceptus entis vt sic. Tandem de conceptu cõfuso entis, qui ad rem spectat, ait quodammodo esse vnum & præcisum, nõ tamẽ simpliciter, sed secundũ quid. Esse quidem aliquo mõ præcisũ quia non expressè & determinatè continet id, quod est ꝓprium inferiorũ membrorũ, nõ esse aũt simpliciter præcisum, ẽt secundũ rationẽ, ne sequatur illum esse vniuocũ. Declarat aũt, hanc præcisionẽ esse secundum quid, & nõ simpliciter, quia hic conceptus confusus entis ita excludit ea quæ sunt propria substantię, & cęterarũ entitatũ simpliciũ, vt tamen eius essẽtia non sit alia, quã essentia huiusmodi entitatũ.

VII.

Sed hę distinctiones, vt præcedente sectione attigi, mihi non videntur deseruire ad rem explicandã; sed quò ampliùs multiplicantur, eò magis res videtur obscurari, & confundi. Omissis ergo conceptibus distinctis seu particularibus, substantiæ, & aliorum generũ seu mẽbrorũ diuidentiũ ens in cõmuni, hîc solum agimus de eo cõceptu obiectiuo, qui immediatè, & adęquatè respondet illi conceptui formali, quem diximus sect. præcedenti correspondere in mente huic voci, *ens*, & rei immẽdiatè significatæ per illam: cæteri. n. conceptus particulares secundũ se sumpti non sunt conceptus entis in quantum ens, sed vt sunt talia, vel talia entia.

Prior assertio.

VII. Datur ratio conc. obiectiui.

DIco ergo primò, conceptui formali entis respondere vnũ conceptum obiectiuũ adęquatũ & immediatum, qui expressè non dicit substantiam, nẽq; accidens, neq; Deum nec creaturam, sed hæc omnia per modum vnius, sc. quatenus sunt inter se aliquo modo similia, & conueniunt in essendo. In hac conclusione conueniunt authores secundæ sẽtentię, & Fonseca non dissentit, & plurimùm fauet D. Tho. locis suprà, cit. de veritate q. 1. art. 1. q. 21. art. 1. quatenus dicit, cõceptũ entis esse simplicissimum, & primũ omniũ, determinarique; ad substantiã, quantitatem, &c. per quandã determinationẽ, & expressionem talis modi entis, vbi necesse est esse sermonem de conceptu obiectiuo; nam formalis non determinatur, nec cõtrahit. Vnde apertiùs 1. p. q. 5. a. 3. ad 1. ait D. Tho. *Substantia, quantitas, & qualitas cõtrahunt ens, applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturã*: cõtractio aũt intelligi non põt sine aliqua vnitate, & cõmunitate cõceptus obiectiui. Atq; eodem mõ fauet huic sentẽtię Arist. 4. Met. text. 7. vbi inquit, Metaphysicam considerare ens in quantũ ens, sub quo alia genera cõtinentur; vbi D. Tho. ait, primã Philosophiã cõsiderare ens cõmune, & ea, quę sunt eius in quantũ huiusmodi. Ratione põt hęc sentẽtia ita ꝓbari. Necesse est, cõceptũ formalẽ entis habere aliq; adęquatũ obiectũ; sed illud nõ est aggregatũ ex variis naturis entiũ secundũ aliquas determinatas rationes earũ, quantũuis simplices: ergo oportet, vt ille cõceptus sit vnus secundũ aliquã cõuenientiã & similitudinẽ entiũ inter se. Cõsequẽtia est euidens à sufficiente enumeratione, quia supponimus (quod est per se notũ) illũ cõceptũ obiectiuũ nõ esse vnum vnitate reali, id est, numerali seu entitatiua: nam cõstat hũc conceptũ esse cõmunẽ multis rebus. Maior item assumpta euidẽs est, quia ille cõceptus formalis est actus intellectus; omnis aũt actus intellectus, sicut & omnis actus, quatenus vnus est, habere debet aliquod obiectum adęquatũ à quo habeat vnitatem. Minor verò probat, quia, si obiectũ illud adęquatũ est ex aggregatione pluriũ naturarũ entis, quęro, quę sint istę naturę, & quomodò in illo cõceptu aggregẽtur, nullo. n. modo id cõcipi, & intelligi põt. Quod patebit etiam, excludẽdo omnes modos quibus id assertum est, vel excogitari potest.

IX. Ens non significat substantiam vel accidens immediatè.

Primò enim, quod Soncinas ait cõceptum illum cõstare ex substãtia & accidente vt sic, est planè falsum: nam, vel in illo cõceptu includũtur illa duo copulatiuè; & hoc ipse non dicit, nec dicere potest: alias falsò diceretur substantia esse ens, vel qualitas esse ens, quia nec substantia est substantia & accidens, neq; qualitas, & sic de aliis. Aut includuntur illa duo disiunctiuè, vt ipse Soncinas dicit; & hoc, præterquã quod est contra experientiã, vt statim dicam, ex illo sequitur vniuocatio entis, quam ipse vitare intendit: nã hoc disiunctũ, *substantia vel accidens*, tã verè, simpliciter, & ęquè primò cõuenit accidẽti, sicut substãtię, quia sicut ad veritatem disiunctiuè sufficit veritas vnius partis; ita vt prędicatũ disiũctũ ęquè primò ac simpliciter prędicetur, sufficit vt vna pars eius ęquè primò ac simpliciter subiecto conueniat: tam verè aũt & tam propriè accidẽs est accidẽs, sicut substantia est substãtia: ergo disiunctũ illud tam verè ac propriè cõuenit accidenti ratione vnius partis, sicut subs-

substantię ratione alterius. Quod in omnibus similibus prædicatis videre licet: nã esse Deũ vel creaturam, v. g. tã verè ac propriè dicitur de homine, sicut de Deo, & sic de aliis. Vel deniq; includunt illa duo simpliciter, id est, absq; cõiunctione, vel disiunctione, sc. *substantia accidens*. Et hoc inprimis est cõtra experientiam, quia id quod concipit, mente ꝑcipitur, & hoc mõ sub experiẽtiam cadit; nos aũt, audito nomine *entis*, & cõcipiendo præcisè id quod hac voce significari intelligimus, non percipimus mente substantiam vt sic, neq; accidens vt sic, vt quilibet in se se experiri potest. ¶ Deinde ille cõceptus formalis simplex est, & limitatus, ac re ipsa præcisus à ꝓpriis conceptibus formalibus substantię, & accidẽtis, vt talia sunt: ergo per illũ nõ representãtur substantia, & accidẽs ꝓpriè & distinctè, sicut representant ꝑ duos cõceptus substantiæ, & accidentis. Neq; n. dici põt, ꝙ ille vnus cõceptus entis eminẽtiori mõ contineat totã illam formalẽ representationẽ, quę est in duobus illis conceptibus simul sumptis: nã hic modus vniuersalitatis in conceptu formali est alienus ab intellectu humano, de quo agimus, & vix reperitur in angelico: nõ est ergo ille conceptus vniuersalis per eminentem representationem pluriũ, vt plura sunt, sed per confusionẽ plurium vt aliquo mõ vnum sũt. Quod si per illũ conceptũ non representantur substãtia & accidẽs tam ꝓpriè ac distinctè, sicut per duos proprios conceptus substantię, & accidẽtis, nõ intelligitur mediũ, quomodò representari possint secundum propria, sed tantum prout inter se sunt aliquo mõ similia: ergo nõ cõstat conceptus ille ex substãtia & accidente representatis ẽt dicto modo absolutè & simpliciter.

X.

Accedit præterea ꝙ iuxta huiusmodi cõceptum vix intelligit, quid definitè prędicetur de aliquo, cũ dicitur esse ens: nam id, quod prędicat, est cõceptus obiectiuus: si ergo ille cõceptus est totum hoc substantia accidẽs, hęc prędicatio, hoc est ens; equiualet huic: hoc est substãtia accidẽs; huiusmodi aũt ꝓdicatio nõ põt determinatè fieri aut verè, vel falsò, nisi vtraque pars prędicati intelligat copulatiuè aut disiunctiuè prędicari, cum illę duæ partes non coniungantur per modũ substantiui & adiectiui, vt per modum vnius prędicentur: quamuis, etiam si hoc modo fieret, sensus rediret copulatiuus, & fieret falsa propositio. Rursus accedit contra totam hanc sententiã, quia si in illo cõceptu reperitur vtrumq; horum, substantia & accidens quocunq; ex prędictis modis; inquiro vlterius, quis conceptus substantię ibi includatur: nam substantia vel ibi sumitur pro substantia creata, vel pro increata, vel pro aliquo cõceptu obiectiuo communi vtriq;. Primum & secundum dici nõ possunt: quia ens, de quo nunc loquimur, commune est enti creato, & increato, prout supra diximus esse obiectũ huius sciẽtię: si verò dicatur tertiũ, cõsurgit inde argumẽtũ ad hominẽ cõtra ꝓdictos authores, tamẽ quia substantia est quid analogũ ad increatã, & creatam substantiam: ergo si, nõ obstãte analogia, dat vnus cõceptus obiectiuus cõmunis substãtię creatæ & increatę, poterit ẽt dari cõceptus entis. Tũ ẽt quia magis distat substãtia creata ab increata, quã accidẽs à substantia creata: oporteret ergo, cõsequẽter loquẽdo, addere aliquid illi cõceptui, dicẽdo cõstare ex determinata ratione substãtię creatę, & accidentis, ꝙ tamẽ per se est incredibile, & efficacius impugnari põt argumẽtis factis. Et adhuc superest simile argumẽtum ex parte alterius membri, sc. *accidẽs*: nam hoc ẽt secũdũ prędictos authores analogũ est, & saltẽ respectu aliquorum accidentium est fortasse verũ, vt infra dicã: inquirã ergo similiter an accidens intret conceptum entis, secundum aliquẽ conceptũ cõmunẽ, vel (vt ita dicã) secũdũ partẽ conceptus obiectiui cõmunis omnibus accidentibus: & contra vtrumq; possunt applicari argumenta facta, ac deniq; potest concludi, hoc etiam membrum esse in plura alia diuidendum.

XI. Conceptus entis nõ includit genera omnia prima.

Propter hanc ergo fortasse causam dixerunt alij obiectum adęquatum illius conceptus formalis entis esse, vel includere genera omnia prima seu omnes entitates simplices, quę proximè diuidũt ens. Sed cõtra hãc sentẽtiã ꝓcedunt eodẽmõ priora argumenta. Primum, quia tales naturę nec copulatiuè nec disiũctiuè, nec simpliciter, & absq; vlla copula possunt in tali conceptu includi, vt patet applicando eodem mõ discursum factum: habet enim eandem vim, vt facile cuiuis cõsideranti patebit. Secundum, ab experientia, quia ex vi conceptionis entis nõ percipimus has omnes definitas naturas entis, vt tales sunt, & prout inter se distinguuntur: multoque difficilius esset, tot percipere naturas, quam substãtiã & accidens tantũ: multoq; incredibilius est dari vnum cõceptum formalẽ in nobis, qui distinctè repręsentet has omnes naturas, quam solã substantiã, & accidens: ꝙ si cõceptus formalis entis non ita distincte repræsentat has naturas vt tales sunt, & prout inter se distinguuntur, concluditur, solum repræsentare illas prout inter se se conueniunt, & aliquo modo similes sunt, quod est intentum. Sequela verò patet, quia, vt paulo antea declaraui, inter hæc duo non potest in præsenti medium inueniri. Tertium; quia ferè eadem ratione, qua dicitur conceptus hic obiectiuus entis includere omnia prima genera, vel omnes entitates simplices, dicendus esset includere omnes entitates, quantumuis compositas, hominem, leonem &c. secundum proprias rationes suas: quod nullius hactenus dixit. Sequela patet, quia, si ens includit in conceptu suo omnia genera, vel naturas simplices; vel est quia ratio entis vt sic, secundum rem non præscindit ab ipsis, vel est, quia illæ nihil addunt supra ens, quod non sit ens: vel est, quia ratio entis secundum rationem intelligitur immediatè determinari, seu contrahi ad illas naturas. At verò prima & secunda harum rationum eodẽmodo procedunt in quacunq; entitate, etiam in speciebus infimis, nam secundum rem, non magis præscindit rõ entis à ratione hominis vel equi &c. quam à ratione substantiæ & accidentis, neq; etiam homo addit supra ens aliquid quod non sit ens, magis quam substantia, vel quantitas &c. Tertia vero ratio non affertur consequenter, quia, si ens vt sic, non dicit vnam obiectiuam rationem seu conceptum: nihil est in ente vt sic, quantumuis ad rem conceptam, quod propriè diuidi, determinari, aut contrahi possit, neq; immediatè, neque mediatè: ergo illa ratio nihil obstat, quo minùs omnes entitates quæcunque illæ sint, includantur in conceptu entis si aliquæ dicuntur determinatè includi, nec de quibusdam poterit sufficiens ratio assignari magis, quam de aliis.

XII.

Propterea tandem aliter dici potest, in obiecto adęquato conceptus formalis entis non includi plures naturas entis determinatas ac distinctas secundũ propria, neq; omnes sub vna aliqua ratione cõmuni; sed vnã tantũ determinatè & expressè, alias verò implicitè, & cõfusè, v. g. naturã substantię vt sic, determinatè & expressè, naturas verò accidẽtiũ implicitè. Sed hic ẽt modus non minùs efficaciter impugnari

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cõceptus entis nõ includit substantiam explicite, & alia implicite.

põt, quã precedẽtes. Primò, quia supra ostendi, per conceptũ formalem explicitè & determinatè repræsentãtẽ substantiã, vt substãtia est, nullo mõ repræsentari accidentia, neq; implicitè, neq; cõfusè, si ꝓpriè loquamur, vt latè declaraui sect. præc. Secundò hic ẽt vrgeri põt argumentũ sumptũ ab experientia, ex Soto, nam experimur de aliqua re nos cõcipere q̃ sit ens, & dubitare, an sit substãtia, vel accidẽs, vt v.g. de quantitate, euidenter scimus esse realitatẽ, an verò sit substantia, vel accidens, vel dubitamus, vel in opinione versatur: ergo in illo conceptu entis non includitur substãtia, vt substãtia, id est, expresè, & secundũ ꝓpriam rationẽ. Tertiò, quia alias idẽ esset cõceptus obiectiuus entis, & conceptus obiectiuus substantiæ; quia conceptus obiectiuus substãtiæ nihil aliud est, quam ratio substantiæ determinatè & secundũ ꝓprium modum ab intellectu cõceptę: sed eodem mõ dicit̃ concipi ratio substantiæ per conceptũ entis. Rursus si in ratione substantiæ sic concepta includũtur confusè vel implicitè cõceptus accidentiũ, siue significetur nomine entis, siue nomine substantiæ, includẽtur eodem mõ, quia ratio concepta est eadem, & modus cõcipiẽdi illam est idem, sc. expresè, ac determinatè: conceptus ergo obiectiuus substantiæ & entis erit idem: consequens autẽ est planè falsum, & contra communem modum cõcipiẽdi: nã hęc prędicatio substãtia est substãtia, est idẽtica: hęc aũt minimè: substantia est ens: nõ ergo differunt tantum in nominibus, sed etiam in rationib⁹ obiectiuis, quę prędicantur. Item alias perinde esset distribuere omnem substantiã, & omne ens. Item tã falsa esset hęc, ꝓpositio accidens est ens, sicut hęc accidens est substantia: quę omnia sunt planè falsa.

XIII. A priori probatio cõclusionis.

Vltimò ex re ipsa, & quasi a priori ꝓbatur nostra sententia cõtra oẽs prędictas, quia omnia entia realia verè habent aliqã similitudinem conuenientiam in ratione essendi: ergo possũt cõcipi & repræsentari sub ea precisa ratione, qua inter se conueniũt: ergo possunt sub ea ratione vnũ conceptũ obiectiuũ constituere: ergo ille est cõceptus obiectiuus entis. Antecedens per se notũ videt ex terminis: nam, sicut ens & nõ ens sunt primò diuersa & opposita, ꝓp quod dicitur esse primũ principiũ omniũ, *quodlibet esse vel non esse*, ita quodlibet ens habet aliquam cõuenientũ & similitudinẽ cum quolibet ente: maiorẽ. n. cõuenientiã inuenit intellectus inter substantiã, & accidẽs: quã inter substantiã & nõ ens seu nihil: creatura ẽt participat aliquo mõ esse Dei, & ideò dicit̃ saltem esse vestigiũ eius ꝓp aliquã conuenientiã, & similitudinẽ in essendo: qua ratione ex esse creaturę inuestigamus esse Dei, & similiter ex esse accidẽtis, esse substãtię. Deniq; hac ratione tribuimus illis ꝓprietates aliquas seu attributa cõmunia, vt habere bonitatẽ aliquã, vel pfectionẽ, posse agere, vel se cõmunicare, & similia: est ergo in re ipsa aliqua conueniẽtia & similitudo inter entia omnia realia. Prima consequẽtia ẽt est per se satis clara, tũ quia omnia entia sub illa ratione & cõuenientia sunt cognoscibilia: tũ ẽt quia hac ratione alię res, quę habẽt inter se cõuenientiã aliquam, sub ea cõcipiunt vnitè & cõiũctim magis aũt vel minùs pro ratione maioris, vel minoris conuenientię: tũ deniq; quia in re est fundamentũ sufficiens ad hunc modũ cõcipiendi, & in intellectu non deest virtus & efficacia ad huiusmodi conceptionis modum, nam est sũmè abstractiuus, & precissiuus rationũ omnium. Et hinc ẽt facilis est secunda cõsequentia, quia, vt diximus, vnitas conceptus obiectiui non consistit in vnitate reali, & numerali, sed in vnitate formali, seu fundamentali, quæ nihil aliud est, quam prædicta conuenientia & similitudo. Vltima verò consequentia euidens est præsuppositis aliis, quia, si talis conceptus obiectiuus est possibilis ille est transcendens, simplicissimus, & hoc modo primus omnium, quæ sunt attributa conceptus entis. Item illa conuenientia fundatur in actu essendi, qui est veluti formale in conceptu entis, vnde etiam sumitur argumentum, quod sicut conceptus obiectiuus ipsius esse seu existentiæ vnus est, ita etiam conceptus entis. Tandem omnia fundantur in eo quod supra ex D. Thom. adduximus, quod analogia entis non est in aliqua forma, quæ intrinsecè tantum sit in vno analogato, & extrinsecè in aliis, sed in esse seu entitate quæ intrinsecè participatur ab omnibus: in illa ergo ratione habent omnia realem conuenientiam, & consequenter vnitatem obiectiuam in ratione entis. D. Thomas

Posterior assertio.

XIII. Cõceptus obiectiuus præcisus ab omnibus particularibus est ab eo rationẽ particulari.

Dico secundò. Hic conceptus obiectiuus est secundum rationẽ pręcisus ab omnibus particularibus, seu membris diuidentibus ens, etiam si sint maximè simplices entitates. Hæc conclusio videtur mihi necessariò consequens ex pręcedente: quia cũ omnia entia determinata aliquo modo diuidentia ens sint inter se distincta, & plura obiectiuè, nõ possunt intelligi conuenire in vnum obiectiuum cõceptum nisi saltẽ secundũ rationem fiat pręcisio, & abstractio à propriis rationibus in quibus distinguuntur. Sed, quia tota difficultas in hac abstractione & præcisione consistit, prius declaranda est, & postea conclusio per se & ex propriis probanda.

XV.

Est ergo aduertendũ, abstractionem seu præcisionem intellectus non requirere distinctionẽ rerũ, seu pręcisionem alicuius rationis, vel modi, quę ex natura rei antecedat in re ipsa præcisionem intellectus, sed in re simplicissima posse fieri huiusmodi præcisionem variis modis, sc. vel per modum formę à subiecto, vel è contrariò per modum subiecti à forma: vel per modum formę a forma, vt in Deo pręscindimus Deum vt sic, à suo actu voluntatis, & actum voluntatis à Deo, & actum voluntatis ab actu intellectus: & similiter prescindimus subsistentiam Dei à natura Dei tanquã modũ eius, nõ quod intellectus affirmet esse modũ, sed quod instar modi ex parte sua illã cõcipiat. Sic igitur abstrahit & prascindit intellectus aliquid ab aliquo tãquam cõmune à particulari, non ob distinctionem vel pręcisionẽ, quę in re antecedat, sed ob imperfectum, cõfusum, seu inadequatum modũ cõcipiẽdi suũ; ratione cuius in obiecto, quod considerat, nõ cõprehendit totũ, quod est in illo, prout à parte rei existit, sed solum secundũ aliquã cõueniẽtiã vel similitudinẽ quã plures res inter se habẽt, quę per modũ vnius sub ea ratione cõsiderantur. Quo fit, vt ad conceptũ obiectiuũ pręcisum secundum rationẽ ab aliis rebus seu conceptibus, nõ sit necessaria pręcisio rerum secundum se, sed sufficiat denominatio quędã à conceptu formali repręsentante illum obiectiuum, quia sc. per illum nõ repręsentatur obiectũ illud secundũ id totum quod est in re, sed solũ secundũ talem rationẽ cõueniẽtię, vt patet in conceptu obiectiuo hominis vt sic, qui secundũ rationem pręcisus dicitur à Petro, Paulo, & aliis singularibus, à quibus in re non differt. Illa autem pręcisio secundũ rationẽ est denominatio à cõceptu formali: quia nimirum homo, vt obiicitur tali conceptui, non est repręsentatus secundum omnẽ modum

modum quo in re existit, sed secundum conuenientiam quam plures homines habent, qui per modum vnius sub ea ratione concipiuntur.

XVI. Ratio conclusionis.

Sic ergo explicata hac præcisione rationis in conceptu obiectiuo, non est difficile ostendere reperiri in cõceptu obiectiuo entis, quia per cõceptum formalem entis, neque Deus, neque substantia creata, neq; accidens repræsentãtur, secundũ modum quo in re sunt; neque prout inter se differunt: sed solum prout aliquo modo inter se conueniunt ac similia sunt: ergo id quod immediatè, & adæquatè obiicitur huic conceptui formali, est secundum rationẽ præcisum à proprio conceptu obiectiuo substantię, vel accidentis. Antecedens probatum est præcedẽte cõclusione adiunctis etiam, quę dicta sunt superiori sect. consequentia verò patet, quia præcisio secundũ rationẽ in nullo alio consistit, vt explicatũ est. Et cõfirmatur primò; nam conceptus obiectiuus entis secundũ rationẽ nõ est cõceptus obiectiuus substantię, aut accidentis, aut alicuius alterius determinati generis: neq; ẽt est aggregatũ ex omnibus illis: ergo est aliquid vnum secundũ rationem pręcisũ ab illis. Maior & minor probatę sunt in superioribus; cõsequentia patet, quia hæc præcisio secundum rationẽ solum consistit in distinctione rationis in ordine ad conceptus formales. Confirmatur secundò, nam ꝓpter hanc præcisionem hæc non est identica: *substantia est ens*: neq; hęc, *accidens est ens*: & tamen vtraq; est vera, quia in eis intelligitur prædicari aliquid commune vtrique, & secundum rationem a b vtroq; distinctum. Et hac etiam ratione, vt supra argumentabamur, fieri potest, vt post conceptionẽ alicuius sub ratione entis, dubitetur an sit substantia vel accidẽs, quod sine distinctione saltem rationis neque intelligi potest. Confirmatur tertiò, quia non alia ratione datur conceptus obiectiuus substantiæ secundũ rationem præcisus ab omnibus substantiis: & accidẽtis ab accidentib. nisi propter conuenientiam quam habent, & secundum quam præcisè cõcipi possunt: ergo idem dicendum est de conceptu entis.

XVII. Euasio retellitur.

Fortasse aliquis respondebit non esse conuenientiam realem inter omnia entia in ratione entis, sicut est inter omnes substantias in ratione substantiæ, vel inter accidentia in ratione accidẽtis. Sed, vel est sensus inter entia vt sic, nullam esse realem conuenientiam, vel nõ esse tantam quanta est inter alia. Primũ est planè falsum, neq; intelligi potest nisi ab his, qui existimant accidens, v.g. non dici ens nisi extrinseca denominatione, sicut medicina dicitur sana, vt interdum videtur insinuare Caietan. opusc. de analog. nom. c.2. sed nõ est verisimile, cum ita sensisse, vt dicetur latius infra tractando de analogia entis, & expresè idem Caiet. 1.p.q.13.art.5. docet ens, licet analogicè dicatur de Deo & creaturis, intrinsecè de illis dict: & per se quidem notum videtur, non posse aliquid esse reale ens per denominationem extrinsecam: nam hæc est propria ratio vel fundamentum entium rationis, vt postea dicetur: necesse est ergo, vt quod est ens reale, sit tale realiter ac formaliter per suam intrinsecam entitatem, quæ est idem cum ipso, & inseparabilis ab ipso, ẽt si reliqua omnia ab eo prascindi, vel separari intelligantur: & ita etiã accidentia, licet entitas substantiæ ab eis separetur intelliguntur intrinsecè retinere suam entitatẽ, qua sunt entia realia, & ideò supra cum D. Tho. dicebamus, analogiam entis non excludere, quin formalis ratio significata per ens intrinsecè in omnibus analogatis reperiatur. Hinc autem necessariò sequitur, vt illa habeãt inter se aliquam realem conuenientiã, secundum suam intrinsecã rationem entis, vt supra etiam probatum est: Quod autẽ hæc conuenientia fortasse non sit tanta, quãta est inter substantias, vel accidentia inter se in propriis rationibus, ad rẽ præsentem non refert, nam ad summum concludit, vnitatem conceptus entis non esse tantam, non verò q̃ non sit aliqua & sufficiens ad præcisionem conceptus obiectiui secundum rationem: Sicut etiam non est tanta conuenientia inter substantias vt sic, quanta est inter homines: & nihilominus vtraque sufficit ad vnitatem & præcisionem conceptus obiectiui.

XVIII.

Aliter potest responderi, & assignari differentia, quia ratio entis est intima omnibus, & ideò nõ videtur posse prascindi, etiam secundum rationem, ab aliquibus, aliæ verò rationes non sunt tam intimæ rebus. Sed hæc etiam differentia nulla est, si cum proportione sumatur, nam etiam ratio entis substantiæ & accidentis communissimè sumptæ intimè sunt in omnibus substantiis, & accidentib. sub quacunq; ratione prascindantur, & considerentur. Hoc ergo nihil impedit ad præcisionem conceptus obiectiui, maximè cum ostensum sit, hanc præcisionem non fundari semper in aliqua distinctione rei, sed solum in tali concipiendi modo, quo res sub vna habitudine, & non sub alia consideratur.

XIX. Altera euasio retunditur.

Contra hanc verò doctrinam multa obiici possunt, quæ partim attingunt analogiam entis, partim distinctionem, vel inclusionem eius in omnibus rebus vel modis determinantibus ipsum, de quibus in sequentibus dicendum est. Nunc solum illud obiicitur, quia ex dictis sequitur prædicamenta nõ esse primò diuersa, quia in aliqua ratione communi conueniunt. Respondetur prædicamenta non dici primò diuersa, quia in nullo conueniant, cum constet plures conuenientias vel similitudines inter varia prædicamenta intercedere, nam prædicamenta accidentium præter rationem entis conueniunt in ratione accidentis, quædam etiam conueniunt in ratione accidentis absoluti, & distinguuntur à respectiuis, &c. Dicuntur ergo primò diuersa, quia in nullo genere conueniunt, vt Porphyrius significauit in capite de specie. Item, quia non propriis differentiis differunt, sed se ipsis, vt ex dicendis sectione 6. constabit.

Corollaria ex superiori doctrina.

XX. Modus intrinsecus substantiæ vel accidentis non includitur in conceptu entis.

EX his infero primò, in hoc conceptu entis obiectiuo, & sic præciso non includi actu modos intrinsecos substantiæ vel aliorum membrorum, quæ diuidunt ens. Patet, quia vel includerentur, vt cõstituentes illum conceptum entis, vel vt diuidentes. Non primum, quia impossibile est vnum, vt vnum modis seu differentiis oppositis constitui. Neque etiam secundum, quia iam ille conceptus actu esset diuisus in duos, & ita ille conceptus non esset vnus, cuius oppositum probatum est. Et confirmo, nam interrogo, quid sit actu includere illos modos: aut enim est, quod in re ipsa communis ille conceptus entis actu includat, in rebus illis, in quibus existit, illos modos: aut est, quod in mente seu in conceptu illo obiectiuo, vt præcisè terminante talem conceptum formalem, includantur actu illi modi oppositi. Primum horum est verum, sed non est ad rem, quia hic conceptus obiectiuus cõsideratur, vt præcisus, & adæquatus conceptui formali entis vt sic: & non secundum totam realitatem, quam in re habet in omnibus inferiori-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus suis: hoc enim modo conceptus entis nec præcisus esse potest, neque vnus, cum includat actu totum id, quod ad distinctionem omnium generum, & conceptuum necessarium est: nec propriè ac verè dici potest conceptus entis vt sic, sed sunt potiùs plures conceptus omnium entium secundum totas realitates eorum, à quibus conceptus præcisus entis re ipsa non distinguitur. Confirmatur, nam hoc modo, etiam conceptus hominis dici potest actu includere omnia indiuidua, quia conceptus obiectiuus hominis prout in re ipsa existit, realiter includit ipsa indiuidua, & proprios modos eorum, nec magis distinguitur in re homo à suis indiuiduis, quã diuiditur ens à substantia, accidente, & aliis generibus, vt inferius constabit: valdè autem impropriè propter hanc causam dicetur conceptus obiectiuus hominis actu includere omnia indiuidua, seu principia indiuiduantia earum. Loquẽdo aũt de conceptu entis præciso in alio sensu, qui magis est ad rem, falsum est, includere actu modos oppositos inferiorum generum, quia vt sic, solùm includit id quod repræsentatur per conceptum formalem eius: per illum autem conceptum formalem nõ repræsentantur hi modi expresè ac distinctè secundũ ꝓprias rationes corũ, quia intellectus vt sic, concipiens, nihil horũ percipit, vt ex dictis, & ex ipsa ẽt experientia notũ est, & ex aliis similibus; nõ enim alia ratione homo dicit non includere actu indiuidua, sed potẽtia tantũ, nisi quia vt repræsentatur per conceptum præcisum hominis, non consideratur in illo aliqua indiuidualis ratio, sed solùm ratio hominis.

XXI. Ens non significat immediate substantiam, vel accidens.

Secundò infertur hanc vocem, *ens*, non significare immediatè substantiã vel accidens, aut alia genera seu entitates simplices secundum proprias rationes earum, sed conceptum obiectiuum entis vt sic, & ratione illius genera seu entitates, in quibus in re ipsa existit. Ita sentiunt omnes authores citati, tam hic, quàm in conclusione sectionis præcedentis præsertim sect. 1. d. 3. q. 1. & 3. citatã ẽt Auicẽ. 1. suę Metaph. c. 4. Algazel. c. 6. & sumitur ex D. Tho. cit. locis, & de ente & essentia c. 1. vbi Caiet. in re idem sentit, quamuis ab Scoto differat, & cõstituat in hoc differentiam inter ens & alia nomina significantia determinata genera, vel species: sed reuera nulla intercedit, quę ad rem præsentẽ multùm spectet, præter eã, quę tractãda est sect. seq. Vnde potiùs hoc declaratur, & probatur: primò exẽplo hominis (& idẽ est de similibus) significat. n. immediatè hominẽ, & mediatè Petrum, in quo à parte rei rõ hominis reperitur: ergo similiter ens, &c. Probatur conseq. ex paritate rationis, quia vtrobiq; nomen est cõmune, & vtrobiq; cõceptus obiectiuus est secundũ rationem præcisus ab inferioribus, & nomen non significat illa, nisi ob aliquam conuenientiam, quam inter se habent.

Secundò declaratur à priori, quia, sicut voces exprimũt cõceptus formales mentis, ita ẽt immediatè significant obiecta quę per huiusmodi cõceptus immediatè repræsentantur: nam in tantũ deseruiũt ad exprimendos cõceptus, in quantũ illud ipsum, quod cõceptus naturaliter repræsentãt voces ex impositione significant, & ideò vox interdũ in cõmuni imponitur: quia conceptus, quem exprimit, cõmunis ẽt est: ergo illud ipsum, quod est immediatum obiectum formalis cõceptus, est immediatũ significatum vocis adequatè illi conceptui: huiusmodi autem est hęc vox, *ens*, respectu conceptus formalis entis.

XXII. Tertiò hoc amplius declaratur, quia hæc vox, *ens*, ita significat plura, vt ex vnica & prima impositione illa omnia comprehendat: ergo signum est non significare illa immediatè, sed medio aliquo cõceptu obiectiuo cõmuni omnib' illis. Antecedẽs declarat ex differentia inter analogiã huius vocis, & aliarum, quę per solam ꝓportionalitatẽ, vel extrinsecam habitudinẽ ad vnũ analoga sunt: nã in cęteris sẽper vox ex primęua impositione significat vnũ tantùm, postea verò per Metaphorã aliquã translata est ad significandũ aliud: vnde fit vt immediatè significet vtrumque, quasi duplici impositione & significatione. In quo cum ęquiuocis conueniunt, solumque differunt, quod in ęquiuocis vtraque impositio est æquè prima, & non manat ab altera, sicut in prędictis analogis. Exempla sunt, *risus* ex prima impositione solùm significat quandam hominis actionem, postea verò translata est hæc vox ad significandam agri amœnitatem: similiter *sanum*, ex prima impositione significat solum sanitatem in animali existentem, deinde verò translatum est ad significanda alia quæ habent habitudinem ad sanitatem animalis. Et ratio est, tũ quia hæc multiplex significatio & impositio non est orta ex vno conceptu, sed ex multis, tum etiam, quia non fundatur in reali conuenientia rerũ significatarum, sed solùm in extrinseca habitudine, vel proportione. At verò nomen, *ens*, ex propria & primæua impositione habet significationem communem omnibus entibus, vt patet, tum ex communi vsu, & apprehensione talis vocis, tum ex formali, vel quasi formali significato eius, quod est esse, quod de se commune est, & intrinsecum omnibus realibus entibus: tum denique, quia illa impositio orta est ex vnico conceptu formali entis vt sic. Atque hinc probata etiam relinquitur prima consequentia, quia vna vox non potest ex vi vnius impositionis significare plura vt plura, sed vt sunt aliquo modo vnum; & ideò de ratione vocis communis est, vt, saltem secundum rationem, & in ordine ad conceptus, quos voces exprimunt, non significet immediatè plura vt talia sunt. Quod in præsente ostendi potest, nam ens non significat immediatè substantiam solam, aliàs accidẽs non esset intrinsecè ens, neque etiam significat simul substantiam, vt substantiam, neque accidens vt accidens, vt declarari facilè potest, discurrendo per illa tria membra suprà posita, quia scilicet nec disiunctiuè, nec copulatiuè, nec simpliciter, potest illa immediatè significare, vt facilè patebit applicando argumenta suprà facta. Hæc enim tria, *conceptus formalis, obiectiuus, & vox*, proportionẽ inter se seruant, & ideò ab vno ad aliud sæpè argumentamur, non quidem vitiosum circulum committendo, sed de vnoquoque sumendo, quod nobis notius, aut ab aliis facilius cõcessum videtur.

Quartò argumentor, quia propter hanc immediatam significationem cõceptus seu rationis communis entis potest propriissimè ens distribui, dicẽdo, omne ens est bonum, & diuidi, verbi gratia, in substantiam & accidens, non enim sola vox ibi diuiditur, sed quod voce significatur. Propterea etiam optimè fit comparatio, dicendo hoc esse perfectius ens, quàm illud, quam etiam facit Aristotel. 6. Metaphysic. capit. 1. Ac denique optimè vtimur hac voce tanquam extremo, vel medio syllogismi, nam vocis vnitas non deseruiret ad ratiocinandum, nisi ratione vnius significati proximi, & immediati. Atque hoc mõ est optima illa cõmunis rõ, quod ens in quãtum ens, est obiectiuum intellectus, vel scientię Metaphysicæ: vnde necesse est, vt sit aliquid vnum immediatè illa voce significatum: hæc enim ratio in tãtum efficax esse potest; in quantum illud non est vt-cunq; obiectum, sed ẽt est subiectum, de quo fiunt demonstrationes, & mediũ ad demonstrandũ aliqua de inferioribus. Vltimò accedit experientia sæpè tacta, quia audito nomine entis aliquid concipimus, & non substantiã, neq; accidens. Dici. n. non potest (vt aliqui significant) tunc nos sistere in conceptu vocis, quia id est contra experientiam: alium enim conceptum format, qui scit vocis *ens* significationẽ quam qui ignorat: hic. n. concipit vocem, & ibi sistit, vel dubitat, quid ea voce significetur: ille verò prẽter vocem concipit rẽ significatã, & de significatione nullo modo dubitat, & tamen non concipit substantiam, neq; accidens: habet ergo hæc vox aliud immediatius significatum.

XXIV. Sed obiicit Soncinas nonnullas rationes quas sequenti sectione afferemus, solum. n. probãt, ens nõ significare aliquod mediũ ex natura rei distinctum à substantia, & accidentibus, nõ verò quod ratione distingui nõ possit per confusum mentis conceptũ. Obiicit deinde Arist. 10. Metaphysicę, tex. 8. dicentem, ens significare decẽ prędicamenta quod Auerroes exponit de prima significatione & sine medio, quẽ ibi sequitur Alex. Alens. Obiicit secundò Arist. 6. Metap. tex. 4. dicentem, si nõ dantur entia abstracta à materia, Philosophiã naturalẽ esse primã philosophiam, id est, Metaphysicam scientiã ab illa distingui minime posse, quę cõsequẽntia non esset bona, si ens vt ens significaret aliquid cõmune substãtię, & accidẽti, nã illud esse posset obiectum Metaphysicę, ẽt si non essent immaterialia entia. Tertiò obiicere possumus Arist. 1. Physic. tex. 25. vbi significat, ens non significare aliquid vnum, quod possit esse medium syllogismi, ea enim de causa reiicit illam ratiocinationem Parmenidis. Quicquid est prẽter ens, est non ens, sed non ens est nihil: ergo quicquid est prẽter ens, est nihil.

XXV. Quartò obiici potest Arist. 7. Metaph. c. 4. tex. 15. dicens, ipsum ens dici de omnibus generibus seu prędicamentis, non tamen similiter, id est, non secundum eandem rationem & conceptum. Quintò citatur idem Arist. 8. Metaph. c. 6. tex. 16. dicens, *ipsum ens hoc quidem*, id est, per se & vt tale est, *statim esse substantiam, quale, quantum, &c.* & ideò non poni in definitione, quasi dicat, ens immediatè descendere ad prima genera, quibus locis Auerroes, Alexander, & D. Tho. ita exponunt & sentiũt. Sextò affertur Arist. 1. Prior. c. 28. vbi significat, prima genera talia esse, vt de ipsis nihil dicatur, vt Alexander & Philoponus videntur exponere.

XXVI. Solutio. Ad primũ testimonium respondetur, Arist. nihil ibi dicere de significatione immediata, sed solùm de generali, & ęquali prędicatione entis, & vnius: nam in omnibus prędicamentis ęquè reperiuntur, & inde cõcludit inter se idem esse. Ad cuius rationis efficaciam necesse non est, vt in hac significatione tollatur omne medium rationis. Vnde D. Tho. ibi ait, ens significare naturas decẽ generũ secũdum qꝰ sunt actu, vel potentia, in quo satis indicat, non significare illas immediatè secundum rationes proprias, sed secundum aliquam communem. Expositio itaq; Auerrois necessaria nobis non est, quamquam ipse satis declaret, se solùm excludere medium quod sit genus, quodq; dicat naturam definitam & propriè contrahibilem, de quo posteà dicemus.

XXVII. Ad secũdum respondent aliqui, argumentũ Aristotelis bonum esse, non tamen fundari in eo, quod

ens significare non possit conceptũ cõmunem substantię & accidenti, sed in hoc, quòd si nulla esset res abstrahens secundum esse à materia, ratio entis vt sic, nõ abstraheret à materia magis, quam ratio corporis vel entis naturalis, & ideo consideratio entis vt sic, non transcenderet limites Philosophię naturalis, quia tunc materialis substantia esset primum ens, eadem aũt est scientia primi entis, & entis communis, vt in principio lib. 4. dixerat, & D. Tho. & Scotus in dicto loco, lib. 6. animaduertunt.

XXVIII. Hęc verò cõmunis responsio maiori eget examine. Dubitari. n. inprimis potest, an, licet nullę essent immateriales substantię, danda esset scientia Metaphysicę, à Physica & Mathematica distincta. Nam videtur ita esse asserendum, nam tũc daretur ratio entis abstrahens à substantia materiali, & à quantitate aliisq; accidentibus. Darentur etiam proprietates cõmunes, *vt verum, vnum, idem, diuersum, totum, pars*, &c. de quibus nec Physica, nec Mathematica tractant nunc, neq; etiam tunc tractarent, cum sint cõmuniora, & excedentia propria obiecta. Ergo necessaria esset tertia scientia vtraq; superior, quę proinde esset Metaphysica. Vnde potest secundò dubitari, an illa scientia esset prior tunc, quàm naturalis Philosophia, videtur enim ita dicendum, quia esset de obiecto abstractiori & priori.

Mihi quidem probabile est, ẽt data illa hypothesi, adhuc relinqui locum Metaphysicę scientię: nunc. n: vna tantũ pars eius est, quę de substantiis spiritualib: disputat; quoad reliquas ergo partes manere tũc posset, disputareq; de ente, aliisq; transcendentibus, & de decem prędicamentis, & de principiis ac causis vniuersalibus. Hoc tamen posito, nihilominùs iuxta mentem Aristotelis citato loco, naturalis philosophia esset prima scientia seu philosophia, saltem dignitate & præstantia, quoniam ageret de nobilissimo obiecto: sc. de substantia vt sic, & de omni substantia: & consequenter etiam ageret de primis causis rerum & principiis, non quidem secundum abstractionem mentis, sed secundum rem.

XXIX. Vnde tandem dicitur probabilius videri, in eo casu non fore necessariam scientiam Metaphysicę specialem, & à naturali Philosophia distinctam. Ratio est, quia tunc Philosophia ageret de omni substantia & cõsequenter de omnibus accidentibus, ẽt de quãtitate prout est proprietas substantię, & quoad entitatem & essentiam eius, & quatenus distinguitur, tam ab ipsa substãtia, quàm ab aliis omnibus ꝓprietatibus eius, quia tota hęc cõsideratio quãtitatis non abstraheret à materia sensibili, nec excederet latitudinẽ obiecti Philosophię. Atq; eadẽ ratione ad eãdẽ Philosophiã spectaret omniũ ꝓdicamẽtorũ diuisio & cõsideratio, quia nihil in eis esset re ipsa nõ fundatum in substantia sensibili: nec enim latiùs se extẽderent prędicamenta accidẽtiũ, quã prędicamẽtũ substantię. Rursus omniũ essentiarũ omniũq; causarum realium consideratio ad Philosophiã spectaret, propter eandem causam. Ac deniq; pari ratione eadem ageret de prędicatis communibus substantiæ & accidentibus, nec propter illa sola oporteret specialem scientiam constituere, quia non abstraherent à materia sensibili, & conceptus entis non esset alius à conceptu entis materialis. Neque obstaret, quòd rõ entis & similes, communes essent rebus Mathematicis & Physicis: quia illa communitas solùm esset secundum conuenientiã realem, non secundum aliquã peculiarem abstractionẽ pertinentẽ ad cõstituendũ obiectũ scientię. Sicut etiam nunc quantitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

continua & discreta conueniunt in communi ratione quantitatis, & tamen non datur vna Mathematica communis, quia Physica sufficienter tractat de illa conuenientia & ratione communi, in qua non reperitur specialis abstractio constituens peculiare obiectum scibile: ita ergo esset in eo casu.

XXX. Ad tertium testimonium, omissa Soti, & aliorum expositione, dicentium illam propositionē esse falsam: *Quicquid est præter ens, est non ens*, quia ens simpliciter dictum accipitur pro substātia: hoc enim in rigore falsum est, vt infrà ostendam: & prætereà seruata proportione prædicati & subiecti, adhuc esset verū dicere, quidquid est præter ens, esse non ens. Hac (inquam) omissa expositione, respōdetur Aristotelem nō negare ens posse esse mediū syllogismi, neq; hac de causa reiicere rationem Parmenidis, sed quia & sumebat esse ens vnum propriè & in rigore, cū solum sit analogum: tum ēt quia voce vniusæquiuocè vtebatur: sic enim ex præmissis suprà positis concludebat, id quod est, seu ens, esse vnum: ergo quidquid est præter vnum est nihil, vt ita conficeret, omnia vnum esse, quæ est manifesta æquiuocatio, nam ipse intendebat omnia esse vnum in re ipsa, ens autem si precisè sumatur, & quasi immobiliter, non est hoc modo vnum, sed ratione tantum: si aūt sumatur distributiuè & pro singulis entibus, sic quidem vnumquodq; ens vnū est, nō tamē omnia sunt vnum.

XXXI. Ad quartum negatur illa expositio, cum enim ait Aristoteles, ens existere in omnibus, sed non similiter, non rectè exponitur, id est, non vno conceptu, sed non eodem modo, quia de substantia simpliciter, de aliis verò secundum quid dicitur, vt Diuus Thomas exponit. Quintum solum probat ens non esse tale medium, quod propriè contrahatur ad inferiora per aliquid quod non sit ens, sed per simplicem determinationē, qua vnūquodq; genus se ipso est ens, & tale ens, quod verissimum est, vt latiùs videbimus sect. 5. & 6. non tamen excludit medium conceptum ex confuso modo concipiendi nostro. Ad sextum respōdeo inprimis, Aristotelē nullā ibi mentionē facere decē primorū generū: sed absolutè ait, quędā esse quę de aliis prędicantur, de ipsis aūt nihil, quod nos possumus exponere de transcēdentibus, de quibus nihil vt superius prędicatur: sic enim restringenda videtur illa propositio, nam vt æquale nihil est de quo non possit aliquid prædicari, nam ipsa transcendentia de se inuicem p̄dicantur propriè, & non omnino identicè. Vnde si quis velit de decem generibus illud membrū exponere, necesse est vt aliter illud restringat ad prędicata superiora, quę sint genera, vel species, nam absolutè quomodò potest esse verum, cum euidenter constet multa de primis generibus prędicari? Imò ipse Aristoteles 2. Posterior. cap. 14. significat, prędicata superiora, seu vniuersaliora quędam contineri intra genus, quædam verò de aliis dici etiam extra genus, quod expositores omnes dictum esse intelligunt propter ens, & similia.

XXXII. Vltimò sequitur ex dictis, ens non solum dicere conceptum vnū & præcisum, prout absolutè abstractum consideratur, sed etiam prout comparatur ad inferiora vt de eis prædicetur, vel existens in eis consideretur. Probatur, quia post quācunque notitiam abstractiuam conceptus communis à particularibus, potest intellectus facere comparatiuam: ergo illud ipsum, quod abstractum est in ente, potest ad inferiora cōparare, non est enim maior repugnātia in hoc cōceptu entis, quàm in aliis cōmunib⁹: sed potius est eadē ratio, scilicet quia totus ille cōceptus est in ipsis inferioribus, siue ab eis re distinguatur, siue ratione tantùm, hoc enim nil refert: imò quò minor fuerit inter illa distinctio in re, eò verius vnū attribuetur alteri: sic enim, quamuis sapientiam Dei præscindamus, & ratione à Deo distinguamus, illam ad Deum comparantes, verè ac propriè dicimus sapientiam esse in Deo. Ad hunc ergo modum ratio entis præcisè conceptа rectè ad substantiam & accidens cōparatur, & in eis esse dicitur, & hoc modo fiunt hę prędicationes, *substantia est ens, & accidēs est ens.* Vnde confirmatur, quia omnis hęc comparatio, vel compositio fit ex simplicibus cōceptibus: ergo, postquàm intellectus concepit pręcisè ens, potest simul concipere substantiam, vel accidens secundum proprios conceptus, quia hi conceptus simplices non habent inter se repugnantiam, vt per se constat: ergo similiter potest tunc intellectus ens ad substantiam comparare tanquam in illa existens, & similiter ad accidens: ergo conceptus entis, etiam vt cōparatus ad conceptum substantię, & accidentis, est secundū rationem præcisus ab illis.

Dices, Ergo conceptus entis, etiam vt inclusus in XXXI inferioribus, est præcisus ab illis, quod repugnat suprà dictis: quia inclusus in inferioribus, nihil aliud est, quam ipsa, quia nihil in ipsis est, quod nō sit ens: Sequela verò patet, quia ens non potest comparari ad inferiora, vel prędicari de illis, nisi vt est in illis: ergo, si vt dicit præcisum conceptum, comparatur ad inferiora, etiam vt est in illis erit præcisus. Respondetur esse æquiuocationem à modo concipiendi nostro ad rem ipsam, & è contrario. In rigore ergo negatur sequela, quia licet conceptus entis, qui à nobis præscinditur secundum rationem, sit in inferioribus, tamen vt est præcisus, formaliter loquendo, non est in inferioribus, id est, non habet in illis eum statum, seu modum essendi, quem habet per denominationem extrinsecam ex præcisione intellectus. Quando autem dicitur hic conceptus, etiam vt præcisus, comparari ad inferiora, cisque attribui, non est sensus, quod secundum eam præcisionem seu denominationem attribuatur inferioribus, sed solum quod ratio illa sic concepta ad inferiores cōparata in omnibus illis inclusa inueniatur. Quocirca si non fiat illa reduplicatio de ratione entis vt præcisa, sed simpliciter sit sermo de ratione entis præcisè concepta, verum est rationem illam esse in inferiorib⁹, & in eis omnino, & intimè includi, & nihilominùs ratione præscindi, quamuis in re non sit precisa.

Sed statim vrget difficultas, quia iuxta hæc ni- XXXI hil videtur deesse conceptui entis ad rationem proprij vniuersalis, nam erit vnum in multis, & de multis. Sed hæc difficultas pendet ex duabus rationibus dubitandi in principio sectionis positis. Vna est de vniuocatione entis, quia si ens non est vniuocum, illa ratio sufficit, vt non sit propriè vniuersale: quomodò autem ex dictis non sequatur esse vniuocum, & quid illi ad vniuocationem desit, infrà in proprio loco est tractandum, agendo de diuisionibus entis: nunc solum assero, omnia quæ diximus de vnitate conceptus entis, longè clariora & certiora videri, quàm quod ens sit analogum, & ideò non rectè propter defendendam analogiam negari vnitatē conceptus, sed si alterum negandum esset, potiùs analogia, quę incerta est, quam vnitas cōceptus, quę certis rationibus videtur demonstrari, esset neganda. Re tamen vera neutrā negari necesse est, quia ad vniuocationē nō sufficit, quod cōceptus in se sit aliquo

Conceptus entis etiā vt cōparatur ad inferiora, est præcisus ab illis.

quo modo vnus, sed necesse est, vt æquali habitudine & ordine respiciat multa, quod non habet cōceptus entis, vt latius citato loco exponemus. Alia difficultas erat de modo, quo ens descendit, vel trahitur ad inferiora secundum rationem, de qua re paulò inferius propriam faciemus sectionē, quia & obscuram habet difficultatem, & ex aliis prius dicendis pendet.

SECTIO III.

Vtrum ratio seu conceptus entis in re ipsa & ante intellectum sit aliquo modo præcisus ab inferioribus.

I. Explicatio quæstionis.

HÆc quæstio videri potest communis omnibus gradibus seu conceptibus superiorib. respectu inferiorum, de quibus agendum est disput. 5. sect. 1. & disput. 6. sect. 2. Sed hic habet difficultatem specialem propter transcendentiam entis, & ideò breuiter expedienda hic est: supponendo, præter distinctionem realem perfectam, quæ intercedit inter entitates mutuò separabiles, posse in rebus ante B intellectum aliam minorem inueniri, qualis esse solet inter rem, & modū rei, vt infra latius dicturi sumus. Hic ergo vt certum supponimus rationem entis nō distingui realiter priori modo ab inferioribus. Disput. 7. in quibus existit, cp per se notū est in omni cōmuni prædicato, & à fortiori patebit ex dicendis. Inquirimus aūt, an esse tale vel tale ens, addat aliquē modū ex natura rei, & ante intellectū, distinctū ab ipso ente, ita vt ens, vel tale ens, v.g. substantia, ex natura rei in ratione sua formali distinguantur, quatenus substantia addit aliquem modum, quem nō dicit ens.

Argumenta partis affirmantis.

II. Primum. VIdetur ex dictis sequi ita esse affirmandū. Primò, quia ratio entis eadem est in re, quæ mente concipitur, sed in mente concepta non includit modū substantiæ, vel accidentis: ergo neq; in re ipsa: sed rationes substātię vel accidentis ineludunt suos modos: ergo ratio entis in re est distincta ab illis. Maior (cætera enim omnia nota sunt) probatur, quia non dicimus rationem entis eodem modo esse in re, quo concipitur, quantum ad modum, scilicet, C quem habet ex præcisione concipientis, sed dicimus rationem illam conceptam esse eādem, quæ est in re, & hoc videtur per se notum, quia intellectus in hoc conceptu non fingit rem, vel rationem conceptam: ergo eandem concipit, quæ est in re.

III. Secundò. Secundò, quæ in re sunt separabilia, in re sunt aliquo modo distincta, quia includunt hæc duo negationes eiusdē rationis seu æquiualentes, maximè in rebus finitis: sed ratio entis est in re separabilis à ratione substantiæ, nā saluatur in accidente, & è contrario est separabilis à ratione accidentis, quia saluatur in sola substantia: ergo est aliquo modo in re distincta ab illis. Dices, rationem entis, quę est in substantia, nō esse separabilem ab illa, neq; quæ in accidente, ab illo, & ideò nō esse necessariā distinctionē ex natura rei inter illa. Sed contra, nā ad distinctionē ex natura rei sufficit prædictus separationis modus, scilicet, quod alicubi possit vna ratio reperiri sine alia: quia, si in re sint omnino idem, non videtur intelligibile, præsertim in rebus finitis, quod non se semper comitentur, quia quæ in re omnino idem sunt, vbique sunt idem: sed in accidenti, verbi gratia, ratio entis, & ratio substantiæ non sunt A idem: ergo neque secundum se & absolutè idem sunt.

IIII. Tertium. Quod in hunc modū tertiò declaratur, quia substantia à parte rei non ex eo est substantia, ex quo est ens (& idem est de accidente) ergo est aliqua distinctio ex natura rei inter conceptum obiectiuum entis, & substantiæ, etiam prout in re sunt in ipsamet substantia. Antecedens patet, quia substantia ex eodem est ens, ex quo accidens, nam in ratione entis vnum sunt: ergo substantia non est substantia ex eo, q̄ ens, alioqui quidquid ea ratione cōstitueretur in ratione entis, constitueretur etiam in ratione substantiæ. Prima verò consequentia probatur, quia distinctio ex natura rei optimè colligitur ex effectibus formalibus seu constitutis distinctis: cum ergo aliud quid constituatur per rationem substantiæ, quam per rationem entis vt sic, necesse est, vt in re habeant aliquam distinctionem.

V. Quartum. Quartò censeri solet difficile argumentum, quia impossibile videtur, vt eadē res secundum idē conueniat cum alia, & ab ea differat, sed substantia à parte rei, & ante omnem intellectum conuenit, seu est similis accidenti in ratione entis, differt autem seu est dissimilis in ratione substantiæ: ergo hæc duo distinguuntur ex natura rei aliquo modo in ipsamet substantia, alioqui secundum idem omnino esset similis, & dissimilis accidenti. Quod esse impossibile probatur, quia hæc duo includunt contradictionē, nam conuenientia & similitudo dicit aliquam rationem vnitatis, similitudo enim fundatur in vnitate, vt Aristoteles dixit 5. Metaphysicę: dissimilitudo autem dicit potius rationem multitudinis. Et confirmatur, & explicatur contradictio: quia, si in substātia ratio substantiæ & entis est omnino eadem: ergo quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, & è contrario: alioqui differrent essentialiter, nam quocunq; addito, vel ablato mutatur essentia: si autem differunt essentialiter: ergo in re ipsa habent distinctionē aliquā, nam essentialis ratio in re ipsa consistit. Si autem, quicquid est de essentia substantiæ, est de essentia entis, sequitur & rationem substantiæ reperiri in accidente, cum quo conuenit in ratione entis, & non reperiri, quia reuera accidēs non est substantia, sed dissimile illi. Sequitur etiam, C substantiam esse similem accidenti in ratione entis, quia hoc supponitur, & non esse similem, quia ratio entis in substantia non est eiusdem modi cū ratione entis in accidenti. Et consequenter etiam sequitur rationem entis affirmari de accidente propter cōuenientiam cum substantia, & negari posse propter disconuenientiam, quam in eadem ratione habere dicitur. Denique conuenientia & disconuenientia dicunt relationes essentialiter diuersas: ergo requirunt in re fundamenta & rationes fundandi seu terminandi essentialiter diuersas.

VI. Propter hæc & similia argumenta opinantur aliqui ens dicere conceptum obiectiuum ex natura rei distinctū ac præcisum ab omnibus inferioribus, & à conceptibus quantumuis simplicib. sub eo contentis, vt sunt *substantia accidens*, & similia, & hæc censetur cōmuniter opinio Scoti in 1. d. 3. q. 1. & 3. & d. 8. q. 2. & in 2. d. 3. q. 1. & eam sequuntur Scotistæ, qui à fortiori idem sentiunt de omnibus prædicatis vniuersalibus, de quibus latius inferius.

Vera sententia.

VII. NIhilominus dicendum est, conceptū entis obiectiuum prout in re ipsa existit, nō esse aliquid ex natura rei distinctum ac præcisum ab inferioribus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

rioribus, in quibus existit. Hæc est opinio communis totius Scholæ D. Tho. quam inprimis necessariò docent omnes, qui negant conceptum obiectiuum entis esse ratione præcisum, vt Soncin. Caiet. Ferrar. & specialiter id declarauit Caiet. in dicto opusc. de ente & essentia, c.1.q.2.& idē tenet Fonseca loco citato, quāuis de distinctione inter prædicata essentialia superiora, & inferiora aliter sentire videatur, 2. Metaph.c.2.tex.11.& alibi, de quo infra suo loco. Idem etiam à fortiori tenent omnes, qui negant genus ex natura rei distingui ab speciebus, vel speciem ab indiuiduis, vt Greg. in 1.d.8.q.2.& 3. Capreol.q.4. art.3.ad argum.contra 2.conc. Sonc.7.Metaph.q.36. Soto in Logic.q.3.art.2. Eandem opinionem specialiter tenet Capreol.in 1.d.2.q.1.ad arg.Scoti cont.vlt. concl. Et est aperta sententia D. Tho.1. cont. Gent. c.26.rat.4. imo & Scotus 10. Metaph.tex.3. hāc videtur tenere sententiam, constituit enim differentiam inter ens & vnū: nam ens (inquit) prædicat eandem naturā realiter & formaliter de generib. de quibus quidditatiuè prędicatur: vnū verò, licet prædicet eandē naturā realiter, nō tamen formaliter: quia vnū dicit passioné, non essentiā. Quamuis fortasse in alio sensu ibi Scotus locutus est: scil. ens dicere essentiam omnium generum, non tamen totā: vnum verò omnino esse extra essentiā. Sumitur q; hæc sententia ex Arist. 8. Metaph. c. vlt. tex. 16. vbi dicit, ipsum ens se ipso absque aliquo addito determinari ad substātiam, quantitatem, qualitatē, & ideo non poni in definitionib. quia nō dicit determinatam naturam cōtrahibilem per aliquā differentiam. Et ita exposuerunt Commentator, D. Th. & Alex. Alens. ibi. Scot. verò exponit, q; Arist. excludat differentias realiter distinctas, non verò formaliter. Sed hoc, & est apertè contra mentē Aristot. & ab ipso etiam Scoto nō dicitur consequenter, quia etiam inferiora genera non distinguuntur realiter à suis differentiis, sed ad summum formaliter, iuxta eiusdē Scoti doctrinam: ergo hanc etiā distinctionē, & compositionem excludit Arist. in determinatione entis ad sua inferiora.

Vide Anton. Trombetā 2. Metaph. q.16. Anton. And. q.7.

VIII. 1. Ratio.

Ratione probatur primò. Si ens, & substantia ex natura rei distinguuntur, vel se habent, vt totum & pars, seu includens & inclusum, vel vt omnino condistincta. Hoc posterius nemo dicit, neque apprehendi potest, aliàs substantia præcise & formaliter C sumpta, vt condistincta ab ente non includeret ens, q; est impossibile, cum de cōceptu essentiali substātiæ sit esse ens simpliciter. Quod verò nec primū dici possit, probatur, nam, si ens & substantia illo modo distinguuntur, resolui potest substantia in duos conceptus ex natura rei distinctos: ergo in qualibet singulari substātia datur illa distinctio ex natura rei, quæ antecedit intellectū, & debet esse in rebus ipsis singularibus, illi ergo duo conceptus, non tantum prout à nobis apprehenduntur, sed etiam in re ipsa distinguentur. Hoc autem esse impossibile ex parte vtriusq; conceptus ostendi potest, primò ex parte conceptus ipsius entis, nam si in re ipsa præscindit, & distinguitur à modo cōtrahāte ipsum ad esse substantiæ, quæro, quale ens est illud, quod manere intelligitur præciso illo modo? Aut enim est ens commune, & ab omni singularitate abstractum, aut determinatū ad singulare ens. Primū est euidenter falsum, tum quia aliàs in re ipsa esset res vniuersalis, & vniuersaliter, quod repugnat, quia illud ens est à parte rei existens, & productum: ergo est intrinsecè determinatum ac singulare, tum etiam, quia est incommunicabile alteri, præter quam huic substantiæ, A si in indiuiduo loquamur. Secundum ergo necessariò dicendum est, & tunc interrogo, an in ente sic præciso à modo substantiæ sit aliqua distinctio ex natura rei inter communem rationem entis, & tale ens, vel non: nam si est distinctio, redit idem argumentū, oportebit .n. resoluere illum conceptum in duos, & sic procedere in infinitū, si verò non est distinctio: ergo, vt cōmunis ratio entis determinetur ad tale ens, non oportet inter ea distinctionē ex natura rei fingere: ergo neque vt determinetur ens ad substantiā: est.n. eadem ratio, & omnia argumenta in principio facta applicari possunt ad illum conceptū entis, qui dicitur esse præcisus à substantia, prout in ea realiter existit, & in illo necessariò soluenda sunt, & ita nullum manebit fundamentum ad talem distinctionē fingendā. Præterquam q; vix potest mente concipi entitas realis & singularis, & tamen quod in sua intrinseca, & essentiali ratione formalissimè non includat rationem substantię, aut accidentis.

Deinde idem ostendi potest ex parte alterius cōceptus, seu modi contractiui entis: nam inquiro, an in illo intrinsecè includatur ens, nec ne, si non in- B eluditur, nihil est, nihil ergo addit substantia supra ens, neque illud potest efficere distinctionem inter ens, & substantiam: imo nec potest determinare seu contrahere ens, aut constituere substantiam, quomodo enim id quod est nihil, hæc omnia præstabit? Si autem includitur, ergo & modus ille includit totum conceptum substantiæ, & de illo redit quæstio, an distinguatur ex natura rei ab ente, vel non: nam si non distinguitur, idem dici poterit de substantia: si verò distinguitur, oportebit illum resoluere in alios duos conceptus ex natura rei distinctos, & sic in infinitum procedere. Posset huic argumento responderi, negando bimembrem partitionem in principio positam, scilicet ens distingui à substantia tanquam partem à parte, vel tanquam partem à toto: sed vt simplicem conceptum communem à simplici conceptu particulari, sic vt communis in particulari includatur, quamuis non è contrario. Sed, quamuis hæc responsio verum fortasse sumat, vt inferius latius exponemus, tamen ex eā manifestè sequitur nō posse esse distinctionē ex natura rei inter cōceptū entis, prout existentē realiter in suis inferiorib. & illa. Nā si conceptus inferior, v.g. substāliæ, est simplex, ita vt non possit resolui in duos conceptus inter se ex natura rei distinctos, quomodo pōt intelligi, q; in eo sit distinctio ex natura rei inter ipsum & aliquid in illo inclusum? Igitur hoc ipsum satis declarat hunc distinctionis modum nō esse in rebus ipsis actualiter, sed solum vt in fundamento, per rationis autem præcisionem consummari.

IX.

Secundò, conceptus entis non solum à creaturis, X. 2. Ratio.
sed etiam à Deo præscinditur: sed in Deo nō distinguitur ex natura rei conceptus entis vt sic, à conceptu talis entis, scilicet increati, vel infiniti: ergo neque in cæteris entibus. Maior constat ex dictis, & minor etiam est certa, tum ex summa Dei simplicitate, nam si in eo esset aliqua distinctio ex natura rei, non esset summè simplex, tum etiam, quia aliàs daretur in rebus aliqua ratio realis ex natura rei distincta ab omnibus aliis, ex se & natura sua prior Deo, vt Deus est, scilicet illa ratio entis, quæ in Deo esset distincta à ratione Dei: hoc autem est impossibile, quia Deus vt Deus essentialiter est primum ens, & duratione, & perfectione, & natura. Denique, quia illamet ratio entis, quæ in Deo est, essentialiter habet diuinas proprietates, vt esse independentem, & increatam: vnde etiam secundum illam rationē entis prout est in re, infinitè distat Deꝰ à creaturis. Quibus argumentis Soncinas lib. 4. Metaph. q. 2. contēdit probare, ens nō dicere conceptū obiectiuū præcisum, sed probant de precisione secundū rem, non tamē de precisione secundū rationē. Prima verò cōsequētia argumēti probatur, quia licet cōceptus inferiores enti in creaturis nō sint equè simplices conceptui Dei, & ideò videri possit dispar eorum ratio, tamē in præsenti est eadē, tū quia, si rationes in principio factæ ostēderent distinctionē ex natura rei inter ens & inferiora, eandē omnino ostēderēt in Deo, nā eodē modo applicari possunt, vt in solutionibus patebit, tū etiā, quia respectu entis vt sic, etiā inferiores cōceptus creaturarū sunt simplices, & in eis nō pōt intelligi aliqua realitas prior natura, quā sit propria vniuscuiusq; ētitas secūdū determinatā rationē eius. Quomodo enim concipi potest, vt in substantia sit realiter seu ex natura rei prior aliqua entitas sub ratione entis, quàm sub ratione substantiæ?

XI. 3. Ratio.

Vltimò argumentor, quia sola distinctio conceptuum nostrorū, quibus aliquid cōcipimus per modum cōmunis & particularis, nō indicat sufficienter B distinctionem ex natura rei in re cōcepta: ergo neq; illam indicat in conceptu entis respectu inferiorū: ergo nulla est talis distinctio. Hæc secunda cōsequētia patet, quia nullum aliud excogitari potest indicium aut vestigium talis distinctionis, quæ non solum sine sufficiente, verū etiā sine cogente ratione asserēda non est: quia & in vniuersum loquendo distinctiones non sunt multiplicādæ sine causa, & præsertim ac specialiter hæc, quæ vix mente concipi potest. Prima verò consequentia patet, quia non est maior ratio de conceptu communi & particulari in ente, quā in reliquis, imo in ente propter transcendentiam suam est minor distinctionis ratio. Primum verò antecedens patet in primis in rebus diuinis tantum, nā conceptus personæ diuinæ communis est tribus diuinis personis, quæ in ea communi ratione conueniunt & in propriis distinguuntur, & tamen in vnaquaq; earū ratio personæ, & ratio talis personæ non distinguuntur ex natura rei, sed ratione tantū. Deinde patet etiam in rationib. cōmunib. Deo, & creaturis, vt ferè iam explicatū est in ratione entis prout in Deo existit. Et declarari etiam potest in ratione C sapientiæ, v.g. in qua conueniunt aliquo modo sapientia creata, & increata, & tamen neq; in increata sapientia distinguūtur ex natura rei cōmunis ratio sapientiæ, & propria talis sapientiæ, propter summam simplicitatē, & perfectionē eius: neq; ēt in sapientia creata possunt illæ duę rationes ex natura rei distingui, quia, quantūuis præscindas rationē sapientiæ, si illā cōsideres in re existentē in sapientia creata, intelliges illam intrinsecè creatā, & consequenter in re ipsa indistinctā, & minimè præcisam ex natura rei ab illo modo, quo determinatur ad esse sapiētiæ creatæ, alioqui oporteret intelligere in sapientia creata rationē aliquā realē sapientiæ, quæ nō solū secundū rationē, sed etiā secundam tem abstraheret à ratione creatę, & increatæ, quod & absurdissimū est, & mente concipi non potest, quia quidquid est entitatis in sapientia creata, est factū, & pendens. Tandē idem ostendi pōt rationib. cōmunibus solis rebus creatis, q; latè prętabimus infra, de vniuersalib. disputantes: nunc breuiter declaratur, quia possunt ex subtilitate & modo concipiendi humani intellectus hi conceptus superiores & inferiores infinitis modis variari & multiplicari: signū ergo est id non semper fundari

A in distinctione, quæ sit in rebus, sed in modo concipiendi nostro, supposito aliquo fundamento similitudinis, conuenientiæ, aut eminentiæ ipsarum rerū: alioqui oporteret fingere in vnaquaque re infinitos modos ex natura rei distinctos, quibus in se plenè constituatur, & ab aliis plenè distinguatur. Quod vno vel alio exemplo declaratur, nā sensus cōmunis, v.g. habet vim percipiendi obiecta omniū sensuum externorū: potest ergo abstrahi cōmunis conceptus visui, & interiori sensui, scil. sensus perceptiui coloris, & alius cōmunis auditui & sensui cōmuni, scilicet sensus perceptiui soni, & sic de reliquis. Quis autem dicat in sensu communi ex natura rei distingui vim percipiendi colorē, vel sonū inter se, aut vim sentiēdi in cōmuni distingui in eo sensu à propria vi & modo, quo attingit sua obiecta, & nō potius esse ibi vnā simplicem virtutē, quæ attingit omnia illa obiecta, quā intellectus inadæquatè cōcipiens cōparat cum aliis rebus, & sic abstrahit conceptus cōmunes nō re, sed ratione distinctos. Idē est in luce solis, quatenus & virtutē habet illuminandi in qua conuenit cum splendore ignis, & calefaciendi, in qua conuenit cū B calore, & exsiccandi, in qua cōuenit cum siccitate, & ab his omnib. potest intellectus varios cōceptus abstrahere, quos omnes in luce ex natura rei existimare distinctos, friuolum est & sine fundamento.

Argumentorum solutiones.

XII.

AD argumenta ergo in principio posita respondetur, primùm in genere, in illis omnibus esse magnam æquiuocationem argumentando à ratione obiectiua, vt præcisa ab intellectu, ad illam prout est in re, & attribuendo rebus ipsis, quod solum per denominationem extrinsecam conuenit rationibus conceptis ac præcisis, vt sunt sub tali cōsideratione ac præcisione intellectus. Et hoc est maximè considerandum in his omnib. argumentationibus, quæ solum in modo loquendi, & concipiendi fundantur. Nos enim, sicut concipimus, ita loquimur: vnde sicut conceptus nostri, etiamsi veri, & non falsi sint, nō tamen semper sunt adæquati rebus ipsis, ita etiam voces sunt commensuratæ conceptibus nostris, & ideò cauendum est, ne modum concipiendi nostrum transferamus ad res ipsas, & propter diuersum loquendi modum existimemus, esse distinctionem in rebus, vbi verè non est.

XIII. Ad primum respondetur.

Ad primum ergo respondetur, negando primam consequentiam, nā ratio entis dicitur esse eadem in re, quæ est in mente, quia reuera omnia entia habent in re eam similitudinem & conuenientiam, sub qua intellectus illa concipit, cū concipit ens, & quia hic modus concipiēdi ens est inadæquatus respectu entium, prout sunt in re, ideò dicitur ratio entis sic cōcepta non includere determinatos modos entiū, in qua locutione iam nō est sermo de ratione entis absolutè, & vt in se est, sed vt est sub denominatione intellectus: vnde perinde est, ac si diceretur, per illum conceptum non considerari ens sub expressis rationibus inferiorum entium, sed solum communi, & inadæquato conceptu, & ideò non rectè infertur, quod etiam in re ipsa ratio entis prout est in singulis entibus non includat proprias rationes seu modos eorum: posset etiam distingui maior propositio assumpta, scilicet, rationem entis eandem esse in re, quę mente concipitur: est enim eadē realiter, nō tamen ratione, & hoc satis est, vt in re possit includere proprias rationes inferiorum entium, quāuis vt cōcepta precisè illas nō includat: sicut sapiētia Diuina

eadem

Universidad de Deusto
Biblioteca

eadem est in re, quæ mente concipitur, quamuis vt mente concepta, non intelligatur includere iustitiam, quam in re ipsa essentialiter includit, quia, q vt concepta non includat, solum est quod non expresè & distinctè consideratur, vt includens illam, conceptu illo præciſiuo, non negatiuo.

XIIII. Ad secundū. Ad secundum recte ibi responsum est, rationem entis in substantia non esse separabilem à substantia, & similiter in accidente, & hinc potiùs colligi identitatem, & indistinctionem ex natura rei, quia quæ ita se habent in re, vt nec realiter distinguantur, nec vnum ab alio separari possit, neque econuerso, non est cur in re ipsa distinguantur, nisi aliunde sit aliquod sufficiens principium distinctionis, quod in præsente nullum inuenitur. Vnde ad replicam respondetur, rationem entis, quæ in substantia reperitur, non reperiri eandem secundum rem in accidente, neque econuerso, sed solum eandem secundum rationem, id est, secundum quandam conuenientiam, & similitudinem, quam potest ratio per modum vnius præcisè concipere, & ad hoc satis est, quod huiusmodi ratio, quæ hoc modo vt communis concipitur, secundum rationem distincta sit à propriis rationibus substantiæ, & accidentis. Quod enim est proprium rei infinitæ, solum est, vt eadem numero res sit communicabilis multis rebus realiter distinctis, per identitatē perfectam cum omnibus, & singulis earum, quamuis earum quælibet incommunicabilis sit. Quod verò eadem res, quæ in se est realiter simplex, id est, non composita ex gradibus ex natura rei distinctis, sit realiter incommunicabilis alteri, cum qua habet aliquam similitudinem, & conuenientiam, ratione cuius concipiatur in eis aliqua ratio communis vtrique, hoc non excedit perfectionem rei finitæ, imò in qualibet re quantumuis imperfecta aliquid huiusmodi reperiri potest.

XV. Ad tertium. Ad tertium respondetur primò, substantiam in re ipsa ex eodem esse ens, ex quo est substantia, & econuerso, nimirùm per suam intrinsecam naturam, & entitatem, quam in re habet, & idem est, seruata proportione in accidente. Quocirca in eodem sensu non ex eodem substantia est ens, ex quo accidens, neque econuerso, nam accidens est ens per entitatē accidentalem, & in ordine ad substantiam, substantia verò est ens per entitatem substantialem, & in se absolutam ab ordine seu habitudine ad subiectum, neque hoc modo (in eodem sensu loquendo) accidens & substantia sunt vnum in ratione entis prout in re ipsa constituuntur. Secundò dicitur, si non loquamur secundum rem, sed secundum rationem præscindentem, sic substantiam non ex eodem esse substantiam, ex quo est ens, ex eodem (inquam) secundum rationem: ex hoc verò sensu solum potest concludi, rationem entis, & substantiæ distingui ratione in ipsa substantia, & rationem similiter entis & accidentis in accidente. Atque eodem modo substantia & accidens solum dici possunt ex eodē constituti in ratione entis eo modo, quo in illo conceptu vnum sunt, scilicet secundum rationem. Vnde solum potest concludi, rationem illam communem vtrique per intellectus præcisionem distingui à propriis earum.

XVI. Ad quartum. Quibusdam videtur impossibile, vt idem secundum rem absque vlla distinctione ex natura rei, quam in se habeat, possit esse principiū seu fundamētum conuenientiæ, & distinctionis ab alio propter argumentum factum. Alii verò putant hoc quid repugnare in conuenientia vniuoca, non verò in analoga, quod nobis satis esset. Ego verò existimo, etiam in conuenientia vniuoca id non repugnare, vt patet exemplis, tum in diuinis, tum in creatis. Nam Pater & Filius vniuocè cōueniunt in ratione personæ: quis enim negabit ibi aliquam vnitatem, & conuenientiam, aut affirmabit illam esse analogam, cum in ratione personæ tam perfecta sit vna sicut alia? & tamen in singulis personis nulla singi potest ex natura rei distinctio inter distinctionis & conuenientiæ fundamentum. Eadem enim paternitas in se simplicissima in sua entitate relatiua, distinguitur realiter à filiatione, & conuenit cum illa in communi ratione relationis seu personalitatis: estque similis quasi genericè, & dissimilis quasi specificè, quamuis in ea hi gradus seu conceptus ex natura rei non distinguantur. In creaturis, quantitas, & qualitas (vt est probabile) vniuocè conueniunt in ratione accidentis, & tamen in vnaquaque earum ratio accidentis non distinguitur ex natura rei à propria, vt infra latiùs dicetur: & idem existimo esse de omnibus speciebus respectu suorū indiuiduorum, vt suo loco dicetur. Ratio verò est, quia, si distinctio & conuenientia sint diuersorum ordinum, non repugnat in eodem fundari, sic enim vna non imuoluit negationem alterius, imò quodam modo illam requirit. Ita verò est in præsenti: nam distinctio est realis, conuenientia autem secundum rationem tantum, & ideò non repugnat, vt duo simplicia quæ secundū rem sunt realiter primò diuersa, secundum rationem habeant vnitatem fundatam in reali similitudine, vel conuenientia, quam inter se habent. Ea enim, quæ in re diuersa sunt, in eo ipso in quo distinguuntur, possunt esse similia: quin potiùs similitudo intrinsecè postulat distinctionem secundum rem cum aliqua vnitate rationis, seu formali, aut fundamentali, nam idem propriè non est sibi ipsi simile. Quod si hæc conuenientia vel similitudo sit imperfecta, qualis est in analogia entis, & similibus, faciliùs intelligitur quomodo possint res inter se, quantumuis primò diuersæ, habere nihilominus aliquam imperfectam conuenientiam: non enim dicuntur primò diuersæ, quia nullo modo inter se similes sint: hoc enim in nullis rebus, vel rationibus realibus reperiri necesse est, sed quia se ipsis primò distinguuntur: cum qua distinctione stat prædicta imperfecta conuenientia. Cuius rei exemplum est in Deo, in quo nulla distinctio graduum ex natura rei excogitari potest: vnde illa simplicissima natura per se ipsam est prorsus distincta à natura creata, & tamen simul est principium alicuius conuenientiæ analogæ, & secundum quid cum eadem: hæc ergo duo non repugnant.

Quomodo potest eadem entitas per eandem simplicissimam rationem conuenire, & differre.

XVII Ad vltimam confirmationem, responsio patet ex dictis. Iam enim dictum est rationem substantiæ & entis in substantia esse quidem eandem omnino secundum rem, differre tamen ratione, & priori consideratione habere in substantia eandem rationem essentialem, ratione tamen diuersam, & idem est de ratione entis, & accidentis prout in accidente reperiuntur, econtrario verò accidens & substantia inter se comparata, dicuntur habere in ratione entis essentialem rationem eandem secundum rationem tantum, non secundum rem, & ideò in omnibus illationibus in ea confirmatione factis committitur æquiuocatio, non distinguendo diuersas rationes & modos conuenientiæ, & distinctionis.

SECTIO

SECTIO IIII.

In quo consistat ratio entis in quantum ens, & quomodo inferioribus entibus conueniat.

I. VM dictum sit, ens dicere vnum conceptum obiectiuū, oportet in quo eius formalis seu essentialis ratio consistat, breuiter declarare, saltem per descriptionem aliquam, aut terminorum explicationem, nam, cum illa ratio sit abstractissima & simplicissima, proprie definiri non potest. Fuit ergo opinio Auicennæ, quam referunt Commen. & D. Thom. 4. Metaph. Commen. 3. & libr. 10. Metaph. Commen. 8. ens significare accidens quoddam commune rebus omnibus existentibus, nimirum ipsum esse, quod rebus accidere dixit, cum eis possit conferri & auferri. Quæ opinio fundata est in significatione vocis, *ens*: deriuatur enim à verbo *sum*, est q; participium eius: verbum autem *sum*, absolute dictum significat actum essendi, seu existendi: esse enim & existere idem sunt, vt ex communi vsu & significatione horum verborum constat: significat ergo adæquate *ens* id quod est; vnde apud Arist. lib. 1. Physic. tex. 17. & sæpe alibi loco *entis* ponitur, *id quod est*, id est, quod habet actū essendi seu existendi, vt idem sit ens, quod existens: dicit ergo ens de formali esse seu existentiam, quæ est extra rerum quidditatem.

Quid entis nomine intelligat Auicenna.

II. Hanc opinionem attingens Soto, tacito nomine Auicennæ, cap. 4. Antepræd. quæst. 1. in fine, prius dicit ens semper esse participiū verbi, *sum*, sicut existens verbi, *existo*, & de formali significare esse, de materiali vero quod habet esse, postea vero declarat, ens non solum significare, quod actu est, sicut existens, sed quod est actu, vel potentia: quia de homine non existente, vere dicitur esse ens, sicut esse animal vel substantiam; & nihilominus concludit, *ens* non dici quidditatiue de rebus, præsertim creatis, quia dicit habitudinē ad esse, q; est extra essentiam creaturę. Et in hoc constituit differentiam inter *ens*, & *res*, quod *res* quidditatiue prædicatur, quia significat quidditatem veram, & ratam absolute, & sine ordine ad esse, *ens* autem non prædicatur quidditatiue, quia non significat absolute quidditatem, sed sub ratione essendi, seu quatenus potest habere esse, & hac ratione existimat dictum ab Aristotele 8. Metaphysicæ, tex. 16. ens non poni in definitionibus rerum. Quam totam doctrinam videtur sumpsisse Soto ex Caietan. opusculo de ente & essentia, c. 4. proxime ante quæst. 6. vbi præter alia dicit, Auicennam solum reprehendi, quia vocat ens prædicatum accidentale: proprie enim esse non est accidēs, sed substantialis actus, non vero esse reprehensione dignum, eo quod neget, ens esse prædicatum essentiale seu quidditatiuum: hoc enim verum est, cum esse sit extra quidditatem, citatq; Diuum Thomam quodlib. 2. art. 3. dicentem, ens de solo Deo prædicari essentialiter, quod etiam significat 1. part. q. 3. art. 4. & 5. & 1. cont. Gent. cap. 25. & 26.

III. Ens, & participium, & nomen.

Ad explicandam hanc rem, & tollendam æquiuocationem vtendum nobis est vsitata distinctione entis, quam Caietanus & Soto supra sine causa reiiciunt. Consecavero merito eum amplectitur, 4. Metaphysicæ cap. 2. quæst. 3. sect. 2. eamque satis insinuat Diuus Thomas dict. quodlib. licet non eisdem verbis. Ens ergo, vt dictum est, interdum sumitur, A vt participium verbi, *sum*, & vt sic significat actum essendi vt exercitum: est q; idem quod existens actu, interdum vero sumitur vt nomen significans de formali essentiam eius rei, quæ habet, vel potest habere esse, & pōt dici significare ipsum esse, non vt exercitum actu, sed in potentia, vel aptitudine, sicut *viuens*, vt est participium significat actualem vsum vitæ, vt vero est nomen, significat solum id q; habet naturā, quæ potest esse vitalis operationis principiū. Quod autem hæc distinctio necessario à prædictis authoribus admittenda sit, patet, nam prior significatio fundata est in proprietate & rigore verbi *sum*, quod absolute dictum actuale esse seu existentiam significat; vnde etiam Dialectici dicunt in propositione de secundo adiacente verbum, *est*, nunquam absolui à tempore. Et patet etiam ex communi vsu, nam si quis dicat, *Adam est*, significat ipsum existere. Habet autem hoc verbum in rigore suum participium in ipso inclusum, in quod pōt resolui prædicta propositio. Rursus constat ex communi vsu, *ens*, etiam sumptum pro ente reali (vt nūc loquimur) non solum tribui rebus existentibus, sed etiam naturis realibus secundum se consideratis, siue existant, siue non: quomodo Metaphysica considerat ens, & hoc modo ens in decem prędicamenta diuiditur. Sed *ens* in hac significatione nō retinet vim participii: quia participium consignificat tempus, & ita significat actuale exercitium essendi seu existendi, & ideo hęc vox, *existens*, nunquam dici potest de re quæ actu nō existat, quia semper retinet vim participii verbi, *existo*, ergo necesse est, *ens* in hac posteriori significatione sumi in vi nominis. Vnde prædicti authores re ipsa admittunt hanc partitionem, quamuis verbis contemnant, nam perinde est dicere *ens* interdum significare rem actu existentem, interdum potentia tantum, quod dicere interdum sumi vt participium, aliquando vero vt nomen, seu, vt alii loquuntur, participialiter & nominaliter. Quia hoc ipso, quod *ens* non significat actualem entitatem & existentiam, iam non sumitur in vi participii, sed tanquam nomen verbale. Vnde Diuus Thomas in dicto Quodlib. postquam tractauit de ente, prout dicitur ab actuali esse, subdit: *Sed verum est, quod hoc nomen, ens, secundum quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei, & diuiditur per decem genera.*

Quæstionis resolutio.

IIII. Ens participium quid importet.

HAc ergo supposita vocis significatione, facilis est quæstionis resolutio in communi sumpta. Dicendum est enim primo, sumpto ente in actu, prout est significatum illius vocis in vi participii sumptæ, rationem eius consistere in hoc quod sit aliquid actu existens, seu habens realem actum essendi, seu habens realitatem actualem, quæ à potentiali distinguitur, quod est actu nihil. Hoc totum, cum solum consistat in declaratione simplicissimi conceptus, non potest aliter probari, quam ex communi modo concipiendi, & ex significatione vocis à nobis explicatæ. Ac denique, quia ex dictis in præcedentibus sectionibus constare potest, ens sub hac ratione posse habere vnum conceptum formalem, & obiectiuum, communem omnibus entibus actu existentibus, cum inter se similia sint, & conueniant in actuali esse & entitate, constat etiam posse conceptum illum hac voce significari: ergo entis sic sumpti, & conceptus eius ratio, non potest in alio consistere, nec potest aliter explicari.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dico secundo. Si ens sumatur provt est significatum huius vocis in vi nominis sumptæ, eius ratio consistit in hoc, quod sit habens essentiam realem, id est non fictam nec chymericam, sed veram & aptam ad realiter existendum. Probatio huius conclusionis eadem proportionaliter est, quæ præcedentis. quia hic simplex conceptus non potest alio modo intelligi aut explicari.

Quid sit essentia realis.

V. Ens nomen quid. SOlum restabat exponendum, quid sit essentia realis, vel in quo ratio eius consistat: nam cũ essentia sit secundum quam res dicitur, seu denominatur ens, vt Diuus Thomas ait, de ente & essentia, cap. 2. quod maxime verum est de ente in hac acceptione sumpto: ideo non potest satis explicari, in quo consistat ratio entis realis, nisi intelligatur, in quo cõsistat essentia realis. In quo duo peti possunt, quæ illis duab. vocibus indicantur: primum, in quo consistat ratio essentiæ: secundum, in quo consistat, quod realis sit. Primum non potest à nobis exponi, nisi vel in ordine ad effectus, vel passiones rei, vel in B ordine ad nostrum modum concipiendi & loquendi. Primo modo dicimus, essentiam rei esse id, quod est primum, & radicale, ac intimum principium omnium actionum ac proprietatum, quæ rei conueniunt, & sub hac ratione dicitur *natura vniuscuiusque rei*, vt constat ex Aristotele 5. Metaphysicæ tex. 5. & notat Diuus Thomas de ente & essentia, cap. 1. & Quodlib. 1. artic. 4. & sæpe alias. Secundo autem modo dicimus essentiam rei esse, quæ per definitionem explicatur, vt dicit etiam Diuus Thomas dicto opusculo de ente & essentia, cap. 2. & sic etiam dici solet, illud esse essentiam rei, quod primo concipitur de re: primo (inquam) non ordine originis: sic enim potius solemus conceptionem rei inchoare ab his, quæ sunt extra essentiam rei, sed ordine nobilitatis potius & primitatis obiecti: nam id est de essentia rei, quod concipimus primo illi conuenire, & primo constitui intrinsece in esse rei, vel talis rei, & hoc modo etiam vocatur essentia *quidditas* in ordine ad locutiones nostras, quia est id, per quod respondemus ad quæstionem, quid sit C res. Ac denique appellatur *essentia*, quia est id, quod per actum essendi primo esse intelligitur in vnaquaq; re. Ratio ergo essentiæ his modis potest à nobis declarari.

VI. Quid autem sit essentiam esse realem, possumus aut per negationem, aut per affirmationem exponere. Priori modo dicimus essentiam realem esse, quæ in se se nullam inuoluit repugnantiam, neq; est mere conficta per intellectum. Posteriori autem modo explicari potest, vel à posteriori, per hoc, q̃ sit principium vel radix realium operationum, vel effectuum, siue sit in genere causæ efficientis, siue formalis, siue materialis: sic enim nulla est essentia realis, quæ non possit habere aliquem effectum vel proprietatem realem. A priori vero potest explicari per causam extrinsecam (quamuis hoc non simpliciter de essentia, sed de essentia creata verum habeat) & sic dicimus essentiam esse realem, quæ à Deo realiter produci potest, & constitui in esse entis actualis. Per intrinsecam autem causam non potest proprie hęc ratio essentiæ explicari, quia ipsa est prima causa, vel ratio intrinseca entis, & simplicissima, vt hoc communissimo conceptu essentiæ concipitur: vnde solum dicere possumus, essentiam realem eam esse, quæ ex se apta est esse, seu realiter existere. His ergo modis potest à nobis communis ratio entis declarari, magis autem exacta huius rei intelligentia pendet ex pluribus quæstionibus. Prima est, qualis sit entitas essentiæ realis, quãdo actu non existit. Secunda, quid sit existentia actualis, & ad quid necessaria sit in rebus. Tertia, quomodo existentia distinguatur ab essentia. Sed quia hæ quæstiones propriæ fere sunt entis creati, & prolixam requirunt disputationem, ideo eas vsque ad disputationem 7. differimus, contenti pro nunc prædicta entis & essentiæ descriptione.

Ens in actu & in potentia in quo conueniant.

VII. VNa vero dubitatio circa duas conclusiones positas hic prætermitti non potest, quamuis attingat diuisionem entis in ens in actu, & ens in potentia: scilicet an illa duplex significatio entis nominaliter, & participialiter sumpti, sit mere æquiuoca, vel ita analoga, vt nullus conceptus communis vtriq; membro, ei respondeat: an vero habeat aliquem conceptum communem, nam si hoc posterius dicatur, nondum est à nobis communissima ratio entis satis explicata: declarauimus enim singulorum membrorum rationes, non autem rationem entis vt communis & abstrahentis ab vtroq; mẽbro. Deinde difficilimus erit ad explicandum talis conceptus & ratio eius, imo & nomen, quia nec significabitur per *ens* nominaliter sumptum, nec participialiter: non potest autem fingi alius modus significandi abstrahens ab his duob. Si vero dicatur primum sequitur non posse dari conceptum entis cõmunem. Deo & creaturis, vt possibilibus, sed tantum vt actu existentibus, quod videtur plane falsum, & contra communem modum concipiendi, & contra omnia supra dicta de communissimo conceptu entis. Sequitur deinde hominem æquiuoce dici de vero homine possibili, vel actu existente. Patet sequela, quia eadem est ratio de homine respectu illorum duorum membrorũ, quæ est de ente respectu entis in actu & in potentia, seu de ente nominaliter & participialiter sumpto: nam vt participiũ significat ens in actu, ita nomen ens in potentia. Consequens aũt videtur plane falsum: nam *homo* ex vi eiusdem impo C sitionis significat hominem, siue actu existentem, siue possibilem: imo & simplex conceptus hominis, qui illi voci respondet, æque repræsentat hominem existentem, vel possibilem, non est ergo ibi significatio æquiuoca, idem ergo est proportionaliter de ente sub illa duplici ratione seu significatione sumpto, & de conceptu qui illi respondet.

VIII. Resolutio. Respondetur, *ens* secundum illã duplicem acceptionem non significare duplicẽ rationem entis diuidentem aliquã cõmunem rationem, seu conceptũ communẽ, sed significare conceptũ entis, magis vel minus præcisum: *ens*. n. in vi nominis sumptum significat id, q̃ habet essentiã realem, præscindẽdo ab actuali existentia, non quidem excludendo illã, seu negando, sed præcisiue tantũ abstrahendo: *ens* vero vt participium est, significat ipsum ens reale, seu habens essentiã realem cum existentia actuali, & ita significat illud magis cõtractum. Vnde, sicut animal dictum de ipso genere præcise sumpto, & de bruto quatenus tale animal est, non diuidit aliquem conceptum communem ad animal vt sic, & tale animal; sed dicit eandem rationem animalis, vt præcisam vel vt contractam, ita dicendum est de ente sub illa duplici acceptione. Magisq; accõmodatũ exemplum est in dispositione vt significat quandam speciem qua-

Exemplum accommodatum ad resolutionis intelligentiam. qualitatis ab habitu distinctam, & genus vtriq; cõ A mune: non enim habet aliquam significationem communem, qua immediate significet alium cõceptum cõmunem generi, & speciei (id enim impossibile est, quia generi & speciei nil est commune præter ipsum conceptũ generis) significat ergo, vel immediate genus ipsum, vel immediate speciem quandam duplici significatione. Ita ergo *ens* non significat conceptũ aliquem communẽ enti nominaliter, & participialiter sumpto, sed immediate habet duplicem significationẽ, quam significat, vel ens præscindendo ab actuali existentia, vel ens actu existẽs. Quocirca illa duplex significatio, vel æquiuoca est, vel maxime ad æquiuocationem accedit secundum quandã translationem fundatam in aliqua proportionalitate. Primo. n. *ens* significasse videtur rem habentem esse reale & actuale, tanquam participium verbi essendi: inde vero translata est illa vox ad precise significandum id quod habet essentiã realem. Cuius simile etiam est in voce illa, *dispositio*, nam vt significat genus & speciem, sine dubio habet æquiuocam significationem, vel ad summum analogam B secundum quandam proportionalitatem.

IX. Igitur ad exemplum de voce, *homo*, quod in contrarium afferebatur, respondetur non esse simile, nã *homo*, non habet duplicem significationẽ, vnam qua significet hominem præcise, vel in potentia, aliam qua significet hominem existentẽ vt sic, sed vnicam tantum, qua significat hominem precise, siue existat siue non, quæ significatio est proportionalis, vel similis illi, quam habet ens solum in vi nominis sumptum. Alia vero, quam habet in vi participii, nõ reperitur in hac voce, *homo*, neq; est vllus terminus incomplexus & simplex, qui significet totũ hoc, quod hac voce complexa significatur, *homo existens*. Quod si fingamus vocem hominis transferri ad totũ hoc significandum, iam habebit duplicem significationem æquiuocam, quã dicimus esse in nomine entis.

X. Ex quo vlterius intelligitur ens sumptum in vi nominis non significare ens in potentia, quatenus priuatiue vel negatiue opponitur enti in actu, sed significare solum ens vt præcise dicit essentiam realem, quod valde diuersum est sicut enim abstractio præcisiua diuersa est à negatiua: ita ens nominaliter C sumptum, licet præcise dicat ens habens essentiam realem, non vero addit negationem, scilicet carendi existentia actuali, quam negationem seu priuationem addit ens in potentia. Quod inde etiam manifeste patet, nam *ens* in vi nominis sumptũ commune est Deo, & creaturis, & de Deo affirmari vere potest ens autem in potentia nullo modo potest prædicari de Deo: imo nec de creaturis existentibus vt sic, proprie dicitur, quia iam non sunt in potentia, sed in actu: cum tamen de illis dici possit *ens*, tam vt participium, quam vt nomen, quia licet habeant actualem existentiam, vere etiamde illis dicitur, quod habent essentiam realem, præscindendo, & non negando actualem existentiam.

XI. Vnde tandem intelligitur, *ens* præcise sumptum, vt in vi nominis significatur, proprie diuidi posse in ens in actu, & ens in potentia, & ens in actu idem esse, quod ens significatum per hanc vocem in vi participii sumptam, atque ita illa duo significare rationem entis, vel præcisam, vel determinatam ad actulem existentiam, siue hæc determinatio essentialis sit, vt est in Deo, siue sit extra essentiam, vt censetur esse in creaturis, de qua re inferius disputandum est: ens autem in potentia dicit etiam reale ens, quantum ad realem essentiam, contractum & determinatum non per aliquid positiuum, sed per priuationem actualis existentiæ. Ens autem sic contractum, seu prout in tali statu conceptum, non significatur per hanc vocem *ens*, nec per aliquam aliã incomplexam, quæ mihi nota sit, sed solum per hos terminos complexos, *ens possibile*, *ens in potentia*, & similes: quæ omnia sunt diligenter aduertenda: nam ex his vocum significationibus multum pendet vera rerum conceptio, & ex his magna etiam ex parte obiter exposita est diuisio entis in ens in actu, & ens in potentia, quam iterum postea ex professo tractabimus.

Ens an sit prædicatum essentiale.

XII. ATque hinc obiter colligitur rationem entis communissimam, quæ significatur per eã vocem in vi nominis sumptam, esse essentialem, & prædicari quidditatiue de suis inferiorib. quamuis *ens*, vt actualem dicit existentiam, & significatur per participium essendi, absolute nõ sit prædicatum essentiale, nisi in solo Deo. Hæc posterior pars, quatenus ad Deum spectat, Theologa est, & ex principiis naturalibus tractari solet infra libr. 12. & eam late disserui in Tomo 1. 3. p. in disp. 11. sect. 1. & aliquid attingemus infra, disputando de Deo. Quantum vero spectat ad creaturas, pendet ex dicendis infra de distinctione existentiæ ab essentia in creatura, nunc supponamus, siue distinguantur, siue non, absolute esse dicendum, existere non esse de essentia creaturæ, quia põt illi dari, & ab illa auferri, & ita non habet necessariam connexionem cum essentia creaturæ, precise concepta, sub qua ratione est inuariabilis, & necessario dicitur de vnaquaq; re cuius est essentia, hac ergo ratione *ens* participialiter sumptum, dicitur non prædicari quidditatiue seu essentialiter de creaturis, & quoad hoc vera est opinio Auicẽnæ supra recitata, eamq; admittit D. Thom. dicto quodlib. 2. & aliis locis supra citatis, solumq; potest Auicenna reprehendi, vel eo quod existentiam putauerit esse verum accidens, de quo infra suo loco, vel eo quod aliam acceptionem & explicationem entis omiserit, & ideo simpliciter negandum putauerit, ens sub aliqua ratione sub qua in decem prædicamenta diuiditur, esse posse essentiale omnibus illis.

XIII. Probatur ergo altera conclusionis pars (quam immerito Soto negare videtur) quia habere essentiam realem conuenit omni enti reali, est q; illi maxime essentiale.: ergo ens sub prædicta ratione est prædicatum essentiale. Præterea esse ens hoc modo conuenit creaturæ, ẽt si non existat, quomodo hæc propositio; *homo est ens*, dicitur esse æternæ veritatis: sed non conuenit illi per se secundo, vt proprietas aliqua, quia non supponit aliquid prius à quo dimanet tanquam passio: nam potius ille est primus conceptus cuiusuis entis realis: ergo conuenit vt prædicatum essentiale, & de quidditate rei. Et hoc modo dixit D. Tho. dicto quodlib. ens significare essentiã rei, & diuidi per decem genera. Aristot. autem dixit, ens non poni in definitionibus, non quia sit extra quidditatem, sed quia non dicit determinatã naturam, sed intime transcendit omnia, sicut alii dicunt de ente vt significatur hac voce *res*, de quo Soto supra concedit quidditatiue prædicari: quia significat absolute quidditatem realem: idem enim est significare quidditatem realem, quod significare essentiam realem, quam significat ens, vt præscindit ab actuali existentia: quia essentia, & quidditas idem omnino est, solumq; etymologia nominũ est diuer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sa. Quod vero essentia aut quidditas realis sit, intelligi non potest sine ordine ad esse, & realem entitatem actualem: non enim aliter concipimus essentiam aliquam, quæ actu non existit, esse realem, nisi, quia talis est, vt ei non repugnet esse entitatē actualem, quod habet per actualem existentiam: quanuis ergo actu esse non sit de essentia creaturæ, tamen ordo ad esse, vel aptitudo essendi est de intrinseco & essentiali conceptu eius: atq; hoc modo ens prædicatum est essentiale.

XIIII. Auicen. D. Thom.

Vnde obiter colligo, *ens* in vi nominis sumptum, & *rem*, idem omnino esse seu significare, solumque differre in etymologia nominum, nam *res* dicitur à quidditate, quatenus est aliquid firmum & ratum, id est, non fictum, qua ratione dicitur quidditas realis, *ens* vero in prædicta significatione dicit id, q̄ habet essentiam realem: eandem ergo omnino rem seu rationem realem important. Vnde Auicenna tract. 1. suæ Metaph. cap. 6. quia non distinxit illam duplicem significationem entis, eam diuisit inter ens & rem: nam ens de formali significare actualem existentiam, rem vero solum quidditatem seu essentiam realem, vt notauit D. Thom. in 2. d. 37. quæst. 1. artic. 1. Ergo attribuendo enti illam duplicem significationem supra explicatam, altera coincidit cum significatione nominis, *res*, scilicet illa, quæ conuenit enti in vi nominis sumpti. Et ita D. Tho. in dict. quodlib. 2. dicit, nomen *ens* secundum quod importat rem cui competit esse, significare essentiā rei, & diuidi per decem genera. Et per hæc satisfactum est omnibus, quæ circa primam opinionem adducta sunt.

SECTIO V.

Vtrum ratio entis transcendat omnes rationes & differentias inferiorum entium, ita vt in eis intime & essentialiter includatur.

I. Entia completa, imo & incompleta in plures cōceptus resolubilia, rationē entis participant.

HÆc quæstio difficultatem non habet in entibus completis, vel quæ per modum completorum entium ab intellectu concipiuntur, vt sunt omnia individua, species & genera, quæ directe in aliquo prædicamento constituuntur vsq; ad summa genera: nam in hęc diuiditur ens, & de illis essentialiter prædicatur & consequenter de omnibus aliis inferioribus, quæ sub his continentur. Deinde non solum de completis entibus, & conceptib. sed de quibuscunque partialibus, vel incompletis entibus, quæ resolubilia sunt in plures conceptus reales, est etiam indubitatum, in eis intime & essentialiter includi ens, quia, si sunt resolubilia in plures conceptus reales: ergo, vt minimum, debent resolui in conceptum entis, qui est vniuersalissimus omnium. Item à fortiori hoc constabit ex dicendis.

II. His suppositis est opinio Scoti in 1. d. 3. q. 3. & d. 8. q. 2. & in 2. d. 3. q. 6. ens non includi in differentiis vltimis, neque in modis intrinsecis, quibus ad prima decem genera determinatur, neq; in suis propriis passionibus, quæ cum ipso conuertuntur, vt sunt vnum, verum, bonum, de quibus alibi ipse sentit, esse positiuas, & reales proprietates, vt patet in 2. d. 3. q. 1. ad arg. Quid autem Scotus intelligat per differentias vltimas, obscure satis ab eo explicatur: non enim vocat vltimam differentiam illam, quæ constituit vltimam speciem, nam ibi expresse dicit rationale, vel rationalitatem non esse differentiam vltimam, si anima rationalis est in re ipsa diuersa à sensitiua. Igitur differentiam vltimam appellat, quæ sumitur ab vltima realitate formæ, differentiam autem non vltimam, quæ sumitur à tota forma, vt, si est (inquit) in homine vna anima, quæ realiter est vegetatiua, sensitiua & rationalis, in illa distinguuntur diuersi gradus seu realitates formales & differentia, quæ ab vltima realitate sumitur, dicitur vltima nō solum quia constituit vltimam speciem, sed quia se ipsa differt ab aliis, & non est resolubilis in plures conceptus: si autem fingamus animam rationalem vt sic esse integram, & per se distinctam formam à sensitiua, & omnibus superioribus, tunc, sicut talis forma est intrinsece & quidditatiue ens, ita differentia ab illa sumpta, est etiam intrinsece, & quidditatiue ens, & ideo eius cōceptus non est simpliciter simplex, sed resolui potest in conceptū entis, & aliquem alium modum, quo determinetur conceptus entis ad esse talis differentiæ, & ideo talis differentia non est vltima, quandoquidem per aliquid à se distinctum ab aliis differt.

III. Fundamentum Scoti.

Et hinc sumitur primum ac præcipuum fundamentū Scoti, nam vna differentia non est alia, vt per se notum est: ergo vel conuenit cum aliis in conceptu quidditatiuo entis, vel non, si non conuenit: ergo non includit talem conceptum in sua quidditate & essentia, quod intendimus: si autem conuenit cum aliis in illo conceptu, necesse est quod per aliquid aliud differat: ergo vna differentia differet ab aliis per aliam differentiam: ergo illa differentia nō erat vltima, quandoquidem in aliam vlteriorem resoluitur, & tunc vlterius eodem modo inquirēdum erit de illa alia differentia, an includat conceptum quidditatiuum entis, in quo cum aliis conueniat, atq; ita, vel procedemus in infinitum, vel sistendum erit in aliqua differentia vltima, quæ ita per se differat ab omnibus aliis rebus, vel conceptibus, vt neq; in conceptu entis cum illis cōueniat, & consequenter, intrinsece & quidditatiue rationem entis non includat: nam, si includeret, conueniret in ea cum aliis, si autem conueniret, indigeret alia differentia qua differret, iuxta doctrinam Aristot. 5. Metaphys. cap. 9. & lib. 10. cap. 5. quod ea, quæ inter se conueniunt, differentiis differunt. Atq; hæc ratio eodem modo applicari potest ad modos intrinsecos, quib. ens contrahitur ad prima decem genera: nam, cum vnumquodque illorum generum concipiatur per modum entis completi, certum est, quidditatiue includere rationem entis, in qua omnia illa genera conueniunt: ergo oportet, vt aliquibus modis seu differentiis differant: de illis ergo modis vlterius quæritur an includant ens: nam, si non includunt, hoc intendimus, si vero includunt, quærendum est per quid differant ab aliis. & quomodo ad illos modos cōtrahatur ens, & ita, vel procedetur in infinitum, vel sistendum erit in aliqua differētia seu modo, qui non includat ens: ergo, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sistendum erit in primo illo modo, quo contrahitur ens ad substantiam, quantitatem, &c.

Aristoteles

IIII. 2. Ratio Scoti.

Atq; hoc maxime confirmat secunda ratio Scoti sumpta ex proportione inter Metaphysicam & Physicam compositionem: vtraq; enim fit ex potētia & actu, seu (vt Scotus loquitur) ex determinabili, & determinante: sed in compositione Physica resolutio vltima fit ad vltimam potentiam determinabilem, quæ in sua entitate nihil includat formæ seu actus determinantis, & ad vltimam formam seu

seu actum determinantem, quæ nihil includat potentiæ determinabilis: ergo similiter in compositione Metaphysica omnium entium resolutio facienda est in vltimos conceptus determinabilem & determinantem, quorū vnus alium non includat, nec è conuerso, sed omnis hæc resolutio ex parte conceptuum determinabilium fit vltimate in conceptum entis, in quo vt sic actu non includitur aliquis modus, seu differentia determinans: ergo etiam ex parte conceptus determinatis debet correspondere aliquis modus, vel differentia, quæ nullo modo includat conceptum entis determinabilem. Deniq; de passionib. entis plures rationes multiplicat Scotus, quas nunc omitto, quia de iis passionib. dicendum est ex professo disputatione sequente.

Opinio Scoti confutatur.

V. Differentiæ vltimæ & nō vltimę explicatio Scotica impugnatur.

HAnc opinionem Scoti merito impugnāt Thomistæ, quamuis nonnulli eorum interdum illi faueant, vt infra notabo. Et primo quidem illa distinctio differentiæ vltimæ & non vltimæ, vt ab Scoto proponitur & explicatur, & supponit falsum fundamentum, & insufficiens est. Primum patet, quia reuera nulla est differentia, quæ ex tota forma Physica sumatur. Primo quidem, quia iuxta veriorē sententiam in composito substantiali non est nisi vna forma, & tamen omne compositum substantiale habet aliquam conuenientiā cum aliis compositis, & cum omnib. substantiis creatis, & consequenter ab illius forma, vt habet conuenientiā cum aliis sumitur aliqua differentia non vltima: ergo nulla differentia sumitur à tota forma, sed vltima sumitur ab vltimo gradu, seu realitate eius, vt ipse Scotus loquitur. Quæ ratio procedit de substantiis compositis, sed euidentior est in simplicibus, seu immaterialib. creatis, quæ genere, & differentia constant, quia in eis non est nisi vna simplex natura. Physice loquendo, à qua sumuntur differentiæ non vltimæ, & vltimæ secundum diuersos gradus seu conceptus eius. Et eodē modo procedit ratio in formis accidentalibus, nam ab vna & eadem forma secundum rem v.g. albedine, sumitur differentia non vltima coloris, & vltima albedinis. Deinde, etiam si daremus in composito substantiali esse plures formas, nulla esset differentia sumpta à tota aliqua forma. Finge. n. animā rationalem in homine esse distinctā à sensitiua, &c. adhuc rationale non esset differentia sumpta à tota forma. Probatur, quia secundum illam formam homo haberet conuenientiam cum angelis in intellectualitate: ergo ab illa forma sumeretur alia differentia prior: ergo differētia rationalitatis, prout est propria hominis, adhuc in eo casu non sumeretur ex tota forma, sed ex vltimo gradu eius: imo inter eam formam & alias necessario esset conuenientia, vel in communi ratione formæ substantialis, vel in ratione animæ, & principii vitæ respectu aliarum animarum realiter distinctarum: ergo secundum has omnes rationes possent ab illa sumi differentiæ non vltimæ: ergo nulla esset differentia, quæ sumeretur à tota forma: propter similes enim rationes in formis accidentalib. nulla esse pōt, à qua tota aliqua differentia vnica sumatur, vt Scotus fatetur.

VI. Vnde vlterius ostendi potest insufficientem esse Scoti diuisionem. Omissa enim differentia, quæ sumi dicitur à tota forma, quæ reuera nulla est, vt ostendi: Scotus ipse fatetur, dari differentiam vltimā, quæ sumitur ab vltima realitate formæ: ergo necesse est, vt admittat aliud differentiarum genus, quæ neque à tota forma, neque ab vltima realitate eius, sed à forma secundum aliquam communem, seu superiorem realitatem sumatur, vt erit differentia sensitiui in homine, si in eo anima sensitiua non est realiter à rationali distincta, vel sicut differentia coloris in albedine. Talis ergo differentia, neque est vltima, vt per se constat, neque est non vltima iuxta Scoti declarationem, quia non sumitur à tota forma, sed solum à quodam gradu realitatis eius: ergo insufficienter ab Scoto numerantur huiusmodi differentiæ. Et quærendum restat, an iuxta illius opinionem hæ differentiæ, quæ nec sumuntur à tota forma, nec sunt vltimæ, includant intrinsece & quidditatiue ens, necne. Nam si illæ non includunt ens, sequitur, nullas omnino esse differentias reales, quæ ens includant, quod & ipse negat, & per se est satis absurdum: quia, si nulla differentia est ens, nullæ sunt in rebus differentiæ reales, & consequenter nec per eas constituuntur essentiæ reales, neque essentialiter distinguuntur. Si autem illæ differentiæ includunt ens: ergo idem dicendum est de vltimis differentiis, etiam si non sumantur à tota forma, sed ab vltimo gradu eius. Probatur hæc consequentia, primo, quia hæ differentia subalternæ, v. g. sensibile, non sumuntur à tota forma, sed à quodam gradu reali eius, & hoc satis est, vt includant ens: ergo multo magis id sufficiet, vt vltimæ differentiæ includant ens. Patet consequentia, quia talis differentia sumitur à perfectiori gradu illius formæ, vt v.g. sensibile, & rationale, supposita vera sententia de vnitate animæ in homine, sunt differentiæ, quarum neutra sumitur à tota forma & sensibile sumitur ab illa secundum gradum superiorem minusque perfectum, tamen, quia forma etiam secundum illum præcisum gradum considerata, realis est, verumq; ens, ideo differentia illa ens intrinsece & essentialiter includit: rationale autem sumitur ab eadem forma secundum inferiorem gradum realem, magisq; perfectum, & forma à qua sumitur, etiam secundum illam considerationem est realis verumq; ens: ergo multo maiori ratione talis differentia includet intime & essentialiter ens. Præterea nulla est maior ratio de vna, quam de alia, nam tam simplex est conceptus differentiæ sensibilis, sicut conceptus differentiæ rationalis, neuter enim alterum includit formaliter, neq; è contrario. Quod sic declaro, nam vt ipse Scotus indicat, hæc differentia *rationale* proprie non differt ab aliis per aliam differentiam, sed per se ipsam, quia, dum ipsa est quo aliud differt, simul etiam est se ipsa differens, ne in infinitum procedamus, ipsamq; differentiam speciem faciamus, vtpote ex genere & alia differentia constantem: sed totum hoc eodem modo procedit in differentia superiori, scilicet *sensibile*, quia etiam illa non constat alia differentia, neq; est species, sed se ipsa differt ab alia sibi opposita, quatenus diuidit, & contrahit superius genus, & constituit suam propriam subalternam speciem: est ergo eadem ratio vtriusq; differētiæ, & idem est de omnibus superioribus. Quod si dicas huiusmodi differentias subalternas esse determinabiles per differentias vltimas, hoc in primis nil refert, vt illæ potius, quam hæ ens includant, imo iuxta discursum Scoti supra factum potius sequitur has differentias prout determinabiles sunt per inferiores, non includere illas, & quatenus determinant superiores, etiā non posse ipsas superiores includere & consequenter esse tam simplices, quam tum esse possunt differentiæ vltimæ. Et præterea ēt differen-

Differentiæ etiam infimæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. Item differentiæ individuales.

tiæ vltimæ, maxime secundum opinionem Scoti, A sunt determinabiles per differentias indiuiduales ergo etiam in hoc est eadem ratio de illis.

Vnde videtur tandem sequi, cõsequenter loquendo iuxta opinionem Scoti, solas differentias indiuiduales debere dici vltimas, nam illæ solæ sumuntur ex vltima realitate formæ, & per alias nullo modo differunt, neq; vt per differentias constituentes (q̃ commune est omnibus differentiis; vt dictum est) neq; vt per differentias contrahentes ad inferiora, quia illas non habent, quod est propriũ harum differentiarum indiuidualium. Sed neq; Scotus in hoc sensu est locutus de differentiis vltimis, vt patet ex locis citatis, & ex his, quæ adduximus, neq; de illis dici potest, quod ens nõ includant, propter alias rationes supra tactas, scilicet, quia etiam hæ sumuntur à materia vel forma secundum veram realitatem earum. Item, quia conceptus differentiæ indiuidualis in se non est simplicior, quã conceptus differentiæ specificę, vel genericæ, etiã si non sit ita cõmunis, vel contrahibilis: hoc enim nil refert ad simplicitatem conceptus: nam potius superiora, & vniuersaliora B solent esse simpliciora. Et prꝛterea rationes, quas de modis intrinsecis faciemus, de his etiam differentiis iudiuidualibus probabunt, nam, vt ostendam, eadem est seu proportionalis earum ratio.

VIII. Modi intrinseci entis rationem entis imbibunt.

Iam igitur de modis intrinsecis falsa etiam ostenditur opinio Scoti. Primo, quia vel illi modi sunt positiui & reales, vel nõ. Hoc secundũ neq; ab Scoto dicitur, neq; est verum, vt contra aliquos ostendam sectione sequenti: quomodo enim possent cõstituere varias rerum essentias, & essentiale discrimẽ inter illas, si nõ essent reales modi, & positiui? Si aũt huiusmodi sunt, quomodo mente concipi potest, eos non includere intrinsece & essentialiter ens? Nã vt prꝛcedente sect. ostẽdimus, ens intrinsece est, q̃ habet veram & realem essentiam, aut ergo hi modi habent aliquam realem essentiam, & ita intrinsece & essentialiter sunt ens: vel nullam habent, & sic nec possunt essentiam realem constituere, neq; aliquid reale addere ad contrahendum superiorem conceptum, & constituendam determinatam essentiam, & distinguendam illã ab aliis. Et confirmatur, nam si hi modi non sunt ens: ergo nihil sunt: ergo nihil C conferre possunt ad essentias realis constituendas. Respondent aliqui, hos modos nõ esse ens vt quod, tamen esse ens vt quo, seu aliquid entis, & inde neq; esse simpliciter & vniuoce ens, vt Scotus loquitur, neq; omnino nihil. Sed hæc responsio solum videtur in verbis consistere, quoniam esse ens vt quo nihil aliud est, quam esse formam seu actum realem in Metaphysica constitutione seu compositione: nulla autem potest esse forma, vel actus realis alicuius, nisi in se sit aliquid reale, quod est esse in se ens reale: ergo repugnat dicere aliquid esse reale quo, & non ens vt quod, nam illud quo in huiusmodi quod necessario fundari debet. Quod in omni compositione Physica inductione ostendi potest: est autem eadem ratio in Metaphysica compositione: quia etiam in illa potentia & actus concipiuntur vt constituentia integram realitatem, seu essentiam: vnde in se etiam considerata necessario concipi debent vt habentia aliquid realitatis seu essentiæ saltem partialis: alias non possent concipi vt apta ad constituendum & complendum essentiam realem: & hæc ratio applicari potest ad omnes differentias tam vltimas quam non vltimas, genericas, specificas, & indiuiduales.

IX.

Secundo possunt è contrario hic applicari rationes factæ de differentiis, præsertim illa, quod differentia non vltima, id est subalterna, ideo includit ens, quia sumitur à forma secundum aliquem gradum realitatis eius, sed etiam hi modi intrinseci sumuntur à forma, vel natura secũdum aliquem gradum realitatis eius: ergo etiam includũt ens. Minor declaratur, nam in substantia modus per se sumitur ex realitate cuiuscunq; naturæ substantialis, quatenus cum aliis conuenit in aptitudine subsistendi, & ita in substantiis immaterialib. ille modus sumitur ex tota forma simplici secundum eam præcisam rationem, in materialibus vero ex tota forma Metaphysica, seu natura integra, & consequenter ex materia, quatenus ex parte sua cõfert ad subsistendum: & ex forma, quatenus absolute constituit substantialem naturam. Tenet ergo prima consequentia à paritate rationis, & quia, sicut hic modus intrinsecus immediate determinans ens concipitur vt quid simplex, se ipso & non per alium modum differẽs ab aliis, ita etiam differentia tam subalterna quam vltima, vt declaratum est.

X. Ens esse genus, & ens vniuocum differens inferius Scoti opinione.

Tertio, quia si conceptus substantiæ resoluitur in conceptum entis, & conceptum modi omnino cõdistincti ab ente, & contrahentem, & non includentem ipsum, nil deesse potest huic modo quo minus vera differẽtia sit, neq; enti quominus genus sit, prꝛsertim, cum Scotus supponat, ens esse vniuocũ. Sequela quoad priorem partem probatur, quia de ratione differentię nihil aliud est, nisi quod essentialiter cõtrahat superius prædicatũ vniuocum, & quidditatiuum non includendo ipsum, & cum illo constituendo gradum essentialem aliquem per modum formæ eius, ex quo habet, quod prędicetur (vt aiũt) in quale quid, & cõsequenter quod faciat differe ab aliis: hæc aũt omnia conueniũt modis contrahentibus ens iuxta doctrinam Scoti. Quoad alteram vero partẽ probatur sequela, quia de ratione generis solũ est, q̃ sit prædicatum vniuocum, & quidditatiuũ, seu in quid non exprimens totam quidditatem vsq; ad vltimum gradum (propter quod dici solet prædicari in quid incomplete) & quod sit aptum contrahi & determinari per differentias essentialiter distinctas ex quo habet, quod de pluribus essentialiter differentibus prædicetur, sed hoc totum conuenit enti iuxta principia Scoti. Vnde è contrario Arist. 3. Metaphys. tex. 10. inde probat, ens non posse esse genus, quia in omnibus differentiis & modis, quibus contrahitur, essentialiter includitur, quod repugnat generi, vt idem Aristot. probat. 6. Topic. cap. 3. Respondet Scotus, ens non esse genus, quia licet non in omnibus, saltem in aliquibus differentiis includitur, scilicet in differentiis non vltimis, quæ sumuntur à tota forma. Sed hoc inprimis ostensum est supponere falsum, quia nullæ sunt differentiæ, quæ sumantur à tota forma in sensu ab Scoto intento, id est, quæ sumantur à tota forma totaliter (vt sic dicam) & non secundum aliquem præcisum gradum seu conceptum. Et deinde non satisfacit, nam quid refert, quod ens includatur in quibusdam vltimis & remotis differentiis, vt non sit genus respectu substantiæ & accidentis, in quæ proxime & vniuoce diuiditur per differentias proprias, & extra sui rationem? Imo è contrario iuxta Scoti sententiam inferendum esset illas differentias nõ vltimas, prout ab ipso finguntur, non esse proprias differentias, sed quasdam species entis: nam resolubiles sunt in conceptum entis quidditatiuum, & vniuocum ipsis,

Respondet Scoti adtum euenientia fuisse tamen.

ipsis, & in aliquam differentiam vltimam, quæ non A includat ens: nihil ergo ibi deerit ad cõstitutionem & compositionem speciei.

XI. Quartò hi modi intrinseci sunt inæquales in perfectione entitatiua: ergo sunt entia. Antecedens patet, quia substantia est perfectior accidente, & nõ ratione eius, in quo conueniunt, ergo ratione eius in quo differunt: ergo ratione sui proprii modi intrinseci. Quòd etiã per se notum est, ideò enim substãtia perfectior est, quia est per se, accidẽs vero in alio: ergo ipse modus per se essendi perfectior est modo existendi in alio, ergo vterq; habet aliquam perfectionem: ergo entitatem, nam perfectio sine entitate reali concipi non potest: aut enim sunt idem, aut perfectio supponit entitatem, & est proprietas eius. Vnde nouũ argumentum, vel confirmatio confici potest: nã in his modis (& idem est de omnib. differentiis) reperiuntur passiones entis, sunt enim aliquid: nec enim sunt nihil: & vnum, nã vnusquisq; modus est in se indiuisus, & distinctus à quolibet alio & bonum, quia habent suã definitã perfectionẽ, & appetibilitatem: & verũ, quia non sunt conficti, & per se B intelligibiles sunt. Tãdem modus quo constituitur substantia, aliquo modo substantia esse debet: nam vt dixit Arist. 1. Phys. c. 6. substãtia non constituit ex non substantiis, & idẽ proportionaliter est de modo

Aristoteles.

XII. Sententiæ Scoti, quæ fingi posset, explicatio.

accidentis, sed q̃ est substantia, est etiam ens: ergo.

Hinc verò sumere potest aliquis occasionem ad explicandam sententiã Scoti, vel certè nouã aliã introducendã. Differentia enim seu modus constituẽs substantiam, non est substantia completa, sed incõplera: hac enim ratione substãtia, quę est generalissimum prædicamenti substantiæ, habere potest differentias, in quibus non includatur, quia genus illud tantum est substantia completa, differentia autem est solum incompleta substantia: ad hunc ergo modum dici potest ens, quod determinatur ad esse substantiæ, quantitatis, & aliorum, quæ in rectis lineis prædicamentorum ponuntur, solum esse ens cõpletum, & ideo non includi in modis intrinsecis quib. determinatur, imò neque in differentiis, quæ etiam sunt incompleta entia, & in hoc sensu omnes rationes factæ non procedunt contra hanc sententiam, quia non negatur, differentias & modos esse aliquo C modo entia, sed solum esse entia completa, quod nullam habet absurditatem.

XIII. Aliena ob Scoti mente & falsa ostenditur.

Sed hæc expositio, neq; est ad mentem Scoti, neq; in se vera est. Primum patet, quia Scotus specialiter negat, ens includi in differentiis vltimis, in non vltimis autẽ concedit includi: non loquitur ergo de ente cõpleto, quia hoc modo nulla differentia est cõpletum ens. Deinde Scotus loquitur de vniuersalissimo cõceptu entis realis, quẽ mẽs nostra potest abstrahere, vt manifeste constat ex citatis locis: ens aũt completum prædicto modo explicatum nõ est vniuersalissimus conceptus entis: nam, cum entia incõpleta aliquid entitatis habeant, conuenientiã aliquã realem habent cum entib. cõpletis: ergo concipi potest ratio entis vniuersalior, quę secudũ rationem ab his prꝛscindat. Quod autem illa sententia in se falsa sit, tribus rationibus ostenditur. Prima est tãtum ad hominem, supposita sententia Scoti, quod ens sit vniuocum: tunc enim euidentius sequitur iuxta prædictam interpretationem, ens completum esse vnũ genus commune ad decem prædicamenta, quia habet differentias reales extra sui rationem, & omnia alia requisita ad rationem generis, vt patet applicando rationem supra factam.

XIIII. Secunda ratio est, quia ens communissimè sumptum, vt est transcendens, & obiectum Metaphysicæ, vel intellectus, abstrahit à completo & incompleto: nam hæc omnia, vt ex modo significandi patet, se habent per additionem ad ens in quantum ens in ordine ad prꝛcisionem vel expressionem nostrorum cõceptuum. Et saltem dubiũ non est, quin possit ens in hac generalitate significari & cõcipi, vt paulo antea dicebam: sic autem nunc nos loquimur de ente, quia vt sic est obiectum Metaphysicæ: ergo huiusmodi ens intrinsecè includitur in differentiis & modis intrinsecis. Quod si fortasse authores prædictæ sententiæ dicant, se non loqui de huiusmodi ente, sed de ente completo, in primis non loquũtur ad rem, de qua nunc agimus. Deinde non effugiunt difficultatem, quæ in tota hac sententia prꝛcipuè declarari intenditur, scilicet, quomodo ens ad inferiora descendat: nam, licet dicant, ens completum contrahi ad substantiam per quẽdam modum, qui nec est ens completum nec omnino nihil, sed incompletum ens, restat illis explicandum, quomodo & per quid ens communissimum determinetur ad esse entis completi vel incompleti. Nam de eo, quod addit ens completum supra ens, inquiram, an includat ens cõmunissimè sumptum: nam, si nõ includit, erit nihil, & procedent omnia argumẽta facta, si autem includit: ergo differẽtia seu modus contrahens vel diuidẽs, includit ipsummet diuisum. Vnde de illo modo restabit inquirendum, per quid distinguatur ab ipso ente in cõmuni quod in se includit, & per quid differat ab aliis entib. & ita incidet hæc explicatio in difficultates, quas Scotus vitare intendit.

XV. Tertia ratio & maximè propria est, quia ille conceptus entis completi cõmunis decem prædicamentis, prout in rectis lineis constituuntur, & non aliis rebus, est impossibilis, quia perfectiora entia sunt incompletæ substantiæ, quæ non ponuntur directè in prædicamento substantię, quam accidentia, quę ponuntur directè in prædicamento accidentis. Quod patet, siue consideremus physicè substantias iucompletas, siue Metaphysicè, nam materia prima perfectior est, magisque habet de entitate, quam quantitas, & forma substantialis, magis, quam qualitas. Similiter rationalitas, prout est differentia substantialis, perfectius quid est, quam quodlibet accidens: ergo ens prout est commune ad substantiam, & accidentia, multo magis commune est ad substantias incompletas, & consequenter ad omne id, quod quacunq; ratione entitatem includit: nã hæc sola cõuenientia considerari potest inter substantiam & accidens. Vnde conceptus ille entis completi, si sit conceptus entis, quod sit per se vnum, tãtùm esse potest conceptus substantiæ.

Quæstionis resolutio.

XVI. Aristoteles, D. Thom. Caietan. Soncin. Soto. Fonseca.

DIcendum est ergo, ens, in quantum eus, intrinsecè includi in omni ente, & in omni cõceptu positiuæ differentiæ, aut modi entis realis. Ita docet D. Tho. 1. cõt. Gent. c. 25. & qu. 31. de verit. art. 1. & indicat quodlib. 2. art. 3. & 1. part. quæst. 3. artic. 4. quæst. 4. art. 3. ad 1. quęst. 5. art. 1. & docent Thomistæ, Caiet. de ente & essentia cap. 1. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 14. Soto in Antepræd. c. 4. Idem tenet Fonseca 4. Metaph. q. 4. c. 2. q. 3. & sumitur ex Arist. 3. Metaphys. tex. 10. quẽ supra citaui. Et suppositis iis, quę cõtra Scotũ dicta sunt, sufficienter probatur inductione, quia, si loquamur Physicè de reb. ratio entis includitur in omnib. substantiis, & in omnib. partibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

earum, & in omnibus accidentibus, & in omnibus modis positiuis realibus: nam omnia hæc habent aliquo modo essentiam veram, id est, non fictam, nec imaginariam, sed realem, aptam ad existendum extra nihil. Si autem Metaphysicè res considerentur, ens includitur in omnibus generibus, & speciebus, & indiuiduis absque controuersia, & ostensum à nobis est includi etiam in differentiis, & in modis positiuis intrinsecis, sed præter hæc nihil est in rebus.

XVII. Obiectioni respondetur.

Dices, passiones entis esse præter hæc omnia, de quibus nihil dictum est. Respondetur. De his passionibus in controuersia positum est, an formaliter dicant aliquid positiuum ex natura rei distinctum ab ente, vel solum negatiuum, aut ens rationis. Si hoc ergo posterius verum est, consequenter dicendum est, passiones illas formaliter nō includere ens, neque hoc esse contra conclusionem, quia illæ passiones formaliter non dicunt differentias, aut modos realiter determinantes, aut efficiētes ens. Si autem prior sententia vera est, consequenter asserendum est, has passiones in formali conceptu suo includere ens propter easdem rationes suprà adductas, & contineri has passiones sub enumeratione facta, quia dicunt modos reales entis illi adæquatos seu conuertibiles cum ipso: quæ autem harum opinionum verior sit, sequente disputatione tractabitur. Ratio autem aptior conclusionis iam etiam tacta est, & sumitur ex ratione entis supra explicata, quæ est habere essentiam realem, in quo nō includitur, quod illa essentia sit perfecta, vel imperfecta, integra, vel partialis, sed solum quod realis sit: hoc autem necesse est includi in omnibus rebus, & modis, seu differentiis realibus. A posteriori autem generalis etiā ratio est, quia in his omnib. reperitur semper aliquis effectus, seu quasi effectus realis, quod non potest intelligi sine inclusione alicuius entitatis: nā constituunt, complent, aut integrant, ac distinguūt ens reale, adeò vt etiam ille modus, quo nostro more intelligendi determinatur ens in communi ad Deū seu ens increatū, concipiatur tanquā constituēs tale ens: vnde nō potest concipi nisi sub ratione alicuius entitatis. Itē huiusmodi differentiæ, vel modi solent esse radices proprietatū, vel actionum realium: ergo.

XVIII. C Ad primum Scoti fundamentū respondetur, vnā differentiam quantumuis vltimam posse esse diuersam ab alia, etiam si cum illa in communi entis ratione conueniat, sicut de primis generib. generalissimis omnes docent, quæ propterea non propriè differre, sed primò diuersa esse dicuntur, quia aliàs non essent suprema genera, sed sub alio superiori contenta, præsertim posita vniuocatione entis, quam Scotus ponit: quo modo autem hoc intelligendum sit, in sequente sectione declarabitur. Ad secūdum respondetur in primo non esse necessariam illam proportionem inter compositionem physicam, & Metaphysicam, alioqui, sicut de omni forma verum est nihil includere materiæ, & de materia, nullam includere formam, ita de omni genere seu conceptu determinabili verificandum esset, quod nullam includat differentiam, & è cōtrario de omni differentia, quòd non includat ens quod est primum determinabile. Secundo dicitur, illam proportionem seruari posse inter compositionem Metaphysicam, & Physicam, quamdiu in eis sistitur, & tenet in hoc, quod nec genus differentia, nec differentia genus includit, sicut nec materia formam, nec forma materiam: si autem resoluendo Metaphysicam compositionem peruenitur ad simplices conceptus non A compositos ex genere & differentia, iam in illis respectu prædicatorum superiorum transcendentiū non oportet seruari prædictam proportionem, quia in eis iam nō reperitur ille determinationis modus, sed alius iam explicandus.

SECTIO VI.

Quomodo ens in quantum ens ad inferiora contrahatur seu determinetur.

I. Difficultas quæstionis.

Hæc est potissima difficultas, ob quam Scotus, Caietanus & alii in sententias extreme oppositas declinarunt. Alii negando conceptum entis præcisum, & abstractum, vt nulla sit necessaria eius contractio, vel determinatio, quia hæc nullo cōuenienti modo intelligi potest: quia nec fieri potest per non ens vt ostensum est section. præced. neque etiam per aliquod ens, alioqui in illo ente supponetur iam facta determinatio, & procedetur in infinitum. Sed hæc sentētia, si intelligatur de abstractione B secundum rem seu fundata in distinctione aliqua ex natura rei, vera est, & quoad hoc satisfacit, si verò intelligatur de abstractione secundùm rationem tantùm, non est vera vt ostendimus, & ideò etiam secundum rationem explicare oportet, quomodo hęc contractio seu determinatio fiat. Alii ergo ita præscindunt, & abstrahunt conceptum entis, vt contrahi & determinari existiment per aliquid quod intrinsecè non sit ens, quomodo philosophatur Scotus, qui non solùm secundùm rationem, sed etiam ex natura rei huiusmodi præcisionem excogitauit, tamen in duobus deceptus est, vt probaui: primò ponendo talem modum abstractionis, & præcisionis realis, secundò suppositā illa fingendo modos, seu differentias positiuas reales, quæ entia non sint.

II. Aliter verò fauet huic parti Soncin. 4. Metaphys. quæst. 1. ad 2. & qu. 19. ad 7. & lib. 5. quæst. 14. dum ait modum constituentem substantiam, & consequenter determinantem ens ad illam esse tantùm negationem, vel ens rationis. Vnde (inquit) licet ens includatur quidditatiuè in substantia, non tamen in eo per quod contrahitur ad conceptum substantiæ, quia id solum est quædam negatio, quam circūscribimus hac voce *per se*. Sed non video quid Soncinatem in eam sententiam induxerit, cum ipse non ponat conceptum obiectiuum entis præcisum ab hoc disiuncto, *substantia vel accidens*, quia, si ab his non abstrahit, nullo modo contrahēte indiget, sed sola ablatione alterius membri alterum determinatum relinquitur, id autem quod relinquitur, non potest intrinsecè constitui per solam ablationem alterius membri, sed per id quod intrinsecè est. Qua enim ratione intelligi potest substantia, constitui in ratione substantiæ, quæ perfectissima est per solam negationem, aut per ens rationis? Vnde omnia ferè argumenta, quibus contra Scotum probauimus, modum entis includere ens, procedunt contra hanc sententiam, scilicet, quia substantia non nisi ex substantiis coalescere, vel cōstitui potest. Item quia aliàs, etiā modus quo determinat ens ad ens increatum, esset negatio. Præterea conceptus substantiæ de formali esset priuatiuus, aut per rationē confictus, & non realis: quia id, per quod formaliter constituitur, dicitur esse negatiuum seu ens rationis. Denique aliàs etiam accidens per negationem à fortiori cōstitueretur, cum sit minus perfectum, quam substātia, erit ergo quidam circulus, quia substantia cōstituetur

Nō admisso cōceptu præcisio entis, nulla contradictio ipsius necessaria.

stituetur per negationem inhærētiæ, accidens verò per negationem perseitatis, & vix est intelligibile. Quocircà, quamuis hæc simplicia interdū à nobis p negationes explicētur, tamen mēs rectè concipit res ipsas reales nō constitui negationib. sic differētiam bruti p irrationale explicamus, & non ppterea concipimus negatione cōstitui: similiter infinitatē Dei, negatione declaramus, q̄ in summa quadā, & positiua perfectione cōsistere rectè concipimus: sic ergo, quamuis substantiam per se esse interdum explicemus per negationem inhærendi in alio, tamen mente concipimus non per eam negationem formaliter constitui, sed per positiuam perfectionem, qua intelligitur formalem vim habere vt sit per se absque subiecto, cui inhæreat: sicut è contrario in accidente intelligimus esse talem positiuam naturam, quę postulat adhæsionem ad aliud vt esse possit.

III. Substātia & accidens per positiuas per fectiones constituuntur.

Tertia ergo sentētia admittit cōtractionē seu determinationē entis ad inferiora p modos positiuos, & reales: hæc autē determinatio dupliciter explicari potest. Primò, vt sic per modū cōpositionis ex ente & modo aliquo, ex quib. tanquam ex partib. Metaphysicis conceptus substantiæ, v.g. cōponitur, & in eosdē est resolubilis: quæ cōpositio non est ex genere & differentia, solū quia ens includitur in ipso modo: in his enim compositionib. quæ tantum sunt per rationem non reputatur inconueniens, q̄ determinabile, quando transcendens est, includatur in conceptu determinantis. Et hac ratione aiunt conceptū substātiæ & aliorū supremorū generum, vel differētiarū vocari simpliciter simplices, non quia nō sunt resolubiles in duos conceptus: hoc enim est propriū solius entis, sed quia non sunt resolubiles in duos conceptus mutuò præscindētes, quia vnus necessariò debet in alio includi, scilicet ens in modo quāuis è conuerso modus in ente actualiter nō includatur.

IIII. Aliqui qualiter ens determinari existimens.

Quod si obiicias, quia repugnat fieri talem resolutionem in duos cōceptus, & alterum in altero includi, nam si in conceptu modi *per se* includitur, ens & ipsum *per se*: ergo in eo includitur totum id, q̄ in conceptu substantiæ: ergo nulla facta est resolutio: Responderi potest includi quidem ens in modo per se, aliter vero quàm in substantia, nam in substantia includitur vt in completo & perfecto ente: in modo vero solum vt in completo. Item substantia includit modum *per se* vt partem Metaphysicā formaliter constituentem ipsam, atq; illa est totum constitutū ex ente & modo: modus autē *per se* includit seipsum, seu potius est ipsemet, non vt pars sui, sed vt id quo constituit substātia, & hac ratione vera sit resolutio substantiæ in ens & per se: neque idem omnino includitur in modo, quod concipiebatur in substātia.

V. Quòd si vlteriùs vrgeatur difficultas suprà tacta, de contractione seu determinatione entis ad ipsum modum *per se* per quid fiat, aut quomodo non procedatur in infinitum. Duplex est modus respondendi. Prior est determinari ens ad *per se* per alium modum, ita vt modus per se resolubilis sit in duos conceptus, scilicet in conceptum entis, & alterius modi innominati, ratione tamen distincti ab ipso per se minusque perfecti: nam eadem ratio, quę probat substantiam ipsam esse sic resolubilem, probare etiam videtur de modo per se: nam in eo est ratio entis modificata, & aliter, quam in substantia, & aliter etiam quàm in modo accidentis: ergo potest ibi ratione distingui ratio entis, quæ modificatur, & ratio illam modificans ratione distincta ab illa, qua modificatur ad substantiam, vt modificatio ipsa diuersæ A rationis sit. Iuxta hanc verò sententiam consequenter dicendum est, illum etiam alium modum esse resolubilem in alios similes duos conceptus, & consequenter ita posse in infinitum procedi, quia non est maior ratio sistēdi in vno, quàm in alio. Hoc autem esset magnum inconueniens, si ponerentur isti conceptus ex natura rei distincti, quia oporteret fingere in substātia infinitos modos ex natura rei distinctos, & in perfectione inæquales, habentes terminū ex parte modi perfectissimi & proximè constitutiui ipsius substantiæ, non vero ex alio extremo: ita vt omnes illi modi simul ibi sint: & tamen in eis nullum sit assignare infinitum in perfectione: hæc enim & similia reuera sunt absurda. At verò si asseratur solum esse inter hæc distinctionem rationis, & omnē hanc resolutionem & compositionem esse per præcisionem, & denominationem intellectus, non videtur magnum inconueniens totum hoc admittere: nam intellectus potest infinitis modis res inter se cōferre aut præscindere, & abstrahere: sicut potest etia inter duas species in infinita genera, vel infinitū præscindere & abstrahere, quatenus inter duas species possunt aliæ intermediæ in infinitum multiplicari. Sed B nihilominus hęc responsio non est probanda, etiam in hac sentētia: quia mēs statim abhorret processum in infinitum, quia alias nullus esset modus aut terminus resolutionis ad rem distinctè concipiendam, nec posset mens inchoare, vel efficere huiusmodi abstractionem & determinationem, nisi sistendo semper in conceptu vlteriùs resolubili in duos alios cōceptus, & incipiendo ab alio simili. Vnde authores omnes conati sunt hunc processum vitare; & videtur sane repugnare Aristot. 2. Metaph. cap. 2. text. 10. & 11. vbi negat posse procedi in infinitum in prædicatis quidditatiuis: oppositum enim apertè sequitur ex prædicto processu; & statim addemus alias rationes, quę cōmunes sunt, etiā cōtra hanc responsionē. Aristoteles.

VI. Secunda ergo responsio esse potest, modum *per se* non esse vlterius resolubilem in duos conceptus, sed seipso distingui à quolibet alio completo, vel incōpleto ente: nam cùm procedimus resoluendo quod constituitur, in id quo constituitur, sistendum est in eo quo, ne procedamus in infinitum. Nam quod est ratio constituendi, seu distinguendi aliud, hoc ipso C est per se distinctum à quolibet alio: sic enim in reb. physicis forma est quæ distinguit vnum compositū ab alio, ipsa vero per se est distincta: & in vniuersum actus est qui distinguit, ipse verò actus per se est distinctus. Sic ergo modus *per se* (& idem est de cæteris) cōtrahit ens ad substantiam, quam constituit, & distinguit ab aliis, simulq; se ipsum ab aliis etiam se parat, & per se se determinat ens ad seipsum: & sic cessat processus in infinitum. Hæc responsio est probabilis, tamen non est satis consequenter dicta, nec rem satis declarat, vt ex dicendis in consequente sententia patebit.

Explicatur vera sententia.

VII. Quarta igitur opinio, & quæ mihi probatur, est, hāc contractionem seu determinationem conceptus obiectiui entis ad inferiora non esse intelligendam per modum compositionis, sed solum per modum expressioris conceptionis alicuius entis contenti sub ente: ita vt vterque conceptus, tam entis, quam substantiæ, v. g. simplex sit, & irresolubilis in duos conceptus, solumq; differant, quia vnus est magis determinatus, quā alius. Quod in ordine ad cōceptus formales rectè explicatur: differūt enim

Universidad de Deusto
Biblioteca

enim solum quia per vnum expressiùs cõcipitur res prout est in se, quàm per alium, quo solum confusè concipitur, & præcisè secundũ aliquam conuenientiam cum aliis reb. hoc autem totum fieri potest sine propria compositione per solam cognitionem confusam, vel distinctam, præcisam, vel determinatam. Sic igitur his conceptib. formalibus intelliguntur correspondere duo obiectiui simplices, & irresolubiles in plures conceptus, quorum vnus dicitur superior, vel abstractior alio, solum quia respondet confusiori conceptui formali, per quem non concipitur res secundum determinatum modum quo est in se: sed confusè, & præcisè. Potest etiam intelligi ille conceptus superior includi in inferiori sine propria compositione inferioris: quia totum id, quod confusè concipitur in illo conceptu præciso, reperitur in alio obiecto expressius concepto, & in toto illo, quacunq; ratione consideretur. Ac deniq; intelligitur determinatio superioris ad inferius, & additio inferioris ad superius nõ quasi per additionem partis ad partem, sed per solam maiorem determinationem, vel expressionem, aut confusionem eiusdem rei in ordine ad diuersos conceptus mentis.

VIII. Talem modum explicandi hanc rem indicauit D. Thom. quæst. 1. de verit. art. 1. dicens; *Quod primò intellectus concipit, quasi notissimum, & in quo omnes cõceptiones resoluit, est ens: vnde oportet quòd omnes alie conceptiones intellectus accipiantur ex additione ad ens: sed enti nihil potest addi quasi extranea natura per modum quo differentia additur generi, quia qualibet natura essentialiter est ens: sed secundum hoc aliqua dicuntur addere supra ens, inquantum exprimunt ipsius modum, qui nomine ipsius entis non exprimitur:* & infra, *Substantia non addit supra ens aliquam differentiam, sed nomine substantiæ exprimitur specialis modus essendi.* Idem significat quæst. 21. de verit. art. 1. Eundem item dicendi modum significauit Scot. 1. dist. 8. quæst. 3. differt tamen in ratione explicandi: vt ex dictis facile constat.

Scotus.

IX. Præterea, hunc modum abstractionis & determinationis intellectualis esse possibilem probatur exemplis: nam cùm diuidimus quantitatem in bicubitam, tricubitam, &c. non potest intelligi, quod conceptus bicubitæ quantitatis resoluatur in conceptũ quantitatis & bicubiti, quia impossibile est concipere bicubitum non concepta quantitate, signum ergo est, illos duos cõceptus solum distingui sicut expressum & confusum. Idem ferè est in conceptu caloris & caloris vt octo: cuius signum etiam est, quod conceptus communis caloris non solum includitur in toto calore vt octo, sed etiam in singulis gradibus eius: cum ergo dicitur calor vt octo, non additur modus distinctus faciens compositionem cum calore vt sic, sed exprimitur & concipitur calor, prout est in re. In præsente etiam hoc est manifestum in determinatione entis ad ens infinitum, neque enim concipi potest infinitas, tanquam aliquis modus additus enti, vel tanquam aliquid minus ipso ente infinito: solùm ergo est ibi expressior, magisque determinatus conceptus cuiusdam simplicissimi entis: & hac ratione ens ipsum non est simplicius Deo, quamuis in modo quo concipitur, sit abstractius. Ita ergo rectè intelligi potest in conceptu substantiæ & accidentis.

Modus contrahendi ens assignatus possibilis esse probatur.

X. Si autem hic modus possibilis est; quòd in presente sufficiat, & ita fieri censendum sit, facilè suaderi potest. Primò, quia hoc modo expeditur facilè difficultas sæpè inculcata in superioribus: & explicatur, quomodo ens possit dicere conceptum præcisum secundum rationem, & nihilominus determinari ad inferiora, & intimè includi in omnibus illis absque processu in infinitum, & absque propria compositione. Secundò, quia hoc modo saluatur optimè quomodo suprema genera dicant conceptus simpliciter simplices: & nihilominus possit ab eis abstrahi conceptus entis per solam præcisionem intellectus, quę non consistat quasi in separatione vnius ab alio, scilicet, formalis à materiali, vel materialis à formali, vt fit in abstractione generis à differentiis: sed quę consistat in cognitione aliquo modo confusa, qua consideratur obiectum, non distinctè & determinatè prout est in re, sed secundum aliquam similitudinem, vel conuenientiam, quam cum aliis habet; quæ conuenientia in ordine ad conceptum entis est in rebus secundum totas entitates, & modos reales earum: & ideò confusio, seu precisio talis conceptus non est per separationem præcisiuam vnius gradus ab alio, sed solum per cognitionem præcisiuam conceptus confusi à distincto & determinato. Vnde potest tertiò hoc ostensiuè probari, quia conceptus entis non est præcisus secundum rem, sed secundum rationem, vt probatum est: præcisio autem secundum rationem potest contingere illis duobus modis; vt ostensum est, & nõ facilè poterit alius fingi, vel excogitari. Rursus præcisio quasi formalis per exclusionem vnius gradus ab alio non habet locũ in ente propter illimitationem suam, & transcendentiam: & quia continentia in qua fundatur eius conceptus, æquè est in tota entitate secundùm se totam: ergo solum potest in ente habere locum altera præcisio per confusionem conceptus: ergo etiam è contrario modificatio, seu determinatio ad inferiora genera solum esse potest per simplicem conceptum magis expressum, & determinatum, quia contractio debet proportionatè respondere abstractioni, & expressio seu determinatio præcisioni.

XI. Tandem contra hanc sententiam sic explicatam non occurrit difficultas alicuius momenti: nihil enim se offert quo ostendi possit hunc modum abstractionis & contractionis secundum rationem repugnare, aut non sufficere ad omnia, quæ de ente & eius inferioribus dici solent, aut concipi, & ad omnẽ experientiam, quæ ex modo concipiendi nostro sumatur, vel percipi possit. Solum video posse obiici Philosophi testimonium, lib. 3. Metaph. tex. 3. dicentis, non posse commune prædicatum contrahi per differentiam quæ per se includat ipsum commune prædicatum. Sed vt omittam testimonia, quæ ex illo libro sumuntur non esse firmæ authoritatis, quia Arist. nihil in illo libro docet asserendo, sed argumentando, & dubitando: tamẽ falso citatur, quia non loquitur de quolibet communi prędicato, sed de genere, de quo est alia ratio, ens autem non est genus, imò hoc ipsum vult ibi Aristoteles concludere. Vnde q̃ aliqui id extendunt ad omne prædicatum commune, vel vniuocum, gratis dictum est, & præter mentẽ Philosophi. De qua re iterum infra redibit sermo, tractando de vniuersalibus, & de analogia, vel communitate entis, & accidentis.

XII. Hinc sequitur conceptum substantiæ, & conceptum perfeitatis, seu modi *per se* obiectiuè non distingui, sed tantum ex modo cõcipiendi, vt quod, vel vt quo: sicut Deus, & Deitas; quia in re propriè non est quo, & quod, sed tantum quod: mens autem, quia non potest explicare simplicia, nisi ad modum compositorum, vtitur illis concipiendi modis. Et ideò suprà dicebam, rectè quidẽ dici vnum ex his modis distingui

distingui ab alio se ipso: tamen, consequenter loquendo, idem esse dicendum de ipsis generibus, quæ apprehenduntur vt constituta per tales modos: quia reuera ibi nulla est constitutio per modum compositionis, sed per simplicem, & adæquatam identitatem (sicut dicunt Theologi de relatione & persona diuina) quia quidquid vnum includit, includit aliud. Neque est vlla ratio ob quam modus *per se*, magis se ipso distinguatur ab alio modo, quàm substantia; cùm proximè etiam sit sub ente, & intimè ac totaliter includat illud.

Qua ratione suprema genera dicãtur primo diuersa.

Atque hac ratione optimè dicuntur suprema genera primò diuersa, non quia in nullo communi conceptu confuso conueniant, sed quia non habent determinatas differentias, quæ sint extra rationem illius communis seu entis, sed se ipsis habent diuersitatem in propriis ac determinatis naturis, quamuis etiam habeant imperfectam similitudinem in ratione entis: hæc enim duo non repugnant, vt in superioribus declaratum est.

DISPVTATIO III. in tres sectiones distributa.

De passionibus entis in communi, & principijs eius.

I. EXplicata formali ratione obiecti adæquati huius scientiæ, antequàm ad particularia obiecta descendamus per varias entis diuisiones, oportet de passionibus illi adæquatis, & quæ cum illo conuertuntur, disputare: quoniam proprium munus scientiæ est passiones de suo subiecto demonstrare. Hic ergo de his passionibus in communi, posteà de singulis in speciali dicemus: quia verò scientia vtitur aliquibus principiis ad suas passiones demonstrandas, hic etiam breuiter declarabimus, quibus rincipiis vti possit, aut debeat hæc doctrina. Agimus autem hic de principiis cognoscendi, quæ solent principia complexa vocari: nam de principiis seu causis realibus inferiùs dicemus.

SECTIO I.

Vtrùm ens inquantum ens habeat aliquas passiones, & quales illæ sint.

RAtio dubitandi est, quia, vt aliqua sit vera, & realis proprietas alterius, quatuor conditiones vt minimum requirit. Prima est, vt ipsa proprietas sit aliqua res, nam si sit nihil, quomodo esse poterit realis proprietas? Secunda, vt distinguatur aliquo modo ex natura rei ab illo, cuius est proprietas: nam si sit omnino idem cum illo, potiùs erit essentia, vel de essentia eius, quam proprietas. Tertia, vt adæquatè illi conueniat, seu cum illo conuertatur: agimus enim de proprietate, quæ per se secundo alicui conuenit: nam hæc sola est, quæ sub scientiam cadit, & demonstrari potest. Quarta denique est, vt subiectum, seu id cuius est proprietas, non sit de intrinseca ratione & essentia talis proprietatis, quia, vt Aristot. dicit lib. 7. Metaphys. cap. 5. text. 18. & 1. Poster. cap. 18. tex. 35. subiectum non cadit intrinsecè & essentialiter, sed solùm vt additum in definitione passionis: alioqui mutuò ita se haberent, quod passio conueniret subiecto per se secundo, subiectum autem passioni per se primò: quæ videtur aperta repugnantia. Sed fieri non potest, vt respectu entis sit aliqua proprietas, quæ has omnes conditiones habeat: nam, si proprietas realis est, intrinsecè & essentialiter est ens reale: quia neque omnino non ens, neque solum ens rationis esse potest: quia (vt dicebam) quod nihil est, vel solum per rationem fingitur e, non potest esse realis passio entis realis: bet ergo esse aliquid reale: ergo est ens rele quidditati uè & essentialiter: nam, vt suprà contra Scotum probatum est, nihil potest esse reale, quod intrinsecè & essentialiter ens reale non sit. Repugnat ergo esse proprietatem realem entis realis vt sic: quia si est proprietas realis: ergo ens est de essentia eius: si autem ipsa est proprietas entis, ens non potest esse de essentia eius: quia, vt dicebamus, subiectum non B potest esse de essentia passionis. Rursus id quod est essentialiter ens, non potest ex natura rei distingui ab ente: vt suprà generaliter probatum est: ergo nec potest esse passio entis. Item, quod est essentialiter ens, & non est ipsum ens in communi, est inferius ad ens: ergo non conuertitur cum ente: ergo non potest esse proprietas entis. Tandem, quod est essentialiter ens, debet habere omnes proprietates entis, si quæ illæ sunt: ergo non potest illud ipsum esse proprietas entis: alioqui esset proprietas sui ipsius, quod plane repugnat: vel certè includeret aliam proprietatem sibi similem, & à se distinctam: & idem rursus de illa dici posset: & sic procederetur in infinitum.

Variæ sententiæ referuntur.

II. IN hac re tres inuenio dicendi modos. Primus est, ens habere reales & positiuas proprietates ex natura rei ab ipso distinctas, quæ tamen in se intrinsecè & essentialiter entia non sunt. Sumitur ex Scoto locis supra citatis in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. quæst. 2. & in dist. 3. quæst. 3. & 6. Fundamenta eius quoad duas vltimas partes tacta sunt in ratione dubitandi. Prima verò pars probari breuiter potest, primò ex generali sententia omnium, qui has passiones enti tribuunt, vnum, verum, bonum, quæ non sunt conficta ab intellectu, sed verè & realiter enti conueniunt: & sunt extra naturam ipsius entis, quia esse vnum, &c. non ita essentialiter prædicatur de rebus, sicut esse ens. Item, quia scientia non demonstrat de obiecto suo reali, nisi proprietates reales: sed Metaphysica est vera scientia demonstrans de suo obiecto has passiones: sunt ergo hæ veræ & reales passiones. Et hoc significauit Aristot. 4. Metaphys. cap. 1. dicens, *hanc scientiam contemplari ens, quatenus ens, & ea, quæ illi per se insunt*: neque enim per se inesse possunt reali, quæ realia non sunt: habet ergo ens proprietates reales.

Prima Scoti sententia.

Aristoteles.

III. Secunda sententia.

Secunda quidem sententia, quàm defendunt aliqui Thomistæ cõuenit cum Scoto in primis in hoc, quod necesse est ens habere passiones reales: quia non potest omnino nullas habere, alioqui non posset esse obiectum scientiæ: si autem reales non sunt, nullæ sunt, quia quod reale non est, non potest semper, per se, ac necessariò,

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessario, enti conuenire: quod tamen est de ratione propriæ passionis. Vnde consequenter concedũt, has passiones distingui formaliter ex natura rei ab ente quia hoc etiam est de ratione proprietatis realis. Item, quia huiusmodi passiones non prædicant formaliter essentiam rei, sed modum extra essentiã. Vnde hæc propositio, homo est ens, est in primo modo dicendi per se: non tamẽ hæc: homo est vnus: Propter quod Aristot. 4. Metaph. text. 3. ait, ens & vnum esse idem, non tamen simpliciter, & vt synonyma, sed vt principium, & causam. Addit verò hæc sententia contra Scotum, has passiones, etiam formaliter sumptas, includere essentialiter ens, propter easdem rationes, quibus id suprà probatum est, de differentiis vel modis realibus, eædem enim procedunt de huiusmodi passionibus, suppositio, quod positiuæ sint, & reales. Vnde consequenter asserunt, in his transcendentibus non esse inconueniẽs subiectum includi intrinsecè in passione, quia non includitur vt subiectum, sed vt determinatum ad talem modum, qui modus est passio ipsius entis secundum se sumpti: & potest esse adæquatus illi, & conuerti cum illo, quia non determinat illud ad speciale genus entis, sed afficit illud quodam modo communi & vniuersali omnibus entibus. Nam vt D. Thom. ait quæst. 1. de verit. artic. 1. dupliciter aliquis modus exprimitur, vel additur supra ens, scilicet, aut tanquam specialis modus entis, aut, tãquam modus generaliter consequens omne ens. Atq; ex his putant huius sententiæ authores posse expediri totam dubitandi rationem in principio positam.

IIII. Tertia sententia.

Tertia sententia est ens non habere reales passiones positiuas; sed omnia illa, quæ attribuuntur enti, tanquam passiones eius addere ipsi enti solum negationem aliquam, vel respectum rationis. Hęc est sententia D. Thom. dict. quæst. 1. de verit. art. 1. & quæst. 21. art. 1. quam etiam significat in 1. par. quæst. 5. 11. & 16. & vbicunque de his proprietatibus entis in particulari disputat. Eandem tenet Soncin. 4. Metaph. quæst. 1. ad 1. quæst. 17. & 19. ad 7. & lib. 5. q. 14. Iauell. 4. Metaphys. q. 2. Soto in prædic. c. de proprio. q. 2. ad 2. Caiet. 1. p. q. 54. artic. 2. Fonsec. 4. Metaphys. cap. 2. q. 3. Fundamentum huius sententiæ explicatum est in ratione dubitandi in principio posita, & in rigore est vera, indiget tamen explicatione.

D. Thom. Caietan. Sotus. Iauell. Soncin.

Declaratur vera sententia.

V. Est igitur inprimis aduertendum, aliud esse prædicatum aliquod esse veram & realem passionem subiecti: aliud verò concipi, explicari, & prædicari à nobis per modum passionis, seu proprietatis, quod propriùs diceretur per modum attributi, ad eum modum quo Theologi loquuntur de diuinis perfectionibus. De ratione igitur veræ ac realis passionis sunt illæ conditiones positæ in principio: ad posteriorem autem modum attributi seu proprietatis non sunt omnes necessariæ, præsertim illa de distinctione ex natura rei, sed sufficit distinctio rationis, qua vnum vt subiectum habens aliquam essentiam seu rationem formalem, saltem cõfusè conceptam, aliud vero per modum perfectionis seu proprietatis concipiatur. Cuius rei exempla præter adductum de attributis diuinis fumi possunt ex Aristot. in Prædicam. vbi varias proprietates illis attribuit, quæ non possunt aliter distingui, aut explicari, vt v. g. docet esse proprietatem quantitatis, quòd sit fundamentum æqualitatis, & inæqualitatis, quæ proprietas nihil dicit in re distinctum à quantitate, sed est solum quædam aptitudo, quæ nihil aliud est, quam ipsa quãtitas: concipitur autem à nobis, vt ratione distincta ad distinctius explicanda munera ipsius quãtitatis. Et eodem modo posset attribui quantitati vt proprietas eius esse subiectum proximum corporalium accidentiũ, quod tamẽ in re nihil dicit ab ipsa quãtitate ex natura rei distinctũ.

Proprietas quæ à subiecto in re distinctæ, quæ non item.

Exempla.

VI. Secundò obseruandum est, in huiusmodi attributis formaliter sumptis aliud esse, quod ipsa sint entia realia, vel rationis: aliud quod distinguantur re, vel ratione: optimè enim fieri potest vt sint realia, quãuis non re, sed ratione distinguantur, vt in exemplis positis facilè patet; & ratio est clara, quia distinctio rationis, quæ oritur ex præcisione intellectus, non est per conceptionẽ alicuius fictæ entitatis, quę non sit in re, sed per modum solum inadęquatum concipiendi veram rem: potest ergo esse attributum reale, quamuis modus attributionis, & distinctionis, sit solum per rationem. Quin potiùs, si proprie loquamur, vt attributum sit sola ratione distinctum à reali subiecto, oportet quod si attributum reale, & non rationis tantùm, vel priuatiuum: alioqui formaliter loquendo, plus quàm ratione distingueretur, scilicet vt non ens ab ente, vel vt ab ente vero ens fictum. Quocirca obseruare etiam oportet, in huiusmodi attributis aliud sæpè esse quod per illa formaliter significatur, aliud verò quod per illa à nobis explicari intenditur: sæpe enim id quod formaliter significatur, est negatiuum: per illud autem à nobis explicatur positiua & realis perfectio rei, vt simplicitas, quę à nobis assignatur vt attributum Dei, vel quorundã aliorum entium in suo gradu, formaliter in negatione consistit, per eam verò nos explicamus talẽ modum, vel entitatem rei simplicis.

VII. Aristot. D. Thom. Entis duplex significatus.

Vltimò obseruandum est ex Aristot. ex Metaph. tex. 14. & D. Tho. 1. p. q. 48. art. 2. ad 2. & in 1. dist. 19. q. 5. art. 1. ad 1. *ens* propriè & in rigore significare entitatem rei, quomodo hactenus de illo locuti sumus: interdum verò dici *ens* quidquid simpliciter de aliquo affirmari potest: nã quia affirmatio fit per verbum essendi, quidquid simpliciter attribuitur rebus quamuis in eis nullam entitatẽ ponat, dici solet ens, seu esse, huiusmodi autem prædicata seu attributa videntur posse ad duo capita reuocari. Vnum est eorum, quæ in negatione, vel priuatione consistunt: sic enim dicimus rem esse indiuisibilem, actum moralem esse malum, hominem esse cæcum, & similia. Aliud est eorum quæ consistunt in denominationibus extrinsecis sumptis ex rebus ipsis, quomodo dicitur Deus creator ex tempore, vel paries visus, &c. hæc autem denominatio interdum sumitur vt actualis, & requirit coexistentiam vtriusq; extremi, vt in exemplis positis: interdum verò vt aptitudinalis, sicut dicitur paries visibilis, &c.

VIII. Non habet ens passiones positiuas ab ipso in re distinctas.

His positis dico primò ens vt ens non posse habere veras, & omnino reales passiones positiuas ex natura rei ab ipso distinctas. Hæc est sententia D. Thomę citatis locis, qui rectè aduertit, sermonem esse de ente in quantum ens: nam, inquãtum tale ens, bene potest habere passiones reales ex natura rei distinctas, quia tale ens vt sic, potest esse extrà essentiam alterius entis, & consequenter etiam extra essentiam suæ passionis: ens autem in quantum ens non potest esse extra essentiam alicuius entis: & ideò nulla proprietas vel passio potest esse realis, quin in ea essentialiter includatur ens: & ideò non potest esse ex natura rei distincta ab ente: nam, vt suprà ostensum est, ens in

ens in quantum ens, nõ distinguitur ex natura rei ab omni ente, in quo includitur essentialiter: & hoc est potissimum fundamentum conclusionis: quod variis modis confirmari, & explicari potest. Primo, quia sive ratio entis solitariè, ac præcisè consideretur, sive vt est in rebus, nulla passio ex natura rei distincta inuenietur manare ab illa, vel ab aliqua re ex eo præcisè, quòd concipitur est ens: sed ex eo tantùm quòd est tale ens. Quod patet inductione, nam attributa entis hactenus inuẽta solùm sunt illa, quæ transcendentia vocantur: illa autem, vel positiua non sunt, vel non sunt realia intrinseca, vel si aliquo sensu talia sunt, non sunt ex natura rei ab ente distincta: quòd melius constabit tractando de singulis his attributis. Nunc breuiter declaratur, quia hæc attributa sunt communia Deo, & propriissimè in illo reperiuntur absque distinctione ex natura rei. Quòd si dicas, secus esse in creaturis, in primis hoc dicitur sine fundamento: oporteret enim speciale aliquod indicium distinctionis eius, vel necessitatẽ assignare: nihil autem huiusmodi afferri potest. Ac deinde est optima ratio, quia nunc agimus de ente in quantum ens, vt abstrahit à Deo, & creaturis: ergo, quæ illi attribuuntur, vel attribuuntur vt ex natura rei distincta vel non: si hoc posterius dicatur, id est quod intendimus: nam si in aliquo ente hæc distinguantur, id erit ex peculiari ratione, de quo postea videbimus: si vero dicatur prius, sequitur in omni ente, etiãm in Deo, distingui ex natura rei, quia quicquid superiori per se attribuitur, debet cõuenire omni inferiori.

IX.

Et potest hoc amplius vrgeri, quia ipsum ens in quantum ens, ex eo præcisè quòd tale est, absq; alio modo reali ei superaddito, & ex natura rei distincto habet quicquid positiuè necessarium est, vt sit vnũ, verum, bonum, &c. vnde in ipsomet explicandi modo dicimus esse ens, quia habet veram essentiam, & perfectionem aliquam realem, &c. Nec refert, quòd possit mens concipere & considerare rationem entis non expresè cõsiderando alias rationes, quia hoc ad summum indicat distinctionem rationis, vel aliquid negatiuum aut extrinsecum in illis attributis inclusum, vel connotatum, vt postea declarabimus. Tandem huiusmodi distinctiones ex natura rei difficillimè intelliguntur, & ideò sine sufficiente indicio, & ratione non sunt multiplicandæ: hic autem nullum est apparens indicium huius distinctionis, vt facilè patebit ex dicendis, & ex solutionibus argumentorum. Et alioqui propter transcendentiam entis est in eo multo difficilior hæc distinctio, vt rationes etiam in principio factæ ostendunt, præsertim illa, quod subiectum sit de essentia passionis, cum tamen passio sit veluti accidens subiecti. In quo etiam specialem repugnantiam inuoluit, quod ens in quãtum ens, quod abstrahit ab essentia substantiali & accidẽtali, simplici vel cõposita, actuali vel potẽtiali, perfecta vel imperfecta, perficiente aut perfectibili, postulet aut requirat passiones distinctas, quę sint veluti quædam intrinseca accidentia, quib. perficiatur.

X. Vera attributa habet ens.

Dico secundo, ens in quantum ens habere aliquas proprietates seu attributa, quæ non sunt per rationem conficta, sed vere & in re ipsa de illo prædicantur. Hoc totum probatur optimè rationibus tactis in prima & secunda sententia. Simpliciter enim verum est, vnumquodq; ens esse vnum, & bonum, &c. vt autem hæc vera sint, non oportet vt mens fingat aliqua entia rationis: quamuis enim mens nihil de rebus cogitet, aurum est verum aurum, & est vna determinata res distincta ab aliis: & similiter Deus est vnus, & bonus &c. Præterea hoc rectè probatur illa ratione, quod Metaphysica, quæ est realis ac vera scientia, hæc demonstrat de ente: non autem demonstrat aliquid ab intellectu fictum. Quapropter, si in hoc rigore loquamur de ente rationis, non rectè dicuntur hæc attributa significare de formali entia rationis, quia huiusmodi entia propriè solum dicuntur esse obiectiuè in intellectu: vnde solum sunt, quando cognoscuntur aut finguntur ab intellectu: hæc autem attributa reuera non pendent ex fictione intellectus, sed absolutè & ante omnem intellectus considerationem enti ipsi cõueniunt, vt dictum est. Huiusmodi ergo locutiones, vt veræ sint, quadam latiori ratione exponendæ sunt, quatenus omne id, quod non ponit in re, cui tribuitur aliquid reale positiuũ & intrinsecũ, dici potest ens ratiõis, vel, vt distinguit cõtra ens reale propriũ, habẽs veram & intrinsecam entitatem: vel fundamentaliter, scilicet, quia intellectus ad distinctè concipiendum, & prædicandum huiusmodi attributa, sumit ex eis fundamentum ad confingenda aliqua entia rationis.

Passiones entis non dicant de formali entia rationis, & contraria locutio quo modo explicanda.

XI. Quid addant de formali passiones entis.

Dico tertio. Hæc attributa entis de formali addunt, vel negationem, vel denominationem sumptam per habitudinem ad aliquid extrinsecum, per ea tamen explicatur realis positiua perfectio entis, non secundum aliquid reale superadditum ipsi enti, sed secundum ipsammet formalem seu essentialem rationem entis. Hanc conclusionem indicasse mihi videtur Arist. 4. Metaph. c. 2. simul dicens, ens & vnum eandem dicere naturam, & nihilominus non idem formaliter significare: quia nimirum vnũ de formali addit negationem, quam non dicit ens, per eam vero nihil aliud explicatur, quam ipsamet natura entis, quod infra latius declarandum est. Similiter autem dicendum est, de vero & bono, & si quę sunt alia huiusmodi attributa: hæc enim formaliter, & in ordine ad conceptionem nostram non dicunt idem quod ens, neq; etiam dicunt negationẽ, vt ex se constat significant ergo ens sub quadam habitudine ad aliud, scilicet, quatenus in se habet vnde ametur, aut vere cognoscat, aut aliquid simile prout suis locis declarabimus. Et ita videtur rem hanc planè exponere D. Thomas citatis locis. Ratio autem huius conclusionis est, quia hæc attributa non sunt synonyma ipsi enti: alias nullo modo dici possent proprietates seu attributa, essetque nugatio dicere ens esse vnum, aut bonum: oportet ergo vt de formali significẽt aliquid præter ens, nõ possunt aũt de formali significare entitatẽ aliquam superadditam enti, ab ipsoque ex natura rei distinctam, vt ostensum est: neque etiam significare possunt entia rationis in rigore sumpta, vt dixi: ergo nihil aliud dicere possunt, nisi aut negationẽ, aut priuationem, vel aliquam habitudinem seu denominationem extrinsecam. Rursus omnis hæc attributorum ratio eò tendit, vt perfectius à nobis cognoscatur, & explicetur entis natura: alioqui frustra esset & impertinens ad scientiam entis: non autem ita est, sed valde accommodata: nam, quia nos simplicia non perfectè cognoscimus prout in se sunt, partim negationibus, partim comparationibus ad res alias vtimur ad ea distinctè explicanda. Sic igitur, quamuis hæc attributa de formali addant negationes vel alias habitudines, tamen per illas omnes explicatur entis natura, vel quoad perfectionem, vel quoad integritatẽ, aut aliquid simile. Dixi hæc attributa solum addere supra ens, negationem: vel quid simile, quia sub cõtrouersia positum est an formaliter seu in abstracto

Aristoteles.

D. Thom.

hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæc attributa dicant solam negationem, seu relationem, vel includant entitatem ipsam, quod melius in singulis passionibus explicabitur.

XII.

Soluuntur argumenta.

AD rationem ergo dubitandi in principio positam, simul cum adiunctis in prima & secunda opinione, facilis est solutio ex dictis, iam enim concessum est hæc attributa non esse proprias passiones reales cum eo rigore & proprietate, vel necessarium sit omnes conditiones ibi numeratas, eis conuenire. Declaratum etiam est, quo sensu hæc attributa realia dici possint, scilicet, quia de formali dicunt aliquid, quod suo modo in rebus, & verè ac simpliciter potest enti attribui per modum priuationis, vel denominationis realis seu aptitudinis realis cum habitudine ad aliquid extrinsecum. Et hoc est satis, vt hæc attributa secundum id totum quod includunt, non sint propriè essentialia: & ideò dicantur esse ad modum passionum, seu proprietatum. Sufficit etiam hoc, vt possint hæc attributa sub scientiam cadere, quandoquidem, & in rebus sunt, & eo modo, quo sunt, ens ipsum consequuntur, & ad illius naturam explicandam conferunt. Eò vel maximè, quòd ad rationem scientiæ, & ad demonstrationes conficiendas sufficit distinctio rationis inter attributa, quia nos, sicut concipimus, ita etiam ratiocinamur, & ita de Deo verè demonstramus esse immortalem, quia immaterialis est, & sic posset etiam fieri in attributis entis, etiam si sola ratione ab ipso ente distinguerentur. Tandem ex dictis etiam constat, quomodo ens non dicatur essentialiter de his proprietatibus seu attributis suis, nam secundum rem quidem essentialiter dicitur de illis, quia illa nihil aliud explicant, quam ipsam entis naturam, tamen non est de essentia illorum quantum ad id quod addunt supra ens: quia negatio v. g. quam formaliter addit vnum, non est essentialiter ens verum & reale, quale est illud quod dicitur esse quasi subiectū harū proprietatū: & ita euitatur processus in infinitum, & alia incommoda, quæ in argumentis tangebātur.

XIII. Qualiter attributa entis inter se differant.

Vltimò ex dictis colligitur, quomodo possint hæ proprietates seu attributa inter se distingui: nā quoad rem intrinsecam, quam in ente significant, non distinguuntur in re, cum nihil dicant ex natura rei distinctum ab ente, vt ostensum est: & hoc modo dici solet, quod in re entitas rei est bonitas eius, & veritas, & è conuerso. At vero, si consideremus id, quod de formali addunt, dici possunt formaliter differre, non quidem ratione formali intrinseca, & positiua, sed vel negatiua, vel extrinseca, vt ex dictis satis constat, & patebit amplius ex dicendis in particulari de singulis.

SECTIO II.

Quot sint passiones entis, & quem ordinem inter se seruent.

I. Rationes reddunt quæstionem ancipitem.

SOlent communiter sex transcendentia numerari, ens, res, aliquid, vnum, verum, bonum: ex quibus videtur colligi quinque esse passiones entis, quia tot sunt prædicata, quæ cum illo conuertūtur, & non plura. In contrarium autem est, quia neque illa omnia possunt habere rationem passionis, & præter illa possunt alia à nobis excogitari. Primum probari potest ex dictis, quia *res* solū dicit de formali rei quidditatem, & ratam seu realem essentiam: hæc aūt non est proprietas, sed potiùs essentia entis: A vnde multi censent magis essentiale prædicatum esse rem, quam ipsum ens. Similiter *aliquid*, cùm distinguatur immediatè contra nihil, nihil aliud formalissimè significare videtur, quam ipsummet ens, perinde enim dictum videtur *aliquid* ac habens aliquam quidditatem: hæc autem formalis significatio coincidit cum significatione rei, & entis.

Secūdum probatur, quia præter illa prædicata videntur alia cōmunia omni enti, vt, v.g. durare, & esse alicubi: hæc enim necessariò comitantur omnia entia. Quòd si dicas, hæc non conuenire enti nisi vt existenti: hic autem esse sermonem de ente secundum se abstrahendo ab actuali existentia: contra hoc est, quia etiam illæ proprietates durationis vel localis præsentiæ, possunt secundum se considerari abstrahendo ab actuali existentia, & vt sic intelligētur habere connexionem per se cum ente: vnde, sicut hæc prædicatio, *ens est vnum*, est perpetuæ veritatis absoluendo copulam à tempore: ita & hæc, ens habet durationem, vel præsentiam localem. Est autem specialis difficultas de ipso esse actualis existentiæ, nam videtur esse proprietas quædam ipsius entis secundum se sumpti, quia non cōuenit ei essentialiter nec omnino per accidens. Rursus præter has passiones simplices videntur esse aliæ complexæ seu disiunctę: sicut enim proprietas numeri dici potest quod sit par vel impar, & quantitatis, quòd sit finita vel infinita: ita entis passio dici potest quòd sit finitum vel infinitum, actu vel potentia, aut similia. Vltimò, si ad passiones entis, vt dictum est, sufficiunt negationes, seu habitudines rationis, hæ poterunt in infinitum multiplicari, vt esse idem, non esse impossibile, esse amabile, esse intelligibile, &c.

II.

Quæstionis resolutio.

III. Passiones entis res tantum.

HÆc quæstio solum proponitur, vt tractationē hanc de passionibus entis ad certa capita reuocemus, & ideò breuiter dicendum est, si propriè loquamur, & non fingamus distinctiones minimè necessarias, tres tantum esse proprias passiones entis, scilicet, vnum, verum, & bonum. Quòd enim hæ tres inter se distinctæ sint, saltem ratione formali, siue illa sit negatiua, siue positiua, siue realis, siue rationis, facilè quis sibi persuadebit. Primò ex communi sententia omnium scribentium de hac materia. Secundò, ex communi modo concipiendi, & significatione ac interpretatione ipsarum vocū: nam vnum vt sic, solùm significat, quod res sit in se integra & indiuisa: vnde formaliter negationem addit, in quo distinguitur à vero & bono. Hæc autem inter se distinguuntur, quia verum dicit adæquationem, vel habitudinem ad intellectum: bonum autem ad voluntatem seu appetitum tanquam conueniens illi, siue hoc dicat formaliter, siue fundamentaliter: hæ autem sunt rationes, vel habitudines valde diuersæ. Quòd etiam à contrariis facilè declarari potest, nam vnitas opponitur multitudini: bonitas malitiæ, veritas falsitati: hæc autem valde distincta sunt. Tandem ex his, quæ in particulari de his passionibus dicemus, hoc euidentius constabit, simulq; ostendemus, quodlibet istorum attributorum cōuenire omni enti reali, atq; ita conuerti cum ente: sunt ergo hæ tres passiones entis.

IIII.

Quòd autem præter has non sint aliæ, colligi potest ex D. Thom. doctrina: licet enim sæpe numeret illa sex transcendentia, eorumq; rationem & sufficientiam declaret, vt quæst. 1. de verit. artic. 1. quæst. 21. art. 1. & sæpe alias: tamen, cū in particulari agit de his propriet-

proprietatibus, nunquam tractat nisi de illis tribus, vt patet ex 1. p. q. 5. 11. & 16. & in dictis quæstionibus disputatis. Potestque in hunc modum declarari ex dictis: nam *res* & *ens* iuxta communem vsum tanquam synonyma vsurpantur: & interdum de ente actu existente dicuntur, interdum verò ab actuali existentia præscindunt, quare neutrum est passio alterius. Cuius etiam signum est, quod vnum nunquam prædicatur de alio, & si ita prædicetur, censetur esse nugatio, seu identica prædicatio. Alia vero prædicantur de ente illique adiunguntur, vt adiectiuum substantiuo: sic enim dicitur, ens vnum, ens verum, &c. ens autem & res substantiua sunt, neque possunt eo modo coniungi: signum est ergo, vnum non esse passionem alterius. Quod si velimus hæc duo in eo rigore distinguere, quo D. Tho. supra ex Auicenna illa distinxit, quòd res præscindat ab existentia actuali, & meram quidditatem significet: ens autem sumptum sit ab esse, & solum dicat ens actualiter existens: sic constat, rem non significare passionem entis: sed esse prædicatum maximè quidditatiuum. Et potiùs ens significabit aliquid extra essentiam, saltem in creaturis. Tamen etiam ens non poterit dici passio rei: existentia enim non est passio creaturæ existentis, vel quia non manat ex principiis eius intrinsecis, sed ab extrinseco illo prouenit, vel quia conuenit illi necessario ac per se: vnde neque sub scientiam propriè cadit actualis existentia creaturæ, quatenus actu pendet à voluntate liberæ creatoris: quid autem sit hæc existentia, & quomodo distinguatur ab essentia creaturæ, res est obscura, quam infra tractando de ente creato in particulari disputabimus. Si autem iuxta opinionem quandam supra tractatam, ens non solum vt dicit actu existens, sed etiam vt dicit aptum ad existendum, distingueretur à re, prout absolutè dicit habens quidditatem realem: sic ens esset prima passio rei: sed hoc suprà improbatum est, quia in prima ratione quidditatis realis intrat aptitudo ad existendum, & in hoc primo distinguitur quidditas realis à non reali seu ficta. In his ergo duobus nulla passio entis, continetur. Scio Auerr. in sua paraphrasi cap. de Re, dicere, *rem* significare non solum rem veram sed fictam, sed hoc commune est enti, & solum est secundum æquiuocam significationem. De qua & de aliis æquiuocis significationib. harum vocum dicam in sequentibus.

Res & ens non se habēt sicut essentia & passio.

V. Aliquid iuxta varias vocis etymologias, vel entis, vel vnius est synonymum.

Rursus *aliquid*, duplicem etymologiam, seu interpretationem habere potest. Vna est, quod idem sit aliquid, quod habens quidditatem aliquam: siue enim hæc fuerit prima deriuatio vocis, siue non: tamen iam in communi vsu in hoc sensu accipi videtur: aliquid enim, & nihil contradictoriè seu priuatiue opponi censentur: *nihil* autem idem significat, quòd non ens, vel nō habens entitatem vllā: aliquid ergo idem est, quod habens aliquā entitatem, vel quidditatē. In hac ergo significatione cōstat aliquid non esse passionem, sed synonymum entis: idemque censetur etiam secundum formalem rationem, & conceptum, dicere de aliquo esse aliquid, & dicere ens, & ita opinatur de hoc attributo Fonsec. 4. Metaph. c. 2. q. 5. sect. 2.

VI.

Alia verò etymologia huius attributi est, quam tangit D. Tho. cit. locis, scilicet, vt *aliquid*, dicat, quasi aliud quid, quæ videtur conformior primæ impositioni huius vocis, vt constat ex Latinis authorib. iuxta quā hæc vox significat de formali aliquid distinctū ab ente, scilicet, distinctionē ab alio seu negatione idētitatis cū alio. Hoc tamen sensu attributū hoc, vel non est diuersum ab vno, vel in eo includitur tāquam cōsequens ilud. Vnum enim dicitur, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, vt infrà videbimus: ergo in ratione vnius includitur illa negatio, quę importatur in voce *aliquid*, vel ad illam reuocatur, & ideo hoc attributum nō ita auget numerum harū passionum, vt oporteat de illo aliquid specialiter tractare, sed explicata ratione vnius, & cōsequenter multitudinis, quæ illi opponitur, & identitatis vel distinctionis, quę in eius ratione aliquo modo fundātur, explicatum manebit hoc prædicatum *aliquid*. Nā, licet negatio in illa concluſa possit distingui ratione à negatione incluſa in vno, quòd vnum dicat negationem multitudinis, aliquid verò solū dicat negationē identitatis cum alio, quomodo distinguūtur *vnum* & *aliquid* à D. Tho. q. 1. de verit. art. 1. tamen quia posterior negatio in priori fundatur, & nullam specialem habet difficultatem in doctrina de his passionib. tradenda, non oportet eas distinguere. Dicunt vero aliqui vt Iauellus in tract. de transcend. c. 3. *aliquid* dicere actualem diuisionē ab alio ente, ita vt ante mundi creationem Deus esset vnus, non aūt aliquid. Sed hoc impropriissime dictū est: quis enim dicat, ens non esse aliquid, propterea quòd alia non existant? imò in illo sensu, *aliquid* non potest esse passio entis, cùm non conueniat omni enti: ergo vt est passio, solū dicit negationē illā in aptitudine & respectu alterius entis existentis, vel possibilis: & hoc modo, vt dixi, in vnitate fundat, & cū illa simul explicat.

VII.

Ex dictis ergo sex trāscendentibus tantùm relinquuntur tria supra numerata, quę possint esse passiones entis, quorū sufficientiā tradit D. Thom. cit. loco de verit. & quæst. 21. art. 1. quia passiones entis debēt aliquid addere supra ens, & nō possunt addere aliquid positiuū reale: ergo vel negatiuū, vel positiuū rationis, seu per denominationem aut conuenientiā ad aliquid extrinsecum. Priori modo constituuntur passio vnius, quia negatio illa diuisionis in se, & diuisionis à quolibet alio, consequitur omne ens secundum se & absolutè cōsideratum, & nulla alia est quæ necessario conueniat omni enti vt sic. Posteriori modo constituuntur duæ aliæ passiones, vna per respectum seu conuenientiam ad intellectum: alia per habitudinem, & cōuenientiam ad appetitum & voluntatē: nam hæ duæ facultates, & nullæ aliæ sunt vniuersales, & respiciūt omne ens sub diuersa ratione.

C

VIII. Qualis inter passiones entis ordo seruetur.

Atque hinc colligunt authores, ex his tribus passionibus vnitatem esse primam, quia est absoluta: conuenit enim omni enti ex se, & non per denominationem ab alio extrinseco, neque propriè per relationem ad aliud, quam significant aliquo modo verum, & bonum, quatenus conuenientiam cum alio dicunt: absoluta autem sunt priora respectiuis ex genere suo. Dices, etiam vnum vt dicit diuisionem ab alio, importare habitudinem ad aliud. Respondetur primum de ratione vnius non esse illam negationem, quod sit aliud à quo distinguatur, sed solum consequi ad vnum quòd sit aptum distingui: Deus enim vnus erit, etiam si nihil sit à quo diuidatur. Deinde illa negatio non est relatio, sed potius negatio relationis, nam potius identitas est relatio, & illa est negatio identitatis, vel certè est fundamentum eius, & consequenter esse potest fundamentum alicuius relationis, rationis. Denique, etiā si fingamus illam per modū habitudinis ad aliud, est de se prior aliis relationib. veri, aut boni, quia est quodammodo abstractior, quia solum respicit aliud sub ratione

Universidad de Deusto
Biblioteca

entis: sic enim dicitur vnum diuisum à quolibet alio, A cuiuscunq; alterius rationis illud sit. Itaque Arist. 4. Metaph. c. 1. vnum coniungit cum ente tãquam primam passionem: & D. Thom. 1. par. q. 11. artic. 2. ad 4. sentit post ens, vnum esse quòd prius de vnoquoq; ente cognoscitur, q̃ latiùs tractant Soncin. 4. Metaphys. q. 24. & Iauel. tract. de transcendentibus. c. 1.

IX. Ex aliis autem duobus transcendentibus, seu passionibus entis verum est prius bono, vt docuit D. Tho. 1. par. q. 16. art. 4. Et patet, quia bonitas quodãmodo fundatur in veritate: vt enim sanitas bona sit, supponitur esse veram sanitatem: nam, si sit ficta, nõ erit bona: & sic de aliis. Vnde verum dicit ordinem ad intellectum, bonum ad voluntatem: intellectus autem est prior potentia, quam voluntas. Quòd si quis velit, has passiones in perfectione etiam cõparare, & interroget, quænam illarum perfectior sit, potest inprimis facilè responderi, de formali, & secundum id quod addunt supra ens, nullam dicere perfectionem, quia nihil reale dicunt, seu addũt ipsi enti: vnde sub hac ratione non est, quod cõparentur, quia comparatio supponit positiuũ: quatenus verò significant aliquo modo ipsum ens, eiusq; naturam B declarant, eandem omnino perfectionem entis exprimunt, & ita ex hac etiam parte comparari non possunt, quia comparatio distinctionem requirit.

Collatio inter passiones entis in perfectione.

Satisfit argumentis.

X. Ad rationem ergo dubitandi in principio positam respondetur, non ideo sex transcendentia numerari, quia omnia significent distinctas passiones entis, sed aliqua distingui hac ratione: aliqua verò solum ex diuersa etymologia, vel impositione vocis. Et ita distinguuntur res, & ens: quia hoc ab esse, illud à quidditate reali sumptum est. Et similiter aliquid, & vnum ex prima impositione distinguuntur, quòd vnum ex negatione diuisionis in se: aliquid verò ex negatione identitatis cum alio dicta sunt: in re verò eandem passionẽ significant: quia illa duo ad perfectam vnitatem requiruntur.

Quare sex transcendentia numerentur.

XI. Ad aliam verò partem, qua probatur, has passiones esse plures, respondetur, primum de duratione fortasse non esse quid diuersum ab existentia actuali: & ita eadem erit de vtraque ratio. Quòd si forte ex C natura rei distincta est in creaturis, meritò non numeratur inter passiones entis, quia est speciale quoddam ens, vt infrà suo loco videbimus. Et idem dicẽdum est de præsentia locali: nam vt est modus aliquorum entium, speciale prædicamentum constituit, vt infrà etiam dicemus. De illis autem disiũctis, finitum vel infinitum, &c. dicendum est, vel propriè non esse passiones entis in communi, sed potius esse diuisiones eius: quia vel essentialiter contrahunt ipsum ens, quatenus ens est, vel certè neutrum membrum diuidens illi conuenit, nisi vt contracto seu determinato ad specialem aliquam rationem entis, vt de finito, & infinito infra videbimus: vel certè significant diuersos status eiusdem entis, vt esse in actu, vel in potentia, vt infra etiam dicturi sumus: vbi etiã declarabimus quomodo existentia creaturæ non sit passio eius. Vel certè hæ proprietates disiunctæ reducuntur ad simplices, vt idem vel diuersum ad vnitatem.

XII. Ad vltimum respondetur, posse quidem plures negationes, vel habitudines rationis excogitari à nobis in ente, quæ illis passionibus, quæ à nobis numeratæ sunt, formaliter non explicantur: quomodo nonnulli dicunt, *Rem* esse passionem, quæ formaliter addit supra ens negationem entis ficti, seu chymerici. Alii addunt, *idem*, & *diuersum*, nam quodlibet ens habet relationem rationis identitatis ad se ipsum, & relationem diuersitatis ab alio, saltem à non ente, seu ab ente rationis. Item fingi potest relatio similitudinis ad alterum, saltem fundamentaliter: vt, sicut æquale ponitur passio quantitatis: ita assimilabile (vt sic dicam) sit passio entis: nullum enim est ens, quod nõ possit habere aliquid sibi simile aliquo modo, saltem analogicè, & infinite aliæ denominationes huiusmodi possunt multiplicari, vt in argumento tactum est. Dicendum nihilominus est illas passiones sufficienter numerari, vel quia illæ solæ conducunt ad naturam entis explicandam, & habent, tum in rebus, tum in vsu hominum sufficientem causam, & vtilitatem ob quam excogitatæ sint, & distinctæ: vel, si quæ aliæ huiusmodi excogitari possunt, in his virtute continentur, vel ad eas reuocantur.

Aliquot rationis habitudines entibus communes cur non passiones entis.

XIII. Quod igitur *Res* de formali dicat negationem aliquam entis ficti, fictum quidem est, & præter omnem Latinam significationem vocis, & communem B conceptionem hominum: nam *Res* non est terminus negatiuus, seu priuatiuus, sed omnino positiuus. Est etiam impertinens illa negatio, tum quia obscurius est ad explicandum quid sit ens fictum, quam quid sit res: tum etiam, quia, si illa negatio necessaria est ad passiones entis, potius in *vero* fundenda est: dicitur enim verum ens, quod non est fictum: vel, si formaliter sumatur, in *vno*, seu *aliquo* includitur: quia in negatione, quam dicit *aliquid*, includitur vt sit diuisum à quolibet alio. & consequenter etiam ab ente ficto. Eò vel maximè, quod ratio entis ficti vt sic in negatione consistit: illud enim est propriè ens fictũ, quod ita mente apprehẽdi potest, vt in se inuoluat repugnantiam, & impossibilitatem, quæ est negatio quædam; & ideo reale ens non propriè diuiditur ab illo per negationem, sed formaliter per suam realitatem, vt latius disput, seq. in simili dicemus. Et eadem ratione excluduntur similes negationes quæ ex sola reflexione intellectus fieri possunt, vt nõ esse diuersum à se, esse diuersum ab ente rationis, non esse sibi inæquale, & similes; quæ & inutiles sunt, & in infinitum multiplicari possunt, & sunt mera operationis, quæ non sufficiunt ad passiones entis, vt diximus.

Res non cit formaliter negatio nem entis ficti.

XIIII. Atque hinc etiam constat, non oportere addere inter passiones entis identitatem, vel diuersitatem, quia, vt hæc possunt formaliter dicere relationes rationis, non pertinent ad passiones entis, vt suprà dictum est generaliter: quia tales relationes non per se conueniunt enti, sed extrinsecus tantum per cogitationem, reflexionem, aut comparationem mentis: si autem sumantur, quatenus in re habent aliquod fundamentum positiuum, vel priuatiuum, sic sufficienter continentur sub vnitate, vt infrà dicemus. Et eodem modo reducitur ad vnitatem similitudo (si hæc communis est omni enti) nam, si sumatur pro vera relatione, illa sine dubio non est passio, quia nec conuenit semper omni enti, & cui conuenit, non per se, sed ex accidente conuenit. Et si fortè dicatur creaturæ existenti semper conuenire, tamen etiã respectu illius erit, quoddã accidẽs, sicut relatio creaturæ. Si autem sumatur fundamentaliter, sic ad vnitatem reducenda est, sic enim dixit Aristot. similitudinem in vnitate fundari. Denique iuxta hunc modum ad *veritatem* reducitur denominatio *intelligibilis*, *significabilis*, ad *bonum* reducitur *ratio integri*, *& perfecti*, & denominatio *amabilis*, *appetibilis*, & similes: non est ergo necesse plures passiones confingere.

SECTIO III.

Quibus principijs demonstrari possint passiones de ente, & an inter ea hoc sit primum. Impossibile est, idem simul esse & non esse.

I. Ratio dubij pro vtraque parte. Hæc quæstio præcipuè proponitur propter Aristot. qui 4. Metaph. c. 3. text. 8. docuit illud principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, esse primum ac fere vnicum, ad quod resolui debent omnes huius scientiæ demõstrationes: imò & aliarum scientiarum, saltem virtualiter. In contrarium autem esse videtur primò, quia propria & intrinseca scientiæ principia sumi debent ex causa seu ratione, ob quam prædicatum conuenit subiecto: vnde idem Arist. 1. Posterior. docet posteriorem passionem demonstrari per priorem, primam vero omnium, vel non demonstrari, sed immediatè conuenire subiecto, vel solum quoad nos demonstrari per definitionem subiecti: definitionem autem ipsam nullo modo demonstrari, sed immediate cognosci de subiecto. Sic igitur in omni scientia primum principium erit illud, in quo, vel prima passio de subiecto, vel definitio de definito prædicatur: ergo & in præsente scientia principia propria & intrinseca sumenda erunt ex connexione primæ passionis cum ratione entis, vel rationis entis cum ipso ente: erit ergo hoc primum principium, *Omne quod est, vnum est*, quia vnum est prima passio entis, vt diximus, vel certè hoc, *Omne ens est habens essentiam*. Non ergo est illud, *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, quia illud est valde extrinsecum; & non potest deseruire ad proprias demonstrationes à priori, sed vt summum ad reductionem ad impossibile. Adde, principium illud à priori reduci ad illud, *Omne ens est vnum*; ideo enim non potest simul esse, & non esse, quia vnum tantum determinate esse potest. Quomodo multi dicunt, primo conuenire enti quatenus est ens, esse diuisum à non ente, quam proprietatem putant in vnitate includi, de quo postea videbimus. Tandem augetur C difficultas, quia etiam inter principia quodammodo intrinseca, & vniuersalissima, non videtur illud esse primum; quia est negatiuum: omnis autem negatio in priori aliqua affirmatione fundatur: ergo datur aliud principium prius illo, in quo fundetur: quale erit, vel hoc, *Necesse est idem esse, vel non esse*, vel hoc, *Vnum contradictorium necessario aliud destruit*.

Aliquot certiora pronunciata pro sensu quæstionis declarando.

II. Principijs eget Metaphysica in quæ vltimo resoluat conclusiones. In hac re omnes conueniunt in Metaphysica (sicut in aliis scientiis) necessaria esse aliqua prima principia per se nota, quibus passiones demonstrentur; siue sit sermo de passionibus transcendentibus entis vt ens est; siue de proprietatibus specialioribus aliquorum entium, vt sunt intra latitudinem formalis obiecti Metaphysicæ, iuxta ea quæ in proœmiali disputatione dicta sunt, quamuis, quia ens vt ens in ordine ad hanc scientiam est prius cæteris, passiones illi adæquatæ sunt etiam priores, & consequenter etiam vniuersalissima principia, quę ex ipsis transcendentibus aliquo modo constant, priora sunt reliquis; & ideo de illis nũc præsertim agimus. Quod ergo talis principia sint necessaria, eadẽ ratio est in hac scientia, quæ est in cæteris, quia etiam illa per demonstrationem procedit, resoluendo cõclusiones in principia; in qua resolutione non potest in infinitum procedere: vt constat ex generali doctrina de causis: in nullo enim causarum genere in infinitum procedi potest: ergo necesse est vt sistat in principiis, seu propositionibus per se notis.

III. Vnicum principium ad id muneris nõ sufficit. Secundò ex hac ratione concludi videtur, hæc principia non tantum vnum, sed plura, & ad minus duo esse debere, saltem quoad hoc, vt sint propositiones immediatæ, & à priori indemonstrabiles. Ratio est, quia ex vno solo principio nihil concludi potest, vt constat ex Dialectica: quia formalis illatio requirit tres terminos, qui in vno principio esse non possunt: ergo vltima resolutio necessariò sit ad duo principia immediata. Quia si vnũ sit immediatum, & aliud demonstrabile, illud quod demonstrabile est, vlterius erit resoluendum, & demonstrandum: non potest autem demõstrari per solum aliud principium immediatum: ergo adiungendum est aliud; quòd si illud etiam demonstrabile sit, aliud inquirendum erit, per quod demonstretur; ne igitur procedatur in infinitum, sistendum est in aliquo, etiam indemonstrabili: sunt ergo necessaria plura principia prima etiam in hac scientia. Atq; hinc sequitur, si de primo principio in hoc sensu loquamur, scilicet, vt solum dicit propositionem immediatam, seu per se notam: hoc sensu non esse quærendum vnicũ principium primum in hac scientia; neque in eo potuisse loqui Aristotelẽ citato loco: quia reuera nullum est quod hoc modo sit vnicum, & duntaxat primum. Igitur in alio sensu potest inquiri principium cæteris prius, scilicet vel quia est nobis notius, vel quia in vsu, seu causalitate est prius, & vniuersalius, vel quia omni modo est indemõstrabilius, & in hoc sensu est controuersia inter authores, quod nam sit primum Metaphysicum principium.

Varia placita.

IIII. Prima sententia est, non esse primum illud, quod ex Aristotele retulimus, sed hoc, *Omne ens est ens*. Ita tenet Antonius Andreas 4. Metaphys. q. 5. Et ad Aristotelem respondet, vocasse illud aliud primum principium inter ea quæ circumferuntur vt generalia, vt sunt illa, *Omne totum est maius sua parte*, &c. Sed hîc author etiam in suis principiis non rectè loquitur, quia illa propositio est identica, & nugatoria; & ideo in nulla scientia sumitur vt principium demõstrationis, sed est extra omnem artem. Alioqui in omni scientia primum principium esset illud in quo subiectum scientiæ de se ipso prædicaretur. Et tã per se notum esset primum principium vnius scientiæ, sicut alterius, nam omnis propositio identica, æquè nota est, vt *ens mobile est ens mobile*, sicut, *ens est ens*. Et in hac scientia, plura essent principia æquè nota quãuis non æque vniuersalia, vt *Substantia est substantia*, *Accidens est accidens*. Apparẽtius ergo loqueretur, si loco entis sumeret aliquam definitionem, vel descriptionem explicãtem rationem entis, eamq; de ente prædicaret: nam, licet definitio & definitum in re idem sint, tamen propositio in qua definitio de definito prædicatur, non est identica, sed doctrinalis, quia in ea conceptus distinctus de confuso prædicatur. Et hoc modo fauet huic opinioni ratio dubitandi in principio posita. Videtur tamẽ repugnare Aristo. dicto c. 3. lib. 4. Metaph. dum absolutè concludit illud principiũ, *Impossibile est*, &c. esse simpliciter omnium primum, & ad illud omnes demõstrationes resolui.

Anton. And.

Universidad de Deusto
Biblioteca

V. Alii dicunt non illud ab Aristotele positum, sed hoc, *Necesse est, quodlibet esse, vel non esse*, esse primum principium omnium propter rationem supra tactam, quia hoc est affirmatiuum, illud vero aliud negatiuum. Neque enim verum est, quod Iauell. lib. 4. Metaph. q. 9. existimauit, illa duo principia eandem rē diuersis verbis significare, & ita non esse reputāda duo, sed vnum: nam, si res attentiùs consideretur, diuersæ sunt res, quæ illis principiis significantur: Sicut enim in contrariis, vel priuatiuè oppositis, aliud est, quòd non possint simul conuenire eidem, aliud vero quod alterum eorum necessario debeat conuenire, vt per se est manifestum: ita etiam in cōtradictoriè oppositis hæc duo formaliter, & in rigore diuersa sunt. Hæc autem significantur per illa duo principia: nam per illud: *Impossibile est, idem simul esse & non esse*, significatur repugnantia contradictoriè oppositorum; per illud verò. *Quodlibet est, vel non est*, significatur immediatio eorundem, scilicet, inter illa non posse cadere medium. Et ita, vt distincta ponuntur ab Aristotele lib. 4. Metaphys. cap. 7. text. 27. & 28. & lib. 3. cap. 2. & 1. Poster. cap. 8. tex. 26. & 27. vbi dialecticis terminis eadem principia ponit, *Impossibile est idem simul affirmari, & negari de eodem; Necesse est idem affirmari, vel negari de eodem*; quæ aliis verbis à Dialecticis dici solent: Impossibile est, duas contradictorias esse simul veras; & impossibile est, esse simul falsas; quæ duo constat esse valde diuersa; & primum fundari in illo principio, impossibile est, idem simul esse & non esse; secundum verò in alio, necesse est esse, vel non esse. Ex his verò rationibus simul constat, comparando hæc principia inter se, prius esse illud de impossibili ab Aristotele positum, quam aliud de necessario. Primò quidem, quia per se euidentius est, contradictoria habere inter se repugnātiam, quam habere immediationem; illud enim prius statim in ipsis terminis relucet, secundum autem nonnullo indiget discursu & declaratione. Vnde illud prius commune est omnibus oppositis, nam quatenus opposita sunt, inter se pugnant, posterius autē non omnibus conuenit, vt constat ex c. de Oppos. Secundò, quia prius secundum rationem est duas contradictorias nō posse esse simul veras, quam non posse esse simul falsas: sicut veritas ex se prior est falsitate.

Iauell.

Quæstionis resolutio.

VI. IGitur, vt quæstioni respondeamus, distinguere oportet duplex genus demonstrationis, vnum dicitur ostensiuum, aliud deducens ad impossibile. Primum est, per se & directè ad sciētiam requisitum; & in eo proceditur à causis ad effectus, & ab essentia rei ad passiones demonstrandas; loquimur enim in scientia à priori & propter quid: nam, quæ est à posteriori, non resoluitur in principia, de quibus nunc agimus, sed in experientiam potius. Secundum demonstrādi genus per se necessarium non est, sed interdum adiungitur propter hominis defectum, ignorantiam, vel proteruiam: & vtile est, non solum ad conclusiones, sed etiam ad prima principia persuadenda, & probanda, quod in priori modo fieri non potest, quia, cum sint immediata, non habent mediū à priori per quod probentur; tamen ad impossibile deducendo ostendi potest eorum veritas, & conuinci intellectus, vt eis assentiatur: Imò in omni genere demonstrationis, quamuis principia demonstrent à priori conclusionem, & per se nota sint, vis illationis virtute fundatur in deductione ad impossibile, scilicet, quia fieri non potest, quod idem simul sit & non sit, vel quod duæ cōtradictoriæ simul sint veræ. Propter quod dixit Auerroes 2. Metaphys. cap. 1. sine illo principio ab Aristotele posito neminem posse philosophari, disputare, aut ratiocinari.

Duo demonstrandi genera & proprietates eorum.

VII. Dicendum ergo est in primis, ad demonstrandum à priori passiones entis de ente prima principia sumenda esse vel ex ratione ipsius entis, vel ex prima passione eius ad demonstrandas posteriores: & hoc conuincit discursus in principio factus. Et confirmatur, nam quoad hoc eadem est ratio de hac scientia, quę de aliis: nam cum proprietates entis suo modo sint passiones eius: ex eius intrinseca ratione & essentia oriri necesse est: quia hoc est de intrinseca ratione propriæ passionis: poterunt ergo per ipsam essentialem rationem entis demonstrari: siue hoc sit per distinctionem ipsarum rerum inter se, siue in ordine ad conceptus, & discursus nostros, ita vt vnum verè sit ratio alterius, quod ad scientiam humanam, & demonstrationem sufficit. Vnde si passiones entis sunt ita inter se connexæ, vt vna ex altera oriatur, illa, quæ fuerit prima, constituet vnum principium ad demonstrandas alias: si verò (quod fieri interdum potest) plures passiones cum ratione entis immediatè connectantur, solùm per ipsam rationem entis poterunt de ente demonstrari: quomodo autem id fiat, postea in discursu scientiæ constabit. In hoc ergo ordine primum principium erit illud, in quo ratio vel essentia entis distinctè concepta de ipso ente prædicatur.

Quis sit modus demonstrādi à primis in hac scientia.

VIII. Secundò dicendum est, in alio genere seu modo demonstrandi per deductionem ad impossibile, primum principium, in quo totus ille modus demonstrandi nititur, esse, *Impossibile est idem esse, & non esse*. Hoc per se notum est, quia omnis deductio ad impossibile in hoc tandem sistit, quod sequatur, idem simul esse, & non esse: & quandiu ad hoc non deducitur, non est satis demonstrata impossibilitas: postquam vero ad hoc deductum est, ibi sistitur, tāquam in vltimo termino resolutionis, & notissimo principio. Et, quamuis interdum possit deduci impossibile ad aliud incommodum, quod duæ contradictoriæ sint simul falsæ, seu vt idem neque sit, neq; non sit, tamen hoc ipsum in tantum est impossibile, in quantum virtute includit aliud, scilicet, quòd simul de aliquo negetur aliquid & non negetur, quod est affirmare & negare idem de eodem.

Quod sit primum principium deductionis ad impossibile.

IX. Tertiò dicendū est, hinc fieri, vt illud principium: *Impossibile est, idem simul esse & non esse*: sit simpliciter primum in humana scientia, & præsertim in Metaphysica. Ratiō est, nam illud principium rectè vocatur primum, à quo sumit firmitatem tota humana scientia: sed huiusmodi est prædictum principium, quia ex illo non solum conclusiones, sed prima etiam principia demonstrantur. Imò addit Fonseca lib. 4. Metaphys. cap. 3. quæst. 1. sect. 3. per illud principium confirmari à priori prima principia. Sed non video, cur deductionem ad impossibile vocet à priori, cum non sit ex causa, sed per extrinsecum medium. Nisi fortasse intelligat per huiusmodi principium demonstrari à priori, non quidem veritatem aliorum principiorum, quod fieri non potest: sed impossibilitatem, ac repugnantiam, quæ ex opposito sequitur: vltima enim resolutio omnis repugnantiæ, fit ad contradictionem, ad quam per illud principium fit deductio. Hoc vero satis est, vt illud principium dicatur simpliciter primum: nam cùm

Quod sit manifestius principium absolute primum.

cum ingenium humanum non statim comprehendat cætera principia prima, prout in se sunt, multum iuuatur, & confirmatur in eorum assensu, deducendo ad impossibile, quod in cæteris fieri potest per illud primum, ipsum autem nullo modo ostendi potest etiā deductione ad impossibile, quia nullum aliud impossibilius inferri potest, quam sit illud, quod in eo pronuntiatur, quod est signum illud esse maxime notum, & primum. Dixi autem, vsum huius principii esse maxime necessarium in hac scientia, quia, cum ens simplicissimum sit, vix potest definiri, & ratio eius distinctius explicari, & applicari ad veras demonstrationes efficiendas, ita vt propositiones assumptæ identicæ non censeātur.

Soluuntur rationes oppositæ.

X. AD rationem ergo dubitandi in principio positam quoad priorem partem iam explicatum est, Aristotelem non vocare illud principium primum, quia illo vtatur Metaphysica ad suas proprias & directas demonstrationes: nam pōtius idem Aristot. 1. Poster. cap. 8. tex. 26. dicit, non solere illud principium formaliter ingredi demonstrationem. Dicitur ergo primum principium aliis rationibus iam explicatis: est enim quasi vniuersale fundamentum, cuius virtuti omnes demonstrationes nituntur, & alia principia possunt, saltem quoad nos, declarari ac confirmari, quanquam id semper fiat adiuncto aliquo alio principio, vel concesso, vel per se noto. Ad primam confirmationem respondetur veritatem illius principii proprie non fundari in vnitate, sed in oppositione & repugnantia contradictoriorum, vnde non recte probabitur, quod est non posse simul non esse, quia, quod est, vnum tantum est, tum quia, vt infra dicam, ens quatenus vnū, non proprie diuiditur à non ente, sed ab alio ente, quia à non ente potius diuiditur quatenus ens, tum etiam, quia hæc ipsa diuisio entis à non ente fundatur in eo quod non potest idem simul esse & non esse propter repugnantiam formalem horum terminorum. Ad vltimam confirmationem dicitur primo, fieri quidem posse, vt aliqua affirmatiua propositio, quatenus simplicior est quam negatiua, prior sit quam illa ordine generationis, seu compositionis, & tamen quod in ratione veritatis per se notæ non sit tam manifesta, neq; æque prima, & ita dici potest de illo principio, nam, licet tota veritas eius fundetur in natura ipsius esse, quod per se excludit non esse, tamen hoc ipsum per illud principium quamuis negatiuum, explicatur, & euidentissime, & aptissime ad fundandas demonstrationes deducentes ad impossibile.

XI. Atq; hinc facile soluūtur multa argumenta, quæ fieri solent cōtra sententiam Aristotelis de hoc primo principio, vt quod constet multis vocib. neq; vniuersalissimis, neq; admodum notis, vt sunt *simul, idem*, quæ relationes significant, quæ sunt posteriores absolutis. Idem quod sit propositio modalis, quæ supponit priorem de inesse. Ad hæc enim & similia dicitur eis ad summum probari, hanc non esse primam propositionem, seu complexionem quam intellectus format, non tamen, quod non sit primū principium, quia ad hoc non est necesse, vt sit prima propositio, sed solum, quod ex illo quoddammodo pendeat omnium aliarum veritatum sciētia, ipsum vero ita sit verum, notum, & indemonstrabile, vt ab alio non pendeat: hæc autem conueniunt illi principio, vt ostensum est. Posset autem principium illud ad simpliciores terminos reduci dicendo, *Nullum ens est, & non est*: sic enim conficitur ex simplicibus terminis, & ex vniuersalissimis ac primis, quod necessarium est in primo principio, vt possit omnibus scientiis esse commune, vt notauit D. Thom. 1. 2. quæst. 94. artic. 2. Vbi aduertit hoc principium esse primum in speculabilibus: nam in practicis seu moralib. datur aliud primum, scilicet, *Omne bonum est faciendum, & malum vitandum*: nam, quia omnes actiones morales circa bonum & malum versantur, ideo primum principium morale ex illis terminis constare debuit, tamen, quia practica in speculatiuis fundantur, ideo, quod in speculatiuis est primū principium, simpliciter & absolute est primum. An vero hoc principium ita sit notum, vt à nemine possit mente negari, quamuis voce contendere videatur: item, quibus modis suadendum sit contra eum, qui proteruè illud negaret, vel eum ex concessis redarguendo, vel ad inconuenientia sensibus repugnantia eum deducendo, tractat latè Arist. 4. Metaphysic. capit. 3. 4. & 5. quibus locis videri possunt expositores, quia non est, quod in hac re amplius immoremur.

In genere moris quod primū principium, & collatio cum primo in genere naturæ.

DISPVTATIO IIII.

De vnitate transcendentali in communi.

Series tractationis.

PRIMVM de vnitate tractandum est, quia cum entitate maxime est coniuncta, & cæteris passionibus quodammodo supponitur: quia reliquæ in quadam rerum distinctarum comparatione seu habitudine consistunt, quæ sine vnitate intelligi non potest. Et hunc ordinem seruauit Aristotel. 4. Metaph. cap. 3. vnum statim cum ente coniungens. Quoniam vero vnum multitudini opponitur, & oppositorum eadem est ratio seu scientia, ideo consequenter dicendum erit de multitudine. Ac denique quia multitudo ex distinctione, seu diuisione causatur, quam vnitas negat, tractandum etiam erit de variis distinctionum generibus: atque in hunc modum omnia genera vnitatum, distinctionum, & multitudinum explicata relinquemus.

SECTIO I.

Vtrum vnitas transcendentalis addat enti rationem aliquam positiuam, vel tantum priuatiuam.

I. Prima opinio. Auicenna.

PRima sententia est, *vnum* addere supra ens accidens quoddam positiuum, ex natura rei distinctum ab ente, per se tamen consequens & concomitans omne ens. Ita sensit Auicen. libr. 3. suæ Metaph. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. nam priori loco vocat *vnum* accidens & quid comitans essentiam, posteriori autem loco dicit non esse absolute idem cum ente. Et hanc sententiā videtur secutus Scotus 4. Metap. q. 2. & in 2. d. 3. q. 2. Anton. And. 4. Metaph. q. 3. qui docent, *vnum* addere supra ens aliquid positiuum ex natura rei distinctum ab ente. Sed hæc sententia quantum ad distinctionem ex natura rei inter ens, & id, quod vnum addit supra ens, reiecta sufficienter est præcedente disputatione, & plane repugnat Arist. 4. Metaph. cap. 2. & 5. & amplius ex sequentibus confutabitur.

Scotus. Ant. And.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Proponitur sententia, quod ratio vnius positiua sit.

II. VNde esse potest secunda sententia, *vnum* addere supra ens proprietatem quandã positiuam, non realiter, vel ex natura rei, sed sola ratione ab ente distinctam, ad eum modum quo sapientia, vel iustitia dicitur addere aliquid Deo, & esse attributum positiuum eius sola ratione distinctum a billo. Hanc

D. Bonau. opinionem videtur tenere S. Bonauen. in 1. d. 23. ar. 1. q. 1. vbi dicit, *vnum* in Deo dicere aliquid positiuũ, in creatura vero interdum dicere priuatiuum, interdum vero positiuum. Vnde ait, quamuis modus significandi, vel explicandi vnitatem sit per modum negationis, quia simplicia non nisi per negationes à nobis concipiuntur & explicantur, tamen quoad rẽ significatam & intellectã esse quid positiuum. Hoc

Alens. Soto. idem significat Alex. Alens. 1. p. q. 13. mem. 1. & 2. Soto in logica cap. de Propr. q. 2. ad 2. Potestque suaderi primo, quia ex omnium sententia vnum addit indiuisionem supra ens, sed indiuisio, licet per modum negationis significetur, tamen reuera non est negatio, sed positiua ratio, ergo. Maior patet ex ipsa vocis expositione, dicitur enim *vnum*, quod in se est indiuisum. Item ex opposito suo, scilicet, *multitudine: multa* enim dicuntur, quæ inter se diuisa sunt; ergo *vnum* dicitur, quod indiuisum est in se. Item patet ex proportione ad vnitatem quantitatiuam, nam illæ quantitates plures dicuntur, quæ diuisæ sunt, illa vero vna, quę nõ est diuisa, sicut ergo quãtitas est vna per indiuisionem quantitatis, ita entitas est vna per indiuisionem entitatis. Minor probatur primo, quia diuisio est negatio, ergo indiuisio, licet habeat formam negationis, tamen in re non est negatio, sed affirmatio potius. Consequentia probatur, quia duæ negationes (vt aiunt) affirmant, & quia in re ipsa nunquam negatio destruitur immediate per negationem: nulla enim talis oppositio inuenitur in rebus, tollitur ergo per positiuam formam oppositam. Antecedens autem, scilicet, diuisionem dicere negationem, est D. Thomæ, quæst. 9. de Poten. art. 7. dicentis, multitudinem includere negationem, scilicet diuisionem vnius ab alio. Et 1. p. q. 11. art. 2. ad 4. dicit, in tantum nos apprehendere diuisionem, in quantum apprehendimus, hoc ens non esse illud: & idem dicit Soncin. 10. Metaph. q. 4. Neque aliter nos concipere possumus diuisionem.

III. Secundo potest hoc ita explicari ratione, quia in illis rebus, quæ sunt vnæ per compositionem: vnitas consurgit per vnionẽ plurium, quę vnio est quid positiuum in ipsis, vt postea videbimus, è contrario vero res plures hoc ipso sunt multæ & nõ vna, quod vnione carent, diuisio ergo formaliter solum dicit carentiam vnionis: consistit ergo in negatione, è contrario vero indiuisio dicit carentiam diuisionis, quod est negare carentiam vnionis: hoc autem est ponere vnionem, quæ quid positiuum est. Et consequenter in his rebus, quæ non sunt vnæ per vnionẽ plurium, sed per simplices entitates, vnitas dicet positiuam perfectionem consistentem in quadam rei integritate, quæ est altior & eminentior perfectio, quam vnio, quamuis à nobis propter suã simplicitatem per negationem explicetur. Vnde sumitur duplex confirmatio. Prima, quia negatio vt sic, non suscipit magis nec minus, vnum vero, seu vnitas recipit magis & minus, nam magis vnũ est quod per simplicem entitatem est vnum, quam quod per A compositionem plurium, & tanto magis ab vnitate receditur, quando compositio maior est, seu minor vnio: ergo signum est, vnitatem addere aliquid positiuum. Secunda confirmatio est, quia negatio nullam perfectionem dicit, vnitas vero dicit perfectionem, nam in Deo ad maximam eius perfectionem spectat quod sit vnus tantum, & quod sit maxime vnus, & quod in eo omnia quæ opposita non sunt, vnum omnino sint. Et in angelis ad perfectionem eorum pertinere censetur, vt in vnaquaq; specie sit vnus tantum, & modus vnitatis eorum, scilicet, per talem simplicitatem, pertinet etiam ad perfectionem eorum, & idem est proportionate in reliquis entibus.

Tertio, id colligi potest ex speciebus, seu modis IIII. vnitatis, omnes enim sunt positiui, ergo signum est, ipsam etiam vnitatem, vt sic addere aliquid positiuum. Antecedens patet primum in vnitate quantitatiua, quæ dicitur vna continuatione ab Aristot. 5. Aristotel. Metaph. cap. 6. continuitas autem non est negatio, sed positiuum, cum in hoc consistat, quod partes B habeant terminum communem, illa ergo integritas, quæ ex continuatione resultat, est vnitas quantitatis continuæ, & illa positiuum quid est. Alia est vnitas compositionis, v. g. ex materia & forma, quomodo humanitas vocatur vna, de qua iam ostendimus in positiua ratione consistere, vnde & generatio, quæ ad hanc vnionem tendit, positiua actio est, è contrario vero corruptio, quæ illam dissoluit, formaliter in priuatione consistit. Alia vnitas est indiuidualis, specifica & generica, & hæ omnes positiuæ sunt, quia & genus positiue contrahitur ad speciem, & species ad indiuiduum, & conformitas illa, vel conuenientia, quæ est in specie, vel genere positiua est.

Quarto argumentari possumus ex effectibus seu V. proprietatib. quæ vnitati tribuuntur: vna est, quod fundet relationem identitatis seu similitudinis, 5. Metaph. c. relatio autem realis non fundatur in negatione, sed in positiuo. Alia est, quod vnum est prima mensura multitudinis: quod non potest conuenire negationi, cum nihil sit. Vnde Aristoteles 10. Metaph. cap. 9. tex. 21. ponit oppositionem relatiuam inter vnum & multa in ratione mensuræ C & mensurati. Tandem vnum vt sic componit multitudinem, nam multitudo formaliter ex vnitatibus formaliter constat, vnde & in numero quantitatiuo vltima vnitas dicitur esse forma eius, sicut ergo numerus formaliter est aliquid positiuum, ita & vnitas.

Vera sententia.

VI. DIcendum est primo, vnum nihil positiuum addere supra ens, nec rationis, nec reale, neq; ex natura rei, neque sola ratione ab ente distinctum. Est sententia D. Thom. 4. Metaph. lect. 2. & in 1. par. quæst. 11. artic. 1. vbi Caiet. Scholastici in 1. distinct. 24. vbi Capreol. quæst. 1. artic. 1. Durand. quæst. 1. & 2. Gabr. quæst. 1. artic. 3. dub. 3. Greg. quæst. 1. artic. 1. Henric. quodlib. 1. quæst. 1. Soncin. 4. Metaph. quæst. 4. Iauel. quæst. 5. & 8. Iandun. quæst. 4. Fonsec. cap. 2. quæst. 5. Et fuit etiam sententia Commen. 4. Metaph. Comm. 3. tex. 3. & lib. 10. Comm. 8. Et sumitur ex Arist. 5. Metaph. cap. 6. tex. 11. & lib. 10. cap. 1. vbi rationem vnius explicat per indiuisionem, & indiuisionem, per negationem diuisionis. & 4. Metaph. cap. 2. hac ratione dicit, vnum & ens esse vnã ac eandem naturam, quia nimirum nullam rationem positiuam dicit, præter rationem entis.

D. Thom. Capreol. Caietan. Durand. Gabriel. Gregor. Henric. Soncin. Iauell. Iandun. Fonseca Commen. Aristotelis.

VII. Et quidem de ente rationis per modum positiui (de quo est sermo in prima parte conclusionis) res est satis certa & extra controuersiam: quia nullum hactenus excogitatum est ens rationis quasi positium, quod vnum de formali dicat, & addat enti: quia, aut illud est per modum relationis: & hoc non, quia nomen vnius omnino absolutum est, vt supra vidimus, & constat ex ipsa voce, & ex communi modo concipiendi: aut est per modum alicuius prædicati absoluti, & positiui: hoc dici non potest, etiamsi fingendi fiat copia. Dicere quis forte posset, *vnum* addere relationem identitatis ad se ipsum. Sed hoc est plane falsum, nam esse vnum, & esse idem, sunt prædicata valde diuersa: & primum est suo modo reale prædicatum conueniens enti sine fictione intellectus: secundum vero est prædicatum rationis conueniens per operationem intellectus: vnde primum est fundamentum secundi, eo modo quo relatio rationis potest in re habere fundamentum.

VIII. Itaq; hac parte omissa, altera de ratione reali po- B sitiua, quæ præcipue est intenta, solet hac maxime ratione probari, quia, si vnum addit enti positiuam realem rationem, ergo necesse est vt in illa includatur ens: ergo & vnum, ergo illi addenda erit alia ratio positiua, per quam sit vnum, ergo ita procedetur in infinitum, nisi in aliqua ratione reali sistamus quæ ita sit per se ens & vnum, vt esse sic vnam, nihil addat supra entitatem eius: ergo eadem ratione sistendum erit in ipsamet ratione entis. Sed ad hoc argumentum respondet Scotus, illam rationem vnius, ita esse positiuam, vt tamen ens non sit. Sed hoc satis est in superiorib. improbatum. Et præterea nẽgari non potest, quod ad præsens spectat, quin ille modus realis, vel quidquid illud sit, quod vnũ addit enti, sit vnum quid eo modo quo est, nam vnumquodq; ens habet huiusmodi modum vnũ tantum, & non plures, & habet illum distinctum à modo seu vnitate alterius entis, in se autem indiuisum, recte ergo inquiritur, an ille modus sit vnus se ipso, & sine vlla additione positiua, quæ suæ entitati fiat, vel cum additione, nam, si cum additione, procedetur vlterius in infinitum, si absq; additione positiua per C solam negationem, cur non idem dicetur de quolibet ente vt sic?

IX. Euasio confutatur. Dicunt aliqui ipsum modũ vnius cum sit id, quo ens est vnum, posse seipso etiam esse vnum, quod non ita dici potest de ratione entis, quia ipsum formaliter non est ratio vnius, seu vnitas vt quo: id enim quod in aliquo genere est quo, quando est simplex & vltimum, se ipso potest esse quod, hoc vero non tribuitur ei quod nullo modo rationem illam formaliter participat. Exemplum commune est in quantitate, per quam substantia quanta est & ideo potest per se ipsam esse quanta, quod nõ potest substantia. Quæ euasio habet speciem quandam subtilitatis, sed in præsente nulla est necessitas fingendi illud quo, & quod, nam illa ratio vnitatis non intelligitur esse vna propter aliquam rationem positiuã, quam in se habeat, & veluti exerceat circa se ipsam: sicut quantitas est quanta, quia est extensa, & per se apta ad occupandum locum, sed per solam negationem pluralitatis seu diuisionis intelligitur esse vna: ergo eodem modo intelligi potest in ratione entis, neq; oportet fingere aliquid positiuum, quod ei sit ratio vt quo essendi vnum.

X. Dici tandem potest hoc argumentum recte pro- A cedere contra Scotum & alios, qui ponunt modum illum vnius ex natura rei distinctum ab ente, non tamen ita vrgere, si dicamus illum modum esse quidem positiuum & realem: sola tamen ratione ab ente distinctũ, quia tunc dicetur, illum modũ, quamuis sit ens, non tamen esse in re distinctum ab ipsomet ente, & ideo esse vnum eadẽ vnitate, qua ipsum ens, & præcise ac secundum rationem non considerari vt vnum, sed tantum vt rationem vnius, realiter vero esse vnum se ipso, sicut ipsum ens. Sed contra hanc responsionem obiicitur, quia inde sequuntur alia incommoda. Primum, rationem vnius esse positiuam, & passionem entis, & quidditatiue includere ipsum ens, quod repugnat proprię passioni. Secũdum, quod ille modus sit de quidditate ipsius entis, sicut attributa diuina sunt de quidditate Dei, quia, licet ratione distinguãtur, in re dicunt rationes positiuas, quæ ex natura rei non distinguuntur à Deo: consequens autem est falsum, tum quia alias vnum non esset passio entis, sed essentia, tum etiã quia alias nulla res creata posset quidditatiue distincte concipi, nisi formaliter concideretur vt vna. Quę incommoda sunt quidem probabilia, forte tamen aliquis non existimaret inconueniens illa concedere in transcendentibus, quæ simplicissima sunt.

Respõdetur replicæ.

Aliter ergo prosequendo priorem discursum, o- XI. stendo, eodem modo concludere non esse ponendum hunc modum positiuum ratione distinctum, nam præciso per intellectum illo modo positiuo in reliquo conceptu entis intelligitur quidquid necessarium est ad vnitatem: ergo signum est nihil positiuum, etiam per rationem præscindi ab ente, quo illud vnum sit. Quod vt intelligatur, loquamur de aliquo ente in particulari, v. g. Deo quatenus vnus est: si ergo in illo vnitas est attributum positiuum ratione distinctum à Deo: ergo potest mente præscindi Deus ab vnitate eius, in Deo autem sic concepto absq; additione alicuius positiui etiam secundum rationem, potest concipi negatio diuisionis seu partitionis, quam in se habeat, & diuisio etiam, seu sufficiens fundamentum diuisionis ab omnibus aliis: sed hoc ipso sufficienter concipitur vnus, ergo quidquid positiuum postea additur, et- C iam secundum rationem, est superflue fictum, neque explicari potest quid, vel ad quid sit: & idem argumentum fieri potest in quolibet alio ente vno, & consequenter in ente in communi. Secundo id declaro in entibus compositis retorquendo argumenta priora, nam in huiusmodi ente, quod per compositionem fit, quidquid positiuum physicum considerari potest, pertinet ad rationẽ entis, vt tale ens est, etiamsi ratione præscindatur à conceptu vnius, vt in humanitate vnio animæ & corporis est de ratione essentiali talis entis, vt tale ens est specificatiue, & in re ipsa, & similiter in linea vnio partium in puncto est de ratione eius vt est in tali specie quantitatis continuæ: ergo omnis etiam ratio positiua Metaphysica quæ in tali vnione Physica fundatur, pertinet formaliter & secũdum rationem ad rationem talis entis, non quatenus concipitur vt vnum, sed quatenus formaliter contractum seu determinatum in ratione talis entis, ergo ratio vnius nihil positiuum addere potest, etiam ratione distinctum. Tertio id explicatur in entibus simplicibus, in quibus perfectior videtur esse vnitas, imo ipsa simplicitas videtur esse maxima vnitas, sed simplicitas de formali non dicit rationem positiuam, etiam sola ratione distinctam ab ente simplici, & à perfectione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctione,quæ in ratione entis, seu talis in eo concipitur:adeo vt etiã in Deo iuxta probabiliorem Theologorũ sententiam simplicitas vt sic nihil addat Deo perfectionis etiam secundum rationem, supra perfectionem summæ actualitatis eius, in qua negatio illa fundatur, quam simplicitas exprimit: ergo multo minus vnitas vt sic potest dicere rationem positiuam. Et hæc conclusio amplius patebit ex sequentibus,& ex solutionibus argumentorum.

XII. Vnum supra ens priuationẽ addit.

Dico secundo, vnum addere supra ens negationem aliquam per modum priuationis. Ita docent citati authores, & sequitur ex præcedẽte assertione, nam constat vnum aliquo modo distingui ab ente: quia & est passio eius, & illa nomina non sunt synonyma,sed diuersi conceptus formales & obiectiui illis in mente respõdent: ergo aliquid dicit vnum præter ens:sed non dicit aliquid omnino fictum per rationem, vt per se constat, quia esse vnum rebus ipsis vere conuenit:neque etiam dicit aliquam habitudinem rationis, vt ostensum est: nihil ergo superest, quod addere possit præter negationem seu priuationem.

Qualis sit negatio, quam vnum addit enti.

XIII. DVo tamen supersunt hic explicanda. Primum est, quæ sit hæc negatio,& quotuplex. Secundum, quomodo hæc negatio dicatur esse per modum priuationis. Circa primum omnes conueniunt vnum dicere negationem diuisionis in ipsomet ente,quam significauit Aristot. dicens, vnum esse *ens indiuisum in se*, vt patet ex citatis locis, & ex 10. Metaphysic.capit. 5. Et ratione patet, quia per diuisionem intelligimus, vnum ens fieri plura: ergo nulla alia ratione melius concipitur ens esse vnum, quam negatione diuisionis: & in hoc omnes conueniunt. Sunt tamen prædicta verba attente consideranda: aliud est enim ens dicere negationem diuisionis in ipso, aliud vero dicere negationem diuisionis à se ipso: quamuis enim vtraque negatio possit enti attribui,tamen prior est,quæ pertinet ad rationem vnius, nam posterior non sufficit, vt recte notauit Sonci. 4. Metaph.quæst. 23.ad primum. Et patet,tum quia illa non est propria negatio, quæ in re addatur enti, sed quæ per solam reflectionem rationis consideretur: tum maxime quia non diuidi à se æque cõuenit enti per se & per accidens,seu multitudini,aceruus enim lapidum tam non est diuisus à se,quam homo,vel angelus: tamen quia in se non est indiuisus,non est proprie vnum ens: negatio ergo diuisionis in se, est quæ constituit ens, non negatio diuisionis à se.

XIIII. Dubitant tamen vlterius authores an in ratione vnius aliqua alia negatio includatur. Multi enim definiunt vnum esse,quod est *indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*, & ideo præter indiuisionem in se dicunt vnum dicere negationem vnionis cum alio, quæ negatio explicatur nomine diuisionis seu distinctionis ab alio. Ita opinantur Capreol. Gabr. & Sonci.locis citatis: quia,sicut de ratione *vnius* est, vt in se non sit diuisum: ita vt nõ sit aliud à se: alterum enim ex his duobus, scilicet, esse aliud à se, vel non esse aliud à se, necesse est in ratione vnius includi: quia, cum contradictorie opponãtur, immediate repugnant: sed esse aliud à se nõ est de ratione vnius vt constat: ergo erit de ratione vnius, vt nõ sit aliud à se. Quin potius addũt aliqui negationẽ diuisionis ab alio prius secundũ rationem cõuenire enti, quã A indiuisionem in se, quia prius conuenit enti esse diuisum à non ente,quã esse in se indiuisũ,ergo vtraq; negatio raquiritur ad rationem vnius. Vnde etiam D. Tho. 1. p.q.11.art. 2.ad. 4. dicit conceptum diuisionis ab alio secundum rationem esse priorem cõceptu vnitatis. Alii vero negant diuisionem ab alio esse de ratione vnius, sed solam indiuisionem in se. Ita Fonseca supra,citans Ægid. 4.Metap.q.6.& Heruæum quodlib.4.q.2.&3.Ratio eius est,quia esse diuisum ab alio non requiritur vt ens sit absolute vnũ sed solum vt sit vnum ex multis: & ideo sufficienter concipitur res vt vna, quando intelligitur indiuisa etiã si non concipiatur vt diuisa ab aliis. Et confirmatur, quia res est absolute vna, quamuis non sint alia,à quibus distinguatur. Fonseca. Aegidius. Heruæus.

Esse ab alio diuisum qualiter sit necessario coniunctum vni.

Sed circa hoc aduertendum est, posse in nomine tam vnius,quam diuisionis ab alio committi æquiuocationem. Nam interdum communi & vulgari vsu *vnum* significare solet quod est solitarium &vnicum, quomodo dicimus esse vnum Deum, vnum solem:& hoc modo vnum dicit negationem multitudinis,&non tam dicit diuisionem ab alio quã negat consortium alterius. Sed hoc modo esse vnum non est passio entis,vt per se constat: neq; ea significatio est propria vnius, nec rigorosa, sed solũ ex accommodatione vsus interdum ad hoc extenditur: nam in rigore verum est dicere hic esse vnum hominem,quamuis sint plures: & ideo in rigorosa significatione ad negandum esse plures, additur exclusiua esse tantum vnum: igitur negatio multitudinis seu pluriũ in hoc sensu non intrat rationem formalem vnius transcendentis. B XV. Vnius non æquiuocationem potest.

Rursus esse diuisum ab alio cõcipi potest per modum relationis realis,seu ad terminum realem&existentem.Et hoc modo certum est diuisionem ab alio non esse de ratione vnius, tum quia est quid posteriusillo:ideo .n.hoc est diuisum ab illo,quia in se tale est, & vnum quid:tum etiã, quia vnum de se est prius multitudine & independens ab illa: sic autem esse diuisum ab alio,requirit multitudinem:imo inde consurgit multitudo,quia sunt plura vna,quorũ vnum non est aliud. Denique hac ratione supra dicebamus, *aliquid*, quatenus dicit huiusmodi negationem, vel relationem alietatis à termino reali & C existente, non esse passionem entis: quia per se non conuenit omni enti, sed per accidens ex coexistentia aliorum:multo ergo minus potest esse hoc de ratione vnius. Vnde, antequam creaturæ existerent, Deus erat perfecte & complete vnus absque hac relatione seu negatione.Quin potius etiam si per impossibile nullæ aliæ res essent possibiles extra Deum ipse esset vere ac perfecte vnus, hoc ipso quod esset in se indiuisus in essentia:etiam si non posset esse diuisus ab aliis,eo quod alia esse non possent. Tamen, quia de facto, & quodammodo ex intrinseca ratione entis,secundum totã suam latitudinem consideratis,cum quolibet ente possibilis est existentia alterius: ideo ad omne ens consequitur vt possit esse distinctum ab alio: & reuera vnicuiq; conuenit ex eo quod in se vnũ est. Et hoc modo esse distinctũ ab alio,aptitudine&fundamentaliter põt dici conuenire omni enti,qua vnum est:tamen hoc ipsum nõ intrat formaliter rationem vnius, sed consequitur illam: sicut consequitur ad quantitatem vt sit fundamentum æqualitatis,vel inæqualitatis. XVI. Relatio realis diuisionis ab alio est ratione vnius.

Tandem esse diuisum ab alio concipi potest solũ per modum negationis. Quæ comparari etiam potest,vel ad terminum positiuum existentem: & hoc modo XVII.

modo eadem est ratio de illa, quæ de relatione: vel A ad terminum positiuũ absolute sumptum, siue existentem, siue possibilem: & hoc modo esse diuisum ab alio cõuenit omni enti, quatenus vnum est: quia sicut nõ potest vni enti cõuenire vt sit aliud, ita necessario conuenit vt non sit aliud:nam hæc sunt cõtradicentia,& ideo si alterum eorum necessario separatur ab *vno*, scilicet esse aliud à se,alterum necessario conuenit vni,scilicet,non esse aliud à se, quod est esse distinctum ab alio. Quæ quidem ratio non probat,hanc negationem primario ac formalissime intrare rationẽ vnius, sed conuenire illi necessario, siue per se primo,siue cõsequenter, & hoc posterius verius videtur, quod intendunt authores secundæ opinionis, & fortasse non negant authores primæ. Possunt itaq; conciliari, nam, quod hi negant formaliter ac per se primo: illi affirmant consequenter ac per se secundo. Et ita explicuit diserte Soncin. 4. Metaphys. q. 23. & 27. & hoc solum probant rationes adductæ.

XVIII. Deniq;, si hæc negatio seu diuisio vnius entis nõ comparetur ad terminum positiuum,sed ad negatiuum & contradictorium,sic etiam omni enti hoc ipso quod vnum ens est, conuenit quod sit diuisum à non ente,seu vt non sit non ens, tamen hæc negatio solum est quasi per reflexionem intellectus,nam prout obiectiue intelligitur antecedere in ente,potius est affirmatio, nam affirmatio non diuiditur à negatione per aliã negationẽ. Id enim est impossibile, quia procederetur in infinitum, diuiditur ergo per se ipsam; sic ergo ens diuiditur à non ente, non per negationem aliam, sed per se, sicut è contrario non ens diuiditur ab ente, non per aliam negationem,vel affirmationem,sed per se ipsum, itaq; formalissime diuidi à non ente nihil aliud est,quam esse ens. Hac ergo consideratione talis negatio nec pertinet ad rationem vnius, neque est passio entis, cum reuera nulla sit:quatenus vero per intellectum excogitari potest,& solum extrinseca denominatio seu relatio rationis: & ideo intrinsece etiam nõ spectat ad rationem vnius, quamuis oppositum videatur sentire Caietan.1. par.quæst. 11. artic. 4. in fine, de quo plura dicemus in solutionibus argumentorum. B

Negatio quam dicit vnum sit ne priuatio.

XIX. SEcundum dubium erat, quomodo vnum dicat hanc negationem per modum priuationis:& ratio dubitandi est,quia priuatio dicit negationem in subiecto apto nato: indiuisio autem, quam addit vnum supra ens, sæpe dicit negationem diuisionis in ente incapaci illius, vt in Deo, esse vnum negat diuisionem essentiæ diuinæ, quæ diuidi nequit: & simile est in aliis rebus præsertim simplicibus, vel incorruptibilibus: imo & in omnibus entibus,quatenus vnumquodque est inseparabile à se ipso: nullum enim ens à se ipso diuidi potest: hæc autem sola indiuisio est de ratione vnius transcendentalis. Respondetur,difficultatem solum consistere in explicatione conclusionis, cur scilicet hæc negatio, quam dicit vnum, dicatur esse per modum priuationis. Nam quia non negat formam, cuius sit capax subiectum seu ens,quod vnum dicitur: ideo nõ dixi hanc negationem esse priuationem: nam ad hoc oporteret vt negaret formam in subiecto apto nato, vt argumentum probat. Sed dixi esse ad modum priuationis, quia in aliquo imitatur priuationem, & recedit à mera negatione. Nam, sicut priuatio dicit negationem non quomodocunque, sed quasi adhærentem subiecto reali, ita *vnum* dicit hanc negationem, quasi addendo illam enti reali, quod connotat: & ideo non ens,seu nihil,quatenus tale est,neque vnum nec plura dicitur,quamuis negatio diuisionis absolute sumptę,illi possit attribui: quia non ens indiuisum est. Entia autem rationis seu ficta in tantum æquiuoce dicuntur vnum, vel multa in quantum æquiuoce etiam sunt entia, vel potius vt entia concipiuntur. Vnum ergo dicit negationem diuisionis in ente,& quoad hoc esse,dicitur ad modum priuationis,siue tale ens sit capax diuisionis,siue non.Addit Fonseca supra diuisionem, quam negat vnum, absolute possibilem esse, esto non sit possibilis ei enti,quod vnum denominatur, vt Deus dicitur vnus, quia indiuisus in essentia,quę diuisio est possibilis in creatura, quamuis sit impossibilis Deo: & ita illa diuisio non est impossibilis enti vt ens est: & hoc modo dici potest priuatio, ratione capacitatis saltem in conceptu communi, ad eum modum, quo talpa cœcus dicitur, quia vt animal est capax visus, quamuis non vt tale animal. Quod in præsente dicitur minus proprie propter analogiam entis.

Argumentorum solutiones.

XX. AD primum argumentum contrariæ sententiæ prima;& communis responsio est, concedendo diuisionem consistere in negatione, & consequenter indiuisionem esse negationem negationis. Ita concedit D. Tho.in 1.dist.24. quæst. 1. art.3. ad primum. Vnde in solutione ad 2.concedit.secũdum rem, magis se habere ad positiuum vnitatem, quam multitudinem;quia negatio vnius rei ab alia, quam dicit multitudo, est in re ipsa, negatio vero negationis, quam dicit vnitas, est mere per rationẽ. Quam doctrinam amplectitur Sonci.lib.10.Metap. q. 4. Ad argumentum ergo, scilicet, quia negatio negationis est affirmatio, respondendum est iuxta hanc sententiam formaliter &iecundum rationem non ita esse, quia ratio potest super vnam negationem reflecti, & negare illam,& per hãc negationem explicare aliquod positiuum simplex, quod prout in se est,declarare nõ potest. Secundum rem autem & æquiualenter illud esse verum, tamen illud positiuum quod illis negationibus circumscribitur, nihil esse præter entitatem ipsius rei, quæ vna dicitur. Hæc responsio probabilis est, & facile defendi põt, tamen videtur supponere negationem, quam dicit vnum, esse aut negationem diuisionis huius entis ab alio ente, vel negationem diuisionis huius entis à se ipso, quæ reuera sunt negationes rationis, tamẽ prior nõ pertinet ad rationem vnius, vt dictum est, sed ad illam consequitur. Posterior autem negatio non est propria vnius, sed communis multitudini. Igitur negatio diuisionis in se ipso est proprie de ratione vnius,hæc autem nullam negationem realem videtur supponere in re ipsa, quæ secundum rationem negetur per indiuisionem. C

Secundo ergo respondetur concedendo, vnum XXI. dicere indiuisionem,seu negationem diuisionis, & negando hanc esse negationem negationis.Nam in diuisione,quam vnum negat, duo possunt considerari, primũ, quod entia inter se diuisa sunt quasi in se cõpleta & terminata suis entitatibus, secundum est,quod vnum non est aliud. Hoc posterius solum dicit negationem, vt per se constat, primũ vero dicit

Universidad de Deusto
Biblioteca

cit positiuum, quod est fundamentum illius negationis, quod tamen in re nihil est præter entitates ipsas, vt explicari potest in quantitate discreta: nam lineas esse plures dicit vnamquamq; esse propriis terminis terminatam: vnde sequitur negatio, scilicet, quod non habeant terminum communem. Indiuisio ergo, quam dicit vnum, negat diuisionem ratione positiui, quod in reb. diuisis inuenitur, non ratione negationis, quam includit diuisio vnius ab alio: sicut è contrario, negatio, quam dicit diuisio, non negat aliam negationem, sed positiuam vnionem vel identitatem vnius cum alio.

XXII. Respondetur obiectioni.

Dices; hinc sequitur, negationem quam dicit vnum esse negationem multitudinis, quod tamen supra videmur negasse. Et patet esse falsum quia vnũ est prius multitudine; negatio autem est posterior forma quam negat. Respondetur dupliciter posse intelligi vnum negare multitudinem. Vno modo simpliciter, seu in rerum natura; & hoc modo negauimus supra vnum dicere negationem multitudinis: neque oppositum sequitur ex dicta solutione, vt per se notum est. Alio modo vt neget multitudinem in ipsa re quæ dicitur vna, id est, quod in se non est plures; hoc autem sensu non est in superioribus negatum à nobis vnum dicere negationem multitudinis. Id autem negat Fonseca dicta quæst. 5. sect. 5. & est sententia D. Thom. 1. p. quæst. 30. art. 3. ad 3. & opusc. 42. cap. 2. vbi adducit rationem, qua etiam Fonseca vtitur, scilicet, quia vnum est prius multitudine. Quæ ratio, si esset efficax, eadem fieri posset de diuisione, nam vnum etiam est natura sua diui-

XXIII. sione prius, vt infra dicam.

Concedunt ergo alii indiuisionem vnius dicere negationem multitudinis in ente, sub ea ratione, qua vnum est; quod docuit Ægid. 4. Metaph. q. 8. & fauet D. Thom. in 1. d. 24. quæst. 1. artic. 3. dicens, diuisionem, secũdum quam aliquid ab aliquo distinguitur, esse in affirmatione, & negatione, & ideo multitudinem in ratione sua includere negationem, secundum quod multa sunt, quorum vnum non est alterum. *Et huiusmodi* (inquit) *diuisione hoc modo accepta in ratione multitudinis negatio importatur in ratione vnius* Et in solut. ad 4. ait, *Vnum non est priuatio illius multitudinis, quam constituit, sed multitudinis, quæ negatur esse in ipso, quod dicitur vnum.* Et licet D. Tho. ibi loquatur de multitudine quoad negationem in ea inclusam, vt dictum est, tamen melius forte dicitur, *vnum* negare multitudinem, vt in ea sunt plura positiue. Cui etiam fauet, quod idem D. Thom. 1. part. q. 11. art, 1. dicit, *vnum opponi multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso*, quod etiam ait Arist. lib. 10 Metaph. tex. 9. Et hæc sententia mihi videtur valde probabilis: intelligenda est autem de multitudine, vt multitudo est, seu ratione pluralitatis, non quatenus ipsa multitudo potest alia ratione considerari vt quid vnum: de quo infra dicetur. Vel certe dici potest, vnum dicere negationem diuisionis, non vt dicit formaliter negationem; sed vt dicit fundamẽtum illius negationis, quod aliquid positiuum est, vt declaraui; &, quia multitudo absolute includit formalem negationem, ideo quoad hoc vnum non

XXIIII. omnino dicit negationem multitudinis.

Ad secundum concedo in primis, vnionem quas partes coniunguntur ad componendum vnum, esse quid positiuum: concedo etiam in reb. simplicibus totam entitatem seu integritatem rei esse positiuam. Nego tamen inde sequi vnum addere rationem positiuam supra ens, quia totũ illud positiuum pertinet ad entitatem rei, non ad vnitatem, vt supra declaraui: sed oportet adiungere negationem diuisionis, vt tale ens siue simplex, siue compositum, vnum esse intelligatur. Ad primam confirmationem respondetur, negationem seu priuationem totalem formaliter, & secundum se non suscipere magis & minus, posse tamen ratione sui fundamenti; & ita vnum ens esse magis vnum quam aliud, ratione fundamenti quatenus est magis, vel minus compositum. An vero in ipsamet negatione possit etiam magis & minus considerari, ita vt non semper sit illa negatio simpliciter, seu totalis, sed interdum tantum secundum quid & ex parte, dicetur infra sect. 4.

Vnum est qualiter magis vnum quam aliud.

Ad secundum confirmationem similiter dicitur, cum D. Thom. 1. p. q. 6. art. 3. ad 1. & Caiet. ibi, vnum ratione negationis, nullam addere perfectionem enti, sed ratione fundamenti supponere aliquam perfectionem. Nam, si vnum proprie sumatur, vt solum dicit esse in se indiuisum, supponit rei entitatem, & vnionem partium, si res composita sit, quæ dicunt perfectionem in ipsa re. Si tamen sumatur vnum, vt excludit aliud, & dicit esse vnicum seu solitarium, sic clarũ est, talem negationem per se non dicere perfectionem, imo nec semper requirere illam, aut prouenire ex illa, nam in Deo esse vnũ tantum in essentia prouenit ex perfectione, tamen q̃ in eo sit vna tantum persona, non pertinet ad perfectionem, sed potius personarum distinctio ibi est ex summa perfectione.

Vnum aliquomodo dicat perfectionem.

Ad tertium respondetur illis omnibus exemplis XXV. solum probari, negationem, quam dicit vnum, non esse puram negationem, sed fundatã in ente, quod; si compositum sit, includit aliquam compositionem seu positiuam vnionem in qua fundetur talis negatio; si autẽ sit simplex, in simplici entitate fundatur; quod quomodo conueniat singulis vnitatibus ibi numeratis, præsertim genericæ & specificæ, infra tractabitur.

Ad quartum respondetur, ea omnia, quæ vnitati XXVI. attribuuntur, quatenus aliquid positiuum includunt, conuenire vnitati ratione fundamenti, non ratione eius quod addit supra ens; & ita relatio idẽtitatis, si intelligatur de identitate numerica seu reali, cum sit relatio rationis, non est inconueniens, quod in negatione fundetur: si vero intelligatur de identitate specifica, seu similitudine vnius rei ad aliam (supposito quod talis relatio aliquid reale sit in fundamento ex natura rei distinctum ab illo) non fundatur in vnitate ratione indiuisionis negatiuæ, sed ratione illius positiuæ entitatis, & rationis formalis, quam habet fundamentum: de quo latius infra suo loco. Similiter vnum dicitur mensura multitudinis, partim ratione positini, partim ratione negationis: nam multitudo etiam & positiuum aliquid, & negatiuum includit, vt postea videbimus: debet enim mensura esse & nota & certa, vt sit nota, oportet vt entitatẽ habeat, vt vero sit certa, oportet vt in indiuisibili consistat; & quoad hoc nos vtimur vnitate vt est quid indiuisum, tanquã principio certo ad mensurandam multitudinem. Atq; eodẽ modo vnum componit multitudinem ratione positiuę entitatis, quatenus multitudo ipsa positiua est, vt docet D. Thom. 1. p. q. 11. artic. 2. ad 2, quatenus vero D. Thom. includit negationem, potest aliquo modo fundare negationem, quæ in multitudine includitur, vt infra videbimus.

Quædam attributa vni quid sint quomodo illi conueniant explicatur.

SE-

SECTIO II.

Vtrum vnum de formali dicat solam negationem, quam addit supra ens, vel aliquid aliud.

1. RAtio dubitandi est, quia ex dictis section. præcedente videtur plane sequi, vnum dicere de formali solam negationem, quia id dicit de formali, in quo distinguitur ab ente; sed distinguitur tantum in negatione quam addit: ergo illam solum dicit de formali. Secundò, quia vnaquæque proprietas seu passio id dicit de formali, quod addit suo subiecto: sed vnum est passio entis: ergo de formali dicit id solum quod addit supra ens: sed addit solum negationem: ergo. Tertiò, quia si vltra negationem dicit aliquid, vel illud est ens, vel quidpiam aliud: hoc secundum cogitari non potest: nam si illud est aliud à negatione, positiuum esse debet, nõ potest autem esse positiuum rationis vt supra ostensum est: oportet ergo, vt sit positiuum reale, & consequenter, vt includat ens, iuxta superius dicta cõtra Scotum. Si autem dicatur primum, scilicet, id quod vnum dicit de formali includere reale ens, sequuntur omnia incõ- B moda, & argumenta supra facta contra opinionem asserentem vnum addere positiuum supra ens, scilicet, ens quidditatiuè includi in passione sua, quod est contra rationem subiecti & passionis. Item sequitur processus in infinitum supra illatus, quia id q̃ de formali significat *vnum*, etiam erit vnum, &c. Denique sequitur, formale significatum vnius esse omnino idem cum adæquato significato, vt etiam includit materiale. Ac denique sequitur, passionem vnius includere totam perfectionem entis formaliter & cõsequenter passionem esse æqualis perfectionis cum subiecto suo.

Variæ sententiæ.

IN hac re duæ sunt opiniones. Prima affirmat, vnum de formali dicere solam negationem superius explicatam. Hanc sententiam insinuat Caietan. 1. part. quæst. 11. art. 1. ad 2. Scoti, dum ait, vnum formaliter non esse magis extra nihil, quam alia priuatiua, seu negatiua. Latiùs & clariùs eam docet Fonseca d. quæst. 5. sect. 5. & fauet D. Thom. 1. part. quæst. 6. art. 3. ad 1. quatenus dicit, vnum non importare ra- C tionem perfectionis, sed indiuisionis tantum. Fundamenta huius sententiæ sunt in principio posita, quibus concludi videtur, vnum in suo significato formali non includere ens, sed tantum connotare illud, & consequenter de formali dicere solam indiuisionem seu negationem.

II. Prior. Caietan. Fonseca.

III. Posterior sententia. Soncinas. Iauellus. Fland. Iandun. Capreol. Soto.

Secunda sententia est, vnum de formali non dicere negationem solam, sed entitatẽ ipsam sub negatione, quæ est communior sententia scribentium hoc loco 4. Metaph. Soncinas, quæst. 20. & 23. Iauellus quæst. 5. & 8. Flandria quæst. 3. art. 8. Iandun. quæst. 4. tenet etiam Capreol. in 1. dist. 24. quæst. 1. vbi circa primam conclusionem adducit Auicennam. 3. Metaph. cap. 3. dicentem: *vnitas est esse, quod non diuiditur: ita quod esse est de essentia vnitatis, & non subiectum ei: vnitas enim substantialiter est ipsum esse, quod non diuiditur.* Et significat Soto in Log. cap. de prop. quæst. 2. ad 2. Fauet D. Thom. in 1. distinct. 19. quæst. 4. art. 1. ad 2. dicens; *quod ipsa essentia entis creati secundum quod est indiuisa in se, & distincta ab aliis, est vnitas eius.* & dist. 24 quæst. 1. art. 3. vbi dicit, vnum claudere in intellectu suo ens commune, & addere rationem priuationis, & de Potentia, quæst. 9. art. 7. vbi ait, *vnum* non significare indiuisionem tantum, sed ens cum ipsa. Sed his duob. locis postremis apertè loquitur D. Thom. de adæquato significato vnius, non de formali, vt Fonseca exponit: primus tamen locus non videtur admittere hanc expositionem.

Fundatur hæc opinio primò, quia si vnum de formali diceret solum indiuisionem, esset terminus priuatiuus: consequens est falsum, quia omnis terminus priuatiuus dicit aliquam imperfectionem in re cui tribuitur, quod non potest dici de vno, aliàs non posset Deo attribui: ergo. Sed hæc ratio non est magni momenti: non enim necesse est, priuatiuum terminum imperfectionem importare, si forma quam negat, ad perfectionem simpliciter non pertineat, vt patet in his terminis, *infinitum*, *immateriale*, qui, licet sumant omnino priuatiuè, nullã imperfectionẽ dicũt, idem ergo esse poterit de *vno*, quia, diuisio quã negat, non dicit perfectionem simpliciter. Imò eadem ratio procederet, si esset efficax, etiamsi vnum de formali dicat ens cum indiuisione: nam si priuatio pure sumpta dicet imperfectionem, etiamsi aliquid ei adiungatur, eandem dicet imperfectionem, adiunctam perfectioni. IV.

Aliter probari solet hæc opinio, quia, teste Aristotele, 4. Metaph. *ens* & *vnum* eandem naturam significant, sed si *vnum* diceret de formali puram negationem, non posset significare eandem naturam, quam ens, quia ens non dicit negationem, sed positiuam naturã. Sed hæc ratio ẽt non conuincit, nam, si *vnum*, significando solam negationem de formali, esset alterius naturæ ab ente, propter distinctionem, quæ est inter priuationem, & positiuum: eadem ratione, quamuis de formali diceret ens cum indiuisione, dicendũ esset alterius naturę ab ente, saltem eo modo quo totũ cõpositum distinguit à materia vel subiecto, vel sicut distinguuntur cæcus, & Petrus. Aristoteles ergo dicit, *vnum* & *ens* dicere eandem naturam, quantum ad totum positiuum, quod vtrumque dicit & rectè etiam exponitur negatiuè, scilicet, vnum non dicere aliam naturam (vtique positiuam) ab ente. Sicut idem Aristoteles 1. Physic. capite 7. dixit materiam & priuationem esse idem, scilicet negatiuè, quia priuatio non dicit rem à materia distinctam: sic ergo in præsente dici facile C potest. V.

Quæstionis resolutio.

EXistimo sanè, diuersitatem inter has sententias magis esse de modo loquendi, quam de re. Quia in re omnes conueniunt, *vnum* in toto & adæquato suo significato, nihil aliud dicere quam ens indiuisum, & indiuisioni nihil addere enti, nisi negationem diuisionis, & cõsequenter necesse est, vt omnes fateantur, in vno nihil esse extra rationem entis, vt sic, præter negationem solam, quia totum q̃ est ens, præter id, quod ei additur, est de essentiali ratione eius: sed sola negatio est, quæ ei additur: ergo illa sola est extra rationem eius, vnde fit vlterius, vt vnum solum possit dici passio entis ratione negationis quã superaddit enti, quia solum est passio secundum quod dicit aliquid extra rationem entis. His autem in re positis reliqua quæstio de significato formali, videtur solum esse de impositione nominis. In qua vtraque opinio citata probabilis est, fundaturque in probabili modo concipiendi significatum huius vocis *vnum*. Nam quidam concipiunt supposito ente reali, sola negatione diuisionis illi superaddita constitui vnum, & ideo dicunt, *vnum* de VI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

formali solùm dicere prædictam negationem. Alij A verò concipiunt vnitatem non esse veluti quandam priuationem adiunctam enti, sed esse ipsam rei naturam seu entitatem, quæ vt est entitas, vel essentia, constituit ens: vt verò est entitas indiuisa, constituit vnum ens.

VII. Et hic modus concipiendi videtur mihi similior vero, idcoque posteriorem sententiam simpliciter probandam censeo. Primò propter rationem nunc tactam, & insinuatam à Diuo Thoma in 1. loco supra citato, quia *vnum* de formali dicit vnitatem realem; sed vnitas realis non est sola negatio: ergo est entitas ipsa sub negatione. Minor patet inductione: nam Deus dicitur vnus ab vnitate Dei, quæ consistit in essentia indiuisa: & similiter Petrus dicitur vnus numero, quia habet vnam numero naturam: vnde vnitas eius non consistit in sola negatione. Ac denique ex ipsis terminis constare videtur, vnitatem realem plus dicere, quàm negationem. Secundò, quia vnum non dicitur vniuocè de ente rationis, & reali, vt per se notum est, & tamen, si præcisè consideres negationem, æque potest attribui, & denominare ens rationis, sicut reale: ergo signum est, vnum non dicere de formali solam negationem: aliàs denominatio vnius æquè posset cadere in ens rationis & reale, quia significatio vocis potissimum attendenda est ex significato formali. Sicut nomina arte factorum censentur non significare solam figuram in significato formali: quia non æquè, neque vniuocè dicuntur de rebus habentibus eandem figuram in diuersis materiis, vt serra non dicitur vniuocè de ferrea, & cerea: sic ergo neque *vnum* significabit solam negationem de formali, cùm non æquè dicatur de omnibus, quibus æquè potest conuenire talis negatio, dicit ergo de formali ipsam entitatem indiuisam. Atque hinc sumi potest tertium argumentum, quia vnum prout est transcendens non dicit de formali aliquid supponens ens, & quasi adiacens, & adueniens illi, sicut album dicit de formali albedinem: non enim sic intelligitur res esse vna, sicut alba: est enim vna intimè per suammet entitatem; alba verò est per formam superuenientem alteri entitati: ergo signum est, vnum non dicere de formali solam negationem, quasi superadditam entitati: sed ipsam intrinsecam entitatem indiuisam. Vltimò ex infra dicendis constabit, ad hunc modum fere necessariò esse sentiendum de aliis transcendentibus, *bono*, & *vero*, quæ non possunt de formali dicere solas relationes rationis, sed entitatem ipsam cum aliqua relatione, vel denominatione huiusmodi: ergo idem sentiendum est de *vno*: nam si argumenta, quæ de ipso in contrarium fiunt, quicquam probarent, eadem procederent de aliis transcendentibus.

Posterio. sententia eligitur.

Exemplum rotã rem illustrans.

Respondetur ad argumenta.

VIII. AD primum respondetur, vnum distingui ab ente radicaliter quidem (vt sic dicam) ratione negationis, quam superaddit enti: formaliter verò non distingui per negationem tanquam per formã vnius, sed per entitatem indiuisam: itaque ens de formali dicit entitatem vt sic, vnum verò dicit de formali eandem entitatem, vt indiuisam.

Ad secundum respondetur, assumptum illud esse verum de proprietatibus realibus propriissimè sumptis, & addentibus subiectis aliquid ex natura rei distinctum ab illis: in his enim verum est, nomina significãtia tales proprietates solere de formali significare præcisè id, quod proprietas addit subiecto: in his autem proprietatibus transcendẽtalibus, quæ non addunt aliquid reale, non oportet id obseruare: nam, vt non sint negationes tãtum, vel omninò entia rationis, sed aliquo modo proprietatem realem significent, necesse est, vt aliquo modo in formali suo significato includant entitatem ipsam.

Ad tertium respondetur, vnum in concreto dicere ipsum ens vt indiuisum: vnitatem verò in abstracto, dicere entitatem etiam in abstracto vt indiuisam, & huiusmodi vnitatem significari formaliter per passionem vnius neque ex hoc sequitur aliquod incommodum: nam quod ens in cõcreto sumptum prædicetur quidditatiuè de suis passionibus etiam in concreto sumptis, nullum est inconueniens, sic enim bonum est ens, & verum similiter: neque in his oportet seruari ea omnia, quæ proprietatibus realibus & propriissimis conueniunt: ibi enim subiectum omnino præscindit à proprietate & e contrario, quia ex natura rei distinguuntur: hîc autem nulla est talis distinctio, sed sola additio alicuius negationis, vel denominationis, & ideò ens in eo quidẽ quod addit vnum, non includitur, vt suprà dictum est, in ipso verò vno necesse est intimè includi, neque inde sequitur processus in infinitum, quia ens, & vnũ quoad positiuum quod includit omninò idem sunt, tum re, tum etiam ratione, nisi ob negationem adiunctam. Quod si loquamur in abstracto de vnitate, illa non tam propriè dicetur includere ens quidditatiuè, quàm entitatem seu essentiam, debet enim in his seruari proportio, & quoad hoc saltem in modo significandi, non est idem significatum formale vnius & adæquatum eiusdem. Dico autem, *quoad modum significandi*, quia in his simplicissimis: res significata per abstractum & concretum eadem est, & ita idem sunt entitas & ens, vnitas & vnum, solumq; differunt ratione & modo concipiendi, & significandi. Quocirca nullus est processus in infinitum, quia sicut ens sua entitate est ens, entitas verò seipsa est entitas, & quo ens est ens, vt sic vero non concipitur tanquam id quod est, quamquam reipsa formalissimè sit ipsum ens, ita eadem proportione loquendum est de vno, & vnitate; nam quoad rem positiuam idem significant, solumq; differunt, quia vnum significat ens seu entitatem, sub indiuisione.

C Tandem hoc modo nullum est inconueniens, quòd vnum in re dicat totam perfectionem, quam dicit ens, quamuis illam non dicat sub eodem omnino conceptu, seu formali ratione, quia non dicit illam præcisè vt est perfectio, vel entitas, sed vt est sub indiuisione.

IX

SECTIO III.

Quotuplex sit in rebus vnitas

I. Variæ vnius diuisiones.

DE hac re disputat Aristoteles 5. Metaph. cap. 6. Est autem hoc loco necessariò præmittenda, vt explicare possimus, quænam vnitas sit entis passio. Distinguit ergo Aristoteles varios modos vnius, Et prima diuisio eius est, vnum quoddam esse per accidens, aliud per se. Et merito hanc diuisionem primo loco ponit, quia & videtur esse valde analoga: nam vnum per se, est simpliciter vnum: per accidens vero tantum secundum quid, & per quandam proportionem ad vnum per se. Non explicat autem Aristoteles rationes vnius, accidens & per se, per proprias eorum definitiones, sed solùm variis exemplis, quibus simul proponit varios modos vnitatis per accidens & per se. Vnum enim per accidens esse dicit subiectum

subiectum accidente affectum, vt Petrus musicus. A Item duo accidentia eadem subiecto inhærentia vnum per accidens sunt, seu cõstituunt, vt album dulce. Hanc verò vnitatem per accidens in ordine ad prædicationes variis modis explicare possumus, vel per incomplexos terminos, vel per complexos, vel prædicando accidens de subiecto, vel subiectum de accidente, vel accidens de accidente, aut in communi, aut in singulari. Etiuxta hæc distinguit Aristoteles varias rationes huius vnitatis, quæ magis ad dialecticas prædicationes, quam ad rem metaphysicam spectant. Similiter explicat Aristoteles vnum per se variis exemplis, seu subdistinguendo illud in varios modos. Nam quædam (inquit) sunt vnum continuatione, vt linea, aqua, quædam colligatione, vt domus, & alia, quæ arte fiunt, alia ratione formæ vnius, alia ratione materiæ, vel próximæ, vel remotæ, vt liquores (inquit) dicuntur vnum. Rursus (ait) quoddam est vnum numero, aliud specie, aliud genere, &c. quæ ibi prosequitur. Ex quibus omnibus difficile est colligere, in quo consistat ratio vnius per se & per accidens: nam in membris, quæ posteriori loco Aristoteles numerat, multa videntur esse vnum tantum per accidens, vt domus, & artificialia. Item ibidem ait, plura interdum dici vnum, *eo quod aliquid vnum, aut agunt, aut patiuntur, aut habent, aut ad aliquid vnum sunt.* Hęc autẽ omnia videntur tantum per accidens esse vnum, vel denominatione potiùs, quàm re. Rursus inter vnitates quas ibi ponit aliqua est realis, vt numerica, alia rationis tãtum, vt generica & specifica: est ergo difficile, hãc Aristotelis doctrinam, ad certam aliquam rationem ac methodum reuocare.

B

Explicatur diuisio entis & vnius in per se, & per accidens.

II. VT ergo rem hanc declaremus, quoniam vnum consequitur ens, vt intelligatur, quid sit vnum per se, & vnũ per accidens, simul explicandũ est, quid sit ens per se & per accidens, sic enim etiã ens diuiditur ab eodem Aristot. eodem lib. 5. cap. 7. quæ diuisio propria est entis realis: nam entia rationis, sicut æquiuocè tantum sunt entia, ita non nisi æquiuocè has denominationes recipiunt: Ens autem reale duplici modo potest per se aut per accidens appellari vno modo in ratione entis, alio modo in ratione effectus. Hoc posteriori modo dicitur per se id quod ex virtute & intentione agentis fit; per accidens verò dicitur id, quod præter intentionem agentis casu & fortuna euenit; de qua ait Aristoteles 6. Metap. cap. 2. esse extra scientiæ considerationem, quatenus scilicet, in singulari exercetur, & per accidens euenit: nã vt sic non habet necessitatem, sed contingentiam. At verò ipsa communis ratio causæ, vel effectus per accidens sub scientiam cadit; sic enim disputatur de casu & fortuna, & contingentia effectuum: sed tamen ens per se, & per accidens sub hac consideratione nihil ad præsens institutum pertinent.

C

III. Quale indicet Arist. per se vnũ, quale per accidens.

Prior ergo modo ens in ratione entis dicitur per se, aut per accidens, in ordine ad vnitatem quam habet, seu ratione talis vnitatis, vt, verbi gratia, quia constat vna natura vnius prædicamenti, aut naturis diuersorum prædicamentorum: sic enim Aristoteles dicto libro 5. text. 13. & 14. entia per accidens vocat, quæ constant ex subiecto & accidente, vel quando multa accidentia in eodem subiecto coniunguntur: ens autem per se dicit esse, quod diuiditur in decem categorias. Idemq; Aristot. 7. Metap. text. 43. & clarius lib. 8. text. 15. & lib. 2. de Anima, textu 7. illud significat esse ens per se vnum, quod vel simplex est, vel ex potentia substãtiali, & proprio actu componitur. Vnde e contrario per accidens erit, quod neque est simplex, nec prædictam compositionẽ habet; sed alio imperfectiori modo ex diuersis rebus cõstat. Ex quib. intelligere licet, illud appellari in ratione entis ens per se, quod est per se vnũ: illud autẽ per accidẽs quod tũm per accidens vnum est. Non enim vocatur hîc per se, & per accidens ratione modi essendi per se, vel in alio; quomodo sola substãtia est ens per se: reliqua vero dici possunt per accidens, sed potiùs accidentalia; sed sumitur, per se, & per accidẽs in ordine ad vnitatem: quæ autẽ sit vnitas per se, aut per accidens in entibus, non satis declaratum est ex dictis, nec eodem modo ab omnibus explicatur.

IV. Quidam ergo aiunt, illam vnitatem, seu vnionem esse per se, ex qua resultat vnum & idem esse; illam verò esse per accidens, in qua entia, quæ vniuntur, habent plura esse, vt sunt substantia & accidens, vel duo accidentia diuersorum generum. Tamen hæc explicatio, aut supponit aliquid falsum, aut rem obscuram per aliam æquè obscuram explicat: nam vel sermo est de vno simplici absq; compositione, quod in ipso fit, quamuis ex compositione resultet; quomodo multi dicunt, ex materia & forma vnitis resultare vnum esse, & hic sensus supponit falsum: nam vt ens sit per se vnum, non est necesse, vt habeat huiusmodi esse simplex: infrà enim ostendam, entia composita ex materia & forma non habere esse simplex, sed compositum. Vel sermo est de vno esse cõposito, & resultante ex vnione plurium partialium existentiarum, & hoc quidem verum est, sed de ipso esse inquirendum restat, quando ex compositione resultet vnum per se: nam etiam accidens, verbi gratia, albedo adueniens substantiæ affert secum suum esse, quod respectu compositi albi, potest dici partiale, & ex illo & ex esse corporis seu subiecti potest dici componi vnum esse totius albi, & tamen illud nihilominus dicitur esse ens per accidens.

Simplex existentia nõ est de ratione vnius per se.

V. Alio ergo modo dici frequẽter solet, ens per accidens esse, quod constat pluribus entibus in actu; illud verò esse per se, quod constat ente in potentia, & C eius actu: nam ex pluribus entibus in potentia nihil constare potest, & ideò necesse non est illud membrum adiungere. Sed hæc etiam doctrina, esto vera sit; expositione indiget: nam malè intellecta potest esse occasio errandi in multis. Interrogandum est enim, quid per ens in actu, & in potentia intelligatur. Intelligi enim potest per ens in actu illud, quod ex se habet actualem entitatem, seu existentiam: per ens autem in potentia illud quod nullam habet talem actualitatẽ seu existentiam. Et hoc modo falsum est, ens per se non posse cõponi ex actualibus entitatibus partialib. aut requiri ad ens per se, vt cõponatur ex huiusmodi actu, & potẽtia illi opposita: nam hoc perinde est, ac si diceretur, ens per se componi ex ente & nihilo, seu ex ente in actu & ente in potentia obiectiua: quæ est repugnantia in ipsis terminis, vt ex inferiùs dicendis constabit. Aliter ergo intelligi potest per ens in actu ens constans ex aliquo actu formali, & receptiua illius. Et hoc modo non contingit aliquid componi ex duobus entibus in actu, ita vtrumque sit prædicto modo compositum, nisi aut per aggregationem, & tunc satis clarum est consurgere ens per accidens, quamuis ratio illius nondum satis sit explicata: aut aliquo artificioso modo;

Ex duobus entibus in actu quomodo fiat vnum per accidens; ex vno autẽ in potẽtia & alio in actu qualiter per se.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& tunc Aristoteles videtur tale ens vocare per se vnum, vnde consequitur esse etiam ens per se & non per accidens. Et in composito physico, & heterogeneo multi putant dari partialia composita diuersarum rationum & formarum, ex quorum coniunctione vnum per se coalescit. Ac deinde restat explicandum, si huiusmodi entia diungatur aliud non similiter compositum, nec per modum continuationis, aut colligationis, sed simplex per modum formę aut actus verè ac physicè vniti, cur non resultet ex vroque ens per se vnum. Aut si interdum resultat, interdum non, vnde sumenda sit ratio. Vbi variæ quæstiones insinuantur, quæ hinc pendent, scilicet, cur subsistentia adueniente naturæ iam integræ, ex vtraque vnum per se resultet, non autem aduenientе quantitate, aut alia simili forma. Item cur forma substantialis vnum per se faciat cum materia nuda; non possit autem facere per se vnum cum materia iam informata substantiali forma, & similes.

Ratio entis, & vnius per se.

VI. IN hac igitur re dicendum videtur, rationem entis per se in hoc consistere, quòd præcisè habeat ea, quæ ad essentiam, integritatem vel complementum talis entis in suo genere per se & intrinsecè requiruntur. Hoc insinuauit Aristoteles priori loco citato. Et ex terminis ipsis videtur clarum: hæc enim communissima & simplicissima vix possunt aliter probari, quàm explicatis terminorum rationibus. Cùm ergo ens dicatur illud quod entitatem seu essentiam habet, illud erit ens per se propriè & in rigore, quod vnam essentiam, vel entitatem habet: Illa autem essętia seu entitas, vna propriissimè erit, quæ in suo genere habet, quicquid ad eius intrinsecam rationem, seu consummationem spectat: ergo illud ens, quod huiusmodi est, sub ea ratione erit propriè, ac per se ens: omne autem illud, quod ab hac vnitate defecerit, dicetur ens per accidens.

VII. Potest autem hoc ampliùs explicari, si ens per se se diuidamus in simplex & compositum, quæ diuisio etiam de vno per se dari potest, eamque insinuauit Aristot. 10. Metaphys. cap. 6. dicens, vnum quoddam esse diuisibile, aliud indiuisum. Nam, vt notauit Diuus Thomas 1. part. quæst. 6. art. 3. & quæst. 11. art. 1. vnum per se, aliud est indiuisum actu & potentia; aliud verò tantùm actu: prius est ens simplex; posterius verò compositum. Igitur de simplici nulla est difficultas: omne enim simplex est ens per se, ac per se vnum, quia & per se indiuisum est, & vt sic nō habet admistionem alicuius extranei, vt possit ens per accidens appellari, & hoc modo quodlibet accidens in abstracto sumptum ea consideratione est ens per se, & anima in ratione substantiæ est ens per se, licet incompletum; quatenus verò constat pluribus potentiis, habitibus, vel actibus, iam declinat in ens per accidens.

VIII. De ente autem composito certum inprimis est, posse verè ac propriè esse ens per se, ac vnum per se, vt omnes Philosophi docent de natura substantiali quatenus materia & forma constat, & de suppósito quatenus ex natura & subsistentia suo modo componitur. Cùm enim neque materia, neque forma per se sint entia completa & integra in suo genere, sed ad illud componendum natura sua institutæ sint, meritò illud, quod ex eis proximè componitur, essentia & natura per se vna dicitur, & est. Atque eadem ratione, quia illa essentia non habet intrinsecum complementum in suo genere, nisi per se sit intrinsecè & substantialiter terminata; ideò illa etiam cum sua subsistentia, ens per se vnum constituit. Igitur hæc vnitas per se in hoc consistit, quòd resultet ex rebus constituentibus completum ens in aliquo genere, intercedente vnione eorum inter se, ad tale ens constituendum accommodata, quæ in compositione vnius naturæ est per modum actus & potentiæ substātialis: in compositione verò vnius personæ, est per modum naturæ integræ & termini eius. Atque hæc ratio accommodari etiam potest ad entia vt composita ex genere & differentia per se contrahente illud intra proprium prædicamentum: nam etiam genus & differentia comparantur vt potentia & actus per se ordinata ad constituendum vnum in suo genere completum & integrum, quamquam hæc compositio magis est rationis, quàm realis, & ideò minus impedire potest realem ac per se vnitatem entis.

IX. Est autem præter hos alius modus compositionis in entibus, qui dicitur ex partibus integrantibus, qui primò cernitur in quantitate; per eam verò intelligitur etiam esse in substantiis materialibus & accidentibus, & hæc etiam non tollit vnitatem per se, quando est per veram, & naturalem continuationem. Sic enim quantitas continua est in suo genere propriè ac per se vna: partes autem, quibus constat non dicuntur esse simpliciter plura in actu, sed in potentia, vt loquitur sæpè Aristoteles 3. Metaphys. cap. 6. & 5. Metaphys. cap. 13. Vbi ait, numerum propriè non esse, nisi vbi partes non copulantur termino communi. Et idem dicit Auerroes 3. de Anima, text. 23. Et ratio est, quia quantitas natura sua postulat hanc extensionem & compositionem, quæ tota ordinatur ad complementum eius in suo genere, & ideò intra illud habet proprios terminos, quib. partes eius copulari ac terminari possint: Est ergo tota illa compositio & vnio per se, & natura sua ordinata ad componendum vnum ens intra idem genus. Quamuis autem hoc per se primò conueniat quantitati secundum se sumptæ; tamen etiam conuenit substantiæ materiali, quæ quantitati subest, vt cernitur inprimis in substantia homogenea: ignis enim, aqua, & similia vnum per se sunt, etiāsi in quauis magnitudine sumantur, dūmodo continua sint; alioqui nunquam huiusmodi substantia posset esse vna per se, quia nunquam potest non constare ex his partibus. etiamsi in minima quantitate sumatur, quod est contra omnes Philosophos, & contra cōmunem modum sentiendi & loquendi, & contra rationem suprà factam; quia hæc entia natura sua postulant huiusmodi genus vnionis & compositionis ad suum complementum & integritatem in suo genere: ergo talis compositio non tollit vnitatem per se in huiusmodi entibus.

X. Oportet tamen (quamuis id latiùs infrà tractandum sit) hic breuiter animaduertere, quid habeat substantia à quātitate in hoc genere compositionis; quid verò habeat ipsa substantia ex propria substantiali entitate, quāuis sub quantitate: nam priori modo ex substantia & quantitate simpliciter non fit vnum per se, & nunc loquimur, quia quantitas non est de complemento substantiæ intra rationem & latitudinem sui generis, & ideò integritas quantitatiua, vt substantiæ adiungitur, & facit vnum cum illa non constituit ens, neque vnum per se. Habet autem ipsa substantia materialis sub quantitate suam substantialem entitatem, in qua etiam habet partes

A partes entitatiuas componentes, & integrantes substantialem ipsam entitatem, habētesq; inter se suam vnionem substantialem, & hoc modo dicimus substantiam sic compositam esse per se vnam.

XI. Hoc autem difficultatem nōnullam habet in substantiis heterogeneis, quia earum partes non videntur ita intrinsecè vniri & continuari, sed solum veluti quibusdam vinculis colligari. Sed nihilominùs hæc etiam substantia vt sic composita est vnum ens per se. Quis enim neget, hominem esse vnum per se ens? Et à posteriori id declarari potest: nam omnes huiusmodi partes sibi inuicem deseruiunt, & per se separatæ, aut nullo modo, aut non diu possunt conseruari: signum ergo est, illas omnes in suo genere esse incompleta entia, & per se ordinari ad componendum ens aliquod: ergo illud vt sic compositum est per se ens, & vnum per se. Vnde ad hoc satis est, quod partes illæ habeant naturaliter aliquam coniunctionem, & copulationem, quæcunque illa sit: nam illa sufficit, vt omnes possint eadem forma informari, & conuenire ad constituendum cum illa vnum ens, habēs vnum esse simpliciter. Adde, quod

B licet hæc membra heterogenea non sint omni ex parte continua inter se immediatè, semper tamen habent aliqua ex parte continuationem, saltem in aliquo tertio, vt in neruo, aut alia parte simili, de quo aliàs.

XII. Ex his ergo veluti inductione facta satis constat, quomodo in omnibus substantiis ens per se vnum in ratione à nobis explicata consistat. Potest autem fere eadem inductio applicari ad accidentia: nam de quantitate iam dictum est: alia verò, si omnino simplicia sint secundum rem, constat per se habere vnitatem, & indiuisionem; si autem sint composita, vt faciant per se vnum, imitari debent aliquo modo quantitatem. Duplex enim tantùm potest intelligi hæc compositio. Vna est per modum extensionis: quomodo est vna albedo, quæ in superficie vnius corporis extensa est, & hæc compositio facit per se vnum ad modum totius integralis. Nam ita se habent partes illius albedinis, vt intra suum genus sint colligatæ, & vnitæ modo sibi proportionato, & constituant vnum ens completum & integrum in sua specie, quam compositionem & vnionem habent

C partes illæ sub quantitate seu in quantitate; non tamen habent eam intrinsecè & formaliter per quantitatem ipsam, sed per suas entitates partiales inter se vnitas proprio vinculo, & vnione sui generis. Quod hac ratione explicari potest: nam, si in superficie continua eiusdem corporis, verbi gratia, parietis, dimidia pars alba, & dimidia nigra, habent quidem albedo & nigredo continuitatem quandam ex parte subiecti, quia & superficies, qua inhærent, continua est, & nihil potest in ea signari, quantumuis indiuisibile, quod albedine, vel nigredine affectum non sit, & nihilominus albedo & nigredo inter se non habent intrinsecam vnionem, & coniunctionem, quam habent duę partiales albedines inter se, & ideò ex illis non fit per se ac propriè vnum sicut fieret ex partibus albedinis, quod idem suo modo probabile est posse accidere in substantiis, si contingat, sub eadem quantitate continua esse formas substantiales diuersarum specierum, sub diuersis partibus quantitatis, vt notauit Diuus Thomas, 5. Metaphysicæ, textu 7. lectione septima, littera D. Alia compositio in accidentibus esse potest per modum intensionis, suppósito, quod gradus intensionis aliquo modo in re distinguantur, de quo aliàs. Et hæc compositio, quamuis non fiat per se loquendo in quantitate, aut per quantitatem: tamen per proportionem ad illam intelligenda, & explicanda est. Vnde ex tali compositione etiam resultat per se vnum, quia omnes illi gradus sunt veluti entia partialia & incompleta intra suum genus, & natura sua ordinantur ad complendum vnum intrà idem genus: & habent inter se naturalem vnionem, & proprios terminos, quibus copulentur, seu terminentur. Igitur etiam in accidentibus ratio entis, sed vnius per se in prædicta ratione à nobis explicata consistit. Quod si fortasse in accidentibus inuenitur alius modus cōficiendi vnum ex multis entibns præter dictos, vt in numero quantitatiuo, aut iuxta aliquorum opinionem in habitu scientiæ, qui ex collectione multarum specierum vel habituum consurgit, illa nō sunt censenda entia per se, sed accidens, in propria & vera ratione entis, vt bene docuit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 7. quæst. 5. sect. 2. quia illa non habent inter se veram aliquam & realem vnionem, per quam vnum per se efficiant: quidquid sit an sub aliqua ratione prædicamentali possint censeri per se, de quo infrà explicando singula prædicamenta.

Ratio entis & vnius per accidens.

XIII. EX his quæ dicta sunt de ente, & vno per se, colligere licet, quid sit dicendum de ente & vno per accidens, quod ab illo distinguitur: nam in primis one id, quod ex rebus distinctis constat absque physica & reali vnione earum inter se, est in rigore ens per accidens, & non per se. Probatur, tum ex dictis, quia in tali ente non potest reperiri ratio entis per se à nobis explicata, tum etiam, quia illud vnum non potest habere vnam realem essentiam: non enim potest intelligi vna essentia, nisi, vel quia simplex sit, vel quia per realem vnionem plurium consurgat: in prædicto autem casu neutrum horum reperitur. Deinde omne ens, quod ita est vnum, vt constet ex rebus distinctis, quarum altera in aliquo genere cōpletum ens sit, & per adiunctionem alterius per fectione diuersi generis afficiatur, tale etiam ens in rigore est vnum per accidens, quia non conuenit illi ratio entis per se à nobis explicata, nec potest in tali ente vna vera essentia reperiri. Item, quia hoc

D ipso, quòd vnum ens in suo genere est completum & integrum, quòd ei adiungitur, accidentaliter ad aduenit, & ideò vnum per accidens cum illo componere dicitur: atque hac ratione verè dicitur id, quod constat ex rebus diuersorum prædicamentorum, & ex natura rei diuersis, vnum per accidens esse. Quin potius, etiam in rebus eiusdem prædicamenti, id verum habet, si sint diuersi generis, vel speciei, & vna accidat alteri in sua ratione & specie iam cōpleta, & hoc modo ex potentia & habitu, vel actu, fit vnum per accidens, & similiter vas argenteum deauratum est ens per accidens, & sic de cæteris.

XIV. Secundò ex dictis colligitur in ente vno per accidens esse varietatem, & in ea esse magis, vel minus. Quoddam enim est ens omnino per aggregationē, in quo multa entia per se integra, & perfecta, sine vlla vnione, & sine vllo ordine congeruntur, & hoc videtur esse maximè per accidens, quia omni ex parte opponitur enti per se propriè sumpto, & huiusmodi est aceruus tritici, aut lapidum. Aliud verò est ens per accidens constans, quidem ex integris entibus per se, non habentibns inter se physicam vnionem: habentibus autem inter se aliquem ordinem, vt est exercitus, respublica, domus, & alia similia

Universidad de Deusto
Biblioteca

artificialia, in quibus tanta potest esse varietas, tanA taque differentia secundum magis & minus, quanta potest esse maior, vel minor vnio inter entia per se, ex quibus constat: & hoc modo videtur magis vna arbor, cui ramus alterius speciei est insitus, quàm domus, & domus magis quàm exercitus, & sic de aliis. Et in hoc ordine collocandi sunt liquores misti ex simplicibus imperfectè alteratis compositi, vt vinum lymphatum, oximel, &c. Quo etiam fit, vt, licet hæc simpliciter & absolutè sint entia per accidens, tamen respectiuè, id est, comparatione illius entis, quod est vnum per meram aggregationem, soleant hæc interdum vocari entia per se. Nam, quia, media participant aliquid de extremis, comparatione illorum solent diuersis nominibus appellari: huiusmodi autem entia conueniunt aliquo modo cum entibus per se, quatenus in aliqua forma, vel habitudine vniuntur, & ideò ita aliquando nominantur. Quomodo videtur locutus Aristot. in citato loco, 5. Metaphys: Tamen hac consideratione & comparatione ens compositum ex substantia & accidente sibi inhærente, multò magis videtur posse vocari ens per se: hoc.n. est tertium genus entium per accidẽs, qp B magis videtur recedere ab illo primo & infimo ente per aggregationem, magisque accedere ad vnum per se, quia & ea, quibus constat non distinguuntur supposito, sicut in aliis; & habent inter se maiorem physicam vnionem, & vnum reuera est in potentia ad aliud, quamuis accidentali, & alterum natura sua est ordinatum ad aliud, & in vnione ad illud habet suam perfectionẽ connaturalẽ, in quibus omnibus huiusmodi ens imitatur illud, quod est propriè acper se vnum: quamuis simpliciter, & absolutè vnum per accidens sit.

XV. *De vno simpliciter & secundum quid.*

TErtiò ex dictis explicantur facilè aliæ diuisiones vnius. Quoddam enim dici potest vnũ simpliciter, aliud secundum quid. Vnum simpliciter, propriè & in rigore dicitur id, quod est vnùm per se: reliqua verò omnia possunt dici vnum secundum quid, quod ex ipsis terminis videtur manifestũ, ideò .n. ens per se vnũ ita appellatur, quia habet vnitatẽ simpliciter & absolutè: reliqua verò quia ab hac vnitate recedunt, dicuntur per accidens. Patet etiam C hoc ex definitione vnius: est enim ens indiuisum in se: illud ergo, quod est indiuisum simpliciter, erit vnum simpliciter: quod verò est simpliciter diuisum in se, & solùm habet aliquam indiuisionem in ordine ad aliquem finem, vel ad aliquam formam, erit tantùm vnum secundum quid, & ita cõtingit in his, quæ solùm per accidens sunt vnum, vt ex dictis patet. Aliter Greg. in 1. dist. 24. q. 1. & ibi alij Nominales dicunt, solùm ens simplex esse vnum simpliciter, quia vt sit vnum simpliciter, necesse est, vt nihil sit in ipso, quod non sit ipsum; sed hæc definitio gratis est ab ipsis conficta, & iuxta illam solus Deus esset vnum simpliciter. Item repugnat Aristot. 10. Metaphys. loco citato, distinguenti vnum in indiuisibile, & indiuisum tantùm. Pugnat enim cum communi modo cõcipiendi & loquendi: nam ens quamuis compositum per se & simpliciter dicitur: cur ergo non dicetur etiam simpliciter vnum? Item tale ens non est multa simpliciter: ergo erit vnum simpliciter, quia hæc duo immediatè opponuntur, & quasi contradictoriè. Denique hac ratione docent Theologi Christum vt compositum ex Deo & humanitate esse vnum simpliciter.

XVI. Hîc tamen duo videntur obseruanda; primùm, aliud esse dicere, rem aliquam esse vnam simpliciter, vel secundum quid; aliud verò duas res esse, vnum ad eum modum, quo anima & corpus dicuntur esse vna humanitas, vel plures homines vnus. Nos hîc priori modo loquimur: nãille est proprius & absolutus, id est, secundum absolutam considerationem entis & vnius, secundum quam rationem vnum est passio entis, & non secundum comparationem, vel respectum vnius rei ad aliam: imò nec secundum comparationem rationis eiusdem rei ad seipsam: quia, vt suprà dicebam, hæc relatio rationis identitatis, non est de ratione vnius, quæ absoluta est. Posterior autem loquendi modus, vt sit verus, non tam formalis, quàm causalis esse debet, vt patet in dictis exemplis: nam materia & forma propriè ac formaliter reuera non sunt vnum, sed componunt vnum; & similiter plures homines, nõ tam sunt populus, quàm componunt vnum populum, & sic de aliis: atq; ita illa vnitas, quæ in multis reperitur, qualiscunq; illa sit, supponit priùs secundum rationem ens aliquod ex illis constitutum, quod proximè & B immediatè vnum denominetur, & hoc sensu intelligendum est, quod dici solet, plura simpliciter esse vnum secundum quid, vt iterum attingemus sectione sequente.

XVII. Secundò obseruandum est, hîc esse sermonem de vnitate rei, & non de vnitate rationis: nam vnitas rationis (cùm non sit in rebus, sed ab intellectu) propriè non comprehenditur in diuisione posita: si tamen quis velit hãc vnitatem ad dictam diuisionẽ reuocare, hæc erit vnitas maximè secundum quid, & huiusmodi est vnitas generis, speciei, &c. quatenus per mentis comparationem & denominationem efficitur, quæ etiam potest esse maior, vel minor in suo ordine, prout maiorem, vel minorem indiuisionem, secundum rationem includit, seu prout fundatur in maiori, vel minori conuenientia in rebus illis inuenta. An verò hoc fundamentum, quod in rebus antecedit, nomen vnitatis mereatur, dicemus posteà.

XVIII. Et hinc vlteriùs explicati manẽt alij termini, quibus aliqui vtuntur, vt videre est in Fonseca, dicta quæstio. 5. sectio. 6. scilicet, quòd vnum interdum C dicitur de aliquo absolutè, interdum comparatè, vt quod est vnum secum, vel vnum cum Petro in ratione hominis vel animalis, &c. Item, quòd interdũ aliquid dicitur esse vnum in se, & secundum propriã rationem, vt Petrus dicitur vnus numero: interdum verò dicitur aliquid vnum in superiori, vel inferiori ratione, vt animal in ratione viuentis, vel in homine. Sed hæc reuera impropria sunt: nam vnum propriè, absolutè tantùm dicitur: illa verò comparata vnitas non est vnitas secundum rem, sed vel identitas secundum rationem, vel similitudo, fundata in aliqua vnitate, vel certè est vnitas secundum rationẽ. Et similiter, nullum ens dicitur vnũ propriè, nisi secundum propriam rationem suam; nam secundum superiorem, aut inferiorem rationem non dicitur aliquid vnum, nisi fortasse secundariò, & ratione alterius.

XIX. Vltimò verò annotare oportet, aliquam vnitatem posse considerare in rebus, quæ conueniat enti rationæ suæ entitatis, seu in illa præcisè considerata; alia verò vnitas intelligi potest conueniens vni enti per aliud ens sibi adiunctum, vt, verbi gratia, in materia (vt suprà dicebamus) intelligimus vnitatem entitatiuam, conuenientem illi in sua entitate, & ex

vi

vi eius, etiamsi præcisè consideretur, & mente sepA retur à quantitate, & quolibet alio accidente; alia verò vnitas intelligitur in materia ratione quantitatis, à qua dicitur vna quantitatiuè seu numeraliter: & idem considerari potest in albedine, & in aliis entibus corporeis: nam in immaterialibus tãtùm prior modus vnitatis reperitur. Vnitas ergo immediatè conueniens entitati per seipsam, dici potest vnitas per se, non in sensu, quo suprà locuti sumus de ente, & vno per se, sed vt per se distinguitur contra per aliud, qui modus vnitatis in omni ente, eo modo, quo ens est, reperitur, ita vt etiam ens per accidẽs eo modo quo vnum est per se, & non per aliud, habeat eam vnitatem & ideò hæc vnitas est, quæ per se conuenit enti, vt ens est, & ad tollendam æquiuocationem posset dici vnitas intrinseca, seu entitatiua: alia enim vnitas, quæ per aliud conuenit, accidentaria est, & quasi extrinseca, seu denominatiua, de qua plura in sect. 5.

SECTIO IIII.

Vtrùm vnitas sit adæquata passio entis, & de diuisione entis in vnum & multa.

I. HActenus solùm declarauimus rationem vnius, & varios modos eius: quia verò tota hæc disputatio eò tendit, vt ostendamus, hanc passionem enti conuenire, duo agenda supersunt. Primò, vt declaremus, quomodo hæc proprietas conuertatur cum ente, & sit adæquata passio eius. Secundò, vt declaremus, cui nam vnitati hoc conueniat. quod præstabimus sectione sequente.

II. Circa primum ratio dubitandi est, quia ens diuiditur per vnum & multa, vt constat ex Arist. 10. Metaph. cap. 1. & ex D. Thom. 1. p. quæst. 11. imò multi cõtendunt, hanc esse primam diuisionem entis, vt latè Soncin. 10. Metaph. quæst. 1. sed membrum diuidens non potest conuerti cum diuiso: ergo neque vnum cum ente: ergo non est passio eius. Et confirmatur; nam vnum & multa opponuntur, teste Arist. suprà; ergo non possunt eidem conuenire; ergo ens, quod est multa, non est vnum: ergo vnum non est adæquata passio entis.

III. In hoc dubio breuiter dicẽdum est, vnitatem seu C *vnum* esse adæquatam passionem entis. Ita sumitur ex Arist. 4. Metaph. cap. 2. tex. 3. dicente, ens & vnum se inuicem sequi. Idem docuit Plato in Parmenide, dicens; *Neque ens vni, neque vnum enti deest, sed duo hæc potiùs per omnia coæquantur.* Idem D. Thom. 1. p. quæst. 11. art. 1. & 2. & omnes Philosophi. Et ratione patet primò, quia inter passiones entis, primo loco ponitur vnum, vt suprà vidimus: ergo oportet, vt conuertatur cum ente, quia de ratione passionis propriè dictæ est, vt sit adæquata subiecto suo, & ideò vnum inter transcendentia ponitur, sicut ipsum ens. Secũdò ex reipsa declaratur, quia vnitas vera, & realis supponit, vel includit entitatem, vt suprà visum est: nam quod nihil est, neque vnum dici potest, nisi æquiuocè & per denominationem extrinsecam, sed ad omnem entitatem, vt entitas est, consequitur, seu necessario coniungitur indiuisio in se: nam si sit actu diuisa, quatenus talis est, non est entitas, sed entitates: ergo ratio vnius adæquatè currit cum ente. Tertiò, quia omne ens est simplex aut compositum; simplex: non solum indiuisum est: sed indiuisibile, quatenus simplex est; compositum verò, vt tale est, etiam est indiuisum: nam si actu diuisum sit, non erit A compositum: Ergo omne ens tam simplex, quàm compositum, vnum est: quod autem nec simplex nec compositum est, ens non est; sed, vel nihil erit, vel plura entia.

Explicatur diuisio entis in vnum & multa. IV.

AD rationem ergo dubitandi positam respondet Diuus Thomas. 1. part. quæst. 11. art. 1. ad 2. id, quod est vno modo indiuisum, alio modo posse esse diuisum, & quod sub vna ratione est multa, sub alia esse posse vnum. *Et hac ratione* (inquit) *ens diuiditur per vnum & multa, tanquam per vnum simpliciter & multa secundum quid: nam & ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub vno.* Affertque Dionysius vltimo capite de diuinis nomin. dicentem, *non esse multitudinem, quæ non participet aliquo modo vnitatem: nam, quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto, & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto, &c.* Ex qua respõsione intelligitur primò, formaliter & propriè loquendo, ens nõ diuidi in multa, vt multa sunt actu & formaliter, quia huiusmodi multa quatenus talia sunt, reuera non sunt ens, sed entia. V

B Duplici ergo modo potest multitudo poni in diuisione entis: primò, si non intelligatur de multitudine actuali, id est actu diuisa, quæ sola propriè est multitudo, vt constat ex 5. Metaph. cap. 13. tex. 18. sed de multitudine in potentia tantùm, quomodo in continuo dicitur esse multitudo partium integrantiũ, aut punctorum & in natura humana multitudo partium essentialium. Et hoc modo videtur intellexisse D. Thom. diuisionẽ, cùm dicit ens diuidi per vnum & multa, tanquã per vnum simpliciter, & multa secundum quid: nam illud est vnum simpliciter, in quo non sunt multa actu diuisa: & e conuerso, illa ducuntur multa secundum quid, quæ in re non sunt actu diuisa, seu disiuncta, seu potentia tantùm. Vnde in hoc sensu membra hæc, per se loquendo, non est necesse re distingui, sed ratione tantùm: idem namq; ens, quod est vnum simpliciter, est multa secundum quid, seu in potentia, vt in exemplis positis constat; nisi velimus ea membra cum præcisione, seu exclusione intelligere, hoc modo, aliquod ens ita esse vnum vt nullo modo sit multa, neque actu, neque potentia: aliud verò ita esse vnum, vt sit etiam multa secundum quid, seu potentia aut accidentaliter: quo C sensu coincidet illa diuisio cum diuisione entis seu vnius in simplex & compositum. Et iuxta hanc interpretandi rationem facile constat, diuisionem hãc nihil obstare adæquationi entis & vnius: nam illa multitudo non excludit vnitatem simpliciter. Denique in hoc sensu potest intelligi in ea diuisione diuidi ens, non vt commune est ad ens per se, & per accidens, sed ipsum ens per se, quia inter entia per se dantur aliqua, quæ, licet sint vnum actu, possunt tamen esse multa potestate.

VI. Alio vero modo potest illa diuisio exponi de multitudine simpliciter ac propriè, quomodo videtur intellexisse Caietan. cùm ait, illa verba Diui Thomæ dict. solut. ad 2. *ens diuidi per vnum & multa, tanquam per vnum simpliciter, & multa secundum quid*, ita esse intelligenda, vt *simpliciter, & secundum quid*, non cadant super *vnum & multa*, sed, super verbum *diuiditur*, id est, ita diuiditur ens per vnum & multa, vt vnum simpliciter sit ens, multa vero solum secundum quid. Atque hoc modo econtrario dicendum est, multitudinem poni in diuisione entis, quatenus contingit, ea, quæ sunt multa simpliciter, esse vnum secundum quid. Vnde aliud membrum intelligitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

de vno simpliciter & absolutè: atq; hoc sensu membra illa non ratione tantùm, sed reipsa semper distinguuntur, quia includunt oppositionem contradictoriam seu priuatiuam ex parte diuisionis: nam multa simpliciter sunt, quæ in se sunt actu diuisa: vnum verò, quod non est in se actu diuisum. Et iuxta hunc etiam sensum coincidit hæc diuisio cum illa, qua diuiditur ens in vnum simpliciter, & vnum secundum quid: nam multa simpliciter non diuidunt ens, nisi quatenus sunt vnum secundum quid. Quo etiam fit, vt diuisum in hac diuisione sic explicata non sit ens per se, sed quod diuiditur in ens per se, & per accidens: nam omne ens per se est vnum simpliciter: multa autem non dicuntur vnum secundum quid, nisi quatenus ens aliquod per accidens constituunt, & ita non possunt in diuisione entis poni, nisi saltem sub ratione entis per accidens: ergo diuisum in ea diuisione non potest esse ens per se; nam repugnaret vni membro & conuerteretur cum alio, debet ergo ens abstrahens à per se & per accidens. Atque ita tandem intelligitur, quomodo prædicta diuisio non repugnet adæquationi vnius & entis: nam ad eam spectat, vt ita vnumquodque sit vnum, sicut B est ens; ita vt, si fuerit ens per se, sit etiam vnum per se; si verò ens sit per accidens, sit etiam vnum per accidens, & sicut ens abstractè significari, ita & vnum, & ideò, sicut ens in hoc sensu diuiditur in vnum & multa, ita & ipsum vnum posset eodem modo diuidi; nam vt dixi, perinde est, ac si diuidatur in vnum simpliciter, & vnum secundum quid.

SECTIO V.

An diuisio entis in vnum & multa sit analoga.

I. EX his, quæ dicta sunt, facile possunt definiri nõnulla dubia, quæ de hac diuisione tractari solent ab authoribus. Primum est, an hæc diuisio sit analoga, vel vniuoca.

II. Respondetur, si intelligatur in posteriori sensu esse analogam, & ferè æquiuocam: quia diuisio entis in ens per se, & ens per accidens, cui prædicta diuisio æquiualet in illo sensu, vt dictum est, analoga est, analogia quadã proportionalitatis, ita vt enti sic sumpto non respondeat vnus communis conceptus quia ens per accidens, vt sic reuera non est ens, sed C entia, solumque appellatur ens propter quandam proportionem, vel imitationem entis per se. Probatur hæc sententia in primis ex Arist. lib. 4. Metaph. c. 2. in fine, vbi apertè docet, hîc interuenire analogiã. Deinde ratione, quia quæ sunt multa simpliciter, nõ sunt vnum simpliciter: nam hæc duo prorsus opponuntur: ergo neque sunt ens simpliciter; nam ens & vnum, si eadem proportione sumantur, conuertuntur: ergo ens nõ diuiditur vniuocè in vnum, & multa, sed analogicè. Et hoc significauit D. Thom. 1. par. quæst. 11. art. 1. ad 2. iuxta expositionem Caietani suprà adductam & declaratam. Deinde, quòd hæc analoga tanta sit, vt diximus, declaratur in hunc modũ, quia esse indiuisum, est de ratione vnius: sed hæc indiuisio non reperitur in huiusmodi vno per accidẽs, nisi valdè analogicè, & ferè æquiuocè, quia in eo reperiuntur multa actu diuisa, & indiuisio solùm est secundum quandam apprehensionem, vel habitudinem: ergo ratio vnius non conuenit tali multitudini, nisi per quandam proportionalitatem, seu imitationem; ergo & ratio entis eodem modo illi conuenit, quia, vt dictum est, ens & vnum sibi inuicem cum proportione respondent. Item, quia ens dicitur A ab essentia, vel ab existentia: in illa autem multitudine non est essentia, neq; existentia, sed potius essentiæ & existentiæ.

III. Dices hoc ad summum procedere de his, quæ ita sunt multa simpliciter, vt nullo modo sint vnum, nisi per aggregationem, vt in aceruo lapidum, &c. quia ibi reuera non est vnitas, sed propinquitas quædam, quæ non nisi per quandam proportionalitatem potest vocari vnitas, vt rectè declaratum est. Tamen in aliis entibus per accidens, quæ habent aliquã vnionẽ, vel coordinationem partiũ, ratione cuius possunt aliquo modo dici vnum per se, vt suprà diximus, nõ videtur procedere ratio facta, nec intercedere tanta analogia: nam hæc videntur comprehendi sub vno conceptu vnius transcendentaliter sumpti: nam habẽt vnitatem aliquam realem, & indiuisionem, quæ in ipsis rebus fundatur.

IIII. Respondetur, hoc quidem esse probabile, præsertim quando intercedit physica & realis vnio, vt est inter substantiam & accidens, ipsi intrinsecè inhærens: nam in tali composito, sicut est vera & physica vnio, ita est aliqualis vnitas realis, quæ licet non sit tanta, quãta est in substantiali composito: habet tamen cum illa realem cõuenientiam, qualis est etiam inter illas vniones: illa ergo sufficiet, saltem ad vnitatem cõceptus, esto illa, sit cum aliqua analogia, quod pendet ex infrà dicendis de analogia entis. De aliis verò entibus artificialibus res est magis dubia: quia non intercedit ibi vnio realis & physica, & consequenter nec indiuisio realis: ergo nec conuenientia realis in vnitate, quæ sufficiat ad vnitatem conceptus in ratione entis, vel vnius. Nihilominus tamen oppositum potest facilè defendi, quia illamet compositio cum aliqua coniunctione, vel coordinatione, est aliqualis vnio, quæ sufficit, vt hæc entia concipiantur, vt aliquo modo per se vna, propter quod suprà diximus, probabile esse sub ea ratione directè contineri sub obiecto Metaphysicæ; & de illis vt sic posse esse scientiam: hoc ergo etiam satis erit, vt sub vno conceptu transcendentali vnius concipi possint.

V. Atque hinc à fortiori sequitur, si diuisio illa intelligatur in priori sensu suprà explicato, ita vt diuisum sit ens per se rigorosè dictum, in vnum, quod nullo modo est multa & vnum, quod est multa in potentia: sic multò magis diuidi vnum secundum communem quendam conceptum vnius per se, seu simpliciter, quia esse multa illo modo, scilicet, in potentia, non excludit vnitatem simpliciter, vt dictum est, nõ tñ videtur excludenda omnis analogia ab illo conceptu, quia Deus, qui in illo continetur, sicut nõ est vniuocè ens, ita nec videtur vniuocè vnus cum cæteris creaturis.

VI. Posset autem probabiliter dici, quamuis vnum, quoad positiuum, quod includit, vel connotat, non dicatur vniuocè de Deo & creaturis, tamen quantũ ad negationem inclusam, non repugnare, quod dicatur vniuocè, quia alia prædicata negatiua possunt vniuocè dici de Deo & creaturis. Vt, verbi gratia, esse immateriale, vt præcisè dicit negationem & carentiam materiæ primę, æquè conuenit angelis, ac Deo, quamuis positiuum fundamentum illius carentiæ non sit in eis vniuocum: sic ergo videtur dici posse de negatione diuisionis, quam dicit vnũ. Dices, hoc ad summum procedere de rebus indiuisibilibus, vt sic, verbi gratia, de angelo. Sed contra primò, quia si semel conceditur, vnum transcendens dici vniuocè de angelo & Deo, inde sumitur argumẽtum, dici etiam vniuo-

vniuocè de homine, verbi gratia, quia licet homo A non sit tam perfectè vnus sicut angelus, tamen est vniuocè vnus: ergo si angelus est vnus vniuocè cum Deo, etiam homo erit vniuocè vnus cum vtroque. Secundò ratione à priori id patet, quia vnum præcisè dicit negationem actualis diuisionis: sed hæc negatio integrè & perfectè reperitur in ente propriissimè & per se vno, etiamsi compositum sit. Quòd autem in substantia indiuisibili aliquid amplius præter illam negationem reperiatur, pertinet quidem ad maiorem quandam perfectionẽ entitatis, vel vnitatis, non tamen sufficit ad analogiam in ratione vnius. Vnde, cùm aliàs respectu huius negationis non sit propria dependentia vel causalitas nisi ratione fundamenti, nulla videtur esse in ea sufficiens ratio analogiæ. Tertiò idem confirmatur, quia aliàs materia prima, verbi gratia, esset perfectiùs vnum, quam substantia composita, & idem argumentum fieri potest de anima: imò & de quolibet accidente simplici respectu substantiæ compositę, & de pũcto respectu quantitatis; nam respectu omnium sequitur vnum esse analogum, & per prius dici de simplici, quam- B uis imperfectissimo ente.

VII. Sed, licet hæc probabiliter dicta sint, nihilominus simpliciter dicendum est, vnum transcendens analogicè dici de Deo & creaturis; & de his omnibus, de quibus ens analogicè dicitur, quia (quidquid sit de negatione) vnum non dicit de formali solam negationem, vt suprà visum est, sed entitatem seu essentiam indiuisam, & ideò vbi essentia vniuocè non est, nec realis vnitas potest esse vniuoca. Item, quia, vt Aristoteles dixit 4. Metaphys. textu 2. quod ad rem attinet, idem est dicere vnum, & ens vnum: ergo quod non est simpliciter ens, non potest esse simpliciter vnum: ergo, quod fuerit analogicè ens, erit etiã analogicè vnum. Hoc autem maximè habet verum in Deo, in quo nõ solùm essentia, vt sic est alterius ordinis, sed etiam vt fundat negationem vnius, habet perfectionem quandam alterius rationis & ordinis. In illis autem entibus, in quibus licet essentia sit imperfectior; tamen vt fundat negationem diuisionis, habet quendam excessum simplicitatis, seu indiuisibilitatis, aliquo mõ dici potest esse perfectior ratio vnius quoad negationem; non verò simpliciter C propter rationem dictam. Et hinc rursus cõfirmatur quod suprà dictum est, vnum non dicere de formali solam negationem, seu entitatem sub negatione.

SECTIO VI.

Quomodo vnum & multa opponantur.

I. IN hac re Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 2. vnũ & multa significat priuatiuè opponi. At verò lib. 10. cap. 1. sentit neq; opponi relatiuè: quia vnum nõ dicitur ad aliud, nec contradictoriè, quia neutrum est mera negatio; neutrum enim verè dici potest, tam de his, quæ non sunt, quàm de his, quæ sunt; nec mere priuatiuè, quia neutrum consistit in sola priuatione, sed aliquid dicit positiuum, nec denique merè cõtrariè, quia includunt formaliter aliquã negationem; vnde concludit, opponi quodammodo contrariè, & quodammodo priuatiuè. D. Thom. autem 1. part. quæst. 11. art. 2. sentit hanc oppositionem magis accedere ad priuatiuam, quia vnum (inquit) opponitur multis, sicut indiuisum diuiso.

II. Vt hoc tamen ampliùs explicetur, considerandum est, multa dupliciter posse comparari ad vnum: primò, vt multa sunt, secundò vt sunt aliquo modo vnum: quomodo diximus, multitudinem esse membrum diuidens ens in ea partitione, qua diuiditur in vnum & multa. Quapropter, formaliter loquendo de multitudine, vt est membrum illius diuisionis, differt ab vno simpliciter dicto, tanquam imperfectum à perfecto, & ita sunt tanquam duæ rationes disparatæ & distinctæ. Sicut, si consideremus numerum sub ratione vnius quantitatis discretæ, vel ponamus, illum habere vnam rationem formalem, vt sic distinguetur ab vnitate tanquam quædam ratio formalis distincta à ratione formali vnius, sicut solent distingui duæ naturæ, vel species disparatæ, vel sicut distinguitur linea à puncto. At verò cõsiderando multitudinem, vt multitudo est, & mera aggregatio plurium, sic considerare possumus, vel illud tantùm, quod positiuum est in vnitate & multitudine, & ita se habent ad modum totius & partis, quia multitudo ex vnitatibus hoc modo resultat, vel cõsiderare possumus negationem inclusam, & sic vtrumque includit negationem aliquam: multitudo enim, multa positiua entia dicendo includit hanc B negationem, quòd vnum non sit aliud, quæ dici potest negatio identitatis: vnum verò dicit negationem diuisionis. Et ita videntur mutuo opponi priuatiuè secundum diuersas rationes: nam vnum includit negationem diuisionis, quæ est de ratione multitudinis: multitudo verò includit negationem identitatis seu realis coniunctionis, quæ est de ratione vnitatis. Tamen, quia multitudo includit vnitatẽ & requirit indiuisionem in singulis vnitatib. quibus ipsa multitudo constat: vnum verò econtrario non includit multitudinem, nec diuisionem, quæ est de ratione multitudinis, sed potiùs remouet illam, ideò simpliciter dicitur vnum opponi multitudini per modum priuationis potiùs, quàm econuerso.

III. Vnde licet D. Thom. suprà ad 2. dicat, vnitates cõponere multitudinem, secundum id, quod habent de entitate, non secundum id, quod habent de indiuisione, quod aliis locis repetit, vt q. 9. de potent. art. 7. ad 10. & 14. hoc tamen intelligendum videtur cum proportione, scilicet de multitudine, quatenus positiuum quid est. At si considerentur omnia, quæ in- C cludit multitudo, aliter dicendum videtur: nam, vt idem D. Thom. ait 1. part. quæst. 11. art. 2. ad. 4. & d. q. de pot. art. 7. ad 15. *In intellectu multitudinis includitur ens diuisum ab alio*, & quod vtrumq; ipsorum in se sit vnum; *Quantumcunq; enim* (ait) *aliqua intelligantur diuisa, non intelliget ur multitudo, nisi quodlibet diuisorum intelligatur esse vnum*, & consequenter indiuisum: sequitur ergo, vnum componere multitudinẽ quoad omniã, quæ sunt de ratione eius, non solùm ratione positiui, sed etiam ratione negationis, quam dicit vnum: quia non solùm est de ratione multitudinis, quòd vna res non sit alia, sed ẽt, quod singulæ in se diuisæ sint, quia alioqui non componerẽt certam & determinatam multitudinẽ. Neq; satis intelligo, quid sibi velit Caietan. circa prædictam solutionem ad secundum. D. Thomæ, dicẽs; multitudinem formaliter ex vnitatibus formaliter consurgere, & consequenter ex negationibus, & nihilominus indiuisionem vnitatis non concurrere ad componendam multitudinem, in quantum exercet priuationem diuisionis, sed in quantum habet entis rationem. Quid est enim priuationẽ habere entis rationem? Si enim hoc dicatur solùm ratione entitatis, in qua fundatur, repugnat priori dicto eius, & rationi à nobis factæ: si autem negatio dicatur habere rationem entis, quate-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quatenus potest per modum entis cõcipi, sic est im- A pertinens diuisio, quia hoc solum habet per denominationem extrinsecã, & sic negatio potius est ens rationis tantum, quàm habeat rationem entis realis, de quo Caiet. loquitur.

IIII. Deniq; comparari possunt vnum & multa in ratione mensuræ, & mensurati; & hoc modo habere possunt oppositionem relatiuam, siue illa sit relatio realis, siue rationis, quod magis videtur, quia hæc ratio mensuræ solum videtur consistere in quadam extrinseca denominatione, magisque fundari in nostra apprehensione & vsu ac modo cognoscendi, quàm in aliqua relatione, vel habitudine, quæ in re sit. Vnde D. Thom. dict. art. 2. hanc oppositionem mensuræ & mensurati tribuit vnitati quantitatiuæ respectu numeri, qui est in quantitate, non verò vnitati & multitudini transcendentali, quod non video, cur dici potuerit, nisi in ordine ad vsum humanum, seu secundum quandam denominationem inde resultantem: nam, si res ipsæ secundum se considerentur, eandem proportionem seruat vnum transcendens ad suam multitudinem, quam vnum numerale, seu quantitatis ad suum numerũ, quia & est principium eius, & illam componit, vnde & per illud etiam mensurari potest.

SECTIO VII.

An vnum sit prius quàm multa, & indiuisio quàm diuisio.

I. Thomistæ in hac re diuerso modo loquuntur de vnitate & multitudine, diuisione, & indiuisione. Aiunt enim, vnitatem natura sua esse priorem multitudine, quod est certum, & per se manifestum, tum quia per se loquendo vnum est independens à multitudine in omni genere: non enim vnum pendet à multis, sed multa ab vno, neque vnum definitur per multa; multitudo autem definitur per vnitatem; tum etiam, quia vnum est principium, & componit multitudinem; vnde etiam quoad subsistendi consequentiam non conuertuntur, nam, si est multitudo, necesse est, vt sit vnitas, non verò è conuerso.

II. De diuisione autem & indiuisione aliqui dicunt, C diuisionem esse natura sua priorem indiuisione, & vnitate. Ita docet Soncin. libro 4. Metaphys. quæst. 23. ad 6. & 10. Metaphys. quæst. 4. & Iauell. ibi quæst. 6. Caietanus autem 1. part. quæst. 11. art. 2. circa ad 4. vtitur distinctione vix intelligibili: ait enim quod diuisio est prior vnitate simpliciter secundum se, inesse tamen intelligibili, & quod est posterior vnitate simpliciter, id est, secundum esse simpliciter, quod est esse in rerum natura. Priorem partem probat, quia affirmatio est prior negatione; sed esse vnum est esse hoc, & non esse non hoc: ergo diuisio inter illa extrema contradictoria præcedit naturaliter vnitatem: secundum autem probat, quia negatio vnius entis ab alio, quæ est negatio realis, est posterior vnitate, ex quibus rationibus intelligitur sensus prioris distinctionis à Caietano propositæ: nam per negationem in esse intelligibili videtur intelligere diuisionem entis à non ente, & vniuscuiusque entis à tali non ente, quam alij vocant negationem rationis tantum: per negationem autem secundum esse rei intelligit diuisionem vnius entis ab alio, quæ vocari solet negatio realis. Sed vt ex suprà dictis cõstat diuisio, quam negat vnitas per se primò, neutra ex his est, sed est negatio diuisionis realis ipsius entis in se ipso; & de hac diuisione inquiritur, an sit prior, vel posterior indiuisione.

III. Et mihi quidem videtur, huiusmodi diuisionem nullo modo esse priorem secundum rem, quàm vnum, vel indiuisionem in illo inclusam: nam, si hæc duo generatim, & in tota sua latitudine comparemus, priùs est ens aliquod esse in se indiuisum, quàm quòd sit aliqua diuisio vnius entis ab alio, vel alicuius entis in seipso; si verò illas comparemus in singulis entibus, vnumquodque ex natura sua priùs habet in se indiuisionem, quàm diuisionem. Quæ ergo diuisio, aut in quo subiecto, dicitur aut est secundum se prior indiuisione, seu vnitate? Deinde, nulla est ratio, quæ contrarium suadeat, quia, quamuis indiuisio opponatur diuisioni per modum priuationis, non propterea necesse est, diuisionem esse priorem: primò quidem, quia licet in his, quæ propriè & in rigore priuatiuè opponuntur, habitus natura sua sit prior negatione, quia talis priuatio solum est in subiecto apto nato, quod natura sua priùs respicit habitum quàm priuationem: in priuatione autem B latè sumpta, & impropria, qualis est indiuisio vnius, vt explicatũ est, non esse necesse, vt habitus sit prior negatione, vt licet immateriale priuatiuè sumptum, negationem dicat, simpliciter prius est esse immateriale in rebus, quàm esse materiale, quia non dicit priuationem propriè dictam, & in subiecto apto nato, quod ex se priùs postulet esse materiale, quã immateriale & in homine, verbi gratia, priùs est generationis ordine vt dentibus careat, quàm quòd illos habeat, quæ carentia, licet pro tempore infantiæ nõ habeat propriissimam priuationis rationem, magis tamẽ ad illam accedit, quàm negatio diuisionis, quã dicit indiuisio vnius: ergo multò minùs necesse est vt in præsenti, diuisio sit prior natura sua indiuisione. Et ideò D. Thom. 1. p. q. 11. art. 2. ad 4. rectè docuit, diuisionem esse priorem vnitate, non simpliciter, sed secundum rationem nostræ apprehensionis. IV.

Comparando ergo hæc duo secundum se, & ex natura sua, sicut vnitas multitudine; ita indiuisio est prior diuisione: quoad nos verò dicitur prior diuisio indiuisione: quia cùm indiuisio cognoscatur, vt negatio, necesse est, vt priùs apprehendatur id, cuius est negatio: quia semper quoad nos affirmatio antecedit negationẽ: hoc autem intelligẽdum erit de diuisione sumpta formaliter pro negatione, vel pro fundamento negationis iuxta varios modos explicandi indiuisionem vnius, quod suprà tractauimus. Et eodem modo loquitur Aristotel. lib. 10. text. 6. de vno seu indiuisione eius respectu multitudinis; ait enim multitudinem esse ratione priorem *propter sensum*, in quo vltimo verbo satis declarat, se loqui de prioritate quoad nos, & ita exposuit ibi Diuus Thomas, lect. 4. Et declarat id intelligendũ esse de multitudine ratione diuisionis tantùm: nam, si sumatur multitudo secundum totum id, quod est de ratione eius: sic etiam quoad nos multitudo est posterior, *quia nihil aliud est* (inquit) *quam aggregatio vnitatum. Vnde, licet ea quæ sunt diuisa, multa sint, non habent tamen rationem multorum, nisi postquam huic & illi attribuitur quod sit vnum.*

SECTIO VIII.

An diuisio entis in vnum & multa sit prima omnium.

S Cotus in 1. dist. 8. quæst. 3. & in quodl. q. 5. ar. 1. negat, hãc esse primam diuisionem entis, sed aliam, I.

qua

qua diuiditur ens in finitum, & in infinitum: quia A hæc duo membra contrahunt formaliter ens in quantum ens: alia verò contrahunt ens in quantum vnum: ergo prior est illa diuisio, quàm hæc. Consequẽtia patet, quia, sicut prior ratio entis, quàm ratio vnius, ita etiam prior est diuisio, quæ conuenit enti vt ens est, quàm quæ conuenit enti vt vnum est; illa enim diuisio quasi per se primò conuenit enti: hæc verò per se secundò, sicut si in homine esse possent varij modi rationalitatis & risibilitatis, prior esset diuisio hominis per modos rationalitatis, quàm per modos risibilitatis. Antecedens verò quoad primam partem declaratur, quia essentia est, quæ constituit ens in quantum ens: ergo prima diuersitas essentiarum vt sic, est etiam prima diuisio entis in quantum ens est; sed vna essentia, vt essentia differt ab alia, quatenus illa est tantæ perfectionis essentialis: alia verò maioris vel minoris, & hęc est prima ratio, qua posita, & præcisis omnibus aliis, manet diuersitas essentiarum, & illa ablata non manet: hoc autem genus diuersitatis primò ac per se reperitur inter essentiam infinitè perfectam, & omnes alias finitas: ergo prima diuisio entis est illa infinitum, & fi- B nitum. Altera verò pars antecedentis patet ex supra dictis, quia illa duo membra, scilicet, vnum & multa, vt possint diuidere ens, oportet, vt æquiualeant diuisioni entis in vnum simpliciter, & vnum tantum secundum quid, vel in vnum per se, & vnum per accidens: sed hæc diuisio formaliter sumpta est diuisio entis vt vnum est: ergo. Quod si quis contendat: etiam ens vt ens posse diuidi per illos duos modos vnitatis, idem poterit redire argumentum; sic enim illa diuisio erit quasi denominatiua (vt sic dicam) nam erit diuisio per proprietatem entis; cùm tamen prior sit essentialis, seu per modos per se primò & essentialiter contrahentes ens.

II. At verò Thomistæ contendunt, primam diuisionem entis esse in vnum & multa, seu in ens per se, & per accidens. Ita tenet Soncin. 10. Metaph. quæst. 1. qui hoc tribuit D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 2. ad 4. & in 1. d. 24. quæst. 1. art. 3. quoniam dicit. quod primò cadit in intellectu esse ens, secundò diuisionem, tertiò vnum, quartò multitudinem. Fundamentum est, quia vnum est prima passio adæquata entis vt ens C est, conueniens illi, etiam vt abstrahit à finito, vel infinito: ergo priùs conuenit enti, quàm finitum, vel infinitum. Sed in primis ex loco illo D. Thomæ nihil potest colligi, quia ibi non tractat de comparatione diuisionis entis in vnum & multa ad alias diuisiones entis, sed de modo & ordine, quo à nobis cõcipiuntur vnum & multa. Ratio etiam illa nullius est momenti, quia, vt rectè fiat comparatio, non est facienda inter vnum, vt est adæquata passio entis, & modos contrahentes ens, sic enim non negaret Scotus, vnum prius conuenit enti, quàm finitum & infinitum, vel alios similes modos, sicut proprietas adæquata generi, & conuertibilis cum illo priùs ratione intelligitur ei conuenire, quàm differentiæ inferiores contrahentes, quia talis proprietas illi secundum se, & præcisè conuenit, differentia verò cõtrahens conuenit ratione inferioris. Imò etiam si modi contrahentes ens inter se oppositi disiunctim sumantur & tribuantur enti per modum vnius proprietatis complexæ, scilicet, finitum, vel infinitum, &c. adhuc vnum vt est proprietas adæquata & incomplexa censenda erit ratione prior, vel hocipso, quod simplicior est, & secundum se magis adæquata, & minus pendens ex alterius conceptione. Eò vel maximè, quòd, vt suprà dixi, hæc prædicata complexa, seu disiuncta reuera non sunt proprietates entis in quantum ens: quia essentialiter diuidunt ipsum ens. Vt ergo propriè fiat comparatio, loqui oportet de vno secundum determinatos modos vnius, & hoc modo non procedit ratio facta, vt per se constat.

Aliter ergo Iauel. Tract. 1. de transcen. capite 1. va- III.
rias proponens diuisiones entis, primam dicit esse in ens reale & rationis, secundam, entis realis, in vnum per se, & per accidens; tertiam, in absolutum, & respectiuum; quartam (quæ est tertia entis realis) vnum & multa; quintam, in quinque transcendentia; vltimam, in finitum, & infinitum, quem ordinem diuisionum nullis rationibus confirmat. Id verò, quod ad præsentem dissensionem spectat, scilicet, quòd duas illas diuisiones comparando, scilicet, in vnum & multa, & finitum, & infinitum illa sit prior, hac apparenti ratione probat, quia ens non diuiditur in finitum, & in infinitum, nisi in quantum bonum, sed alia diuisio, vt dictum est, datur de ente in quantum est vnum: Ergo hæc est prior illa, sicut passio vnius prior est passione boni. Maior patet, quia finitum, & infinitum diuidunt ens, secundum varios gradus perfectionis: ergo diuidunt illud vt perfectum: ergo vt bonum: nam perfectum & bonum idem sunt. Vnde etiam Scotus, quoniam existimat esse posse aliquod ens reale, quod perfectionem non dicat formaliter, aliam diuisionem præmittit, dicens, ens primò diuidi in quantum & non quantum, quantitate, scilicet, perfectionis, & postea ens quantum diuidit, in finitum, & in infinitum: ergo ex eius sententia diuiditur hic ens vt quantum seu perfectum. In quo etiam significare videtur Scotus priorem rem esse diuisionem illam in absolutum, & relatiuum, quia solum ens relatiuum, vocatur ab ipso non quantum, quia relatio vt sic non dicit perfectionem. Vnde consequenter fit, solum ens absolutum diuidi in finitum & in infinitum, quod etiam Iauell. docet.

In hac quæstione supponere oportet, sermonem IV.
esse de ente reali, nam ens rationis, vt in superioribus dictum est, non habet communem conceptum nec realem conuenientiã cum ente reali, & ideò diuisio entis in ens reale, & rationis non rectè inter diuisiones entis numeratur, quia illa magis est diuisio nominis, quàm rei: hîc verò non agimus de variis significationibus eiusdem vocis, sed de diuersis modis, quibus conceptus rei significatæ per vocem reipsa determinari, seu contrahi potest. Denique hîc solum agimus de diuisione entis, quod suprà diximus esse proprium Metaph. obiectum, hoc autem non est ens, vt abstrahit ab ente reali, & rationis, sed ens reale tantum.

Rursus eadem ratione asserendum est, huiusmodi V.
diuisiones non esse intelligẽdas respectu entis, vt diuiditur in ens per se & per accidens, sumendo ens per accidens strictè pro ente omninò per aggregationẽ: nam vt supra etiam ostensum est, huiusmodi diuisio non est alicuius communis conceptus, sed vocis tãtum secundũ analogiam imperfectam alicuius proportionalitatis. Propter quod diximus, non esse huiusmodi ens in illa latitudine acceptum, adæquatum obiectum huius doctrinæ, sed solum ens reale per se, eo modo, quo possit habere aliquam vnitatem rationis seu conceptus in rebus fundatã, ratione cuius sit capax, & proprietatum, & diuisionum realium.

Atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque hinc sit, si diuisio illa entis in vnum & multa, sumatur in eo sensu, in quo coincidit cum prædicta diuisione entis in per se, & per accidens, sic quidem posse dici priorem diuisione entis in finitum, & in infinitum, eo modo, quo diuisio seu equiuocatio vocis in omni doctrina explicanda prius est, quam res ipsa diuidatur, quo sensu etiam illa diuisio in ens rationis, & rei, potest dici prima. Propriè tamen loquendo de diuisionibus realibus contrahentibus, seu diuidentibus obiectum adæquatum huius scientiæ, illa non potest in hoc ordine computari, magis, quam diuisio entis in reale, & rationis, quia in ea etiam vox tantum communis est, non autem conceptus, vt ostensum est.

VI. Superest ergo, vt cõparemus diuisiones has, quatenus in eis diuidi potest ens reale ac per se communissimè sumptum. Possunt autem comparari hæ diuisiones, vel in vniuersalitate; sic enim vna diuisio potest dici prior alia, quia est vniuersalior, & altera aliquo modo sub illa continetur, vel in maiori diuersitate, & distantia inter membra diuidentia: sic enim illa diuisio potest dici prior, in qua membra diuidentia primario, magisque inter se distant, vel denique comparari possunt in habitudine membrorum diuidentium ad ipsum diuisum, sic enim illa diuisio dicenda videtur prior, in qua membra diuidẽtia magis per se ac formaliter contrahunt diuisum secundum propriam rationem formalẽ eius, vt argumentando pro vtraque sententia citata declaratum est, nec apparet, qua alia ratione possit vna diuisio dici alia prior.

VII. Ex his ergo tria videntur posse probabiliter dici in hac dissensione; primum est, quoad vniuersalitatem neutram harum diuisionum esse priorem alteram: vtraq; enim est adequata enti, & ambit totã latitudinem eius, neque vllo modo vna sub altera continetur, aut est sub diuisio illius, hoc per se notum est, quia vtriusque diuisum est vnum & idem, vt supponimus, & in vtraque membra diuidentia includunt contradictionem immediatam, qua exhauriunt diuisum. Et hoc quidem manifestum est in diuisione entis in vnum, & multa. De diuisione autem in ens finitum, & infinitum iuxta opinionem Scoti non est res ita clara: nam ipse cum multis aliis inueniunt medium inter illa duo membra quorundã entium realium, quæ nullam dicunt perfectionem, & ideo ipse Scotus, vt supra, dicebam, aliam diuisionem præmittendam putauit entis in quantum, & non quantum, vt solum ens quantum possit adæquatè diuidi in finitum & in infinitum: vnde consequenter sit, hanc diuisionem sic explicatam esse minus vniuersalem, quam sit alia in vnum & multa: nam illud ens, q̃ dicitur non quantum, sicut est ens, ita & vnum existit. Ego tamen suppono, contrariam doctrinam esse veriorem, nullumq; ens reale esse, quod ex proprio ac formali conceptu quantum non sit, & consequẽter, vel finitum, vel infinitum, aut simpliciter, aut in proprio genere, de quo infra dicemus, ostendendo omne ens dicere aliquam perfectionem.

VIII. Dico secũdò in modo dicta diuisione entis membra diuidentia magis inter se distare, primarioque differre, quàm in altera diuisione entis in vnum & multa: atque hoc modo prædictam diuisionem esse priorem. Suppono enim, infinitum in ea diuisione sumi pro infinito in perfectione entitatiua & essentiali, præsertim, quia, vt aliàs constat, solum huiusmodi infinitum est in rerum natura; nam in rebus creatis, nullum infinitum potest esse absolutè loquendo, quod non potius simpliciter finitum sit. Intra Deum autem, quicquid in ipso est, simpliciter & essentialiter est infinitum, quamuis secundum præcisos nostros inadæquatos conceptus possit aliquid præsertim relatiuum, concipi infinitum tantum in aliquo genere, non cõcepta in eo distinctè infinitate simpliciter, quod nihil ad præsens refert: Hinc ergo patet assertio posita, quia prima diuisio dat̃ per primam diuersitatem, quæ est inter Deum, & creaturas: secunda autem non ita', nam sub vno membro illius continentur Deus & plures creaturæ, quæ simpliciter, & in toto rigore vnum per se sunt, sub altero verò aliæ tantùm creaturæ, quæ illo modo non sunt per se entia: magis autem distãt inter se Deus & creatura, quam distare possit quælibet ratio entis creati ab alia ratione, etiam creata, vel saltem cõmuni Deo & creaturis: nam illa infinitè simpliciter distant: hæc verò minimè. Explicatur hęc ratio in hunc mõdum, quia illa duo membra entis in vnum, & multa, solum differunt iuxta maiorem, vel minorem vnitatem ipsius entis, & quantum est ex vi illius diuisionis non magis distant inter se illa duo membra, quam distet vnitas exercitus, v.g. ab vnitate hominis: nam, licet alia entia possint per se magis distare in vnitate, tñ ex vi illius diuisionis illa maior diuersitas non explicat, sed prædicta sufficit: sed multò magis distant inter se ens finitum & infinitum, quam vnitas per se & per accidens vt sic: ergo in hoc sensu illa diuisio est prior vtpote declarans summam atque primariam entis diuersitatem seu distantiam.

IX. Ex quo infero, idem iudicium ferendum esse de diuisione entis in increatum & creatum, & in ens per essentiam, & per participationem, vel in purum actum, & ens potentiale aliquo modo: omnes enim hæ diuisiones in re coincidunt, & sub diuersis conceptibus negatiuis, seu cõnotatiuis, declarant eandẽ entis partitionem & diuersitatem. Et eadem ratione existimo, hãc diuisionem esse priorem diuisione entis in substantiã & accidens, etiam si in vniuersalitate sint æquales: quia magis distat, & primò diuersum est ens increatum à creato, quam accidens distet à substantia vt sic, seu à substantia creata, quod perinde est. Et eadẽ vel maiori ratione prior est illa diuisio quam alia in absolutum & relatiuum, quia similiter priora duo membra magis distant ac diuersa sunt: nam tota diuersitas inter absolutum & relatiuum in creaturis saluatur absque infinita distantia: imò illæ duæ rationes formales cõceptæ, non sunt inter se ita diuersæ, quin possint in eandem simplicissimam rem coincidere, saltem in Deo: vnde etiam illę duę rationes non solum non distant, vt ens creatum & increatum, verum etiam ex se neutra postulat, vt creata, vel increata sit, vt in materia de Trinit. Theologi docẽt.

X. Tertiò dicendum est, si diuisiones illę comparentur formaliter ad diuisum, sic diuisionẽ entis in infinitum & finitum, etiam esse priorem, respectu entis vt sic, quamuis altera sit prior respectu vnius vt vnũ est. Hanc assertionem probat sufficienter fundamentum adductum in fauorem Scoti, quia modi significati per finitum & infinitum sunt per se ac formaliter determinantes rationem entis, seu essentiæ vt sic: omnis enim essentia realis hoc ipso, quòd realitatem essentialiter includit intrinsecè & essentialiter postulat, & perfectionem aliquam essentialem & modum seu gradum talis perfectionis. Vnde etiam Caietanus 1. part. quæst. 11. in principio, dubitans, cur priùs egerit D. Thomas de perfectione & infinitate Dei, quàm de vnitate respondet, quia illa duo

duo continentur intra latitudinem prædicamentorum quidditatiuorum: vnitas verò ad passiones entis spectat. Sicut in Deo priùs secundum rationem est, quòd sit perfectus & infinitus in essentia; quã quòd sit vnus; quia illa duo nostro modo intelligendi significant formalissimam talis essentiæ constitutionẽ, ita in ente creato talis ac tanta vniuscuiusq; perfectio essentialis prior est, quàm vnitas eius: ergo in communi respectu entis formalior ac prior est diuisio eius per modos essentiæ primò & summè diuersos, quales significantur illis vocibus, finitum & infinitum, quam diuisio per modos vnitatis.

XI. Neque contra hoc obstet Iauelli ratio; negatur enim finitum aut infinitum diuidere ens in quãtum bonum, formaliter loquendo de bono, vt est passio entis, quia, vt infrà videbimus habere perfectionem aliquam, vt sic non est passio entis realis, sed essentia: nomine enim essentialis perfectionis nihil aliud significatur, quàm ipsamet rei essentia, quæ, vt non sit ficta, sed realis, aliquid perfectionis formaliter esse debet: nam si sit essentia infinita simpliciter, seipsa est summa perfectio; si autem sit finita, est aliqualis participatio illius perfectionis. Quid autem addat ratio boni, vt est passio entis, supra perfectionem entis, dicemus posteà. Quòd diuisio illa in vnum & multa, eo modo quo explicata est, formaliùs sit diuisio vnius vt vnum est, quàm entis vt ens est, facilè constat ex dictis: quia illa duo membra, vt possint diuidere ens per se, ita sumi debent, vt significent diuersos modos vnitatis: siue per vnum significetur id, quod ita est vnum per se & nullo modo sit per accidens vnum; per multa verò id, quod est simpliciter vnum per accidens, licet aliqua ratione sit per se vnum: siue per vnum significetur id, quod ita est vnum, vt in eo nulla sit multitudo, etiam in potentia; per multa verò omne ens, quod licet sit per se vnum, est aliquo modo multa, saltẽ in potentia: his enim omnibus rationibus solùm describuntur diuersi modi vnitatis: constat autem varios vnitatis modos formaliùs contrahere vnum, quàm ens.

XII. His ergo modis comparari possunt prædictæ diuisiones, nec nunc occurrit alia ratio, vel causa ob quam vna diuisio entis possit dici prior alia. Vnde ẽt obiter constat, ordinẽ illum diuisionum, quẽ Iauell. ponit, nulla ratione niti, aut fundari, & præsertim impropriissima est illa diuisio, quia diuidit ens in sex transcendentia (de aliis enim iam satis dictũ est) cùm enim transcendentia omnia æqualia sint inter se, & cum ente conuertuntur, non potest propriè illa dici diuisio entis, sed est annumeratio quædam: tum entis, tum eorum, quæ ipsi enti per se, & adæquatè insunt.

Vltimò inquiri hîc poterat, an multitudo seu numerus, vt sic dicat vnam formalitatem realem, & an in hoc sit aliqua differentia inter multitudinẽ transcendentalem, & numerũ, qui ponitur species quantitatis, sed de hac re dicemus infrà commodiùs de quantitate disputantes.

SECTIO IX.

Vtrùm vnitas transcendentalis sit vnitas numerica, vel quænam illa sit.

I. DVplici sensu tractari potest hæc quæstio iuxta duplicem acceptionem vnitatis numeralis, scilicet, vel pro vnitate quantitatiua, vel pro vnitate singulari, sic enim dixit Aristoteles lib. 3. Metaphys. textu 14. *vnum numero an singulare dicas nihil interest; etenim hoc modo singulare exponimus, quod numero est vnum.* Iuxta has ergo duas acceptiones, duæ quæstiones vel opiniones tractandæ sunt.

Variæ sententiæ de vnitate quantitatiua.

II. PRima opinio fuit Auicennæ, quam referunt D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. & in 1. distinct. 14. quæst. 1. art. 3. & 4. Metaph. lect. 2. & ibidem Cõment. com. 3. qui asseruit vnitatem, quæ prouenit entibus à quantitate, esse ipsam vnitatem transcendentalem rerum, vnde conclusit, vnum addere supra ens quãtitatem. Quæ sentẽtia sic vniuersè sumpta planè falsa est, tum quia vel oportebit dicere nulla esse entia, nisi quanta, vel vnitatem non esse passionem entis adæquatam, sed propriam entium materialium, tum etiam, quia in ipsismet materialibus, & quantis entibus existit propria vnitas & integritas, quam vnumquodque ens in seipso habet, quæ non est formaliter à quantitate, licet non sit sine quantitate, vt est sectione 3. tactum, & in disputatione sequente & in disputatione etiam de quantitate iterum atq; iterum dicetur.

III. Si autem hæc opinio solùm assereret, vnitatem quantitatis esse vnam ex vnitatibus transcendentalibus, haberet apparentem aliquam probabilitatem. Nam, sicut ens commune est quantitati, & cæteris prædicamentis, ita & vnum trascendens commune est omnibus illis; vnde sicut ens determinatur ad singula prædicamenta per proprios modos entitatis, & ens transcendens vt inclusum in singulis prædicamentis, nihil aliud est, quàm tale, vel tale ens: ita vnum transcendens determinatur ad singula prædicamenta per tales modos vnitatis, & vnum transcẽdens vt inclusum in singulis prædicamentis nihil aliud erit, quàm tale, vel tale vnum. Ergo vnitas trãscendens in quantitate nihil aliud est, quàm talis vnitas, quã vnitas natura sua postulat. Ergo hoc modo videtur dici posse vnitatem quantitatiuam non distingui à transcendentali, non quia cum illa conuertatur, sed quia est pars quędam subiectiua eius, ad eum modum, quo dici etiam potest quantitas non distingui ab ente. Et hoc modo docuit illam sententiam Durand. in 1. distinct. 24. quæstio. 2. qui consequenter air, in singulis prædicamentis posse distingui speciales modos vnitatis, & multitudinis, non tamen esse peculiaria nomina imposita ad hęc significanda, nisi in quantitate, quia ratio diuisibilitatis seu cõtinui diuisibilis ex cuius diuisione resultat numerus, vt dicitur 3. Physic. cap. 7. peculiari modo reperitur in quantitate.

IV. Atque hæc sententia procedit distinguendo quãtitatem à re quanta: nam qui putant quantitatem nihil addere substantiæ, consequenter aiunt, vnum transcendens, & quod est principium numeri, nihil inter se distingui, quod multis rationibus conatur defendere Greg. in 1. dist. 24. quæst. 1. & 2. Non quod putet, omne vnum esse quantum, sed ecõuerso, quia putat omne vnum esse transcendens, & vnum quantitatiuum nihil aliud esse, quàm vnum transcendens in substantia, vel accidentibus materialibus. Sed de distinctione quantitatis à re quãta, alibi dicendum est: nunc supponimus quantitatem habere entitatem distinctam à reliquis. Quo supposito sententia Durandi hac ratione confirmari potest: nam ens & vnum transcendens conuertuntur: ergo de quocunque vnum dicitur, aliud etiam prædicatur: sed quantitas est ens; ergo est vnum trãscendens: non est autẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnum transcendens nisi sua vnitate quantitatiua: ergo illa sub vnitate transcendentali continetur. Alioqui oporteret fingere duas vnitates in vna quantitate, aliam transcendentalem, aliam quantitatiuam, quod superuacaneum est, & vix potest mente concipi.

V. Hanc verò Auicennę sententiâ improbant Auer. suprà & D. Thom. qui consequenter docent, vnitatem quantitatiuam hoc differre à transcendentali, quod aliquid positiuum, & reale enti addit, quod nõ addit vnitas transcendẽtalis. Ex quo aliqui eliciunt, vnitatem quantitatiuã addere ipsi quantitati aliquid positiuum, & hoc modo differre ab vnitate transcẽdentali ipsiusmet quantitatis, & ratione illius positiui esse principium numeri, qui ponitur species quãtitatis, cùm tamen multitudo transcendentalis propriam & realem speciem entis conficere non censeatur. Ita tenet Iauel. 4. Metaph. quæst. 8. cum Capreol. in 1. dist. 24. quæst. vnica, vbi varia loca D. Thomas adducit, & potissimè in hoc fundatur, quòd si vnitas quantitatiua non esset aliquid positiuum præter diuisionẽ negatiuam quantitatis, nec numerus quãtitatiuus esset certa aliqua species realis, nec esset vl- B la ratio constituendi illum numerum inter species rerum potiùs, quàm numerum quorumuis entium. Si autem quæras, quidnam sit illud, quod addit vnitas supra quantitatem: Respondere videtur Capreol. in explicatione primæ conclusionis, in quantitate duo esse distinguenda, scilicet, formam continuitatis & esse ꝙ talis quantitas continua dat subiecto, & significat vnitatẽ addere supra quantitatẽ hocposteri⁹ esse. *Quia forma* (inquit) *contmuitatis est diuisibilis in multa, & ideo non meretur dici vnitas, de cuius ratione est indiuisibilitas, sed esse, quòd illa forma dat subiecto, dicitur vnitas, quia id nullo modo est diuisibile, quia, si forma illa, vel subiectum diuidatur, esse primum nõ remanet, nec diuiditur, sed quælibet pars diuisi habet nouum esse, & non habet illud quòd prius.* Citatq; Auicen. 3. Metap. cap. 2. dicentem, vnitatẽ substantialiter esse ipsum, quod non diuiditur. Vnde significat Capreol. hoc positiuum, quod addit vnitas quantitatiua supra quantitatem, esse ab illa realiter distinctum: Ægid. verò eadem dist. quęst. 2. dub. 2. eandem tenẽs opinionem de additione positiua sentit, illud additum solùm ratione distingui C hoc modo, quòd quantitas quatenus extendit partes substantiæ, dicatur quantitas continua, quatenus verò perficit substantiam nulla habita ratione partium, dicatur vnitas. Alij verò dicunt, vnitatẽ quantitatiuam addere supra quantitatem rationem mensuræ ex D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 2. & 4. Metap. lect. 3.

VI. Sed hæc sententia falsa sine dubio est, vt Heruęus, Thom. de Argent. Durand. Greg. & alij notarunt dicta distin. Nam distinctio illa, quam fingit Capreol. cõmentitia est, & planè intelligibilis. Tum quia esse, quod dat quantitas (iuxta veriorem sententiam) nõ est res distincta ab ipsa quantitate actuali & reali, vt infrà generatim dicetur, tum etiã quia esto esset distinctum, non tamen in quãtitate magis distinguetur, quàm distinguatur in albedine forma albedinis ab esse ꝙ dat subiecto, vel in forma lapidis ipsa forma ab esse, quod dat materiæ: ergo vel hæc distinctio non satis est, vt vnitas quantitatis dicatur aliquid addere supra quantitatem, vel idem dicendum est de vnitate albedinis, & cuiuscunque alterius formę creatæ, tum præterea, quia admisso illo esse distincto à quantitate, sine fundamento fingitur esse indiuisibilius ipsa quantitate: quis enim credat diuisio ligno A in singulis partibus diuisis, manerè eandem quantitatem, quæ anteà erat, & non manere idem esse quãtitatis quod ipsa quantitas conferebat? Nõ est enim maior ratio corruptionis vnius, quàm alterius: imò omnes ẽt qui sentiunt esse distingui realiter à forma, à qua prouenit, sentiunt, saltem naturaliter, & per potentiam ordinariam esse inseparabile ab illa, ipsa manente. Quod si fortasse Capreol. dicat, se non loqui de esse existentiæ quantitatis, sed de quodam alio distincto à quantitate & existentia eius: hoc sanè nulla indiget refutatione, quia est merum commentum sine fundamento confictum. Et præterea, quomodocunq; explicetur illud esse, non potest esse indiuisibilius ipsa quantitate, quia sicut tota quãtitas dat esse toti subiecto, ita pars quantitatis parti subiecti, neque ex partiali quantitate, quæ est in vna parte subiecti, prouenit aliquid esse, quòd sit in aliis partibus subiecti, neque econuerso: illud ergo esse debet necessario coextendi ipsi quantitati, nec potest esse indiuisibile magis, quàm ipsa. Præcipuè cùm materiale sit, & corporeum, & in subiecto diuisibili. Nec verum est, quod Capreol. ait, formam continuitatis B non posse dici vnitatem, quia indiuisibilitas est de ratione vnitatis: in superioribus enim à nobis probatum est, non indiuisibilitatem, sed indiuisionem tãtùm esse de ratione vnitatis, & ideò nihil repugnare vt forma vnitatis, id est, in qua fundatur vnitas, diuisibilis sit, dummodo sit indiuisa. Hæc ergo Capreoli declaratio nulla ratione subsistit.

Alia etiam distinctio Ægidij nulla omnino est, ni- VII
si tantùm in vocibus, tum quia quantitas non aliter perficit substãtiam, quàm extendendo illam in partes, tum etiam, quia est repugnantia dicere, quantitatem habere rationẽ vnitatis numeralis, quatenus abstrahit à partibus; nam de intrinseca ratione huius vnitatis est, vt sit in subiecto quanto &, habente partes & ferè hoc solùm addit supra vnitatem transcendentalem. Alia deniq; expositio de ratione mensuræ facilè refellitur, tum quia ratio mensuræ non pertinet per se primo ad vnitatem, sed consequitur illam, vt rectè D. Tho. docet, lib. 4. Metaph. lect. 8. & lib. 10. lect. 2. Tum etiam quia hæc ratio mensuræ, si quoad aptitudinem, quæ in reipsa est, consideretur, C eadem proportione reperitur in vno transcendentali respectu multitudinis, qua est in vno quantitatiuo respectu numeri quantitatis: si verò consideretur quoad vsum hominum, id parùm refert ad rationem vnitatis prout in se existit. Deniq; contra totam hãc sententiam faciunt, tum Arist. testimonia, tum rationes omnes, quibus suprà probatum est, rationem vnius in negatione positam esse: illa enim omnia eadem proportione in vnitate numerali, seu quantitatiua procedunt, vt patet ex Arist. lib. 5. Metaph text. 11. & lib. 10. à principio, & ex ratione suprà facta, quia postquam quis finxerit entitatem, seu rationem positiuam, quam addat hęc vnitas supra quantitatem, si mente vel reipsa intelligat eam separari, & manere solam quantitatẽ indiuisam, intelliget manere quãtitatem vnam: ergo, quicquid additur, superfluè & sine fundamento additur.

Vera ratio vnitatis quantitatiuæ declaratur. VIII

ADuertendum ergo est, vt tam res ipsa, quàm sententia D. Thom. in hac parte intelligatur, quod suprà in fine sectio. 3. dicebamus, in substantia materiali posse considerari intrinsecam & entitatiuam vnitatem, & accidentariam denominatiuè conuenientẽ illi ex affectione quantitatis: vnde fit, vt quantitas

quantitas ipsa considerari posset, vel vt in se vna est, A vel vt ratione illius redditur vnũ id, quod per ipsam afficitur. Quo supposito dicendum inprimis quoad hanc partem est, vnitatem transcendentalem nõ esse vnitatem quantitatiuam, quæ denominatiuè, & accidentariè conuenit substantiæ materiali media quantitate. Hoc patet ex suprà dictis, quia neque in aliis rebus vnitas transcendentalis in hoc consistit, vt per se constat, neque in ipsamet substantia, vel quacunque alia forma materiali, vt ex dictis in sect. 3. constat. Nã transcentẽdalis vnitas est maximè intrinseca vnicuique enti, & conuenit ex vi solius entiatis adiuncta negatione, vt ostensum est, vnde remota quantitate intelligitur intrinseca vnitas entitatiua transcendentalis in substantia etiam materiali. Et confirmatur, quia substantia vt est vna per quantitatem, simpliciter loquendo est vna per accidens in genere entis, cùm constet ex rebus diuersorũ prædicamentorũ: substantia autem, vt est vna transcendentaliter, non est vna per accidens, sed per se, alioqui substantia materialis non posset habere in proprio genere vnitatem per se, quod est valdè absurdum. Et hoc etiam probant rectè argumenta, B quæ Gregorius in prædicto loco adducit,

IX. Deinde dicendum est, in quantitate ipsa vnitatem, qua ipsa vna est, non esse aliam à transcendentali explicata ad tale ens, scilicet, quantitatem: hoc etiam rectè probant argumenta Durand. & quæ adduximus inter referendam eius sententiam. Atque ex his sequitur primò vnitatem numeralem seu quantitatiuam respectu quantitatis nihil addere præter indiuisionem, quæ solùm est negatio quędam, vt suprà dictum est. Ita tenent alii authores citati, & Soncin. libro 10. Metaphysicæ quæstione 2. Soto in Prædic. cap. de quant. q. 1. Et hoc probant rationes factæ contra Capreolum & alios. Et patet etiam, quia hæc vnitas est transcendentalis respectu quantitatis: ergo est eiusdem rationis in illa, cuius est in aliis rebus: sicut ergo in aliis entibus vnitas est vniusćuiusque entitas indiuisa: ita in quantitate vnitas eius est ipsamet quantitas, seu continuitas quantitatis vt indiuisæ. Dices, diuisa quãtitate cõtinua amittit̃ eius vnitas|quãtitatiua, & resultat numerus, vt dicitur 3. Phy. & tamẽ non amittitur vnitas trãscendentalis, quia, vt suprà dicebamus, manet eadem en- C titas in singulis partibus diuisis, quam in continuo habebant: ergo sunt diuersæ vnitates. Respondetur negando minorem, quia licet partes diuisæ retineãt eandem entitatem, quam vt partialem habebant in continuo, tamen simpliciter entitas continui non erat posita in illis solis partibus, sed etiam in vnione earum, & termino, quo copulabantur, vel potiùs in toto illo composito, quod ex his omnibus resultabat, cuius vnitas tam quantitatiua, quàm transcendentalis consistebat in toto illo vt indiuiso: vnde illa vnitas ideò per diuisionem destruitur, quia non manet eadem indiuisio, quæ anteà erat, & quia totũ illud in ratione cuiusdam totius dissoluitur.

X. Secundò infertur ex dictis, vnitatem quantitatiuam seu numericam, quatenus substantiæ denominatiuè conuenit, addere supra substantiam rem positiuam sub negatione, scilicet quantitatem ipsam cum iniuisione. Ita intelligendum puto D. Thom. idque rectè annotauit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 13. quæst. 3 sect. 3. ex eodem D. Thom. 4. Metaph. lect. 3. Et patet facilè, quia sicut substantia est quanta per quantitatem sibi adiunctam, ita etiam est vna quantitatiuè propter vnam quantitatem, quam in se habet; item hinc sæpè fit, vt substantiæ, quæ in suo genere non habent transcendentalem vnitatem, aliquo modo dicantur vnũ quantitatiuè, ratione quantitatis, quomodo vna virga dicitur, quæ partim est viridis, partim sicca.

Tertiò tandem constat ex dictis, quomodo se ha- XI
beat vnitas transcendens ad vnitatem quantitatiuã: in nullo enim sensu sunt idem conuertibiliter, vt euidenter probant suprà adducta. Si tamen loquamur de vnitate quantitatiua secundũ se, seu respectu quãtitatis, sicut se habent inferius & superius: nam ostensum est, vnitatem quantitatiuam esse quandam transcendentalem vnitatem, quamuis non omnis vnitas transcendentalis sit etiam quantitatiua. Vnde vnum transcendens reperitur in omnibus prædicamentis: vnitas verò quantitatis in solo vno prædicamento. Si verò loquamur de vnitate quantitatiua, vt accidentaliter & denominatiuè conuenit substãtiæ, vel aliis materialibus accidentibus per quantitatem, sic differt ab vnitate transcendentali: nam hęc est intrinseca, & per se comitans entitatem rei: illa verò est quasi extrinseca, quatenus adiuncta est per aliam entitatem. Quia verò etiã hæc vnitas numeralis respectu substantiæ, realis est, ideò necesse est, vt aliquo modo sub transcendentali contineatur: continetur autem eo modo, quo substantia vt quanta sub ente continetur: sicut ergo substantia adiectione quantitatis accidentaliter quanta est, & ex vtraque resultat ens quoddam per accidẽs compositum, ita accidentaliter etiam vna est, & illa vnitas, quæ ex vtraque resultat, est ẽt per accidens, & proportionata tali composito, & respectu illius est trãscendẽtalis quãuis respectu substantiæ accidentalis sit. Atq; ex his etiam constat, eandem proportionem inter se seruare numerum quantitatiuum, & multitudinem, quam seruant vnum numerale & transcendẽs. Quid verò dicendum sit de ratione numeri, an scilicet proprium genus & speciem entis cõstituat, & an in hoc differat à multitudine, dicendum inferiùs est de quantitate tractando.

Confertur vnitas transcendentalis cum singulari. XII

SEcunda sententia hoc loco examinanda, est quorundam, dicentium vnitatem transcendẽtem esse vnitatem indiuidualem vniusćuiusque singularis entis, quæ dici etiam solet vnitas numeralis, diuersa significatione ab ea, quæ in præcedente opinione tractata est: ibi enim sumebatur vnitas numeralis pro illa, quæ est principium numeri quantitatiui. Nam, quia cognitio nostra à sensu incipit, & per sensum solùm numerare possumus ea, quæ magnitudinem habeant, ideò harum rerum multitudo specialiter numeri nomen accepit: & ideò hoc speciali modo dicitur vnitas fundata in quantitate, vnitas numerica. Hìc verò latiùs sumitur vnitas numerica prout distinguitur contra genericam, vel specificam & reperitur in quolibet ente singulari, & dicitur numeralis, quatenus ex ea multitudo, seu numerus transcendentalis confici potest: indiuidua verò vel singularis dicitur, quatenus vt talis est, incommunicabilis est inferioribus multis, in quo differt ab vnitate formali, tam specifica, quàm generica. Dicit ergo hæc opinio, hanc vnitatem singularem propriam & realem esse passionem entis, seu vnitatem transcendentalem. Fundamentum esse potest: quia vnitas transcendẽtalis, quæ est passio entis realis, esse debet vnitas realis: sed in rebus nulla est vnitas realis præter vnitatem numeralem, ac singularem: ergo, si

Universidad de Deusto
Biblioteca

sola est adæquata passio entis: ergo illa sola est vnitas A trãscendens. Et confirmatur; nã hæc vnitas cõuertitur cum ente reali: nam omne id, quod hoc modo vnũ est, ens reale est. Quamuis enim ens rationis possit dici vnum numero, & sic distinguantur à Dialecticis genera, species & indiuidua in ipsis entibus rationis: tamen illud est quasi æquiuocè per solam extrinsecam denominationem: propriè tamen & in rigore loquendo, quicquid simpliciter vnum numero est, ens reale est; et econtrario omne etiam ens reale singulare est, & consequenter vnum numero: quia non dicitur ens reale, nisi quòd est in rebus, seu quod est capax realis esse; sed in rebus nihil est nisi singulare, neque aliquid est capax existentiæ realis, nisi res indiuidua: ergo ens reale, & vnum numero, seu singulare, conuertuntur: ergo prædicta vnitas singularis est vnitas trenscendens, seu passio entis.

XIII. Hæc verò sententia, si communem loquendi & concipiendi modum attendamus, difficilis, ac singularis videri potest. Nam inprimis Aristoteles 5. Metaphys. cap. 6. textu 11. inter vnitates entis non solùm ponit vnitatem singularem, sed etiam specificam, genericam, & analogam, & vniuersaliter ait; B *Quæcunque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur.* Et lib. 4. text. 6. hinc colligit ad Metaphysicam pertinere de genere, & specie agere, *quia hæc insunt enti*, scilicet, tanquam comprehensa inter passiones eius, non comprehenduntur autem, nisi quatenus sub vnitate continentur. Præterea adæquata passio alicuius communis obiecti non solùm conuenire debet inferioribus contentis sub tali obiecto, sed etiam ipsi communi obiecto secundum se & formaliter sumpto: ergo esse vnũ non tantùm singulis entibus: sed etiam enti, vt sic conuenire debet: sed vt sic non est vnum numero, sed solùm analogicè & ratione formali: ergo. Simile argumentum est, quod de quocunq; dicitur ens, dicitur vnum transcendens, sed ens non solùm dicitur de indiuiduis, scilicet Petro & Paulo, sed etiam de communibus rationibus præcisè sumptis, vt de homine, equo, &c. nam, licet fortasse in his vniuersalitas sit per rationem, vt infrà dicemus; tamen ipsæ naturæ vniuersales reales sunt, & vera entia realia dicuntur, & ita Aristot. lib. 1. Perihcr. cap. 5. distinguit, rerum alias vniC uersales esse, alias particulares: est ergo homo vt sic ens reale: ergo vnus vnitate transcendentali: & tamẽ non est vnus vnitate singulari, & numerica: ergo vnitas transcendentalis latiùs patet, quàm vnitas indiuidua, vel singularis.

Quæstionis resolutio.

XIV. Hæc difficultas multùm pendet ex intelligentia illius difficilis quæstionis de vnitate, & numerali, quomodo differant, & an vtraque sit vera vnitas in rebus existens, & consequenter, an vnitas etiam vniuersalis in rebus sit. Sed quoniam hæc ad exactam huius materiæ explicationẽ figillatim tractanda sunt, nunc breuiter dicitur, vnitatem transcendentalem, de qua nunc agimus, non esse limitandam ad vnitatem singularem, vel vniuersalem, materialem & formalem, sed comprehendere omnem vnitatem, quæ in aliquo ente reali, seu in ratione formali entis realis inueniri potest: Erit ergo vnitas transcendentalis quæcunque ratio entis realis per se, quatenus indiuisa est adæquatè, & secundum se. Dico *entis per se* eo modo suprà explicatum est à nobis esse obiectum Metaphysicæ; nam, si latiùs sumatur, nullam habet vnitatem, etiam formalem, vt dictum est. Dico etiam, *vt indiuisa*, quia nec sola entis ratio, nec sola negatio facit vnitatem; sed, ratio entis indiuisa, vt suprà ostensum est. Deniq; dico; *adæquatè, & secundum se*, quia vnitas in vnaquaque re, seu conceptu obiectiuo reali, secundum propriã eius rationem attendi debet, & non secundum aliquam superiorem, inferiorẽ, aut extraneam: nam hæc aut sunt inadæquata, aut quodammodo per accidens; vnitas verò vniuscuiusque est illi adæquata, & per se illi cõuenit. Vnde homo dicitur vnus essentialiter: quia secundum propriam adæquatam rationem suam, nõ est diuisus in essentiali ratione, quamuis in indiuiduis entitatiuè diuidatur: non dicetur autem homo simpliciter vnus illo modo, cò quòd sit indiuisus in ratione animalis: ea enim indiuisio non sufficeret ad prædictam vnitatem, eò quòd non conueniat homini adæquatè, & per se primo, sed ratione superioris. Ex his ergo satis explicata est ratio vnitatis in communi sumpta. Vt tamen distinctius, & radicitus explicetur, oportet, vt de vnitate indiuiduali, formali, & vniuersali, quæ sunt propriæ vnitates Metaphysicæ, in particulari dicamus.

DISPVTATIO V.

De vnitate indiuiduali, eiusque principio.

TRia in hac disputatione inquiremus; primum, an hæc vnitas omnibus rebus existentibus conueniat; deinde quid in eis sit, ac denique quod principium seu radicem in singulis habeat. Et quoniam hoc vltimum non potest in rebus omnibus eadem ratione explicari, figillatim inquiretur de substantiis materialibus, spiritualibus, & accidentibus.

SECTIO I.

Vtrùm omnes res, quæ existunt, vel existere possunt, singulares sint, & indiuiduæ.

RAtio dubitandi esse potest primò, quia natura diuina, est realiter existens, & tamẽ non est singularis, & indiuidua, cùm secundum fidem sit communicabilis multis. Secundò, vnusquisquisque Angelus est res existens, & tamen non habet hanc vnitatem numericam, & indiuidualem, sed essentialem præcisè, qualis intelligitur esse à nobis in homine vt sic: ergo. Probatur minor, quia vnitas hæc indiuidualis intelligitur aliquid addere supra formalem, seu essentialem, ratione cuius contrahi, & consequenter diuidi potest ratio essentialis in plura indiuidua; sed in Angelo non est hæc additio, sed in eo est tota essẽtia quasi præcisa & abstracta, propter quã rationem non potest secundum numerum multiplicari: sicut, si homo prout abstractè concipitur, sic existeret, nõ posset multiplicari. Tertiò homo in reipsa existit in Petro, & in Paulo, & vt sic non est quid indiuiduum & singulare: ergo non quidquid existit in rerum natura habet hanc vnitatem. Incontrarium est, quod Aristotele sæpissimè contra Platonem docet, quidquid est in rebus, esse indiuiduum & singulare.

Supponendum est, ens indiuiduum, seu singulare opponi enti cõmuni, seu vniuersali, nõ solùm relatiuè, quatenus secundũ mentis cõparatio rationẽ, seu Dialecticam consideration indiuiduum speciei A subiicitur: hoc enim neque omni naturæ indiuiduæ conuenit, vt patet in diuina; neque ad præsentem cõsiderationẽ spectat: opponitur ergò quasi priuatiuè, ferè ad eum modum, quo vnitas multitudini opponitur. Commune enim seu vniuersale dicitur, quòd secundum vnam aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur: vnum autem numero, seu singulare ac indiuiduum dicitur: quod ita est vnum ens, vt secundum eam entis rationem, qua vnum dicitur, non sit communicabile multis, vt inferioribus, & sibi subiectis, aut quæ in illa ratione multa sint: hæc enim in idem incidunt, & significata sunt ab Arist. lib. 3. Met. c. 3. tex. 14. dicente; *Singulare exponimus, quod numero est vnum, vniuersale autem, quod in his.* Et explicantur exemplo: nam humanitas vt sic in suo conceptu obiectiuo non dicit aliquid singulare & indiuiduum, quia ille conceptus de se communis est multis humanitatibus, quæ realiter multæ sunt, & in illis ratiõ ipsa humanitatis multiplicetur. Vnde fit, vt secundum rationem, ratio humanitatis sit superior, & communis multis vt inferioribus: at verò hæc humanitas, verbi gratia Christi, B indiuidua & singularis est: quia tota illa ratio seu cõceptus obiectiuus huius humanitatis non potest esse communis multis, quæ sub illa ratione multa sunt, id est, multis humanitatibus: quòd autem hæc humanitas sit communicabilis Verbo diuino verbi gratia, aut etiam pluribus suppositis, non est contra singularem, & indiuiduam vnitatem eius, quia non cõmunicatur illis, vt superior inferioribus, sed vt forma suppositо, vel suppositis, in quibus secundum propriam rationem non multiplicatur nec diuiditur. Per hanc ergo negationem communicabilitatis seu diuisionis hæc vnitas singularis & indiuidua completur.

III. Quod ampliùs ita confirmatur & explicatur; nam sicut ratio vnius in communi per negationem diuisionis completur, vt cum Arist. explicatum est, ita ratio talis vnius, scilicet, singularis, & indiuidui negatione etiam complẽda est, tum quia non est maior ratio in vno, quàm in alio, tum etiam, quia rationes magis & minus communis, debent seruare proportionem, ita quòd, sicut differentia per se & in eodem ordine contrahit genus, ita in vniuersum determi- C natio se habet ad determinabile, vt per se subordinentur, sicut in præsente fit. Nulla autem alia negatio diuisionis, seu diuisibilitatis excogitari potest, quæ compleat rationem entitatis indiuiduæ & singularis, nisi ea, quæ à nobis explicata est, scilicet, quod entitas talis sit, vt tota ratio eius non sit communicabilis multis similibus entitatibus, seu (quod idem est) vt non sit diuisibilis in plures entitates tales, qualis ipsa est. Hac enim ratione homo, vt sic non est singularis entitas, quia est diuisibilis in plures, in quibus tota ratio hominis reperitur: econtrario verò hæc quantitas bipedalis indiuidua est, quia, licet sit diuisibilis, non tamen in plura, quorum singula talia sint, quale erat totum diuisum, & ita illa est diuisio totius in partes, non cõmunis in particularia. Dices. Hæc ratio indiuidui communis est multitudini, & enti per accidens, quia etiam aceruus lapidum talis est, vt non sit communicabilis multis, nec diuisibilis in plures tales, qualis ipse est; & numerus quilibet in particulari sumptus idem habet: imò & species aliqua, vel genus, verbi gratia, homo, vel animal non sunt diuisibilia in plura, quę sint talia, quale est ipsum diuisum. Respondetur concedendo omnia illa, quæ illam negationem participant, quantum ad id esse indiuidua & singularia; vt hic aceruus lapidum in ea ratione singulare est, & indiuiduum, & similiter hic binarius, vel ternarius, est quoddam indiuiduum talis speciei numeri, & hoc genus, vel hæc species sub ratione generis vel speciei est vnum indiuiduum: tamen hæc tantùm secundum rationem, illa verò solùm in ratione entis per accidens, vel numeri, seu multitudinis eam vnitatem participant. Quocirca, vt prædicta negatio seu indiuisio ad ens, & vnum per se (de quibus agimus) accommodetur, sumenda est, vt adiunctaentitati per se: nam ratio, vt suprà diximus, non consistit in sola indiuisione, sed in entitate indiuisa. Ratio ergo vnitatis per se indiuiduæ & singularis, consistet in entitate seu natura per se vna, & prædicto modo indiuisa, seu incommunicabili. Dices; Saltem hæc aqua non erit singularis, quia est diuisibilis in plura, in quibus tota ratio aquæ reperitur. Respondetur, non esse diuisibilem in plura, quæ sint hæc aqua, quæ diuiditur, sed quæ sint aqua, & ideò hæc aqua singularis est: aqua verò communis.

Quæstionis resolutio.

IV. SIc ergo explicata ratione indiuidui seu singularis entis, dicendum est res omnes, quæ sunt actualia entia, seu quæ existunt, vel existere possunt immediatè, esse singulares ac indiuiduas. Dico *immediatè* vt excludam communes rationes entium, quæ vt sic non possunt immediatè existere, neque habere actualem entitatem, nisi in entitatibus singularibus, & indiuiduis, quibus sublatis, impossibile est, aliquid reale manere, sicut de primis substantiis dixit Aristoteles in Prædicamentis, cap. de substantia. Et ita explicata assertio est per se euidens, quam contra Platonem probat Aristoteles 1. lib. Metaphys. cap. 6. & lib. 7. text. 26. & 27, & sæpè aliàs. Quamquam multi existimant, Aristotelem finistrè fuisse interpretatum Platonis sententiam de ideis, quòd vel illas posuerit in mente diuina, vel certè non re ipsa, sed ratione tantùm formali ab indiuiduis separatas, sed hoc parùm nostra interest: & illud iterum attingemus disputatione sequente. Nunc probatur assertum, quia, quicquid existit, habet certam & determinatam entitatem; sed omnis talis entitas necessariò habet adiunctam negationem: ergo & singularitatem, indiuiduamque vnitatem. Minor patet, quia omnis entitas hoc ipso quod determinata entitas est, non potest diuidi seipsa: ergo nec potest diuidi in plures, quæ tales sint, qualis ipsa est, alioqui tota illa entitas esset in singulis, & consequenter vt est in vna, diuideretur à seipsa, prout est in alia, quod manifestam inuoluit repugnantiam: Omnis ergo entitas hoc ipso quod est vna entitas in rerum natura necessario est vna prædicto modo, atque adeò singularis & indiuidua.

V. Quæ ratio concludit, etiam de potentia absoluta intelligi non posse, vt realis entitas, prout in reipsa existit, singularis, & indiuidua non sit, quia implicat contradictionem, esse entitatem, & esse diuisibilem in plures entitates, quæ sint tales, qualis ipsa est. Alioqui esse posset simul vna & plures entitatiuè, seu secundum eandem realem entitatem, quod inuoluit contradictionem. Et hæc ratio etiam conuincit, vniuersalia nõ posse esse à singularibus separata, quia, si homo vniuersalis existeret extra Petrum Paulum, &c. vel ille esset etiam in Petro & Paulo, vel omnino maneret separatus extra illos: si dicatur hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

posterius iam, homo vt sic esset quædam res singularis, condiuisa à Petro & Paulo: falsò ergo dicebatur vniuersalis. Et præterea sequitur nec Petrũ, nec Paulum esse homines, quia, vt prædicatum essentiale alicui conueniat, necesse est, vt non sit separatum ab illo. Quomodo enim de illo verè dici poterit, si non sit in illo? Aut quomodo intelligi potest, essentialiter constituere eum, in quo non est? Si verò est in Petro & Paulo, vel est idem omnino realiter, & entitatiuè in vtroque, & ita Petrus & Paulus, non erunt duo homines, sed vnus; vel est distinctus secundum rem, & entitatem in vtroque eorum, & sic ille homo vniuersalis & separatus, aut esset quidam tertius cõdistinctus à Petro & Paulo, & sic falsò diceretur esse in illis, & esse vniuersalis, quia non esset, nisi quidam singularis distinctus ab aliis, aut certè, si idemmet esset in vno, & in altero, oporteret esse & distinctus à seipso, & vnus & plures realiter secundum essentiam eandem, prout in re existentem, quæ sunt apertè repugnantia. Hac ergo ratione necesse est, vt omnis res prout à parte rei existit, singularis & indiuidua sit.

Argumentorum responsa.

VI. Vide Durandum, & alios in 1. d. 35.

AD primum non desunt Theologi, qui dicant, diuinã essentiam nec singularem, nec vniuersalem esse. Sed hoc falsum est; nam illa duo includunt contradictionem immediatam: vnde impossibile est, quin alterum eorum conueniat cuilibet enti. Præterea diuina natura est ita in se vna vt multiplicari non possit, aut in plures similes diuidi: est ergo vna indiuidua, & singularis natura ratione cuius ita Deus est vnus numero, vt multiplicari nullo modo possit. Habet ergo diuina natura vnitatem indiuiduam & singularem, cui non repugnat, quod illa natura communicabilis sit tribus personis, quia communicatur eis, non est vniuersali particulari, neque vt superiùs inferiori, sed vt forma, seu natura suppositis, in quibus ipsa, neq; ab ipsis, neque à seipsa diuiditur, quia tota est in singulis, & in omnibus simul, omnino indistincta ab illis: sed de hoc aliàs.

VII. Ad secundum nonnulli Thomistæ (vt attigi super 3. part. Diui Thom. quæst. 4. art. 4.) sentiunt, spirituales naturas existere abstractas in sola veluti specifica essentia, & perfectione absque propria indiuiduali contractione. Sed de hac sententia, & de sensu, quem habere potest, ne dicat rem omnino absurdam & intelligibilem, dicemus commodiùs sectione sequenti, num. 21. nam quod ad præsens spectat, negari non potest, quin omnis natura angelica prout in rerum natura existit, singularis & indiuidua sit. Nam, si ipsa diuina natura, quæ summè immaterialis est, singularis est, & indiuidua, multò magis erit quælibet natura angelica: est enim incommunicabilis non solùm multis naturis, sed etiam multis suppositis, saltem ex natura sua. Deinde ratio conclusionis æquè procedit de qualibet natura, vel entitate spirituali: quia impossibile est, quin tali entitati sit adiuncta negatio communicabilitatis, seu diuisionis talis entitatis in plures sibi similes, quia non potest ipsamet à seipsa diuidi, & esse vna & plures. Denique ad hoc nil refert, quod spiritualis substãtia & natura possit intra eandem speciem secundum numerum multipliari, nec ne. Nam, si potest, necesse est, vt quodlibet indiuiduum illius speciei habeat indiuiduam, & singularem vnitatem, neque ipsa species existere poterit, nisi in aliquo indiuiduo, sicut de aliis vniuersalibus dictum est. Si verò ea multiplicatio indiuiduorum repugnat tali naturæ, hoc ipso talis natura in re existens magis est singularis & indiuidua, quia est magis incommunicabilis, scilicet, quasi essentialiter ad modum diuinæ naturæ. Igitur ad rationem indiuiduæ vnitatis, de qua nunc agimus, sufficit additio prædictæ negationis. An verò ad hanc negationem requiratur additio aliqua positiua supra specificam naturam, dicetur sectione sequenti.

VIII. Ad tertium respondetur, hominem prout existit in rerum natura, singularem esse, quia non est aliud à Petro & Paulo: an verò in eis habeat aliquam distinctionem ex natura rei ab eisdem, seq. sect. & disput. etiam sequenti dicetur.

SECTIO II.

Vtrùm in omnibus naturis res indiuidua & singularis, vt talis est, addat aliquid supra communem, seu specificam naturam.

I. B OStendimus esse in rebus vnitatem indiuiduam, & singularem; nũc declarare incipimus, quid illa sit, quod non potest melius aliter fieri, quàm declarando quid addit addat supra communem naturam, seu quæ à nobis abstractè & vniuersè concipitur.

Referuntur variæ sententiæ.

II. PRima sententia generaliter affirmat saltem in rebus creatis indiuiduum addere cõmuni naturæ modum aliquem realem ex natura rei distinctum ab ipsa natura, & componentem cum illa indiuiduum ipsum. Hæc videtur esse opinio Scoti in 2. dist. 3. quæstione 1. & in Quodlibe. quæstio. 2. & 7. Metaphys. quæst. 16. & ibidẽ Anton. Andr. quæst. 17. quam sententiam videtur defendere Fonseca. lib. 5. quæst. 3. sect. 2. & q. 5. per totam. Et pro ea pugnat acerrimè Ioan. Baptista Monlerius in speciali opere de vniuersalibus cap. 6. Fundamentum huius sententiæ esse potest illud ferè quod, (teste Aristotele) Platonem mouit ad ponendas ideas vniuersalium à singularibus abstractas, scilicet, quia scientiæ & demonstrationes sunt de vniuersalibus, & non de singularibus. Item, quia definitiones essentiales, & propriæ dantur de vniuersalibus, & non de singularibus. Item, quia proprietates, quæ per se insunt rebus, conueniunt illis mediis vniuersalibus naturis, ita, vt verum sit dicere, Petrum esse risibilem, quia homo est risibilis, sicut e contrario prædicata contingentia conueniunt communibus naturis ratione indiuiduorum: homo enim currit, quia Petrus currit: ergo hæc omnia indicant distinctionem aliquam ex natura rei inter indiuiduum & naturam communem: sed hæc distinctio esse non potest, nisi quatenus indiuiduum aliquid addit supra naturam communem, quia includit totam illam: ergo non potest distingui ab illa, nisi vt aliquid addens illi.

III. Secundò argumentor, quia homo verbi gratia, nõ est essentialiter indiuiduum quid: ergo cùm fit indiuiduum, aliquid ei additur extra essentiam hominis: ergo necesse est, vt illud sit ex natura rei distinctum ab homine vt sic Antecedens patet, quia si homo essentialiter esset hoc indiuiduum, non posset in plura multiplicari, imò nec posset concipi absque aliqua indiuiduatione & singularitate, quia non potest res concipi absque eo, quod est de essentia eius

potest

Potest autem concipi homo distinctè, imò & definiri essentialiter absq; aliqua indiuiduatione. Sicut Deus, quia essentialiter est hoc singulare indiuiduum, ideò nec multiplicari potest, nec verè ac propriè concipi, nisi sub hac indiuidua ac singulari ratione concipiatur. Prima verò consequentia videtur per se nota, quia esse indiuiduum aliquid est in rerum natura, & illud non est essentiale naturæ communi, imò neque ipso indiuiduo (vt communiter dicitur) quia omnia indiuidua sunt eiusdem essentiæ: ergo oportet, vt addat aliquid præter communem essentiam. Et hinc probatur facilè secunda consequentia, quia, quod est de essentia, & quod est extra essentiam, videntur ex natura rei distingui; imò eò maximè ita distinguuntur, quorum vnum non est de essentia alterius, sed, id quod indiuiduum addit speciei est extra essentiam eius, vt ostensum est: ergo.

IV. Tertiò; Non eodem formaliter constituitur Petrus vt Petrus, & vt homo, tum quia id, quo constituitur homo, commune est ipsi Petro, & aliis hominibus, quo autem constituitur in esse Petri, est propriumeius: tum etiam, quia aliàs non posset magis concipi homo sub conceptu communi, quàm Petrus. Addiq́ue hîc possunt omnia argumenta, quibus probari solet, vniuersalia ex natura rei distingui ab inferioribus, quæ partim suprà attigimus agentes de conceptu entis, partim attingemus disputatione sequenti.

V. Secunda sententia extremè contraria est, indiuiduum nihil omnino addere communi naturæ, quod positiuum & reale sit, aut re aut ratione distinctũ ab illa, sed vnamquamque rem vel naturam per se esse indiuiduam primò & immediatè. Ita sentiunt nominales in primo distinctione 2. vbi Ocham quæst. 4. & 6. & Gabriel quæst. 6. 7. & 8. tribui etiam potest hæc opinio Henrico Quodl. 5. quæst. 8. vbi sentit indiuiduum solùm addere speciei negationem, de qua sententia dicemus plura sectione sequenti opinione 3. Fundamentum est, quia nihil potest intelligi reale, quod singulare non sit, vt probatum est sect. præ. ergo repugnat, quod res fiat singularis per additionem alicuius realis suprà naturam communem. Secundò, quia nulla res fieri potest vna per realem additionem alicuius positiui, vt suprà ostensum est: ergo neque singularis & indiuidua. Patet consequentia, tum quia singularitas est quædam vnitas, tum etiam, quia vera ac realis vnitas nulla est præter vnitatem singularem, & indiuiduam. Tertiò, quia vel id, quod additur est essentiale vel accidentale: si essentiale, sequitur, speciem diuidi posse per essentiales differentias contra Porphyr. capite de Specie: vnde vlteriùs sequitur indiuidua essentialiter differre, & speciem non dicere totam essentiam, seu quidditatem indiuiduorum, quod est contra Porphyr. & omnes Dialecticos. Denique sequitur, indiuidua posse, & debere definiri propria & adæquata definitione essentiali, contra Aristot. 7. Metaphys. textu 53. Si verò id, quod additur, est accidentale, sequitur indiuiduum esse ens per accidens: sequitur etiam accidens non aduenire subiecto indiuiduo, sed constituere illud, quod impossibile est, quia, si vnum ex alio indiuiduatur, potiùs accidens à subiecto, quàm econuerso, indiuiduationem accipit.

VI. Tertia sententia potest distinctione vti inter res spirituales & materiales: nam in materialibus res singularis nihil addit supra naturam communem; in materialibus verò aliquid. Quæ distinctio videtur fundata in Aristotele 7. Metaphys. cap. 11. textu 41. vbi dicit in rebus immaterialibus non distingui, quod quid est, ab eo cuius est: in materialibus verò distingui, vbi per *quod quid est* intelligit essentiam, seu definitionem essentialem, quæ comparari potest & ad definitum ipsum, & indiuidua, in quibus tale definitum, & definitio existit. Priori modo ea contulit Aristotel. 7. Metaphys. cap. 6. textu 20. & 21. & generatim docuit in entibus per se, quod quid est, esse idem cum eo, cuius est, seu definitionem cum definito, quia eandem dicunt essentiam: solùmq́ue differunt in confuso, vel distincto modo, quo concipiuntur. Quod commune est tam substantiis simplicibus, quàm compositis, & accidentibus, si quatenus sunt per se vnum definiantur. Nam entia per accidens, vel definiri non possunt vna definitione, vel, si aliquo modo definiantur per modum vnius rationeformæ accidentalis, illa definitio est aliquo modo distincta ab eo subiecto, cui attribuitur Posteriori autem modo, qui ad præsens spectat, comparantur ab Aristotele in altero loco citato, & hoc modo ait, in rebus immaterialibus idem esse quod quid est. id est, essentiam specificam, quæ definitio explicatur, cum eo, cuius est, id est, cum indiuiduo, seu re singulari, quod secus esse ait in rebus compositis ex materia & forma. Sentit ergo, rem immaterialem seipsa esse indiuiduam absque additione vlla, materialem verò non ita, sed fieri hanc indiuiduam per aliquam additionem; atque ita exponunt hunc locum Diuus Thomas & alij. Et 3. de anim. text. nono, ait Aristotel. in rebus quibusdam aliud esse rem, supple indiuiduam ab specifica quidditate rei, quod ipse dicit illis verbis; *Aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse*: subdit verò non in omnibus rebus inueniri hanc distinctionem, quod omnes expositores intelligunt, dictum esse propter res immateriales, in quibus indiuidua nihil sunt, nisi naturæ ipsæ specificæ subsistentes. Ita Auerroes, Philop. & latè Diuus Thomas. Vnde hanc sententiam videtur docere idem Diuus Thomas 1. parte quæst. 3. articulo 3. & de ente & essentia cap. 5. quibus locis Caietan. & 3. part. quæstione 4. articulo 4. idem sentit, & videtur esse recepta sententia in schola Diui Thomæ, vt ex his, quæ referemus sectione 4. magis constabit. Nam ex ibi tractandis sumendum est fundamentum huius sententiæ, scilicet, quia substantiæ immateriales, cùm nec materiam habeant, nec ad illam dicant habitudinem, nihil etiam in eis excogitari potest, quòd addant suprà essentiam: & ideò se ipsis sunt indiuiduæ: at verò in rebus compositis additur materia signata, ex qua sumi potest aliquid, quod indiuiduum addat supra speciem.

Punctus difficultatis aperitur.

VII. PRimò indubitatũ est apud authores omnes, indiuiduum addere supra naturam communem, negationem aliquam formaliter complentem, seu constituentem vnitatem indiuidui. Hoc per se notum est ex ratione vnitatis suprà explicata, adiunctis his, quæ sectione præcedente notauimus circa rationem seu quid nominis indiuidui. Quin potiùs, si formaliter loquamur de indiuiduo quatenus tali modo vnum est, negationem addit in suo conceptu formali, non solùm supra naturam communem abstractè & vniuersè conceptam, sed etiam supra totam entitatem singularem præcisè conceptam sub ratione positiua, quia tota hæc entitas nõ cõcipitur, vt vna singulariter, & indiuidua, donec cõcipiatur, vt incapax diuisionis in plura eiusdẽ rationis. Difficultas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cultas ergo præsens nõ est de hac negatione, siue illa formaliter pertineat ad rationem huius vnitatis, siue non; nam de hoc etiam sunt opiniones, de quibus iam diximus præcedente disputatione, quid verius existimemus; sed est difficultas de fundamento illius negationis; nam cùm non videatur posse fundari in sola communi natura, illa enim de se indifferens est, & non postulat talem indiuisionem in plura similia, sed in ea potiùs diuiditur, ideò inquirimus, quid sit in re singulari, & indiuidua, ratione cuius ei conueniat talis negatio.

Quæstionis resolutio.

VIII. Dico primò; Indiuiduũ aliquid reale addit præter naturam communem, ratione cuius tale indiuiduum est, & ei conuenit illa negatio diuisibilitatis in plura similia. In hac conclusione cõuenimus cum Scoto, sumiturque ex D. Thoma 1. part. quæst. 40. art. 2. dicente, vbicunque est aliquid commune multis, oportere esse aliquod distinctiuum. Et 1. cõtra Gentes cap. 42. ratione 7. ait, illud distinctiuum debere esse aliquid additum intentioni communi. Et Thomistæ non dissentiunt ab hac conclusione, vt patet ex Caietano, lib. 1. Posterior. cap. 4. de ente & essentia, cap. 4. Sonci. 7. Metaph. quæst. 31. Capreol. 2. distinct. 3. quæst. 1. Heruæo, Quodlibeto 3. quæst. 9. Soto in logi. quæst. 2. vniuersalium. Et probatur ex his, quæ proximè diximus: nam communis natura de se non postulat talem negationem, & tamen illi naturę, vt in re existit, & facta est hęc, per se & intrinsecè conuenit talis negatio: ergo additum est ei aliquid, ratione cuius illi adiuncta est, quia omnis negatio ab intrinseco, & necessario conueniens alicui rei, fundatur in aliquo positiuo, quod non potest esse rationis, sed reale, quandoquidem illa vnitas, & negatio ipsi rei verè, & ex se conuenit. Vel aliter proponi hæc ratio potest, quia natura specifica secundum se, & quatenus est proximum obiectum conceptus communis hominis, leonis, &c. nihil habet repugnans communicabilitati; & ideò dicitur negatiuè indifferens, vt infrà videbimus: per hanc autem indiuiduationem tollitur hæc eius indifferentia, & fit incapax talis diuisionis, quatenus singularis effecta est: ergo necesse est, vt intelligatur aliquid positiuum ei esse additum, ratione cuius hoc ei repugnat. Denique Petrus & Paulus conueniunt in communi natura, & differũt inter se in propriis rationibus: ergo illas addunt naturæ communi: sed illæ positiuæ sunt; non enim constituuntur negationibus in ratione talis substantiæ, ergo. Idem etiam concludunt argumenta, quæ ad confirmandam opinionem Scoti adducta sunt.

IX. Dico secundò; Indiuiduum, vt sic, non addit aliquid ex natura rei distinctum à natura specifica, ita vt in ipso indiuiduo, Petro, verbi gratia, humanitas, vt sic, & hæc humanitas, vel potiùs id, quod additur humanitati, vt fiat hæc (quod solet vocari hæcceitas, vel differentia indiuidualis) ex natura rei distinguantur; & consequenter faciant veram compositionem in ipsa re. In hac assertione conuenire debent omnes, qui opinionem Scoti impugnant, vt sunt Caietanus de ente & essentia, quęstione quinta, & prima parte, quæstione quinta, artic. 6. Soncin. 7. Metaphysic. quæstione 3. Niph. lib. 4. Metaph. disputatione 5. & alij. Qui tamen non satis distinguunt, an impugnent Scotum quoad totam sententiam, etiam quoad additionem differentiæ indiuidualis supra specificam, vel solùm quoad distinctionem ex natura rei: & argumenta eorum videntur esse vtriquè parti communia, & ideò non sunt admodum efficacia. In eadem assertione necesse est conueniant, qui negant, naturam esse à parte rei vniuersalem, vt sunt grauiores Philosophi & Theologi, & tota schola D. Thom. vt videbimus disputatione sequente. Quod autem vnum ex alio consequatur, patet, quia, si in ipsis indiuiduis id, quod addit indiuiduum supra naturam communem, est distinctum ex natura rei ab illa: ergo & econuerso ipsa natura in re ipsa præscindit à tali addito, seu differentia indiuiduali; atque adeò à parte rei natura & hæcceitas sunt duo, si non vt duę res, saltè vt res & modus: ergo vnaquæque earum habet per se vnitatem suam, quia nõ potest intelligi, quod aliqua sint duo, nisi sint vnum & vnum: numerus. n. supponit vnitates: ergo illa natura vt præcisa à differẽtia indiuiduali habet in reipsa vnitatẽ, ergo vel vnitatẽ indiuidualẽ, vel vniuersalẽ. Primum dici non potest, iuxta prædictam sententiã, alioqui natura esset indiuidua ante differentiam indiuidualem, & ita superfluè talis differentia adiungeretur; ergo iuxta hanc sententiam necessariò dicendum est, naturam illam, prout in reipsa præscindit, & ex natura rei distinguitur à differentia indiuiduali, habere vnitatem vniuersalem, quod esse impossibile intelligi potest ex dictis, sectione præcedente, & latiùs infrà ostendemus.

X. Responderi potest iuxta doctrinam Scoti, naturam, vt in re præcisam ab indiuiduatione, nec habere vnitatem indiuiduam, neque vniuersalem, sed vnitatem formalem, quæ est veluti media inter prædictas vnitates, & nihil aliud est, quàm vnitas essentiæ, quæ per definitionem explicatur. Sed contra primò, quia, licet in tali natura hæc vnitas formalis possit ratione distingui ab vnitate indiuiduali, tamen concipi non potest, quod à parte rei sit secundum entitatem suam præcisa, & ex natura rei distincta ab vnitate indiuiduali, & quod, vt sic etiam careat vnitate vniuersali. Probatur, quia vel illa vt sic est communis, vel incommunicabilis; hæc enim duo immediatè opponuntur: si incommunicabilis, est indiuidua, si communis est vniuersalis. Item, vel natura illa, quæ in Petro est distincta ab hæcceitate Petri, est per seipsam realiter distincta à natura, quæ est in Iohanne, prout etiam in illo distinguitur ex natura rei ab eius hæcceitate, vel vt sic non est distincta; si hoc secundum dicatur, erit illa natura cõmunis; si verò dicatur primum, necesse est illas naturas, vt sic esse indiuiduas & singulares, quia non differunt nisi vt distincta numero, & realiter intra eandem speciem.

XI. Atque hinc argumentor secundò directè ostendendo, non posse esse talem distinctionem in rebus, quæ sit vera & actualis distinctio ex natura rei, antecedentẽ omnem operationem intellectus; nam omnis talis distinctio esse debet inter reales entitates, aut inter realem entitatem, & modum eius. Et quidem, si sit priori modo, erit distinctio realis, quæ necessariò supponet vnamquamque entitatem in se singularem, & indiuiduam, quod est per se notum; & ita à nemine negatur, quia distinctio entitatum, supponit vtramque entitatem in se constitutam; atque adeò vnam, & singularem. Si autem distinctio sit inter entitatem, & modum eius, qualis hic esse dicitur, vt sit vera distinctio ex natura rei, necesse est, quòd talis entitas præciso modo intelligatur in reipsa habere veram entitatem realem, alioqui intelligi non posset distinctio ex natura rei inter talem modum

modum & entitatem. Quia vel modus ille intrinsecè & formaliter constituit entitatem illam, vel non: si constituit, ergo non distinguitur ex natura rei ab illa, quia intrinsecè & essentialiter includetur in illa, ita, vt nihil concipi possit in illa entitate, quòd non includat illum modum: si autem modus ille non intelligitur ita intrinsecè, & formaliter constituere talem entitatem, necesse est, vt intelligatur supponere illam in sua entitate constitutam, & realiter aduenire illi, & modificare illam, cùm ponatur in reipsa distinctus ab illa. Impossibile autem est, intelligere hunc modum distinctionis inter differentiam indiuidualem, & naturam communem: ergo. Probatur minor, quia, si præciso illo modo intelligitur natura habere entitatem suam: ergo illa entitas per seipsam, & vt est prior illo modo, debet necessario esse singularis & indiuidua: ergo non indiget indiuiduatione superaddita, nec potest ab illa ex natura rei distingui: sicut, si linea non posset intelligi constituta in ratione lineæ absque rectitudine, non posset rectitudo concipi, vt modus ex natura rei condistinctus à linea, & adueniens illi: si autem nunc concipitur modus ex natura rei distinctus, ideò est, quia potest concipi linea in reipsa existens, & constituta in ratione lineæ absque tali modo.

XII. Probatur autem prima consequentia, quia omnis entitas in rebus existens necessario esse debet seipsa singularis & indiuidua: Primò, quia, vt sic intelligitur esse extra causas suas, & habere actualitatem realem & existentiam: ergo vt sic intelligitur singularis, quia nihil potest terminare actionem causarum, vel capax esse existentiæ, nisi quod singulare sit. Secundò, quia talis entitas, vt sic concepta ante modum à se distinctum est incommunicabilis multis inferioribus, seu eiusdem rationis, quia nec diuidi potest à seipsa, nec fieri plures: ergo iam vt sic est indiuidua. Tertiò, quia ille modus hecceitatis, qui constituit Petrum, est singularis & proprius eius, & dicitur cõstituere & componere Petrum modificando naturam: ergo, si illa modificatio est per veram distinctionem, & compositionem, quæ in re sit, oportet, vt illi modo, qui est veluti quidam actus particularis, respondeat etiam particularis entitas per modum potentiæ actuabilis: ergo illa entitas, quæ supponitur tali actui debet esse indiuidua & particularis. Quod explicatur quantò; nam in Petro & Paulo, verbi gratia, est duplex compositio ex natura communi & differentia indiuiduali: ergo in vtroque est distincta realiter non solùm differentia indiuidualis vnius à differentia indiuiduali alterius, sed etiam entitas naturæ, quæ est in vno, ab entitate naturæ, quæ est in alio: ergo distinguuntur illæ duæ naturæ intrinsecè, & entitatiuè tanquam duæ res singulares, etiam præscindendo per intellectum differentias indiuiduales, quia non potest intelligi realis distinctio inter actuales entitates, nisi quatenus indiuiduæ & singulares sunt.

XIII. Dices, distingui quidem per differentias indiuiduales, sicut duæ materiæ dicuntur distingui per formas, vel quantitates. Sed de hoc exemplo dicemus post à: in vniuersum enim existimo fieri non posse, vt vna res distinguatur realiter ab alia per aliã à se distinctam, sed per suammet entitatem, per quã in tali esse constituitur: quia seruata proportione per illud res distinguitur, per quod constituitur. Sed in præsente est hoc manifestum, quia, in Petro & Paulo sunt duæ differentiæ indiuiduales inter se realiter distinctæ, & vnaquæque earum actuat naturam realem, à qua distinguitur ex natura rei, & cum qua componit suum indiuiduum omnino realiter distinctum ab alio, non solùm quoad differentiam, sed etiam quoad totam entitatem naturæ: ergo necesse est, vt etiam præcisis per intellectum ipsis differentiis id, quod manet à parte rei in Petro & Paulo, sit distinctum realiter, atque adeò singulare: alioqui dicendum esset, rem aliquam omnino realiter eandem contrahi per differentias indiuiduales in Petro & Paulo. Neque enim satis est dicere, non eãdem naturam realiter contrahi, sed eandem formaliter: nam hæc idẽtitas formalis, prout in re esse potest, solùm est similitudo quædã, quæ supponit realem distinctionem, & consequenter indiuiduationem eorum quæ similia dicuntur; prout verò concipitur per modum vnitatis, non est vnitas realis, sed rationis tantùm per denominationem à conceptu mentis, vt posteà dicemus.

XIV. Quintò potest hoc declarari, quia illæmet differentiæ indiuiduales Petri & Pauli inter se realiter distinguuntur, tanquam duæ res incompletæ, singulares tamen & indiuiduæ eo modo quo sunt, & nihilominus inter se habent similitudinem, & conuenientiam, quia reuera similiores sunt inter se, quàm cum differentia indiuiduali equi, vel leonis, & in eis non oporteret distinguere ex natura rei aliquid, in quo sint similes & in quo distinguãtur, alioqui procederetur in infinitũ, q. in rebus seu modis ex natura rei distinctis est incõueniens, vt suprà in simili dictum est; ergo idem dici poterit de ipsis indiuiduis Petro & Paulo, quod licet inter se distinguantur, & similes sint, non oportet in eis distingui ex natura rei id, quo sunt similes, & id quo distinguuntur: ergo non est cur distinguatur ex natura rei differentia indiuidualis, vel ex natura communi, tanquam ab extremo componente indiuiduum, vel à toto indiuiduo, tanquam ab integro composito. Nec refert, si quis respondeat, illas differentias indiuiduales esse simpliciores, & esse id, quo indiuidua constituuntur & distinguuntur, & ideò magis posse seipsis distingui, quia, licet fortasse quoad distinctionem, seu cõceptus mentis hoc aliquid conferat, vt statim dicam: tamen si distinctio hęc esset in rebus, argumentum vrgeret, quia illæ differentiæ considerandæ sunt tanquam duo modi reales, à parte rei existẽtes, & distincti ex natura rei à qualibet alia entitate, quia, sicut habent effectus quasi formales numero distinctos, scilicet, constituere hoc, vel illud indiuiduum, ita etiam sunt numero distincti. Et quamuis sint *quo* respectu indiuiduorum, tamen quatenus in se sunt aliquid, & realia entia, licet incompleta, sunt etiam *quod* saltem incompletè, vt in simili suprà notauimus tractando de conceptu entis, vt notauit etiam Caietan. 1. part. quæst. 11, art. 1. circà ad 1. Et tamen cũ hac distinctione & simplicitate habent inter se conuenientiam realem in cõmuni ratione talium modorum, vt idem Caietanus ait, de ente & essentia, quæst. 5. ergo, vel in his etiam distinguenda est ratio communis à propriis, vel certè fallax est talis modus argumentandi in quocunque indiuiduo. Aliqui respondent, inter has differentias indiuiduales non esse conuenientiam realem à qua possit abstrahi communis conceptus, sed hoc difficile creditu est, de quo dicetur, generaliter disputatione sequenti.

XV. Atque hinc sumitur sexta ratio, quia tota illa distinctio, quæ fingitur esse ex natura rei inter naturã & indiuiduum, sumpta est ex modo concipiendi & loquen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquendi & ex conuenientia & distinctione, quæ inter ipsamet indiuidua reperitur: hoc autem signum nullum est ad indicandam distinctionem ex natura rei: & aliunde sunt multa, quę vrgentiùs indicãt, nullam esse in re talem distinctionem: ergo. Maior constat ex argumentis factis in fauorem Scoti. Minor quoad primam partem patet, tum exemplo adducto de ipsis differentiis indiuiduantibus, tum ex suprà tractatis de conceptu entis; de quo eadem fere argumenta siunt; tum quia aliàs oporteret ex natura rei distinguere omnes cõmunes conceptus à particularibus, quod infrà ostendam esse falsum. Tandem cõstabit ampliùs hæc pars ex solutionibus argumentorum. Altera verò pars minoris satis probata est argumentis factis. Quæ vltimò confirmatur à signo inseparabilitatis; nam ea quæ, licet diuerso modo concipiantur à nobis, ita se habent in re, vt neutrum ab altero separetur, vel separari possit etiam de potentia absoluta, sine causa finguntur ex natura rei distincta, vt infrà latiùs dicam in disputatione de distinctionibus: sed ita se habẽt in Petro ratio hominis, & propria indiuiduatio Petri, vt separari nullo mõ possint, nec talis modus, à natura, nec natura prout est in Petro à tali modo: ergo. Neque quicquam iuuat dicere rationem hominis esse separabilem à Petro, quia potest esse in Paulo, quia hoc non est considerare rationem hominis prout realiter existit, sed solùm prout mente concipitur, & ideò non satis est ad distinctionem ex natura rei, quæ esse debet inter ea: quæ à parte rei sunt, si est distinctio inter res positiuas, vel inter rem & modum realem positiuum. Vnde illa distinctio, quæ intelligitur inter rationem communem abstractè intellectam, & indiuiduum, solùm est rationis, quia illa natura vt sic nullibi est, nisi obiectiuè in mente. Quod si quis illam vocet distinctionem formalem, quia aliam definitionem concipit mens de homine vt sic, & aliam de Petro, faciet quæstionem de voce: quia, quod ad rem spectat, illa distinctio non ita est in re, vt in Petro vel Paulo intelligantur illa ex natura rei distincta, vel compositionem in re facere, vt ostensum est.

XVI. Dico tertiò, indiuiduum addere supra naturam communem aliquid ratione distinctum ab illa, ad idem prædicamentum pertinens, & indiuiduum cõponens metaphysicè, tanquam differentia indiuidualis contrahens speciem, & indiuiduum constituens. Prima pars huius assertionis sequitur ex duabus præcedentibus: nam dictum est in prima, indiuiduum addere aliquid naturæ communi, & in secunda negatum est illud esse distinctum ex natura rei: ergo necessarium est, vt saltem ratione distinguatur, quia, si nullo modo distingueretur, nullo modo adderetur. Nec verò inde sequitur id quod additur, esse aliquid rationis: nam sicut est aliud distingui ratione, aliud verò esse tantùm rationis, fieri enim potest, vt quæ realia sunt, sola ratione distinguantur: ita etiam id, quod additur, potest esse reale, sicut reuera est, quamuis sola ratione distinguatur. Dices illa additio est tantùm per rationem: Respondeo, quoad rem additam nego, quoad modum additionis, seu contradictionis, aut compositionis concedo: nam sicut separatio naturæ communis à differentiis indiuiduis est solùm per rationem, ita econuerso, quòd differentia indiuidualis intelligatur, vt addita naturæ communi, solùm est per rationem: nam in re non est illa propria additio, sed in vnoquoq; indiuiduo est vna entitas, vtramque rationem per seipsam realiter habens.

Secunda pars conclusionis etiam sequitur apertè ex dictis, sumiturque ex D. Thoma, 1. part. quæst. 29. art. 1. vbi ait subsstantiam indiuiduari per seipsam, & quæst. 10, de Potent. art. 3. negat posse substantiam per accidens constitui: non est ergo hoc additum extra genus ipsius rei, sed in substantiis est substantia, saltem incompleta, quia in re non est nisi ista substantia indiuidua. Tertia denique pars facilè patet, quia hoc additum non est pars aliqua physica substantiæ, quia prædicatur de indiuiduo, vt dicens totam essentiam eius, quam non dicit pars physica, & ideò non prædicatur de toto. Nec est aliquid per modum totius directè positi in prædicamento substantiæ: est ergo quid incompletum per modũ differentiæ. Iem contrahit naturam communem, illamque diuidit in indiuidua, & constituit Metaphysicè ipsum indiuiduum, vt per se vnum in suo genere. XVI

Sed contra hanc conclusionem obiici potest ratio quædam facta in præcedenti: nam, si indiuiduum addit aliquid, saltem tatione distinctum, sequitur processus in infinitum in conceptibus obiectiuis ratione distinctis, quod etiam suprà in simili reputauimus inconueniẽs: sequela patet, quia indiuiduum dicitur addere supra speciem aliquid ratione distinctum, quia conuenit cum alio indiuiduo in ratione specifica, & differt in indiuiduali, sed ipsa etiã differentia indiuidualis conuenit cum alia simili differentia in ratione communi, & differt numero ab illa: ergo addit etiã secundũ rationem aliquid ratione distinctum supra cõmunem rationẽ talis differentiæ, & rursus de illo addito fiet idem argumentum, & sic in infinitum. Respondeti potest primò, in his nostris conceptibus non esse magnum inconueniens admittere huiusmodi processum, quia patitur intellectus, quæ reipsa omnino indiuisibilia sunt, & ideò mirum non esset, si intellectus in his diuisionibus seu conceptibus in infinitum procedere posset. Secundò posset aliquis ita philosophari de conceptu speciei, & indiuidui, sicut nos suprà de conceptu entis, & inferiorum eius ratiocinati sumus: diximus enim inferiora addere suprà ens aliquid ratione distinctum: ita tamen; vt conceptus inferior immediatè contentus sub cõceptu entis, non sit propriè resolubilis in duos conceptus, sed sit tantùm conceptus simplex magis expressus, & determinatus, quàm conceptus entis: sicut ergo in præsente dici potest, conceptum indiuidui non esse propriè compositum & resolubilem in conceptum alterius modi, seu differentiæ indiuidualis, sed esse solùm expressiorem conceptum ipsius naturę specificę prout in re existit in tali entitate, in qua nec concipi potest talis entitas neque aliquid illius entitatis, quin talem specificam rationem includat, neque ipsa ratio specifica potest, vt in re existit, distinctè concipi, nisi vt in tali, vel tali entitate contracta. Et hac ratione facilè vitatur processus in infinitum, vt constat ex dictis in simili de ente. XV

Sed videri potest hic respondendi modus parum consentaneus communi modo concipiendi & loquendi Philosophorum, qui hanc contractionem speciei ad indiuidua explicãt per modum metaphysicæ compositionis. Et non sine ratione videtur hoc communiter affirmari, quia etiam genus & differentia non distinguuntur in re, in qua coniunguntur, vt infrà ostendemus, & nihilominus propter varias cõuenientias, & disconuenientias, quæ inter plures res reperiuntur, intellectus diuersos conceptus format generis XVII

generis & differentiæ, quorum vnus in alio non includitur: sic ergo facere etiam potest inter speciem & indiuidua; est enim ferè eadem proportio eorum inter se, & idem discrimen à conceptu entis. Nam ille est transcendens, & ideò non potest propriè contrahi per modum compositionis, neq; aliquid ei secundum rationem addi, in quo ille non includatur; at verò conceptus speciei (sicut & conceptus generis) est ex se limitatus, & non transcendens, & ideò non est necesse, vt includatur in omni conceptu determinatiuo illius: poterit ergo per modum compositionis contrahi, & consequenter poterit etiam indiuiduum resolui in conceptum speciei, & differentiæ indiuidualis: illa enim non est homo, nec Petrus, verbi gratia, sed differentia contrahens hominem & constituens Petrum. Dices, etiam esse differentiam inter genus & speciem, quia ratio generica nõ solùm vt abstracta & vniuersalis facta in mente, sed etiam prout in reipsa existens potest mente præscindi, & ratione distingui à differentia specifica, vt infrà videbimus: ratio autem specifica non potest distingui etiam ratione à differentia indiuiduali, nisi prout abstracta, & vniuersalis facta in mente, quia vt in re existens non potest concipi, nisi vt includens indiuiduationem, & quia omnis compositio, etiam secundum rationẽ intelligi debet in re prout actu existit, ideòque faciliùs intelligitur talis compositio inter rationem genericam & specificam, quàm inter specificam & indiuidualem, sed hoc non obstante non est negandailla Metaphysica compositio indiuidui, quia ad illam satis est, vt specifica ratio possit mente præscindi, vt non inclusa in ista differentia indiuiduali. A B

XX. Et ideò admisso illo genere compositionis & resolutionis indiuidui, respondetur tertiò, non oportere progredi in infinitum; nam eadem mens, quæ concipit indiuiduum, vt compositum ex conceptu obiectiuo speciei, & differentia indiuiduali, cõcipit differentiam indiuidualem vt omnino simplicem, & irresolubilem, quia non concipit illam sub conceptu speciei, sed differentiæ tantùm, de cuius ratione est, vt sit simplex, & non composita ex ratione communi, & alia differentia contrahente. Sicut videre licet in ipsis etiam differentiis specificis, vel subalternis: sensibile enim, vel rationale formaliter non componuntur ex aliis differentiis, sed hoc ipso, quod sunt rationes differendi, seipsis ab aliis differunt: sic ergo concipiendæ etiam sunt differentiæ indiuiduales, in quibus quoad hoc potest admitti modus ille determinandi ens ad seipsas per simplicem determinationem conceptus absque compositione. Et illa ratio differentiæ indiuiduales, quatenus vt realis & communis ratio concipi potest, erit etiam veluti transcendens ad singulas differentias indiuiduales, quia nihil in eis concipi poterit, in quo talis ratio non includatur, & ideò illa etiam ratio communis determinabitur ad singulas differentias non per nouam compositionem, sed per simplicem determinationem conceptus magis expressi & determinati, & ita cessat vlterior resolutio & processus, C

XXI. Dico quartò; Indiuiduum non solùm in rebus materialibus, & accidentibus, sed etiam in substantiis immaterialibus creatis & finitis addit aliquid ratione distinctum supra speciem. Excludimus ab hac cõclusione diuinam naturam, quia cùm illa sit essentialiter ita determinata ad hanc numero naturam, vt omnino ei repugnet secundum eam multiplicari, non potest etiam secundum rationem (si vera sit) abstrahi communis ratio Deitatis à tali Deitate. nam hoc ipso, quod sic abstrahitur, non concipitur vera Deitas, quia de vero conceptu Deitatis est, vt sit hæc numero, & non alia; quia hoc requirit eius infinitas. Et hinc consequenter fit, vt hæc indiuidua Deitas nihil etiam secundum rationem addat supra conceptum veræ Deitatis. Vnde meritò reprehenditur Caietanus, eò quòd 1. part. quæst. 3. art. 3. & aliis locis dixerit, Deum vno modo sumi posse, vt significat concretum, quasi specificum naturæ diuinæ. Nam talis conceptus verè communis, repugnat veræ diuinitati, de cuius essentia est, quòd sit hęc singularis natura, & ideò nõ magis potest verus Deus communi conceptu concipi, & abstrahi ab hoc Deo, quàm Petrus. A B C

XXII. Ex hac verò exceptione, quæ singularis est, Deoq; spcialiter conuenit propter infinitatem eius, confirmatur conclusio posita, & generalis regula contraria in omnibus creaturis, etiamsi immateriales sint. Probatur, quia in qualibet substantia immateriali indiuidua, & finita, verbi gratia Gabriele Archangelo concipit mens, & hoc indiuiduum, quatenus cõcipit hanc numero entitatem, & rationẽ essentialẽ, & specificam eius, quæ non includit essentialiter hãc numero entitatem, nec positiuam repugnantiam, vt communicari possit alteri indiuiduo: ergo ibi concipit mens aliquid commune, & aliquid, quod secũdum rationem ei additur, vt ad hoc indiuiduum determinetur: ergo quoad hoc præcisè non est differentia inter substantias immateriales, & alias res. Dicetur fortasse, quamlibet essentiam, seu speciem Angelicam, essentialiter, & ab intrinseco determinari ad hoc indiuiduum, & consequenter hoc indiuiduum nihil positiuum reale, etiam ratione distinctũ addere supra ipsam speciẽ, sed solam negationem communicabilitatis in plura similia, quæ immediatè conuenit tali speciei, ratione sui ipsius absque additione vlla.

XXIII. Hic sanè videtur fuisse sensus authorum quos citaui in tertia sententia, & idem sentiunt, qui negant, Angelos solo numero differentes posse intra eandem speciem creari, etiam de potentia absoluta: nõ enim alia ratione potest hoc denegari diuinę potentiæ, nisi quia existimatur esse contra intrinsecam, & essentialem rationem talis naturæ. Habet autem illa sententia fundamentum in D. Thom. 1. parte, quæst. 50. artic. 4. & quæst. de spiritualibus creaturis, art. 8. & 2. cont. Gentes, 95. de ente & essentia c. 5. vbi Caietanus id tenet quæst. 9. & Capreol. in 2. dist. 3. quæst. 1. concluf. 5. & Abulens. Paradox. 4. cap. 34. Et videtur multùm fauere Arist. 12. Metaph. tex. 49. & Auicen. 5. Metaph. cap. 5.

XXIV. Sed hæc sententia inprimis supponit materiam signatam esse adæquatum principium illius indiuiduationis, in qua indiuiduum addit aliquid positiuum ratione specificæ, quæ potest dici indiuiduatio positiua: hæc autem suppositio in prædicto sensu falsa est. Maior constat apertè ex prædictis authoribus. Et ratio eius est clara, quia non ob aliam causam negant huiusmodi indiuiduationem in prædictis substantiis, nisi quia materia carent: ergo supponunt materiam vel secundum se, vel vt signatam quantitate, esse, adæquatam radicem talis indiuiduationis, vt ex illo principio, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*, inferant ex carẽtia materiæ carẽtiã prædictæ additionis seu indiuiduationis. Minor verò propositio probabitur latè sectio. sequenti etiam in substantiis meterialibus. Sed quamuis daremus in materialibus substantiis huiusmodi indiuidua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uidualem differentiam sumi à materia, non posset A efficaciter inferri materiam esse adæquatum principium illius differẽtiæ in tota latitudine entis creati: habent enim diuersæ substantiæ diuersa principia suis naturis accommodata, neque ex modo compositionis aut indiuiduationis in rebus exterioribus inuento potest sufficiens argumentum sumi ad res superioris rationis: alioqui eadẽ ratione posset quis negare, dari Angelis compositionem metaphysicam ex genere & differentia, quia in rebus materialibus genus sumitur à materia, & differẽtia à forma, quod multi volunt esse cum proprietate intelligendum. Item eadem facilitate posset quis dicere in corporibus cœlestibus non addere indiuiduum supra speciẽ aliquid positiuum etiam ratione distinctum, vel quia non habent materiam, vt existimauit Auerroes, vel certè, quia habent materiam alterius rationis. Nam si verum est in his rebus inferioribus materiam esse vnicam radicem differentię indiuidualis, solùm possumus nos id attribuere huic materię inferiori; nã de superiori nulla sufficienti ratione possumus colligere, an hoc etiam ei conueniat, cùm sit diuersæ rationis. Dicent fortasse illam materiã subiacere quantitati eiusdẽ rationis, & hoc satis esse, vt sit principiũ eiusdẽ modi indiuiduationis. Sed hoc non satisfacit; nã vt infrà ostendam, quantitas, cùm sit accidens, nullo modo potest ingredi principium indiuiduationis substantiarum. Igitur substantiæ superioris ordinis possunt in compositione metaphysica conuenire cũ substantiis inferioris ordinis, & habere principium illius simpliciori & perfectiori modo. Atque ita ex negatione materiæ non potest fieri argumentum efficax.

XXV. Deinde redeo ad rationem inchoatã: nam, quòd diuina natura essentialiter includat indiuiduationem suam positiuam, & incommunicabilitatem respectu inferiorum, ex eo præcisè prouenit, quod infinitati eius repugnat talis multiplicatio; omnis autẽ substantia immaterialis creata, finita est: ergo non est, cur ei repugnet habere aliam omnino similem essentia, distinctam tamen realiter in entitate. Responderi potest, quamuis substantia spiritualis sit finita simpliciter in genere entis, esse tamen infinitã in specie sua, habereq; totam perfectionem possibilẽ in sua specie, quia cùm sit abstracta, & separata à C materia, non habet, vnde limitetur, & ideò intra illã speciem multiplicari non potest. Sed huiusmodi infinitas, & sine sufficiente fundamento asseritur, & vix potest declarari, in quo consistat, nisi petendo principium.

Interrogo ergo, an hæc infinitas intensiua sit, vel extensiua. Primum dici non potest, tum quia tota perfectio intensiua talis Angeli cõtinetur intra certum gradum & limitem talis speciei, in qua nulla est formalis infinitas intensiua: nisi fortè dicatur infinita secundum quid, quia potest sub se continere species inferioris ordinis syncategorematicè infinitas, quod tamen non indicat infinitatem, sed perfectionem quandam superioris rationis, vnde hoc commune esse potest speciebus rerum materialium, vt patet in specie humana, sub qua species brutorũ in infinitum multiplicari possunt. Hoc ergo perfectionis, seu infinitatis genus nil refert ad quæstionem, de qua agimus, nec potest esse ratio ob quam species aliqua per se sit indiuidua sit, & nõ possit in indiuiduis multiplicari. Imò etiam si admitteremus illam infinitatem intensiuam, veram & formalem in aliquo limitato gradu intrinsecè, non sequitur, talem perfectionem, non posse in multis similibus indiuiduis reperiri, quia hoc non habet necessariam connexionem cum illo. Vt, quamuis daretur gratia infinitè intensa in anima Christi Domini, verbi gratia, non propterea sequitur, non posse dari alias qualitates gratiæ, numero distinctæ siue finitas, siue infinitas. Quod argumentum etiam declarat, infinitatem illam intensiuam propriam & formalem non magis posse dari in substantiis, quàm in accidentibus.

Si verò sit sermo de infinitate extensiua, primò, petitur principium, quia hæc extensio non est aliud, quàm multiplicatio indiuiduorum in ea specie. Deinde id, quod dicitur, repugnantiam inuoluit: nam illud indiuiduum formaliter, & in se vnum tantùm est: quomodo ergò potest infinitatem extensiuam in se continere, quæ in sola multiplicatione indiuiduorum consistit? Dices, continere virtualiter, non formaliter. Sed explicari non potest, in quo consistat hæc virtualis infinitas, seu continentia, aut in quo fundetur, cùm non consistat in infinitate intensiua talis naturæ, neque in ea fundari possit, vt probatum est: nulla ergo assignatur ratio, ob quam perfectioni talis naturæ repugnet communicari multis indiuiduis in essentiali perfectione similibus. Huiusmodi ergo substantiæ quamuis abstractę à materia, simpliciter finitæ sunt. Neque enim oportet, vt limitationem habeant à materia propriè dicta (quicquid quoad hoc sit de materialibus formis) sed ex propria differentia, vel ex se, & ex propria entitate, aut quia habent tale esse receptum, aut denique, quia natura sua in tali suppposito existunt: igitur ex infinitate nulla ratio sumi potest, ob quam huiusmodi naturæ immateriales essentialiter sint indiuiduæ, & incommunicabiles.

Dici aliter potest ex sola immaterialitate sumi sufficientẽ rationẽ. Quia res, quę carent materia, nõ possunt materialiter multiplicari, vt per se constat: ergo solũ formaliter & essentialiter seu specificè: ergo non indiuidualiter, seu secundum numericam multiplicationem: quia hæc est materialis multiplicatio. Sed hæc etiam ratio, si verba *materialiter*, & *formaliter*, propriè sumuntur in primo antecedente, insufficiens est, & principium petit; nam conclusionem ipsam in ratione sumit, nimirum, vel distinctionem numericam sumi ex materia, vel idem esse differre numero, quod differre materialiter. Esto enim in rebus materialibus hæc habeãt aliquam veritatẽ, quod posteà examinabimus, tamen inde non potest sufficiens argumentum sumi ad immaterialia. Distinctio ergo indiuidualis latiùs patet, quàm materialis differentia dicto modo sumpta: differre enim numero solùm est distingui in propriis entitatibus cum conuenientia & similitudine in integra ratione essentiali: quod commune esse potest, tam rebus spiritualibus, quàm corporalibus. Vnde si *materiale* & *formale*, latiùs sumantur, prout *formale* dicit rationem essentialem præcisam; *materiale* verò, quicquid illam contrahit, & determinat ad talem entitatem, sic duo angeli eiusdem speciei; quamuis distinguantur, vt duæ formæ integræ, possunt dici non distingui formaliter, seu materialiter, seu entitatiuè, sicut distinguuntur inter se duæ animæ rationales.

Et hoc exemplo potest primò confirmari hæc XXVI sententia; nam anima rationalis physicè considerata etiam est simplex entitas, & spiritualis, & tamen non est indiuidua ex ratione essentiali, sed aliquid secundum rationem addit. Sed dicunt, animam rationalem habere transcendentalem habitudinem ad corpus, & inde indiuiduari. Sed hoc in primis est incertum, nam fortasse tam verum est, hanc animam ideo dicere talem habitudinem ad corpus, quia talis ipsa est, sicut econuerso. Et deinde quidquid de hoc sit, ad præsens non refert, nam idem argumentum proportionale sumi potest, anima enim rationalis, quæ habet suam specificam rationem cum habitudine transcendentali ad corpus, non habet indiuiduationem ex vi illius præcisè, sed ex additione aliqua secundum rationem, per quam illa habitudo determinatur ad tale corpus, vel potius ad talẽ habitudinẽ ad corpus, ergo eadem proportione, substantia angeli, quæ habet rationem essentialem absolutam absq; transcendentali habitudine, non erit indiuidua ex vi illius, sed ex aliquo addito secundũ rationẽ proportionato illi. Et simile argumentum sumi potest ab accidentibus spiritualib. in quibus indiuiduum addit aliquid supra speciem, nõ solum in ordine ad diuersa subiecta, sed etiam respectu eiusdem: ideo enim possunt hæc accidentia respectu B eiusdem subiecti numero distingui, & multiplicari, saltem successiue, vt patet de diuersis actibus eiusdẽ rationis in eodem intellectu angelico: si ergo in illis actibus reperitur eadem ratio specifica spiritualis contrahibilis ad diuersa indiuidua, non ex diuersis subiectis, sed ex diuersis differentiis indiuidualibus in ordine ad idem subiectum, cur nõ poterit eadem ratio specifica substantialis, & spiritualis similiter contrahi per differentias indiuiduales sibi proportionatas? Certe nulla potest reddi sufficiens ratio. Atq; similia argumenta sumi possunt ex aliis entitatibus simplicibus, quæ ex se ipsis possunt numero distingui, vt sunt duæ materiæ, vel duæ quantitates, vt videbimus latius sectione sequente.

XXVII. Deniq; sine causa limitatur diuina potentia, vt non possit plures angelos creare similes in essentia, & specie, aut, si annihilare voluisset malos angelos, non potuisse alios similes creare, quod certe per se est incredibile est; & ideo reliqui fere Theologi in 2. dist. 3. docent id fieri posse à Deo. Scotus quæstione 7. Durand. quæstione 3. Gabr. quæstione 1. & alii. & Marsil. in 2. quæstione 3. articul. 3. Alexand. Alens. 2. part. quæstio. 20. memb. vlt. artic. 2. & 7. Metaph. C tex. 41. & ex Thom. Ferr. 2. cont. Gent. cap. 93. dicit non repugnare de potentia absoluta huiusmodi distinctionem numericam substantiarum spiritualium, quamuis neget esse secundum ordinem naturalem rerum: & fauet Diuus Thomas opusc. 16. capite vltimo, vbi late docet, substantiam immaterialem esse vnam numero singularem, atq; indiuiduam, quia ex se non est nata participari à multis: subdit tamen rudis esse ingenii, inde colligere non posse à Deo multiplicari. Sed quidquid sit de hoc modo loquendi, an hoc sit dicendum possibile de potentia absoluta, vel naturali, seu ordinaria, quod fortasse est quæstio de nomine: tamen quacunq; ratione id sit possibile, sufficienter concluditur substantiam immaterialem non esse indiuiduam ex vi suæ rationis essentialis & specificæ; nam si hoc haberet, implicaret cõtradictionem, talem substantiam indiuidualiter multiplicari, sicut implicat, idem indiuiduum numerice multiplicari. Vnde etiam obiter constat, propriam vocem ignorare, qui dicunt, in naturis Angelicis dari conceptum obiectiuum vere specificum, & logice (vt aiunt) vniuersalem, & tamen illam naturam esse ex se ita incommunicabilem, vt implicet contradictionem esse in pluribus

indiuiduis solo numero distinctis: est enim hæc A perta repugnantia: nam, si illa natura non potest vllo modo esse in multis indiuiduis, ideo est, quia ex se, & ex proprio conceptu essentiali est ita incommunicabilis; ergo, si talis est, repugnat illam abstrahere ab hoc indiuiduo, & reddere communicabilem, seu indifferentem, quia hæc eadem abstractio est contra eius naturam & essentiam, sicut constat aperte in natura diuina. Verius ergo, magisque consequenter dicitur, sicut in substantiis immaterialibus dantur veræ ac propriæ species, ita etiam dari indiuiduum, quod aliquid secundum rationem addat supra speciem, & consequenter posse etiam dari plura similia indiuidua. An vero de facto dentur, & quid in hoc sit magis consentaneum Scripturis & Patribus, ad Theologicas pertinet disputationes.

Satisfit fundamentis aliorum opinionum.

XXIX. AD fundamentum primæ sententiæ respondetur, illa omnia, quæ in primo argumento numerantur, solum indicare, naturam specificam dicere conceptum obiectiuum secundum rationem præcisum ab indiuiduis, atque econtrario indiuiduum aliquid ratione distinctum addere supra naturam specificam. Nam scientia humana est de rebus vniuerse conceptis, de quibus immediate sunt definitiones & demonstrationes; & ad hoc satis est, vt secundum rationem possint abstrahi, quamuis in re ipsa non separentur. Quod patet ex dictis de conceptu entis, de quo datur scientia, & fiunt demonstrationes, quamuis constet, re ipsa non esse præcisum à propriis rationibus entium, sed tantum secundum rationem abstrahi. Vnde hæc etiam distinctio satis est ad illas causales locutiones, quia homo est risibilis, Petrus est risibilis, quia in eis non datur causa realis & Physica, quæ intercedat inter Petrum, & risibilem, sed explicatur adæquata ratio, & origo illius proprietatis.

XXX. AD secundum respondetur in huiusmodi argumentis (quod supra notaui tractando de conceptu entis) facile committi æquiuocationem, argumentando ex modo concipiendi nostro, & ex vsu verborum, quibus significamus res vt à nobis conceptas, ad res ipsas prout in se sunt, distinctionem rerum ex distinctione secundum rationem colligendo, quod est fallax argumentum. Respondetur ergo, hominem vt sic significatum & cõceptum, non dicere, neq; includere in sua ratione essentiali indiuidualem differentiam aliquam, vt argumentũ recte probat. Et patet, quia secundum rationem ab omnibus illis præscinditur, & per plures huiusmodi differentias secundum rationem contrahi & determinari potest. Vnde recte concluditur aliquid debere addi, quod sit extra essentiã hominis sic cõcepti, vt singularis fiat; nego tamen inde sequi distinctionem in re inter naturam hominis communem, & indiuidualem eius differentiam, quia natura hominis non reperitur in re ita communis & abstracta, sicut per intellectum concipitur. Cum autem dicitur, quod est de essentia, & quod est extra essentiam, distingui ex natura rei, & non tantum ratione; respõdetur, dupliciter intelligi posse aliquid esse extra essentiam. Vno modo secundum rem, seu considerando res ipsas prout sunt à parte rei, alio modo secundum rationem præscindentem vnum ab alio, quamuis in re præcisum non sit. Priori

Universidad de Deusto
Biblioteca

modo verum est (præsertim in rebus finitis) quid- A
quid à parte rei est extra essentiam, debere ex natura rei distingui ab illa, quia non potest alia ratione dici esse extra essentiam; nego tamen hoc modo differentiam indiuidualem, verbi gratia Petri aut Pauli, esse extra essentiam hominis, vt in re ipsa existentis: nam homo in re non existit, nisi in Petro, Paulo, &c. & in vnoquoque propria eius differentia est de essentia hominis, vt in ipso existentis. Dices, inde sequi hominem in Petro, & Paulo differre essentialiter, seu Petrum & Paulum non habere eandem essentiam; Respondetur, non habere eandem realiter, tamen habere eandem ratione, quod in re nihil aliud est, quam habere similem, & quia differre essentialiter sub his verbis non significat tantum realem distinctionem essentiarum, sed negat etiam essentialem similitudinem, & conuenientiam atque adeò vnitatem essentiæ secundum rationem, ideò simpliciter non conceditur, differre essentialiter ea, quæ solo numero differunt. Tamen, si illa verba solum in priori sensu sumerentur, verum esset, Petrum & Paulum essentialiter differre, iuxta quam significationem negamus in Deo, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum differre essentialiter, quia nec differentiam essentialem habent, nec distinctionem essentiarum. Posteriori autem modo, scilicet secundum præcisionem rationis, dicitur esse extra essentiam conceptus obiectiui omne id, sine quo saluari potest talis ratio concepta; & hoc modo non est necesse, vt id, quod esse dicitur extra essentiam, sit distinctum ex natura rei ab alio: sed sufficit, quod ratione distinguatur, quia illudmet verbum, *extra*, non significat absolutè esse extra rem, sed esse extra conceptum, seu esse extra rem vt conceptam.

XXXI. Vnde ad confirmationem eadem ferè distinctione respondendum est, nam à parte rei homo non constituitur, vt homo præcisè, neque in se separatus, sed constituitur, vt Petrus, Paulus, Franciscus, vnde in vnoquoque eodem constituitur homo, quo Petrus; neque in re est aliquid verè vnum constitutiuum hominis, quod re ipsa commune sit, sed sunt plura constitutiua singulorum hominum, in quibus dicitur esse ratio communis fundamentaliter propter conuenientiam & similitudinem, quam inter se habent, vt sequente disputatione latius dicemus. At vero secundum rationem, sicut homo communis abstrahitur, ita intelligitur habere adæquatum & commune constitutiuum; inde tamen solum potest concludi, illud esse ratione distinctum à singularibus differentiis, quæ indiuidua specialiter çonstituunt. Ad tertium respondetur ex dictis de conceptu entis constare, illa argumenta non probare distinctionem ex natura rei; idemq; ostendemus de naturis vniuersalibus, & inferioribus disp. sequente.

XXXII. AD primum argumentum secundæ opinionis respondetur, rectè probare, rem non fieri singularem per additionē realitatis, vel modi ex natura rei distincti à natura, quæ singularis fieri dicitur, quia omnis talis distinctio supponit entitatē & cōsequenter singularitatē in vtroq; extremo. Non probat aūt argumentū illud nō posse rem fieri singularem per additionem alicuius ratione distincti: quia hæc distinctio nō supponit entitatem actualem, & consequēter nec singularitatem in vtroq; extremo, quia cum hæc distinctio sit per conceptus, facilè intelligi potest inter rem vniuersè conceptam, & modū eius.

Et iuxta hanc doctrinam facilè soluuntur non- XXXIII.
nulla, quæ Caietanus de ente & essentia, capite secundo, quæstione quarta, obiicit contra doctrinam Scoti, quatenus contra primam, & tertiam conclusionem à nobis positas applicari possunt, quale est illud, Actus singularis supponit potentiam singularem, 2. Physic. capitul. 3. text. 36. sed id, quod addere dicitur indiuiduum supra speciem est actus singularis naturæ, ergo supponit naturam singularem: quia respicit illam vt potentiam, respondetur enim maiorem esse veram de actu & potentia realibus, & ex natura rei distinctis, de quibus loquitur Aristoteles citato loco; non vero de actu & potentia ratione distinctis propter causam explicatam. Sicut etiam actus specificus non supponit potentiam specificam, sed genericam. Aliud argumentum eius est: Quod conuenit vni indiuiduo, & repugnat alii, supponit distinctionem illorum, sed differentia indiuidualis est huiusmodi, ergo non facit distinctionem, sed supponit. Hoc autem argumentum ex vi formæ infirmius est. Nam facilè potest B
negari maior, vt patet in simili forma, quod conuenit vni speciei, & repugnat alteri supponit distinctionem earum; addendum enim esset, vel facit: idem ergo addendum esset in præsente. Tamen, si argumentum non fieret de ipsis indiuiduis, sed de natura, quę per hanc differentiam indiuidualē contrahitur, potest habere vim cōtra distinctionem ex natura rei inter illam differentiam & naturam, non verò contra nostram sententiam. Nam in distinctis indiuiduis sunt etiam naturæ realiter distinctæ, vnde si differentiæ indiuiduantes sunt ab eis ex natura rei distinctę, necesse est, vt differentia, quę conuenit vni & repugnat alteri, supponit earum distinctionē & non faciat illam: quia supponit, vt dictum est, potentiam singularem sibi proportionatam, & consequenter distinctam ab alia, quæ sibi proportionata non est: atq; ita iam non erit differentia indiuidualis, vt supra etiam argumentati sumus. At vero ablata distinctione ex natura rei non procedit argumentum respectu naturæ contrahendæ, quia sic nō est vna, & altera natura, vt possit differentia conuenire vni, & repugnare alteri, sed est vna secundum C
rationem. Si vero sit sermo de natura nō vt contrahibili, sed vt contracta, sic iam est ipsa res indiuidua quæ per ipsam differentiam constituitur, & distinguitur ab alia.

Ad secundum respondetur, solum procedere de XXXIV.
vltima ratione formali vnius, seu vnitatis indiuiduæ, quæ in negatione consistit, de qua fatemur nō addere aliquid supra entitatem indiuiduam præter negationem, nos autem agimus de fundamento huius negationis, & de eo, quod addit entitas singularis supra communem naturam, ratione cuius talis negationis capax sit.

Ad tertium aliqui dicunt, hoc, quod addit in di- XXXV.
uiduum supra speciem, esse accidentale. Sed hoc esse falsum, conuincitur, tum argumentis ibi factis, tū aliis, quod faciemus sect. seq. tum etiā ex dictis: nam si hoc additum solum est ratione distinctum à substantia, seu essentia rei, & per se illi coniunctū tanquā per se determinans naturam cōmunem ad particularē, quomodo potest esse accidentale? Alii ergo simpliciter vocant hoc essentiale indiuiduo, nō speciei, quod reuera ita est, si rem ipsam consideremus, nam quod omnino intrinsecè constituit, & componit hoc indiuiduum, est propria eius differentia simul cum natura cōmuni; neq; potest, non solum

solum esse, verum nec concipi hoc indiuiduum sine A
tali differentia. Tamen secundum rationem, & secundum modum loquendi Dialecticorum, & Metaphysicorum accommodatum modo concipiendi nostro, non appellatur hæc differentia indiuidualis essentialis, sed intrinseca, entitatiua, & quasi materialis, vt distinguatur à differentia specifica, quæ maximè formalis est: sumitur enim ex illo gradu in quo indiuidua formaliter conueniunt, seu assimulantur. Itaque hoc sic declarandum videtur, quod indiuidua eiusdem speciei cum reali distinctione habent integram, & perfectam similitudinem in natura, in quo differunt ab indiuiduis differentib. specie sub eodem genere, quæ inter se non habent tantam, tam perfectamque similitudinem. Hinc ergo fit, vt mens nostra concipiat id, in quo illa indiuidua inter se conueniunt, tanquam vnum quid, & tanquam id, quod est formale in illis, & quod per se confert ad scientiam: nam distinctio in sola entitate cēsetur esse quasi per accidens, & ideò vocatur materialis. Eandemque ob causam definitio scientifica non datur, nisi de communi & specifico con- B
ceptu, atque in hoc sensu species vltima dicitur tota essentia indiuiduorum, scilicet, formaliter ac præcisè sumpta, & concepta, & prout eius cognitio ad humanam scientiam deseruit, quæ non descendit ad particularia secundum proprias, & indiuiduas rationes eorum, quia nec potest eas percipere prout in se sunt, neque agit de accidentibus propriis indiuiduorum: quia vel contingenter, & per accidens eis conueniunt, vel si fortasse sunt aliqua omnino propria, æquè latent, ac ipsæ indiuiduales differentiæ. Denique, quia esset valde operosum, ac pœnè infinitum ad singula particularia descendere. Nihilominus tamen non est dubium, quin indiuidua, etiam si solo numero differant, habeant in re distinctas essentias, quæ si prout in se sunt concipiantur & explicentur, diuersis conceptibus, & definitionibus declarandæ erunt; & distinctas etiam habebunt proprietates saltem secundum rem, vel secundum aliquem modum proprium, sub qua ratione cadunt sub scientiam angelicam, vel diuinam.

XXXVI. Ad tertiæ opinionis fundamenta respondetur. C
Ad Aristot. in septimo Metaph., primo responderi potest cum Alexandro Alensi ibi, cum Aristoteles ait, *in separatis à materia non distingui quod quid est ab eo cuius est*, non sumere materiam cum omni proprietate pro materia prima, vel pro subiecto proprio alicuius formæ, sed pro quouis supposito, quod à parte rei sit aliquo modo distinctum à natura sua, quomodo nulla substantia creata dici potest abstrahere à materia, quia in omnibus natura est in supposito aliquo modo ab ipsa distincto. Hæc doctrina est vera, sed non existimo Aristotelem eo in loco in eo sensu fuisse locutum. Aliter exponit Alexand. Aphrodisæus, qui existimat, & reuera valde probabiliter, Aristotel. in vtroque loco supra citato de eisdem substantiis esse locutum, & eodem modo comparare quod quid est, cum eo cuius est. Quod ex verbis eiusdem Philosophi confirmari potest: ait enim in illo tex. 41. *Dictum est insuper, quidditatem, & vnumquodque idem in quibusdam esse, vt in primis substantijs*: ita enim legit ipse Alexander. Et quamuis in textu communiter eo loco non repetatur illa particula, *Dictum est*, tamen, quæ paulo antea præcesserat, hanc etiam clausulam comprehendit, vt ex contextu satis patet. Hinc ergo per *primam substantiam* non intelligit Alexand. immateriales substantias, vt D. Thom. quia Aristoteles in posteriori loco sese refert ad ea, quæ in priori dixerat, ibi autem nihil de immateriali substantia in speciali dixerat, neq; in alio affert specialem rationem, ob quam, differentiam in hoc constituat inter materiales, & immateriales substantias; neque est vllum indicium, ob quod dicamus æquiuocè vti illo termino, *cum eo cuius est*, vt in priori loco sumatur pro definito, hic vero pro supposito, vt ita diuersa sit comparatio vtroque loco facta. Ac deniq; nunquam Aristoteles nomine *primæ substantiæ* vsus fuerat ad significandas specialiter immateriales substantias, nam licet libro quarto, capitulo tertio, text. 7. videatur illa voce vti in ea significatione, tamen, & Commentator ibi per *primam substantiam*, Deum intelligit, & quidquid sit de illo loco, nullum inde sumitur argumentum, ad alium in quo modo versamur, itaque eadem est iuxta hanc expositionem sententia Aristotelis in vtroque loco. Per primas ergo substantias intelligit Alexander quælibet suppositа substantialia, à quibus non separatur B
quod quid est, id est, communis natura. Quod vero Aristoteles subdit: *Primam substantiam dico, quæ non dicitur eo, quod aliud in alio insit, vt in subiecto, vel materia*, explicatur ab Alexandro de substantia quæ non significatur vt aliud in alio, sed tanquam vnum per se consistens, in quo differt à composito accidentali, vt est album, verbi gratia, aut simum, in quo aliquid significatur, vt in subiecto tanquam in materia existens; de huiusmodi enim composito ex tali subiecto, vt materia, & accidente vt in illa existente, subdit Aristotel. in eo, cum sit vnum per accidens, quod quid est distingui à subiecto, in quo est. Atq; ita iuxta hanc expositionem nihil potest ex prædicto textu contra nostram sententiam colligi. Præter hanc vero expositionem probabilem, habet ille locus aliam fortasse probabiliorem, tamen, quia attingit quæstionem de distinctione naturæ à supposito in rebus immaterialibus, tradetur commodius infra disputatione de distinctione naturæ, & suppositi in rebus creatis.

Ad aliud testimonium ex 3. de anima, si commu- XXXVII.
nis expositio retinenda est, nihil responderi potest, nisi Aristotelem fuisse illius sententię, quod tandem concedit Scotus in secundo, distinctione 3. quæst. 7. Scotus.
ad primum, vbi ait, Aristotelem existimasse Angelos esse entia per se necessaria, & ideo non potuisse consequenter existimare posse dari plures Angelos in vna specie, nam si dari possent, darentur de facto, quia in per se necessariis & æternis idem est esse & posse. Et similiter si plures esse possent, in infinitum etiam multiplicari possent, ac denique actu essent infiniti. Sed fundamentum huius discursus incertum est, scilicet, Aristotelem sensisse Angelos esse entia per se necessaria. Et fortasse Aristoteles quando hanc differentiam ponit inter indiuidua materialia & immaterialia, non loquitur præcisè ac Metaphysicè de indiuiduo, vt dicit solam substantiam singularem, sed loquitur physicè de indiuiduo vt in re ipsa est suis accidentibus affectum: quo modo videtur loqui in dicto loco 3. de anima: nam materiale indiuiduum tale dicit esse vt circa illud sensus versetur, quod non est verum de indiuiduo rigorosa ac Metaphysica præcisione sumpto, sed solum posteriori ac physico modo. Et ita potest facilè inueniri differentia inter materiale, & spirituale indiuiduum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXIIX. Ad rationem prædictæ sententiæ (quidquid sit de illa opinione, quod in rebus materialibus, materia signata est principium indiuiduationis, quam statim disputabimus) respondetur, quamuis in rebus immaterialibus non detur hoc principium indiuiduationis, aliquod tamen dandum esse proportionale, quia etiam illæ substantiæ indiuiduæ sunt, non ex vi rationis specificæ, sed singularis, Vnde cùm dicitur substantia spiritualis se ipsa esse indiuidua, si intelligatur *se ipsa*, id est, ex vi suæ rationis specificæ, petitur principium, & falsum assumitur, vt probatum est, si autem intelligatur, *se ipsa*, id est, per suam entitatem, est quidem id verum, sed nihil impedit, quin in illamet entitate, ratione distinguantur specifica ratio, & differentia indiuidualis: & quòd eadem entitas secundū diuersos respectus possit esse vtriusque principium ac fundamentum. Nam quoad hoc eadem ferè ratio est de materialibus substantijs: nam, siue materia signata, dicatur principium indiuiduationis earum, siue quiduis aliud, nihil tamen esse potest, quod non sit ipsamet entitas essentialis rei, vel tota, vel partialis: vnde in B eadem oportet distinguere, & rationem specificam, ob quam dicitur esse essentia, vel pars essentiæ: & rationem aliam non re, sed ratione distinctam, ob quam dicitur esse indiuiduationis principium.

SECTIO III.

Vtrum materia signata sit indiuiduationis principium in substantijs materialibus.

I. Mittimus diuinam substantiam, quoniam, vt diximus, illa per se & essentialiter indiuidua est, vnde non est, quod in ea quæratur indiuiduationis principium, magis quàm essentiæ, vel existentiæ ipsius.

Sensus quæstionis.

II. VT autem sensus quæstionis intelligatur, sumendum est ex dictis sect. præce. in huiusmodi substantiis creatis considerari posse Metaphysicam compositionem, quæ secundum rationem est ex natura specifica & differentia indiuiduali: sicut enim id, quod addit species supra genus, iuxta Metaphysicam considerationem est differentia diuisiua, seu contractiua generis, & constitutiua speciei, ita id quod addit indiuiduum supra speciem rectè dicitur differentia contractiua speciei, & constitutiua ac distinctiua indiuiduorum, quæ verè ac propriè differre numero dicuntur: propterea enim species dicitur de pluribus differentibus numero prædicari. Item ostendimus hoc, quod addit indiuiduum supra speciem, licet sit tantum ratione distinctum, tamen reale esse, & positiuum fundās negationem, seu indiuisionem propriam indiuidui, quia per sese incommunicabile est, & distinctum ab alijs, seu incommunicabile alijs indiuiduis: & ideò adiunctum speciei cum illa constituit indiuiduum per se vnum sub tali specie: nihil ergo illi deest, quo minus veram habeat rationem differentiæ. Vnde nonnulli hoc putant esse assignandū principium indiuiduationis, & nullum aliud esse quærēdum, vt videre est in Scoto, in 2. dist. 3. quæst. 6. & Fonseca lib. 5. Metaphysic. cap. 6. sectione 1. Sed non disputatur in hoc sensu quæstio, nec de illa verè est diuersitas opinionum inter eos, qui de principio indiuiduationis disputant. Sensus ergo quæstionis est, quodnam C *nisi vnum numero, quia est expers materiæ*, existimans necessarium, vt, quæ conueniunt specie, & differunt numero, materiam habeant, & per materiam differant. Et similiter primo de cœlo, capitulo nono, probat non posse esse alium mundum, quia hic mundus totam materiam rerum naturalium complectitur. Ex his ergo testimonijs apparet, hanc fuisse sententiam Aristot. iuxta quam consequenter dicendum est (vt dicunt prædicti authores) in substantijs immaterialibus non esse positiuum indiuiduationis principium, nec propriam differentiam indiuidualem, sed solum naturam de se incommunicabilem.

Fundamentum huius sententiæ, si rationem spectemus, ferè nullum inuenio, quod ad Aristotelis authoritatem non reuocetur, scilicet, quia materia est principium multiplicationis, & distinctionis indiuiduorum intrà eandem speciem, vt Aristoteles testatur citatis locis: sed illud est principium indiuiduationis, quod est principium numericæ distinctionis: ergo. Secundò, quia illud est indiuiduum, quod est incōmunicabile inferiorib. similibus: sed materia est primum fundamentum huius incōmunicabilitatis: nam forma, cùm sit actus, de se communicabilis est, materia autē cùm sit prima potentia, de se est incommunicabilis, & forma tunc limitatur & determinatur, cùm ad hanc materiam coarctatur. Tertiò, quia indiuiduum est primum subiectum in Metaphysica coordinatione: de illo enim omnia superiora prædicantur, & ipsum non de aliis: ergo primum principium & fundamentum indiuidui vt sic esse debet illud, quod est primum subiectum inter principia physica: huiusmodi autem est materia: ergo.

Expenduntur rationes dictæ sententiæ.

V. SEd antequam vlterius progrediamur, hæ rationes, secluſa authoritate, non sunt magni momenti. Ad primam enim facilè potest responderi, negando maiorem: nam potius illud est principium multiplicationis, quod est principiū distinctionis: principium autem distinctionis non est materia, sed potius forma, nam vt est in communi proloquio, *Actus est, qui distinguit.* Vnde D. Thom. 2. cont. Gent. cap. 40. ex professo probat, materiam non esse primam causam distinctionis rerum; &, quamuis de B distinctione essentiali præcipuè loqui intendat, rationes tamen eius etiam de distinctione numerica vrgere videntur, præsertim, quod in secunda ratione inquit, *formam non sequi dispositionem materiæ, sicut primam causam, sed magis econuerso materiam sic disponi, vt sequatur talis forma.* Item quod ibidem ait, *ea, quæ reducuntur in materiam sicut in primam causam, esse præter intentionem agentis, & casu fieri.* Si ergo materia esset prima causa, ob quam esset tale indiuiduum, indiuiduū vt sic casu fieret, & præter intentionem agentis. Item, quod ibidem ait in quarta ratione, *vnā materiā indigere alio à se distincto, vt distinguatur ab alia materia*: non ergo illa est prima causa distinctionis, vt in ratione facta sumebatur. Quapropter his & aliis rationib. conuicti multi ex authoribus, qui prædictam opinionē sequūtur, fatentur, cùm duo sint de ratione indiuidui, scilicet esse incōmunicabile inferiorib. & esse distinctum ab aliis indiuiduis, materiā esse principiū indiuiduationis quoad primū, quoad secundum verò esse quantitatem, nam illa est, quæ ipsas materias distinguit: quod quam sit verè & consequēter dictum, posteà examinabimus: nunc enim C solum vim dictarum rationum expendemus. Ptima autem ratio solum procedebat de indiuiduatione quoad distinctionem vnius ab alio, de qua iam prædicti authores fatentur, non oriri à materia. Aduerto tamen argumenta facta non cōuincere de omni distinctione, nam, vt infra dicā, materia suo modo habet vnde distinguat vnum ab alio, quatenus ipsa habet aliquem actum entitatiuum, probant tamen, non esse cur prima ratio totius distinctionis numericæ, illi potius, quā alicui formæ attribuatur.

VI. Secunda ratio procedit de prima radice incommunicabilitatis, in qua primum consistit ratio indiuidui, vt supra declaratum est, nam distinctio ab alio, potius se habet consequenter iuxta supra dicta de vnitate in cōmuni: vnde si illa ratio esset efficax, sufficienter probaret, materiam esse principium indiuiduationis. Sed, si quis rectè consideret, aperta equiuocatio in eo discursu committitur, cùm n. dicitur, materiam esse principium incōmunicabilitatis indiuidui, eò ip ipsa sit primū subiectum, de se maximè incommunicabile, aut illa vox *incommunicabile* æquiuocè sumitur, aut falsum in probatione assumitur. Multis enim modis intelligi potest, materiam esse incommunicabilem: primò quod sit incommunicabilis alicui, vt subiecto physico, quod informet, vel cui inhæreat: & hic sensus est verissimus, & rectè ex eo probatur, quod materia est primū subiectum: hoc tamen est impertinens ad rem, de qua agimus, tum quia non est de ratione indiuidui vt sic, quod sit incommunicabile alteri vt subiecto, nam accidentia sunt indiuidua, licet communicentur hoc modo, & formę etiam substantiales; tum etiam, quia illa incommunicabilitas non sufficit ad rationem indiuidui, materia enim ex vi suæ speciei est illo modo incommunicabilis, & tamen non est indiuidua ex vi speciei, sed communis multis materiis numero differentibus, non est ergo illa incommunicabilitas prima radix indiuiduationis, etiam in ipsa materia, multo ergo minus poterit materia esse primum principium indiuiduationis substantiæ ratione huius incommunicabilitatis. Alio ergo modo potest dici materia incommunicabilis, vel per modum causæ, vel per modum partis, vel per modum naturæ suppositi, vel per modum superioris inferioribus, & omnes isti modi falsi sunt: nam B materia cōmunicatur formæ eo modo, quo est causa eius & sustentat illam. Item materia communicatur composito, vt pars toti, & vt causa etiam effectui quem non aliter causat, quam communicando illi intrinsecè suam entitatem. Item materia, vt pars naturæ communicatur supposito proprio tantum, si naturaliter loquamur, supernaturaliter vero etiam alieno, vt in Christi humanitate videre licet; sed omnes isti modi nihil ad præsens referunt, vt per se constat. Vltimus verò modus (in quo solo termini in prædicta ratione assumpti vniuocè sumerentur) est apertè falsus, vt ratione suprà facta conuincitur: quia materia vt sic ex vi suæ speciei communicabilis est multis inferioribus, quæ illi possunt subiici in ordine ad prædicationem, quamuis non possint esse subiecta inhæsionis. Quod si dicas materiam vt sic esse communem, materiam autem signatam, de qua illa sententia loquitur, esse incōmunicabilem. Contra hoc est, quia materia signata, quidquid illa sit, non habet quod sit incōmunicabilis ex ratione primi subiecti, in qua dictum argumentum fundabatur, si ergo materia signata est incommunicabilis, e- C rit ob aliam causam, quæ cōmunis esse poterit formis, vel aliis rebus, vt videbimus in sequentib. Quocirca ad illā incommunicabilitatem, quæ est de ratione indiuidui, impertinēs est illa ratio primi subiecti: nam, & formæ angelicæ, & Deus ipse, sunt illo modo incommunicabiles, quamuis sint omnino actus, & nō potentiæ. Vnde cum ibidem dicitur forma de se communicabilis, etiam extra propositum est: nam forma vt forma est communicabilis materiæ vt subiecto, non vt inferiori; secundum suam etiam specificā rationem communicabilis est distinctis formis, & ideò secundum eam rationem non est indiuidua, ramen hæc forma tam incommunicabilis est, sicut hæc materia: ergo quoad hoc non est maior ratio de vna, quam de alia.

VII. Atque ex his constat, tertiam coniecturam, nullam habere efficaciam, quia est longè diuersa ratio de subiecto inhæsionis, & de subiecto prædicationis. Quamuis enim excogitari possit quædam proportio inter hæc duo subiecta: nam superius comparatur ad inferius sibi subiectum vt forma dans esse, tamen simpliciter non sunt eiusdem rationis, neque vnum fundatur in alio: vnde in simplicib. substantiis est subiectio seu subordinatio inferiorum ad superiora, sine subiecto inhæsionis, seu informa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionis. Adde, id, quod est subiectum prædicationis, ex se non esse imperfectius suo predicato superiori, sicut materia, quæ est primum subiectum, est inferior forma: & ideò necessarium non esse, vt id, quod est primum subiectum in ordine generationis & imperfectionis, sit primum principium & fundamentum indiuidui, quod est primum subiectum in ordine prædicationis, continens in se omnem perfectionem superiorum, & addẽs aliquid proprium, quo illam veluti complet ac perficit.

Obiiciuntur multa contra dictam sententiam.

VIII. SEd videndum est, quamuis sententia hæc ratione conuinci non possit, an valeat conuenienter defendi ac sustineri, nam hoc satis nobis erit, vt saltem propter Arist. & D. Thomæ authoritatem illam defendamus. Et prima ratio difficultatis circa illam esse potest, quia materia de se communis est, non solùm quatenus eadem secundùm rationem specificam communis est multis indiuiduis materiæ, sed etiam, quia eadem numero materia subesse potest B multis formis, vel specie distinctis, vel solo numero diuersis, saltem successiuè, quomodo ergo potest materia esse principium indiuiduationis? Nam principium indiuiduationis debet esse maximè proprium, & nullo modo commune multis indiuiduis, nec simul, nec successiuè. Propter hanc difficultatem additum est in illa sententia, materiam non vtcunq;, sed signatam quantitate, esse principium indiuiduationis. Quid autem illa voce significetur, tam est obscurum, vt in ea re explicanda defensores huius sententiæ inter se mirum in modum dissideant. Quorum expositiones varias referre oportet, & examinare, vt quanta sit probabilitas huius sententiæ, clariùs appareat.

Primus modus explicandi materiam signatam reiicitur.

IX. PRima expositio est, materiam signatam quantitate nihil aliud esse, quàm materiam cum quantitate, seu quantitate affectam: ex his enim duobus censent, hoc principium indiuiduationis quasi integrari, vt materia det incommunicabilitatẽ, quantitas distinctionẽ, vt suprà dicebamus. Ita Capreol. in 2. distinct. 3. quæst. 1. artic. 1. concl. & artic. 3. in respons. ad argu. contra illam. Idem Ferrar. 1. cont. Gent. cap. 21. & Soncin. libr. 7. quæst. 34. Fauet D. Thom. quæst. 2. de Verit. artic. 6. ad 1. vbi explicat materiam signatam naturalem esse materiam *cum determinatione harum, vel illarum dimensionum*, & quæst. 16. de Maio. art. 1. ad 18. dicit, *materiam dimensionibus subiectam esse principium distinctionis numeralis, in his, in quibus inueniuntur multa indiuidua vnius speciei*; & super Boetium de Trinit. quæstio. 4. articul. 2. dicit, *quantitatem distinguere res materiales*. Et videtur fundatum in Aristot. 3. Metaphysic. cap. 3. text. 11. vbi distinctionem specificam censet fieri per formam, numericam verò per quantitatem, & libr. 10. cap. 3. tex. 4. tantùm eos ponit diuisionis modos, scilicet secundum formam, aut secundum quantitatem, & 5. Metaph. cap. 13. quantitati attribuit, quod sit principium diuisionis; vnde *quantum esse* ait, *quod diuidi potest in ea, quorum vnumquodque hoc aliquid natum est esse*: & 3. Phys. cap. 7. tex. 68. dicit, numerum nasci ex diuisione continui quanti. Ratio verò esse potest, quia, vt materia sit principiũ indiuiduationis, aliquid necessarium est, quod distinguat hanc materiã ab illa: sed hoc non est ipsa materia, quia distinctio debet fieri per actum; neque est forma, nam potiùs hæc forma est distincta ab illa, quia in distincta materia fit, & recipitur.

Sed hæc sententia falsa est; & grauibus rationibus impugnari potest. Duobus autem modis procedere possumus, primo, supponendo aliam sententiam, quam prædicti authores tenent, quantitatem non esse in materia prima, sed in toto composito, & destrui corrupta substantia, & nouam comparari ad generationem substantiæ. Ex quo fit, simpliciter loquendo priùs hanc numero formam substantialem introduci in hanc materiam, & consequi quantitatem. Vnde conficitur argumentum, quia hæc forma, cùm primum intelligitur recipi in hac materia, intelligitur etiã recipi in materia distincta ab alijs, ergo formaliter, & intrinsecè non fit distincta per quantitatem. Item ex materia & forma præcisè conceptis, & vt præuenientib. quantitatem, resultat hoc indiuiduum substantiale: ergo illud vt sic vnum est, non vnitate rationis, sed vnitate reali, & singulari ac transcendentali: ergo, sicut ex vi suæ entitatis substantialis est in se indiuisum, ita etiam est substantialiter, & entitatiuè distinctum ab omnibus alijs: ergo non habet distinctionem per quantitatem. Nec refert, si dicas, in genere causę materialis quantitatem esse priorem in materia, tum quia in ea sententia id non potest cõmodè consequenter dici, vt infrà tractandum est, tum etiam, quia saltem non potest id intelligi secundum veram inhæsionem quantitatis in materia, quia iuxta illud principium, quantitas nunquam inhæret materiæ in duratione reali, sed composito: ergo neq; in aliquo signo priori potest illi conuenire, quia quod à parte rei, & in duratione reali non conuenit, neque priùs neq; posteriùs conuenire potest: quantitas autem non facit rem diuisam, aut distinctam ab alijs nisi inhærendo & informando, ergo in nullo signo habet quãtitas hunc effectum primò in materia, sed in toto composito: ergo supponit illud iam indiuiduum, & consequenter alia priori diuisione distinctum. Tum deniq;, quia ad vim rationis satis est, quod in aliquo genere causæ, q̃ simpliciter prius est, materia vt præuenit quãtitatem habet ex se distinctionem. Deniq; sic potest ratio cõcludi, forma recipitur in materia nuda quãtitate, ergo hæc forma in hac materia, quia generatio in singulari fit, ergo ex illis resultat hoc indiuiduũ ante aduentum quãtitatis, imo illa aduenit indiuiduo iã constituto, quod posset Deus sine quantitate seruare distinctum ab omnib. alijs; ergo quantitas intrinsecè ac formaliter nõ intrat principiũ indiuiduationis, vel totius cõpositæ substãtiæ vel singularum partium, huius scilicet, formæ & materiæ.

Secundo procedere possumus in alia sententia, quod quantitas inest materiæ primæ, & manet eadẽ in genito, & corrupto, & tunc aliunde sumitur non minùs efficax argumentum, quia non solũ hæc materia secũdum se, sed etiam vt affecta hac quantitate potest esse sub diuersis formis, & consequenter in indiuiduis numero distinctis: ergo non magis põt esse principiũ indiuiduationis, quã sola materia. Dicetur fortasse, materiã cum dimensionib. interminatis esse posse sub diuersis formis, & vt sic non esse principiũ indiuiduationis, materiam verò cum his determinatis dimensionibus esse propriã huius indiuidui, & vt sic esse principiũ indiuiduationis. Sed inquiro, quid addant hæ determinatæ dimensiones supra quantitatem. Dimensiones enim possunt dici

interminatæ, solùm quia non dicunt certum terminum longitudinis, aut latitudinis, &c. & sic quantitas terminata solùm addet certos terminos dimensionum, & hoc non satis est ad præsens, quia eadem materia hoc modo existens sub eadem certa, & determinata quantitate potest, subesse distinctis formis, vt patet in eadem virga priùs viridi, posteà ficca, & similibus. Aliter potest dici quantitas interminata illa, quæ non est affecta certis dispositionibus, vt tali raritate, aut densitate, vel aliis qualitatibus, quibus materia ad hanc formam potiùs, quàm ad aliam determinatur. Et hoc sensu admitti potest, materiam quantitate seu dimensionib. sic terminatis affectam, id est, sic proximè dispositam, ita esse propriam huius indiuidui, vt non possit esse in alio. Veruntamen neq; dicti authores loqui possunt in hoc sensu; neq; in illo esset vera eorum sententia. Primum patet, quia ipsi dicunt, quantitatem ex propria ratione & effectu formali distinguere vnũ indiuiduum ab alio: ergo non conuenit hoc illi ratione aliarum qualitatum seu dispositionum, alioqui non materia signata quantitate, sed materia quanta signata qualitatibus deberet dici principiũ indiuiduationis. Secundum patet, quia aliàs sequitur accidentia, quibus materia disponitur ad formã, intrinsecè includi in principio indiuiduationis substantiæ: cõsequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia materia signata iuxta hanc opinionem, intrinsecè ac formaliter includit hæc accidentia vt ipsi inhærentia, ipsamque determinantia ad talem formam. Minor verò probatur primò, quia indiuiduum substantiæ est per se vnum directè collocatum sub specie in prædicamento substantiæ, non ergo includit intrinsecè accidentia, cùm tamẽ intrinsecè includat indiuiduationis principium. Secundò, quia ostensum est suprà, differentiam indiuidualem in re ipsa non esse distinctam ex natura rei à natura substantiali; atque adeò esse ipsammet substantiam indiuiduam; ergo principium intrinsecum eius non potest esse accidens, sed substantia.

XII. Atque hæ rationes possunt procedere etiam in alia sententia, quòd quantitas non sit in materia prima, sed in toto composito, quia quantitas accidens est: ergo in quocunq; subiecto sit, non potest intrinsecè constitutionem iudiuidui substantialis ingredi: ergo nõ potest eius distinctionem efficere. Vnde abstrahendo ab illis sententiis possumus tertiò argumẽtari, quia, licet res priùs natura sit in se vna, quàm sit distincta ab aliis, tamen hoc posterius intrinsecè sequitur ex primo absq; additione vlla positiua, quę fiat ipsi rei, quæ est vna, sed solùm per negationem, qua, posito alio extremo, verum est dicere, hoc non esse illud. Itaque illud idem positiuum, quod fundat vnitatem quoad primam negationem seu indiuisionem in se, fundat consequenter posteriorem negationem distinctionis ab alio, quo sensu dici solet, & verissimum est, per illud rem distingui ab aliis, per quod in se constituitur, quia distinguitur per id, quo est. Quo ferè sensu dixit D. Thom. 1. p. q. 76. art. 2. ad 2. *vnumquodque hoc modo habere vnitatem quo habet esse*. Et patet in vnitate specifica, nam eadem differentia quæ constituit speciem in se vnam, facit illam à cæteris speciebus distinctam: vnde quod est principium talis differentiæ, est etiam principium, non tantùm vnitatis, sed etiã distinctionis specificę: ergo similiter in vnitate indiuiduali id, quod est principium indiuidui, quoad constitutionem eius, & incommunicabilitatem seu indiuisibilitatem in se, est etiam principium distinctionis eius ab aliis; & è cõuerso, quod est principiũ distinctionis, debet etiam esse principium constitutionis. Si ergo materia per se, & secluſa quantitate constituit indiuiduum in se incommunicabile & vnum, distinguit etiam illud ab aliis, vel, si distinctionem dare non potest, neque incommunicabilitatẽ indiuiduationis dare potest. Et confirmatur. Nam incommunicabile hoc modo dicitur, quod ita est in se vnum, vt non possit in multa similia diuidi; quod autem huiusmodi est, ex hoc præcisè habet, vt, si alia existant, ab illis distinguatur. Idemq; argumentum potest è conuerso fieri de quãtitate, quòd, si illa est, quæ distinguit indiuidua substantiæ, ipsa etiam debet ea constituere; vel econtrariò, si non potest constituere, vt verius est, quia, cùm sit accidens, est extra totam latitudinem substantiæ, & supponit potiùs subiectum indiuiduum, neq; etiam distinguere potest.

XIII. Respondent aliqui, rationem hanc rectè probare, quantitatem non efficere primam distinctionem inter indiuidua substantiæ, non tamen probare, non efficere aliquam distinctionem, scilicet numericam, & quantitatiuam, quod satis est, vt quantitas quoad hanc partem possit intrinsecè pertinere ad principium indiuiduationis. Sed hæc responsio laborat in æquiuoco, nam, si quantitas non causat primam distinctionem, sed aliam, interrogo, quę nam sit illa, quã supponit, quæ vero illa, quã causat: prior sane nulla alia esse potest, nisi distinctio entitatiua qua hæc materia nõ est illa, aut hæc substantia nõ est illa. Tũ quia nulla alia distinctio prior excogitari potest tũ etiã quia hęc est maximè intrinseca cuicunq; entitati: sicut enim nihil cõcipi potest magis intrinsecũ vnicuiq; enti, quam entitas eius, ita nulla distinctio vel separatio ab alio ente est prior illa, quę hac negatione explicatur: Hoc ens non est illud: propter q̃ intelligi non potest vnam entitatem distingui ab alia entitatiue, ac primò, per aliud à seipsa.

XIIII. Vnde etiam fit (quod est nouum & sufficiens argumentum contra totam hanc sententiam) nõ pertinere ad effectum formalem quantitatis distinguere entitatiuè vnam materiam ab alia, vel partẽ materiæ à parte materiæ, quia, sicut quantitas supponit materiam vt subiectum, ita supponit indiuiduam entitatem eius, quæ per se ipsam entitatiuè distincta est ab alia entitate simili: ergo distinctæ quantitates supponunt distincta subiecta in quibus recipiantur, & distinctę partes quantitatis, partes etiam subiecti entitatiuè distinctas. Nam & hic locum habet argumẽtum illud Caietani quod actus singularis supponit potentiam singularem, quod maximè verum est in actu & potẽtia realiter distinctis. Eò vel maximè, quod cùm quantitas re distincta sit à materia, in qua ineſt, nõ potest illam facere re distinctam à se ipsa: ergo supponit in illa entitatem, quæ per se potest distingui à sua quantitate: ergo per eandem poterit distingui ab omnib. alijs, quæ non sint ipsa: non ergo hoc pertinet ad effectum formalem quãtitatis. Quod denique à posteriori confirmari potest; nam, si Deus separata quantitate conseruaret substantiam corporis Petri, v. g. entitates partiales materiæ, quæ sunt in manibus, pedibus, capite, &c. semper manerent entitatiuè distinctæ, siue manerẽt vnitæ, siue non, quia licet vna entitas possit cõiungi, vel se parari ab alia, tamen vnam fieri aliam, aut vtramq; coalescere in vnam indiuisibilem conseruãdo suam entitatem, aperta repugnantia est: quia & essent distinctæ, & non essent distinctæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XV. Distinctio ergo, quam supponit quantitas in substantia, est distinctio entitatiua, & substantialis: hæc autē est, quæ per se pertinet ad vnitatem indiuidualem, de qua tractamus: nam per hanc intelligitur, indiuiduum esse distinctum ab omnibus aliis, vel sub eadem specie, si cum similib. comparetur, vel etiam sub genere, vel sub quocunq; prædicato communi, si cum omnibus aliis conferatur: ergo, si aliquam distinctionem confert quantitatis, illa erit per accidēs ad rationem indiuidui, & superueniens illi: non ergo ea ratione pertinebit quātitas ad principium indiuiduationis, de qua agimus. Quod ex re ipsa explicatur, nam quantitas, sicut dat substantiæ vnitatem quantitatiuam, ita solum potest dare vel distinctionem quantitatiuam, vel situalem, quarum prior solùm consistit in hoc, quod vna substantia sit sub diuersis terminis quantitatis ab alia, & ita non sit continua illi continuatione propria quantitatis; posterior autem consistit in hoc, quòd vna substantia sit extra situm seu locum alterius. Vnde etiam saluatur, quòd quantitas ita distinguit, sicut constituit: primò enim facit substantiam in se extensam, vnitam & terminatam quantitatiuè, & habentem hanc corpoream molem, consequenter vero facit illam replere spatium locale; & similiter primariò distinguit quātitatiuè, & deinde situaliter: tota autem hæc distinctio est extra rationem substantiæ indiuiduæ, & accidentaria illi, sicut & ipsa quantitas.

XVI. Quod quidem in distinctione situali est per se euidēs, quia est valde extrinseca & mutabilis; & quātumuis res quanta situm mutet, eadem numero manet: imò per Dei potentiam potest eadem numero substantia corporea, vel sine quantitate, vel cum illa sine situ seruari: ad eum modum quo est Christi corpus in Eucharistia. Et similiter potest res eadē quanta cum duplici situ per Dei potentiam constitui, vt tractando de mysterio Eucharistiæ latè ostendi, & duo distincta corpora in eodem situ collocari possunt, & à Deo sæpè factum est, vt in materia de resurrectione demonstratum est. Hæc ergo situalis distinctio nihil ad vnitatem, & distinctionem numericam refert. De distinctione autem quantitatiua idem iudicium est, quod de ipsa quantitate, & de vnitate ab illa proueniente, quam suprà ostendimus esse accidentalem ad vnitatem intrinsecam, & entitatiuam substantię materialis: vnde, licet illam naturaliter comitetur ad modum proprietatis, tamen ordine naturæ supponit illam, & potiùs causatur ab illa, quam causet illam. Ac deniq; de potentia absoluta posset materialis substantia eadem numero sine sua quantitate seruari, & consequenter retinere totam vnitatem indiuiduam cum incommunicabilitate ac distinctione substantiali absq; vnitate, & distinctione quantitatiua.

Tertio to. in 3. part. Disp. 52. sect. 3. Secundo to. in 3. part. Disp. 48. sect. 5.

XVII. Quocirca etiam Soncin. & Ferrar. tandem fatentur, substantiam materialem non habere à quantitate vnitatem transcendentalem, sed tamen esse vnam numero per quantitatem. Sed mirum est, quod tam facilè diuertant à vero sensu quæstionis, & terminis æquiuocè vtātur. Vt enim sæpe admonuimus, & omnes supponunt, & ipsi (vt existimo) non ignorant, cùm hîc agimus de vnitate numerica, non accipimus numerum vt est species quantitatis, sed vt in quibuscunq; entib. reperiri potest, vt notat D. Tho. opusc. 16. cap. vlt. vbi hoc modo ait, *substantiam etiam immaterialem esse vnam numero*, quomodo etiam Arist. in 5. Metaph. distinxit vnū numero, specie, genere, & proportione. Hæc ergo vnitas numerica in vnaquaq; re transcendentalis est, sicut vnitas specifica, vel formalis suo modo est transcendentalis respectu naturæ communis: ergo, si substantia materialis habet vnitatem indiuiduam transcendentalem & non non per quantitatem, non pertinet quantitas intrinsecè ad principium indiuiduationis substantiæ. Adde, eo modo, quo substantia est vna numero prædicamentali per quantitatem, non solum distingui, sed etiam constitui, & fieri in se indiuisam & incommunicabilem quantitatiuè per eandem quantitatē: non enim posset quantitas facere aliquid vnum in suo genere, nisi faceret etiam indiuisum, cùm in hoc ratio vnius vnius consistat: si ergo constanter, & vniuocè loquūtur de incommunicabilitate & distinctione eiusdem generis, malè distribuunt hæc munera, aliud materiæ, aliud quantitati tribuendo; si autem nunc de incommunicabilitate substantiali, postea de distinctione quantitatiua loquuntur, non persistunt in vero quæstionis sensu, & æquiuocationem admittunt in vsu verborum.

Secundus modus exponendi materiam signatam reijcitur.

XVIII. Secunda expositio est, materiam signatam quantitate non includere quantitatem ipsam intrinsecè, sed vt terminum habitudinis materiæ ad ipsam. Est enim materia natura sua capax quantitatis, sed vt sic non potest esse completum principium indiuiduationis, quia est indifferens ad quamcunque quantitatem, sicut ad quamuis formam; per actionem autem agentis præuiam ad generationem determinatur, vt sit capax huius quantitatis, & non alterius, & illa vt sic dicitur esse indiuiduationis principium. Per quantitatem autem intelligimus hoc loco non solam mathematicam quantitatem (vt sic dicam) sed physicam, id est, physicis qualitatibus, & dispositionibus affectam. Ita rem hanc explicuit Caiet. de ente & essentia cap. 2. quæst. 5. Sequitur Iauell. 5. Metaphys. q. 15. & ante illos Ægid. quodlib. 1. quæst. 5. artic. 1. Hæc verò sententia displicuit eidem Caiet. 1. p. quæst. 29. artic. 1. propter argumentum quod infrà referam, & ideò alium inuenit dicendi modum (si tamen est alius) ait enim, non materiam vt est in potentia ad hanc quantitatem, sed vt virtute præhabens hāc quantitatem, seu vt est radix & fundamentum huius quantitatis, esse principium indiuiduationis. Veruntamen non satis intelligo, quid his verbis distinctum à priori significetur, quia materia (præsertim in sententia Caiet. & aliorū Thomistarum) nō præhabet quantitatem in genere causæ effectiuæ, sed ab extrinseco agente fit, vel resultat à forma, solùm ergo potest illam præhabere in genere causæ materialis, hoc autem nihil aliud est, quàm habere illam in potentia receptiua, seu (quod idem est) habere potentiam ad illam: sicut materia vt præhabens formam nihil aliud esse potest, quàm materia vt est in potentia ad formam, seu potiùs vt est potentia receptiua formæ, quia non aliter præhabet, quam in genere causæ materialis: idem ergo est in præsente propter eandem rationem. Omnia ergo illa verba, materia vt fundamentum, vt radix, vt causa eodem reuoluuntur, quia materia non est fundamentum quantitatis nisi materiale & passiuum, neque est radix nisi vt primum subiectum, nec causa, nisi materialis, quæ consistit in ratione potentiæ receptiuæ, ex qua forma educitur: ergo illis omnib. verbis nihil aliud subesse potest nisi potentia ipsius materiæ.

materiæ. Quocirca & argumentum ipsius Caiet. & quæ nos faciemus, æquè procedunt contra hanc sententiam; & ideò necesse non est, illam vt diuersam tractare.

XIX. Cum his etiam coniungenda est alia, quæ dicit materiam signatam nihil aliud esse, quam materiam vltimò dispositam ad hāc formam, quia non disponitur, nisi quantitate talibus qualitatib. affecta. Hæc autem sententia dupliciter affirmari potest, primò intelligendo quantitatem, & alias dispositiones inhærere & manere in materia, & simpliciter præcedere ordine naturæ introductionem formæ: & sic rectè potest intelligi materia dispositа & signata ad formam, tamen hoc modo ponere materiam signatam principium indiuiduationis est incidere in priorem sententiam Capreoli, quia hæc materia signata includit intrinsecè quantitatem & accidentia, quæ impossibile est includi in principio indiuiduationis, vt ostendimus. Quòd si dicatur, has dispositiones licet inhæreant materiæ, non tamen includi in indiuiduo intrinsecè & formaliter, sed esse veluti conditiones requisitas; contra hoc est, quia inde fit, principium indiuiduationis intrinsecè & formaliter solum esse aliquid commune multis indiuiduis, scilicet materiam ipsam secundum se: hoc autem est impossibile, vt suprà argumentabamur. Vnde hoc non esset assignare id, q̄ in se & reuera est principiū indiuiduationis, sed ad summum, id, quod potest esse signum indiuiduationis quoad nos, vel occasio productionis talis indiuidui respectu agentis, de quibus modis postea dicemus. Alio ergo modo potest doceri hæc sententia, supponendo, quantitatem, & alias dispositiones non inesse materię, sed composito; & vt conficiunt vltimam dispositionem consequi formam; & in hoc sensu idem est, materiam esse dispositam, quod habere ordinem seu potentiā determinatam ad hanc quantitatem cum his dispositionibus: atque hoc modo coincidit hic modus loquendi cum secunda expositione adducta.

XX. Hanc ergo totam expositionem falsam esse censeo. Et in primis in illa supponitur, materiam nō habere sibi inhærentem quantitatem, & dispositiones alias, quod, licet probabile sit, fortasse tamen nō est æquè probabile ac contrarium. Deinde, suppositа illa sententia, argumentatur Caiet. in 1. p. nam potentia materiæ ad quantitatem recipiendam est in genere quantitatis, quoniam potentia & actus sunt in eodem genere, vt Arist. ait 10. Metaph. ergo neq; illa potentia ad quantitatem potest intrinsecè pertinere ad principium indiuiduationis substantiæ, alias indiuiduum substantiæ non esset per se vnum: constaret enim ex rebus diuersorum prædicamentorum. Hæc tamen ratio per se sumpta non est efficax; bene enim respondet Iauellus, potentiam pertinere ad genus sui actus primarii, ad quem per se primò ordinatur, & à quo suo modo sumit speciem: materia autem non est ita potentia ad quantitatem, vt per se primò ad illam ordinetur, sed ad formam substantialem; & ideò necesse non est, vt ad prædicamentum quantitatis pertineat. Quod autem in fauorem Caiet. instat Fonseca 5. Metaph. c. 6. quæst. 4. sect. quamuis potentia materiæ simpliciter non pertineat ad quantitatem, tamen vt receptiuam quantitatis ad illud prædicamentum pertinere: hoc (inquam) non vrget, quia illa reduplicatio materiæ vt receptiuæ quantitatis non addit potentiam realem ipsi materiæ, sed solùm secundum nostrum modum concipiendi, & loquendi explicat illam potentiam per habitudinem ad secundarium terminū, qui est quantitas; & ideò necesse non est, vt ea ratione ad prædicamentum quantitatis pertineat. Quod ergo attinet ad vim argumenti fundati in illa maxima, *actus & potentia sunt in eodem genere*, bona est responsio Iauelli, vt latiùs infrà dicemus tractando de causa materiali accidentium.

XXI. Tamen ex eadem responsione sumitur argumentum efficax contra hanc ipsam opinionem, nam si potentia materiæ priùs respicit substantialem formam, quàm quantitatem: ergo priùs etiam determinatur eius potentia ad hanc formam substantialem, quàm ad hanc quantitatem: ergo non signatur seu determinatur ad hanc formam per potentiam ad hanc quantitatem. Prima consequentia patet, tum quia potētia determinatur ad actum modo sibi proportionato: si ergo potentia ipsa substantialis est, & non respicit actum accidentalem, nisi medio substantiali, non determinatur nisi cum eadem habitudine & proportione; tum etiam, quia iuxta sententiam horum authorum in re ipsa materia nō recipit hanc quantitatem, nisi mediante hac forma, & quia recipit hanc formam, ideò recipit hanc quantitatem: ergo similiter in potentia non determinatur eius capacitas ad hanc quantitatem, nisi quatenus determinatur ad hanc formam. Idemque argumentum procedit iuxta aliam formam loquendi Caiet. de materia vt præhabet quantitatem: quia materia non præhabet quantitatem, nisi in quantum præhabet formam, ad quā sequitur quātitas: ergo nec præhabet hanc quantitatem cum his dispositionib. nisi in quantū præhabet hanc formam, ad quam sequuntur hæc quantitas & hæ dispositiones: ergo nō potest sigillari ad hanc formā per hoc, quod præhabet hāc quantitatē. Deniq; eadem forma argumentādi procedit contra aliā locutionē de materia dispositа vltima dispositione, quia materia non determinatur ad talē dispositionem vltimā, nisi mediante forma: supponimus enim nō recipi in illa, sed in cōpositо: ergo non potest materia sigillari, vel per habitudinem ad talē dispositionem, vel per ipsam dispositionem vt actu receptam, quia vtroq; modo præcedit simpliciter determinatio huius materiæ ad hanc formam, tam secundùm habitudinem, quàm secūdum actuale receptionem. Procedit autem hæc ratio de dispositione vltima, quæ est in instanti generationis, & consequitur formam. Si quis verò contendat materiam sigillari per dispositiones immediatè præcedentes, alia via procedendum est.

XXII. Vnde argumentor secundò, principaliter contra totam hanc dispositionem, quia materia de se est indifferens ad hanc quantitatē, & has dispositiones & ad alias, & in instanti generationis (iuxta hanc sententiā) priùs natura, quàm recipit formā substantialem, relinquitur nuda omni accidente, & sine vlla entitate illi superaddita: ergo manet æquè indifferens, ac de se existit: ergo potentia eius nō est determinata ad hanc quantitatem: quia intelligi non potest, quod potentia de se indifferens determinetur sine additione vlla vel mutatione in ipsa facta: ergo per talem potentiam sic indeterminatā non sigillatur. Maior per se nota est ex natura materiæ. Minor etiam est per se nota in principiis huius sententiæ, quam impugnamus, quia ante formam substantialē nihil aliud substantiale potest præintelligi additum materiæ, quid enim illud esset, aut à quo fieret, aut quo fundamēto, aut ad quid poneretur? Neq; etiam aliquid accidentale, quia nullum accidens præcedit in ma-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in materia ante formam substantialem, & in omni sententia nullum accidens precedit in materia quãtitatem ipsam. Dicunt aliqui addi materiæ in illo instanti quendam modum realem & ex natura rei distinctum à materia præuium ad introductionem formæ substantialis cum sua quantitate & aliis dispositionibus, & per hunc modum sigillari materiam, & nonnulli vocant illum modum substantialem, alii accidentalem. Sed vtriq; gratis loquuntur, neq; explicare possunt aut rationem reddere eorum quæ dicunt; quod est à vera philosophandi ratione alienum. Nam primò inquiro ad quid sit iste modus. Dicent, vt materia determinetur ad hanc formam. Contra, ipsa est indifferens ad hunc modum, & infinitos alios: per quid ergo determinatur materia, vt hunc modum in illo instanti recipiat potius, quam alium? Si enim dicas, determinari per aliũ modum, procedemus in infinitum: si verò dicas determinari per dispositiones immediatè præcedentes, meliùs dicetur immediatè determinari materiam ad formam, & ita superfluus est iste modus. Præterquã quod argumenta, quib. statim ostendemus non posse materiam per dispositiones precedentes determinari ad formã, eodẽ modo probant, nõ posse determinari per eas ad talem modum recipiendũ. Si verò tandem dicatur, materiam sine vlla determinatione præuia recipere hũc modum virtute agentis, cur nõ dicetur idem de forma? sine ratione ergo vel fundamento interponitur hic modus,

XXIII. Secundò inquiram, quando, & à quo fiat iste modus: nam vel fit paulatim, dum materia disponitur: vel fit in vno instante, aut præuio ad generationem, aut in ipso instante generationis. Nihil autem horum commodè intelligi, aut explicari potest: nam si dicatur fieri successiuè & paulatim cum dispositionibus, erit intensibilis sicut illæ: erit ergo aliquod accidens, ac proinde in instanti generationis corrũpetur. Item ex hac parte principium indiuiduationis erit intensibile, & remissibile; erit etiã materia priùs tempore sigillata in se ipsa, & modificata ad formam, quàm illam recipiat. Et consequenter, cùm hic modus sit immediatè repugnans cum alio modo determinationis, quam materia habet respectu formæ, sub qua existit, sequitur materiam etiam paulatim illum amittere; & eadem ratione posset inferri, paulatim & successiuè amittere vnionem cum tali forma, quæ omnia sunt absurda & improbabilia. Eademq; apertiùs sequuntur, si ponatur hic modus fieri totus simul in aliquo instante ante instans generationis: nam tũc materia esset simul sub vna forma, & vltimò sigillata ad aliam: præterquàm quòd non potest reddi ratio, cur in vno instante fiat potiùs quàm in alio, loquendo de his in quibus materia nõ est apta ad recipiendam formam. Si verò dicatur fieri simul in instante generationis, sequitur materiam priùs natura relinqui nudam, quàm recipiat talem modum; & consequenter nihil resistere agenti, quò minùs in illam agat, quantum potest: ergo sicut dicitur immediatè agere talem modum, multò meliùs dicetur immediatè agere suam formam.

XXIIII. Tertiò inquiram, quid sit iste modus. Non est enim substãtialis, primò, quia cum nec sit natura, nec pars naturæ, nec subsistentia, nec existentia, concipi non potest quid sit. Deinde, vel est omnino absolutus etiam secundum relationem transcendentalem, & hoc non dicetur consequenter, tum quia per illũ dicitur determinari materia ad hanc formam, vel quantitatem, tum etiam quia per illum dicitur sigillari materia: si ergo ille est omnino absolutus, materia signata erit quid omnino absolutum à quantitate, & ab ordine ad quantitatem, quòd est contra prædictam sententiam. Et ferè idem argumentum fiet, si ponatur ille modus cum habitudine aliqua transcendentali: nam vt modus sit substantialis, oportet vt terminus primarius illius habitudinis sit forma substantialis, & nõ quantitas: & ita etiam nullo modo ordo ad quantitatem pertinebit ad principium indiuiduationis. Si autem ille modus ponitur accidentalis, explicari non potest quid sit, vel ad quod prædicamentum reuocetur: repugnat etiam illi sententiæ, quòd accidentia non sunt in materia prima: sequitur etiam indiuiduationis principium esse ens per accidens ex substantia, & accidente conflatum; & indiuiduum addere supra speciem modum accidẽtalem ex natura rei distinctum à substantia, quod omnino falsum est.

XXV. Quapropter alii respondent, potentiam materiæ in eo instãte determinari ad hanc quantitatẽ ab ipso agente sine vlla re aut modo intrinseco ei superaddito. Sed hoc apertam inuoluit repugnantiam: nam, vel est sermo de agente vt præintellecto in actu primo ante actionem eius, & hoc modo impossibile est, vt per illud determinetur intrinseca potentia, & capacitas materiæ, cùm sint res omnino distinctæ, & vna vt sic actu non immutet aliam. Vnde, si in eo instante illud agens annihilaretur priùs quam ageret in materia, & aliud applicaretur, distinctam formã sibi proportionatã in eam induceret. Si verò sit sermo de agente in actu secundo, seu de actione eius, implicat intelligere, agens per actionẽ suam determinare materiam, & nihil intrinsecum ponere in illa ad determinandam illam, quia talis actio agentis est in passo, in quo necessariò habet aliquẽ terminũ.

XXVI. Responderi potest, agens determinare materiam per actionem suã, non quam habet in instante generationis, sed quã habuit immediatè ante illud instãs. Quæ responsio coincidit cũ ea sententia, quæ dicit, dispositiones quæ immediatè ante præcesserunt, relinquere potẽtiã materię determinatam, etiã si nihil reale in illa relinquãt. Quod quidẽ de determinatione intrinseca, & positiua intelligi nõ potest propter argumentum factum, quòd capacitas materiæ de se est vniuersalis, & indifferens: ergo nõ potest limitati intrinsecè, nisi ei aliquid addatur, vel aliquo modo in se mutetur: nihil autem huiusmodi in ea fit: habitudo autem illa ad præcedentes dispositiones, solùm est quædam relatio rationis seu determinatio extrinseca. Et cõfirmatur, nam si dispositiones præcedentes determinant materiam, vel effectiuè, vel formaliter: nullũ enim aliud genus causalitatis habere possunt illa accidentia in materia, nam licet cõparatione formæ dicantur materialiter concurrere, tamen respectu materiæ minime, quia ad illam non comparantur vt potentia, sed vt actus: ergo tantum possunt determinare illam formaliter, vel effectiuè. Sed non formaliter, quia forma, quæ nõ est, nullum habet effectum formalem realem: vnde sicut materia in illo instante amisit illas formas accidentales, amisit omnes effectus formales earum. Neq; etiam effectiuè, tum eadem ratione: quia quod non est, nõ efficit, tum etiã quia materia nihil recipit ante formam, vt ostensum est: nullo ergo modo intelligi potest potentia materiæ determinata intrinsecè ad hãc quantitatem, vt hoc modo possit esse indiuiduationis principium. Atque totus hic discursus applicari potest contra posteriorem modum loquendi Caiet.

quia

quia materia de se non magis præhabet hanc quantitatem, quàm aliam, vel magis est radix huius, quàm alterius: inquiro ergo, per quid determinetur, vt in illo instante generationis magis prehabeat hãc quãtitatem, quam aliam, vel sit radix huius potiùs, quã alterius, & redit totum argumentum factum. Quod etiam eodem modo procedit contra alium modum explicandi materiam signatam, quòd sit materia disposita per precedentes dispositiones (nam de subsequentibus iam satis dictum est in prima ratione, & in argumentis factis contrà sententiam Capreoli) nam illæ dispositiones nihil relinquunt in materia, cùm ipsę omnino corrumpantur, vt supponitur: ergo nõ possunt illam relinquere intrinsecè, & positiuè dispositam, vt argumentis factis conuincitur: nã, siue dicas dispositam, siue determinatam, perinde est: nam eadem res subest his vocibus.

XXVII. Dico autem semper *intrinsecè & positiuè*, quia negatiuè ex vi præcedentium dispositionum relinquitur materia non repugnãs introductioni huius formæ, quod potiùs est manere indifferentem, quàm determinatam. Rursus extrinsecè potest dici hìc & nunc naturaliter determinata ad recipiendam hanc formam: quia fortasse naturali quadam consecutione hoc agens hìc & nunc circa hoc subiectum, immediatè post hanc alterationem naturali ordine est determinatum ad hanc formam introducendam. Sed hæc reuera potiùs est determinatio agẽtis, quàm materiæ, & ideò hæc determinatio non potest efficere, vt materia sit intrinsecum principiũ indiuiduationis, sed pertinet ad extrinsecum principium q̃ est ex parte agentis. Eò vel maximè, quod etiam secundum hunc determinationis modum priùs intelligitur agens determinatum ad hanc formam introducendam, quã ad hanc quãtitatem, & alias dispositiones: nam hãc formam per se inducit, hanc verò quãtitatem, & dispositiones, quatenus ex hac forma resultant iuxta sententiam, quam prosequimur. Vnde tandem generale potest confici argumentum, quia materia nõ disponitur, nec determinatur per se primò nisi ad hanc formam, & propter hãc formam, & ratione illius recipit hæc accidentia; & ideò secundũ se & ordine naturę nõ potest forma esse hęc, propter hæc accidentia, nec propter ordinem ad illa, & consequenter nec per materiam signatam per ordinem ad aliqua accidentia: ergo materia signata illo modo explicata non potest esse principiũ indiuiduationis.

Tertia expositio eiusdem sententiæ de materia signata.

XXVIII. Tertia explicatio est, de principio indiuiduationis dupliciter nos loqui posse, primò secundum se, id est quatenus reuera est principium constituens indiuiduum, vt tale est, & est radix seu fundamentum, à quo sumitur indiuidualis differentia. Secundò loqui possumus de principio indiuiduationis in ordine ad productionem seu multiplicationem indiuiduorum, quod est quærere, quod sit principium, & radix, ob quam indiuidua substantialia multiplicantur, vel cur potiùs producitur hoc indiuiduum, quàm aliud, seu cur producitur distinctum à reliquis. Rursus in vtraque consideratione inquiri potest id quod est principium per se & in se indiuiduationis; vel id tantum quod in ordine ad nos est principium distinguẽdi vnum indiuiduum ab alio; vel quod est solùm occasio talis distinctionis. Primò ergo, loquendo de principio constituente in re indiuiduum, & à quo verè sumitur differentia individualis contractiua speciei, & constitutiua indiuidui, negat hæc opinio materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, quia hoc videntur concludere discursus facti.

XXIX. Secundò ait hæc opinio, materiam esse principium, & radicem multiplicationis indiuiduorum in substantiis materialibus. Probatur, quia est origo generationum & corruptionum, per quas fit indiuiduorum multiplicatio. Item, quia compositum ex tali materia, ratione illius est corruptibile, & inde habet, vt non possit perpetuò conseruari, & ideò vt species conseruetur, requiritur indiuiduorũ multiplicatio: huius ergo multiplicationis radix est materia. Et addi etiam potest, hanc radicem esse materiã affectam quantitate, quia materia absq; quantitate non esset capax alterationis physicę, & mutationis p varias & contrarias dispositiones, ex qua nascit hæc indiuiduorum varietas, & multiplicatio. Hoc autem munus non conuenit materiæ vt signatæ, & determinatæ ad certam formam vel quantitatem, sed absolutè secundùm se: quia hactenus non egimus de radice huius indiuidui in particulari, sed absolutè de radice multiplicationis indiuiduorum in eadẽ specie, materia autem non est radix huius multiplicationis absolutè, quatenus determinata ad vnam formam, vel quãtitatem, sed potius quatenus est determinabilis ad plures. Dices, Hoc modo etiam materia dicetur radix multiplicationis specierum in substãtiis generabil. & corruptibilibus: ideò enim multiplicari possunt ex eadem materia, quia illa est capax omnium formarum, & secundum se indifferens ad illas, & ad varias earum dispositiones. Respondetur, non esse similem rationem, nam licet illa proprietas materiæ sit necessaria ad prædictam multiplicationem, tamen propriè non est prima radix illius varietatis; tum quia, cum tota ipsa materia sit vnius speciei, & partes seu portiones eius secundum se tãtum numero distinguantur, ipsa quantum est de se contenta est formis numero distinctis, tum etiam quia distinctio specifica est per se in rebus, & ideò radicaliter prouenit à forma, quæ per se dat speciem, & ideò hæc distinctio sine controuersia in materialib. & in immaterialibus, corruptibilibus, & incorruptibilib. reperitur: quod de distinctione numerica non constat, neque ita necessarium apparet.

XXX. Tertiò ait hæc opinio, materiam signatam quantitate, esse principium & radicem, vel saltem occasionem productionis huius indiuidui distincti à reliquis. Declaratur, nam potest hoc indiuiduum cõparari, vel ad reliqua indiuidua existentia, vel ad alia possibilia, quæ ex eadem materia produci possunt, etiam ab eodem agente. Priori modo sufficiẽs, & prima ratio, cur hoc indiuiduum producitur distinctum à reliquis, est, quia ex diuersa numero materia producitur: quia, cùm non possit eadem numero forma esse in diuersis numero materiis totalibus, hoc ipso, quod materia est diuersa numero necesse est, vt forma saltem sit numero diuersa: vnde ad hãc distinctionem non oportet dispositiones alias, vel aliam materiæ signationem adiungere: quia sufficit numerica distinctio materiæ secundum se, vel cum sua quantitate: quod tamen non sufficit, vt hæc materia sit radix distinctionis huius indiuidui à reliquis, quæ non existunt, seu quæ ex eadem materia facta sunt, aut fieri possunt. Vnde quidam dixerunt, Aristot. non assignasse principium indiuiduationis, quo distinguatur indiuiduum ab omnibus,

quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ non existunt, quia hęc satis per solam contradictionem distinguuntur: sed assignasse solum principium distinguens prædicto modo vnum indiuiduum ab aliis existentibus, quod docuit Fonseca lib. 5. cap. 6. quæst. 4. sect. 4. idque refert ex Heruæo quodlib. 3. quæst. 9. & Caiet. cap. 2. de ente & essent. quæst. 5. Addendum autem est, per materiam prædicto modo consideratam, non solum distingui indiuiduum ab aliis existentibus, sed etiam à quibuscunque aliis possibilibus, etiam non existentibus, quæ ex aliis materiis numero distinctis generari possunt, præsertim in his, quorum formæ à materia educuntur, quia valde verisimile est, eandem numero formam, non solum simul, verũ nec successiuè posse ex diuersis numero materiis educi. In indiuiduis autem, quæ ex eadem numero materia generari possunt, non habet locum distinctio vnius indiuidui existentis ab alio existente, quia non possunt simul existere plura indiuidua ex eadem numero materia constantia, & ideò talis distinctio semper est rei existentis à non existente.

XXXI. Quamuis autem hæc oppositio contradictoria B sufficiens argumentum sit distinctionis talium indiuiduorum, tamen adhuc inuestigari potest principium, & radix, cur ita distinguantur, vt vno existente, aliud non existat: seu cur potius in hac materia hæc numero forma introducatur, quam alia, quæ fieri posset. Causa enim huius non potest reddi ex sola materia prima, cum eadem successiuè sit in vtroque indiuiduo, quod etiam fortasse est verum de quantitate coæua ipsi materiæ. Adiungendæ ergo sunt aliæ dispositiones, & circumstantiæ actionis, scilicet, quòd ex hoc subiecto sic præparato & disposito hoc tempore, ab hoc agente, hæc actio fiat: hinc enim fit, vt, licet materia prima seu remota sit eadem, ex illa tamen fiat hoc indiuiduum distinctum ab omnibus aliis, quæ ex illa vel facta sunt, vel fieri possunt, quia cum diuersis dispositionibus, & circumstantiis fit productio. Et confirmatur hoc ac declaratur, nam ignis verbi gratia de se potens est ad producendas plures formas sibi similes in specie, & numero distinctas, & tamen hìc & nunc in hac materia introducit hanc numero formam potiùs quam alias, quæ determinatio non potest pro- C uenire ab ipso igne, cùm sit naturale agens, & de se æquè potens ad quamlibet formam introducendam: nec potest ab ipsa forma educenda prouenire, quia ipsa nondum est, neque habet, vnde determinet virtutem agentis; neq; prouenit ex materia remota, quia illa etiam est de se æquè indifferens: ergo prouenit, vel ex dispositionibus, si illæ manent in materia, vel ex naturali ordine agendi hìc & nunc cum his circumstantiis: non enim facilè potest alia naturalis causa excogitari. Nam quod quidam existimant reuocandum hoc esse in diuinam voluntatem, quamuis verum habeat in his effectibus, qui ab ipso Deo immediatè fiunt, tamen hoc attribuere omnibus causis naturalibus, non videtur philosophicum, & in Theologia habet specialem difficultatem, propter determinationem actuum liberorum, & præsertim malorum, quam infra attingemus tractando de concursu Dei cum causis secundis. Hoc igitur modo materia signata, & his circumstantiis affecta est principium seu occasio talis indiuiduationis: quia nec materia sufficit sine circumstantiis, vt dictum est, nec circumstantiæ sine materia: nam si hæc sit diuersa, effectus etiam diuersus erit. Dices,

XXXII. Ergo eadem materia erit principium intrinsecum A constitutiuum indiuidui in suo esse, nam sicut res se habet ad fieri, ita & ad esse. Respondetur negando consequentiam, tum quia aliud est hanc rem esse tale individuum, aliud verò produci nunc hoc indiuiduum potius, quàm aliud, & ideò hęc possunt prouenire ex diuersis radicibus, tum etiam quia iuxta hanc explicationem materia signata non tam est principium indiuiduationis, quam occasio inducendi hanc formam in subiecto potius, quàm aliam, ista vero forma non est hæc, quia in hoc subiecto, hoc tempore & ab hoc agente fit, quia hæc sunt accidentaria illi secundum se, & posset à Deo eadem numero sine his circumstantiis fieri; & loquendo de dispositionibus, potius illæ ordinantur ad talem formam, quàm econtrario: solum ergo potest materia signata dicto modo esse occasio, cur à naturali agẽte producatur hęc forma ex naturali ordine, quo virtus agentis naturalis determinata est ad talem effectum efficiendum potius quam alium in tali subiecto talibus circumstantiis applicato & affecto.

XXXIII. Quartò addit hæc opinio, materiam signatam quantitate sensibili dici principium indiuiduationis quoad nos, quia per illud nos cognoscimus distinctionem indiuiduorum materialium inter se. Sic D. Thom. opusc. 32. de natura materiæ & dimensionibus interminatis cap. 3. ait, *ex hac materia prima & hac forma fieri indiuiduum substantiæ, non tamen esse hic & nunc demonstrabile sine dimensionibus determinatis, & ideò* (inquit) *dicitur materia sub certis dimensionibus causa indiuiduationis, non quod dimensiones causent indiuiduum, cum accidens non causet suum subiectum, sed quia per dimẽsiones certas demonstratur indiuiduum hic & nunc, sicut per signum proprium indiuidui, & inseparabile*: & idem indicat opusc. 29. de principio indiuiduationis. Vnde quando aliis locis significat D. Thom. indiuiduum addere accidẽtia supra naturam specificam vt 1. part. quæst. 3. art. 3. & quodlib. 2. art. 4. & quæst. 2. de verit. art. 6. ad 1. & aliis locis supra citatis, exponendus videtur in ordine ad cognitionem nostram. Est enim illud signum, quo nos à posteriori distinguimus vnum indiuiduum ab alio: non vero est id, quo in se distinguitur, vt ipse D. Thom. aliis locis, seu opusculis citatis explicasse videtur; & optima etiam ratione probasse, scilicet, *quia accidens non causat subiectum suum*: maximè cum idem D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 1. & quæst. 9. de potentia art. 1. ad 8. dicat, substantiam indiuiduari per se ipsam, & per propria principia, accidentia vero indiuiduari per substantiam: ergo cum aliis locis ponit accidentia, vel ordinem ad accidentia inter ea quę indiuiduant substantiam, exponendus necessariò est, vel quoad nostram cognitionem, vel quoad occasionem, quam præbent productioni talis indiuidui substantiæ, vt declaratum est. Attribuitur autem hoc materiæ, ratione quantitatis potius quam ratione qualitatum, quia etiam ipsarum qualitatum numeralis distinctio maximè nobis nota est ex quantitate: nam si duæ imagines sint inter se valde similes, non aliter distinguimus illas, quam in diuersis subiectis quantis eas numerando. Et in eodem sensu videtur intelligẽdum, quantitates ipsas distingui numero ex sitibus: est enim id verum quoad nos: ideò enim illas sensibiliter distinguimus & numeramus, quia eas in diuersis sitibus conspicimus, non tamen est verum secundum se, nam potius occupant quantitates diuersos situs, quia in se distinctæ sunt: solum ergo quia quantitas natura sua hoc habet, vt constituat partẽ extra partẽ in corpus

in corpus extra corpus in ordine ad situm, & deest A aptius principium ad distinguenda indiuidua materialia in ordine ad nos.

Quæstionis resolutio.

XXXIV. HÆc tota opinio in se quidem probabilis est & mihi aliquãdo placuit: vereor tamen, an iuxta illam satis explicetur mens Aristot. & D. Thom. tum quia, alioqui valde diminutè, & cum magna æquiuocatione tradidissent nobis indiuiduationis principium, si omisso eo, quod verè & in se est principium constitutiuum indiuidui, solum nobis tradidissent, vel signa à posteriori, vel occasiones distinguẽdi, aut producendi indiuidua; tum maximè quia ex hoc principio videntur intulisse in separatis à materia non dari plura indiuidua, quia non datur huiusmodi principium indiuiduationis. Illud etiam, quod in ea sententia dicebatur de determinatione agentium ad particulares effectus, & formas ex materia cum circumstantiis actionis, multis & doctis viris difficile creditu videtur, quia, si attentè res cõsideretur, omnia reducuntur ad circumstantiam tẽ- B poris, quæ videtur valde extrinseca, vt ab ea possit hæc determinatio prouenire. Sed de hoc vltimo puncto dicam cõmodiùs sect. seq. De alio verò pertinente ad mentem Aristot. & D. Tho. Quod ad D. Thom. pertinet constat expositionem illam fundatam esse in alijs locis, & verbis eius, quæ aliter conciliari non possunt. Quod verò ad Aristotelem attinet non videtur vnquam ex professo, & Metaphysicè principium hoc inuestigasse, & declarasse, sed solùm ex sensibilib. Physico more docuisse vnum indiuiduum materiale ab alio distinguere. Quod verò inde intulerunt dicti authores, in substantiis immaterialibus nõ esse multiplicationem indiuiduorum in eadem specie, hunc potest ad summum habere probabilem sensum, scilicet non habere nos in rationes, & principia ad distinguendas spirituales substantias numero distinctas, quas habemus in materialibus, imò multi hoc extendunt, etiam ad materiales substantias incorruptibiles, in quibus etiam non habemus tot principia ad cognoscendam, vel ponendam in eis numericam distinctionem, quot habemus in substantiis corruptibilibus, de quibus C maximè procedunt omnia quæ dicta sunt. Deniq; & Arist. dixit in 1. de Cœlo. non posse esse alium mundum præter hunc, quia in hoc est tota materia, videtur certè intellexisse, aut Deum creasse mundum ex materia, nec posse materiam ipsam creare, aut Deum agere ex necessitate naturæ, & ideò non posse plus materiæ creare, quàm creauit, vel certè ita esse Deũ determinatum in suo modo agendi, vt nullam substantiam integram & materialem possit in tempore ex nihilo condere, vt in discursu huius operis videbimus. Iraque ex illa sententia solùm ad præsens colligitur ex mente Aristot. materiales substantias non multiplicari, nisi ex materia. Quidquid verò sit de mente horum authorum constat ex hac sententia sic declarata non esse nobis traditum proprium & internum principium differentiæ indiuidualis etiam in rebus materialibus. Nam argumenta facta contra hanc sententiam aliis modis expositam, plane concludunt non posse materiam signatam esse huiusmodi principium.

SECTIO IIII.

An forma substantialis sit principium indiuiduationis substantiarum materialium.

EST alia principalis sententia in hac I. materia principium internum indiuiduationis esse formam substantialem. Hæc solet tribui Duran in 2. dist. 3. quæst. 2. qui non omnino illã affirmat, vt posteà dicam: eã verò videtur docuisse Auer. 1. de anima. c. 7. & li. 2. in principio, & com. 7. 8. & 9. & 60. & 3. Physic. com. 60. & lib. 4. com. 38. citatur etiam Auicen. 6. natural. p. 1. dicens. *formam dare subiecto vnitatem numericã*: tenet Zimara Theorem. 97. & Sebast. Episc. Oxomen. 2. de anima. c. 1. Fauetq; Arist. ibidẽ, dum ait. *formam esse, quæ constituit hoc aliquid*. Et ex hoc verbo Arist. sumendum est præcipuum fundamentum huius sententiæ; nam principium indiuiduationis esse debet id, quod intrinsecè constituit hanc substantiam, & est maximè proprium illius: ergo ratione primæ proprietatis esse debet aliquid substantiale: nam accidentia, vt sæpè dictum est, nec constituunt substantiam, neq; hanc substantiam: nam hęc substantia, etiam vt est hæc, est ens per se & substantiale. Ratione autem alterius proprietatis hoc principium non potest esse materia, sed forma: quia hæc materia non est maximè propria huius indiuidui, cùm sub aliis formis esse possit: ergo forma est principium indiuiduationis.

Vnde argumentor secundò, quia idem est principium vnitatis, quod entitatis, propter quod dixit D. Thom. quæst. vnica de anima art. 1. ad 2. *Vnumquodq; secundum idem habere esse & indiuiduationem*. Sed vnaquæq; res propriè habet esse à forma: ergo & vnitatem indiuidualẽ. Maior constat, quia vnitas est passio consequens entitatem, & non addit illi nisi negationẽ: ergo non potest habere aliud principiũ positiuũ & reale, nisi quod est principiũ ipsius entitatis.

Sed obiiciet aliquis contra hanc sententiam & rationem, quia quamuis rectè probet formam cõferre ad vnitatem, non tamen, quod ipsa sola sit principiũ indiuiduationis: nam etiam materia est principium intrinsecum constituẽs rei entitatem, & ideò etiam erit principium indiuiduationis, si non sola, saltem cum forma. Responderi posset iuxta sentẽtiam Durandi in 4. distinct. 44. quæst. 1. formam non tãtùm habere vim indiuiduandi compositum, sed etiam materiam ipsam, quia forma non tantùm dat esse composito, sed etiam materiæ: vnde fit (inquit) vt hoc ipso, quod materia iungitur eidem formæ numero, sit ipsa eadem numero. Sed hæc sententia Durandi falsa est, meritoque à cæteris Theologis reiicitur, vt ostendi in secundo tomo tertię part. disputatione 44. sect. 2. Vna enim & eadem numero materia, quæ fuit in corrupto, manet in genito, alioqui non esset idem numero subiectum ex quo fit generatio. Item, quia impossibile est, vt vel res, quæ anteà erat numero distincta ab alia; posteà fiat illa, seu eadem numero cum illa indiuisibiliter, vel quòd res quę erat vna numero, posteà secundùm se totam fiat alia numero distincta: ergo, materia quę sub forma cibi est vna numero, non potest fieri alia numero per hoc, quòd incipiat esse sub forma animę, & materię Petri & Pauli, quę sunt numero distinctę, non fient vna numero, etiamsi successiuè sint sub forma Petri, & Pauli. Deniq; aliàs eadẽ numero materia semel annihilata restitueretur per solã vnionẽ alterius materię

L ad ean-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad eandem formam: loquimurq; de vera vnitate secundum realem & physicam entitatem, & non tantum secundum apparentiam, vel vulgarem modum loquendi, quo modo res, quæ est in continuo fluxu, & paulatim tantum mutatur, solet dici vna: sic enim etiamsi mutatio fiat in forma, potest conseruari talis vnitas, vt patet in fluuio, vel in arbore, aut bruto.

III. Respondetur ergo aliter, verum quidem esse adequatam causam intrinsecam indiuidualis vnitatis substantiæ materialis esse formam, & materiam, vt argumentum concludit, tamen, si hæc duo inter se comparentur, præcipuam causam huius vnitatis esse formam, & hoc sensu illi specialiter attribui, quod sit indiuiduationis principium. Sicut etiam materia necessaria est ad rationem seu vnitatem specificam, non enim potest ratio hominis, vel humanitatis vt sic sine materia constitui, & idem est de ratione generica animalis, viuentis, &c. & nihilominùs absolutè dicitur ratio specifica sumi à forma: quia illa dat vltimum complementũ, solumq; præsupponit materiam vt quid potentiale & indifferens: eadem ergo ratione illa dicetur principiũ indiuiduationis, quia illa dat vltimum substantiale complementum indiuiduo, quamuis præsupponat materiam vt potentialem de se & indifferentem, propter quod dixit Arist. suprà, & 1. Physic. cap. 7. text. 69. formam constituere hoc aliquid. Et quoniam, vt suprà dicebamus, per idem distinguitur res, per quod constituitur, eadem forma, quæ constituit hoc aliquid, distinguit illud ab aliis: quoniam *actus est, qui distinguit* 7. Metaph. cap. 13. tex. 49. ergo forma est, quæ complet rationem indiuidui. Et hoc confirmat communis concipiendi & loquendi modus: nam, si animæ Petri v. g. vniatur corpus cõstans ex materia distincta à corpore quod prius habuit, quamuis compositum illud non sit omni ex parte idem quod anteà fuit, tamen simpliciter loquendo, illud indiuiduum dicitur idem ratione eiusdem animæ, at verò econtrario, si corpori ex eadem materia constanti vniatur anima numero distincta, simpliciter non censetur idem indiuiduum, sed distinctum: ergo signum est, indiuiduationem sumi præcipuè à forma.

IIII. Sed adhuc obiicitur contra hanc sententiam, & rationem factam quia, licet forma vt sic, det esse specificum, tamẽ non dat esse indiuiduale & numericũ nisi vt est hęc: ergo non forma vt sic, sed id, vnde ipsa forma habet vt sit hæc, est indiuiduationis principium, sed est hæc ratione materiæ: ergo materia potiùs est prima radix indiuiduationis. Probatur minor primò, quia forma non est per seipsam hæc: alioqui idem dici posset de qualibet entitate, neq; oporteret quærere aliud indiuiduationis principium: ergo est hæc per materiam, non enim potest alia radix excogitari. Secundò, quia forma habet totum suum esse in ordine ad materiam: ergo & indiuiduationem suam: ergo materia est principium indiuiduationis formæ, & consequenter totius compositi. Tertiò, quia formę multiplicantur numero, quatenus in diuersis materijs recipiantur, & ideò formæ separatæ non multiplicantur numero, quia non recipiuntur in materia: ergo indiuiduantur etiam per ordinem ad materiam: vltima ergo resolutio huius indiuiduationis fit ad materiam, est enim hæc forma hæc, quia in tali materia recipitur: ergo prima radix indiuduationis est materia.

V. Hæ obiectiones sunt fundamenta opinionis tractatæ sectione præcedenti, quæ potius hanc sententiam, quã nunc tractamus, declarant & confirmant. Possunt enim ferè omnes retorqueri, & fieri de ipsa materia. Concedo itaq; formam non esse principiũ indiuiduationis compositi, secundum specificã rationem suam, vt est per se notum, sed in quãtum est hæc: sed hoc ipsum dicendum est de materia: quia etiam materia habet specificã, & cõmunem rationem, secundum quam non est sufficiens ad constituendũ indiuiduum, ergo, si constituit, id facit in quantum est hæc. Quæram ergo rursus, vnde habet, quòd sit hæc. Respondent aliqui, quia Deus voluit, hanc potiùs creare, quam aliam, sed hoc extra rem est: non enim hîc inquirimus extrinsecũ principium indiuiduationis, sed intrinsecum: alioqui etiã dicere quis potest, hanc animam esse hanc, quia Deus voluit potiùs illam infundere, quã aliam, vel hãc formam esse hanc, quia Deus determinauit ad illã suum concursum, vt est valde ꝓbabile, sicut dicemus sect. seq. Alij respondent, hanc materiam esse hanc, ratione huius quãtitatis. Sed hoc, & est falsum, & nõ euacuat difficultatẽ. Primum patet ex suprà dictis, quia cùm hæc materia simpliciter supponatur huic quantitati, nõ potest per illã indiuiduari. Item quia rationes suprà factæ vniuersaliter probant nihil substantiale posse indiuiduari per accidens superadditũ: nam etiã hæc materia est aliquid per se vnũ constitutũ sub specifica ratione materiæ per se illam contrahens. Imò ex natura rei non distinguũtur materia, & hęc materia, sicut suprà ostensum est de quolibet indiuiduo, respectu rationis cõmunis: ergo non potest hæc materia intrinsecè indiuiduari per quantitatem, quæ est res ab illa distincta, nec p ordinem ad illam, cùm potiùs hęc quantitas dicat ordinem ad hãc materiam, quàm è conuerso. Secundũ de quantitate patet, quia de illa etiã inquirã, vnde sit hæc, cùm id non habeat ex sua specifica ratione, & cùm nõ sit procedendum in infinitum, nec vitiosus & inutilis circulus cõmittendus, sistendum erit in aliqua re, quæ per se ipsam sit hæc: ergo hoc potiùs tribuendum est substantiæ, quàm accidenti, cùm illa sit prior, magisq; absoluta entitas, vel si admittendum est, duo entia incompleta per mutuam habitudinem ad inuicem indiuiduari, secundum diuersa genera causarum, id potiùs dicendum erit de materia & forma substantiali inter se, quàm cum aliquo accidente: quia magis per se cõnectuntur, & se inuicem respiciunt. Ergo omnia argumenta facta, possunt idem de materia concludere, quod intendunt de forma; nam est inter eas, quoad hoc, quędam ęqualitas. Et aliunde materia solum superat formam in hoc, quòd est quædam occasio producendi formas varias & indiuiduas, vt suprà declaratum est: forma verò superat materiam in hoc, quod præcipuè constituit indiuiduum, & quòd est magis propria eius, & quòd materia potiùs est propter formam, quàm è conuerso, vt dicitur 2. Physicorum, cap. 9. tex. 91. ergo pensatis omnibus potissimum indiuiduationis principium est forma.

Quæstionis resolutio.

VI. EST ergo hęc sententia prout à nobis exposita est, satis probabilis, proximeq; ad veritatem accedit. Simpliciter vero dicendum est formam solam non esse plenum, & adæquatũ indiuiduationis principium rerum materialium, si de tota earum entitate loquamur: quamuis sit præcipuum, ideoq; iuxta formalem modũ loquendi interdum censeatur sufficiens ad denominationem eiusdem indiuidui. Quæ omnia declarãda, & probanda sunt latè sect. 6.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm principium indiuiduationis sit existentia rei singularis.

I. NOn defuerunt qui ita affirmauerint, quorum sententiam referunt Scotus, in 2. d. 3. quæst. 3. & Soncinas. 7. Metaph. quæst. 32. & illam indicat Henr. quodlib. 2. quæst. 8. eamque illi tribuit, & in eam inclinat Carthu. in 2. d. 3. Fonseca verò lib. 5. ca. 6. quæst. 2. sect. 2. refert Henr. quodlib. 5. q. 8. negantem indiuiduationem fieri per existentiam, nec per aliquid intrinsecum, sed per solum agens. Sed hoc, sicut per se improbabile est, ita à nomine asseritur, quod ego viderim: nam, licèt agens sit causa extrinseca indiuidui, tamen id, quod efficit, distinctum est ab ipso agente: efficit autem indiuiduum, & confert illi naturam indiuiduam: ergo id quo natura est indiuidua, est aliquid intrinsecum ipsi indiuiduo. Et ita Henr. ibidem expressè concedit id, per quod indiuiduum habet esse hoc, esse aliquid præter materiã, & præter agens, quod ipse explicat esse rationem B seu dispositionem suppositi. Vnde sentire videtur, subsistentiam esse principium indiuiduationis in omnibus substantiis creatis, & ita in priori loco sub distinctione locutus fuerat de existentia, vel subsistentia, & ideò de singulis aliquid dicere oportebit.

II. Opinio igitur de existentia ab omnibus reiicitur vt omnino falsa & improbabilis: dupliciter autem in ea procedi potest, primò, supponendo, existentiam esse ex natura rei distinctam ab essentia indiuidui: secundò iuxta opinionem asserentem, existentia nihil aliud esse, quàm actualem entitatẽ vniuscuiusq; rei. Hoc posteriori modo hęc sententia in re coincidit cum opinione asserente vnamquamq; rem indiuiduari se ipsa, nulloq; alio principio indiuiduationis indigere, præter entitatem suã: vnde in re non est hęc opinio maiori reprehẽsione digna, quam illa, de qua posteà dicemus. Solum reprehendi potest, quod obscuris & ambiguis terminis vtatur; & quòd existẽtiæ potiùs quam essentiæ hanc rationem indiuiduationis tribuat, cùm potiùs existentiæ non possit hoc cõuenire, nisi quatenus est idem cum essentia. Si aũt procedatur in priori sententia, formaliter quidem C verum erit, quod vnaquæq; res in ratione existentis habet aliquã rationem indiuidualem ab ipsa existẽtia, sicut hoc album, quantũ ad formalem rationem albi cõstituitur per albedinem, quamuis simpliciter hoc album, quia pro subiecto accipitur, non constituatur per albedinem. Vnde, etiã in proposito, materialiter (vt sic dicam) loquendo de re existente, seu de hac numero essentia, improbabile est dicere indiuiduari per existentiam, qua existit; si hæc est res ab ipsa distincta, vel modus ex natura rei diuersus.

III. Primò quidem, quia essentia intrà latitudinem essentiæ manens, fit indiuidua, & in ea cõtrahitur & determinatur essentia specifica: sed essentia specifica non cõtrahitur per aliquid ex natura rei distinctum à se, vt suprà probatum est: ergo nõ cõtrahi ad indiuiduam essentiam per existentiam, Maior per se euidens est, tum quia homo, v. g. de se cõmunis est multis indiuiduis, siue illa existant siue nõ existant; tum etiam quia Petrus & Paulus vt abstrahunt ab actuali existentia, seu vt possibiles, intrinsecè includunt suas rationes indiuiduas, quib. distinguũtur; tum deniq; quia differentiæ specificæ, seu essentiales conueniũt specieb. necessaria connexione, secundum quã proA positiones, in quib. prædicata essentialia prædicãtur, dicuntur esse perpetuæ veritatis: ita indiuiduo conuenit sua differẽtia indiuidualis. Vnde tam necessariò Petrus est hic homo, sicut est homo, & tam necessariò Petrus collocatur sub homine, sicut homo sub animali: hæc ergo contractio, & subordinatio non fit per existentiam actualem, quæ contingenter aduenit essentiæ plenè constitutæ, & indiuiduatæ.

Secundò hîc habet locum argumentum suprà re- IIII. latum ex Caiet. quod actus singularis supponit potentiam singularem, quod principium diximus esse verũ in actu & potentia ex natura rei distinctis, quia tunc potentia realiter supponitur actui ordine naturæ, & est quid vnum distinctum à suo actu, & vnũ non cogitatione, sed re ipsa, & ideò fieri non potest, vt formaliter & intrinsecè habeat vnitatem ab actu suo. Sed ita comparantur essentia, & existentia iuxta prædictam opinionem: ergo essentia eo modo, quo per se habet entitatem essentiæ distinctam ab existentia, & aptam actuari per illam, ita etiam habet suam vnitatem & indiuiduationem. Alioqui oporteret intelligere existentiam esse actum naturæ spe- B cificæ, & vniuersalis, quòd est satis absurdum.

Tertiò, quia in ipsamet existentia potest consi- V. derari communis ratio existentiæ humanæ, verbi gratia, & ratio huius existentiæ Petri, vel Pauli: ergo de ipsa existentia supereſt inquirendum, per quid fiat hæc: non enim ab essentia, cùm non supponat illam indiuiduam iuxta hãc sententiam, sed communem, neq; ab aliquo accidente, vt per se notum est, satisq; in superioribus probatũ: à quo ergo? Si dicas, se ipsa fieri hanc, cur non id potiori ratione dices de essentia, cùm & ordine naturæ sit prior, & perfectione etiam, & cùm quodammodo sit magis absoluta? Nam existentia est actus huius essentiæ: vnde hæc existentia potiùs erit hæc, quia hanc essentiam actuat: sicut in communi etiam existentia hominis & leonis differunt, quia, vel consequuntur, vel respiciunt diuersas essentias, supposita prędicta distinctione. Ex quo potest sumi noua confirmatio, quia, sicut existentia humana in communi est extra essentiam hominis in communi, ita hæc existentia Petri, est extra hanc essentiam indiuiduam Petri, & sicut in Petro & Paulo sunt duæ numero existentiæ, ita duæ numero humanitates, habentes distinctas indiuiduas entitates essentiæ. Vltimò à posteriori est argumentum, quia (supposita illa sententia) eadem indiuidua entitas conseruatur sine sua existentia, aut mutat varias existentias, vt humanitas Christi in ea opinione caret propria existentia & tamen est indiuidua, & habet intrinsecum indiuiduationis principium: similiter eadem numero entitas materiæ primæ, prout mutat formas dicitur mutare existentias: & tamen eadem semper numero manet.

Ex his autem facilè intelligitur, quid censendum VI. sit de illa opinione, si non de existentia propriè, sed de subsistẽtia loquatur. Nam, aut loquimur formaliter de supposito, aut de natura in abstracto, aut in concreto & formaliter de indiuiduo, vt cõtento sub tali specie substantiæ, scilicet de hoc homine. Primo modo verum est suppositum indiuiduari per hanc substantiam, quia formaliter per illam constituitur, & hac ratione in Trinitate sunt tria suppositа, quãuis sit vna natura, quia sunt tres subsistentiæ: persona autem Christi est vna numero, & vnum numero suppositum, quamuis habeat duplicem naturã, quia solùm habet vnam numero subsistentiam, supposituũ ergo vt sic, per subsistentiã indiuiduatur. Quamuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

de ipsa subsistẽtia quæstio superſit per quid fiat hæc: nam etiam ratio subsistentiæ, verbi gratia humanæ, communis est, & specifica, in Petro vero est hæc numero subsistentia, vel illa, de qua quæstione idem dicendum erit, quòd de aliis substautiis, vel substantialibus modis, quòd infrà videbimus.

VII. Secundo modo, id est, loquendo de substantiali natura integra in abstracto, v.g. humanitate, falsum est, & improbabile indiuiduari per subsistentiam, vt à fortiori patet omnibus argumentis factis de existentia. Certum est enim, subsistentiam esse aliquid ex natura rei distinctum à substantiali natura, etiam indiuiduè sumpta. Certum est etiam, huiusmodi naturam posse conseruari indiuiduam sine sua connaturali subsistentia, vt in Christo Domino conseruata est: ergo nõ potest per illam intrinsecè indiuiduari. Quòd si quis forte dicat, indiuiduari saltem per ordinem ad illam, gratis & sine fundamento hoc dicet: quia, si vnum indiuiduãdum est per ordinem ad aliud, potiùs subsistentia est hæc per ordinem ad hãc naturam, quàm econuerso, quia natura est prior & perfectior, subsistentia verò solùm est quidam modus & terminus naturæ. Item in diuina natura inuenimus vnicam indiuiduam naturam cum triplici subsistentia: ergo signum est indiuiduationem naturæ esse absolutam à substantia.

VIII. Quocirca in hoc planè videtur errasse Henric. nam de ipsamet natura sentit fieri hanc, & indiuiduam ratione suppositi. De quo aliud etiam docet omnino falsum, & improbabile: scilicet, suppositum solùm addere supra naturam specificam duplicem negationẽ, indiuisibilitatis in se, & diuisionis à quolibet alio, & per hanc duplicem negationem fieri naturam formaliter indiuiduam ab q; aliquo alio positiuo naturæ specificæ superaddito, in quo tria falsa continentur. Primum est, suppositum solùm addere suprà naturam, negationem, de quo posteà suo loco videbimus, nam loquendo respectu naturæ indiuidualis, est id minùs improbabile, quãuis non verum, tamen respectu naturæ specificę omnino est improbabile. Secundò falsum est, naturam indiuidualem supra specificam, solùm addere negationem, vt patet euidenter ex dictis sect. secunda, quia aliàs substantialis natura indiuidua vt sic non esset ens reale, sed esset solum natura specifica cum negationibus, quòd nec mente concipi potest. Item quia illa negatio requirit fundamentum positiuum, quòd nõ potest esse sola natura specifica, vt ibi satis ostensum est. Tertium verò magis falsum est, per illasmet negationes, quibus (secundum Henric.) constituitur suppositum, fieri naturam indiuiduam: eam inde sequitur, vel Christi humanitatem non esse indiuiduam, vel esse suppositum: vtrumque autem error est. Sequela declaratur, nam cùm in illa duplici negatione dicitur esse indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, vel hoc esse diuisum à quolibet alio, significat, non esse alteri vnitum, seu non esse in alio, & hoc vel non est de ratione naturæ substantialis indiuiduæ, vel humanitas Christi Domini indiuidua nõ est, aut esse diuisum ab alio, (quod apertè Henric. sentit) remouet solùm identitatem, & significat distinctionẽ à qualibet alia entitate, vel natura simili, & hoc modo illa duplex negatio non sufficit ad rationem suppositi, vel humanitas Christi Domini suppositũ est: nullo ergo mòdo subsistentia, quacunq; via eius ratio explicetur, ad indiuiduationem naturę pertinet.

IX. Quin potiùs, loquendo etiam tertio modo in cõcreto ac formaliter de indiuiduo naturæ specificæ, A dicendum est, illud per se loquendo, non sumere indiuiduationem suam à subsistentia, sed à natura. Sic enim dicunt Theologi, si tres personæ assumerent vnam humanitatem, fore vnum numero hominem, sicut nunc sunt vnus numero Deus propter vnã naturã diuinam: haberet ergo ille homo vnitatem numericam ab indiuidua natura. Et Christus Dominus nunc, in quãtum est hic homo, est idem numero homo qui esset si in ꝓpria natura subsisteret, cùm tamẽ persona & subsistentia sit valde diuersa à propria & cõnaturali tali humanitati: ergo indiuiduatio huius hominis non ex subsistentia, sed ex natura sumenda est. Ratio verò est, quia indiuiduum formaliter constituitur sub specie ratione naturæ, & non ratione subsistentiæ: vnde fit, vt licet contingat, subsistentiã esse specie vel genere diuersam: nihilominus, si natura sit eiusdem speciei, indiuiduum vniuocè & propriissimè cõtineatur sub tali specie, quàm ob causam Christus est vniuocè homo cum aliis hominibus, & simili ratione, si natura sit eadem numero, est idem homo numero, etiam si subsistentia sit diuersa.

Dixi autem, *per se loquendo*, quia hîc se insinuabat B quæstio, an cum duplici natura possit esse idem numero indiuiduum propter vnitatem subsistentię: sic enim disputatur à Theologis, an, si Verbum diuinũ assumeret duas humanitates, esset vnus homo vel plures. Nam ex dictis videtur sequi, fore plures numero homines propter plures numero humanitates, quia dictum est, indiuiduationem concreti sumi ex indiuidua natura. Nihilominus tamẽ, vt in 1. tom. 3. p. dixi cum D. Thom. ille simpliciter & communi modo loquendi diceretur vnus homo, non quidem per se ac formaliter, sed quasi materialiter ratione suppositi, ad eum modum quo dicitur vnus artifex, qui plures habet artes, nõ solùm numero, sed etiam specie distinctas. Hæc autem vnitas diuersa est à præcedente, quæ sumitur ex vnitate naturæ, neq; est vnitas indiuidui formaliter contenti sub specie, vt argumentum probat, sicut etiam vnitas artificis habentis plures artes specie distinctas non est vnitas speciei contentæ sub genere, sed est vnitas materialis seu suppositalis, quæ censetur sufficere ad illum modum loquendi propter realem, vel substantialem vnionem plurium naturarum in vno suppositо, quia C nomen substantiuum significat naturam per modũ per se stantis, vt latiùs dicto loco explicatum est.

Igitur ex his omnibus satis constat principium XI. indiuiduationis naturæ substantialis, aut indiuidui, vt per illam constituti, non rectè in subsistentia, vel existentia constitui.

SECTIO VI.

Quod tandem sit principium indiuiduationis in omnibus substantiis creatis. I.

EX hactenus dictis contra superiores sententias, videtur, quasi à sufficiẽti partium enumeratione, relinqui, omnem substantiam singularem, seipsa seu per entitatem suam esse singularem, neq; alio indigere indiuiduationis principio præter suã entitatẽ, vel præter principia intrinseca, quib. eius entitas constat. Nam, si talis substantia, physicè considerata, simplex sit, ex se & sua simplici entitate est indiuidua: si verò sit composita, v.g. ex materia & forma vnitis, sicut principia entitatis eius sunt materia, forma, & vnio earum, ita eadem in indiuiduo sumpta sunt principia indiuiduationis eius, illa verò, cũ sint simplicia, se ipsis indiuidua erunt. Quam sententiam tenuit

Aureol. Duran. tenuit Aureol. apud Capreol. in 2. d. 3. q. 2. & in re A eam tenet Durand. in 2. d. 3. q. 2. Eam vero referens Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 3. dicit in sect. 2. esse omniũ implicatissimam, & quæ si ad verum sensum reducatur, quæstionem insolutam relinquit. Mihi tamen videtur omnium clarissima, & tam ipsum, quàm fere alios in eam tandem incidere: quia reuera non potest fundamẽtum vnitatis ab ipsa entitate distingui. Vnde sicut vnitas indiuidua pro formali nõ potest addere aliquid positiuum reale supra entitatem indiuiduam, quia quoad hoc eadem est ratio de illa, & de omni vnitate: ita positiuum fundamẽtum huius vnitatis quoad negationem quam dicit nihil positiuum addere potest, physicè loquendo, illi entitati, quæ vna & indiuidua denominatur: ergo illa entitas per se ipsam est fundamentum huius negationis: & hoc sensu dicitur ab illa opinione se ipsa esse principium indiuiduationis. Non enim negat hæc opinio, in illa indiuidua entitate posse ratione distingui naturam communem ab entitate singulari, & hoc indiuiduum addere supra speciem aliquid ratione distinctum, quod secundum Metaphysicam B considerationem habet rationem differentiæ indiuidualis, prout in sectione præcedente est, & Durand. non negat, sed potius supponere videtur. Sed tamen addit hæc opinio (id quod propriè ad præsentem quæstionem pertinet) illam differentiam indiuidualem non habere in subsistantia indiuidua speciale aliquod principium, vel fundamentum, quod sit in re distinctum ab eius entitate, ideoque in hoc sensu dicit vnamquamq; entitatem per se ipsam esse suæ indiuiduationis principium. Est igitur vera hæc sententia rectè explicata: vt tamen clarior fiat, eã sigillatim in vniuersis rebus substantialib. declarabimus.

Per quid indiuiduetur materia prima.

II. PRimò igitur à materia prima incipiendo dicendum est, illam esse in re indiuiduam, & fundamẽtum talis vnitatis esse entitatem eius per se ipsam prout est in re absque vllo extrinseco superaddito. Probatur, quia materia quæ est sub hac forma ligni, est numero diuersa ab illa, quæ est sub forma aquæ, vel hominis; est ergo in se indiuidua, & singularis. Fundamentum autem talis vnitatis in ea non est C forma substantialis, neque ordo ad hanc vel illam formam, vt probatum suprà est contra Durand. quia variata quacunque forma substantiali, semper manet eadem numero materia, quæ, licet actu sit vnita huic, vel illi formæ, tamen ex se communem, & indifferentem habitudinem dicit ad quamcunque formam, quam potest recipere. Rursus, neq; etiam quãtitas potest esse fundamentum huius indiuiduæ vnitatis materię, vt idem probat argumentum, si verum est, materiam amittere, & acquirere quãtitates varias prout formæ substantiales variantur. Itẽ quia iuxta eandem opinionem materia priùs natura, quã recipiat quantitatem, subest actioni agentis inducẽtis formam vel quantitatem: non autem subest nisi vt indiuidua & singularis: quia actiones sunt circa singularia. Si autem teneamus eandem quantitatem esse materiæ coæuam, potest idem argumentum accommodari, saltem in ordine ad potentiam Dei: potest enim Deus ab hac materia hanc quantitatẽ auferre & aliam tribuere, vel omnino sine quantitate seruare: esset ergo eadem materia numero sine eadẽ numero quantitate: ergo non est quatitas fundamẽtum talis vnitatis ipsi materiæ, aliàs nullo modo posset sine illa suam vnitatẽ reseruare. Et præterea sunt

omnia argumẽta communia suprà facta, quòd substantia non indiuiduatur per accidens, nec per ordinem ad accidens, materia enim substantia est, licet partialis. Itẽ quod indiuidua substantia est ens per se. Itẽ, ꝙ accidens supponit subiectũ suũ prout est in re, & consequenter singulare. Item ꝙ differentia indiuidualis non est in re distincta ab entitate, quam cõstituit: vnde nec potest fundari in entitate distincta.

Atque hæ rationes à fortiori procedunt de quibuscunq; accidentibus, vel dispositionibus materię. III. Corollariũ. Quocirca cùm dici ab aliquibus solet, materiam indiuiduari ab agente, quatenus eius indifferentia ad hanc formam indiuiduatur & coarctatur per dispositiones, vt aliqua ratione verum sit, sano modo intelligendum est: quia agẽs vt in materiam agat, supponit illam indiuiduam, & actione sua non potest tollere, aut immutare indiuiduationem eius, alioqui destrueret illam, & loco eius aliã introduceret; neq; etiam fieri potest, vt quod in re iam indiuiduum est, per additionem alicuius entitatis aliam indiuiduationem in se accipiat. Dicitur ergo materia per dispositiones limitari, seu determinari ab agẽte ad hãc formam, non in ordine ad esse, sed in ordine ad actionem ipsius agentis, & receptionem formæ, idq;, vel solùm per accidẽs, & quasi negatiuè, quia per dispositiones tollũtur impedimenta ad hanc actionẽ, & huius formę introductionem, vel etiã aliquo modo per se & positiuè, si hæ dispositiones sunt naturaliter necessariæ ad eductionem vel vnionem huius formæ cum hac materia, hoc enim cõtrouersum est inter Philosophos, & ad prẽsentem difficultatem nõ refert, quia hæc coaptatio per dispositiones est quasi extrinseca ipsi materiæ, quæ etiã in indiuiduo sumpta ex se capax est cuiuscunq; formæ, & si dispositiones requiruntur, potiùs est ratione formæ, quàm ratione ipsius materiæ: nihil ergo hoc refert ad intrinsecam indiuiduationem eius.

Dices, Materia hęc non distinguitur ab altera nisi IIII. per quantitatem, quia, cùm sit pura potentia, non Obiectio alia quot satisfit. potest distingui nisi per actum. Item materia essentialiter respicit formam secundum speciem suã: ergo hæc indiuidua materia indiuiduari debet per formam, vel per habitudinem ad hãc formam. Ad primum respondetur, vnam materiam distingui ab alia in ordine ad situm per quantitatem, entitatiuè verò & realiter distingui per suam entitatem, vt suprà dictum est, quia, sicut materia ex se habet aliquid entitatis, siue existentiæ, siue essentiæ; ita ratione illius habet aliquid actualitatis entitatiuæ, per quã potest transcendentaliter ab alia distingui. Ad secundum respõdetur, Eo modo, quo materia essentialiter habet trãscendentalem habitudinem ad formã, ita hæc materia habet per hanc habitudinem trãscendentalem ad formam, quia habet hanc numero capacitatem, & potentiam, & homo indiuiduatur per habitudinem ad formam: sed hoc ipsum est indiuiduari physicè p se ipsam quia eius entitas essentialiter includit hãc habitudinem. Non est aũt necesse, vt hæc indiuiduatio fiat per determinationem formæ (quo sensu deberet argumentũ procedere vt aliquid difficultatis haberet) quia non solũ materia in specie, sed etiã hæc numero materia respicit formã in cõmuni, veluti adequatũ obiectum suæ capacitatis, etiã in indiuiduo sumptæ, & ideò nõ rectè dicitur materia indiuiduari per hanc formam, sed indiuiduari indiuiduata habitudine ad formã. Sicut potentia visiua in specie dicit habitudinem ad colorem in cõmuni, & in indiuiduo similiter dicit habitudinẽ non ad hunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel illum colorem, sed ad colorem in communi, & A ideò non indiuiduatur propriè per hunc colorem, quamuis indiuiduetur cũ tali seu per talem habitudinem transcendentalem, & entitatiuã ad colorem.

Indiuiduationis formæ substantialis quodnam principium.

V. SEcundò dicendum est, formam substantialem esse hanc intrinsecè per suammet entitatem à qua secundum vltimum gradum, seu realitatem sumitur differentia indiuidualis eius. Hæc conclusio probari potest eisdem rationibus proportionalibus, quibus præcedens, & ex superioribus, præsertim ex his, quæ in prima & secunda opinione dicta sunt, facilè cõfirmari potest. Nam inprimis, nulla accidentia possunt esse intrinseca principia indiuiduantia formam substantialem, quia etiam talis forma, vt est hæc, est ens per se, licet incompletum, & pertinet ad prædicamentum substantiæ, & sub specifica ratione talis formę collocatur, quamuis reductiuè. Item hęc forma, vel est simpliciter, & omni ratione prior accidentibus, & origo illorum; vel, si aliqua supponit B in genere causę materialis, non dicit per se habitudinem ad illa, sed ad summum requirit illa vt conditiones vel dispositiones necessarias ad pręparandum subiectum: ergo nullo modo potest ab accidentibus indiuiduari. Deinde materia non potest per se ipsam esse intrinsecum principium indiuiduãdi vllam formam, quia nõ est intrinsecum principium entitatis eius, idem autem est principium vnitatis, quod est principium entitatis, vt sæpè dictum est, quia vnitas nullam rem addit entitati, sed negationem intrinsecè comitantem illam. Antecedens autem patet, quia materia est principium compositi intrinsecũ, quia per suam entitatem componit illud, non sic autem componit entitatem formæ: non est ergo intrinsecum principium eius. Respectu verò illarum formarum, quæ à materia pendent in fieri, & in esse, materia est causa per se in suo genere formæ, nõ vt intrinsecè componens illam, sed vt sustentans illam, quod est genus quoddam causalitatis veluti extrinsecum, & hoc modo materia dici potest causa & principium indiuiduationis talium formarum in suo genere ex principio posito, quod causa entitatis, est causa vni- C tatis, & quia materia non causat formam, nisi singularem & indiuiduam: ergo causando entitatem, causat indiuiduationem eius: Tamen quia differentia indiuidualis intrinsecè prædicatur de re indiuidua, ideò non sumitur ex causis quouis modo extrinsecis ipsius rei indiuiduæ, sed ex intrinseco principio seu entitate eius, & ideò hoc modo non potest esse materia principium intrinsecum indiuiduationis formarum. Quod à posteriori declaratur in ordine ad diuinam potentiam: potest enim hęc forma substantialis conseruari sine materia, & tunc sicut retinet suam differentiam indiuidualem, ita etiam suum intrinsecũ principiũ indiuiduationis: ergo nõ est materia huiusmodi principium intrinsecum. Hoc autẽ manifestius est in anima rationali, in qua, sicut esse nõ causatur per se à materia, ita etiã neq; vnitas, aut indiuiduatio, vt notauit D. Tho. 1. cõt. Gent. c. 75. in solutione primæ rationis, & c. 81. in principio: ergo materia non solum non est principium intrinsecum indiuiduationis animæ, verùm etiã nec causa per se eius, quamuis sit veluti occasio quædam, vt organizato tali corpore, Deus in illo talem animam creet.

VI. Dubiolum. Sed difficultas est, an indiuiduetur saltem forma per materiam tãquam per terminum, ad quem dicit habitudinem. In hoc enim videtur esse differẽtia inter materiam & formam, quod materia, quia eadem numero subsistat pluribus formis, non potest habere indiuiduam terminationem ex forma, quam respicit: at vero forma non habet eã differentiam, sed determinatur ad hanc materiã actuandã, & ideò indiuiduari potest ex hac materia, tanquam ex termino, ad quẽ dicit habitudinẽ, vt talis forma est. Et ita opinantur Thomistæ cõmuniter, itaq; intelligunt D. Tho. locis suprà citatis & aliis, vbi ait formã indiuiduari per materiã. Et eodem sensu exponi potest, q̃ ait, q. vnic. de anima, ar. 3. ad 13. principia indiuiduationis formarũ non esse de essentia earum, sed hoc esse verum solum in cõpositis. Sed inprimis ratio facta non habet locũ in anima rationali, quæ eadẽ numero manẽs, potest diuersas materias actuare. Primum, enim simul ita actuat diuersas partes materiæ componẽtes idẽ corpus, vt tota sit in singulis partib. ergo nõ potest per coaptationem ad totum corpus, & ad singulas partes eius indiuiduari. Sed magis vrget, q̃ successiuè potest informare diuersas materias integras, vt quando per nutritionem continuã paulatim B amittitur tota materia, in quã primũ fuit introducta forma, & alia noua acquirit, & eadem forma informatur. Item ipsi nutritioni accidentarium est, q̃ his, vel illis cibis fiat, & tamen inde prouenit, quod anima hanc vel illam materiam posteà informet, ergo hoc etiam illi est contingens, & accidentarium: non ergo inde indiuiduatur, nec de se est coaptata ad hanc numero materiam.

Dicet fortasse aliquis, ex se postulare hanc animã, vt saltem in principio in tali materia introducatur, licet posteà possit illã relinquere & aliam informare; & hac ratione indiuiduari ab illa materia, in qua primo introducitur. Sed hoc inprimis gratis dicitur: nam, si eadem anima potest diuersis temporib. varias materias naturaliter informare, signum est virtutem informatiuã, seu aptitudinem eius ad informãdum non respicere vt adæquatum terminum hanc numero materiam. Quo ergo fundamento dici potest ex se magis postulare vnam materiam in principio, quàm aliam, vel magis intrinsecè respicere vnam, quàm aliam? Aliàs eodem modo dici pos- C set materia natura sua postulauisse, vt sub eis numero formis crearetur, sub quibus creata fuit, & ab illis fuisse indiuiduatam, quamuis potuerit posteà sub aliis formis conseruari: sicut ergo hoc esset ibi gratis dictum, ita etiam sine fundamẽto dicitur de anima. Finge enim, illam materiam numero, quam proles per propriã nutritionem acquirit, & informat, fuisse priùs sub forma sanguinis materni, ex quo in principio corpus eiusdem prolis formatum est, certè, sicut in illa materia posteà per nutritionem disposita introduci potuit hæc numero forma, ita etiam, si in prima formatione disposita fuisset virtute seminis ex sanguine materno, similiter potuisset eadem forma naturaliter in eam introduci: nulla enim reddi potest philosophica ratio, cur nũ potuerit: ergo hæc anima etiam vt hæc, indifferens est ad plures materias informandas, siue in principio in productione, siue posteà in conseruatione.

VII

Nec refert, si quis dicat, has materias censeri, vnam, & eãdem, quia paulatim fit mutatio sub dispositionibus, & organizatione eiusdem rationis: quia hæc vnitas materiæ vel corporis magis est secundum externam speciem, & apparentiam quàm secundum verã ac physicã entitatem corporis seu materiæ. Adde, quod, licet contingeret, totam mutationem fieri per

per separationem integram vnius corporis, & con- A iunctionem alterius materiæ, nihilominùs anima vtrumq; naturaliter informaret. Sicut probabile est in resurrectione interdum euẽturum. Vt si contingat in hac vita, duas animas easdem omnino materias informasse, poterit alteri earum dari corpus ex alia materia, quod non minùs connaturaliter informabit, quàm si ex priori materia constaret. Ergo signum est, hanc animam, vt aptam ad informandum nullo modo respicere determinatè hanc materiam, & consequenter non indiuiduari ab hac materia, vt est hæc, etiam vt à termino suæ habitudinis transcendentalis: quia non est terminus adequatus illius. Indiuiduatur ergo hæc anima per se ipsam, & ex vi suæ entitatis; & consequenter quia intrinsecè habet talem indiuiduam aptitudinem ad informandum corpus humanum ad eum modum, quo paulò anteà de habitudine materiæ dicebamus. Atq; ita in particulari de anima rationali docet Toletus libr. 3. de anima, q. 18. concl. 2. & 3. qui hoc confirmat argumento suprà à nobis facto, quia in assignando indiuationis principio sistendũ est in aliquo, quod per B se indiuiduetur: ergo si materia vel quantitas dicantur per se indiuiduari, multò magis id est dicendum de anima rationali, quæ per se est subsistens, & magis dat esse reliquis, quàm recipiat ab eis. Corporũ ergo varietas est optimũ signum à posteriori distinctionis animarum, quia est veluti occasio producendi diuersas animas, non est tamen proprium, & intrinsecum principium indiuiduationis earum.

Notabile Theologicũ.

IX. Sed, an sit eadem ratio de omnibus alijs formis substantialibus, quæ à materia pendent in esse, non videtur posse argumento nuper facto dijudicari, quia hæ formæ ita informant hanc materiã numero vt omnino sint determinatę ad illam informandam nec possint naturaliter aliam numerò distinctã materiam informare, cùm non possint ab hac separari, neq; simul, neq; paulatim, quod etiam procedit de animabus brutorũ perfectorum, si illę extensæ sunt, & diuisibiles, vt communis & fortasse probabilior tenet opinio (nam si indiuisibiles esse supponantur, procedet in eis argumentum factum de animab. rationalibus) rectè igitur dici potest materialis forma substantialis esse hæc intrinsecè quidem per coaptationem ad hanc numero materiam, per ipsam verò materiã, tãquam per terminum huius habitudinis. Sed nihilominus etiã in his materialibus formis hoc propriè dici nõ potest: quia, vel in hac numero materia includuntur dispositiones, quibus hæc materia ab agente præparatur ad hanc formam, vel intelligitur solùm hæc materia prima secundum nudam entitatem eius: neutro autem modo id satis intelligi, aut explicari potest.

X. Primum patet, quia materia cum accidentibus non põtest esse ratio indiuiduationis formæ, etiam vt terminus habitudinis eius, quia cùm hæc habitudo sit transcendentalis & substantialis, non includit accidentia in suo primario ac per se termino. Item, quia, si supponamus non esse easdem dispositiones ingenito, quæ præcesserunt in corrupto, procedunt argumẽta suprà facta, quòd forma priùs natura absolutè & simpliciter informat materiam accidentibus nudam, informat autem illam vt indiuidua, & singularis est: ergo eodẽ modo respicit illam, secundum suã aptitudinem, & coaptationem indiuidualem. Si autẽ supponamus, manere in materia dispositiones, quæ fuerunt in corrupto, sic etiam forma non informat materiam vt affectam accidentibus, licet illa præsupponantur velut conditiones necessariæ, vel fortasse solùm, quia relinquantur ex præcedenti alteratione: ergo neque hæc forma vt hæc, respicit accidentia, sed materiam tantùm. Eò vel maximè, quòd licet varientur hęc numero accidentia, vel paulatim naturaliter, vel simul supernaturaliter, & alia similia dẽtur, conseruabitur eadem numero forma in eadem materia: ergo nullo modo respicit hæc forma, vt est hæc, talia accidentia numero, vt ab eis indiuiduetur. Quin potiùs, licet daremus, hanc formam requirere hæc numero accidentia, non ideò esset ipsa forma talis in indiuiduo propter accidentia, sed potiùs econtrario accidentia requirerentur talia propter talem formam, loquendo à priori & simpliciter, licet quoad nos, vel in ordine ad productionem, vel generationem tales dispositiones sint principiũ, vel occasio distinguendi formas.

XI

Secundum autem, scilicet, quod neq; hæc materia prima purè sumpta, possit esse hoc modo principium indiuiduans formam, probatur primò, quia B hæc materia potest esse communis multis formis vel specie, vel numero diuersis, ergo vt sic nõ est sufficiens principium indiuiduãs formam, quia, quod de se commune est, vt sic non potest esse indiuiduationis principium. Secundò ex parte ipsius formæ, quia licet hęc forma semel facta in hac, & ex hac materia, non possit esse in alia propter dependentiam, quam habet ab illa, quæ dependentia talis est, vt nec forma illa possit naturaliter conseruari sine illo genere causalitatis materialis, neq; etiam sit aliqua via aut modus naturalis, quo possit hæc forma in aliam materiam transferri, vt ab illa conseruetur: nihilominùs tamen, si entitas talis formæ secundũ se consideretur, non videtur eius aptitudo intrinseca determinata ad hanc numero materiã informandam, ita vt intrinsecè sit inepta ad informandam naturaliter quamcũq; aliã materiam numero distinctam: ergo non recipit suam intrinsecã indiuiduationem ab hac numero materia, etiam tanquã à termino suę habitudinis, seu aptitudinis informatiuæ. Probatur consequentia, quia non est hæc materia terminus adæquatus illius habitudinis, quandoquidem aptitudo huius formæ secundum se æquè connaturaliter posset exerceri in alia, vel alia materia, si in qualibet poneretur. Nam quòd per causas naturales solùm ponatur in hac materia & non in alia, non tollit intrinsecam aptitudinem eius, neq; facit, vt hæc materia sit adæquatus terminus illius. Sicut fortasse est in vniuerso aliqua portio materiæ, quæ semper fuit sub eadem numero forma, & semper erit, nec fortasse est via naturalis ad variandam illam, & non propterea aptitudo materiæ de se terminata est ad talem formam.

XII

Antecedens verò suaderi potest multis coniecturis, quæ communes sunt etiam animabus rationalibus. Prima, quia de potentia absoluta hæc forma transferri posset in aliam materiam, & illam informare, ergo signum est, esse in tali forma aptitudinẽ naturalem intrinsecam ad informandã illam, quantum ex ipsa est. Probatur consequẽtia, quia licet illa actio, seu transmigratio huius formæ à materia in materiam esset supernaturalis quoad modum, tamẽ terminus productus naturalis esset, compositum enim illud ex tali forma & materia naturaliter subsisteret. Secunda, quælibet alia materia numero distincta est capax quantũ est ex se cuiuscunq; formæ indiuiduę, etsi contingat esse in alia materia nume-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ro distincta: sine fundamento enim existimaret quis A capacitatem huius materiæ numero de se esse limitatam ad has formas potiùs quàm ad illas, cò quod fortasse agentia naturalia secundum naturalem ordinem non possint efficere in ea eas indiuiduas formas, quas in alijs materijs efficiunt. Quia cùm materia de se sit pura potentia & indifferens, non potest ei conuenienti ratione attribui talis determinatio: illa ergo materia numero, quæ de facto est sub hac forma huius equi, quantum est ex se capax esset alterius animę equi numero distincti, quę de facto informet aliam materiam: ergo & econuerso illa anima etiam est apta, quantum est ex se ad informandâ hanc, vel illam materiam. Patet consequentia, quia potentia & actus naturalis sibi mutuò correspondent: vnde potentia non respicit naturaliter, nisi actum illum, qui aptitudinem habet naturalem ad informandam illam.

XIII. Tertiò quia, si hæc anima, equina verbi gratia, tãtùm esset apta ex se ad informandam hanc numero materiam, omnes animæ equinæ quæ possent illam numero materiam informare diuersis temporibus, B haberent inter se aliquam conuenientiam realem, quam non haberent cum animabus equinis informantibus alias materias, quia omnes illæ haberent aptitudinem ad informandam hanc numero materiam, quam aliæ animæ equinæ informare non possent. Et idem argumentum fieri põt in omnib. formis aquę, ignis, & similibus, quod scilicet sub eadem specie formæ ignis, v. g. detur quædam latitudo indiuiduorũ respicientium hanc numero materiam tãtùm, & aliam latitudinem aliorum respicientiũ hãc numero materiam, & sic de alijs, atq; ita sub conceptu specifico posset dari conceptus obiectiuus substantialis, & communis multis indiuiduis illius speciei, & non alijs, cp videtur absurdum, nam illa cõuenientia, cùm sit realis & substantialis, erit ẽt essentialis talibus formis, & consequenter species vltima erit diuisibilis per plures differentias essentiales, cp inuoluit apertã repugnantiam. Verũ hæc ratio magis est apparens quàm efficax, quia põt habere nonnullas euasiones & difficultates, quas attingemus commodiùs disputat. sequenti. tamen aliæ rationes efficaces sunt, quas amplius confirmabimus, & de- C clarabimus sect. seq. Restat igitur satis probata conclusio posita, quòd intrinsecum principium à quo sumitur indiuidualis differentia formæ substantialis, sit ipsamet entitas formæ, quatenus ex se habet talem aptitudinem ad informandam materiã, nam exclusa sunt omnia extrinseca, vel distincta ab ipsa forma, quòd ab eis indiuiduari non possit, quo fit, vt forma non sit hæc, quia respicit hanc materiam, sed solùm quatenus habet talem aptitudinem ad informandam materiam.

Substantiales modi quo principio indiuiduentur.

XIIII. Dico tertiò. Modus substantialis, qui simplex est, & suo modo indiuisibilis, habet etiam suam indiuiduationem ex se, & non ex aliquo principio ex natura rei à se distincto. Declaratur exemplis in vnione verbi gratia formæ ad materiam, vel materiæ ad formam, quam suppono ex infrà dicendis esse modum substantialem. Item in subsistentia simplici, & idem esset de existentia, si esset modus realis essentiæ ex natura rei distinctus ab illa. Itaque constat vnionem, quam nunc habet anima mea ad meum corpus, esse vnam numero, & indiuiduam, tum quia est quid reale, & à parte rei existens, & distinctũ ex natura rei ab anima, tum etiam, quia differt numero. & non specie à modo vnionis alterius animæ ad corpus suum, habet ergo suam indiuidualem differentiam: ergo & intrinsecũ aliquod principium, seu fundamentum eius: hoc ergo principium dicimus, nihil aliud esse posse, nisi entitatem ipsius modi qualiscunque illa entitas sit. Hoc autem probari potest primò rationibus generalibus factis, quod ita vnaquæq; res est vna, sicut est, & quod negatio quã addit vnitas, immediatè fundatur in entitate rei secundum quod in se est: ac denique, quia vnaquæque entitas simplex se ipsa intrinsecè talis est seu cõstituitur nostro modo intelligẽdi in suo esse, & consequenter etiam se ipsa distinguitur ab alijs. Secundò probatur excludendo alia principia huius indiuiduationis, nam, si quæ essent, maximè esset hæc anima, vel hæc materia, respectu huius vnionis (vt inchoatum exemplum prosequamur, omitto autem accidentia, quia illa iam satis exclusa sunt rationibus factis de materia & forma) sed hic modus non indiuiduatur propriè ex hac materia, & ex hac forma; quia licet hic modus vnionis in indiuiduo, non possit esse in alia forma propter specialem idẽtitatem realem, quam habet cum hac forma, neque etiam possit fieri, nec conseruari in alia materia numero distincta, quia respicit hanc non secundum aptitudinem, sed secundum actualem quandam rationem, quæ adæquatè terminatur ad hanc materiam, nihilominùs tamen possent hæc anima & hæc materia vniri alia vnione numero distincta. Non enim est necesse, vt si vnio huius animæ & formę nũc dissoluatur & pereat, & iterum rursus hæc materia, & hæc forma à Deo vniantur, eandem numero vnionem recipiant, quam anteà habebant. Nam licet demus hoc posse fieri, de quo aliqui etiam dubitant, non est cur sit necessarium, quia in alijs modis figuræ, sessionis, aut similibus, non est necesse eosdẽ numero reproduci imò id nõ est naturale. Possunt ergo illæ vniones numero distingui in eadem forma respectu eiusdem materiæ, ergo principium indiuiduationis eius non sumitur sufficienter ex hac forma, vel hac materia, ergo oportet, vt ex se habeat talis modus intrinsecum fundamentum suæ indiuiduationis, quamuis secundum illud respiciat hanc formam, & hanc materiam habitudine transcendentali: quia hæc est natura talis modi.

Compositi substantialis quod principium indiuiduationis.

XV. QVartò dicendum est in substantia composita, vt tale compositum est, adæquatum indiuiduationis principium esse hanc materiam, & hanc formam inter se vnitas, inter quæ præcipuum principium est forma, quæ sola sufficit, vt hoc compositum, quatenus est indiuiduum talis speciei, idẽ numero censeatur. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, & ex dictis sectione 4. & est consentanea opinioni Durandi, & Toleti suprà tractatis, & in re non dissentiunt Scotus, & Henr. nec Nominales omnes. Fonseca etiam non dissentit lib. 5. Metaph. q. 5. quamuis dicat, impropriam esse locutionem cùm dicimus, hanc materiam, & hanc formam esse principia indiuiduationis Physica, quia neq; forma hæc neque hæc materia, neque ambæ simul addi possent naturæ specificæ hominis, vt cum ea constituant hunc hominem, & quia etiam hæc materia & hæc forma sunt indiuidua, ex suis naturis specificis, & pro- Scotus. Henric. Nominales

proprijs indiuiduationis principijs constituta. Sed A in his rationibus diuertit à Physica ratione ad Metaphysicam compositionem, cùm enim hæc materia, & hæc forma dicuntur principia Physica indiuiduationis huius compositi, nõ comparãtur ad specificam naturam communem, sed ad Physicum cõpositum, quod componunt: & ideò non est necesse, vt addantur naturæ specificæ communi, sed vt componant illam componendo indiuiduum, in quo illa includitur. Vnde secundum eandem Physicã constitutionem talia principia simplicia sunt, neq; habent alia, quibus physicè indiuiduentur, sed se ipsis indiuiduantur, vt declaratum est. Non est ergo impropria locutio, sed vera ac propria, quia eadẽ sunt principia indiuiduationis intrinseca, quæ sunt principia intrinseca entitatis, vt sæpè dictũ est, quia indiuiduatio sequitur entitatem, vt est negatio quædam, vt autem includit positiuum, est ipsamet entitas, nihilq; illi addit, sed hæc materia, & hæc forma inter se vnitæ sunt intrinseca principia totius entitatis compositæ substantiæ, de qua agimus, ergo sunt etiam intrinseca principia physica indiuiduaB tionis. Et confirmatur, nam materia & forma absolutè sumptæ sunt principia physica speciei substantiæ compositæ, & specificationis eius: ergo hæc materia, & hæc forma erunt principia physica indiuidui, & indiuiduationis eius. Et eodem modo concludi potest, neutram per se, sed vtramq; simul esse hoc adæquatum principium. Quia hoc compositũ vt omnino & completè sit idem numero, requirit non solùm hanc formam, vel hanc materiam, sed vtramq; simul, & quacunq; variata non manet simpliciter, & omni ex parte idem numero compositũ, quod anteà erat: quia aliqua ex parte variata est eius entitas, ergo materia & forma sunt adæquatũ principium vnitatis numericæ totius compositi, vt tale est. Et confirmatur ratione factã, quia eadem sunt principia vnitatis, quæ entitatis: sed hæc materia, & hæc forma sunt adæquatum principium intrinsecum huius compositæ entitatis, ergo & vnitatis, & indiuiduationis.

XVI. Atque hinc constat, etiam hanc vnionem eandem numero requiri ad perfectam vnitatem talis compositi, quia suo modo intrinsecè concurrit ad constitutionem eius, entitas enim compositi nõ so- C
Illatum. lùm entitatem materiæ & formæ, sed etiã vnionem earum inter se intrinsecè includit: ergo variata vnione in aliquo variatur entitas, & consequenter vnitas ipsius compositi: requiritur ergo ad perfectam vnitatẽ, & indiuiduationem: hac ergo ratione posset etiam hæc vnio numerari in his, quæ complent perfectum indiuiduationis principium ipsius compositi. Non est autem ita necessaria, sicut materia & forma, quia hæc sunt simpliciter principia essentialia talis compositi, vnio verò est, quasi conditio requisita, seu causalitas materiæ ac formæ, vt dixi in 2. tomo 3. par. disput. 43. sect. 2. Comparando etiam inter se materiam & formam, præcipuum principium est forma, non tantùm respectu naturæ specificæ, sumpta forma in specie, sed etiam respectu huius indiuidui, sumpta forma indiuidua. quia hæc forma est maximè propria huius indiuidui, & quia illa est, quæ complet hanc numero substantiam integram, nam hæc materia solùm inchoat illam, & quantum est de se non magis inchoat hanc quam aliam. Item quia hæc forma est præcipuum principium essendi, & consequenter est etiam præcipuum principium distinguendi hanc substantiam ab alijs; sed idem est principium vnitatis, quod est principium entis, & distinctionis eius ab alijs: ergo. Dices, formam esse principium distinctionis specificæ, quia facit differre formaliter, non ergo potest esse principium distinctionis numericæ; aliàs distinctio numerica esset formalis & essentialis. Respondetur, formam secundum suam rationem specificam & essentialẽ facere differentiã specificam, & essentialem, formam verò indiuiduam secundum entitatem suam facere distinctionem entitatiuam, & numeralem. Petrus enim & Paulus magis differũt inter se numero, quia habent animas numero distinctas, quam quia habent distincta corpora. Atque ex his patet vltima pars conclusionis, quę satis etiam probatur ex communi modo loquendi, quem suprà notauimus, simpliciter enim censetur idem homo, non tantùm secundum apparentiam, sed etiam secundum veritatem, qui habet eandem numero animam, etiamsi corpus mutatum sit. Ratio verò est, quia forma simpliciter censetur constituere speciem, & similiter hæc forma hoc indiuiduum sub tali specie. Obiectio soluitur.

XVII. Sed quæres, an differentia indiuidualis in rigore B sumatur à completo principio, materia scilicet, & forma, an verò ab altero tantùm: nam authores videntur frequentiùs sentire, ab altero tantùm sumi, nam, cùm hæc differentia simplex sit, non videtur sumenda à toto composito, neq; à duplici principio partiali, sed ab vno tantùm, quod simplex sit. Tamẽ differunt, nam quidam aiunt, illud principium esse materiam, vt Caiet. & alij; alij verò dicunt esse formam, vt Scotus, & in idem inclinat Duran. Et hoc posterius est verius, suppositio priori fundamento, scilicet, quod differentia indiuidualis ab altero tantùm ex his principijs sumenda sit. Loquimur autem de re ipsa secundum se, nam quoad nos, qui ex rebus materialibus cognitionem sumimus, sæpè distinctio indiuiduorum ex materia sumitur, vel ex accidentibus, quę materiã consequuntur, vt sunt quantitas & aliæ proprietates: at verò secundum se, sicut differentia sumenda est à principio substantiali, & non ab accidentali, ita inter ipsa substantialia principia, ab eo sumenda est, quod præcipuũ est, & magis proprium, ac vltimum constitutiuum ipsius rei: huiusmodi autem est forma, vt ostensum est. Item est hoc verum, loquendo de indiuiduo talis naturæ vel speciei, prout formaliter in ea constituitur. Propter quam rationem suprà diximus, suppositum esse vnum numero, si vnam numero habeat subsistẽtiam; etiamsi natura vna non sit, quia formale constitutiuũ suppositi est subsistentia incommunicabilis, à qua sola sumenda est ratio indiuidualis suppositi vt sic: econtrariò verò diximus, vnitatem ac differentiam indiuidualem rei singularis, vt constitutæ sub tali specie, vel essentia substantiali, sumẽdam esse ex natura substantiali, quæ formaliter constituit tale indiuiduum. Ad hunc ergo modum dicimus in præsenti, differentiã indiuidualẽ huius hominis formaliter sumpti vt indiuiduum est speciei humanæ, sumi ex hac anima. At verò, si loquamur de hoc cõposito, vt perfectè, & omni ex parte vnum est, veriùs dicetur, differentiã indiuidualẽ eius sumi ex tota entitate eius, atq; adeò ex adæquato principio physico, quòd materiã, & formã includit, vt hoc modo etiam de toto illo composito verificetur, per se ipsum, seu per suam entitatem indiuiduari: nam per illam habet identitatem simpliciter in se, & diuersitatem ab omni alio. Neque est inconueniens, quòd differentia, quæ secundum conceptum Meta- Quæstum Caietan. Durand. Scotus. Responsio.

physi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

physicum simplex est, id est, non composita ex genere & differentia, sumatur ex entitate seu natura physicè composita, quatenus vna est, & per modum vnius indiuiduæ naturæ concipitur.

Spirituales substantiæ cõpleræ, quo indiuiduentur.

Vltimò ex dictis satis constat, quid dicendum sit de substantijs immaterialibus, in quibus differentię etiam indiuiduales inueniuntur, vt ostendimus: vnde, cùm in eis non sit, nisi simplex substantialis entitas completa, constat in eis non posse esse aliud principium indiuiduationis præter ipsam vniuscuiusq; rei entitatem, quæ ex se talis est, & per se ab alijs distinguitur. Et in hoc omnes conueniunt qui has substantias indiuiduas esse fatentur, quacunque ratione declarent indiuiduationem earum. Qui autem dicunt, de se conuenire tali naturæ specificæ spirituali, multò magis, & à fortiori docent per suas entitates indiuiduari, vt patet ex Capreol. in 2. dist. 3. Caietan. & alijs 1. par. quæst. 3. art. 3. quæst. 50. art. 4. Soncin. 12. Metaphysic. quæst. 49. Iauell. quæst. 25. Ferrar. 1. contr. gent. cap. 21. Qui verò censent etiam in rebus immaterialibus indiuiduationem fieri per additionem differentiæ, necessariò etiam docent, illam esse sumendã ab ipsa entitate substantiali Angeli secundum se; quia nec sumenda est ab accidentibus, neque est aliud, vnde sumi possit; quæ omnia satis probata sunt ex dictis. Argumentum autem vulgare, quòd si hæ substantiæ per suas entitates differunt, necessariò differant formaliter & essentialiter; iam est solutum in simili de alijs formis. Nam illæ entitates quantumuis formales, possunt esse omninò similes in ratione essentiali; & tunc licet se ipsis distinguantur, nihilominus distinctio est numerica, quia est in entitate, non in ratione formali. Dicuntur autem distingui se ipsis, non quia similes non sint, sed quia vna ex se habet, quòd non sit alia, similitudo enim non excludit distinctionem, vt infrà dicetur.

Capreol. Caietan. Soncin.

SECTIO VII.

Vtrum principium indiuiduationis accidentium, sit ex subiecto sumendum.

I. AN hac dubitatione ijdem ferè dicendi modi esse possunt, qui in præcedente sectione relati sunt, tamen quia eadem doctrina, quæ de formis substantialibus data est, ad accidẽtales est proportionaliter applicãda, ideò breuissimè potest hæc res expediri, addendo pauca, quæ sunt propria accidentium. Supponimus ergo ex dictis in sect. 2. in formis accidentalibus necessarias esse differentias indiuiduales, quas indiuiduæ formæ addant rationib. specificis, à quibus saltẽ ratione distinguãtur, nam doctrina ibi data generalis est, & rationes factæ de omnib. speciebus, & indiuiduis procedunt. Vnde fit, loquendo de principijs Metaphysicis constituentibus & distinguẽtibus res, nullam relinqui quæstionem circa principium indiuiduationis accidẽtis: est enim in eis differẽtia indiuidualis, quæ in vnoquoq; propria est, & contrahit speciem ad esse talis indiuidui. Solùm ergo restat quærendum, q̃ nam sit physicum fundamentum & principium huius differentiæ, & hoc sensu inuestigamus hîc principiũ indiuiduationis accidentiũ, sicut de substantijs diximus. Et ideò nulla nobis est hoc loco controuersia cum Scoto, qui suis hæceitatibus (quæ nihil aliud sunt, quã differentię indiuiduales) quæstionem hanc terminandam esse censuit, nos enim etiam admittimus differentias illas, tamen vlterius inquirimus physicam radicem earum differentiarum.

II. Duæ igitur opiniones tantùm hîc referri possunt. Prior est, accidentia indiuiduari per subiectum. Ita docet D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 1. & quæst. 39. art. 3. & opusc. 29. in fine. Sed quodlib. 7. art. 19. limitat hanc sententiam, dicitq;, esse veram in alijs accidentibus præter quantitatem, quam dicit non ex subiecto, sed ex situ indiuiduari, reliqua verò accidentia ex subiecto, saltem ex quantitate. Vndé infert, quamuis possit quantitas indiuidua conseruari à Deo sine subiecto, non tamen albedinem, aut reliqua accidentia quæ necessario requirũt subiectum, saltem quantitatem ipsam, vt fiant indiuidua. Hincque docet D. Tho. sæpe non posse dari duas albedines separatas & solo numero distinctas, quia nõ haberent per quod distinguerentur, 1. par. quæ. 50. art. 4. & quæst. 75. artic. 7. Idemque docet ac defendit Capreol. in 1. dist. 44. art. 2. conclus. 2. Fundamenta huius sentẽtiæ sunt eadem, quæ superiùs allata sunt ad probandum, formam substantialem indiuiduari à materia signata. Et confirmatur primò, nam accidẽs habet totum suum esse in ordine ad subiectum: ergo indiuiduationem habere debet à subiecto, nã vnaquæque res indiuiduari debet ex eisdem principijs, à quibus habet esse. Secundò, quia, si accidentia non indiuiduarentur à subiecto, possent plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto recipi, quia nõ obstante identitate subiecti habere possent inter se distinctionem, vnde nulla posset ratio huius repugnantiæ assignari, videmus autem, non posse idem subiectum duas albedines, vel duos calores recipere: tota ergo ratio huius est, quia à subiecto indiuiduantur; & ideò hoc ipso, quòd in eodem subiecto recipiuntur, sunt vnum, & non duo.

D. Thom. opinio.

III. Secunda opinio est, vnamquamque formam accidentalem physicè indiuiduari per se ipsam, vt est talis entitas actu, vel aptitudine, neque habere aliud intrinsecum principium indiuiduationis, præter suam entitatẽ. Ita sumitur ex opinione Durandi suprà tractata; & omnes rationes, quas adduximus de forma substantiali, probant idẽ de forma accidẽtali. Et summa est, quia vnaquæq; res per illud idem formaliter, & intrinsecè est vna numero (quoad fundamẽtum vnitatis seu negationis, quã dicit vnum) per quod est ens actu in rerum natura, vel aptum vt sit huiusmodi, quia omne tale ens est singulare, vt suprà ostensum est, sed omnis res per suam entitatem est intrinsecè & formaliter huiusmodi ens actu, ergo per eandẽ est singulare quid, & indiuiduũ, ergo & accidentia hoc habent. Et confirmatur, quia subiectum non potest esse principium indiuiduans accidentia, ergo tantum esse potest huiusmodi principium intrinseca entitas ipsorum accidẽtium: Antecedens patet, quia in primis subiectũ non potest dici principium intrinsecum indiuiduationis accidentis, tanquam intrinsecè & per se componens accidens, quia nunc nõ agimus de composito ex subiecto & accidente, sed de ipsa accidentali forma, quã constat nõ componi intrinsecè ex ipso subiecto, nec subiectum hoc modo esse principiũ intrinsecũ eius. Rursus nec subiectum potest dici principium indiuiduans accidens, tanquam terminus habitudinis, seu aptitudinis talis accidentis ad informandũ tale subiectum, primò quia respectu eiusdẽ subiecti numero possunt duo accidentia solo numero distincta habere aptitudinem ad informãdum illud, ergo illæ

Aliorum prima, Durand.

illæ aptitudines non pòssunt distingui numero ex subiecto: ergo ex se ipsis. Secundò hoc maximè vrget de quibusdam accidentibus, quæ secundum habitudinem suam non sistunt in subiecto, sed illud referunt, vel aliquo modo in aliud ducunt, vt sunt relationes, actus, habitus & similia: si enim accidens dicitur indiuiduari à subiecto, quia respicit illud naturaliter, cur hæc accidentia nõ dicentur potiùs indiuiduari ab vltimis terminis, quos naturaliter respiciunt, maximè cùm ab illis secundũ communes rationes sumant essentiales, seu specificas rationes suas? Tertiò, quia sine fundamento dicitur, hoc accidens numero habere naturalem coaptationem & habitudinem tantùm ad hoc subiectum: nam, licet fortasse per naturales causas in solo illo fieri possit; nihilominus tamen ipsum de se aptum est, vt informet quoduis subiectum capax talis accidentis, sicut econtrario accidere potest, vt hoc subiectum non possit naturaliter habere, nisi hanc albedinem, vel hanc quantitatem, & tamen non propterea capacitas eius intelligenda est ita ex se limitata, & determinata ad hoc accidens, vt non sit de se sufficiens ad similia accidentia recipienda. Deniq; hoc ipsum suaderi potest omnibus rationibus, quas de forma substantiali fecimus.

SECTIO VIII.

An repugnet duo accidentia solo numero diuersa, esse simul in eodem subiecto, ob eorũ indiuiduationẽ.

I. ACcidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto duobus modis accidere potest, scilicet simul, vel tantùm successiuè, & vtrumque est in controuersia positum, & in præsenti sectione solùm priorem tractamus.

Prima opinio tractatur.

IN qua est prima opinio, quæ non solùm de accidentibus eiusdem speciei, sed etiam diuersarum specierum, si sub eodem genere proximo contineantur, negat posse simul esse in eodem subiecto. Videatur D. Thom. 1. part. quæst. 85. art. 1. vbi *impossibile* (inquit) *est, idem subiectum perfici simul pluribus formis vnius generis & diuersarum specierum, sicut impossibile est, quòd idem corpus secundum idem simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris.* In quæst. autem 8. de verit. art. 14. id declarat de formis existentibus in actu perfecto. Quam expositionem amplectuntur communiter Thomistæ, & ita soluunt argumenta de pluribus specieb. intelligibilibus, seu sensibilib. sub eodem proximo genere contentis (vt sunt species hominis & equi) in eadem potentia simul existentibus, & de duabus scientijs, v.g. vel duabus virtutibus moralibus, vel Theologicis, quæ, cùm specie differant, & sub eodem proximo genere contineantur, simul esse possunt in eadem potentia, etiã cum perfecta intensione, hæc enim & similia dicunt esse simul solùm in actu incompleto, quia solùm sunt simul in actu primo, seu in habitu, non in actu secundo.

II. Sed reuera difficile est, opinionem hanc in ea generalitate simpliciter & absolutè sustinere. Primò, quia non potest sufficiens eius ratio reddi; vt enim bene Scotus objicit in 1. dist. 3. quæst. 6. §. *Ad quæstionem igitur*: In exemplis, quæ D. Thom. supra attulit, ideò illa accidentia specie differentia non possunt esse simul, quia includunt aliquam oppositionem in ordine ad subiectum, semper enim duo colores opponuntur, aut tanquam extremè cõtrarij, aut sicut extremus, & medius, aut sicut accedentes magis ad alterum extremorum: figuræ etiam includunt repugnantiam in situ, aut in rectitudine & obliquitate, vel aliqua re simili: non est autem necesse, omnia accidentia specie differentia habere huiusmodi oppositionem respectu subiecti. Deinde non malè vrget Durand. in 2. dist. 3. quæst. 8. argumentum de speciebus intelligibilibus (quamuis ipse malè illo vtatur ad negandas species intelligibiles) argumentatur igitur, quia, quamuis intellectus actu non intelligat, species plures sunt perfectæ, & completæ, quantum ad actum informandi: nam actualis operatio nihil refert ad esse completum formæ. Respondet Caiet. 1. par. quæst. 85. art. 4. hoc esse verum de speciebus in esse reali, non tamen in esse intelligibili. Sed, vt omittam, hanc esse quandam petitionem principij in quæstione quam ibi disputat, scilicet an possit intellectus simul habere plures actus intelligendi: quia, vt ipsemet exponit, illud esse intelligibile nihil aliud est, nisi, quod actu moueat potentiam ad actualem considerationem; vt hoc (inquam) omittam, ad quæstionem de qua hîc agimus satis est, q̃ duo accidentia secundum suũ esse reale

III. Fundamenta ergo prioris opinionis, quatenus eadem sunt cum rationibus, quibus probari solet, materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, & repugnare possunt priori parti sententiæ à nobis positæ, satis tractata sunt, & expedita sect. præced. Prima verò confirmatio solùm probat, accidens habere suam indiuiduationem in ordine ad subiectum, ab eoque naturaliter pendere, non tamen, quòd indiuiduatio subiecti sit principium intrinsecum indiuiduationis accidentis. In secunda verò confirmatione, & in fundamentis posterioris sententiæ petitur commune dubium, quod hoc loco prætermitti non potest, suam tamen propriam quæstionem postulat.

IIII. *Quæstionis resolutio.*

HÆc controuersia distinctione suprà infinuata dirimenda est, & definienda. Diximus enim dupliciter posse nos loqui de principio indiuiduationis; primò in ordine ad esse, & ad propriã rei cõstitutionem secundum se. Secundò in ordine ad productionem, quatenus determinatur agens ad distinctum indiuiduum producendum, vel ad efficiendum vnum potiùs, quàm aliud, & consequenter in ordine ad nostram cognitionem, quatenus sensibiliter (vt sic dicam) distinguere possumus vnum ab alio. Priori igitur consideratione (quæ maximè à priori est, & maximè propria huius scientiæ) vera est posterior sententia, docens, accidentia non ex subiecto, sed ex proprijs entitatibus habere suam indiuiduationem, & numericam distinctionem, vt satis probant rationes factæ tam hîc, quam sectione præced. & patebit ampliùs ex dicendis in solutionibus argumentorum. Posteriori autem consideratione (quę magis est physica & à posteriori) dici possunt accidentia accipere indiuiduationem ex subiecto, tanquam ex radice, seu occasione potiùs multiplicationis, & distinctionis eorum. Hoc tamen non de subiecto nudè sumpto, sed adhibitis alijs circũstantijs, vel conditionibus ad actionem necessarijs intelligendum est, vt in solutionibus argumentorum commodiùs explicabitur.

V. Fundamenta ergo prioris opinionis, quatenus eadem sunt cum rationibus, quibus probari solet, materiam signatam quantitate esse principium indiuiduationis, & repugnare possunt priori parti sententiæ à nobis positæ, satis tractata sunt, & expedita sect. præced. Prima verò confirmatio solùm probat, accidens habere suam indiuiduationem in ordine ad subiectum, ab eoque naturaliter pendere, non tamen, quòd indiuiduatio subiecti sit principium intrinsecum indiuiduationis accidentis. In secunda verò confirmatione, & in fundamentis posterioris sententiæ petitur commune dubium, quod hoc loco prætermitti non potest, suam tamen propriam quæstionem postulat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

simul habeant actum informādi completum in eodem subiecto. Et idem argumentum fieri potest de habitibus virtutum moralium, aut scientiarum, in quibus non habet locum illa distinctio de esse reali, aut intelligibili. Et ex his potest extendi argumentum etiam ad actus: non enim repugnabit eos esse simul, quantum est ex parte ipsorum, aut ex parte potentiæ receptiuæ, si non desit virtus actiua quæ possit simul illos efficere: quia in reliquis non est maior repugnantia inter actus, quam inter habitus eiusdem generis, si aliàs non sint contrarij.

III. Et ita etiam soluitur ratio, quam D. Thom. insinuat in dicta quæstione 8. de verit. scilicet, quia actus eiusdem generis respiciunt eandem potentiam & terminant illam; non potest autem simul eadem potentia pluribus actibus terminari. Respondetur enim, hoc esse verum in actibus adæquatis eidē potentiæ, non verò in inadæquatis, vt in præsenti vna species, vel vnus habitus non est adæquatus actus primus intellectus, quia non perficit illum in ordine ad adæquatum obiectum eius; & ideò possunt in eo simul plures esse, etiam si sint eiusdem generis, B donec integrè & adæquatè ipsum perficiant. Et idem dicendum erit de quibuscunque formis accidentalibus. Vt v.g. calor & siccitas, quamuis fortasse conueniant in genere proximo, possunt in eodem igne simul esse, quia neutra illarū qualitatum per se implet capacitatē naturalem ignis, neq; passiuam quam habet ratione materiæ, neque quodammodo actiuam, quam habet ratione formæ per naturalem dimanationem. Propositio ergo illa D. Thom. vt aliquo sensu vera sit, intelligenda est de formis, quæ completè & adæquatè actuant potentiam subiecti in tali genere, seu ratione, vt magis ex dicendis patebit. Hæc enim opinio, quæ hactenus tractata est, non fundatur in indiuiduatione accidentium, & ita nō referebat ad præsentem quæstionem, tamen necessariò præmittenda fuit, tum ad complementum doctrinæ, tum etiam, quia lucem affert ad ea, quæ dicemus.

Secunda opinio.

IIII. Secunda ergo opinio etiam extrema est, nulla omnino accidentia eiusdem speciei posse simul C esse in eodem subiecto. Quæ existimatur esse Arist. 5. Metaphys. cap. 10. tex. 15. dicentis, illa accidentia differre specie, quæ cùm in eadem substantia sint, differentiam habent. Vbi D. Thom. lect. 12. generalem rationem reddit illius assertionis, quia impossibile est plura accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto esse. Idem docet 3. part. quæst. 35. art. 5. vbi etiam plures relationes solo numero diuersas non admittit in eodem patre respectu plurium filiorum, neq; in eodem filio respectu patris & matris. Et ita generaliter defendunt hanc opinionem Capreol. in 1. distinct. 7. quæst. 2. Caietan. 3. part. quæst. 35. art. 5. Heruæus. quodlib. 3. q. 9. & in 3. dist. 8. q. 1. & ibi Palud. q. 2. Soncin. 7. Metaph. q. 4. vbi plures rationes adducit. Sed præcipua sumitur ex indiuiduatione, nam distinctio in formis solum est, aut formalis, quæ est specifica, aut materialis ex subiecto, quæ est numerica ex Arist. 3. Metaph. c. 3. lib. 5. cap. 6. ergo vbi neutra istarum intercedit, non potest esse distinctio: ergo, vbi est vnitas specifica accidentis in eodem subiecto, non potest esse pluralitas numerica. Confirmatur, quia aliàs, qua ratione possent duo accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto simul inesse, possent etiam in infinitum multiplicari: quia non est maior ratio de vna multitudine, quàm de alia: vnde inferetur, esse in eodem subiecto infinitas relationes, & alia similia incommoda. V.

Aristoteles. D. Thom. Capreol.

Heruæus. Caietan. Soncin.

Sed difficile etiam est, sententiam hanc in tota hac generalitate absque vlla exceptione sustinere propter varia exempla, in quibus planè videtur deficere, quæ statim afferemus. Et ideò, quāuis nullus authorum sententiam extremè contrariam simpliciter doceat, scilicet, quæcunq; accidentia solo numero differentia, cuiuscunque speciei sint, posse simul esse in eodem subiecto, id enim non solum Aristoteli, & omnibus Philosophis, sed etiam ipsi experientiæ apertè repugnat, vt suprà tactum est, & ex dicendis latiùs constabit: plures tamen exceptiones & limitationes adhibent prædictæ sententiæ: quia vero difficile est mediam viam eligere, & rationem eius reddere, ideò in hac exceptione facienda inter se non conueniunt.

Tertia opinio.

Tertia ergo opinio est Thomistarum, distinguentium de accidentibus in actu completo, vel incompleto: nam priori modo negant posse simul esse in vno subiecto accidentia solo numero differentia, propter rationes factas & authoritatem Aristot. & D. Thom. quos sic exponunt. Posteriori autem modo id admittunt. Ita Caietan. 1. par. quæst. 95. artic. 4. clariùs Capr. in 2. dist. 3. quæst 2. ad argumenta cont. 9. concl. Iauell. 5. Metaph. q. 16. Qui videntur hoc sumpsisse ex D. Thom. quæst. 8. de verit. art. 14. & præcipuè videntur ducti argumento specierum intentionalium: quia negare non possunt, quin plures solo numero differentes possint esse in eodem subiecto, scilicet, in eodem intellectu, vel in eadem phantasia; vel in eodem medio secundum eandem partem. VI.

Caietan. Capreol. Iauell.

Sed inprimis hæc distinctio non est sufficiens, nam ostendemus inferiùs non solum hæc accidentia intentionalia, sed etiam plura alia secundum totum suum esse completū, posse simul esse in eodem subiecto. Deinde de his accidentibus intentionalibus redit argumentum suprà factum, qua scilicet ratione dicantur esse incōpletè in subiecto, an quia non efficiunt, vel quia non plenè informant; hoc posterius est falsum, quia secundum totum suum esse insunt, ergo informant; primum autem videtur impertinens, quia completum esse accidentis non consistit in efficiendo, sed informando. Accedit tandem, quòd, si hæc accidentia non possunt esse in eodem subiecto propter indiuiduationem, ergo idem erit, siue sint in actuali operatione, siue non: quia priusquam operentur, habent suam indiuiduationem ex subiecto: ergo, vel illa ratio congrua non est, vel æquè probat hæc accidentia non posse distingui numero in eodem subiecto, etiam dum non operantur.

Quarta opinio.

Quarta opinio est, accidentia propria, seu quæ intrinsecè manant à subiecto, non posse plura solo numero differentia esse in eodem: ea verò, quæ sunt accidentia communia, posse simul esse. Ita Iandun. 5. Metaph. quæst. 36. Ratio prioris partis est, quia natura abhorret superfluitatem: vnde, cùm accidens proprium sit intrinsecum naturæ, & vnum sufficiat ad naturæ functionem, & finem, non multiplicatur. Et hinc sumitur ratio alterius partis: nam, cùm accidens commune ab extrinseco, & per acci- VII.

VIII.

Iandun.

dens sæpe prouenit, non repugnat multiplicari in eodem subiecto, & ita contingit plures calefactiones fieri simul in eodem ligno à diuersis ignibus. A

IX. Sed hæc sententia licet quoad priorem partem vera sit, tamen quoad posteriorem non est in vniuersum vera, quia nec plures albedines, nec plures calores possunt simul esse in eodem subiecto, cùm tamen hæc sint accidentia communia. Neque id, quod dicitur de pluribus calefactionibus, verum est: nam, quando duo ignes idem lignum secundùm eandē partē calefaciunt; sicut efficiunt vnum calorem, ita & vnam calefactionem, quæ à singulis est partialiter, & ab vtroque simul vt à causa totali. Præterea, si regula illa esset generaliter vera, sequeretur, duas scientias eiusdem speciei, & in ordine ad idem obiectum, & similiter duas temperantias solo numero diuersas posse esse simul in eodem, quod non est probabile. Denique obstat ratio generalis, quia etiam in extraneis, & accidentalibus mutationibus agens extrinsecum intendit assimilare sibi passum: vnde, si inuenit simile, non iterum agit in illud: aliàs, postquam illud semel sibi assimilaret, ite- B rum atque iterum ageret in illud, & sic in infinitum procederet actio, saltem quoad multiplicationem formarum accidentalium. Et eadē ratione, res omnino similes in eodem accidente ad inuicem mutuoque sese immutarent, & similia accidentia in seipsis multiplicarent. Imo eadem, vel maiori ratione, idem ageret in se ipsum per vnum accidens aliud simile in se producendo, vel, si iam haberet duo, efficeret tertium, & sic in infinitum, quę omnia sunt planè falsa & absurda. Vnde colligitur, etiam in his mutationibus accidentalibus, principium earum ex parte subiecti esse priuationem similis formę: & ideò huiusmodi mutationem non tendere ad multiplicandū accidens eiusdem speciei in eodem subiecto.

Quinta opinio.

X. Quinta opinio distinguit de accidentibus, quæ fiunt per proprium motum, vel quæ sine motu fiunt, & de prioribus negat posse simul esse in eodem subiecto propter rationem adductam, quod motus fit ex contrario in contrarium; de poste- C rioribus autem affirmat posse simul esse in eodem subiecto accidentia solo numero diuersa. Hanc opinionem refert Fonseca libro quinto, cap. 10. quæst. 1. sectione 1. Soletque tribui Scoto, Gabr. Durand. & aliis in 3. distinct. 8. tamen Durand. ibi quæst. 3. nihil de hoc dicit, sed potiùs in solutione ad primum, in accidentibus absolutis solùm admittit ea, quæ sunt eiusdem speciei, posse esse in eodem suppolito secundùm aliam, atque aliam partem: in relatiuis verò secundùm aliud & aliud fundamētum. Gabr. autem ibi articul. 3. dub. 1. nullam distinctionem adhibet, sed simpliciter negat, repugnare duo accidentia solo numero differentia esse in eodem subiecto. Et ferè eodem modo loquitur ibi Scotus quæstione vnica. Indicat tamen per operationem agentis naturalis non fieri multiplicationem qualitatum eiusdem rationis in eodem subiecto: quia naturale agens intendit formam præexistentem imperfectam perficere; & ideò non inducit omnino aliam formam, sed aliquem gradū seu quasi partē, quā vnit præexistēti, vt illam perficiat. In quo significat distinctionē illā de accidentibus, quæ fiūt per motū, vel sine illo. Quam etiam insinuat Anton. Andr. 5. metaph. q. 8. Dicit enim relatiua accidentia solo numero differentia posse esse in eodem; de absolutis verò subdistinguit, nam quædam educuntur de potentia subiecti; & hæc non multiplicantur numero in eodem subiecto; alia verò non educuntur; & hæc possunt multiplicari. Et huiusmodi putat esse lumen, de quo perspectiui contendunt à duobus luminosis duo lumina produci in eadem parte subiecti: quia duas vmbras efficiunt, & quia ablato vno luminoso aliquod lumen in aere corrumpitur, & aliquod manet.

Fonseca. Gabr. Durand.

Sed hæc, partim falsa sunt, partim non satisfaciunt. Et, vt ab hoc vltimo incipiamus, falsum est, aliqua esse accidentia in subiecto, quæ eo modo, quo in eo fiunt, de eius potentia non educantur, quia omnia pendent à subiecto in fieri, & in esse, & specialiter de lumine constat educi ex potentia subiecti, non enim creatur, nec solum in subiecto fit, sed ex subiecto, concurrente scilicet aere, verbi gratia, in genere causæ materialis ad effectionem eius. Falsum est etiā lumina multiplicari numero in eodē subiecto; neque est vlla experientia, qua id probari possit: nam solum docet experientia, cæteris paribus, plus agere duo luminosa in eadem parte, quàm alterum tantum, sed id non est propter multiplicationem luminum, sed propter maiorem intensionē eiusdem luminis: ex quo fit, vt ablato vno agente, vel in ea parte, ad quam peruenit vnius actio, & nō alterius, minor appareat effectus, non quia vnū lumen corrumpatur, & maneat aliud, sed quia idem remissius fiat, & conseruetur. Et hinc est etiam, vt interdum resultent duæ vmbræ, quia vmbra nihil aliud est, quàm carentia vel diminutio luminis, & sæpè fit, vt interiecto vno corpore duobus luminosis inter se distantibus, in vno loco impediat actionem vnius, & in alio distante actionem alterius, in loco autem intermedio neutrius actio impediatur; & inde fit, vt plures vmbræ appareant. Et hinc confutatur facilè prima distinctio de accidentibus, quæ fiunt per motum, vel sine illo: nam, si motus sumatur in rigore pro motu successiuo, qui fit ex contrario, exemplo luminis constat, esse falsam posteriorem partem; nam lumen non fit per motum, sed per mutationem instantaneam, nec fit ex termino positiuo contrario, sed ex priuatiuo, & tamen multiplicari non potest in eodem subiecto. Item illa distinctio videtur valde per accidens: quid enim refert ad hāc numericam distinctionem, vel identitatem accidentium, quod fiant per motum, vel per mutationem? Quia distinctio accidentium non inde sumitur, sed, vt ex seipsis, vel ex subiecto. Quod si subiectum est tantum in potentia ad vnum calorem, qui successiuè fit, cur non dicetur etiam esse tantum in potentia ad vnum lumen, licet simul fiat? vel econtrario, si est in potentia ad plura lumina, cur non erit in potentia ad plures calores? Quod si dicatur, in his, quæ successiuè fiunt, agens non intendere inducere nouum accidens, sed perficere præexistens, idē dicetur de lumine, & quacunque alia simili qualitate, quæ sicut fit in instante ex priuatione opposita, ita etiam potest intendi in instante ex priuatione tātæ intēsionis. Vnde hîc etiam locum habet ratio suprà tacta ex Scoto, quia non solum motus successiuus, sed omnis actio naturalis agentis est, vt passum reddat sibi simile, & ideò non agit in simile, sed requirit in passo priuationem, vt principium suæ actionis: quando ergo lumē est in aere vt quatuor, & applicatur nouum luminosum, nō aget in aerem, qua-

XI. Omnia accidentia subiecto inhærētia, de eius potentia educuntur. De hoc latius disput. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tenus sibi simile est in quatuor gradibus, sed potiùs quatenus est dissimile in vlterioribus gradibus: est ergo eadem ratio accidẽtium, quę per mutationem, vel per motum fiunt.

XII. Quod si motus in ea distinctione non in eo rigore sumatur, sed vt comprehendit mutationem, ita vt sensus sit ea accidentia, quæ per se fiunt per propriam actionem, non multiplicari in subiecto secundùm numerum, alia verò multiplicari; Sic etiam impugnari potest distinctio: primò, quia datur per ea, quæ sunt valdè extrinseca & per accidens ad distinctionem numericam accidentium. Secundò, quia neutra pars videtur esse constans, nam species sensibiles fiunt per propriam actionem, & tamen multiplicantur numero in eadem parte medij: sonus etiam videtur per se fieri propria actione, & tamen multiplicatur numero in eodem subiecto, vt experientia probare videtur; audimus enim concentum plurium vocum in eodem tempore, & per idem medium, quod fieri non posset, nisi soni essent diuersi. E contrario verò figura non fit per se primò per motum, & tamen non potest multiplicari numero in eodem subiecto; & idem est in omnib' similibus absolutis, quia non possunt multiplicari per mutationẽ alicuius extrinseci, vt relatiua, & ideò, sicut per se non fiunt, ita nec per se multiplicari possunt in eodem subiecto; neque etiam concomitanter, quandoquidem forma illa, quæ per se fit, & ad quam consequuntur, non multiplicatur numero in eodem subiecto.

XIII. Prætereà distinctio de absolutis, & relatiuis non satisfacit omni ex parte: nam, si relatiua sumantur in rigore pro relatiuis secundum esse, & prædicamentalibus, verum quidem est, posse hæc aliquando multiplicari numero in eodem subiecto, vt agentes de relationibus dicemus; sed non est hoc in vniuersum verum; ralatio enim creaturæ non potest in eodem subiecto multiplicari. Sed minùs vniuersalis est alia pars de absolutis, vt patet exemplis adductis de speciebus, & de sonis, & similibus. Alia distinctione vtitur Fonseca loco subprà citato, sectione tertia, quæ magna ex parte cum prædictis coincidit. Et summatim dicit, ex accidentibus naturaliter acquisitis per motum aut mutationem motui coniunctam non posse dari plura eiusdem speciei in eodem subiecto, & de his explicat in quarta dictum Aristotel. quod in hoc sensu vniuersè & sine exceptione verum esse intelligit. Addit verò subinde, ex accidentibus, quæ non intenduntur, & remittuntur siue per motum, mutationémue motui coniunctam, siue alio modo acquirantur, necessarium esse dari pleraque eiusdem speciei in eodem subiecto. Vnde videtur priorem sententiam limitare ad ea accidentia, quæ intenduntur & remittuntur; & ita prior sententia nõ est omnino generalis, vt in quarta conclusione significat. Sed neque cum illa limitatione videtur in vniuersũ vera hæc sententia, quia species intentionales intendi possunt & remitti, & nihilominùs in eodem subiecto multiplicantur; probabile est etiam, sonum remitti & intendi, quem tamen ipse dicit in eodẽ subiecto multiplicari. Quod etiam ibidem addit in ordine ad potentiam Dei absolutam non posse in eodem subiecto esse plura accidẽtia numero distincta, quando talia sunt, vt natura sua in vnum numero intensiùs coalescant, difficile creditu est, vt statim latiùs declarabo.

Accidentia relatiua multiplicari possunt sub eadẽ specie in eodẽ subiecto, non tamen omnia.

Resolutio quæstionis quoad modum quo plura accidentia similia possunt simul esse in eodem subiecto.

IN tanta ergo sententiarum varietate difficile est certam aliquam regulam in hac re præscribere, eiusque veram rationem assignare. Duo tamen mihi in hac materia certa videntur. Vnum est, vniuersalem hanc negatiuam propositionem; non posse plura accidentia eiusdem speciei esse in eodem subiecto; non posse absolutè & simpliciter, seu sine aliqua limitatione verificari. Quod maximè mihi probant exempla de speciebus intentionalibus & de relationibus, supponendo, eas esse aliquid reale distinctum ex natura rei ab absolutis. Exemplum autem de sono adductum non est adeò conuincens, tum quia non est certum, sonum fieri per se primo per illum motum, seu actionem: tum maximè quia non satis constat plures sonos, qui audiuntur, in eadem parte subiecti esse; nam semper fiunt in principio in locis distinctis, & ibi propriè percipiuntur; quando autem perueniunt ad auditum, vel ad partem medij auditui propinquam, fortasse iam non pueniũt secundum esse reale, sed secundum intentionale tantùm. Alia exempla adduci solent de cõtinuitatibus & durationibus duorum motuum, qui simul in eodem fieri possunt, vt v. g. idem lignũ pòt simul calefieri & exiccari; qui duo motus, licet specie diuersi sint, tamen cõtinuitates & durationes eorum solùm numero differre videntur. Sed hæc exempla nõ admodum cogunt, tum quia valde probabile est, nec durationem esse accidens aut modum ex natura rei distinctum ab existentia rei durantis; nec continuitatem intrinsecam seu entitatiuam à re ipsa cõtinua, tum etiam, quia, etiamsi admittamus huiusmodi accidentia, illa non insunt immediatè mobili, sed mediante motu, quem afficiunt; & ideò nõ sunt propriè in eodem subiecto secundũ idem. Tamen priora exempla sufficiunt, quibus addi potest, quod eadem potentia potest habere simul plures actus numero distinctos, quamuis fortasse non omnino similes, vel summè perfectos, vt, si voluntas vel appetitus simul ament duos homines actibus diuersis, vel, si beatus (vt multi volũt) simul amet Deum necessariò, & liberè ex charitate.

Secundò est certum non in quacunque specie accidentium posse naturaliter contingere, vt plura, quæ solo numero differunt, simul sint in eodẽ subiecto. Hoc constat de omnibus proprietatibus, quæ ab intrinseco conueniunt, vt sunt quantitas, quæ ab intrinseco conuenit ratione materiæ; potentiæ seu facultates connaturales, quæ in vnaquaque re manant à forma, & in eadem parte subiecti nunquam multiplicantur intrà eandem speciem, vt inductione satis constat. Item reales, & absolutæ qualitates; vel primæ, quibus materia disponitur; vel secundæ quæ ex his resultant, vt experientia etiam probari potest: nam instantia, quæ adduci solet de gradibus intensionis, non est ad rem: nam illi non propriè numero differunt, de quo aliàs. Idem denique est probabilius de lumine & similibus. Quæ autem generalis regula tradenda sit; aut quæ ratio differentiæ assignanda, nihil inuenio, quod mihi ex omni parte satisfaciat. Possumus autem hoc modo id explicare. Quædam accidentia ita differunt solo numero, vt præter distinctionem entitatum in reliquis omnibus habeant quandam similitudinem, & conuenientiam, scilicet in munere vel officiis, ad quod destinantur, & in quacunque habitudine quam dicunt, vt sunt duo calores, duæ albedines, & similia. Alia verò sunt, quæ, licet in specifica ratione conueniant, & sub ea tantum numero differant, tamen nõ habent inter se tantam similitudinem, sed differunt vel in munere, vel in habitudine, vt verbi gratia, duæ species visibiles Petri differunt numero priori modo. Duæ autem species visibiles Petri & Pauli differunt numero hoc posteriori modo, nõ enim sunt tam similes inter se sicut illæ duæ, nam diuersas habent habitudines transcendentales ad obiecta, & ad diuersa munera ordinantur.

XVI. Dico ergo tertiò, accidentia prioris generis non posse multiplicari numero in eodem subiecto; quæ verò sunt posterioris generis, posse multiplicari. Et vtrumque potest probari inductione & exemplis adductis. Ideò enim accidentia omnino absoluta nunquam in eodem subiecto multipicantur numero, quia sunt similia priori modo; accidentia verò respectiua, siue prædicamentali, siue transcendẽtali respectu, multiplicari possunt; quia cum specifica vnitate habere possunt aliquam dissimilitudinem, veluti materialem, cuius occasione multiplicari possunt: vnde fit, vt respectu eiusdem nunquã possint multiplicari: & ideò non potest multiplicari relatio creaturæ, quia terminus illius tantum potest esse vnus, & respectu eiusdem termini non possunt relationes multiplicari. Ideò etiam, quamuis demus, relationes ad patrem, & matrem esse plures, & solo numero diuersas, tamen relatio ad patrem non potest in eodem filio multiplicari. Ratio autem differẽtiæ inter vtraq; accidentia potest satis probabilis ex dictis assignari. Primò ex causa finali, quia quando accidentia sunt omnino similia, superflua & otiosa esset eorum multiplicatio in eodem subiecto, quod natura abhorret: quando verò sunt aliquo modo diuersa: vel ordinantur ad diuersos fines, vt patet in speciebus intentionalibus, vel resultant ex rebus ordinatis ad diuersos fines, & diuersas habitudines inde participant, vt contingit in relationibus; & ideò non est superflua, neq; præter finem consentaneum naturæ numerica multiplicatio.

XVII. Secundò ex parte agentis; quia, quando accidentia sunt omnino similia, nullum agens per se intendit, aut pluralitatẽ eorum, aut aliud inducere in subiectum iam habens aliud omnino simile, quia solum intendit agens reddere passum sibi simile, quod per vnam tantum huiusmodi formam satis cõsequitur. At verò, quando accidentia non sunt prædicto modo similia, cessat hæc ratio, & subiectum indiget maiori assimilatione; & ideò agens etiam illam procurat. Vt v. g. quamuis medium receptá specie Petri, sit illi simile intentionaliter, non est sufficienter simile Paulo, & ideò manet in Paulo virtus ad inducendum speciẽ, qua illud reddat sibi simile, & sic de aliis.

XVIII. Vnde tertiò redditur ratio ex capacitate subiecti: sicut enim materia prima, quamuis de se sit indifferens ad omnes formas substantiales, non tamen habet capacitatem ad habendas omnes simul neque plures: quia vna forma sufficienter actuatur; ita etiam subiectum accidentium, quamuis per se primò sit capax alicuius speciei accidentis; & consequenter sit indifferẽs ad quodlibet indiuiduum eius, nihilominus non est capax, vt simul recipiat omnia, vel plura indiuidua talis speciei, quatenus in eis specifica ratio eodem modo reperitur, quia sufficienter actuatur huiusmodi capacitas vna forma talis speciei; & hoc contingit, quando indiuiduæ formæ sunt omnino similes, & eiusdem rationis & habitudinis: quando verò accidentia dissimilia sunt, & varias habent habitudines, tunc vnum non sufficit ad replẽdam capacitatem subiecti, & ideò fieri potest, vt in eodem subiecto multiplicentur, donec capacitatem eius omnino repleant. Vt potentia intellectiua quatenus est capax scientiæ naturalis Dei vel hominis, sufficienter disponitur in actu primo vna numero scientiæ Metaphysicæ, vel Philosophiæ, & ideò iam non manet capax alterius scientiæ similis, tamen eadem facultas intellectiua, vt est capax actualis cognitionis hominum, non plenè actuatur vno actu quo Petrum, vel Paulum cognoscit, neq; vna specie intelligibili, & ideò est capax plurium, donec eius facultas sufficienter compleatur: quia illa plura non actuant illam omnino eodem modo, sed in ordine ad diuersa. Quo tandem fit, vt ex distinctionibus supra allatis, illa quæ distinguit inter absolutum & respectiuum, proximè ad veritatem accedat: absoluta enim non multiplicantur, quia semper sunt omnino similia, respectiua verò, vel secundum esse, vel secũdum dici, seu relatione prædicamentali, vel transcẽtali habitudine multiplicari possunt, quando diuersos terminos respiciunt, vel ad diuersa munera ordinantur propter dissimilitudinem, quam in se habent, quia nullum eorum plenè actuat subiectum, vt declaratum est. Et iuxta hæc explicandus est locus Aristotelis in 5. Metaph. Non est enim necesse, vt illud indicium diuersitatis specificæ sit vniuersale omnino de omnibus accidentibus, sed de his, quæ in indiuiduo sunt perfectè similia.

Formalis responsio ad quæstionem, quatenus ad indiuiduationem spectat.

XIX. EX his colligitur formalis responsio ad præsentem quæstionem, propter quam hæc omnia dicta sunt, scilicet, non prouenire per se ex indiuiduatione, quod aliqua accidentia solo numero diuersa, non possint esse simul in eodem subiecto. Nam, licet in eo simul essent, possent optimè intelligi distincta numero ratione suarum entitatum, sicut distinguũtur ea, quæ simul esse possũt, vt dictũ est, vel sicut distinguũtur ea, q̃ succedẽdo siue insunt eidem subiecto, vt statim dicetur. Sed q̃ aliqua inesse non possint, prouenit ex incapacitate naturali subiecti, & adæquatione, quæ inter potentiam receptiuam eius, & talẽ actum reperitur, & consequenter ex defectu naturalis agentis, q̃ eam possit multiplicationem efficere.

XX. Vnde vlterius infero, de potentia absoluta non repugnare plura accidentia solo numero differentia, etiamsi sint omnino similia, simul poni in eodẽ subiecto: quia ex indiuiduatione & distinctione eorum non repugnat, & Deus potest operari in subiectum vltra naturalem capacitatem eius, & si Deus id vellet facere ad ostensionem potentiæ suæ, non esset omnino superfluum. Hoc autem limitant aliqui ad ea accidentia, quæ non intenduntur, nec remittuntur, nam de his, quæ intensionem recipiunt, impossibile putant etiam de potentia absoluta poni plura solo numero differentia in eodem subiecto, quin vnam intensam qualitatem componant, si vtrumque eorum subiecto inhæreat, quia hoc ipso necessariò inter se vniuntur in vnum intensius: quia nullam aliam vnionem requirunt duo gradus caloris, vt vnum intensum calorem componant, nisi q̃ in eodem subiecto sint. Vnde, si alterum eorum subiecto inhæreat, alterum verò non inhæreat, sed alio modo sustentetur ab eodẽ subiecto sine inhæsione,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunc nõ repugnabit, esse simul, vel potius sustentari simul ab eodem subiecto, quia tunc non habent inter se vnionẽ necessariam ad vnã intensiorẽ qualitatem componendã: & in hac sententia citatur Ægid. in 1. d. 17. 2. p. d. p. 2. art. 1. ibi verò nihil dicit.

XXI. Hæc tamen sententia falsa principia circa intensionem qualitatum supponere videtur. Primum intensionem fieri per additionem seu congregationem plurium graduum eiusdem qualitatis omnino similium inter se. Secundum illos gradus nullam vnionem inter se habere, neque in aliquo communi et reali termino positiuo, neque alio genere vnionis per modum actus & potẽtię, sed solum vniri in subiecto, & in eadẽ parte subiecti, si partes habeat. Tertium, illos gradus non respicere subiectum aliquo ordine, sed omnes æquè immediate, ita vt non sit inter eos ordo primi, secundi, & tertij gradus, nisi fortasse ordine generationis, & productionis: Si tamen simul fiant omnes esse æquè primos. Ex qua doctrina optimè sequitur, non posse Deum multiplicare gradus caloris in eodem subiecto inhærentes, quin faciant vnum intensiorem: quia talis intensio nihil aliud est, quam congregatio plurium graduum similium in eodem subiecto; sine his autem principiis non video quo fundamento niti possit illa limitatio, vt statim ostendam, imò illa sententia sic explicata non propriè limitat, possit Deum quascunque qualitates intensibiles solo numero diuersas ponere in eodem subiecto, sed addit, hoc ipso, quod illas ponat, necessariò effecturas vnam intensiorem.

XXII. Illa tamen doctrina de intensione, aliqua repugnantia inuoluit, quæ cùm sint ab hoc loco aliena, non possunt ex professo declarari: indicantur tamen breuiter. Nam, vel gradus illi, quibus qualitas intensa componi dicitur, v. g. octo gradus caloris, sunt in se indiuisibiles, vel habent singularem latitudinem intensionis, & remissionis: primum dici non pôt, primò quia aliàs intẽsio nõ posset esse motus cõtinuus, nam quilibet illorũ graduum totus simul necessariò acquiri deberet; alioquin non esset indiuisibilis: ergo tota intensio deberet fieri per mutationes momentaneas, & indiuisibiles: ergo non successione continua, quod est & contra sensum, & experientiam, & contra rationem, quia quamdiu agens naturale vincit passum, non est cur interrumpat actionem, alioqui non esset in potestate eius posteà illam iterare, nec posset reddi philosophica ratio, cur nunc potiùs, quam anteà, vel posteà illam efficiat. Secundò, quia aliàs gradus caloris nullo modo facerent vnum calorem per se, sed merè per accidens vnirentur in eodem subiecto, sicut albedo & dulcedo: hoc autem non est satis, vt efficiant vnum indiuiduum caloris magis, quàm si Deus poneret duos intellectus in eadem anima. Imò si ad intensionem id sufficeret, nulla posset reddi ratio, cur si Deus poneret duos intellectus in eadem anima, illi non efficerent vnum intensiorem: nam, si dicas intellectus non esse qualitates quę aptè sint coalescere in vnam intensiorem; contra hoc est, quia, iuxta illam opinionem, vt qualitates possint coalescere in vnam intensiorem, nihil aliud requiritur, nisi, quod, cùm sint omnino eiusdem rationis, possunt vniri in eodẽ subiecto: hoc autem habebunt intellectus saltem in ordine ad diuinam potentiam. Tertiò sequuntur ex illa sententia multa absurda, scilicet, quod qualitas remissa possit aliam æqualem, vel etiam intensiorem intendere, efficiendo tot gradus, quot in se habet: vel, si obstat similitudo, sequitur intensiorem qualitatem non posse intendere remissiorem, quia sunt omnino similes in forma. Sequitur etiam, nullam posse reddi naturalem rationem, ob quam cùm forma remittitur, vnus gradus potiùs abiiciatur, quàm alius, & alia similia quæ longum esset persequi. Necessariò ergo dicendum est, in illis gradibus intensionis, caloris verbi gratia, quos nos mente partimur, esse latitudinem secundum quam potest in eis esse continua intensio, vel remissio, quam latitudinem necesse est esse in infinitum diuisibilem, alias non posset ratione illorum fieri alteratio continua, quia motus continuus necessariò esse debet in infinitum diuisibilis: vnde consequenter etiam necessarium est, vt hi gradus inter se copulentur aliquo termino communi; quia non potest aliter inter eos concipi continuitas, nec vera realis vnio, sine qua intelligi non potest illa latitudo: quia, si duo gradus non sunt inter se vniti hoc modo: ergo neque in vno gradu duæ partes, vel mẽdietates eius (vt sic dicam) erunt inter se vnitæ; quia ita componitur tota qualitas ex pluribus gradibus, sicut componitur vnusquisque gradus ex duabus vel tribus partibus æqualibus: non possunt autem hæc intelligi sine dicta vnione, magis quàm possit intelligi continuum in omnem suam partem diuisum.

Ex his autem contrariis principiis de intensione planè sequitur, posse Deum ponere in eodem subiecto plures qualitates intensibiles solo numero differentes, quæ non efficiant vnam intensiorem, vt verbi gratia, duos calores vt octo: quia potest illos ponere subiecto inhærentes, & inter se non habentes aliquam vnionem per se, sed solùm per accidens ratione subiecti, quæ non satis est ad intensionem. Neque in hoc afferri potest noua implicatio contradictionis; & ita sentiunt frequentius doctores in primo Sententiarum, distinctione 17. vbi Gregorius quæstione 5. Ocham quæstione 7. Ægidius quodlibeto 4. quæstione 1. vbi adducit non cõtemnendam coniecturam, quia Deus potest duas quantitates solo numero differentes in eodem situ intimè collocare, conseruata earum distinctione, & absque vlla reali vnione inter eas, ratione cuius efficiant vnam maiorem quantitatem! cur ergo nõ poterit duas albedines in eodem subiecto ponere, seruata earum distinctione, & absque vnione, ratione cuius vnam intensiorem componant.

SECTIO IX.

An repugnet indiuiduationi accidentium, vt plura solo numero differentia successiuè sint in eodem subiecto.

DICVNTVR plura accidentia esse in eodem subiecto successiuè, quando subiectum priùs habuit vnum accidens, & deinde amisit illud, & posteà acquirit accidens eiusdem speciei, & tunc quæritur an posterius accidens necessariò sit, vel possit esse numero distinctum à priori. Quidam enim mordicus ita defendunt indiuiduationem accidentis à subiecto, vt impossibile existiment, etiam hoc modo esse plura accidentia solo numero differentia in eodem subiecto. Vnde inferunt, semper reproduci in eodem subiecto idem numero accidens, quod ante perierat, scilicet eundẽ calorẽ, idem lumen, & consequenter idẽ vbi, eundẽ motum localem, præsertim si sit per idem spatium; eadem enim est omnium horum ratio. Et hanc opinionem ex parte defendit Scotus, saltem quando idem est agens, idemque subiectum: qui non fundatur in indiuiduatione, sed in hoc, quod idem agens circa idem subiectum semper est natum facere idem, nec potest sufficiens ratio assignari, cur faciat numero distinctum. Quin etiam Aristoteles 8. Metaphys. tex. 11. significat, si agens & materia sunt vnum numero, etiam effectum esse vnum numero. Et in hunc modum explicatur, nam si ego apertis oculis continuò intueor hunc parietem per horam, eundem numero actum efficio & conseruo: ergo si paululum claudam oculos, & iterum aperiam, eundem numero actum iterum efficiam, nam illa interruptio nihil impedit, quo minùs illa potentia in tota illa hora, & in qualibet eius parte per se sumpta efficere possit, & recipere eundem numero actum. Quod si obiicias, sequi etiam formam substantialem reproduci eandem numero in eadem parte materiæ, quandocunque inducitur similis in specie, & consequenter naturaliter reproduci idem indiuiduum, quod antea fuerat, quod est dicere, Resurrectionem posse naturaliter fieri. Non desunt qui id concedant, vt videre est in Paulo Veneto, lib. 2. de generatione in fine. Alii verò negant esse eandem rationem, quia forma substantialis requirit materiam dispositam, & nunquam cõcurrit eum eisdem dispositionibus.

II. Alia verò sententia est extremè contraria, scilicet, non solũ posse plura accidentia solo numero differentia esse successiuè in eodem subiecto, sed necessariò ita esse, quotiescunq; accidens simile in specie in eodem subiecto reproducitur, quod etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam necessarium esse tenuit Durand. Marsil. & alij, quorum & Scoti opinionem latè tractaui in 2. tomo 3. partis, disputat. 44. sectione 6. Fundamentum Durandi est, quia quotiescunque illà productio fit, iteratur actio distincta ab ea quæ antea fuit, nam actio reproduci non potest, sicut neque entia successiua: ergo etiam terminum actionis oportet esse distinctum. Vnde confirmatur, quia si talia accidentia permanentia, quæ successiuè fiunt in eodem subiecto, non essent distincta; etiam accidentia successiua possent non esse distincta, & ita posset idem tempus numero reproduci, quod omnes reputant impossibile.

Quæstionis resolutio.

III. SEd media via tenenda est, & dicendum posse fieri, vt successiuè sint in eodem subiecto plura accidentia solo numero diuersa. Quod quidem, si intelligatur de potentia Dei, per se notum est, quia nullam inuoluit repugnantiam, & sequitur à fortiori ex dictis, etiam simul posse esse, multò ergo magis successiuè. Et hoc satis est ad ostendendum accidentia eiusdem speciei non habere intrinsecam distinctionem numericam, & entitatiuam per subiectum, seu per habitudinem ad hoc numero subiectum; alioqui nullo modo possunt distingui, etiam si diuersis temporibus fiat productio, seu reproductio: quia, vt statim declarabo, sola diuersitas temporis nõ est per se sufficiens ad hanc distinctionem, si alioqui in ipsis formis productis non sit sufficiens fundamentum distinctionis, & differentiæ indiuidualis. Si autem intelligatur assertio de potentia, & ordine naturalium agentium, sic etiam est vera, vt à fortiori patebit ex dicendis.

IIII. Secundò dico non solum esse possibile, verùm etiam ita fieri secundum naturæ ordinem vt accidentia solo numero distincta fiant successiuè in eodem subiecto. Hæc est communior sententia Philosophorum 5. physicorum, cap. 4. & 2. de Generat. cap. vltim. & Theolog. in 4. distinct. 43. & 44. De qua nonnulla dixi 2. tomo 3. part. disputatio. 44. sectione 7. vbi ostendi secundum naturæ ordinem non reproduci in eodem subiecto idem numero accidens, quod corruptum fuerat: nam ex hoc principio infertur debere esse distinctum, quod hic intendimus. Non est autem facilè primam causam & radicem huius necessitatis naturalis assignare. Durandus enim supra eam reddit ex diuersitate actionis seu mutationis: in quo idem sentit Henr. quodlib. 7. quæst. 16. quamuis differat à Durando, quod non ponit hanc necessitatem in ordine ad potentiã Dei, sicut Durandus. Qui in hoc grauiter errauit, vt prædicto loco ostendi, quia Deus in agendo non pendet à tempore, neque ab aliis circumstantiis, à quibus agentia naturalia pendere possunt, quia agunt per motum & transmutationem. Propter quod B dixit Aristot. 5. phys. cap. 4. ad vnitatem, motus requiri temporis vnitatem, quam rationem amplectitur Toletus lib. 2. de generat. quæst. 13.

Sed est difficilis ratio, & satisfacere non videtur. V. Primò, quia potiùs vnitas numerica mutationis petenda est ex vnitate numerica termini seu formæ productæ, quàm econuerso, vt Aristot. 5. physic. eodem loco docuit: ergo, dum dicuntur accidentia producta esse numero diuersa, quia actiones sunt diuersæ, vitiosus circulus committitur. Secundò, quia etiam si demus actiones esse diuersas, nõ sequitur, formas fore diuersas, quia ad vnitatem actionis plura requiruntur, quàm vnitas formæ productæ ex eodem Aristot. citato loco, & alioqui forma non habet vnitatem, & distinctionem ex actione, sed aliunde. Vnde contingit, idem numero lumen ab vna lucerna productum ab alia conseruari, quod necesse est fieri per diuersam actionem. Tertiò, quia de ipsismet actionibus superest quæstio, cur necesse sit, secundum naturæ ordinem esse numero distinctas, nam, quod dicitur de diuersitate temporis, non satisfacit: nam, vel est sermo de tempore extrinseco, C quod in motu cœli consideratur; & hoc nihil videtur referre ad intrinsecam indiuiduationem, vel distinctionem numericam actionum; quia ab hoc tẽpore solum sumitur quædam extrinseca denominatio eorum, quæ in tali tempore esse dicuntur: vnitas autem vel distinctio numerica non consistit in extrinseca denominatione. Item quia eadem numero actio, etiam indiuisibilis potest permanenter durare, & coexistere priori & posteriori tempori extrinseco, vt patet de actione illuminandi, videndi, & similibus. Vel est sermo de tempore seu durationе intrinseca ipsimet actioni, & mutationi qua producitur; & sic, cum talis duratio in re nihil aliud sit, quã existentia ipsius actionis, dicere, has actiones esse distinctas, quia diuerso tempore fiunt, perinde est, ac si diceretur esse distinctas, quia habent diuersas durationes, & existentias, quod est idem, vel æquè obscurum: hoc enim est quod inquirimus, cur necesse sit, illas durationes, existentias, aut entitates illarum actionum esse distinctas, & non potiùs eandem iterum, atque iterum repetitam. Sicut quando Deus reproducit eandem numero formam, certum est, posse illam reproducere eadem numero actione, qua prius illam produxerat: hoc enim nullã inuoluit repu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

repugnantiam, vt prædicto loco latiùs dictum est: ergo, vt sit actio distincta, vel vt habeat intrinsecam durationem distinctam, non satis est, quòd bis fiat, seu cum priori & posteriori tempore extrinseco: ergo vt ostendatur respectu agentis naturalis has actiones necessariò fore distinctas, aliúde est ratio petenda.

VI. Neque ratio illorum authorum conuincit, scilicet quia si eadem numero actio posset reproduci, etiam successiua reproduci possent: quod videtur planè repugnans. Etenim si hæc ratio valida esset, procederet etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam. Vnde necessariò videtur dicendum, in rebus successiuis considerari posse id, quod est reale & positiuum, & id, quod per modum negationis seu priuationis in successione includitur, nam successio intrinsecè dicit, vt aliquid fuerit, & iam non sit, & aliquid futurum sit, nondum autem sit. Quantum ad hanc ergo negationem seu priuationem non potest ens successiuum restitui, quia hoc modo ad præteritum non est potentia. Quantum ad positiuum autem nulla videtur esse repugnantia; quòd, sicut reproducitur à Deo idem calor, reproducatur etiam eadem calefactio, & sicut eadem sessio, & idem vbi, ita consequenter idem motus localis. Nam hæc omnia dicunt reales modos positiuos qui ex se ipsis habent suam indiuiduationem, & non pendent ab extrinseco tempore magis, quàm aliæ res, sed ab intrinseca duratione: est ergo eadem ratio quoad hoc de illis, quæ de cæteris rebus: igitur ex parte actionis non potest sufficiens ratio reddi, ob quam hoc repugnet naturalibus agentibus.

VII. Dicunt ergo alij huius rei causam, & rationem pendere ex alia quæstione, scilicet, vnde causa secunda determinetur ad hunc numero effectum hic & nunc efficiendum, potius quàm alium: nam illa eadem, quæ est causa huius determinationis, debet etiam esse causa, ob quam, quoties causa secunda de nouo agit, ad nouum effectum, distinctumque ab omnibus præcedentibus efficiendum determinatur: nam ex sola vi causæ efficientis, aut ex sola capacitate subiecti non potest huius rei sufficiens causa reddi, cum tam vis agentis, quàm capacitas ipsius subiecti eadem semper sit, & integra maneat, & de se sit æquè indifferens ad quodlibet indiuiduũ agendum, vel recipiendum. Dicunt ergo aliqui in prædicta quæstione, totam huius determinationis causam, & radicem reducendam esse in diuinam voluntatem & prædefinitionem. Videns enim Deus hoc agens hic & nunc esse dispositum ad immutandum hoc subiectum ad talem formam in specie, & de se esse indifferens ad hanc vel illam formam in indiuiduo, & ex se non posse eligere, seu determinare actionem suam ad hoc potiùs quàm illud, ipse sua voluntate decreuit dare concursum ad producendum tale indiuiduum in particulari in hoc instante & in hoc subiecto, & quia causa secunda non potest agere sine concursu Dei, consequenter illa determinatur ad agendum hic & nunc tale indiuiduum, & non aliud. Hunc dicendi modum obiter attigi in citato loco, mihique non placere significaui, quia illa ratio non videtur satis Philosophica, & quia in actibus liberis habet aliquas difficultates; nunc autem re attentiùs considerata cẽseo esse valde probabilem, tũ, quia non solum Greg. in 1. d. 17. q. 4. art. 2. ad 7. & d. 35. quæst. 1. artic. 1. & aliis Nominal. verùm etiam multis modernis scriptoribus doctissimis placere video. Toletus enim 8. Phys. quæst. 3. conclus. 2. rat. 3. ex hoc colligit libertatem primæ causæ, quod pro sola voluntate sua determinat causas secundas ad indiuiduos effectus. Fonseca etiam 1. metaphys. cap. 2. quæst. 3. sect. 8. dicit, in quibusdam effectibus necessarium esse recurrere ad diuinam determinationem & præfinitionem, quod repetit lib. 5. cap. 2. quæst. 9. sect. 2. rat. 6. qua probat essentialem dependentiam causarum secundarum à prima in agendo, & idem docent Copulata Conimbricensia lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 15. artic. 2. Tum etiam, quia non est voluntarium, nec præter physicam & naturalem rationem, quod causa prima iuuet causas secundas, & suppleat defectus earum in his rebus, in quibus ipsę videntur deficere: in præsente autem videtur eis deficere modus, quo determinari possint ad quosdam effectus singulares potiùs, quàm ad alios. De qua re iterum infrà disput. de causis. Nunc igitur iuxta illam sententiã consequenter dicendũ est, Deũ determinasse concursum suum cum causis secundis semper ad nouos, & distinctos effectus producẽdos, non verò ad producendum iterum effectum, qui prius fuit, & iam esse desiit.

Sed inquireturmeritò ab huius sententiæ authoribus, vnde constet, causam primam hoc modo concursum suum determinasse: aut enim hoc erat aliquo modo debitum ipsis causis secundis, seu fundatum in connaturali modo agendi earum, vel est ex sola voluntate Dei, sicut quòd determinetur productio ad hoc indiuiduum potiùs, quàm ad aliud. Si dicatur hoc secundum, cum talis voluntas Dei reuelatione non habeatur, incerta prorsus res erit, cum ratione ostendi non possit, neq; ex aliquibus principiis naturalibus deduci. Si verò dicatur primum: ergo primaria & quasi vltima ratio huius determinationis non est ex diuina voluntate, sed ex natura causarum proximarum: & hoc est, quod inquirimus, quo modo in natura causæ proximę possit hoc fundari. Maximè si non fundatur in illa determinatio ad hunc numero effectum producendum, potiùs quàm ad alium.

IX. Propter hoc dicere posset aliquis causas secundas, & finitas semel tantùm (vt ita dicam) continere in virtute sua quemlibet singularem effectum, & ideò postquam talis causa semel aliquem effectum produxit, non relinqui in ea virtutem ad producendum iterum illum effectum, neque ad iterandam actionem, per quam illum produxit, quiá per primam productionem veluti exhausta est eius virtus, quatenus ad talem numero effectum terminari potest: sed hoc est gratis & sine probatione dictum, & intelligi etiam non potest: nam virtus actiua per se, & quatenus talis est, non operatur per aliquam sui diminutionem, vel immutationem, sed per immutationem vel productionem alterius. Vnde tam integra, & perfecta manet efficacia eius, ac si nihil produxisset: ergo ex vi productionis semel factæ non manet impotens ad eandem iterum atque iterum faciendam, si aliunde non est repugnantia ex parte ipsius effectus. Hac enim ratione quælibet potentia actiua, quantumuis finita, potest successiuè agere in infinitum, si integra perseueret in suo esse: quia manet etiam integra in efficacia sua, & ex parte effectus illa successio, vel multiplicatio in infinitum non repugnat: ergo idem erit, quoad reproductionẽ eiusdem effectus, si ex parte eius non est repugnantia. Quod ideò dico, quia postquam semel res producta est, & in esse permanet, non potest iterũ ab agẽte produci, quãuis integra maneat eius virt' actiua, quia ex parte effectus repugnat, sãltẽ ex natura rei. Quod verò id, q̃ non est, fiat, ex parte ipsius repugnare non potest, etiam si antea fuerit. Quid enim hoc obstare potest, vt iterum fiat, si iam non est? Cum iam tantundem distet ab esse, ac si nũquam fuisset. Ergo si aliũde virtus actiua manet integra, non potest ex inefficacia eius ratio huius neeessitatis sumi.

X. Addi ergo tandem potest, agentia naturalia, quãuis ex se habeant virtutem quasi generalem & indifferentem ad plura indiuidua eiusdem speciei, tamen ex se postulare certũ modum, & ordinẽ in vsu & exercitio talis virtutis, ita vt natura sua determinata sit ad agendum hic & nunc in tali subiecto tale indiuiduum, & post illud aliud, & post hoc alterum, & sic de reliquis: nam ipsamet natura postulare videtur hanc determinationem, & ordinem, ne in se inuoluat quandam perplexitatem & confusionem. Hinc ergo prouenit, vt nunquam in agendo ad eundem effectum redeat, sed semper nouum producat. Quẽ modum dicendi in loco prædicto elegi, quia in re obscura & difficili nihil occurrit, quod omnino satisfaceret; neque nunc etiam sese offert: imò hoc ipsum quod naturæ talium agentium tribuitur, non videtur posse satis fundari aut explicari: nam cum naturalis vis agendi sit ex se simplex & eadem omnino, non apparet, quomodo in illa possit fundari hæc naturalis determinatio, aut vnde cõstare possit. Nec circumstantiæ extrinsecæ vt sic, ad hoc iuuare possunt, vt supra ostensum est de tempore: & est omnino eadem ratio de loco, quatenus dicit extrinsecam superficiem, vel habitudinem ad extrinseca corpora. Fatendum ergo est, vel hoc pendere ex sola diuina voluntate; vel, si aliquam habet causam naturalem, nobis esse occultam, & ad summum dici posse, cum hæ virtutes naturales ad multiplicationem indiuiduorum ordinentur, eamque naturaliter intendant, esse magis consentaneum naturis eorum, vt semper concursum recipiant ad nouos effectus. Hac enim de causa, non solum in Dei voluntate, sed in ipsis etiam naturis rerum fundatum est, quod in hominum generationib. semper nouæ animæ producantur, & non vniantur iterum corporibus, quæ semel iam creatæ, & separatæ existunt.

DISPVTATIO VI.

De vnitate formali & vniuersali.

POst vnitatem indiuiduam seu numeralem, dicendum est de formali, & cõsequenter de vniuersali, quæ numerali quodammodo opponitur, nam hæc includit incommunicabilitatem respectu inferiorum, illa verò intrinsecè requirit naturam multis inferiorib. communicabilem. De his ergo formali & vniuersali vnitatibus videndum in primis est, an sint aliquo modo reales, & an sint diuersæ vnitates, vel in vnam aliquo modo incidant. Item quotuplex vnaquæque sit, & quod sit in rebus vniuscuiusque principium; ac denique, quomodo, & per quam operationẽ intellectus consummetur.

SECTIO I.

Vtrum sit in rebus aliqua vnitas formalis distincta à numerali, & minor illa.

I. Dubitandi vtinque ratio.

RAtio dubitandi est, quia dictum est in præcedẽte disput. omnes res, quę sunt in mundo esse indiuiduas, ita vt repugnet esse in rebus aliquod verum ens, quod indiuiduum, & singulare nõ sit: ergo neque esse potest in rebus aliqua vnitas vera, & realis præter numericam, seu indiuidualem entitatem. In cõtrarium autem est, quia vnum nihil aliud est, quàm ens indiuisum, vt Aristoteles ait 4. Metaph. text. 3. & lib. 10. text. 2. sed præter indiuisionem numericã indiuidualem, quæ materialis dicitur, datur in rebus indiuisio essentialis seu formalis, quo modo plures homines, verbi gratia, quamuis materialiter seu numero distincti sint, sunt tamen eiusdem essentiæ, & naturæ: ergo præter vnitatem numeralem datur in rebus vnitas formalis.

In quo authores conueniant vel dissentiant.

II. INhac re Thomistæ & Scotistæ conueniunt, docentes dari in rebus formalem vnitatem aliquo modo distinctam à numerali. Ita Scotus in 2. distin. 3. quæstione 1. & 7. Metaph. quæst. 10. & ibi Anton. Andr. quæst. 17. & Caietan. de ente & essentia, cap. 4. quæst. 6. & Soncin. 7. Metaph. quæst. 4. dicit, naturam consideratam secundum se, id est, vt præscindit ab esse quod habet in indiuiduis vel per intellectum, habere aliquam vnitatem, & idẽ sentit Iauell. lib. 8. Metaph. quæst. 13. imò D. Thomas videtur apertè hanc sententiam docere opusc. de natura generis, cap. 7. quod non potest esse verum, nisi de vnitate formali, quia indiuidualis esse non potest, cũ dicatur natura sic sumpta præscindere ab esse indiuiduorum. Sed in modo explicandi hanc vnitatem formalem dissentiũt prædicti authores; videtur autem differentia in duobus potissimùm consistere. Primum in hoc, quod Scotus hãc vnitatem formalem, seu naturam ipsam, vt formaliter vnam censet esse formaliter, & ex natura rei distinctam ab vnitate seu differentia indiuiduali. Alii verò existimant, solum distingui ratione: quorum sententia nobis magis probatur, vt disput. præcedent. sect. 2. tractatum est, & in sequentibus sectionibus iterum attingemus. Secundò differunt in hoc, quod Scotus non censet, vnitatem hanc formalem, seu naturam prout habentem hanc vnitatem formalem, multiplicari numero in ipsis indiuiduis, sed omnia indiuidua eiusdem naturæ habere vnam & eandem formalem vnitatem, vnam (inquam) non tantum ratione, sed re ipsa, seu naturam, prout in re ipsa existit in multis indiuiduis, habere vnicam formalem vnitatem. Alij verò existimant in singulis indiuiduis habere naturam formalem vnitatem ratione distinctam à numerali, hanc verò multiplicari in indiuiduis cum vnitatibus indiuidualibus, & consequenter non esse vnitatem aliquam, quæ secundum veram vnitatem realem eadem sit in multis indiuiduis, sed solum secundum quandam conuenientiam, vel similitudinem. Et in hoc etiam puncto hæc posterior sententia magis probatur. Quamuis aliqui existiment differentiam esse in modo loquendi: nam, quod Thomistæ vocant distinctionem rationis, Scotus & alij vocant formalem: &, quod illi appellant conueniẽtiam vel similitudinem, Scotus vocat vnitatem: sed quidquid sit de huius, vel illius authoris intentione, nos satis explicuimus, quæ nam sit distinctio ex natura rei, quam negamus interuenire inter indiuiduum & communem essentiá: negamus enim omnem distinctionem, quæ in re ipsa quouis modo actu esse possit ante mentis functionem. Atque eodem sensu, & proportionali ratione loquendum est nobis de

Scotus. Antoninus. Andr. Soncin. Caiet. Iauell.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnitate quæ distinctioni opponitur, cùm quæri-
mus an natura, vel secundum se, vel in re ipsa,
secluso omni actu intellectus, talem habeat vni-
tatem formalem, quæ sit vera & realis vnitas, vt
eandem omnino habeat, & retineat in omnibus
indiuiduis.

Fundamenta prioris sententiæ.

III. Primum. Aristotel. VT autem veritas melius explicetur, aliquo mo-
do suadenda est Scoti opinio. Primò, quia
Arist. 5. metaph. tex. 8. & 12. inter modos vnius po-
nit vnitatem speciei, & generis, quatenus aliquo
modo vnitates reales sunt: nam ibi non erat sermo
de intentionibus rationis, sed de vnitate, quæ est
passio entis, quam necesse est esse aliquo modo rea-
lem: vnitas autem speciei & generis potest maxi-
mè esse realis propter vnitatem formalem. Vnde
7. metaph. text. 51. ait idem Aristot. eandem esse ra-
tionem animalis in omnibus speciebus, &c. 2. de anim.
tex. 88. ait eandem esse naturam diaphanitatis in
aere, & in aqua.

IIII. Secundum. D. Thomas Secundò ratione sumpta ex Diuo Thoma suprà;
quia natura humana, quæ in Petro & Paulo existit
vnica, & propriissima definitione potest definiri, vt
per se notum est: ergo vt sic, habet aliquam vnitatē;
sed non habet illam per intellectum: ergo ex se, ergo
est vera, & realis vnitas. Prima consequentia constat,
quia nihil definiri potest, nisi quatenus vnum est,
teste Arist. 4. metaphys. text. 10, 7. metaphy. text. 13.
Minor probatur, quia natura non habet ab intel-
lectu, quòd sit definibilis, sed ex se: ergo neq; ab in-
tellectu habet illam vnitatem, quæ ad definitionem
necessaria est: omne autem id, quod conuenit na-
turæ, & non per intellectum, est reale; vel po-
sitiuum vel per modum priuationis, quod satis
est ad vnitatem, quæ in priuatione formaliter con-
sistit.

V. Tertium. Vnde argumentor tertiò, quia vnitas consistit in
indiuisione; sed natura humana ex se habet formalē
indiuisionem; ergo ex se habet vnitatem formalem.
Minor patet, quia humana natura ex se non habet
diuisionem formalem: quia, si ex se illam haberet,
vbique & semper illam haberet, nec posset sine illa
concipi: concipitur autem optimè sine tali diuisio-
ne; ergo ex se non habet illam: ergo ex se habet in- C
diuisionem: quia indiuisio nihil aliud est, quam ca-
rentia diuisionis. Neque enim satisfacere videtur,
quod frequenter dicere solent Thomistæ, naturam
ex se negatiuè esse vnam & indiuisam, quia ex se non
habet quòd sit diuisa & multiplex, tamen ex se non
esse positiuè vnam vel indiuisam. Videtur enim in
hac distinctione inuolui repugnantia: quia nihil est
positiuè vnum, sed negatiuè; nec indiuisio vt sic po-
test alicui aliter conuenire quam per negationem
diuisionis, ergo si ex se habet hanc negationem di-
uisionis, ex se habet indiuisionem: ergo & vnitatem,
quæ in indiuisione consistit. Et confirmatur ac de-
claratur, nam, si ex se habet negationem diuisionis;
ergo repugnat illi diuisio: quia id, quod ex se conue-
nit naturæ, est inseparabile ab illa, & ideò contradi-
ctorium eius semper illi repugnat: ergo carentia di-
uisionis intrinsecè illi conuenit, & consequenter
positiuè conuenit, quantum conuenire potest ratio-
ne fundamenti. Dicetur fortasse naturę ex se nec di-
uisionem, nec non diuisionem formalem conueni-
re, sed esse quodammodo indifferentem ad vtrum-
que, sicut superficies ex se, neque alba est, neque non
alba: sed negatiuè tantum potest dici non esse alba.

Obiectio dissoluitur.

A Quo sensu videtur intelligenda illa communis re-
sponsio; quod indiuisio, seu negatio diuisionis non
conuenit naturæ ex se positiuè, sed negatiuè: hi enim
termini non cadunt super indiuisionem, sed super
hoc quod est *de se conuenire*, ita vt sensus sit, naturam
non postulare ex se diuisionem, neque etiam ex se
postulare diuisionis carentiam, vel vnitatem. Hoc
enim sensu rectè potest negatio interdùm conueni-
re alicui ex se positiuè, interdum negatiuè, nam carē-
tia rationalitatis animali vt sic, conuenit ex se nega-
tiuè, bruto autem conuenit ex se positiuè, quia ita
conuenit, vt positiua forma opposita illi repugnet.
Sed contra hoc instō, nam etiam in hoc sensu vide-
tur natura ex se positiuè indiuisa formaliter, nam ita
habet ex se negationem diuisionis, vt omnino repu-
gnet illi diuisio formalis, quamquam enim in indi-
uiduis materialiter diuidatur, non tamen formali-
ter, quia formaliter diuidi nihil aliud est, quam diui-
di essentialiter, homo autem v.g. essentialiter diuidi
non potest, quanuis materialiter diuidatur in plura
indiuidua.

Vnde argumentor quartò, quia natura humana
B v.g. de se ac positiuè est ens: ergo de se & positiuè
(in sensu dicto) habet aliquam vnitatem, & nō ma-
terialem, seu indiuidualem, vt suprà latè probatum
est, & est per se notum, quia alias non posset multi-
plicari numero, imò nec verè concipi sine vnitate
numerali: ergo saltem formalem, quia non potest a-
liud medium excogitari. Primum antecedens mani-
festum est, quia ens intrinsecè & essentialiter conue-
nit non tantum rebus singularibus, sed etiam natu-
ris, quæ à nobis vniuersaliter concipiuntur: nam illę
nec sunt omnino nihil, neque ex se sunt plura entia
indiuidua, quia non includunt proprias singularitā-
tes seu principia indiuiduantia, sed solùm essentialia
principia: ergo vnaquæque natura ex se neq; est plu-
ra entia, neque omnino nihil, sed ens reale, & conse-
quenter vnum quid aliquo modo, quia ad omne ens
consequitur aliqua vnitas. Et confirmatur quia na-
tura humana & equina, ex se, & seclusis omnibus in-
diuiduantibus principiis sunt plures & distinctę real-
liter & essentialiter: ergo vnaquæq; earum ex se est
vna formaliter, & essentialiter, nam multitudo sup-
ponit vnitates, & diuisio abaliis supponit indiuisio-
nem in se.

VI. Atque ex his vlterius concludi potest hanc vnita-
tem formalem esse communem omnibus rebus in-
diuiduis, quibus natura, quæ dicitur formaliter vna,
communis est: quia non potest natura esse commu-
nis, nisi vnitas eius communis sit. Item quia hæc vni-
tas formalis non habet per quid diuidatur in plures
vnitates. Aut enim diuiditur in plures vnitates for-
males; & hoc non, quia de ratione eius est, vt sit for-
maliter indiuisa, & in hoc consistit eius vnitas. Aut
diuiditur in plures vnitates materiales, & indiuidu-
as; & sic non diuiditur ipsa vnitas formalis vt sic, sed
communicatur multis, quod intendimus. Tandem,
quia aliàs non posset distingui in ipsis indiuiduis vni-
tas formalis, & indiuidualis: in quo enim distin-
guerentur, si ambæ multiplicarētur numero? Nam,
quidquid hoc modo multiplicatur, indiuiduum
est.

Vera sententia confirmatur.

VII. VT verò contrariam & veram sententiam expli-
cemus, dicendum est primò, dari in rebus vni-
tatem formalem per se conuenientem vnicuique
essentiæ, seu naturæ. In hoc omnes conueniunt; &
hoc

hoc probant argumenta facta in fauorem Scoti. Itē, A
quia, cùm vnitas dicat carentiam diuisionis, quot
sunt diuisionum genera, tot poterunt esse vnitatum:
sed in rebus est diuisio materialis, & formalis, seu en-
titatiua & essentialis, ergo similiter erit vnitas for-
malis prętер materialē. Tandē quodlibet indiuiduū,
v.g. Petrus, non solùm est vnus numero: sed etiam
est vnus essentialiter: & vtramq; vnitatē habet in re i-
psa, & non per mentis cogitationem; nam, sicut à
parte rei caret diuisione numerali, ita etiam caret di-
uisione essentiali, siue specifica, siue generica: vnitas
autem formalis nihil aliud est, quàm vnitas essentia-
lis: ergo.

IX. Vnitas formalis à singulari per rationem distincta. Secundò dicendum est, hanc vnitatem formalem
ratione saltem distingui ab vnitate indiuiduali. Hoc
etiam probant argumenta pro Scoto facta. Et patet
breuiter, quia natura communis est aliquo modo,
saltem ratione, distincta ab indiuiduis, & vt sic di-
stincta, non habet vnitatem indiuidualem, retinet
autem vnitatem formalem: differunt ergo hæ v-
nitates saltem ratione. Item vnitas indiuidualis
non conuenit essentiæ communi per se ipsam, sed
oportet intelligere aliquid additum, saltem ratio- B
ne distinctum, quo illa essentia communis indi-
uidua fiat: vnitas autem formalis per se immedia-
tè conuenit ipsi essentiæ communi absque vllo ad-
dito etiam secundùm rationem. Tandem hac ra-
tione non potest intelligi essentia, quin illam comi-
tetur hæc vnitas formalis, à qua omnino præscindi
non potest, cùm tamen possit præscindi ab vnitate
indiuiduali: sunt ergo hæ vnitates ratione distinctæ,
ad eum modum quo in re indiuidua distinguitur es-
sentia vt essentia, & vt talis indiuidua ac singularis
entitas.

X. Non distinguitur ex natura rei. Vnde dico tertiò, Hæ vnitates non distinguun-
tur à parte rei, seu ex natura rei. Hæc cōclusio sequi-
tur ex dictis præcedente disputatione. Et probatur,
quia essentia communis, & entitas singularis non
distinguuntur ex natura rei, sed ratione tantùm: er-
go neq; vnitas formalis & indiuidua possunt ex na-
tura rei distingui, sed ratione tantùm. Præterea
natura ipsa, licet à nobis secundum se consideri
possit, id est, secundum ea, quæ illi ex se conueniunt,
vt ratione præscinditur ab indiuiduis, tamen huiusmodi natura non est verum ens reale, nisi in indiui- C
duis, quia *destructis primis substantiis impossibile est aliquid remanere*, vt dixit Aristoteles in cap. de substan-
tia, quia extra indiuidua nihil potest habere existen-
tiam realem, sine qua nullum esse potest verum ens
reale, vel actu vel potentia, iuxta superiùs dicta de
ente: natura ergo secundum se non habet realita-
tem, nisi in indiuiduis: ergo neque vnitatem ve-
ram & realem habere potest, nisi in indiuiduis: ergo
nec potest habere vnitatem formalem, quæ in re i-
psa sit ex natura rei distincta à singulari vnitate vni-
uscuiusque indiuidui. Patet hæc vltima consequen-
tia, quia quicquid est in re indiuidua intrinsecum &
essentiale illi, non distinguitur ex natura rei ab illa.

XI. Vnitas formalis prout in re existit, incommunicabilis est. Ex his concluditur quartò hanc vnitatem forma-
lem, prout existit in rebus ante omnem operatio-
nem intellectus non esse communem multis indi-
uiduis, sed tot multiplicari vnitates formales, quot
sunt indiuidua. Probatur primò, quia hæc vnitas
formalis comitatur naturam secundum se, sed in re
non est aliqua natura communis, sed tot multipli-
cantur naturæ & essentiæ, quot sunt indiuidua, vt
ex suprà dictis patet, & dicemus iterum in sequen-
tibus: ergo idem est dicendum de vnitate formali,
quæ est veluti intrinseca, & transcendētalis proprie-
tas talis naturæ; & ideò se mutuò consequuntur, &,
multiplicato vno, multiplicatur alterum, iuxta do-
ctrinā Arist. 4. metaph. text. 3. Secundò, quia vnitas Aristotel.
formalis à parte rei existēs nō distinguitur ex natura
rei ab vnitate indiuiduali, vt dictum est: ergo necesse
est multiplicari in re ipsa, multiplicatis indiuiduis, &
vnitatibus in diuidualibus eorum: ergo nulla est vni-
tas formalis in re ipsa communis multis rebus eiusdē
naturæ. Probatur prima consequentia; quia si vni-
tas formalis & indiuidualis ex natura rei non distin-
guuntur: ergo in vnoquoque indiuiduo, in Petro
v.g. vnitas formalis & indiuidualis eius in re non di-
stinguuntur: ergo distinguuntur ab vnitate formali
& indiuiduali Pauli: quia hoc ipso quod vnitas for-
malis Petri in re est omnino idem cum vnitate indi-
uiduali eiusdem, necesse est distingui ab vnitate indi-
uiduali Pauli, quia non potest in re esse idem cum
rebus omnino distinctis, & quodāmodò oppositis.
Tertiò, nā quicquid à parte rei existit, singulare est,
& consequenter incommunicabile, seu nō commu-
ne pluribus inferioribus: vt ostensum est disputatio-
ne prędente sect. 1. & dicetur etiam sect. seq. sed
hæc vnitas realis est, & suo modo à parte rei existit, vt
declaratum est: ergo est singularis: ergo non est in re
ipsa communis. Patet vltima consequentia, quia, q
est singulare, est propriū alicuius indiuidui; & ideò
non potest esse commune multis, & propterea talis
communitas requirit abstractionē ab omnibus in-
diuiduis, quæ non potest rebus realiter conuenire,
sed tantùm per intellectum.

XII. Illata alia quot. Atque ex his sequitur primò, quamuis vnum-
quodq; indiuiduum à parte rei sit formaliter vnum
absque mentis cogitatione, tamen plura indiuidua,
quæ dicuntur esse eiusdem naturæ, non esse vnum
quid vera vnitate, quæ sit in rebus, sed solùm, vel
fundamentaliter, vel per intellectum. Ac propterea
Aristoteles quandocunq; dicit plura esse vnum essē-
tia, seu ratione formali, eam vnitatem explicat per
ordinem ad intellectum, scil. quia sub vna ratione,
vel definitione concipiuntur, vt patet 5. Metaph. c. 6.
tex. 11. & lib. 10. in principio. Et D. Tho. de ente &
essentia c. 4. hoc sensu dixit, naturam de se non ha-
bere vnitatem communem, quia aliàs singularis fieri
non posset. Secundò sequitur aliud esse loqui de vni- C
tate formali: aliud de communitate eiusdē vnitatis;
nam vnitas est in rebus, vt declaratum est, cōmuni-
tas autem propriè & in rigore non est in rebus, quia
nulla vnitas, quæ in re existit, communis est, vt o-
stendimus: sed est in rebus singularibus quædam si-
militudo in suis vnitatibus formalibus, in qua fun-
datur communitas, quam intellectus attribuere po-
test tali naturæ vt à se conceptæ, quæ similitudo non
est propriè vnitas, quia non dicit indiuisionem en-
titatum, in quibus fundatur, sed solùm conuenien-
tiam, seu relationem, aut coëxistentiam vtriusque.

*Soluuntur fundamenta prioris opi-
nionis.*

XIII. AD primum prioris opinionis fundamentum
respondetur, Aristotelem inter modos vnius
numerasse vnitatem genericam & specificam, vel
propter vnitatem formalem, quam dicunt in singu-
lis rebus in quibus existūt, vel quia sunt aliquo mo-
do fundamētaliter in rebus, vt posteà declarabimus;
& hoc mō dicuntur plures res esse eiusdem naturæ,
vel identitate rationis, vel in fundamentali vnita-
te, quæ in similitudine consistit. Vnde dicitur
ad se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad secundum, vt natura possit definiri, hanc vnitatem sufficere, quia definitio propriè non est in rebus, sed in ratione; & ideò non est vna definitio cõmunis, nisi quatenus mens concipit aliquid vt commune separando illud à quolibet singulari, ad quod satis est vnitas formalis, quam natura habet in quolibet indiuiduo cum similitudine omnium talium vnitatum inter se; nam inde fit, vt intellectus vno conceptu communi illam rationem formalem concipiat ac definiat. Vnde, cum dicitur natura non habere ab intellectu, quod definibilis sit, dicẽdum est, id esse verum fundamentaliter & remotè, non autẽ proximè; vel (quod perinde est) id esse verum, quoad essentiam quæ definitione explicatur: illa enim in rebus antecedit: non verò quoad conditionem quam requirit, vt à nobis definiatur, quæ est communitas: hanc enim habet solum per cogitationem mentis.

XIIII. Ad tertium dicitur primò concludere, naturam ex se habere vnitatem formalem, non verò communitatem eiusdem formalis vnitatis. Vnde vnitatem habet prorsus inseparabilem, communitatem autẽ minimè, nam in singulis indiuiduis natura est vna formaliter, non tamen est communis, neque indifferens ad plures, sed in vnoquoque est singularis, & propria eius effecta. Quocirca, cùm dicitur naturã ex se ita esse formaliter indiuisam, vt repugnet illi formaliter diuidi, æquiuocum id esse potest, nam vel est sensus, naturam quæ sic est formaliter vna, nõ esse vlteriùs diuisibilem per differentias formales & essentiales: & in hoc sensu in naturis genericis simpliciter falsum est, habet enim natura generica suã formalem vnitatem; & nihilominus formaliter diuisibilis est per differentias specificas. In naturis autem specificis est quidem id verum, nihil tamen refert ad id, de quo agimus: nam, licet naturã specifica non sit vltra diuisibilis per differentias essentiales, est tamen diuisibilis per differentias indiuiduales, & in vnoquoque indiuiduo habet suam vnitatẽ formalem distinctam ab ea, quam habet in aliis, & hoc satis est, vt talis vnitas in re communis esse non possit. Vel est sensus, naturam ita esse ex se indiuisam, vt ei repugnet omnis diuisio seu multiplicatio suæ vnitatis formalis; & hoc sensu assumptio est simpliciter falsa, etiam in naturis specificis. Quia sicut C supra dicebamus, quamuis in indiuiduis non sit diuisio seu distinctio essentialis, esse tamen diuisionẽ, seu distinctionem essentiarum; ita dicendum est in præsenti, quamuis indiuidua eiusdem speciei simpliciter non dicantur differre formaliter, nihilominus habere distinctas vnitates formales singulis proprias. Nam distingui essentialiter, vel formaliter, non solum significat habere distinctam essentiam, seu formam, sed etiam habere secundum eam dissimilitudinem, & disconuenientiam, atque adeò distingui non tantum secundum rem, sed etiam secundum communem rationem & definitionem, quam mens potest fabricare. Habere autem distinctam essentiam seu vnitatem formalem, solum dicit distinctionem entitatiuam & realem, quomodo, sicut Petrus habet distinctam humanitatem à Paulo, ita etiam habet distinctam essentiam, & distinctam vnitatem formalem, quamuis in ea sint similes. Naturæ ergo, quæ ex se dicitur formaliter vna, non repugnat secundum eam vnitatem multiplicari in multis, & in singulis habere illam vnitatem incommunicabilem, & consequenter distinctam ab aliis, sed solum repugnat dissimilitudo, seu disconuenientia secundum eam rationem, id est, quod ea quæ participant illam vnitatem formalem in ea non sint similes, & inter se conueniant. A

XV. Ad quartum cum confirmatione eadem est responsio: probat enim naturam communem habere ex se vnitatem formalem, secundum quam vna natura specifica differt formaliter, & specialiter ab alia, non tamen probat, eam vnitatem formalem esse in re ipsa communem, nisi secundum similitudinem vel conuenientiam, vt declaratum est. Et eodem fere modo respondetur ad argumenta, quibus vltimo loco probatur, quod hæc vnitas formalis sit in re communis; ita enim est communis, sicut ipsa natura, cuius est vnitas. Natura autem non est communis secundum rem, sed secundum rationem, vel fundamentalem similitudinem, vt sæpè tactum est, & sequente sectione ex professo dicetur. Eodem ergo modo est communis vnitas formalis, quæ in re diuiditur in plures vnitates formales, quarum quælibet est in se indiuisa formaliter, inter se verò, seu vna ab altera, non sunt in re formaliter indiuisæ, nisi secundum similitudinem & conuenientiam, ratione cuius non dicuntur simpliciter, & propriè formaliter B distinctæ, vt dictum est, sed sunt vnitates formales distinctæ entitatiuè seu indiuidualiter. Hæc enim duo non repugnant, scilicet ipsasmet vnitates formales multiplicari, & non multiplicari formaliter, sed materialiter, seu in indiuiduo: ipsa enim vnitas formalis in vnoquoque indiuiduo singularis est, & indiuidua, quamuis id non habeat ex vi vnitatis formalis: sed ex differentia indiuiduali. Fatemur igitur omnem vnitatem formalem, prout est in re, esse indiuiduam & singularem, differre tamen nihilominus secundum rationem ab vnitate indiuiduali, quia vnitas formalis per se & ex proprio conceptu solum dicit indiuisionem in prædicatis essentialibus: vnit verò indiuidua dicit indiuisionem in ipsa entitate. Vnde vnitas formalis dicit in re fundamentum similitudinis cum alia re eiusdem naturæ: vnitas autem indiuidualis dicit absolutè & simpliciter fundamentum distinctionis, ac denique vnitas formalis dicit fundamentum communicabilitatis saltem secundum rationem, vnitas autem indiuidualis dicit omnimodam incommunicabilitatem, tam secundũ C rem, quàm secundum rationem.

SECTIO II.

An vnitas vniuersalis naturæ distinctæ à formali sit in rebus actu ante mentis operationem.

I. PRincipiò statuendum est naturas illas quas nos vniuersales & cõmunes denominamus, reales esse, & in rebus ipsis verè existere: non enim eas mente fingimus, sed apprehendimus potiùs, easq; in rebus esse intelligim⁹, & de illis sic conceptis definitiones tradimus, demonstrationes efficimus, & scientiam inquirimus. Sic Aristoteles 1. Metaph. cap. 6. & lib. 4. cap. 5. reprehendit Heraclitum, & Cratylum, quod dicerent in rebus nihil esse præter singularia. Et 7. metaphys. text. 56. tradit vniuersalia non esse à rebus separatà, & text. 37. & 53. ait definitiones dari de rebus vniuersalibus, & 1. poster. text. 5. 11. 33. 39. 43. dicit scientiam esse de vniuersalibus, quæ in singularibus existunt, & ab illis abstrahuntur; & idem habet 1. metaphys. c. 1. Et eodem sensu 1. de interp. c. 5. dicit, rerum alias esse vniuersales; alias singulares. Et in hoc omnes Philosophi & Aristotelis interpretes conueniunt, Nominalibus exceptis, qui voces solùm aiũt esse vniuersales in significando; & conceptus vniuersales in repræsentando; & circa hos proximè versari definitiones, & scientias, vt videre licet in Ocham in 1. distinct. 2. quæst. 4. & quodlib. 5. quæst. 12. & 13. & Gabr. in 1. distinct. 2. quæst. 7. & 8. quos latè impugnat Fonseca, lib. 5. c. 28. quæst. 2. Et meritò reprehendendi sunt, quoad aliquos loquendi modos, nam in re fortasse nõ dissident à vera sententia: nam eorum rationes huc solùm tendunt, vt probent vniuersalitem non esse in rebus, sed conuenire illis prout sunt obiectiuè in intellectu seu per denominationem ab aliquo opere intellectus; quod verum est, vt infrà dicam. Et ideò in referendis, & soluendis eorum argumentis non est quòd immoremur: nam ea nihil omnino obstãt, quo minus verum sit naturas, quę denominantur vniuersales, in singularibus esse, ipsaque singularia habere inter se aliquid in quo conueniant, vel similia sint, & aliquid, in quo differant, seu distinguantur. Vnde falsò negant, demonstrationes, aut definitiones dari de rebus, quia scientiæ non sunt de nominibus, & conceptibus formalibus nostris, sed directè de rebus, seu conceptibus obiectiuis. Quapropter, licet denominatio vniuersalitatis rebus proueniat ex conceptibus, tamen res sic denominatæ reales sunt, & in rebus existunt.

II. Vniuersalia in re nõ sunt à singularib. separata.

Secundò supponendum est, has res, vel naturas, quas nos vniuersales denominamus, nõ esse realiter separatas à rebus singularibus; quia vt suprà demonstratũ est, omnis res quæ existit, necessariò est singularis, & indiuidua: apertamq; inuoluit repugnantiã, quod existat homo, v. g. ab omnib. singularibus hominibus realiter separatus, & sit vniuersalis respectu omniũ illorum. Nam, si est separatus, non est in illis intrinsecè & essentialiter, si autem est vniuersalis, esse debet in illis intrinsecè & essentialiter, quia hoc est de ratione talis vniuersalis: neq; verò simul esse potest separatus ab illis, & intrinsecè in illis: quia hæc duo in re ipsa sumpta inuoluunt repugnantiam. Itẽ quia, vel homo vt sic est res distincta realiter à Petro, Paulo, &c. vel non est res distincta: si dicatur hoc secundum, hoc est quod intendimus: nam hoc C sensu dicuntur vniuersalia non esse separata, quia nõ sunt res realiter distinctæ à singularibus, neque habent propriam entitatem: & realem vnitatẽ distinctam ab illis: si verò dicatur primum, sequitur apertè, hominem vt sic esse rem quandam distinctam à Petro & Paulo, nam realis distinctio non potest intelligi, nisi inter res certas, & determinatas: erit ergo illa res quidam homo distinctus à cæteris hominibus. Vnde neque esse poterit de essentia illorum, neque poterit simul esse in omnibus illis. Item aliqui eadem ratione dandum esset animal separatum ab omnibus speciebus animalium, & viuens separatum ab omnib. generibus viuentium, & sic de cæteris quidditatiuis prædicatis, quæ omnia sunt impossibilia, & inutilia prorsus, quia neq; ad scientiã, neque ad definitiones tradendas oportet huiusmodi idearum monstra confingere.

III. Quo sensu Plato vniuersalia asseruerit separata.

Quod adeò manifestum, ac per se notum est, vt multis incredibile videatur, Platonem docuisse cõtrarium eo sensu, quo 1. & 7. metaph. & aliis locis Arist. illi attribuit, & latissimè impugnat. Ita sensisse Eustratium & Simplicium refert D. Thomas lib. 4. de regimine Principum, c. 4. & in particulari agens

Res quæ vniuersales nominamus, vere in rebus sunt.

de ideis Aug. lib. 83. quæstionũ. q. 46. & lib. 7. de Ciuit. c. 28. declarat Platonem fuisse locutum de ideis, quæ sunt in mente diuina, quod etiam sentit Seneca lib. 8. epistola 66. Imò ab ipso Platone in Parmenide, & Timæo id significari videtur. Legatur Eugub. lib. 1. de peren. philosoph. c. 10. Quod si ita est, consequenter dicendum est, Platonem nõ posuisse ideas propter modum nostrũ concipiendi, definiendi, aut sciendi res in vniuersali; ad hoc enim nihil conferũt ideæ prout sunt in mente Dei: quia nec nos illas cõcipimus, aut definimus; & si per impossibile non essent tales ideæ, possent eodẽ modo vniuersalia à nobis cõcipi, ac definiri. Sed ponũtur huiusmodi ideæ, vt sint prima exemplaria horũ inferiorum; & in ea influant tanquam primum, & immutabile principium in suo genere: de quib. ideis sub hac consideratione tractatur à Theologis in 1. d. 36. cum D. Tho. 1. par. q. 15. & inferiùs tractando de causis aliquid attingemus. Sed, quicquid sit de mente Platonis, hæc cõsideratio nihil ad præsens institutum refert: quia nõ agimus de vniuersali, quod vocant in causando, siue per modũ efficientis, siue per modum exemplaris; B sed de vniuersali in essendo seu prædicando.

Sensus quæstionis, & variæ opiniones.

IIII. HIs ergo suppositis, quæstio superest, an natura, quæ vniuersalis denominatur, quamuis sit in rebus singularib. nihilominus ex se habeat sufficientem vnitatem, ob quã vniuersalis denominetur, ita vt non solùm natura vniuersalis, sed etiã vniuersalitas eius in reb. sit. Tres in hac re versãtur opiniones. Prima est, naturã ita habere ex se & p se aliquã vniuersalitatẽ, vt etiã realiter existens in ipsis indiuiduis eã retineat, actuq; vniuersalis sit; quam opinionem defendit latè Ioannes Monlorius speciali dispu. de hac re. c. 5. & 6. & communiter tribuitur Scoto in 2. d. 3. q. 1. & 7. metaph. q. 18. vbi Anton. Andreas q. 16. illã defendit. Quamuis Scot. in præd. dist. potiùs ita loquatur, vt simpliciter neget, vniuersale in actu esse in rebus: solumq; videtur admittere vniuersale aptitudine seu potentia, quod Aristoteles & omnes concedunt. Quapropter in exponenda Scoti sententia varij sunt eius discipuli, vt Fonseca infrà citandus latè tractat, vbi etiam ipse, sicut & alij, eum conatur in suam sententiam adducere. Sed, ne in æquiuoco laboremus, oportet hos terminos, *vniuersale in actu*, & *vniuersale in potentia*, declarare. Ioan. Monlorius. Scotus. Antonius Andreas.

V. Itaq;, si per vniuersale in actu intelligatur natura ab omni indiuiduatione abstracta, quæ concipitur per modũ vnius entis indiuisi, & cõmunis multis, & habentis proximã aptitudinẽ, vt de illis prædicetur sic per se notum est, vniuersale in actu vt sic, nõ esse in rebus: & hoc modo explicuit hanc vniuersalitatẽ Scotus suprà: & eodem loquitur Arist. cùm negat contra Platonem dari vniuersale in rebus, scilicet vniuersaliter subsistens, & ab omni singulari, & indiuidua contractione separatum. Datur ergo hoc vniuersale solùm per intellectum, vt sectio. sequen. declarabimus. Rursus, si vniuersale in potentia dicatur, quicquid non habet actualem vniuersalitatem dicto modo explicatam: præbet autem intellectui fundamẽtum, vt illam possit concipere aut finpere, sic etiam certum est dari in rebus vniuersalitatem in potentia, quia datur in eis aliquod fundamẽtum abstractionis, seu conceptionis vniuersalis, quam intellectus facit. Sed quale est hoc fundamentũ? in hoc est, n. punctus cõtrouersiæ. Opinio igitur citata

Universidad de Deusto
Biblioteca

citata affirmat, fundamentum hoc esse vniuersalitatem quandam, quę ex se, & realiter conuenit naturę, vt est prior natura suis inferioribus contrahentibus ipsam. Nam, licet in re non sit separata ab eis, tamen reuera est communis omnibus illis secundum eandē rationem, & vnitatem formalem. Et ita hæc vniuersalitas, licet respectu prioris dicatur aptitudinalis seu fundamentalis, tamen respectu singularitatis seu indiuiduationis naturæ est vera, realis, & actualis vniuersalitas, quæ ab vnitate formali solum in hoc differt, quod vltra negationem diuisionis in se dicit indifferentiam & communitatem ad multa.

VI. Sic igitur declarata opinio probatur primò, quia natura, verbi gratia humana, de se habet vnitatem formalem, vt dictum est: habet etiam de se, quod sit communicabilis multis: ergo de se & ante omnē intellectum est vna in multis: & de multis, in quo ratio vniuersalis consistit, teste Arist. 1. Post. tex. 25. habet ergo natura ex se & in rebus ipsis aliquam vniuersalitatem, quæ sit realis proprietas eius, & non tantum rationis. Minor, in qua est vis argumenti, probatur primò, quia natura humana de se non est incommunicabilis, alioqui secundum numerum multiplicari non posset: est ergo de se communicabilis: quia inter communicabile, & incommunicabile non est dare medium respectu eiusdem naturæ, nam sunt opposita contradictorię. Secundò, quia natura non est de se hæc & individua, vt præcedente disput. probatum est: sed indiget aliquo adiuncto, quo individuetur: ergo de se apta est, vt per principia individuantia contrahatur: imò, cùm non sit apta ad subsistendum abstractè & vniuersaliter, postulat, & requirit hanc determinationem, vt possit subsistere: est ergo ex se apta ad illam: ergo est etiam ex se communicabilis multis individuis. Probatur hæc vltima consequentia, quia talis natura non est adæquatè contrahibilis per vnam solam individualem differentiam, imò hoc illi repugnat: ergo hæc repugnantia, quam habet talis natura, vt in vno solo individuo adæquati contrahi possit, fundatur in naturali aptitudine, quam habet vt in multis esse possit: hæc ergo aptitudo conuenit illi realiter & secundum se. Tertiò idem probatur ex attributis naturarum vniuersalium, vt vniuersales sunt, dicuntur enim esse propria obiecta sciētiarum, immutabilia, C & perpetua, ingenerabilia, & incorruptibilia, dicūtur etiam esse res immediatæ significatæ per voces seu conceptus communes, quibus per se primò cōueniunt essentialia prædicata, & intrinsecæ proprietates: sed hæc omnia non sunt per intellectum conficta, neque consistunt in denominatione aliqua extrinseca proueniente ab aliquo actu intellectus: ergo natura in rebus ipsis habet aliquam vniuersalitatem, quæ sit horum omnium ratio ac fundamentū. Et confirmatur, quia aliàs vix possumus vitare, quin incidamus in opinionem Nominalium, qui negant in rebus esse naturas vniuersales, sed solum res singulares, quia, si natura in re nullam habet vniuersalitatem, nec distinguitur ex natura rei ab indiuiduis, vt suprà ostensum est, non apparet, quid possit in rebus immediatè correspondere terminis communibus, aut conceptibus eorum, præter ipsa singularia, quod Nominales docent, & consequenter non poterit esse scientia de rebus communibus, sed solum de vocibus, vt iidem contendunt.

VII. Secunda sententia est, naturam existentem in individuis non esse actu vniuersalem, nihilominus tamen nō habere à solo intellectu, quod actu vniuersalis sit, sed ex se, & ante operationem intellectus, & A ante omnem contractionem ad indiuidua, atque adeò ante omnem existentiam, tam in intellectu, quàm in re ipsa, esse actu vniuersalem. Hanc opinionem latè tractat, & defendit Fonseca, lib. 5. Metaphys. cap. 28. per quinque primas quæstiones. Cuius fundamenta videbimus posteà, dum veram sententiam confirmabimus: est enim hæc opinio media inter duas alias, & ideò ab eisdem sumit argumēta partim ad eas confutandas, partim ad ipsam tuēdam, & suadendam.

VIII. Tertia opinio est, naturas fieri actu vniuersales solum opere intellectus, præcedente fundamento aliquo ex parte ipsarum rerum, propter quod dicuntur esse à parte rei potentia vniuersales. Hæc sententia communis est antiquorum & recentium Philosophorum cum Aristot. sæpissimè in his lib. Metaph. præsertim in 7. & Comm. 1. de anima com. 8. dicente, *intellectum esse qui facit vniuersalia in rebus*, & Auicen. qui hoc sensu dixit, lib. 5. suæ Metaph. in principio: *Equinitas secundum se tantum est equinitas, non vna, vel plures*, & eodem modo loquitur D. Tho. opusc. de ente & essentia, cap. 4. vbi ait, *naturam secundum se neque vniuersalem, neque singularem esse*, & aliis locis in eodem sensu ait, *intentionem vniuersalitatis esse ab intellectu*, vt 1. part. quæst. 85. artic. 1. & 1. 2. quæst. 29. artic. 6. & 7. Metaph. lect. 13. & in eadem sententia conueniunt omnes eius discipuli: Caietan. loco citato de ente & essentia. Soncin. & Iauell. citati sect. præced. Soto in Logica quæst. 2. de vniuersalibus, & alij.

IX *Quæstionis resolutio.*

HÆc postrema sententia est sine dubio vera. Vt autem eam explicemus, & confirmemus, duo, quæ in titulo quæst. proposuimus, declaranda sunt. Primum, quomodo differat vnitas quæ ad vniuersalitatem naturæ necessaria est, ab vnitate formali. Secundum, quomodo naturæ sic vni cōueniat aptitudo essendi in multis. Ex quibus tandem constabit tertium, scilicet quomodo vniuersalitas naturæ nō possit in rebus ipsis inueniri. Suppono autem, quod Aristot. sæpè docuit, rationem vniuersalitatis vt sic, in duobus consistere. scilicet in vnitate, & communicabilitate. Hæc enim duo continentur in illa definitione, qua vniuersale dicitur, *Vnum in multis, & de multis*, seu *præter multa*, quæ sumpta est ex variis locis Aristot. 1. Perih. cap. 5. 1. Post. cap. 18. 7. Metaph. cap. 13. Nam si natura non sit vna aliquo modo, non erit quippiam vniuersale, sed erit rerum multitudo, seu aggregatio: si autem non sit apta esse in plurib. nō erit vniuersalis sed singularis, & ideò necesse est, vt sit in multis modo opposito singularitati seu indiuiduationi, id est, quod sit in multis inferioribus, quæ sub ea communi ratione multiplicari, & numerari possint. Hæc ergo duo, scilicet vnitas & communitas, explicanda sunt, vt constet, rationem constituentem proprium vniuersale non reperiri in rebus secluso intellectu.

X Dico primò, Vnitas formalis per se sola non sufficit ad vnitatem, quam requirit natura vniuersalis, vt vniuersalis est, ac denominatur, sed requiritur, maior aliqua vnitas. Probatur primò, quia vnitas rei vniuersalis vt vniuersalis est, talis esse debet vt sit illi propria, & rei singulari vt singularis est, conuenire non possit: sed vnitas formalis non est huiusmodi: ergo illa vt sic non sufficit ad vnitatem naturæ vniuersalis vt sic. Maior ex communi omnium consensu

sensu constat, & ex oppositione, quæ est inter singu- A quo differt hęc vnitas ab vnitate indiuiduali, quę nō lare, & vniuersale vt talia sunt: cùm enim opponantur vt cōmunicabile & incommunicabile, vnitas illa, quæ ad vtrumq; horum indifferens est, non potest esse sufficiens ad rationem vniuersalis, vt magis ex sequente ratione constabit. Minor autem constat ex suprà dictis de vnitate formali: ostensum est. n. eā de se esse indifferentem ad naturam, vel vniuersè conceptam, vel in indiuiduis contractam. Secundò probatur, quia vnitas formalis multiplicatur in indiuiduis cū ipsa natura; sed vnitas, quę est propria naturę vniuersalis vt vniuersalis est, non pōt multiplicari in inferioribus, nam potiùs illa sunt vnum sub ea ratione, quomodò dixit Porphyrius, *participatione speciei plures homines esse vnum hominem*: ergo alium modum vnitatis habet natura vniuersalis vt sic, præter vnitatem formalem. Maior suprà probata est. Ostendimus enim, vnamquamq; naturam indiuiduam, esse in se formaliter vnam propria & intrinseca vnitate formali distincta ab ea, quę est in alia simili natura, quia vnaquęq; per id, quod in se est, est in se formaliter indiuisa. Et hinc facilè probatur minor ppositio quia si vnitas naturæ vniuersalis vt vniuersalis est, B multiplicaretur in inferioribus, multiplicaretur vnitas specifica in indiuiduis, vel generica in speciebus, quòd est impossibile, alioqui & plures homines essent plures species, & vnusquisque eorum haberet in se vnitatem vniuersalitatis, & consequenter vnusquisque esset vnus vniuersaliter, sicut est vnus formaliter, quod est planè falsum. Vnde argumentor tertiò, quia vnitas formalis solùm dicit formalem seu essentialem indiuisionem illius rei, quæ sic vna denominatur: vnde ad hanc vnitatem impertinens est, quòd illa res sit singularis, vel communis, at verò vnitas vniuersalis dicit intrinsecè indiuisionem plurium in ea re, vel ratione, quæ vna vniuersaliter denominatur, ita vt nullum eorum inferiorum, quæ sub tali ratione continentur, per se sumptum habeat totam illam vniuersalem vnitatem, sed omnia sub illa ratione vnum sint, quomodo omnes species animalis sunt vnum in ratione animalis: nulla autem species per se sumpta habet in se vniuersalem vnitatem animalis, quæ est quasi potentialis, licet in se habeat formalem vnitatem eius. Quāquā ergo vnitas formalis prærequiratur ad vnitatē vni- C uersalis, & sit fundamentum eius, non tamen est per se sufficiens, sed aliquid vltra illam addit vnitas vniuersalis.

XI. Dices. Quæ ergo, aut qualis esse potest hæc vnitas naturæ vniuersalis vt sic? Omnis enim vnitas, vt suprà insinuatum est, aut formalis, aut numeralis esse debet: quia omnis diuisio aut formalis est, aut materialis: sed vnitas vniuersalis non potest esse vnitas numeralis, quia hæc est propria rerum singularium: si ergo neque formalis est, quæ nam esse potest? Respondetur esse quandam vnitatem ab his distinctam habentem proprium nomen, propriamque rationem. Dicitur enim hæc vnitas vniuersalis, eiusque ratio consistit in indiuisione alicuius naturæ in plures naturas similes sub eodem nomine, & ratione, cum aptitudine, vt in eas diuidatur. Itaque huiusmodi vnitas vtrumque includit, scilicet indiuisionem, & aptitudinē ad diuisionem in plura eiusdem nominis & rationis, seu quæ talia sint, vt vnumquodq; totum diuisum quoad eius actualitatē in se claudat, & cōtineat. Vnde hęc indiuisio proximè accedit ad propriam priuationem, quia dicit negationē diuisionis in natura apta ad talem diuisionem. In

XII. Vnde vlteriùs additur, hanc vnitatē posse ad numeralem reuocari, quæ tamen non simpliciter realis sit, sed rationis, seu obiectiua. Declaratur, nam species humana in ratione speciei ita est vna, vt cum aliis componat numerum ternarium, vel quaternarium, &c. specierum sub animali contentarum: omnis autē vnitas, quæ potest numerum cōficere, sub ea ratione numerica dici potest. Propter quod, licet homo & equus absolutè differant essentialiter, & specie, tamen in ratione vniuersalium seu specierum differunt numero. Item formalis conceptus hominis vt sic, est vnus numero: vnde obiectum eius in ratione obiecti vnum etiam numero dici potest, & ita homo, quatenus obiicitur illi cōceptui, dicitur habere vnitatem numeralem obiectiuā, seu in ratione obiecti, quę et est vnitas rationis, seu per denominationem extrinsecam à conceptu mentis: hęc ergo vnitas ad rationem vniuersalis necessaria est, & sub ea ratione potest ad numeralem reuocari. Quòd in hunc modum pōt etiam explicari, nam, si fingeremus iuxta Platonis sentētiam, vt ab Aristotele explicatur, vniuersalia esse res separatas à singularibus, necessariò intelligendum esset, hominem vt sic, in se subsistentem, esse rem quandam in se quidem transcendentaliter numerabilem cum aliis, atq; ita vnam numero, quamuis simul fingeretur existens in pluribus numero distinctis, quod aliunde repugnātiā inuoluit, vt dictum est, quod ad præsens non refert: nam hinc solùm intendimus declarare vniuersale eo modo quo est, vel apprehenditur, debere intelligi vt in se indiuisum, & numerabile, vel secundum rem, si fingatur in re ipsa separatum, vel secundum rationem & conceptum, si solùm mente abstrahatur.

XIII. Vnitas vniuersalis non est ante operationē mētis. Ex his dico secundò, Vnitas naturæ vniuersalis vt vniuersalis est, non est realis, neque est in rebus prout in re ipsa existunt, antecedunt̄que omnem operationem intellectus. Hæc conclusio sequitur apertè ex præcedente: quia in rebus nulla vnitas intelligi potest præter formalem, & numeralem, neutra autē harum sufficit ad rationem vniuersalis vt sic. Dicetur fortasse in rebus non solùm reperiri eam vnitatem formalem, qua vnaquæque natura humana, verbi gratia, dicitur in se formaliter vna, sed etiam reperiri vnitatem, qua omnes humanæ naturæ dicuntur habere eandem rationem formalem, & consequenter formalem vnitatem, ratione cuius eandem definitionem participant, & omnes homines à parte rei dicuntur esse eiusdem naturæ. Sed contra, nam hæc reuera non est vnitas, sed similitudo tantùm, nihil enim verè vnum & in re indiuisum est à parte rei in hac & in illa humana natura, sed solùm in hac est aliquid cui aliquid simile est in altera natura: hæc autem non est realis vnitas, sed similitudo. Vnde solùm possunt res plures dici à parte rei eiusdem naturę, id est similis: hęc enim identitas, cùm dicatur esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter res distinctas, non pōt in re ipsa quippiam esse præter similitudinem, ratione cuius dicuntur ēt participare, seu habere eandē definitionē, fundamentaliter quidem ex vi dictę similitudinis, formaliter aūt per rationem: nam definitio opus rationis est.

XV. Similitudinis relatio realis ad rationem vniuersalis nec sufficiēs, nec necessaria.

Hæc autem similitudo neque necessaria simpliciter est ad rationem vniuersalis, neque sufficiens. Intelligo autem non esse necessariam secūdum actualem existentiam & relationem, quia non est de ratione vniuersalis vt actu sit in multis; nam si veræ essent ideæ Platonis, vniuersales essent ex se, quamuis actu nullum aliud indiuiduum existeret, & de facto naturę cœli & Gabrielis sunt vniuersales, siue in re sint plura eorum indiuidua, habentia inter se prædictam similitudinem, siue non. Si autem esset sermo de similitudine illa in potentia, sic necessaria est ad naturæ vniuersalitatem, quia alias non posset intelligi natura vt communis, vt statim latius explicabimus. Quòd autem illa similitudo non sufficiat ad rationem vniuersalis, probatur, quia ex vi illius similitudinis præcisè, siue in actu siue in potentia sumptæ, non concipitur aliquid vt vnum commune multis, sed concipiuntur multa vt similia inter se: B vniuersale aūt vt sic, debet cōcipi vt vnū. Item, quia vniuersale vt vniuersale, concipitur vt indiuisum actu, quatenus tale est, & diuisibile, & communicabile aptitudine: res autem prout à parte rei sunt similes in natura, potiùs sunt actu diuisæ, & aptitudine seu fundamētaliter vnibiles (vt sic dicam) in vna natura vniuersè concepta.

XVI.

Atque hinc apertiùs confirmatur conclusio posita. Nam vniuersalitas vt sic dicit aliquam indiuisionem, alioqui non esset vniuersalitas, sed multitudo tantùm: sed illa non potest esse indiuisio quæ conueniat rebus vt in se sunt, sed solùm vt subsistant conceptibus mentis; ergo vnitas quæ inde sumitur, non est realis sed rationis. Minor declaratur, nam, vt rectè dixit Aristotel. 7. metaphys. cap. 14. & sæpè aliàs esse in re ipsa indiuisum, & simul esse actu diuisum, in plura eiusdem nominis & rationis, inuoluit repugnantiam, nam, si res est à parte rei indiuisa, à parte rei est singularis, & vna numero; si autem est diuisa in plures similes eiusdem nominis & rationis, erit etiam plures numero: quòd fieri non potest. Et hæc repugnātia sequebaū ex positione Platonis, quę cessat, si vniuersale intelligatur habere indiuisionem tantùm secundum rationem: quia esse indiuisum secundum rationem, & diuisum secundum rem, non opponuntur inter se. Atq; hoc modo omnes hòmines in ratione specici dicuntur vnus homo, quia in cōceptu hominis vt sic, non diuiduntur: & ita vnitas hominis, quatenus vniuersalis est, per rationem cōsummatur, quia homo vt sic, solùm habet indiuisionē vt subest cōceptioni mētis. Quæ indiuisio consistit in hoc quòd homo, v.g. abstractè cōceptus, non est cōmunicabilis multis hominibus seu conceptibus obiectiuis sic abstractis, licet sit communicabilis per contractionem multis indiuiduis.

Aristoteles.

SECTIO III.

Vtrum natura communis ex se habeat aliquam vnitatem præcisionis extra indiuidua, & ante mentis operationem.

I. Antequam argumentis contrariæ sententię respondeamus, tractanda est obiectio, quæ hic occurrit, & quædam opinio, quæ pęnè singularis ac noua mihi visa est. Obiici itaq; potest cōtra precedentē resolutionē, quia quęlibet natura cōmunis, v.g. humana, nō solùm quatenus per intellectū, abstracta est, sed ēt quatenus ex se præscindit à differentiis indiuidualib⁹, & est naturę ordine prior illis, habet vnitatē quandā: quia vt sic, nō est plures, sed vna tantùm: illa aūt vnitas, cùm cōueniat naturę ex se, realis erit; ergo illa sufficiet ad rationē vniuersalis. Circa hoc Fonseca lib. 5. met. c. 28. q. 3. sect. 2. 3. & 4. sentit, naturę vniuersali secundū se sūptę conuenire vnitatē quandā, quam suis inferioribⁿ non cōmunicat, sed illi tantū ac præcisè conuenit, priùs quàm existat, tam in rerum natura, quàm in intellectu, quā vnitatem dicit esse distinctam ab vnitate formali, quia hæc multiplicatur in indiuiduis, non verò illa. Vocat autem illam vnitatem præcisionis, seu numeralem, non simpliciter & absolutè, sed naturæ communis, quæ est conditio diminuens, vnde etiā eā vocat quodammodo mistam ex formali & numerali. Et in hanc sententiam citat D. Thom. opusc. 42. de natura generis capite 7. & 8. vbi significat, esse naturas vniuersales habentes quandam vnitatem conuenientem naturæ absolutè sumptæ, quæ non communicatur indiuiduis talis naturæ, nec conuenit naturæ per intellectum. Citat etiam Soncin. 7 metaph. quæst. 40. vbi ait, naturam secundum se consideratam, id est, nec prout est in indiuiduis, nec prout est in intellectu, habere quandam vnitatem: & non videtur loqui de vnitate formali, quia addit, naturam non communicare hanc vnitatem suis inferioribus; & idem sentit Capreol. in 3 d. 5. quæst. 3. artic. 3. ad argumenta Scoti cont. 1. concl. vbi non de omnibus vniuersalibus, sed de quibusdam id affirmat ex D. Tho. loco cit. scilicet, de his, quæ habent non tantùm logicam, sed etiam physicam vnitatem & conuenientiam. Quæ limitatio rem facit difficiliorem, & obscuriorem, quia, impossibile est reperire vniuersalem vnitatem non fundatam in vnitate formali, vt ex dictis satis constat, & amplius patebit ex dicendis: suppositā autem formali vnitate, eadem est ratio quantum ad omnem aliam vnitatem in quacūque natura vniuersali: quia omnis talis natura potest secundum se & absolutè considerari, &, vt sic, eadem non repugnantia, indifferentia, aut indiuisio in qualibet reperitur: Et ideò Fonseca illam limitationem non admittit, sed generaliter hāc vnitatem præcisionis tribuit omnibus naturis vniuersalibus.

Fonseca.

Quòd si interroges, vbi, aut quando conueniat hæc vnitas tali naturæ: respondet, naturam existentem nunquam habere huiusmodi vnitatem, quia in indiuiduis illam non habet, cùm in illis contracta sit, natura autem non habet existentiam, nisi in indiuiduis: neque etiam conuenire illi tantùm vt est in intellectu, quia illi secundum se conuenit, priùs quàm ab intellectu aliquid habere intelligatur: neq; conuenire illi per solam denominationem extrinsecam, sed per veram negationem, seu indiuisionem conuenientem ipsi naturæ secundum se. Et hoc ipsum sentit Soncin. suprà, qui propterea dicit, hanc vnitatem non esse actualem, sed potentialem; & vterque illam explicat per hanc conditionalem: quia, si natura existeret sine contractione ad indiuidua, hanc vnitatem haberet. Quòd si rursus obiicias, quia, si hæc vnitas per se conuenit naturæ absolutè sumptæ, erit inseparabilis ab ipsa, nam; quòd per se alicui conuenit, semper cōuenit; neque oppositum eius potest ei conuenire: sed in indiuiduis non habet natu-

natura eam vnitatem, sed potiùs oppositā multitudinem: ergo non pōt illa vnitas per se conuenire tali naturæ. Respondent, dupliciter sumi posse illud *per se*, seu *secundum se*: primò vt significet necessariam cōnexionē prædicati cum subiecto tanquam de essentia eius existentis, aut ab illo intrinsecè manantis; quomodò sumpsit Aristoteles, cùm duos modos per se numerauit 1. Posterior cap. 4. & hoc modo rectè probat argumentum, prædictam vnitatem non cōuenire per se naturæ vniuersali: alio modo sumitur *per se* pro eo quod est *absolutè* seu *solitariè*; & hoc modo dicitur conuenire hæc vnitas naturæ secundum se, seu per se sumptæ: quia absolutè considerata illa natura, ac solitariè, id est, quatenus non habet adiunctas differentias contrahentes, seu indiuiduantes, statim habet illam vnitatem. Neque enim necesse est, vt, quicquid conuenit naturæ hoc posteriori modo secundum se sumptæ, conueniat etiam per se priori modo, id est, ab intrinseco: & necessariò: multa enim prædicata, præsertim negatiua, possunt illi sic sumptæ contingenter conuenire, vt *non existere non generari nec corrumpi, non esse album, nigrum*, aut similia omnia, quæ non conueniunt naturæ communi nisi ratione indiuiduorum. Sic igitur hæc vnitas præcisionis, quæ in negatione seu priuatione cōsistit, conuenit naturæ secundum se & absolutè consideratæ: quia vt sic non conueniunt illi differentiæ quibus contrahitur & diuiditur, non tamen per se & necessariò conuenit: quia mediis inferioribns potest ei oppositum conuenire.

III. Præcedentis sententiæ refutatio. D. Thomas. Caiet.

Sed nihilominus hæc sententia probari mihi non potest. Nam (vt omittam esse planè contrariam D. Tho. lib. de ent. & esseh. c. 4. & Caiet. ibi & aliis authoribus citatis, & referendis infra cōcl. 4.) non satis intelligo, qualis possit esse vnitas, quæ conueniat naturę ante intellectum, & tamen nunquam possit illi conuenire in inferioribus, seu in singularibus existēti: nam, si illa vnitas conuenit naturę ante intellectū: ergo est vnitas realis: ergo potest realiter ipsi naturæ aliquando conuenire: ergo necesse est, vt possit illi conuenire in indiuiduis, vel in aliquo indiuiduo: nihil enim conuenit realiter naturæ omnino, nisi quod potest illi conuenire vt existenti in aliquo indiuiduo. Quod enim aiunt, hanc vnitatem cōuenire realiter naturæ secundum esse essentiæ, non secundum esse existentiæ, non videtur posse intelligi: quia, vt suprà dixi, tractando de conceptu entis, & infrà iterum dicam tractando de essentia & existentia creaturarum, esse essentiæ non potest concipi vt reale, nisi saltem aptitudine includat ordinē ad existentiam: ergo, si hæc vnitas non potest conuenire essentiæ vt existenti, neq; conuenit illi vt aptę ad existendum: quia, sicut non existit nisi vt indiuidua, ita neq; est apta ad existendum nisi vt indiuidua: ergo nullo modo illi realiter conuenit. Et cōfirmat, quia nullum prædicatum nec positiuum, nec negatiuum conuenit naturæ secundum se, & solitariè sumptæ, nisi aut per se posterioristicè illi conueniat, aut possit indiuiduis conuenire: sed hæc vnitas non conuenit per se dicto modo naturæ secundum se sumptæ, vt ipsi fatentur: neque ēt potest illi conuenire ratione indiuiduorum, quia potiùs illi vt sic repugnat: imò hoc ipso quod in indiuiduis sumitur, iam non per se & solitariè cōsideratur: ergo nullo modo cōuenit per se primò. Maior cōstat ex Porphyr. c. de cōmū. D. Tho. Caiet. & aliis in locis citatis. Et inductione patet in prædicatis ēt negatiuis (nā de positiuis nulla est dubitandi ratio) quia, *non esse album, aut nigrum, &c.* in tantū conueniūt homini vt sic, in quātum alicui indiuiduo hominis cōuenire possūt: imò & ipsum nō existere, quamuis nō possit cōuenire homini ratione alicuius indiuidui existentis, conuenit tamen illi, quatenus vel aliquod, vel omnia indiuidua humanę naturę nō existunt. Ratio est, quia hęc prędicata sunt contingentia, & ideò non conueniunt speciei nisi ratione indiuiduorum.

Prædicata solitarię naturæ conuenientia per se posterioristicè conueniunt.

Porphyr.

IIII. Obiectioni respondetur.

Quòd si quis obiiciat quædam esse prædicata negatiua, quæ conueniunt naturæ communi secundum se, & tamen non conueniunt indiuiduis, vt videntur esse hæc, *non generari non corrumpi* (repugnat enim naturam vniuersalem absolutè sumptam generari, vel creari, aut etiam existere) dicendum est, esse sophisticam æquiuocationem: multiplex enim potest esse sensus illarum negationum. Primus est, quòd natura abstracta nec generari, nec corrumpi, nec esse potest, & hoc modo sunt veræ illæ negationes, tamen, si rectè intelligantur, non dicuntur de natura secundum se & absolutè sumpta, sed vt habente quendam statum, quem solum per intellectū habere potest: realiter enim nulla est natura sic abstracta, & solitaria, sed per intellectum consideratur; & illi vt sic, consideratæ attribuit talis negatio. Quare mirū nō est quod in indiuiduis illi nō cōueniat, quia per existētiā in indiuiduis destruitur ille status, ratione cuius cōuenit naturę talis negatio. Vnde, si illa vnitas præcisionis cū his negationib⁹ cōparāda est: hinc potiùs colligitur, nō cōuenire naturę, nisi vt subest operationi intellectus abstrahentis, & præscindentis illā. Alius sensus illarum negationum est, quòd natura communis absolutè nō generatur, neq; corrumpitur, & hoc pōt intelligi, vel, quòd nō generatur vllo modo, & sic est falsum, nam saltem secundariò generatur, & existit in indiuiduis. Vel quòd nō generatur per se primò, sed ratione indiuiduorū, & hoc est verum: tamen hoc ēt dici pōt de natura existente in indiuiduis, sicut Aristoteles dicit, secundas substātias existere in primis, & ratione illarum, & consequenter nō per se primò. Vnde hæc negatio in hoc sensu sumpta nō conuenit naturę cōtingenter, sed per se ac necessariò: sicut e contrariò fieri & esse per se primò cōuenit indiuiduis, si alicui cōuenire debet. Nulla ergo prędicata contingentia, etiam negatiua, conueniunt cōmunibus naturis, nisi vel ratione indiuiduorum, vel in ipsis indiuiduis, vel ratione status quem in intellectu habent.

V. Tandem argumentor in hunc modum contra dictam sententiā, quia natura cōmunis non distinguitur ex natura rei ab indiuiduis, sed tantùm per intellectum: ergo non pōt habere vnitatem aliquam secundum se, quam non habet in indiuiduis, nisi tantùm per intellectū. Antecedens sæpè est probatū: cōsequentia probatur primò, quia vnum reale consequitur ens: ergo si natura secūdum se nō habet entitatem distinctā ab entitate indiuiduorum: neque vnitatem realem habere potest distinctam ab vnitate indiuiduorum: ergo nullam vnitatē ex se habere potest quam non habet in indiuiduis, sed omnis alia est per intellectum. Secundò probatur eadem consequentia ex ipsis terminis, quibus alia opinio vtitur, vocat enim hanc vnitatem *præcisionis*: si ergo præcisio non est in re, neque conuenit naturæ secundum se, sed per intellectum tantum, neque ēt vnitas cōuenire pōt naturę secūdū se, secludēdo intellectū. Imò, si quis rectè consideret, hoc ipso, quod dicitur *secundum se* in sensu superiùs declarato, inuoluitur operatio intellectus: quia natura non præscinditur

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut seperatur ab omnibus differentiis iudiuidualib. A nisi opere intellectus. Vnde quicquid conuenit naturæ secundum se sumptæ propriè & peculiariter ratione illius conditionis seu status, qui explicatur per illam particulam *secundum se*, in sensu prædicto, conuenit illi per intellectum: huiusmodi autem est prædicta vnitas, vt ostensum est.

VI. Vendicatur à calumnia D. Thom.

Et hinc obiter intelligitur nullam æquiuocationem committi à D. Thoma, Caietano & aliis (vt putauit Fonseca) quando dicunt, quicquid conuenit naturæ secundum se aut per se, conuenire illi in indiuiduis existentibus: quia quicquid per se alicui conuenit, semper conuenit: nam vtrobique, *per se*, sumunt eodem modo, scilicet, posteriori sticè, vt reuera sumendum est. Et similiter, quando iidem authores distinguunt, tripliciter aliquid conuenire naturæ, scilicet, vel vt in indiuiduis existenti, vel vt in intellectu, vel secundum se, eodem sensu sumunt illud, *secundum se*, scilicet pro eo, quod per se & ab intrinseco conuenit naturæ, & non ratione alicuius status contractionis, aut præcisionis seu abstractionis. Supponunt enim (id quod verum esse ostendimus) nihil posse naturæ proximè & immediatè, quatenus talis natura est, cõuenire, nisi etiã per se cõueniat, atq; e contrario quidquid contingenter conuenit naturæ communi, cõuenire illi ratione status indiuiduationis, quẽ habet in re, aut separationis, quam habet per intellectum. Vnde, vt apertiùs tollatur æquiuocatio, omne prædicatũ quod dicitur immediatè (vt sic dicam) de natura communi, id est, non ratione indiuiduorum, potest dici conuenire illi secundum se, tamen hoc prædicatum potest esse duplex; vnũ conueniens naturæ vt præcisè habenti talem rationem formalem, vt *esse animal rationale*, & consequenter esse *risibile, admiratiuum, &c.* & huiusmodi prædicata dicũtur propriissimè conuenire naturæ secundum se, & per se, id est, ex hoc præcisè quòd talis natura est. Et hoc modo est sermo D. Tho. & aliorũ de natura secundũ se, quando illam distinguũt à duplici statu eius, scil. in indiuiduis, vel in intellectu, & ideò rectè concludunt, quicquid hoc modo conuenit naturæ secundũ se, conuenire illi, vbicunque & quomodocunq; existit. Alia verò prædicata dici possunt conuenire naturæ, secundũ se, id est, in communi sumptæ, non tamẽ ratione ipsius naturæ, sed ratione illius præcisionis & separationis, q̃ circũscribit illa particula *secũdũ se*. Et talis consideratio naturæ cõincidit cum statu, quem natura habet per intellectũ, & illa prædicata similiter coincidunt cum attributis, quæ conuenient illi naturæ ratione illius status: alioqui oporteret, quartã considerationẽ naturæ adhibere præter triplicẽ nuper expositã, quod inauditũ est. Cum ergo illa vnitas dicatur cõuenire naturæ secundũ se, nõ tamẽ hoc ipso, quòd natura talis est, sed hoc præcisè, q̃ secundũ se sumitur, vel consideratur, planè conuincitur, eam vnitatẽ non conuenire naturæ, nisi secundum statum quem in intellectu habet.

VII. Tertiò probatur, & declaratur ampliùs eadẽ consequentia principalis argumenti, quia natura actu existens nõ distinguitur ex natura rei ab indiuiduo, & ideò vt sic non potest habere vnitatem realem repugnantem indiuiduationi, qualis esset vnitas communis, sed natura etiam cõmunis sumpta vt possibilis, vel secundum esse essentiæ non distinguitur ex natura rei ab indiuiduis sumptis etiam in esse possibili, seu secundum esse essentiæ indiuiduæ: ergo eadem ratione non potest conuenire tali naturæ secũdum se, & ante intellectum aliqua vnitas repugnans vnitati indiuiduali, qualis esset illa vnitas præcisionis seu numerica communis. Maior constat ex dictis, & ab aliis nõ negatur. Minor probatur facile, quia eadem est proportio rerum possibilium inter se, quæ est existentium inter se: quia non aliæ res existunt, aut fiunt nisi quæ sunt possibiles. Neque humanitas possibilis habet aliam essentiam, nisi quam habet, dũ existit: ergo si humanitas vt sic, quando, actu existit, non distinguitur ex natura rei ab hac & illa humanitate, neque etiam humanitas vt possibilis distinguitur ex natura rei ab hac & illa humanitate possibili. Imò, si propriè loquamur, humanitas non est possibilis, nisi in quantum hæc & aliæ indiuiduæ humanitates possibiles sunt, sicut neque existit humanitas, nisi in quantum indiuidua humanitas existit. Consequentia verò probatur eadem ratione & proportione: quia humanitas possibilis non est aliud ab hac & illa humanitate secundum rem, & seclusio intellectu: ergo non possunt illi cõuenire vnitates repugnãtes. Et cõfirmatur: nã, si hæc vnitas cõuenit naturæ ante intellectũ, cui quæso naturæ conuenit? an singulari? & hoc non, vt per se notum est, B & ipsi fatentur, aut communi quatenus communis est? & hoc nõ, quia nulla est talis natura, etiam possibilis ablata operatione intellectus; aut naturæ vt natura est, nihil aliud adiungendo etiam per intellectum? & hoc etiam non, quia vt sic solùm habet natura vnitatem formalem, quæ communicatur indiuiduis, & in eis multiplicatur: ergo, seclusio intellectu, nullum esse potest adæquatum subiectum, & fundamentum talis vnitatis.

Ad difficultatem ergo respondetur, negando q̃ VIII. in ea assumitur, scilicet naturam humanam, verbi gratia, habere ex se vnitatem aliquam distinctam ab vnitate formali. Procedit autem illa obiectio ex falso principio, nimirum quòd natura specifica ex se præscindat, ab indiuiduis aliqua præcisione reali, seu quæ ex natura rei illi conueniat: cum reuera nõ præscindat, nisi per intellectum abstrahentem, & concipientem naturam communem absque indiuiduis, cuius quidem præcisionis est in natura ipsa fundamentum: sed hoc nõ est aliud ab vnitate formali, quæ in indiuiduis multiplicatur, & est in eis per identitatem. Aliud etiam falsum videtur in ea C obiectione supponi, scilicet naturam specificam, v.g. esse ordine naturæ priorem indiuiduis, & vt sic habere vnitatem illam præcisionis, seu numeralem communem: nam, si sit sermo de prioritate reali, id est, fundata in aliqua reali causalitate seu habitudine, vel ordine reali, id non est verũ, tum quia, vbi nõ est distinctio ex natura rei, non potest esse realis ordo, vel causalitas. Tum etiam, quia neq; in ratione existendi, neque in esse essentiæ potest intelligi talis prioritas. Primum patet, quia, si aliquis est ordo, potiùs natura specifica existit, quia aliquod eius indiuiduum existit, sicut Aristoteles dixit de primis & secundis substantiis. Secundum patet, quia esse essentiæ præcisum ab existẽtia, nihil aliud est, quàm entitas rei in esse possibili, vt infrà ostendetur; probauimus autem, etiam hoc modo vniuersalia esse possibilia ratione singularium possibilium. Quòd si esse essentiæ sumatur pro prædicatis quidditatiuis præcisè sumptis, & abstractis à differentiis indiuiduantibus, huiusmodi esse essentiæ inuoluit operationem rationis concipientis communem rationẽ, in qua indiuidua conueniunt, abstractam à propriis eorum differẽtiis. Si verò essentia cõmunis hoc modo sumpta dicat prior natura, nõ propria & reali priori-

prioritate, sed illa quæ dicitur esse subsistendi consequentia, illa potiùs est prioritas rationis: inuoluit enim conceptum mentis abstrahentem rationem communem à singularibus: vnde esse hoc modo prius, nihil aliud est, quam esse vniuersalius. Ex hac autem prioritate non potest colligi aliqua vnitas numeralis, quæ cõueniat naturæ secundum se ante indiuidua, & ante omnem intellectum: nulla ergo est talis vnitas, nisi tantùm per rationem, & conceptum mentis, vt in conclusione diximus.

IX. Sed contra dicta obiici potest, quia natura vniuersalis vt sic, non potest dici vna numero in ratione vniuersalis per extrinsecam denominationem à cõceptu formali mentis, scilicet, quia per vnum conceptum numero repræsentatur: ergo oportet vt dicatur vna numero in ratione vniuersalis ab aliqua alia vnitate, quæ in natura ipsa præcedit, & per illum conceptum repræsentatur: ergo talis vnitas conuenit naturæ ex se, & non per intellectum. Primũ antecedens patet primò, quia potiùs conceptus habet vnitatẽ ab obiecto, quã e contrario: ergo nõ ideò obiectum est vnũ, quia cõceptus est vnus, sed e contrario. Secundò, quia aliàs eadẽ natura à diuersis hominibus distinctis conceptib. repræsentata esset plura numero vniuersalia, nã multiplicata forma dante vnitatem, multiplicabitur vnitas. Consequens autem est planè falsum: non.n. dicemus esse plures numero species humanas, propterea quòd humana natura pluribus conceptib. repræsentetur: sicut non sunt plures Christi Domini facies, propterea quòd pluribus imaginib. repræsentetur: sicut ergo conceptus plures nõ dant naturæ vniuersali pluralitatem, ita neque vnus conceptus dat vnitatem, sed supponit illam: ergo hæc vnitas, de qua loquimur, non fit per rationem, sed conuenit naturæ ex se, quatenus obiicibilis est pluribus similibus conceptibus.

X. Respondeti potest, solùm probari, naturæ secundum se conuenire vnitatem formalem, eamq; supponi conceptioni mentis, & ratione illius naturam humanam v.g. posse habere rationem vnius obiecti respectu conceptus abstrahentis, & præscindentis illã, & quia illa non multiplicatur, etiamsi formales cõceptus eiusdem naturæ multiplicentur, ideò simpliciter non multiplicari numero huiusmodi vniuersale, vt vniuersale est. Sed contra, quia sola vnitas formalis non sufficit ad constituendum hoc numero vniuersale, nisi aliquid aliud addatur, quia talis vnitas communis est rebus indiuiduis, & multiplicabilis in illis: ergo præter vnitatem formalẽ necessaria est alia vnitas, à qua natura communis vt sic dicatur vna numero in ratione vniuersalis, nihil enim potest vnum numero denominari, nisi ab vnitate, quæ sub ea ratione numerica sit, & de hac procedit argumentum. Vt, verbi gratia natura humana dicitur vna numero species: non potest ergo habere illam vnitatem à sua vnitate formali vt sic: quia Petrus habet similem vnitatem formalem, & non est talis species: ergo est alia vnitas naturæ humanæ incommunicabilis indiuiduis, à qua denominatur vna species. Vel ergo habet illam vnitatem à conceptu mentis, & ita multiplicabitur hæc vnitas, multiplicato conceptu, vt argumentum factum contendit, vel non fit per conceptum, & sic conueniet naturæ ex se, vt opposita opinio dicebat. Respondetur, declarando ampliùs responsionem datam, verum quidem esse vnitatem formalem non sufficere ad vnitatem vniuersalitatis, seu vt natura dicatur vnum numero vniuersale, sed necessariam esse præcisionem A mentis, ratione cuius conueniat naturæ sic abstractę vnitas incommunicabilis indiuiduis, quæ consistit in indiuisione, seu incommunicabilitate ad plures naturas sic abstractas & communes, cum aptitudine vt communicetur plurib. naturis contractis seu indiuiduis: hæc autem negatio seu incommunicabilitas non multiplicatur in natura, etiamsi conceptus formales numero multiplicentur, & ideò necesse nõ est, vt propter plures conceptus formales numero distinctos, dicatur natura concepta esse plura vniuersalia numero distincta.

XI. Responsio. Ad obiectionem ergo in forma respondetur negando primum antecedens in sensu iam exposito. Ad primam probationem respondetur, ad vnitatem conceptus formalis satis esse, vt ex parte obiecti supponatur vnitas fundamentalis conceptus obiectiui, quæ consistit in similitudine seu conuenientia plurium singularium in vnitate formali: nam hoc satis est, vt intellectus sua vi & efficacia intelligendi possit abstrahere conceptum obiectiuum communem: vnde quoad hanc præcisionem talis obiecti communis & vniuersalis, intellectus non supponit B obiectum suum, sed facit, seu potiùs confert illi statum illum præcisionis per extrinsecam denominationem. Ad secundam probationem respondetur, formam à qua propriè natura denominatur sic vna, nõ esse ipsum conceptum mentis, sed esse negationem incommunicabilitatis ad plures naturas sic cõmunes, quæ negatio fundatur in abstractione mentis, eadem autem est talis negatio, siue hæc abstractio fiat per vnum, siue per varios conceptus formales numero distinctos.

XII. Aliter etiam dici posset, quòd, licet in abstracto multiplicentur intentiones vniuersalitatis ex multiplicatione conceptuum formalium circa eandem naturam (quomodo dicere solent Dialectici, distinctam numero relationem rationis speciei insurgere in natura humana per distinctam comparationem eius ad indiuidua factam à Petro, & Paulo, vel ab eodem diuersis temporib.) nihilominus tamen vniuersale in concreto simpliciter non multiplicatur, quia id quod subsstat tali intentioni vniuersalitatis, formaliter non multiplicatur, sed sumitur vt habens eandem omninò formalem vnitatem cum eadem præcisione. Sicut, quamuis plures albedines numero distinctæ inhærere possent eidem homini, non diceretur plura alba, sed vnum: & paries, quamuis in ratione visi constituatur seu denominetur à visione, quæ est in oculo, non denominatur plura visa, sed vnũ, quamuis pluribus visionib. simul videatur: nã in huiusmodi concretis vnitas sumitur ex supposito seu subiecto, seu quod se habet ad modum subiecti. In præsenti autem, natura quæ denominatur vniuersalis, se habet ad modum subiecti respectu intentionis vniuersalitatis, & ideò, quamuis formæ seu conceptus denominantes multiplicentur, vniuersale non multiplicatur, quia omnes versantur circa eandem naturam, eamq; præscindunt secundũ eandem vnitatem formalem.

SECTIO IIII.

Quid sit in natura vniuersali aptitudo vt sit in multis.

RAtio dubitandi satis constat ex dictis I. duabus sectionibus præcedentibus, & præcipuè ex argumentis in sectione 2. propositis: ad illa enim clariùs soluẽda hæc dubitatio proposita est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Aptitudo essendi in multis nihil est in natura, vt à parte existit.

Dico ergo primò. Aptitudo naturæ communis vt sit in multis non est aliquid conueniens ipsi naturæ prout à parte rei existit. Hæc conclusio receptissima est, vt videtur euidēs, præsertim, si supponamus, quod sæpè dictum est, vniuersale non distingui ex natura rei à singularibus, seu inferioribus. Probatur ergo, quia à parte rei nihil est, nisi singulare & indiuiduum & in ipsis singularibus nihil est ab eis ex natura rei distinctum: ergo in natura prout à parte rei existit, non potest esse aptitudo vlla ad essendum in multis. Patet consequentia, quia in re indiuidua vt sic, non est talis aptitudo, seu non repugnantia, sed potius repugnantia opposita: natura autem, prout existit in rerum natura indiuidua est, prorsus indistincta in re ab ipsis indiuiduis. Dicunt aliqui, licet in natura existente non sit potentia proxima vt sit in multis, quia vt sic est contracta & determinata ad vnū, esse tamen aptitudinē remotam, quia quantum est ex se, si contractio auferatur, potest cōmunicari multis, sicut materia prima existens sub vna forma & sub dispositionibus illi accommodatis, non est proximè apta ad alias formas, retinet tamen suam aptitudinem remotam ad illas. Sed exemplum nō est ad rē, quia materia & aptitudo eius subst̄atialis ad formā, est vna numero & singularis entitas distincta realiter à forma, & dispositionib. quas nūc habet, quæ potest hanc formā amittere, & aliā recipere, & ideò mirū non est, q. materia existēs sub vna forma, retineat aptitudinē radicalē ad recipiendas alias. At verò natura communis vt contracta ad hoc indiuiduū non est aliquid ex natura rei distinctū ab ipso, vel à differentia contrahente; nec fieri potest, vt natura humana, v.g. existēs in Petro eadem secundum rem amittat indiuiduationem quam habet in Petro, & acquirat aliam, & ideò vt in re existit, nec proximam, neq; remotam habitudinem habet ad existendum in multis, nec simul, nec successiuè.

III. Vnde argumentor secundò, quia omnis natura communis vt in re existit in vnoquoque indiuiduo, ita est determinata ad illud, vt nō possit eadem secūdum rem ad illud determinari: ergo in nullo indiuiduo est indeterminata ad plura indiuidua: opponūtur enim contradictoriè seu priuatiuè, esse determinatam ad hoc, & esse indeterminatam ad plura: ergo in nullo indiuiduo habet realem aptitudinem ad essendum in multis, quia hæc aptitudo esse nō potest sine indifferentia; ergo absolutè, prout in rerum natura existit, non habet illam aptitudinem, quia non existit, nisi prædicto modo determinata in indiuiduis. Dices, non repugnare esse de se indifferentem, determinatam autem per differentiam indiuidualem: vtrumque ergo poterit habere natura in indiuiduis existens. Respondetur, quidquid sit de vero sensu illius assumptæ propositionis, *Natura est de se indifferens*, de quo statim dicam, tamen ex illa solùm colligitur naturam non habere determinationem sine differentia indiuiduali: quod licet ita sit, nihilominus, postquàm naturæ adiungitur talis differentia indiuidualis, non potest natura sic contracta manere actu indifferens. Sed ad summum dici potest, quòd, si nō haberet illam contractionē, esset indifferens: quia tamen de facto nunquā est sine tali cōtractione, ideò de facto nunquam existit indifferens, neq; cum aptitudine vt sit indifferens.

IIII. Tertiò id declaratur, quia natura vniuersalis non existit in multis, nisi per identitatem cum singulis eorum: sed talis natura identifica vni indiuiduo nō potest eadem secundum rem, & secundum existentiam realem identificari aliis: ergo talis natura, vt in re ipsa indiuiduis communicatur, & in eis existit, non potest habere aptitudinem realem essendi in multis. Maior certa est ex suprà dictis, in quibus ostendimus vniuersale non distingui à singularibus ex natura rei. Imò ad efficaciam prædictæ rationis sufficit identitas realis, nam ratione ipsius identitatis, non potest genus iam contractum ad vnam speciem, idem secundum rem, & existentiam realem contrahi ad aliam. In genere igitur, specie, & differentia essentiali euidens est maior propositio sumpta: quia, cùm hæc sint essentialia suis inferioribus, & essentialiter prædicentur de illis, non per modum partis, sed per modum totius, quia pars non prædicatur de toto, necesse est, vt quatenus de illis prædicantur, sint in illis per identitatem, quia nihil magis identificatur cum vnaquaque re, quàm essentia eius. De Proprio verò & Accidente hæsitare quis potest, quia hæc non videntur esse in suis inferioribus per identitatem, sed per informationem. Sed nos de prioribus vniuersalibus præcipuè loquimur: nam propriissima vnitas naturæ vniuersalis est respectu inferiorum, quæ sub illa essentialiter continentur. Tamen etiam in Proprio & Accidente, vt vniuersalia sunt, verum habet propositio assumpta. Nam Proprium & Accidens non habent rationem vniuersalis, vt sunt formæ quædam physicæ informantes subiecta sua, tum quia sub hac ratione considerantur in abstracto, quomodo nō prædicantur de suis subiectis. Tum etiam, quia etiā hoc modo nullū datur in re ipsa proprium vel accidens, quòd de se vniuersale sit ad plura subiecta informanda. Et, quāuis secundū communem rationem alicuius proprij vel accidentis, v.g. albedinis, vel risibilitatis, possit aliquo modo dici forma vniuersalis respectu talium subiectorum, tamen hoc ipsum non conuenit huic formæ, nisi quatenus communis ratio eius per identitatem existit in singulis formis indiuiduis informantibus talia subiecta. Et hoc modo talis aptitudo essendi in multis reducitur ad modum essendi in inferioribus per identitatem. Propriè verò hæc dicuntur vniuersalia, quatenus in concreto sumpta apta sunt prædicari de subiectis suis; & sic etiam sunt in illis per identitatem, non ratione formæ accidentalis, sed ratione suppositi. In tantùm enim vnum de multis & de singulis verè prædicatur, in quantū est idem cum illis: nam propositio affirmans, hoc esse illud, vt vera sit, requirit identitatem aliquam inter prædicatum & subiectum, quia necesse est, vt pro eodem supponant, & quòd vel explicitè, vel implicitè idem significent. Sic igitur verum est, omne vniuersale esse in suis inferioribus per identitatem; quæ erat maior propositio assumpta. Minor verò satis probata est in præcedente ratione, & ferè ex terminis patet, quia natura specifica v.g. prout in re existit, ita identificatur cum vnoquoque indiuiduo, in quo est, vt quatenus in illo est, non possit amittere identitatem cum illo, & consequenter neq; possit vt sic habere identitatem realem cum aliis, repugnat ergo tali naturæ, vt in re habeat aptitudinem ad essendum in multis per identitatem: ergo cùm actus essendi in multis naturæ vniuersalis sit per identitatem, aptitudo realis ad talem actum repugnat reperiri in natura à parte rei existente.

V. Tertia ratio adiungi potest, quia si hæc aptitudo est in natura existente: ergo ipsa etiam aptitudo in re existit: ergo ipsa etiam aptitudo est singularis & indiuidua, nam quicquid in re existit, singulare ac in-

A nec indiuiduum est: ergo talis aptitudo erit in aliqua natura indiuidua, non enim potest esse per se separata, sed in natura, cùm sit proprietas & aptitudo eius: cùm autem sit realiter existens & indiuidua, necesse est vt sit in natura realiter existente & indiuidua, & consequenter, cùm non sit maior ratio de vna natura indiuidua, quam de aliis, erit talis aptitudo in omnibus ac singulis indiuiduis naturis. Hinc autem multa absurda sequuntur. Primum, tot esse naturas humanas vniuersales, quot sunt naturæ in singulis indiuiduis contractæ, quia vnaquæque earum est in se vna habens suam propriam & realem aptitudinem essendi in multis, distinctam ab aptitudine alterius. Neque enim fingi potest, quòd eadem numero aptitudo ad essendū in multis sit in omnibus naturis indiuiduis. Alioqui dicendum etiam esset, eandem numero naturam esse contractā ad singula indiuidua, quo nihil potest esse absurdius. Sequela patet, quia aptitudo non est nisi in natura: imò nec fingi potest res distincta à natura: ergo, si aptitudo est vna numero in omnibus, natura etiam erit vna numero in omnibus. Item, vel illa aptitudo dicitur vna numero quasi collectiuè, ita vt non sit tota B in singulis naturis, sed in vnaquaque sit aliquid illius aptitudinis, & ex omnibus resultet vna aptitudo ad plura indiuidua; & hoc extra propositū est. Quia iuxta illam explicationem in vnaquaque natura indiuidua tātùm est aptitudo essendi in se ipsa, & nulla habet aptitudinem essendi in multis. Quòd si sit sermo de collectione, sicut tota collectio aptitudinum consideratur per modum vnius, ita etiam considerari potest tota collectio naturarum; illa verò, vt sic, id est, vt vna collectiuè, non est in multis, quia tota collectio non est in singulis naturis indiuiduis, sed in aggregato omniū: hæc ergo vnitas collectionis impertinens est ad rationem vniuersalis, quod ita debet esse in multis, vt totum sit in singulis eorum: vel illa aptitudo est in se vna simpliciter, & est tota in singulis, & in omnibus indiuiduis, & sic erit idem dicendum de ipsa natura propter eandem rationem; & quia non est maius inconueniens, hoc admittere in natura ipsa, quam in illa aptitudine. Quòd autem vtrumque absurdissimum sit, patet, tum quia hoc multò maius est, quam ponere vnū accidens numero simul in diuersis subiectis, tum etiam quia termi- C nis inuoluitur repugnantia, cùm dicitur, eandē numero naturam contrahi ad plura indiuidua, quia si est eadē numero, ergo vna numero & indiuidua: ergo incommunicabilis multis indiuiduis. Rursus sequitur, in vnoquoq; indiuiduo esse aliquā intrinsecā realem aptitudinem ad differentiam indiuidualem alterius indiuidui: hoc autem impossibile est, quia ad id quod omnino repugnat, nō pōt esse realis aptitudo, sed omnino repugnat vt aliquid quod in me essentialiter & realiter est, contrahatur, & indiuiduetur per differentiā indiuidualē alterius hominis: ergo nō potest ad hoc esse in me realis aptitudo.

VI. Aptitudo ad existendū in multis, non conuenit naturæ cōmuni secundum se ante intellectum.

Dico secundò. Aptitudo ad existendum in multis non est aliqua proprietas realis conueniens naturæ communi secundum se ante operationem intellectus. Hęc assertio probari potest eisdem ferè rationibus quibus paulò anteà ostendimus, naturam secundum se non habere vnitatem præcisionis nisi per intellectum: hæc enim duo sese consequuntur. Nā si natura vt actu existens non est realiter apta esse in multis, ideò est, quia non existit nisi contracta & determinata ad hoc vel illud indiuiduum: ergo talis aptitudo ad essendum in plurib', nō potest cōuenire, nisi naturæ vt præcisę ab omni contractione: ergo, si natura non habet hanc præcisionem ex se, sed per intellectum, neq; etiam poterit secundum se habere hanc aptitudinem ante omnem intellectum. Secūdò quia si hęc aptitudo conuenit naturę secundum se ante omnem intellectum, aut cōuenit naturę existēti, aut non existenti: non quidem naturę existēti vt ostensum est, quia non existit nisi effecta indiuidua per identitatem: neq; etiam conuenire potest naturæ non existenti, quia, vt natura non existens possit concipi vt habens hanc aptitudinem, debet saltem concipi vt possibilis, quia posse esse in multis, intrinsecè includit & supponit posse esse; ostensum est autem, naturam vt possibilem tam esse indiuiduam, quàm naturam vt existentem: non ergo magis potest esse in natura vt possibili, quàm vt existente.

VII. Tertiò. nam inquiro, quid sit hæc aptitudo. Respondent esse modum quendam positiuum conuenientem naturę secundum se, in quo fundatur non repugnantia naturæ vt sit in multis: eum tamen modum non esse actualem, sed potentialem, id est, esse talem, vt non possit conuenire naturę actu existenti, sed tantùm in potentia, seu obiectiuè existenti. Quo B etiam fit, vt talis modus non sit omnino inseparabilis à natura: sed potiùs separabilis, quia natura actu existēs non habet talem aptitudinem, neque talem essendi modum. Sicut (inquiunt) modus essendi, quem habet res in suis causis, modus realis est, conueniens rebus, quamdiu non existunt, qui desinit illis conuenire, quàm primùm producuntur, quia iam non in causis, sed extra causas esse dicuntur. Sed hæc mihi non probantur: non enim satis concipio modum realem, & positiuum, & quòd impossibile sit illum existere in rerum natura. Nam eo modo, quo aliquid positiuum reale dicitur, claudit- C ur sub latitudine entis realis: ens autem reale non est, nisi in ordine ad actum essendi: ergo, cui omnino repugnat actus essendi, non potest sub latitudine entis realis comprehendi; ergo nec potest esse res, nec modus realis positiuus. Quod si non est modus realis, erit modus rationis, & consequenter non conueniet naturæ ante intellectum. Præterea hīc etiam vrget argumentum suprà factum, quod prædicata contingentia non conueniunt naturę secundum se, sed ratione alicuius additi, statúsve, quem in re habet, aut intellectu: si ergo hæc aptitudo illi ex se conuenit, & non ratione alicuius status, conueniet etiam illi per se, & non contingenter: ergo conueniet illi inseparabiliter, quod ipsi meritò negāt, quia in indiuiduis ei non cōuenit.

VIII. Deinde de illa aptitudine quæ concipienda dicitur vt modus quidam potentialis realis, inquiram etiam, an sit concipienda vt vna numero, vel vt vna tantùm specie, & multiplicabilis numero. Hoc posterius dici non potest, quia oporteret concipere illam, vt multiplicabilem in indiuiduis, quod repugnat. Primum etiam vix potest mente concipi, quomodo enim vna numero aptitudo realis potest concipi in ordine ad plures differentias indiuiduales distinctas, cùm reuera nulla sit quæ eadem numero possit simul, vel successiuè in illis omnibus contrahi? Quod si dicatur illa non esse vna numero simpliciter, sed secundum quid, scilicet vnitate numerica communi, iam ostensum est, talem vnitatem nullam intelligi posse, nisi per rationē. Denique vel illa aptitudo intrinsecè consequitur vnitatem formalem naturæ specificæ, vel ab extrinseco ei aduenit. Si primum dicatur, sequitur, non magis

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse posse vnam numero, quàm sit ipsa vnitas formalis, quam ostendimus non esse vnam numero cùm sit multiplicabilis numero. Sequitur etiam aptitudinẽ illam reperiri, vbicunq; vnitas formalis reperitur, quod est falsum: alioqui reperiretur in indiuiduis. Si verò dicatur secundum, assignandum erit, vnde, vel ex quo principio, seu causa accidat hæc aptitudo naturæ habenti talem rationem formalem; declarandum subinde erit, in quo statu, vel sub qua conditione, quæ se teneat ex parte ipsius naturæ, & non ex parte intellectus fingenda aut concipienda sit illa natura; quæ est veluti adæquatum subiectum illius aptitudinis, & planè intelligetur neutrum horum posse declarari, nisi in ordine ad abstractionem & separationem, quæ mente fit: quia hac secluſa nulla est natura communis ex natura rei distincta ab indiuiduis, siue in statu actualis existentiæ, siue in statu potentiali, aut in esse essentiæ seu possibili, vt sæpè declaratum est.

IX. Exemplum autem illud de modo potentiali, quẽ dicitur res habere in causa antequam existat, nihil iuuat prædictam sententiam. Primò, quia modus ille quatenus realis dicitur, vel existimatur, est aliquando in rerum natura, scilicet quamdiu res in causa esse dicitur. Deinde, quia etiam ille modus, vel non desinit esse, quando res producitur extra causas suas, vel qua ex parte desinit esse non est modus positiuus, sed potius priuatiuus, quando enim dicitur res habere esse tantũ in causis, prius quàm existat, duo dicũtur; primum est, quòd in causa est virtus ad dandũ esse tali rei, quę virtus quasi per denominationem extrinsecam denominat effectum esse, non simpliciter, sed in causa, & quãtum ad hoc non amittitur tale esse in causa, etiamsi res in se & extra causam producat, quia virtus causæ integra manet. Aliud, quod indicatur, cùm dicitur res habere esse in causa, est in se nondum existere, & hoc est, quod amittitur, quando in se producitur, hoc autem non est positiuum, sed priuatiuum, vt constat. Dices, vltra hæc esse ex parte effectus modum quendã potentialem, quo possibilis dicitur, qui modus amittitur, ex quo incipit existere. Respondetur, hunc non esse modum positiuũ ex parte effectus distinctum à prędictis, quia, vt dicetur inferiùs tractando de essentia & existentia, aptitudo obiectiua rerum possibilium ad existendum, non est ex parte illarum, nisi non repugnantia quædam, & ex parte causæ denotat potentiam ad illas producendas. Quamquam, quod ad præsens attinet, licet daremus illã aptitudinem esse modũ positiuum, dicendum consequenter esset, cùm res producitur, nõ amittere illam aptitudinẽ quoad positiuum, sed solùm quoad carentiam sui actus: nam res, quãdo existit, non est minùs apta ad existendum, quam anteà: sed solùm habet actum existendi, quem anteà non habeat: neque est verisimile, quòd amittat modum positiuũ realem, per hoc præcisè quòd actu incipit existere.

Modus essẽdi in causa an sit in effectu aliquid reale.

X. Dico tertiò. Aptitudo naturæ communis vt sit in multis solùm est indifferentia quædam seu non repugnantia, quæ fundamentum habet in ipsa natura secundum se, actu verò non conuenit illi nisi prout subest abstractioni intellectus. Hæc assertio, communis est: in eaq; videntur conuenire authores citati, maximè Caietanus, & alij Thomistæ. Prius verò declaranda est, deinde probanda. Duobus enim modis intelligi potest, hanc indifferentiã conuenire naturę secundum se. Primò, quod ipsa non repugnãtia per se cõueniat naturę ex vi suę vnitatis formalis. A Et hic sensus est falsus: aliàs non repugnantia seu indifferentia (quod idem est) esset inseparabilis à natura, & consequenter natura, vt in re existens haberet illã nõ repugnantiam, quod est apertè falsum; nã vt est in re est ita intrinsecè, & per identitatem indiuidua effecta, vt illi repugnet esse in multis. Alio modo põt intelligi merè negatiuè, scilicet quod natura ex vi vnitatis suæ formalis præcisè sumptæ non habet repugnantiã, vt sit in multis. Et hic sensus est verus. Ex quo facilè patet conclusio, quoad vtramq; partẽ: nam inprimis fundatur talis nõ repugnantia sic explicata in ipsamet vnitate formali, quæ ex se indiuidua nõ est, & hoc modo dici potest natura, etiam in re existens habere hanc non repugnantiam; quia etiã in re ipsa non est incommunicabilis ex vi vnitatis formalis suæ, sed ex vi vnitatis indiuidualis; quamquam enim tota natura, & vnitatis formalis quę est in indiuiduo, incõmunicabilis sit, eiq; repugnet esse in multis, nihilominùs id non habet ex vi vnitatis formalis naturæ, sed ex indiuiduatione.

B Et hinc cõfirmatur altera pars, scil. hanc aptitudinẽ ad essendũ in multis ẽt per non repugnantiã explicatã, nõ cõuenire naturæ communi prout existẽti à parte rei, quatenus ad rationẽ vniuersalis necessaria est. Quia, vt natura sit vniuersalis, nõ satis est, vt ex se nõ habeat determinationẽ ad vnũ, si aliunde, saltẽ ex adiuncta differẽtia indiuiduali, illam habet: sed requiritur vt absolutè & simpliciter sit indifferẽs: sed prout existit à parte rei non est ita indifferẽs, sed potiùs est simpliciter determinata ad vnum vbicunq; existit; ergo natura prout in re existit, non habet indifferentiam seu non repugnantiam. Confirmatur, & declaratur, quia repugnantia essendi in multis conuenit naturæ existenti ratione indiuidualis differentiæ: ergo naturam esse aptam ad existendum in multis per non repugnantiam, nihil aliud est, quàm esse aptam ad existendum in multis per abstractionem, seu præcisionem ab omni differentia indiuiduali: hæc autem præcisio & abstractio non conuenit naturæ vt existenti à parte rei, neque etiam conuenit illi in aliquo statu, qui omnem intellectus considerationem antecedat: quia nullus est huiusmodi status, in quo natura secundum se abstrahat ab indiuiduis, vel existentibus, vel possibilibus, vt suprà C declaratum est: ergo. Tandem confirmatur à sufficiente partium enumeratione, quia hęc aptitudo, vel repugnantia non conuenit naturæ existenti secundum se ante omnem actum intellectus, ergo solùm põtilli conuenire vt subest conceptioni intellectus. Præsertim, quia declaratum iam est, hanc non repugnantiam, vel indifferentiam consistere aut oriri ex separatione omnium differẽtiarum inferiorum, seu indiuidualium, hæc autẽ separatio nullo modo antecedit in ipsa natura, neq; in re existente, neq; sumpta in aliquo statu possibilitatis, sed solùm prout est obiectiuè in intellectu: ergo.

XI. Obiectio. Sed instabit aliquis, quia, quòd plura indiuidua possint sub eadem specie multiplicari, non prouenit ab intellectu, sed in ipsa rei natura fundatum est: ergo & aptitudo essendi in multis cõuenit naturę ex se, & non ab intellectu. Patet consequentia, quia hæc duo, vel sunt idem, vel in re ipsa se mutuò consequũtur, scilicet, indiuidua posse sub eadem specie multiplicari, & naturam specificam posse illis communicari. Antecedentis autem patet, tum quia indiuidua esse multiplicabilia sub eadem specie non est aliquid per rationem conficTum, sed in rebus ipsis inuentum, tum etiam à contrario, quia si natura angelica (vt

(vt multi volunt) nõ est multiplicabilis numero, id A prouenit ex aliqua reali, & intrinseca proprietate eius, quod in diuina natura certissimum est: ergo ecõuerso, quòd natura humana sit multiplicabilis numero est realis proprietas eius, & non aliquid ratione excogitatum. Respondetur hoc argumentum confirmare conclusionem, & concludere aptitudinem essendi in multis, fundamentaliter & remotè esse in rebus ipsis, non autem proximè prout dicit indifferentiam, & indeterminationem naturæ communis ad vnum. Hæc autem aptitudo remota & proxima non in eo sensu à nobis vsurpatur, quo aliqui (vt suprà dicebam) asserunt, aptitudinem, vel potentiam sub vno actu esse remotam ad alios, & naturam in re existentem habere hanc aptitudinem, id enim satis est à nobis improbatum. Sed fundamentum remotum huius aptitudinis voco naturalem conditionem seu proprietatem talis naturæ, ratione cuius non repugnat illi multiplicatio indiuiduorum intra eandem speciem: hæc autem proprietas non est aliqua aptitudo naturæ communis vt sic, quæ intelligatur quasi potentia quædam actuabilis per plures differentias, sed est solùm talis perfectio & limitatio huiusmodi naturæ. Vnde hæc proprietas, quæ fundat hanc indifferentiam seu non repugnantiam, non solùm in natura communi & præcisa intelligi potest, sed etiam in ipsis particularibus seu indiuiduis, vt talia sunt. Vt, verbi gratia, in specie humana vnumquodque indiuiduum talis conditionis est, vt illi non repugnet habere aliud simile in specie, & vtrique seu omnibus indiuiduis illius speciei commune est vt eis non repugnet habere alia similia tantùm secundum aliquod genus, & non in specie, quod eis prouenit, vel ex eo quòd materialia sunt, vel ex eo, quòd sunt substantię finitę, quibus nõ repugnat vt inter se habeant similitudinem, vel conuenientiam vniuocam. Sic ergo rectè intelligitur, & hanc aptitudinem essẽdi in multis habere fundamentum in rebus ipsis, & talẽ fundamentum non esse positiuam aliquam aptitudinem in re ipsa communem & indifferentem, sed limitationem, seu conditionem talium rerum, quæ nihil in sua entitate includunt ratione cuius eis repugnet habere alias res sibi similes in perfectione, vel æquales. Ac deniq; intelligitur hoc fundamentũ C indifferentiæ, seu non repugnantiæ non esse fingendum solùm in natura communi secundum se, sed in ipsismet indiuiduis, & singularibus rebus, quia, licet in vnoquoq; indiuiduo natura sit determinata ad illud tantum, nihilominùs ita est in illo, vt ex vi eius non repugnet esse in alio simili, seu potiùs similem naturam esse in alio indiuiduo: & hoc solùm est fundamentum sufficiens eius indifferentiæ, & aptitudinis essendi in multis, quæ est in communi natura vt abstracta per intellectũ, & nõ est indeterminatio aliqua, quã natura ipsa ex se, vel in indiuiduis habeat.

Respondeo.

Indiuidua plura quare esse possint sub vna specie non sub alia.

XIII. Responsio. Ad obiectionẽ ergo in forma cõcedo antecedẽs, scilicet res aliquas indiuiduas posse similes in specie multiplicari, esse fũdatũ in rebꝰ ipsis, & nõ in operatione intellectus: distinguo aũt cõsequẽs, scil. aptitudinẽ essẽdi in multis cõuenire naturę ex se. Põt. n. intelligi de aptitudine proxima, id est, quę à nobis cõcipit per modũ cuiusdã capacitatis præcisè ab omnibꝰ differẽtiis cõtrahẽtibꝰ, & actuabilis per illas; & hoc sensu negat cõsequẽtia; quia vt indiuidua possint in re multiplicari in eadẽ specie, non est necessaria talis capacitas, quę in re ipsa præcedat in natura, sed sufficit, vt in indiuiduis nulla sit ꝓprietas ratione cuius eis repugnet habere alia similia. Si aũt consequens illud intelligatur de fundamento remoto in prędicto sensu, sic conceditur consequentia; non est tamen contra ea quæ diximus, vt constat. Vnde, quod dicitur in probatione consequentiæ, nempe hæc duo idem esse, indiuidua posse multiplicari in eadem specie, & naturam specificam posse illis communicari, æquiuocum etiam est. Nam in multiplicatione indiuiduorũ eiusdem speciei non est in re alia cõmunicatio naturæ, q. assimilatio, & conuenientia quædam inter ipsa indiuidua, vnde neque est in natura communi secundum se alia aptitudo vt communicetur multis, quàm sit in ipsis indiuiduis non repugnantia habendi alia similia. Si ergo per communicationem naturæ specificæ nihil aliud intelligatur, conceditur totũ, & nihil infertur cõtra dicta. Si autem (vt magis verba sonant) naturam posse multiplicari multis, intelligatur per modum superioris aptitudinis cuiusdam naturæ communis: quæ, cùm vna sit, concipiatur tanquam sese diffundens, & cõmunicans multis, hoc est opus rationis, & modus intelligendi noster: nam in re nihil huiusmodi antecedit, neque necessarium est ad multiplicationem B indiuiduorum inter se similium.

SECTIO. V.

An vnitas vniuersalis consurgat ex operatione intellectus. Et quomodo difficultatibus in contrarium positis satisfaciendum sit.

I. EX dictis omnibus facilè colligitur vera resolutio de vnitate vniuersali, & argumentorum responsio, quæ in sectione secunda proposita sunt.

II. Dicendum itaque est vnitatem vniuersalem per intellectus functionẽ insurgere, sumpto ex ipsis rebus singularibus fundamento seu occasione. Atque ita esse quandam vnitatem rationis, conuenientem naturis prout obiiciuntur menti, & per denominationem inde insurgentem. Hanc existimo esse sententiam Aristotel. locis citatis, qui hac ratione dixit 1. de anima text. 8. *Vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse*, id est, post intellectus operationem, vt ibi D. Thomas, Albertus Magnus, & omnes alij intelligunt, & propterea dixit ibi Comment. *intellectum facere in rebus vniuersalitatem*: Et 12. Metaphys. comm. 4. ait, *vniuersalia apud Aristotelem esse collecta ex particularibus in intellectu, qui accipit inter ea conformitudinem, & facit ea vnam intentionem*, & comm. 27. ait, *vniuersalia non habere esse extra animam*, & com. 28. ait, *De particulari non fit demonstratio, quamuis illud tantum sit res in rei veritate*. Eadem est sententia D. Thom. de ente & essen. cap. 4. & aliis locis suprà cit. qui citat Auicen. 5. Metap. cap. 1. Conueniunt etiam in hoc omnes Thomistæ, Capr. Caiet. Soncin. & alij suprà citati. Idem tenet Durand. in 1. dist. 3. quæst. 5. & in 2. distinct. 3. quæst. 7. Ægid. in 1. quæst. 2. Prolog. & d. 19. p. 1. & Scotus posset in eandem sententiam trahi, nam verba eius non repugnant, cùm dicat solùm esse in rebus vniuersale in potentia, non in actu: & ita videntur eum exponere discipuli eius, vt latè refert & tractat Fonseca dicto cap. 28. q. 5. sect. 2. sed non est quod in eo immoremur, nostra enim non multùm refert quid Scotus senserit, præsertim, cùm verba eius valde sint æquiuoca. Et pro hac sententia citatur Damas. lib. 3. de fide cap. 11. vbi ait, *naturam, aut sola cogitatione con-*

Vniuersalitas est per intellectum ex fundamento in re.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contemplari, aut in omnibus eiusdem speciei hypostasibus, quas contingit, aut in vno individuo tantum: Vbi per naturam sola cogitatione contemplatam, intelligit naturam vt vniuersalem: quomodo ait, non existere, sed cogitari tantùm: in individuis autem dixit existere, vel in omnib. secundũ totam latitudinem suam specificam, vt realiter existentem, vel in vno tantũ.

III. Ratione probatur, quia vnitas & aptitudo essendi in multis, quatenus ad rationem vniuersalis necessaria sunt, non conueniunt realiter naturæ ipsi, sed per intellectum: ergo & vniuersalitas eodem modo conuenit. Confirmatur ac declaratur, quia, si natura habet ante intellectũ vniuersalitatem: ergo vel in individuis, vel in se: non in individuis, quia, nec vt in vno tantum, cum in illo sit individua & determinata ad vnum, neque in multis seu omnibus simul: tum quia natura potest esse vniuersalis, etiam si in vno tantùm individuo reperiatur, tum etiam, quia nulla proprietas realis cõuenit naturæ vt existenti in multis individuis, quæ non conuenit ei in singulis, vel in aliquo eorum præter ipsam multitudinem individuationum, seu singularitatum, in qua vniuersalitas non consistit, vt per se constat. Neque etiam potest vniuersalitas conuenire naturæ in se præscindendo ab individuis, nisi per intellectum, quia, si talis natura sumatur vt existens in re ipsa, non præscindit ex natura rei ab individuis, cum ab eis ex natura rei non distinguatur, vt ostensum est; si autem natura in se non est existens concipi non potest quis vel qualis sit ille status eius, nisi illum habeat obiectiuè in intellectu, quia realiter illum non habet, nec habere potest, neque etiam secundum esse essentiæ, seu possibile distinguitur ex natura rei ab individuis in eodem statu consideratis, vt sæpè dictum est. Tandem si esse vniuersalem conuenit naturæ realiter, aut conuenit per se, aut ex accidente: neutrum dici potest: ergo non conuenit realiter: ergo per rationem tantùm. Minor quoad primam partem patet, quia, si per se conueniret homini esse vniuersalẽ, conueniret etiam omnibus individuis: nam quidquid per se primò vel secundò conuenit superiori, conuenit etiam inferiori; &, quia nulla proprietas potest adiungi naturæ superiori ratione inferioris, quæ repugnet essentiæ, vel proprietatibus per se cõuenientibus ei, cùm neque hæc possint ab illa separari, neque cum proprietatibus repugnantib. simul manere. Quoad posteriorem autem partem probatur minor, quia, si vniuersalitas realiter conuenit & contingenter seu accidentaliter, erit accidens aliquod naturæ: ergo, si est accidens reale conueniet illi ratione alicuius singularis, vt suprà de vnitate, & de aptitudine essendi in multis argumentabamur. Item conueniet illi hoc accidens per aliquam actionẽ extrinseci agentis, vel per carentiam actionis, si fingatur esse accidens priuatiuum: omnis autem huiusmodi actio respicit per se individua. Denique, nec singi nec explicari potest quale sit hoc accidens reale, est ergo rationis & per rationem.

IIII. Soluuntur oppositæ rationes. Ad fundamenta contraria, posita in secundâ sectione, iam declaratum est, quomodo natura in re sit communicabilis multis, non per aliquam aptitudinem, seu indifferentiam, quæ ipsi naturæ secundũ se conueniat, sed solùm per non repugnantiam ipsarum rerum singularium, vt habere possint alia sibi similia, quæ non repugnantia non satis est ad rationem vniuersalis, vt declaratum est. Vnde ad primũ negatur illa consequentia, *natura humana non est de se incommunicabilis: ergo de se est communicabilis*, nam in rigore est à negatiua ad affirmatiuam ex parte illius modi seu termini, *de se*: & fieri potest, vt neutrum illorum de se ei conueniat, quamuis in re semper alterum eorum insit. Quòd si non in eo rigore sumatur particula illa *de se*, vt scilic. idem sit, quod per se & ab intrinseco, sed solùm, vt idem significet, *natura de se*, quod natura ex ratione formali sua, & præcisa ab omni differentia inferiori, sic concedi potest consequentia, potiùs ratione materiæ, quàm ratione formæ. Potest enim dici natura communicabilis de se in sensu superiùs explicato, quia non repugnat illi habere plura individua inter se similia in essentia & natura, neq; vni individuo repugnat habere aliud sibi simile, quæ tamen non repugnantia non sufficit ad rationem vniuersalis, vt dictũ est. Atq; eadem responsio accommodanda est ad secundum argumentum: in ipsa. n. natura reali nulla est aptitudo positiua, & reales ad plures differẽtias individuales, sed solùm est nõ repugnantia in ipsis etiam individuis, vt habere possint alia sibi similia. Et inde prouenit, & q̃ natura dicatur cõmunicabilis seu apta vt sit in multis, & quod talis natura non possit adæquatè cõtrahi per vnam differentiam individualem, vt satis expositum est. Ad tertiũ respondetur, omnia illa attributa dicere aliquo modo ordinẽ ad intellectũ: fundantur autẽ in rebus ipsis, non quatenus in ipsis natura habet aliquam vniuersalitatẽ, sed quatenus in ipsis individuis est conuenientia & similitudo in essentia, & proprietatib. eius, & in intrinseca connexione, quâ inter se habent essentia & propietates, ratione cuius abstrahuntur conceptus communes obiectiui, ex quibus fiunt vniuersales prædicationes, necessariæ ac perpetuę veritatis, prout à tempore abstrahuntur. Et hoc modo dicitur esse scientia de vniuersalibus, & non de singularib. non quia sit de nominibus, & nõ de singularib. sed quia est de conceptibus obiectiuis communib. qui, licet in re ipsa non distinguantur à singularib. distinguuntur tamen ratione, & hoc satis est ad omnes locutiones prædictas. Quòd nõ satis aduerterunt Nominales, & ideò aliter loquuti sunt, quamuis in re non multùm à nobis differant, vt diximus. Per quod responsum est ad vltimam confirmationem. Ad alia fundamenta nihil respondendũ superest, nam ex dictis satisfactum est omnibus.

SECTIO VI.

Per quã operationẽ intellectus fiant res vniuersales.

1 HÆC quæstio sub aliis verbis tractari solet in principio dialecticæ, scilicet an vniuersale fiat per abstractionẽ, vel per comparationẽ intellectus. Tractari etiam solet, ac magis propriè in 3. de Anima explicando obiectum intellectus, quod vniuersale esse dicitur. Quoniam verò dictũ à nobis est vnitatem vniuersalem per opus intellectus resultare, prætermittere non possumus, quin declaremus, q̃, & quale sit hoc opus intellectus. Oportet autẽ breuiter distinguere duplicẽ intellectũ, agentẽ, & possibilem: illius munus est efficere species intelligibiles: huius operari, & intelligere per illas: habet autẽ duplicem operationem (prætermissis aliis, quę ad præsens institutũ non spectant) vna vocatur directa, qua directè tendit in rẽ, quam species intelligibilis repræsentat, & ad quã ducit intellectũ per se ac simpliciter. Alia vocatur reflexa, qua intellectus reuoluit supra priorẽ cognitionẽ, vel supra obiectũ eius, secundũ eas cõditiones, vel denominationes, quas ex cognitione accipit.

Tres

Tres proponuntur opiniones.

1. Opinio. II. TRes igitur in hac re possunt esse opiniones: prima est, vniuersale fieri per operationem intellectus agentis, quæ antecedit omnem operationem intellectus possibilis, & cõsistit in productione speciei intelligibilis repræsentantis naturam præcisam, & abstractam ab omnibus individuis, quæ proinde dici solet abstractio naturæ communis facta virtute intellectus agentis. Ita significat D. Thom. 1. p. q. 85. artic. 1. in corpore & ad 4. & artic. 3. ad 4. 7. Metaphys. lect. 13. de ente & essent. cap. 4. & Com. 2. de anima com. 10. dicens, *intellectum moueri ad vltimam perfectionem à rebus vniuersalibus*, scilicet, repræsentatis in speciebus intelligibilibus. Et ideò 3. de anima text. 8. dicit, si vniuersalia essent extra animam, frustrà fore intellectum agentem. Eland. 3. Metaphys. quæst. 3. artic. 2. 7. Metaphys. q. 16. artic. 1. Fonseca 5. Metaphys. cap. 28. quæst. 5. & 6. Soto in Log. q. 3. vniuersalium. Quæ sententia supponit inprimis, intellectum possibilem directè, & ex vi speciei quã recipit ab intellectu agente, nõ cognoscere singularia materialia, sed tantùm naturas communes. Ex B quo infert, speciem productam ab intellectu agente tantum repræsentare directè naturam communem præcisam ab omnibus individuis, & consequenter esse vniuersalem in repræsentando. Ex quo tandem fit, naturam sic repræsentatam, obiectiuè, & denominatione extrinseca fieri vniuersalem per huiusmodi abstractionem: nam, si contractione fit singularis & individua, abstractione fiet vniuersalis & communis. Et confirmatur, quia vniuersale est obiectum intellectus agentis, & possibilis, illius vt potentiæ actiuæ, huius vt passiuæ seu receptiuæ: ergo fit per actionem intellectus agentis, antecedit verò operationem intellectus possibilis: nam de ratione potentiæ actiuæ est, vt faciat obiectum suum: potentia verò passiua supponit illud: ab eo enim pati solet.

2. Opinio. III. Secunda opinio est, vniuersale non fieri ab intellectu agente, sed à possibili per operationem directã, quia cognoscit naturam communem secundũ suam præcisam rationẽ formalẽ, & essentiam, nihil de inferiorib. rationibus, vel de individuis considerando, neq; etiã formaliter, & quasi in actu signato consi- C derando communitatem ipsius naturæ, sed solùm essentiam, quæ communis est. Hanc sententiam quoad priorẽ partem negantẽ, in qua differt à præcedente, necessariò docere debent, qui tenent intellectũ possibilem cognoscere directè singularia etiam materialia. Nam iuxta illam opinionem consequenter dicendũ est, intellectum agentẽ per se loquendo efficere speciem singularem, no solùm in essendo, sed etiam in repræsentando rem individuam & singularẽ: quia non posset eam intellectus primò & directè cognoscere, nisi reciperet speciem propriè & in particulari repræsentantem illam. Quo fit, vt iuxta hanc sententiam intellectus agens non abstrahat vniuersale à singularib. solùmq; dicatur abstrahere speciẽ intelligibilẽ à phantasmate, quia separat illam à cõditionib. materiæ, quantũ ad esse reale illius, nõ verò quantũ ad obiectũ quod repræsentat: producit enim speciẽ spiritualẽ, & immaterialẽ in entitate sua, repræsentantem eandem numero rem individuam, quam repræsentat phantasma: non enim repugnat, materiale individuum per immaterialem formam, seu qualitatem intentionaliter repræsentari. Et in vniuersalitate generis potest hoc cõfirmari in omni A sententia, quia, licet demus intellectum agentem abstrahere illo modo naturam specificam ab individuis, non tamen necesse est, quòd abstrahat naturam genericam ab speciebus: quia certum est, intellectum possibilem posse directè & immediatè ferri ad cognoscendam specificam naturam, & intellectũ agentem posse efficere speciem intelligibilem, quæ in repræsentatione sua non abstrahat à differentia specifica, quidquid sit de individuali: ergo tunc non fiet vniuersale, quod est genus, per abstractionem intellectus agentis.

IIII. Altera verò pars affirmatiua opinionis, scilicet hoc vniuersale sufficienter fieri per abstractionem intellectus possibilis, sumi potest ex D. Thom. 1. p. q. 16. artic. 3. ad 2. & opusc. 42. cap. 5. in fine, vbi affert illud Comm. 1. de anima text. 8. *Intellectus facit vniuersalitatem in rebus*: quòd licet possit existimari dictum de intellectu agente, tamen à fortiori verum erit de intellectu possibili, de quo Auerroes loquitur, nam tractat de intellectu definiente, & demõstrante. Denique authores citati in præceden. opinione, quamuis doceant, primam vniuersalitatem B fieri ab intellectu agente, non tamen possunt consequenter negare, quin hæc operatio intellectus possibilis sufficiat ad similem, vel perfectiorem vniuersalitatem. Et ita D. Thom. aliis locis citatis indifferenter loquitur de intellectu abstrahente, siue agente siue possibili. Expressiùs verò de solo intellectu possibili hoc docet Durand. in 1. d. 3. q. 5. n. 27. & in 2. d. 3. q. 7. n. 12. Et à fortiori potest rationib. primæ sententiæ probari, quia conceptus, seu species expressa intellectus possibilis formalius repræsentat, quam species impressa: ergo, si intellectus præcisè & abstractè contemplatur hominem, homo vt in eo conceptu repræsentatus, erit vniuersalis obiectiuè, multò melius, quàm si repræsentaretur in specie impressa, quia habet esse obiectiuum magis actuale, & magis proprium, & secundum illud esse est vniuersale. Et confirmatur primò, nam homo fit singularis per differentias individuantes: ergo hoc ipso, quod ab illis omnibus præscindit per actualem conceptũ abstractum, fit vniuersalis. Confirmatur secundò, quia, si homo ita in re existeret, sicut illi conceptui obiicitur, esset vniuersale in essendo, quale Platoni tribuitur: ergo etiã nunc est vniuersale per denominationẽ ab intellectu. Confirmatur tertiò, nam si intellectus reflectatur supra hominem sic conceptum cõsiderans conditionẽ seu quasi statũ eius, cognoscit illũ non esse aliquod singulare, sed esse quid cõmune omnib. singularib. in qua conceptione non fallitur intellectus, vt cõstat, neq; etiã tribuit homini sic cõcepto aliquid nouũ, sed concipit, q̃ in illo præerat: ergo ante hanc reflexionem iam homo erat vniuersalis per priorem conceptionem directam. Et ad hoc etiam deseruire potest ratio adducta pro superiori sententia, quod operatio intellectus supponit obiectum: est enim hoc verũ de obiecto, quod per operationẽ cognoscitur, non verò de conditione, quę in obiecto resultat, quatenus cognitum est, quando illa conditio per talem actum nõ cognoscitur, quia, cùm talis conditio resultet ex actu, comparatur ad potentiam potiùs vt actiuam, quàm vt passiuam, ita verò est in præsente; nam vniuersalitas, quæ quodammodo inesse dicitur, vel conuenire naturæ abstractè cognitæ, est quædam conditio, vel denominatio resultans ex tali actu, & modo cognoscenni, quæ tamẽ nõ cognoscitur per illũ actũ, sed solùm ipsa natura quę vniuersalis denominatur, & ideò nõ

est

Universidad de Deusto
Biblioteca

est necesse vniuersalitatē illius obiecti supponi ante illam actionem. At verò, quando posteà intellectus reflectitur, & contemplatur illam met conditionem seu statum naturæ abstractæ, iam illa est obiectum cognitum per talem actum: supponitur ergo illi actui, & tamen illa conditio nihil aliud est, quam vniuersalitas naturę: ergo vniuersalitas supponitur ante hanc notitiam reflexiuam, seu (quod idem est) cōparatiuam fit autem per abstractiuam, seu (quod idem est) per cognitionē directam ac præcisam naturæ vniuersalis.

V. Tertia sententia est, vniuersale fieri per notitiam comparatiuam qua intellectus possibilis, postquàm naturam præcise & abstractè apprehēdit, confert illam sic conceptam cum rebus in quib. existit, & intelligit illam vt vnum quid aptum vt sit in multis inferioribus, & de illis prædicetur. Itaq; iuxta sententiam hanc natura in singularibus existens vniuersalitatem habet solùm in potentia remota, quia non est communis, vel positiuè tanquam aliquid verè vnum existens in multis, vel etiam negatiuè, tanquā aliquid nulli rei singulari proprium. Sed est tantum in illa quædam similitudo & conuenientia plurium B rerum inter se, quæ præbet occasionem, & fundamētum remotum vniuersalitati. Natura verò abstractè cognita dici potest vniuersalis in potentia proxima, quia iam est communis negatiuè, quia cōcipitur secundùm se & non vt propria alicuius in diuiduí, nōdum tamen censetur esse actu vniuersalis, quia nondum concipitur vt habens aptitudinem & relationē ad multa in quibus sit, quam relationem accipit per notitiam cōparatiuam, & ideò per illam dicitur vltimò cōstitui vniuersale in actu. Quod vlteriùs probatur, quia vniuersalitas non est res aliqua habens veram existentiam, sed est tantum ens, seu relatio rationis: ergo tātum habet esse obiectiuè in intellectu: ergo tantum est, quando actu fit ab intellectu, nam tunc solū est obiectiuè in intellectu: ergo tātum est per notitiam comparatiuam: quia per eam solam fit, seu excogitatur ab intellectu. Cōfirmatur, nam vniuersale vt vniuersale, relatiuū est, vt patet, tum ex eius definitione, per suum enim correlatiuū definitur, scilicet *est vnum in multis, & de multis*, tum ex suis speciebus, vt sunt genus, species, differentia, &c. hęc n. relatiuè dicuntur, vt cōstat ex definitionib. à Porphy C rio datis in prædicabilibus: relatiua autē sunt simul natura & cognitione: ergo vniuersale in actu non est eo modo quo esse potest, scilicet obiectiuè in intellectu, donec eius correlatiuū eodem modo sit: non potest autem esse illo modo, donec vnum ad alterū cōferatur, quòd fit solùm per dictam comparatiuam notitiam: ergo. Et huic opinioni fauet D. Thom. qui vbique docet, relationes rationis tantùm esse in apprehensione rationis conferentis vnum alteri, vt 1. p. quæst. 2. & art. 1. in corp. & ad 4. & quæst. 7. de potent. art. 1. & significat 4. Metaph. lect. 4. & 1. lib. de interpret. lect. 10. Significat etiam Caietanus agens in communi de relatione rationis, dicta q. 28. 1. p. & in particulari de relatione vniuersalitatis, de ente & essent. c. 4. q. 7. & paulo ante illam. Citantur etiam Scotus 7. Metaph. q. 11. Anton. And. q. 17. & Anton. Tromb. q. 2. Metap. art. 1. nam eo modo, quo ponūt vniuersale in actu per intellectum, videntur illud ponere in notitia comparatiua, potiùs quam in præcisiua. Est autē differentia inter hos authores, quòd aliqui eorum per notitiam comparatiuam intelligunt notitiam directam, qua vniuersale confertur cum inferioribus vt existens in illis, vel prædicabile de illis. Ita videtur sentire D. Tho. & clariùs Scot. sup. & 4. d. 2. q. 2. Sonc. 6. Metaph. q. 18. Alij verò intelligunt notitiam reflexam, qua post prædictam comparationem, intellectus concipit ipsammet cōparationem, vt relationem quādam & naturam cōparatam, vt genus vel speciem, &c. respectu inferiorum.

Fertur iudicium de prima opinione. VI.

INter has sententias prima est quidem probabilis ex suppositione illius sententiæ, quòd intellectus agens non producit species repræsentantes indiuidua, & adhuc, ea suppositā, non procedit generaliter de omni vniuersali, sed ad summum de specifico, & de solo illo, formaliter loquendo, vt ratio quædam suprà facta probat. Et amplius declarari potest, quia inprimis certum est, intellectum agentem nunquā imprimere speciem repræsentantem solam differentiam, vt differentia est, sed totam specificam naturam. Quia, sicut phantasma non repræsentat in indiuiduo aliquid per modum formæ, sed per modum totius indiuidui: ita intellectus agens producit speciem repręsentantem totam naturam specificam indiuidui per modum totius, nec potest præscindere, seu immutare actionem istam, vt nunc producat vnam speciem repræsentantem differentiam per modum formæ, deinde producat aliam repræsentantē totam naturam specificam per modum totius: quia, neque est liber in agendo, sed naturaliter imprimit speciem, quantum potest, suppositō tali phantasmate, neque est cognoscitiuus, vt nunc possit vno modo naturam concipere, postea alio. Vnde in Proprio etiam & Accidente, quamuis demus efficere species repræsentantes illa in communi abstrahendo ab indiuiduis, tamen vnumquodque eorum ex vi talis speciei intelligibilis solū repræsentaē, vt quid cōmune multis indiuiduis in ea ratione similib. Et idem suo modo est in gradu generico, si fortè aliquando ob imbecillitatem phantasmatis producatur species intelligibilis repræsentans præcisè illum gradum: nam sicut phantasma tunc repræsentat solum hoc animal v. g. ita species intelligibilis ab illō sumpta repræsentabit gradum animalis solum vt abstractum, & præcisum à similibus indiuiduis. Et hac ratione dicimus, etiam suppositā illa sententia per hanc abstractionem intellectus agentis per se nō abstrahi nisi naturam specificam. Obiicies, hunc discursum fieri posse de abstractione facta per conceptionem intellectus possibilis, præsertim quoad vniuersale proprij, & accidentis. Respondeo non esse parem rationem, vt patebit ex his, quæ sectione sequenti dicemus.

Addo ergo vlteriùs, si propriè ac verè intelligatur ratio & natura speciei intelligibilis, satis impropriè dici per hanc abstractionem fieri naturam vniuersalem, quia iuxta veram sententiam, species impressa, neque est formalis imago, neq; vllo modo formaliter repræsentat, sed effectiuè, quatenus est veluti semen seu instrumentum obiecti ad efficiendā formalem repræsentationem intentionalem, quæ fit per conceptum mentis. Vnde natura non dicitur esse propriè obiectiuè repręsentata in specie impressa, nisi valde remotè & mediatè, quatenus illa species est effectiua actus, cui natura illa obiicitur. Ac denique etsi demus vniuersale aliquo modo fieri per abstractionem intellectus agentis, id solum erit in habitu, seu in actu primo: ex quo fit, multò magis ac perfectiùs fieri per actum secundū proportionatum illi

illi actui primo, vt suprà argumentabar. Omitto A primam illam sententiam procedere ex falsa hypothesi, simpliciter enim verius est, speciem impressam ab intellectu agente non abstrahere à representatione eiusdem indiuidui repræsentati in phantasmate, sed solùm à materialitate reali, & entitatiua ipsius phantasmatis, sine qua esse potest representatio eiusdem indiuidui, quantumuis materialis, hanc enim non repugnat esse aut fieri per formā seu qualitatem, aut entitatem spiritualem, vt in angelis, & in Deo ipso patet. Quòd si non repugnat, nulla potest afferri physica ratio, ob quā non possit talis forma vel species ab intellectu agente fieri: sine ratione autem id negandum non est, cùm hoc sit magis cōsentaneum, & varijs experimentis, & naturali ordine cognoscēdi, & fini & actiuitati naturali ipsius intellectus agentis, qui ad hoc datur, vt media actione spirituali intellectum possibilem reddat similem representationi phantasmatis, quantum potest, quod latiùs hìc persequi & probare, alienum esset à præsenti instituto. Iuxta hanc verò sententiam constat, abstractionem vniuersalis, nullo modo fieri ex ne- B cessitate ab intellectu agente, imò & fortasse nullo modo fieri posse: nam, si intellectus agens semel ponitur productiuus specierum rerum singularium, verisimile est nunquam posse producere species repræsentantes naturas abstractas à singularibus, sed de hoc latiùs suo loco.

Aliæ duæ opiniones examinantur, & quæstio resoluitur. VII.

OMissa ergo prima sententia, vt de alijs duabus iudicemus, aduertendum est, vniuersale dupliciter posse à nobis concipi, vel denominari. Primò, vt quid absolutum secundum esse, quod potest relationem aliquam fundare. Secundò vt relatiuū secundum esse, dicens ordinem ad inferiora. Primo modo intelligeretur substantia vniuersalis, si esset homo à parte rei subsistens separatus ab omni contractione, iuxta Platonicam opinionem: neque esset vniuersalis propter relationem realem secundum esse ad inferiora, sed proter vnitatem suam cum intrinseca & substantiali aptitudine ad existendum in multis. Ad quem ferè modum dicebant Doctores C citati sectione præcedente, naturam in statu potentiali, quem habere fingitur ante existentiam in indiuiduis, habere vniuersalitatem quandam, quæ nō consistit in relatione secundum esse, sed in proprietate quadam absoluta naturæ, habentis talem vnitatem & communitatem: hoc solet vocari ab aliquibus vniuersale ante rem: quod, si esset, absolutum esset, tamen reuera nullum est. Imò & qui ponunt vniuersale actu in ipsis indiuiduis realiter existens, q vocant vniuersale in re, nō ponunt vniuersalitem eius in relatione. Nam putant vniuersalitatem esse realem, relationem autem minime, quia, vel inter naturam & indiuidua non est sufficiens distinctio in re ad relationem realem, vel natura, vt præscindit ab indiuiduis, non habet sufficientem entitatem ad fundandam relationem realem, cùm non habeat vt sic entitatem singularem, in qua possit talis relatio fundari. Ponunt ergo vniuersalitatem hanc in proprietate absoluta, quæ est vnitas quædam & communitas talis naturæ. Hæc ergo exempla, quamuis vera non sint, declarant tamen, conceptū vniuersalis vt sic, non esse conceptum rei relatiuę secundum esse, sed rei absolutæ habentis modum talem essendi, in quo habeat indifferentiam, & aptitudinem essendi in multis. Nec refert, quod hæc aptitudo videatur per modum respectus explicari. Nam sicut in potentia reali intelligimus respectum transcendentalem, & secundum dici, priorem respectu prædicamentali secundum esse, & inclusum in re absoluta: ità in præsenti possumus cōcipere hanc aptitudinem rei vniuersalis vt absolutam quidem in se, licet explicetur per modum respectus transcendentalis. Et hinc fit vlterius, vt hæc aptitudo, quia concipitur ad modum potentiæ habentis saltem transcendentalem ordinem ad ea, quibus potest se communicare, possit etiam intelligi vt fundamentum sufficiens ad relationem, vel habitudinem ad ea, quibus potest se communicare, quæ habitudo concipitur vt quædam relatio secundum esse, & dici etiam potest vniuersalitas quædam, cùm sit habitudo vnius ad multa, in quibus esse potest, vel de quibus potest prædicari.

Vniuersale igitur priori modo conceptum sit per IX. directam operationem intellectus, quæ præcisè, & abstractè concipit naturam communem absq; differentijs contrahentibus; quod satis probant rationes factæ in secunda opinione. Et confirmari potest euertendo fundamētum opinionis tertiæ, quia non est de ratione vniuersalis relatio aliqua secundum esse: ergo, quamuis in natura sic abstracta non intelligatur aliqua relatio secundum esse ad inferiora, potest intelligi actu vniuersalis. Patet consequentia, quia si illa relatio non est necessaria, nihil aliud deesse potest, quia ibi est natura communis, & ad modum subsistentis abstractè ab indiuiduis. Vnde ita se habet in eo statu per intellectum, sicut se haberet realiter, si à parte rei subsisteret extra indiuidua, sed tunc esset realiter vniuersalis, ergo & nunc est intellectualiter vniuersalis, vt sic dicam. Tandem, in natura illa sic concepta est noua vnitas rationis, quia habet vnum conceptum obiectiuum indiuisibilem in plures similes, habet etiā cōmunitatē seu aptitudinē, vt insit multis, & de eis prædicetur: ergo nihil illi deest ad rationem vniuersalis.

At verò loquendo de relatione vniuersalitatis X. prout à nobis concipitur ad modum relationis secundum esse, hæc non potest resultare per solam abstractionem, sed eo modo, quo est, fit per comparationem. Quia, vt suppono, hæc relatio non est realis, sed rationis: ergo nō est in natura ipsa dū absolutè & abstractè cogitatur, quia ex vi illius actionis illa non refertur per intellectū, quia intellectus nondū comparat illam ad sua inferiora, neq; etiam refertur realiter, ergo nondū est talis relatio. Et hoc satis etiam probant rationes adductæ in tertia sententia. Quocirca, si illæ duæ opiniones vnum affirment, & aliud non excludant, non sunt inter se contrariæ, neq; vnius rationes contra aliam procedunt. Quia nihil obstat, quòd eidem naturæ possit per intellectum conuenire duplex ratio vniuersalitatis, absoluta scilicet, & respectiua, & quòd illæ per diuersas operationes intellectus fabricentur, & quod vna, scilicet quæ absoluta est, sit proximum fundamentum alterius, scilicet relatiuę. Neq; etiam repugnat, aliquid conuenire naturæ per intellectum, & esse per modum absoluti, quādo illud eiusmodi est, vt solùm per extrinsecam denominationem conueniat; sic enim naturam esse abstractam, seu vniuersaliter conceptam, non addit naturæ, nisi esse quoddam conueniens illi per extrinsecam denominationem, quod esse obiectiuum appellatur. Sicut esse visum, vel esse cognitum nō est aliquod esse reale ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditum rebus, nec formaliter consistit in relatione A rationis, sed in denominatione proueniente ab actu videndi, vel cognoscendi, super quam potest intellectus fabricare relationẽ rationis, si vnum cum altero conferat: ita ergo est in præsente.

XI. Sed adhuc supereſt circa has opiniones explicandum, qualis sit hæc cognitio præcisiua, vel comparatiua, per quam fit vniuersale vtroq; modo dictũ. Varijs enim modis potest vniuersalis natura præscindi, vel comparari. Primò enim abstrahi potest natura communis per puram præcisionem naturæ ab vno inferiori absq; vlla comparatione, vel superioris conceptus ad aliquem inferiorem, vel ipsorũ inferiorum inter se, vt quando à solo Petro simpliciter præscindo indiuiduantes proprietates, & sisto in humanæ naturæ consideratione. Et per hanc notitiam purè præcisiuam putant aliqui nullum vniuersale fieri. Verius tamen est per eam etiam fieri vniuersale absolutum iuxta ea quæ de secunda opinione diximus. Nam hoc etiam probant rationes factæ: quanquam hæc notitia non sufficiat ad cognoscendam in natura sic cõcepta vniuersalitatem, seu B superioritatem, quam habet vt iam dicam.

XII. Secundò abstrahi potest natura communis per comparationem singularium, seu inferiorum inter se, vt quando conferendo Petrum cum Paulo, cognosco eos esse inter se similes in natura humana. Quæ cõparatio supponit priorẽ præcisionem, nam supponit de vtroq; singulari cognosci, esse talis naturæ, vnde supponit cõceptum talis naturæ, vt præscinditur à singulis indiuiduis. Vnde per hanc comparationem solùm additur cognitio conuenientiæ, & similitudinis plurium inferiorum in tali abstracta ac præcisa natura. Hæc autem comparatio vlterius potest subdistingui, quatenus per eam considerari potest vel sola habitudo particularium inter se, vt inter se habent habitudinem similium, & hæc comparatio vt sic non pertinet ad constitutionem vniuersalis, sed ad considerationem cuiusdam relationis mutuæ inter ipsa particularia. Vel quatenus per eam consideratur habitudo naturæ communis ad particularia, in quibus existit. Postquam enim intellectus apprehendit Petrum & Paulum esse similes in esse hominis, rursus considerat hoc prædicatum, *homo*, habere se ad Petrum & Paulum vt quid commune ad particularia; & in hac comparatione videtur consummari ratio vniuersalis, etiam respectiui, per eam enim consurgit in mente, vel potiùs in re menti obiecta, habitudo rationis vnius rei cõmunis ad plura. Vltra verò intelligi potest alia notitia magis reflexa, quam intellectus facit cognoscendo quasi in actu signato naturã sic abstractam, & cum suis inferioribus collatam inde habere denominationes generis, speciei & similes, hasque denominationes esse rationis, non rei. Hæc autem cognitio iam non est fabricatio vniuersalitatis, sed est quædam eius contemplatio magis formalis, & expressa.

SECTIO VII.

An vniuersalia sint entia realia, corporea, substantialia, vel accidentalia, quasq; causas habeant.

EX dictis facilè possunt variæ quæstiones expediri, quæ de vniuersalibus tractari solent.

Dubium primum expeditur.

I. QVæritur ergo primò, an vniuersalia sint entia, nécne. Quod interrogari potest, vel de natura quæ vniuersalis denominatur, vel de ipsa intentione, seu denominatione vniuersalitatis. De natura iam diximus, esse in rebus ipsis: vnde fit, quoad rem denominatam vniuersalia esse entia realia: hoc verò intelligendum est, vel permissiuè, vel de his vniuersalibus, quę per se cadunt in directam operationem intellectus sita vt, vel per se primò, vel saltem per sua propria singularia directè cognita, directè etiam concipi possint. Quòd ideò dicitur, quia in ipsis entibus rationis, quæ per reflexionem & multiplicem operationem intellectus confinguntur, potest intellectus eò progredi, vt ab his etiam abstrahat rationes vniuersales, & communes, & vniuersale conficiat etiam in rebus fictis, quæ vera entia non sunt, quomodo dicunt Dialectici, genus secundò intentionaliter sumptum, esse quoddam vniuersale specificum, commune multis generibus, quæ in intentione seu ratione generis solo numero differunt: & sic de alijs. Ratio verò est, quia vniuersale actu solum habet esse obiectiuè in intellectu, esse autem obiectiuè in intellectu, non solum veris entibus, sed etiam fictis conuenire potest, & ideò illis etiam possunt attribui relationes illæ, seu denominationes, quæ hoc tantùm esse requirunt, vt sunt ratio subiecti, & prædicati, & idem est de ratione vniuersalis. Et ideò dicimus, permissiuè seu indefinitè vniuersalia esse entia realia, nõ tamen necessario, & omnino vniuersaliter. Quia verò cognitio intellectus incipit necessario à realibus entibus, tum, quia operatio reflexa supponit directam, tum etiam quia ficta entia non concipiuntur, nisi per aliquam habitudinem, vel proportionem ad vera entia, ideò rectè etiam dicitur, ea vniuersalia esse entia realia, quæ per directam operationem intellectus abstrahi possunt. Si autem sit sermo de vniuersalitate ipsa, seu de intentione vniuersalitatis, sic communiter dici solet non esse ens reale, sed rationis, quod in hoc sensu verum est, scilicet, quod non est proprietas aliqua, neque aliquid intrinsecè & realiter inhærens naturæ, quæ denominatur vniuersalis, iuxta ea, quæ diximus. Tamen in alio sensu nonnulla distinctione & declaratione opus est. Dupliciter enim diximus, naturam posse denominari vniuersalem, primò denominatioe absoluta, ac si vniuersaliter subsisteret: secundò denominatione respectiua. Priori modo non est vniuersalitas ens rationis, tanquam aliquid propriè confictum à ratione, sed solùm tanquam denominatio extrinseca proueniens ab actu rationis, sicut esse abstractũ, cognitum, & alia huiusmodi, quæ non dicunt aliquid existens realiter in natura denominata, nec propriè dicunt aliquod ens rationis fabricatum ab intellectu, tanquam aliquid obiectiuè confictum ab ipso, quia talia entia nõ finguntur, nisi dum cogitãtur; tunc autem intellectus nihil tale cogitat, vel cognoscit. Est ergo denominatio extrinseca à conceptu intellectus; nam quia per conceptũ abstractè & vniuersè repræsentatur, ideò denominatur vniuersalis pdicto modo. Quapropter vt hæc vniuersalitas dicatur esse, non oportet, vt ipsa formaliter, & quasi reflexè cognoscatur, quasi in actu signato, sed satis est, ꝙ natura ipsa cognoscatur tali modo, scilicet præciso & abstracto, vt quasi in actu exercito natura cõstituatur vniuersalis. Et ad hunc modũ explicat per denominationem extrinsecam hanc vniuersalitatem Soto in Logica, A quæst. 3. vniuer. art. 1. dub. 2. & adducit Scotum, & D. Thomam in eam sententiam.

III. Posteriori autem modo loquendo de vniuersali relatiuè, seu de relatione vniuersalitatis, satis ex dictis constat, vniuersale non esse ens reale, quia illa relatio nõ est realis, sed rationis. Quod in hunc modum breuiter declaratur: multiplex enim relatio fingi seu excogitari potest in natura vniuersali, vna in ordine ad actum essendi; altera in ordine ad actũ prædicandi: vtraq; autem potest, aut secũdum aptitudinem, aut secundum actum apprehendi, concipitur enim natura communis vt apta ad existẽdum in multis, & vt sic concipi potest, vt habens relationem aptitudinis ad communicandum illis suum esse, potest item concipi vt actu existens in illis; & vt sic habens relationem actualem, seu rei actu se communicantis multis. Sicut enim in accidente intelligimus relationẽ aptitudinalis, vel actualis inhæsionis; ita eam possumus fingere, vel excogitare in natura vniuersali vt communicabili, vel vt communicata multis. Et vtroq; modo solet vniuersale definiri, sufficit tamen aptitudinalis relatio, vt natura cõpletè censeatur vniuersalis. Nam, quòd actu sit in multis quæ existant, contingens est, & non mutat naturã rei: aptitudo verò est simpliciter necessaria, nam in ea distinguitur vniuersale à singulari. Vnde repugnantiã inuoluunt qui dicunt naturas Angelicas esse vniuersales, & esse inter se cõmunicabiles multis.

Similiter in ordine ad actum prædicandi potest natura concipi, vel vt apta prædicari de multis, vel vt actu prædicata de multis, prior verò consideratio propriè denominat naturam prædicabilem. Omnes autem istæ relationes sunt rationis tantùm; nam vniuersalis natura non est in multis, nisi per identitatem, & ideò sub ea ratione non potest ad illa multa realiter referri. Item, quia, vt diximus, in re nulla est natura, quæ sit in multis, vel quę sit apta esse in multis: ergo fundamentum proximum illarum relationum non est in re, sed in modo concipiendi intellectus, ergo relatio in eo fundata non potest esse realis; & hæc ratio idẽ planè probat de relatione prædicabilis, vel prædicati, nam etiam omnes hæ fundantur in extrinsecis denominationibus intellectus, & ideò non possunt esse reales.

Expeditur secundum dubium.

IIII. Corporeàne vniuersalia an non.

ET iuxta hæc definienda est alia quæstio, quam Porphyrius in prædicabilibus proponit, scilicet an vniuersalia sint corporea. Eodem enim modo dicendum est, posse quidem aliqua vniuersalia esse corporea, ea nimirum, quæ conueniunt rebus ex materia & forma compositis, vt patet de conceptu hominis, equi, animalis, corporis: imò hæc vniuersalia sunt maximè accommodata intellectui humano corpori coniuncto: nam à sensibilibus accipit cognitionem, & ideò hæc vniuersalia per se loquendo priùs concipit, & abstrahit. Absolutè tamen ratio vniuersalis non limitatur ad naturas corporeas, inuenitur enim in naturis spiritualibus; nam in eis etiam dantur singularia habentia inter se aliquam conuenientiam, & differentiam, seu distinctionem, ratione cuius possunt in illis concipi naturæ communes, & vniuersales. Quia verò non solùm res spirituales inter se, & corporeæ inter se; sed etiam corporalia cum spiritualibus aliquam conuenientiam & similitudinem habent; ideò non solùm dantur vniuersalia quædam corporea, & alia incorporea: sed etiam quædam dantur vtrisq; communia, vt substantia, qualitas, &c. Hæc enim à corporeis, & incorporeis rebus abstrahunt.

Tertium dubium.

V. Vniuersalia an sint substantiæ, an accidentia.

VNde facilè etiam expeditur similis quæstio, an vniuersalia sint substantiæ vel accidentia. Hæc enim quæstio, sicut & præcedens, non fit propriè de intentione vniuersalitatis, illa enim, cùm non sit quid reale, sed solũ denominatio, vel relatio rationis, neq; est verè substantia, neq; accidens, neq; corpus, neq; spiritus, quanquam per modum accidentis incorporei concipienda sit. Est ergo prædicta interrogatio de natura, quæ denominatur vniuersalis; & hæc non solùm substantialis, sed etiam accidentalis esse potest, vt per se manifestum est. Solet verò interdum Arist. dicere, vniuersalia nõ esse substantias, vt 3. Metaph. tex. 20. lib. 6. tex. 45. intelligit autem non esse res per se & in se subsistentes extra singularia. Et ideò in prædicamentis cap. de substãtia, vniuersalia substantialia vocat secundas substan B tias, indiuidua verò substantiarum, seu suppositа, vocat substantias primas, quas dicit esse magis substantias, quàm secundas: quia illæ primò subsistunt, cæteræ verò in ipsis.

Quartum dubium.

VI. Qui dicatur æterna vniuersalia.

ALtera quæstio de vniuersalibus definitur ex dictis, scilicet an sint æterna. Talia enim communiter existimantur: quia, cùm sint obiecta propria scientiarum, oportet, necessaria & immutabilia esse, & consequenter æterna. Quomodo autem hoc intelligendum sit, non eodem modo ab omnibus explicatur. Plato enim hac ratione posuit ideas, quæ sunt formæ æternæ, & immutabiles, vt Aristoteles refert. Ipse verò Aristoteles fortasse diceret in his rebus corruptibilibus vniuersalia esse æterna, quia nunquam desunt aliqua eorum singularia, in quibus ipsa subsistant. Nos autem supponimus, hæc singularia non semper esse, & extra illa nõ existere vniuersalia: vnde concludimus, hæc non posse dici æterna, secundum realem existentiam, quam extra suas causas habent. Dicuntur ergo hæc vniuersalia perpetua, secũdum esse essentiæ, seu potentiale. Dices, hoc modo etiam indiuidua sunt æterna, quia etiam ab æterno sunt possibilia; & habẽt C obiectioni obsistitur. suas essentias immutabiles secundum esse essentiæ. Vnde de eis fieri etiam possunt propositiones, quæ habeant perpetuam veritatem, prout abstrahuntur à tempore. Respondetur, quoad rem quidem ita esse, tamen in modo concipiendi & loquendi esse differentiam: nam vniuersalia vt sic hoc ipso, quod à singularibus abstrahuntur, consequenter etiam à tempore & loco, & ab omni mutatione, inceptione, & desitione separantur, & ideò rectè dixit D. Tho. D. Thom. 1. part. quæst. 16. artic. 7. ad 2. *vniuersalia dici solere esse vbique, & semper, non positiuè sed negatiuè*, id est, nõ quia in omni loco & tempore sint, sed quia vt sic non determinant sibi locum & tempus, in quãtum abstrahuntur ab hic, & nunc. Hoc autem non conuenit propriè in indiuiduis: nam circa ea versantur actiones & mutationes, inceptiones & desitiones. Vnde, quamuis aliqua vniuersalia sint generabilia & corruptibilia, vt homo, animal, & similia, quæ ex sua ratione formali secum afferunt talem potentiam, seu postulant talem modum inceptionis, & desitionis: tamẽ hanc ipsam proprietatẽ non habent, nisi in ordine ad indiuidua: homo enim vt sic, nec generari

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest,nec corrumpi, dicitur tamen generabilis,& A corruptibilis,quia est talis naturæ, vt nõ possit connaturali modo cõmunicari indiuiduis, nisi per generationem:ipsumq; indiuiduũ, quod talem naturam participat,ex se sit subiectum corruptioni. Addunt etiam aliqui,vniuersalia dici æterna, quia vnitas præcisionis, & aptitudo existendi in multis perpetuò illis conuenit,etiam quando non existunt,eo modo,quo aliæ proprietates dicuntur eis perpetuò conuenire,absoluendo copulam ab existentia temporis. Ita Fonseca lib.5.c.28.q.8.sect.3. Sed non videtur Fonseca. eo quomodo possit hoc esse verum, nisi fateamur aliquam vniuersalitatem per se ac necessariò cõuenire naturæ:propositio enim quæ perpetuæ veritatis dicitur, oportet vt sit necessaria ex connexione terminorum:non põt autẽ sic esse necessaria, nisi aliquo modo sit per se; & ideò existimo, vniuersalia non posse dici æterna illo modo, nisi in ordine ad aliquem intellectum, qui æternus sit, vt expresè dixit D. Thom. in dicta solut. ad secundum. D. Thom.

Quintum dubium.

VLtimò intelligitur ex dictis, an & quomodo vniuersalia causas habeant: nam,aut est sermo de vniuersalibus naturis, aut de illarum vniuersalitate. Priori modo, sicut vniuersales naturæ non fiunt nisi in indiuiduis, ita non habent causas nisi in illis,neque alias, quàm ipsa habeant,nam, & ab eodem efficiente fiunt, & (si composita sint) ex eisdem principijs, seu eadem materia, & forma constant,& ad eundem finem natura sua ordinantur. Si verò loquamur de ipsa vniuersalitate, cùm illa non sit ens reale,non oportet, vt habeat proprias ac reales causas;tamen eo modo,quo est ens, seu potiùs imitatur ens, habet suo modo causam materialem & efficientem,ipsa enim natura, quæ denominatur vniuersalis, imitatur materialem causam, quatenus est veluti subiectum, quod substernitur intentioni vniuersalitatis, & ab ea vniuersale denominatur: quia verò illa forma non est realis intrinseca, ideò subiectum illud non est inhæsionis, sed denominationis, magisque est materia circa quam, quàm in qua, vel ex qua. Efficiens autem est intellectus ipse, qui facit, vel conceptum repræsentantem abstractè ipsam naturam, vel comparationem eiusdem naturæ sic abstractæ ad sua inferiora: nam relationem rationis propriè non efficit, sed considerat, vel fingit illam non tam in actu signato, quàm in actu exercito, vt dixi; ita nimirum concipiendo habitudinem,ac si esset vera relatio. Formalem autem causam, vel finalem hîc quærere non oportet, nam ipsius vniuersalis in actu sic considerati vniuersalitas ipsa est quasi forma, quæ nihil aliud est, quàm vel denominatio prouenies ab actu intellectus, vel relatio rationis in ea fundata,& concepta. Finis autem huius vniuersalitatis, vel nullus est propriè loquendo, quia solùm est quid resultans ex conceptione intellectus intendentis cognitiones rerum; vel si aliquis finis assignari debet, solùm est ipsamet cognitio intellectus: quia considerando essentias rerum,abstrahit illarum gradus,& rationes formales;& quia vim habet percipiendi & discernendi omnia,& reflectendi suprà se suas actiones, non solùm intendit cognoscere rerum naturas, sed etiam denominationes, vel habitudines, quas videntur habere prout ipsimet intellectui obijciuntur, & propter hunc finem fabricatur vniuersalia, & eorum relationes confingit. Vniuersalia an dentur causæ,an nõ.

SECTIO VIII.

Quotuplex sit vniuersale,seu vnitas eius.

EXplicuimus, quid sit vniuersalis vnitas, & quomodo rebus conueniat: superest,vt varios modos huius vnitatis, seu vniuersalitatis declaremus;vt hinc etiam constet,quid in hoc differat inter Metaphysicum & Dialecticum, & qua ratione ab vtroque vniuersalia distinguenda sint, vel multiplicanda. I.

Prima diuisio.

PRimò igitur diuidi solet vniuersale in vniuersale in causando,in repræsentando,in essendo, & in prædicando. Sed hæc diuisio ad præsens institutum non refert, quoad priora duo membra. Nam causa quæ vniuersalis dicitur, quia varios effectus potest producere,res aliqua singularis est, vt Deus, cœlum,&c. vnde non habet aliam vnitatem nisi realem,singularẽ,seu numericam:sed illa dicitur quasi vniuersalis in obiecto,quia ad plures effectus virtus eius extenditur: sicut intellectus & voluntas dici solent potentiæ vniuersales obiectiuè, quia circa omnia entia versantur; & sensus communis respectu externorum dici etiam potest eodem modo vniuersalis, quamuis in se vnus, & singularis sit. Idemque dicendum est de vniuersali in significando,seu repræsentando, siue illud sumatur in nominibus, quæ à Dialecticis *termini communes* vocantur, siue in speciebus intelligibilibus, siue in conceptibus formalibus, siue denique in quauis imagine, quacunque ratione fingatur repræsentans vniformiter plura: quicquid enim sit huiusmodi repræsentans in se vnum singulare indiuiduum est, & solùm ex parte obiecti vocatur vniuersale,quia significat,vel repræsentat plura. Tertium autem vniuersale,quod vocatur in essendo, vel nullum est, vel in re coincidit cum quarto, solumque nomine, & habitudine rationis differunt. Si enim vniuersale in essendo dicatur illud,quod in re ipsa vniuersale est, huiusmodi vniuersale nullum est, vt declarauimus: si autem sit illud, quod in re habet aliquod fundamentũ,per intellectum tamen concipitur tanquam quid vnum existens in multis,& sic efficitur vniuersale in essendo, hoc ipsum est vniuersale in prædicando:ideò enim de multis prædicari potest,quia in eis est per identitatẽ aliquam, vt declarauimus. Sed ratione prioris habitudinis in ordine ad esse, propriè appellatur vniuersale; ratione verò posterioris habitudinis in ordine ad prædicationem, vocatur prædicabile. Vnde dici solet à Dialecticis,esse prædicabile, esse quasi passionem seu proprietatẽ vniuersalis. C Quid vniuersale essendo. Quid prædicabile.

Secunda diuisio.

HInc secundò diuidi solet vniuersale in vniuersale Metaphysicum, Physicum, ac Logicum, quæ alijs nominibus dici possunt vniuersale ante rem, in re, & post rem. Vniuersale Metaphysicum proprijssimè diceretur, si quod esset ab indiuiduis re ipsa separatum: nam re ipsa maximè abstraheret ab omni mutatione, & contractione: de rebus autem sic abstractis potissimum considerat Metaphysicus. Et ideò Aristoteles in his libr. Metaphysic. præsertim 7.accuratè inquirit de hoc vniuersali: & ostendit reuera nullum esse;sed hoc vniuersale Metaphysicũ,nõ re,sed ratione tantũ esse ab illis distinguen- III. Metaphysicum vniuersale quid. Vniuersale Physicum quid.

guendum. Rursus vniuersale physicum dici potest A natura ipsa vniuersalis prout in rebus existit; & hoc modo non sumitur vniuersale formaliter, vt vniuersale est, sed solùm materialiter pro natura, quæ potest abstrahi, & vniuersalis denominari. Dicitur autem hoc vniuersale physicum, quia cùm sit in rebus ipsis singularib.contractũ,subiectum est mutationi,&accidentibus sensibilib.à quibus physica cõsideratio incipit. Quanquã hoc vniuersale nõ est extra Metaphysicã considerationem, tum quia etiã in rebus immaterialibus, & abstrahentibus à materia secundum esse reperiri potest,tum etiam, quia hoc vniuersale aliquã requirit vnitatẽ formalem, cuius consideratio ad Metaphysicum spectat. Imò etiam Dialecticus de hoc vniuersali aliquo modo considerat,non per se propter naturas ipsas sic vniuersales,sed solùm quatenus fundamẽtum remotum est, & quasi subiectum intentionis vniuersalitatis.

IIII. Quid vniuersale Logicũ.

Vniuersale autem Logicum dicitur ipsum vniuersale in actu, quod per operationem intellectus consurgit:nam quia Dialectici munus est operationes intellectus dirigere in ordine ad definitiones, B diuisiones & argumentationes seu demõstrationes, rectè & ordinatè conficiendas,quæ potissimè tradũtur de rebus vniuersaliter conceptis,& inter se comparatis & coordinatis; ideò necesse est, vt intentiones rationis,seu denominationes inde cõsurgentes consideret,quanquã non ita hoc est propriũ Dialecticis, quin magis propriè ac per se possit ad Metaphysicũ pertinere;&aliquo etiam modo ad physicũ. Hic,n.de anima disputans, consequenter tractat de intellectu & de actibus,&obiecto eius:vnde necesse est, vt vniuersale quatenus vniuersale est cõsideret, tum quia est aliquo modo propriũ obiectum intellectus,tum etiam quia per abstractionem,vel comparationem insurgit, quæ sunt propriæ operationes intellectus.Maximè autem id spectat ad metaphysicum: nam vt suprà vidimus, ad illũ pertinet distinguere entia rationis à realibus, & quam essentiã vel entitatem habeant, declarare; quod valde alienum & extrinsecum est à Dialectico instituto; sed solùm obiter hęc attingit,vt opera ipsa intellectus ordinare,& in certam methodum & artem possit redigere. Quod si velimus vnicuiq;, quod proprium est, tri- C buere, Metaphysicus considerat propriã rationem vniuersalis, quatenus est vnũ in multis; & quicquid ad illam consequitur ratione,qua naturam entis,& essentiæ & proprietates eius imitatur. Dialecticus verò per se solum cõsiderat rationem prædicabilis non quidem eius quidditatem,vel entitatem considerans, sed solùm quod ad definitiones, vel prædicationes conficiendas nosse oportet. Quod ergo ad præsens spectat, & ad conuenientem vocum vsum, omne vniuersale in actu sub ratione vniuersalis, Metaphysicum vocemus,sub ratione autem prædicabilis,Dialecticum appelletur.

Tertia diuisio in quinque vniuersalia.

V. TErtiò, & quod ad rem maximè spectat, diuidi solet vniuersale in illa quinque membra quæ Porphyr.distinxit in prædicabilibus:scilicet Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. De cuius diuisionis qualitate & sufficientia nõ est nunc in animo disputare; id enim sine exacta cognitione singulorum prædicabilium, commodè fieri nõ potest;de singulis autem prędicabilibus disserere,alienum esset à nostro instituto, speramus autem, Deo adiuuante,de vnaquaq; re in proprio loco tractare. Solùm igitur est recolenda distinctio illa suprà data de vniuersali concepto per modum absoluti, quale consurgit per simplicem cõceptionem abstractiuã seu præcisiuam intellectus; & vniuersali relato, seu comparato ad sua inferiora. Inquiri ergo potest quo modo diuisio hæc intelligenda sit, seu de quo vniuersali, vel sub qua ratione concepto, absoluta scilicet, vel respectiua, seu Metaphysica an Logica. Duoq; possunt esse respondendi modi. Prior est ibi diuidi vniuersale Logicum vt respectiuũ rationis, & non vniuersale Metaphysicum,seu vt præcisè abstractũ. Quia in eo vt sic nõ videtur posse illa quinque membra semper & in vniuersum commodè distingui. Nam licet interdum in diuersis naturis, vel conceptibus hæc facilè distinguãtur, vt in homine, animali,&c.tamen in alijs hęc distingui nõ possunt, sistendo in conceptu absoluto,donec ad diuersa fiat relatio seu comparatio. Sic album v.g. abstractè cõceptum vniuersale quoddam est: non tamen potest in ea abstractione sistendo potiùs accidens prædicabile,quam species denominari, quia respectu diuersorum vtriusq; habitudinis capax est, vnde donec fiat comparatio ad diuersa, non potest illa duplex ratio in eo vniuersali distingui. Simile quid cõsiderari potest in proprio, quod respectu diuersorũ rationem proprij & specici habere potest;imò & natura generica,etiam substantialis,licet respectu specierum genus denominetur, tamen respectu propriorum indiuiduorum (iuxta probabilem multorum opinionem) habet rationem speciei. Quin & de ipsa differentia probabile est,quod,licet respectu speciei,vel indiuiduorum eius constituat proprium vniuersale, tamen respectu inferiorum differentiarum formaliter sumptarũ,aliam rationem prędicationis constituat, vel ad prædicabile speciei reuocetur:nam rationale de hoc rationali v. g. formaliter sumpto non in quale,sed in quid prædicatur, quod hîc ampliùs discutere & examinare non libet. Sola ergo species vltima naturæ substantialis vel accidẽtalis in abstracto sumptæ,incapax omnino est alterius habitudinis vniuersalis; & non habet alia inferiora ad quæ cõparari possit præter indiuidua; quorum integram quidditatem continet. Igitur illa diuisio non videtur habere locum in vniuersali, quatenus per abstractionem præcisè consurgit.

Quod si inquiras,quale sit illud vniuersale appellandum:respõderi potest, rationem vniuersalis sub ea consideratione solùm consistere in separatione præcisiua à singularibus, ex qua consurgit quædam vnitas rationis cum aptitudine ad multa, quæ sub hac præcisa consideratione eiusdem rationis est in quocunque vniuersali; & ideò vniuersale vt sic non diuidi vlteriùs,sed solam vniuersalis rationem retinere,donec cum inferioribus conferatur, & in ordine ad diuersa,varias denominationes accipiat. Et ita sub hac ratione vniuersale non comparatur ad prædicta membra vt genus ad differentias, sed potius vt subiectum ad accidentia, vel vt fundamentum proximum ad varias relationes, quibus denominari potest. Vnde quando à Dialecticis solet dici vniuersale, vel prædicabile genus ad quinque vniuersalia,vel prædicabilia,sumendum est formaliter, & cum debita proportione, vt relatiuum in communi conceptum. VI.

Considerando autem vniuersale, vt comparatur VII. ad inferiora, rectè per illa quinq; membra diuiditur, cuius diuisionis ratio sic breuiter assignari potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

teſt. Nam quod eſt vnum in multis, ſeu prædicabile de multis, dicere poteſt aliquid eſſentiale illis, vel aliquid extra eſſentiam; rurſus, ſi eſſentiale ſit vel dicit totam eſſentiam, & ſic eſt vniuerſale ſpecificum, quod ſolùm poteſt eſſe cõmune indiuiduis numero differẽtibus, quia ſola indiuidua huiuſmodi poſſunt in tota eſſentia conuenire, vel dicit tantùm partem eſſentiæ; & hoc poteſt accidere dupliciter. Primò, vt ſit veluti quid materiale, & potentiale; & ſic conſtituitur vniuerſale generis, quod vt tale eſt, neceſſariò reſpicit diuerſas ſpecies, quia conuenientia illa in generica natura, quæ eſt fundamentum huius vniuerſalitatis, neq; eſt in tota rei eſſentia, neq; in vltimo formali conſtitutiuo, & determinatiuo eius, ſed in gradu quodam potentiali, & per plures differentias determinabili. Secundò fieri poteſt vt vniuerſale dicat partem eſſentiæ per modum formę conſtituentis formalem vnitatem eius, & ſic conſtituitur vniuerſale differentiæ, & prædicari dicitur in quale quid, quia ſe habet ad modum formæ conſtituentis quidditatem. Qui modus vniuerſalitatis & prædicationis interdum poteſt eſſe communis rebus differentibus ſpecie; interdum verò rebus ſolo numero differentibus, vt conſtat in differentijs vltimis, & ſubalternis. Et ratio eſt, quia talis modus conſtitutionis per differentiam eſſentialem, nec per ſe excludit vlteriores differẽtias eſſentialiter etiam conſtituentes, & ſpecificas eſſentias diſtinguentes, nec illas etiam per ſe requirit, vnde quia hoc accidentarium eſt tali vniuerſali, etiam illi accidit, quòd inferiora, in quibus inuenitur, ſpecie aut numero differant. Quo modo autem hæc accommodanda ſint his, quæ Porphyrius docuit in cap. de differentia, & quid ipſe circa hoc ſenſerit, in Dialecticos cõmentarios remittendum eſt. Deniq;, ſi vniuerſale, vel prædicabile ſit extra eſſentiam, eſſe poteſt, aut per ſe connexum cum eſſentia, & ab illa dimanans; & hoc vocatur proprium; ſi verò nullo modo ſit cõnexum per ſe cum eſſentia, ſed contingens, & omnino accidentaliter conueniens, appellatur accidens quintum prædicabile.

Quinq; prædicabilium ſufficientia.

VIII. Quamuis autem, tam proprium, quàm accidens ſint formæ eorum, de quibus prędicantur, non ſunt tamen in abſtracto, ſed in concreto ſumenda vt rationem talium vniuerſalium inducere poſſint, quia alio modo non ſunt apta, vt de inferioribus tali modo dicantur. Quin potiùs ſi tales formæ in abſtracto concipiantur, non reſpiciunt ſua ſubiecta ea habitudine, qua vniuerſale reſpicit inferiora, ſed eo modo quo actus reſpicit potentiam, quam informare poteſt: vt ergo hæc poſſint ad talia inferiora ſub tali ratione, & habitudine vniuerſaliũ comparari; concipi debent in concreto per modum totius communis, q; ſit in inferioribus ſibi ſubiectis, & de illis in recto verè poſſit prædicari. Quod in omnibus etiam vniuerſalib. obſeruari poteſt, nam in omnibus verũ eſt, concreta ſolùm de concretis poſſe prædicari, & conſequenter ſolùm reſpectu illorũ poſſe habere rationem vniuerſalium. Ob hanc cauſam dici ſolet, vniuerſale nõ reſpicere, nec prædicari de ſuis inferioribus niſi per modũ totius: nam, licet dixerimus, genus, & differentiã formaliter non dicere totã eſſentiam, ſed partem Metaphyſicam, tamen, vt vniuerſalium rationẽ habeãt, neceſſe eſt, vt per modũ totius concipiantur, & ideò ſumi debent, & in concreto, vt rem totã ſaltem implicitè dicant, & quatenus in potentia ſaltem includunt plura inferiora, quomodo dixit Porphyr. genus eſſe totum (ſcilicet potẽtiale) reſpectu ſpecierum; & Ariſt. 1. Phyſic. c. 1. dixit vniuerſale eſſe quoddã totum. Quomodo verò abſtracta ſubſtantialia rationem vniuerſaliũ participent, & quomodo in eis locum habeat prædicatio vniuerſalis, in ſec. 10. huius diſputationis attingemus.

IX. Aliquot difficultates occurrunt.

Occurrebant autem hoc loco variæ obiectiones, quæ contra ſufficientiam huius diuiſionis ſic expoſitæ fieri ſolent, quæ Dialecticorum ſunt propriæ, & ideò ſolùm aduerto, hanc diuiſionem duplici titulo exiſtimari poſſe nõ aptè traditam. Primò, quia in ea non numerantur omnes rationes vltimæ vniuerſalium, nam differentia poſſet in plures diuidi, & ſimiliter proprium, &c. Vel ſi dicãtur hæc omnia comprehendi ſub generalibus rationibus differentiæ aut proprij, aliunde videbitur inepta, vel ſuperflua diuiſio, quia poſſet ad pauciora membra generalia reuocari: nam genus & ſpecies non minùs videntur inter ſe conuenire, quam differentia generalis & ſpecialis.

Sed hæc difficultas nullius momenti eſt, quia, ſiue illa membra vltima & ſpecifica ſint, ſiue generalia, nihilominus diuiſio ſufficiens erit ſaltem ex hoc capite: quia nullum aliud membrum affertur, q; ſub numeratis nõ contineatur. Et quamuis demus quędam membra eſſe generalia, quædam ſpecifica, non propterea erit inepta diuiſio: neq; enim neceſſe eſt, vt diuiſionis membra æqualia ſint, ſeu æque abſtracta, & communia: ſufficit enim, vt ſub diuiſo contineantur, & oppoſita aliquo modo ſint, ipſumq; exhauriant. Quod autem quædam ſub communiori, alia ſub minùs communi ratione numerentur, accidentarium eſt, & ob peculiares cauſas poteſt interdum expedire, vt fortaſſe in præſente factum eſt, quia diſtinctio illorum quinq; membrorum neceſſaria erat, & ſufficiebat ad coordinanda prædicamẽta, & definitiones faciendas, & alia Dialecticorum munera, propter quæ diuiſio illa inuenta eſt. Addi deniq; poteſt, non eſſe neceſſarium admittere, non omnia illa membra in ratione vniuerſalis & prædicabilis eſſe ſpecifica & vltima. Quia ad propriam relationem vniuerſalis, & eſſentialem differentiam eius, nil refert quod inferiora magis, vel minus inter ſe differant, dummodo habitudo ſuperioris ad ipſa, eiuſdem modi, & rationis ſit: hoc autem ita contingit in differentijs vltimis, vel ſubalternis. Eademq; ratio eſt de proprio & accidente, non verò de genere & ſpecie inter ſe comparatis, vt ex ratione adducta ad explicandam ſufficientiam diuiſionis ſatis conſtare poteſt; fuſiùs enim hæc explicare, & diſcutere non eſt noſtri inſtituti.

X. Diuiſionis membra ſufficientia.

XI. Tranſcendentia quæ vniuerſalia dicuntur.

Ex ſecundo capite poteſt videri inſufficiens prædicta diuiſio: quia videntur eſſe quædam alia vniuerſalia, quæ ſub his nullo modo comprehenduntur: hæc autem ſunt in duplici genere, quædam ſunt tranſcendentia, quæ ſuperiora ſunt ad ſpecies & ad genera, quæ cùm habeant vnum conceptum obiectiuum, vt ſuprà dictum eſt, & in multis eſſe ac de ijs prædicari poſſint, nihil eis deeſſe videtur, quo minùs vniuerſalia dicantur. Vnde Ariſt. 4. Metaph. tex. 10. ens & vnum dicit eſſe maximè vniuerſalia.

XII. Tranſcendentia quæ vniuerſalia dicuntur.

Sed reſponderi poteſt huiuſmodi tranſcendentia, non eſſe propriè & ſimpliciter vniuerſalia, quãuis interdum latè & ſecundum quid ita appellẽtur, ea ratione qua omne id, quod aliquo modo vnum eſt, & cõmune multis, poteſt vniuerſale vocari. Tamen quoniam hæc analoga ſunt vel nõ habent vnitatẽ ſimpliciter, vel non æquè plura reſpiciunt, ideò ex hac parte excluduntur à propria ratione & diuiſione

ſione vniuerſalis, quod in ea partitione diuidi intelligendum eſt. Vnde Ariſtoteles 1. Ethic. c. 6. expreſsè requirit ad rationem vniuerſalis, quod vniuocum ſit, & 4. Metaph. cap. 2. hoc modo negat, ens & vnum eſſe vniuerſalia. Quod ſi inſtes, quia non repugnat dari aliquos conceptus obiectiuos communes eſſentiales pluribus prędicamentis, & vniuocos, & conſequenter vniuerſales, & non genericos quia multis prędicamentis nullum genus commune eſt, qualem multi exiſtimant eſſe conceptum accidentis, aut cõceptum entis ſucceſſiui, & ſimiles, quos conſequenter dicunt, non eſſe genera, ſed ad modum tranſcentium; Reſpõdetur breuiter, vel nulla eſſe huiuſmodi prędicata vniuoca (vt multi volunt), vel certè, ſi quę ſunt, ad genus reuocari, quia in ratione vniuerſalis, & in modo prædicationis eſſentialis in quid incompletum, & non prædicando totam rei eſſentiam, cum eo cõueniunt: differunt tamen à proprio genere, quia non habent proprias differentias, quibus contrahantur; & ideò, neque ad definitiones, neque ad coordinanda prædicamenta deſeruiunt; de qua re inferius occurret commodior dicendi locus, cum de diuiſione accidentis in nouem prædicamenta dicemus.

XIII. Indiuiduum vagum an vniuerſale ſit.

Aliundè verò ex alio extremo videntur eſſe quædam prædicata cõmunia quaſi inferiora infima ſpecie, & media inter ipſam, & ſingula determinata indiuidua. quale exiſtimauit Caiet. in cap. de ſpecie eſſe indiuiduum vagum, & probabilius exemplum adduci poteſt de communi ratione perſonæ, vel ſuppoſiti, vel de ipſa ratione indiuidui. Ad quam difficultatem, quidam negant, hæc prædicata eſſe vniuoca. Sed hoc incredibile eſt, nam reuera eſſe perſonã vniuocè dicitur de quolibet homine, & eſſe primam ſubſtantiam vniuocè dicitur, de qualibet prima ſubſtantia: quæ enim ratio analogiæ, vel equiuocationis in his prædicatis excogitari poteſt. Alij dicunt, contineri ſub vniuerſali ſpecici, nam ratio perſonæ tanquam ſpecifica comparatur ad hanc, & illam perſonam, & ratio indiuidui ad hoc, vel illud indiuiduum vt tale eſt. Sed licet fortaſſe hoc defendi poſſit formaliter comparando v. g. rationem perſonæ ad hanc perſonam vt ſic: tamen non videtur verum, ſi comparatio fiat ad hunc hominem vt ſic, quia vt ſic non eſt prædicatum quidditatiuum illius. Quod ſumi poteſt ex D. Thom. 1. par. quæſt. 30. artic. 4. ad. 3. Et hoc ſatis eſt ad conſtituendum diſtinctum vniuerſale ſecundum relationem prout nunc conſideratur à nobis. Sicut riſibile etiam eſt ſpecies reſpectu huius, & illius riſibilis, vt ſic; & nihilominus reſpectu huius vel illius hominis vt ſic nouum prædicabile conſtituit: quia ſub ea ratione prædicatur eſſentialiter.

XIIII. Dicendum ergo videtur indiuiduum vt ſic reſpectu plurium indiuiduorum nõ conſtituere nouum vniuerſale, quia de formali nihil aliud dicit, quàm vnitatem tranſcendentalem vniuſcuiuſque entitatis prout in re exiſtentis; & ita excluditur, ſicut alia prædicata tranſcendentia. Præſertim quia, ſi ſumatur ſecundum id poſitiuum, quod dicit, nihil addit ſupra ens; ſi verò ſumatur ſecũdum id, quod formaliter addit, illud ſolùm eſt negatio quædam. Vnde inter indiuidua eiuſdem ſpeciei v. g. duos homines præcisè conſiderando eorum eſſentias indiuiduas, præter conuenientiam ſpecificam non eſt alia in ratione indiuidui, niſi quatenus in ratione entis indiuiſi conueniunt, quæ tantùm eſt tranſcendentalis conuenientia. Rationem autem perſonæ, vel ſuppoſiti exiſtimo poſſe reduci ad prędicamentum proprii, quatenus modus ille, quo conſtituitur, ſcilicet, perſonalitas vel ſubſiſtentia, eſſentialis non eſt, ſed per ſe concomitans eſſentiam, ſicut actu inhærere dici poteſt quoddam proprium accidentis. Nec refert, quod ille modus perſonalitatis, vel ſubſiſtentiæ non ſit in ſua entitate proprietas accidentalis, ſed ſubſtantialis modus: quia hoc non variat modum vniuerſalitatis ſeu prædicationis, ſicut eſſe capitatum, eſſe bipedem actu, dicitur accidens quinti prædicabilis, quamuis res vnde ſumitur, non ſit accidens ſed ſubſtantia: quia modus prædicationis accidentalis eſt, & contingens; ſed de his hęc ſint ſatis.

XV. Vltimò addere poſſumus alium modum explicandi diuiſionem illam de vniuerſali abſoluto, ſeu quatenus conſurgit per abſtractiuam conſiderationem intellectus, in quo, licet non poſſint prædicta membra omnino diſtingui ſecundum varias relationes ad inferiora, vt diſcurſus ſuprà factus oſtendit, poſſunt tamen aliquo modo diſtingui in ordine ad Metaphyſicam compoſitionem. Ita vt genus dicatur illud, quod per modum potentiæ aptum eſt ſpeciem conſtituere. Differentia, quæ per modum formę aut actus genus contrahit & diuidit; ac conſtituit ſpeciem, ſpecies verò erit quæ ex his componitur. Proprium verò, quod ſpeciei per ſe accidit, Accidens, quod indiuiduis, ſeu ſpeciei ratione indiuiduorum, contingenter ineſt. Et hoc modo nõ tam diuiditur vniuerſale ſecundum diuerſas rationes vniuerſalitatis, quàm ſecundum diuerſas habitudines ipſorum vniuerſalium inter ſe, Ita tamen vt vniuerſale ſpecici ſit quaſi præcipuum, totale, & abſolutũ; alia verò dicant aliquam habitudinem, quaſi partialem, vel formalem ad ipſam ſpeciem, vt declaratum eſt. Vnde etiã eſt probabile, vniuerſale ſub hac ratione, non dici æquè primò & vniuocè de his vniuerſalibus ſed primò de his, quæ eſſentialia ſunt, deinde verò de aliis quæ ſunt extra eſſentiam, & inter priora vniuerſale ſpecici eſſe præcipuum: propter quod etiam Plato, vt Ariſtoteles interdum ſignificat, ſpecierũ tantùm ideas ponebat. Non oportet autem intelligere analogiam inter ſpecię, genus, & differẽtiam in ratione vniuerſalis, quia omnia dicunt conuenientiã, & vnitatem eſſentialem, & habent eundẽ modum identitatis reſpectu eorũ à quib. abſtrahuntur, quod ſecus cõtingit in proprio & accidente. Atq; hæc conſideratio vniuerſalium ſecundum proprias rationes ſuas, & ſecundum quod inter ſe diſtinguuntur, ſeu comparantur, maximè confert ad rerum eſſentias cognoſcendas, & definiendas: ideoq; ad Metaphyſicum inſtitutum maximè neceſſaria eſt. Quoniam verò proprium, & accidens ſunt extra rerum eſſentias, nihil de eis quatenus vniuerſalia ſunt, conſiderandum occurrit, præter intentiones & relationes rationis, quæ in ordine ad prædicationes à dialecticis declarantur; & quæ inferiùs ſuo loco dicemus de propria ac reali eſſentia accidentis & diſtinctione eius à ſubſtantia, variiſque habitudinibus, quas habet ad ſubſtantiam, inter quas vna eſſe poteſt intrinſeca dimanatio, à qua habet, vt proprium nominetur. De aliis ergo tribus vniuerſalibus, genere, ſpecie, differentia, dicendum ſupereſt, quomodo in rebus diſtinguantur, & quod habeant in eis principium ac fundamentum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO IX.

Quomodo in re distinguantur vnitas generis & differentiæ tam inter se, quam ab specifica vnitate.

I. GEnus & differentia in re distingui, his argumentis suaderi posse videtur: primò quia species componitur ex genere & differentia, quæ compositio Metaphysica dicitur, nec cēsetur omnino per rationem conficta, sed in rebus ipsis aliquo modo inuenta, & ideò probatiores Theologi docent, non inueniri in Deo, quia repugnat summæ simplicitati eius: ergo signum est, genus & differentiam in re ipsa aliquo modo distingui, & non tantùm ratione seu conceptibus nostris, quia alioqui non facerēt in re compositionem: sola enim rationis distinctio, etiam fundata in virtuali rei distinctione seu eminentia non sufficit ad veram rei compositionem: est ergo in re distinctio aliqua inter genus & differentiam. Et confirmatur, nam hac ratione Aristot. 7. Metaph. cap. 10. tex. 33. cùm dixisset, definitionem debere constare ex partibus, nimirum genere, & differentia, subdit, *Sicut se habet definitio ad totam rem, ita partes definitionis ad partes rei*: est ergo inter eas vera aliqua distinctio, sicut inter partes rei.

II. Secundò probatur idem, quia, quæ in re ipsa habent essentias, vel partiales aliquo modo diuersas, in re ipsa aliquo modo distinguuntur: sed ita se habent genus & differentia: ergo. Probatur minor ex his, quæ generi, & differentiæ communiter attribuūtur. Nam in primis Arist. 3. Metaph. tex. 10. ait differentiā esse extra rationem generis, non est ergo differentia de essentia generis, neq; è conuerso. Vnde 6. Topic. c. 3. ait Arist. neq; genus: participare differentias, neque differentias genus: & 7. Metaph. cap. 12. tex. 42. dicit, differentias non poni in ratione generis, sed genus compararī ad differentias, vt potentiam ad actum essentialem; & ideò fieri ex eis vnum per se. Et ratione patet, nā differentiæ diuidentes genus, sunt inter se oppositæ: ergo non possunt ambæ esse de essentia generis: ergo neque vna, neque altera esse potest de essentia eius. Patet consequentia, tum quia nō est maior ratio de vna, quam de alia, tum etiam, quia si vna esset de essentia, esset inseparabilis, vnde altera nunquā posset ei conuenire, cùm opposita non possint simul eidem inesse: habet ergo genus essentiam ex se distinctam à differentiis, seu non includentem illas. Quòd verò econtrario differentia etiam dicat essentiam non includentem genus, patet, tum quia alias genus esset transcendens, tum etiam quia alioqui differentia includeret totum id, quod includit species, vnde quædam nugatio committeretur quando differentia adiungitur generi.

III. Tertium argumentum esse potest, quia, quæ in re separantur, necesse est aliquo modo distingui etiam in re, sed gradus inferior, & superior in re separantur, nam alicubi est ratio animalis, vbi rationale non inuenitur & sic de aliis. Simile argumētum est, quòd in re ipsa duæ species sunt similes in ratione generica non verò in specifica: vnde videtur necessarium, has rationes in re ipsa esse distinctas. Item quòd differentia contrahit genus, & actuat illud: non sunt ergo omnino idem: quia idem non contrahit se ipsum.

IIII. Quartò argumentor, quia hæ locutiones præcisè & abstractè sunt falsæ, *animalitas est rationalitas* & similes, & non nisi ob distinctionem formalem, nam, A si essent omnino idem prædicatum & subiectū, propositio affirmans vera esset: sed illis vocibus significantur præcisè gradus genericus & differentialis, distinguuntur ergo hi gradus ex natura rei. V.

Atque hinc vlterius concluditur, genus, & differentiam sigillatim sumpta distingui ex natura rei à tota specie, quia comparantur ad illam vt partes ad totum verè ac re ipsa compositum ex illis: totum autem distinguitur ex natura rei à singulis componentibus, esto non distinguantur ab omnib. simul sumptis & vnitis: distinguitur enim saltem vt includens aliquid, quod aliud non includit. Vnde hac ratione communiter etiam dicitur, genus ac differentiam præcisè sumpta in ratione partium non posse verè prædicari de specie: quia pars non prædicatur de toto. Et confirmatur primò, nam si in re homo & animal nullo modo distinguerentur, neq; etiam equus & animal, ergo neq; homo & equus possent distingui, nā quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadē inter se: & quicquid est de essentia vnius, erit de essentia alterius & econuerso: nam, si homo & animal in re sunt B idem, quicquid est de essentia hominis erit de essentia animalis, & simile erit in æquo: ergo idem erit cōparādo hominem & equum inter se: vel certè fatendum erit, aliquid esse de essentia animalis in homine, quod nō sit in equo, & è conuerso, ex quo sequitur animal non dici vniuocè neq; secundum eādem rationem de homine & equo, sed æquiuocè, vel ad summum secundum analogiam quandam proportionalitatis. Tandem confirmatur illa ratione sæpè facta, quia non possunt res diuersæ secundum idem omnino esse similes & differentes, sed duæ species sunt simpliciter & essentialiter differentes, & tamen sunt similes in genere: ergo fieri non potest, quin genus & species aliquo modo in re ipsa distinguantur.

Referuntur variæ sententiæ.

VI. IN hac re varij possunt esse dicendi modi. Primus est, hos gradus distingui non vtcunq. ex natura rei, sed omnino realiter, saltem per inclusionem alicuius rei realiter distinctæ, quæ est in vno, & non in alio. Hanc opinionem significat Iandun. 2. Metaph. quæst. 9. & eandem tenere debent omnes, qui existimant hos gradus genericum & specificum sumi ex C formis realiter distinctis: nam inde sequitur corpus significare tātùm compositum ex materia & forma corporeitatis, viuens verò significare compositum ex corpore & anima vegetatiua; animal verò addere animam sensitiuam realiter distinctam: homo verò rationalem. De differentijs autem, rationale & similibus fortasse diceret hæc opinio solùm dicerē vltimam formam vt informantem: vnde etiam fit dicere aliquid realiter distinctum à genere. Et hinc fortasse existimauit Durand. in 2. dist. 3. quæst. 1. in simplicibus vt sunt angeli, & accidentia, vel formæ ipsæ non posse dari differentias proprias & consequenter nec compositionem ex genere & differentia.

VII. Secunda sententia est, hæc prædicata distingui ex natura rei inter se, & ab ipso composito, saltem distinctione formali, seu modali, quam vocant. Ita tenet Scotus in 2. dist. 3. quæst. 1. & 7. Metaph. quæst. 16. & ibi Ant. And. quæst. 7. nam, licet Scotus interdum ponat distinctionem realem inter formas physicas communem & propriam, vt inter formā corporeitatis, & animam, v.g. & tunc necessariò dicere debeat inter gradus sumptos ab his formis esse maiorem distinctionem, quàm formalem iuxta præcedentem opinionē, tamen non censet, eā distinctionem realē formarum

formarum, esse necessariam ad distinguendos hos A gradus, nam in eadem re simplici physicè admittit verum genus & differentiam, eorumq; compositionem, & ideò generatim loquendo dicit sufficere distinctionem formalem ex natura rei, eamq; vt minimum esse necessariam. An verò hæc distinctio formalis apud Scotum sit actualis in re vel solùm virtualis, aut fundamentalis, & ita coincidat cum alia, quę rationis ratiocinatæ dicitur, non satis constat, nam variè loquitur, vt attingemus disput. sequenti: nunc opinio hęc in eo sensu à nobis tractanda est, quo ponit in re distinctionem actualem; & in eo videtur illam sequi Ferr. 1. cont. Gent. cap. 24. & 42. & Fonseca. 2. Metaph. cap. 2. tex. 11. vbi id colligit ex textu Aristotelis, qui negat posse dari processum in infinitū in prædicatis essentialibus, quia si sola cogitatione distinguerentur, nullum esset inconueniens dari in eis processum in infinitū. Idem repetit Fonseca lib. 4. capite 2. quæstione 4. sect. 3. & libro 5. cap. 7. quæstione 3. sect. 3. ad secundum. Ferrar. Fonseca.

VIII. Tertia sententia extremè contraria esse potest, hæc neq; re, neq; etiam ratione distingui, sed esse omnino idem, etsi diuersis vocibus significētur. Quæ B opinio attribui potest Nominalibus, quatenus omnino negant, hæc vniuersalia in rebus reperiri: vix autem credibile est, opinionem hanc in mentem alicuius philosophi venisse, vt argumenta in principio facta ad minimum concludunt.

IX. Vera ergo sententia est, hęc omnia ratione distingui, sumpto aliquo fundamento ex rebus ipsis, non tamen esse veram aliquam & actualem distinctionē, aut realem, aut ex natura rei inter omnes huiusmodi gradus, prout à parte rei coniuncti existunt. Hæc est opinio D. Thom. vt constat ex 1. parte quæst. 50. artic. 4. ad 1, quæst. 76. art. 3. ad 4. & de ente, & essentia cap. 4. & sequentibus 7. Metaphys. lect. 4. & sæpè aliàs eamq; tenent communiter Thomistæ. Heru. quodlib. 1. quæst. 9. Capr. 1. dist. 8. quæst. 2. art. 3. Caiet. Sōcin. & Soto locis citat. sect. præced. Greg. in 1. dist. 38. Gab. & alii Nominales. Et quoniam pars affirmatiua de distinctione rationis, euidenter probata est argumentis factis, & difficultatem non habet, nihil de illa addere oportet; fundamentum autem talis distinctionis declarabitur in solutionibus argumentorum, & magis in sequente sect. D. Thom. Caietan. Soncin. Soto. Gabriel. Gregor. Heruæus. Capreol.

Vera sententia declaratur.

X. VT probemus alteram partem negantem aduertendum est, cùm agimus de distinctione horum graduum, generis differentię, & speciei, quatuor modis posse illa conferri seu comparari, primò prout à parte rei in diuersis rebus, seu speciebus inueniuntur, vt si animal quod est in homine comparetur cum specie leonis aut equi, vel, si animal prout est in leone comparetur ad differentiam rationalis v.g. vel aliam similem; & hæc comparatio est extra rem, & impertinens: nam hoc modo constat, rationem genericam in re existentem, posse distingui realiter ab aliqua differentia, vel specie sua; quia in diuersis speciebus formalis vnitas ipsius generis, secūdum rem multiplicatur; sicut suprà diximus formalem vnitatem specificam prout in re existit, numero multiplicari in indiuiduis. An vero genus, prout à parte rei est in vna specie, distinguatur ab alia specie, vel differentia eius, non solùm realiter, sed etiam essentialiter, & quidditatiuè, fortasse pertinet ad modum loquendi, & pendet ex probationib. huius sententiæ, explicaturq; in solutionib. argumentorum. Primum notabile. Dicendum

XI. Secundò possunt hęc comparari secundum se abstrahendo ab existentia tam in rebus, quàm in intellectu; ad eum modum, quo in superioribus citauimus aliquos, dicentes, naturā secundum se id est nudè & solitariè sumptam, esse vniuersalem vt antecedit etiam omne opus intellectus; nam in eodem sensu videntur illi sentire prædicata quidditatiua inter se ex natura rei distingui. Quia si animal v. g. ex se & ante omnem intellectum habet positiuam aptitudinem ad varias differentias, & vnitatem præcisionis ex se communem multis speciebus, necessariò consequitur habere ex natura sua distinctionem aliquā à differentiis omnibus, quibus diuidi potest, & ab speciebus, ad quas potest cōtrahi. Positis autem his, quæ diximus de ratione vniuersalis, hæc comparatio locum non habet: ostendimus enim, nullum esse statum, in quo natura communis, quæcunq; illa sit, habere possit aliquam vnitatem præcisionis secluso intellectu, si vt in rebus ipsis existens illam habere nō potest. Quia natura extra intellectum duplicem tantùm statum habere potest, actualis scilicet existētiæ, & possibilitatis, neque alius status medius fingi, excogitariue potest, natura autem vt possibilis non aliter præscindit, vel distinguitur à differentiis vel speciebus possibilibus quam natura existens à differentiis vel speciebus existentibus: neque est aliqua natura possibilis distincta à suis inferioribus indiuiduis, vel speciebus, si in re existens nunquam potest esse distincta: quia, natura existens & possibilis non sunt alia & alia, sed eadem in diuersis statibus considerata: hæc igitur comparatio reuera nulla esse potest, quæ in re habeat fundamentum. B

XII. Tertiò comparari possunt genus & differētia tam inter se, quam cum specie quam componunt, prout sunt in intellectu præcisè & abstractè eorum singula concipiente, & hoc modo constat illa distingui ratione vt diximus: an verò plusquam ratione distinguantur, non potest (quod valde notandum est ad soluenda argumenta in principio facta) ex hac sola comparatione sufficienter colligi, nisi in rebus ipsis aliquod aliud maioris distinctionis signum inueniatur. Probatur, quia hæc est vis intellectus, vt præscindat & abstrahat ea, quæ in re non sunt actu distincta aut præcisa: ergo ex hoc, quòd aliqua, vt obiecta menti, ratione distinguantur, non potest aliqua distinctio in re inter ea colligi: quia, sic ratione distingui nihil aliud est, quàm distinctis conceptibus intellectus obiici, & diuersō modo aut sub diuersa habitudine cōcipi, quod totum stare potest sine distinctione in re. Et confirmari hoc potest ex his quæ suprà diximus de conceptu obiectiuo entis, quomodo præcisus sit per intellectum, & secundum rem indistinctus ab omnibus inferioribus entibus: nam rationes ibi factæ eodem modo hic procedunt; easque statim breuiter attingemus. C

XIII. Quarto itaque modo possunt hæc comparari, prout in re existunt in vna & eadem specie, & in vno & eodem indiuiduo talis speciei, & hoc sensu reuera intenditur hęc comparatio in præsente quęstione, & in eodem sensu dicimus, in Petrō v. g. non distingui ex natura rei esse sensitiuum à rationali, nec gradum animalis à gradu hominis, & sic de reliquis.

Vbi est secundò considerandum in re ipsa, & in eodem indiuiduo duobus modis posse intelligi, gradum genericum distingui ab specifico, vno modo vt vniuersale à particulari, alio modo vt indiuiduum ab indiuiduo saltem formaliter ex natura rei distincto. Prior modus distinctionis haberet locum, si Secundum notabile.

verum

Universidad de Deusto
Biblioteca

verum esset vniuersalia à parte rei existentia actu & ex natura rei distingui ab indiuiduis, in quibus exi-
A stunt: & hoc modo videtur processisse, & consequẽter locutus fuisse Scotus, quia animal, v.g. nõ descẽdit ad indiuidua, nisi media specie; & ideò, si semel admittimus, naturam specificam vt sic, ex natura rei esse distinctam à differentia qua contrahitur ad indiuidua, pari ratione, satisque consequenter dicetur, naturam genericam eodem modo distingui à gradu differentiali priùs natura, quàm ad indiuidua contrahatur. Hic verò distinctionis modus locum non habet suppositis, quę contra Scotum diximus de naturæ vniuersalitate, quòd nullo modo sit actu in rebus, neque insit naturę existenti in indiuiduis, sed vt est tantùm abstracta per intellectum. Si enim natura in re non habet vniuersalitatem, ergo neq; habet vniuersalitatem generis, nec differentiæ, nec speciei: ergo nõ possunt hęc in re distingui, vt vnum vniuersale ab alio, seu à suo inferiori. Et confirmatur quia rationes quibus suprà ostensum est, vniuersale in re non distingui à singulari, æquè probãt de quocunq; vniuersali siue generico, siue specifico, respectu illi
B singularis, in quo existit: ergo in re nulla distinctio esse potest inter vnũ gradum inferiorem, & superiorem vniuersaliter sumptos, cùm à parte rei non distinguantur à singularibus.

XIIII. Solùm igitur supereſt examinandus alter distinctionis modus, quo excluſo, ſatis oſtenſum erit, nullã esse distinctionem ex natura rei inter hos gradus. Et in hoc est discrimen aliquod, & nonnulla maior difficultas, in præsente quæstione quam in alia suprà tractata de distinctione vniuersalis à differentia indiuiduali: nam secluſa differentia indiuiduali, nõ manet res singularis & indiuidua; & ideò nec potest manere res existens, quæ in re distinguatur à tali differentia: at verò in præsenti secluſa differẽtia specifica potest intelligi gradus genericus, non solùm in vniuersali, sed etiam in indiuiduo, & realiter existens: est enim Petrus v. g. non solùm hic homo, sed etiam hoc animal, & hoc rationale; & ideò secluſa per intellectum differentia specifica, adhuc potest intelligi gradus genericus, vt in inuiduo & singulari existẽs, ac proinde adhuc habet locum quęstio, quomodò in indiuiduo distinguantur, hoc animal, & hic homo, seu hoc rationale: quòd ergo in re non di-
C stinguantur, aliunde quam ex vniuersalitate probandum est.

Veræ sententiæ probatio prima.

XV. POtest igitur probari primò ex indiuiduatione, quia in vno indiuiduo vna omnino & eadem est ac simpliciſſima indiuidualis differentia contrahens proximè & immediatè vltimam speciem, & cum illa ac per illam consequenter determinans omnes superiores gradus, ergo non possunt illi gradus inter se magis distingui, quam vnusquisq; à sua differentia indiuiduali distinguatur: sed nullus eorum distinguitur ex natura rei à sua differentia indiuiduali, vt probatum est: ergo nec inter se distinguuntur ex natura rei in eodem indiuiduo. Primum antecedens commune est apud Dialecticos, & Metaphysicos, vt refert & declarat latè Fonseca lib. 5. cap. 28. quæst. 14. sect. 3. vbi ostendit genus non respicere indiuidua, nisi mediante specie. Et ratio est, primò quia ratio generica præcisè sumpta est indifferens, & quasi in potentia essentiali, vt per differentiam specificam determinetur; & ideò, donec intelligatur hoc modo determinata nõ est proximè capax indiuiduationis.

Secundò quia non est minus essentialis ordo inter differẽtiam genericam, specificam, & indiuidualem, quàm inter superiores differentias essentiales magis & minùs vniuersales vsq; ad specificam; sed corpus v.g. non est aptum contrahi per differentiã animalis nili media differentia viuentis, neque vegetatiuum per differentiam rationalis, nisi media differentia sentientis: ergo neque animal est determinabile per differẽtiam indiuidualem huius animalis v.g. Petri, nisi media differentia hominis seu rationalis: est ergo vna omnino indiuisibilis differentia inuidualis, quæ contrahendo hominem ad hunc hominem, simul contrahit animal ad hoc animal: & sic de cęteris superioribus prædicatis. Vnde argumentor tertiò, quia huiusmodi differentia indiuidualis vnica, & indiuisibilis sufficit ad determinandum in singulari totam, & integram rei essentiam, vt includit omnia prædicatã specifica, generica, seu superiora, quę in ea abstrahi, vel excogitari possunt: ergo superfluum esset plures huiusmodi differentias Metaphysicas cõfingere in eodem indiuiduo. Et confirmatur à signo: nã hoc animal v. g. quod est Petrus omnino intrinsecè, & quasi essentialiter determinatũ est, vt sit Petrus; & ideò omnino repugnat intelligere hoc indiuiduum animalis extra hoc indiuiduum hominis, & idem est de cæteris superiorib. prædicatis: ergo signũ est non determinari animal immediatè, & secũdum se ad hoc indiuiduũ animalis, sed quatenus determinatũ est ad esse hominis, ergo eadem differẽtia indiuidualis determinatur ad esse huius hominis, & huius animalis.

Tandẽ confirmatur, nã res indiuidua vt sic, intelligitur esse ꝓximè capax existẽtiæ: vniuersale. n. vt sic id est, in sua vniuersalitate existere non potest; & ideò quo prædicatũ aliquod vniuersalius intelligit, eò vt sic concipitur magis esse elongatũ ab existẽtia, vt v.g. subsẽtia in communi nõ intelligitur apta ad existendũ nisi determinetur ad materialẽ, vel immaterialem; & eadem est ratio de tota serie generalium prædicatorũ vsq; ad vltimam speciẽ, quæ contracta ad suum indiuiduum est proximè capax existentiæ: ergo, sicut nullum indiuiduum existere potest, nisi sit in aliqua specie infima, vt est certissimum (præsertim secluſa falsa sentẽtia de distinctione reali plurium formarum substantialiũ, essentialiter subordinatarũ in eodem cõposito) ita nulla ratio generica determinari intelligitur ad ꝓprium indiuiduũ, nisi vt contracta & determinata ad aliquã speciem. Quod sanè in reb. præsertim simplicib. tã integris, quã partialib. videtur per se euidentissimũ: quis enim fingat aut mente concipiat, Michaelem v. g. per aliud esse hãc substantiam, hunc spiritum, & hunc angelũ? aut animã rationalem Petri ꝑ aliud esse hanc animam, & hanc animã rationalem & sic de alijs? Imo in quibusdã neq; abstractione mentis, potest satis concipi hoc indiuiduum, vt existens sub ratione generica, & non sub aliqua specifica, vt v.g. hęc substantia existens nõ intellecto hoc corpore, aut hoc spiritu: sit ergo constans omnia attributa essentialia in vno, & eodẽ indiuiduo vnica differentia singulari indiuiduari in vltima ratione specifica. Ex hoc aũt apertè cõcludit (quod in prima consequẽtia inferebamus) attributa essentialia in eodem indiuiduo, non posse magis inter se distingui, q̃ à differentia indiuiduali, quia ille est vna & indiuisibilis: ergo quæ per illã indiuiduantur, nõ possunt distingui vt duo indiuidua ex natura rei distincta, quia in distinctis indiuiduis eo modo quo distincta sunt, debẽt etiã distinctæ indiuiduales

differen-

differẽtiæ reperiri; rursus quæ sunt omnino idem ex
A natura rei cũ eadẽ differẽtia indiuiduali, & indiuisibili, nõ possũt inter se indiuidualiter distingui: ergo nullo modo distinguũtur ex natura rei, quia vt probatum est, distinctio ex natura rei, nõ potest intercedere, nisi inter res indiuiduas & singulares vt sic.

Secunda probatio.

XVII. SEcundò probatur assertio posita, quia in vno indiuiduo v.g. Petro, esse hoc animal & esse hunc hominem ab eodem physico principio, proueniunt, scilicet ab hac anima: vt per se manifestũ est & declarabitur sect. seq. sed in hac anima v.g. Petri esse rationalem, sentitiuã & vegetatiuã (siue formaliter siue eminenter) nõ sunt gradus distincti ex natura rei: ergo nec gradus hominis & animalis distinguũtur vllo modo in Petro: consequẽtia patet quia rectè cõcludimus hoc animal non distingui realiter ab hoc homine, quia hæc anima quæ dat esse animalis, non est
B distincta realiter ab ea quæ dat esse huius hominis: ergo eodẽ modo cõcluditur non distingui ex natura rei. Dices, hoc argumentũ procedere ex æquè ignotis: nã qui hanc distinctionem ponit in cõposito ponit etiã in forma, & in quacunq; alia re etiã si physicè simplex sit. Respondetur, esto ita sit cõsequenter loquendũ in ea sententia, meritò tamẽ reuocari argumentũ & difficultatẽ ad radices horum graduum, & ad simplices entitates physicas, quia in eis clariùs apparere potest, quàm superfluè & sine causa fingatur hæc distinctio; cùm nullum sit sufficiés eius iudiciũ in fundamento & radice talium graduum. Quod sic patet, nã anima rationalis v.g. in re vna simplex forma est, quæ si consideretur vt principium efficiens operationum omnium, quę in homine sunt, intelligitur esse vnum eminens, & quasi vniuersale principium earum, neq; oportet in ea fingere varias entitates, aut modos reales ex natura rei distinctos, per quos sit principale, & radicale principium talium operationum: alioqui etiam in forma, vel luce solis, quatenus potest esse principium vniuersale pluriũ actionum fingendi essent varii gradus seu modi entis, ex natura rei distincti. Similiterq; philosophandum esset in omni generali principio plurium actionum, vel effectuũ, ꝙ est alienum ab omni ratione,
C & recta cõceptione: quia, quæ sunt in inferiorib. distincta, sunt in superiori principio vnita. Igitur anima rationalis per suam entitatem in re omnino eandem, & simplicẽ, est principium radicale omniũ humanarum operationũ absq; vlla distinctione actuali, quę in ipsa sit, vt habet rationẽ talis principij quãuis per conceptus inadęquatos possit à nobis multipliciter cõcipi, atq; ita ratione distingui in ordine ad varias operationes. Ergo eodẽ modo eadem anima in genere causæ formalis cõfert homini omnes gradus viuentis, animalis, & hominis secundum eãdem omnino realitatem absq; vlla distinctione actuali, quæ in ipsa inueniatur ex natura rei. Patet consequẽtia, tum quia eadem est ratio de anima in vno & in alio genere causæ considerata; tum etiã, quia tantum, seu per idem est anima principium radicale operationum, per ꝙ est principium formaliter constituens operantem. Imò non aliter distinguuntur à nobis in anima illi gradus, quam in ordine ad operationes. Vnde, si in ordine ad illas non est necessaria distinctio ex natura rei in earum principio, neq; in
XVIII. ratione informandi erit necessaria.

Quod si in his gradibus, qui sumuntur in ordine ad diuersas operationes, nõ est necessaria distinctio ex natura rei, multò minùs erit necessaria in aliis superioribus, vel inferioribus generibus, aut differentijs, vt sunt v.g. ratio corporis aut substantiæ; vel si de formis loquamur, ratio formæ substantialis, vel formæ corporis: nam hoc ipso, quòd aliqua est forma materię, actuans substantialem potentialitatem, eius est forma substantialis, & est etiã forma corporis: hoc aũt inseparabile est, & indistinguibile ex natura rei à quacunq; forma actuante materiã, & componente cũ illa vnum substantiale cõpositum. Similiter inferiora genera, vt est ratio bruti sub animali, & alia huiusmodi minus possunt distingui, quã prædicti gradus in homine; nam, si in anima hominis, vt est principium variarũ opinionũ, non reperitur distinctio ex natura rei, multò minùs reperiri poterit in anima bruti v. g. in ordine ad operationes seusitiuas tali modo, in eo gradu, & ordine effectas.

Probatio tertia.

XIX. TErtiò est optima ratio à priori, quia hęc abstractio generum & specierum, vt per intellectum fiat, habet sufficiens fundamentum tum in ipso, tum
B in rebus, absque vlla distinctione actuali quę in ipsis rebus antecedat: ergo non est talis distinctio asserẽda. Probatur consequentia quia tota ratio introducendi hanc distinctionem sumpta fuit ex modo concipiendi nostro, & consequenter ex modo loquendi in modo concipiendi fundato: ergo si ob hãc causam, in illa distinctio necessaria non est, neque etiam est credenda, quia distinctiones reales, vel ex natura rei non sunt multiplicãdę sine fundamento. Primùm autem antecedens licet probatum sit tractando de conceptu entis, & de identitate inter communem naturam & indiuiduam, hîc declaratur breuiter, & probatur. Quia, vt intellectus illos conceptus formet atq; præscindat, ex parte rerum sufficit conuenientia, & similitudo earum inter se, magis vel minus perfecta, cũ aliqua dissimilitudine & disconuenientia; ex parte verò intellectus sufficit quòd possit, id in quo res conueniunt, concipere per modum vnius, præcisè illud cõcipiendo, sed hoc totum fieri potest absq; actuali distinctione graduum, quæ in re ipsa sit: ergo. Probat minor exemplis suprà ad-
C ductis: nã duo homines conueniunt inter se in ratione hominis, & distinguũtur vt indiuidua sunt absq; distinctione in re inter rationem communem, & indiuidualem differentiam. Item Deus & creatura cõueniunt in ratione entis realis, & differunt in ratione talis entis absq; distinctione inter rationem cõmunem, & propriam, neque ex parte Dei, vt est certum, neq; ex parte creaturæ, quia nullus gradus præscindi, potest in creatura, si positiuus & realis est, qui non habeat illam conuenientiam cum Deo in ratione entis. Hæc ergo exempla declarant, eandem omnino rem posse esse principium & fundamentũ conuenientiæ & differentiæ cum alia, ob maiorem vel minorem similitudinem cum illa absque vlla distinctione actuali, quæ in ipsis rebus antecedat.

XX. Quòd non solùm verum habet in conuenientia analoga, vt quidam significant, sed etiam in vniuoca, vt satis declarat exemplum de conuenientia specifica, & differentia indiuiduali, & alia adduci possunt de vniuersalioribus, seu genericis conuenientijs: nam sensus communis v. g. conuenit cum visu in perceptione coloris, & inde facilè abstrahi potest cõceptus cõmunis, cum auditu aũt conuenit in perceptione soni, & potest inde alius conceptus abstrahi:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtrahi: nemo autem dicet, vim percipiẽdi ſonũ & colorem ex natura rei diſtingui in ipſo ſenſu communi. Simile eſt de luce ſolis quatenus cum calore conuenit in efficiendo calorem, & cũ ſiccitate in exſiccando. Itẽ qualitates mediæ inter extremas contrarias, vt color vii idis, aut rubeus inter albedinẽ, & nigredinem, & liberalitas inter auaritiam & prodigalitatem, habent quandam cõuenientiam & diſſimilitudinem cum extremis: nam liberalitas comparata ad auaritiam differt ab illa & conuenit cum prodigalitate in vi & propenſione effundendi ſe, & communicandi, cõparata verò ad prodigalitatem differt ab illa in moderatione, & cõuenit cũ auaritia in retinendo: vanum autem eſſet fingere in liberalitate varios gradus, ſeu modos reales ex natura rei diſtinctos propter has intellectus noſtri comparationes & cõceptiones, quæ (ſi res attentè conſideretur) ferè poſſunt in infinitum multiplicari, & vix poſſunt differentiæ adeò ſimplices excogitari, quas intellectus diuidere non poſſet inueniendo in eis conuenientiam, & differentiam cum aliis rebus, vt in homine quatenus rationalis eſt inuenit cõuenientiam cum angelo in intelligendo, & differentiam in modo intelligendi; & ſic de aliis, ſatis igitur ex his conſtat, huiuſmodi conceptus intellectus non eſſe ſufficientia ſigna diſtinctionis actualis rerum.

Argumentorum ſolutio.

XXI. Compoſitio ex genere & differentia, compoſitio rationis.

AD primum argumentum in principio poſitũ reſpondetur compoſitionem ex genere, & differentia non eſſe realem compoſitionem, ſed rationis tantùm: quia, vt bene probat argumentum, ſine diſtinctione ex natura rei, neq; compoſitio vera, & quæ in re ſit, intelligi poteſt: quia compoſitio nihil aliud eſt, quàm diſtinctorum vnio: vbi ergo non eſt diſtinctio in re, neque compoſitio eſſe poteſt: eſt ergo hæc rationis compoſitio. Dicitur autem hæc compoſitio non eſſe omnino per rationem cõficta, non quia in re actu antecedat, ſed quia in re eſt fundamentum vt intellectus poſſit concipere vnam rationem vt potentialem, & præciſam ab altera, & aliã vt actualem, & determinantem alteram, & ita propriè compoſitio tantùm eſt in cõceptibus: in re verò ſolùm per extrinſecam denominationẽ à conceptib. mẽtis, & hoc modo dicitur eſſe compoſitio rationis. Quocirca huiuſmodi cõpoſitio non repugnat Deo propter ſolam ſimplicitatem, vt infrà dicam, ſed etiam ratione illimitationis, & eminentiæ diuinæ. Nam in primis ob hanc cauſam non poteſt habere conuenientiam vniuocam cum creatura; & conſequenter, nec genericam. Deinde non poteſt in Deo aliqua ratio communis ita abſtrahi & præſcindi, vt non includatur in qualibet ratione propria & particulari propter ſummam Dei illimitationem, & ſimplicitatem, quod etiam repugnat compoſitioni generis & differentiæ.

XXII. Definitio & eius partes quatenus rei cum ſuis cõmenſurẽtur.

Ad confirmationem reſpondetur, partes definitionis, non propriè dici ſignificare partes rei, ſed habere quandam proportionem cum partibus rei, vt D. Thomas exponit 7. Metaph. lect. 9. quia ſe habent genus, & differentia ad modum materiæ & formæ, quæ ſunt partes rei, à quibus propterea genus & differentia ſumi dicuntur, vt ſect. ſeq. latiùs explicabimus. Deinde dicitur, definitionem eſſe opus intellectus, & neceſſariò requirere compoſitionem aliquam veram & propriam ex diſtinctis conceptibus, ſicut definitio voce prolata diſtinctis vocibus partialibus conſtare debet; explicat enim diſtinctè rei naturam, quod à nobis vna voce; vel vno ſimplici conceptu fieri non poteſt; & hac ratione dicitur cõſtare ex partibus: non eſt tamen neceſſe, vt ſingulæ partes definitionis explicent ſingulas partes definiti in re diſtinctas, ſed vnaquæque dicere poteſt totam naturam, vel entitatem definiti, vna tamen dicit illam confusè, & ſub ratione aliqua communi & potentiali; alia verò ſub ratione magis determinata & propria; & huiuſmodi rationes diuerſæ poſſunt vocari partes definiti, non ſecũdum rem, ſed ſecundum rationem tantùm: nam definitum, vt definitum, dicit denominationem rationis.

Ad ſecundum reſpondetur, genus, & differẽtiam XXII dicere eſſentias, ſeu rationes eſſentiales diuerſas ſecundum rationem, non ſecundum rem: atque hoc modo genus dicitur eſſe extra rationem differentiæ, & differentia etiam extra rationem generis: nam vtriuſq; ratio ita mente concipitur ac præſcinditur, vt ſecundum eam præciſionem, & abſtractionem, neutra in altera formaliter includatur: ad quod non eſt neceſſe, vt in re ipſa diſtinguantur in vna & eadem re, ſed ex parte generis ſatis eſt, quod ratio eius, vt tali conceptioni reſpondet, non conſtituatur intrinſecè per differentiam diuiſiuam eius, & conſequenter, vt poſſit in re inueniri abſq; tali differentia: ex parte autem differentiæ, vt genus dicatur eſſe extra rationem eius, ſatis eſt, quòd in eius præciſo conceptu obiectiuo, non includatur conceptus obiectiuus generis, ſed concipiatur differentia vt actus generis, omnino ratione diſtinctus. Atq; hoc etiam ſatis eſt vt genus & differentia dicantur cõparari vt potentia & actus eſſentialis, non ſecundum rem, ſed ſecundũ rationem tantùm; nam qualis eſt cõpoſitio, tales eſſe debent actus & potentia, eſt autẽ hæc cõpoſitio rationis, vt diximus: eodem ergo modo dicitur componi vnum per ſe ex genere & differentia ſecũdum rationem, & non ſecundum rem, & ideò tale cõpoſitum eſt maximè per ſe vnũ, quia componentia in re vnum ſunt, & ſecundum rationem per ſe cõparantur, & ſubordinantur. Et hoc ſenſu dixit D. Thomas 7. Metaph. lect. 12. differentiam nõ addi generi, vt diuerſam eſſentiam ab illo, ſed vt contentam in eo implicitè ſicut determinatum continetur in indeterminato; & hac de cauſa ex eis componi vnum per ſe.

Ad rationem reſpondetur, dupliciter nos poſſe XXIII loqui de genere, & differentia. Primò vt à parte rei exiſtunt: ſecundò, vt per intellectum præſcinduntur. Priori modo cùm genus & differentia in re non diſtinguantur in vnaquaque ſpecie, genus & differentia eandem habent eſſentiam quam ſpecies, quamuis diuerſimodè illa ſignificetur per conceptus aut verba ſignificantia genus & differentiam vt D. Thomas nuper citatus dixit. Atq; hoc modo genus prout in re eſt actu includit differẽtias oppoſitas, prout eſt in diuerſis ſpeciebus, quo modo dicuntur in genere latere æquiuocationes. Et ſic etiam dixit Ariſtot. 10. Metaphyſ. cap. 11. tex. 24. genus prout in vna ſpecie exiſtens diuerſum eſſe à ſe ipſo prout eſt in alia. Neq; obſtat quod differentiæ illæ oppoſitæ ſint, quia genus ſic cõſideratum non habet realem vnitatem, ſed multiplicatur eius formalis vnitas in diuerſis ſpecieb. & ideò in eis poteſt oppoſitis differentijs actuari, vel potiùs eis identificari. Secundo autem modo, & magis propriè ac vſitatè loquimur de genere & differentia, vt ſubſtant abſtractis & præciſis conceptibus noſtris: & ſic ſolùm illud dicitur eſſe de eſſentia vniuſcuiuſq;, quod per ſe neceſſarium eſt ad formalem

formalem rationem, & conſtitutionem rei vt ſic conceptæ; & hoc modo (vt dictum eſt) & differentiæ diuiſiuæ non ſunt de eſſentia generis, nec genus de eſſentia differentiarum; tamen tota hæc diſtinctio & præciſio eſt per operationem intellectus, ad quam dicit habitudinem, ſeu eam inuoluit, & conſtat eſſentia, quando nominibus generis, & differentiæ ſignificatur.

XXV. Tertium argumentum, & omnia quę in illo indicãtur, ſæpe ſoluta ſunt in ſuperioribus, nam eadem argumenta fiũt in ſpecie reſpectu indiuiduorum, & in ente reſpectu inferiorum. Dico ergo genus, prout eſt à parte rei coniunctum cum differentia ſua, eſſe prorſus inſeparabile ab illa; & à tali differentia dicimus in re ipſa nõ diſtingui; quòd verò genus, prout eſt in vna ſpecie, ſit ſeparabile in re à differentia alterius ſpeciei, nullum argumentum eſt quòd in vna & eadem ſpecie genus & differentia diſtinguãtur, quia genus prout in re eſt in vna ſpecie, & in altera, nõ eſt realiter vnũ & idem, ſed ratione & abſtractione tantùm: ſolùm ergo includitur diſtinctio rationis, cuius in re ipſa eſt aliquod fundamentum, nimirum ſimili-
B tudo aliqua diuerſarum naturarum incompleta, & imperfecta, quæ eſſe poteſt in re abſq; actuali diſtinctione, vt declaratum eſt. Illa verò locutio quod differentia contrahit genus, vel actuat illud, dicit ordinem ad cõceptus noſtros, & ideò ſufficit diſtinctio-

XXVI. rationis ad illius veritatem, & proprietatem.

Quartum argumentum tangit difficultatem quę ſequentem poſtulat ſectionem: cętera verò argumẽta, quæ afferebantur ad oſtendendã diſtinctionem ex natura rei inter genus & ſpeciem, inter ſe & differentiã ac ſpecie inter ſe, cùm ſupponant diſtinctionem ex natura rei inter genus, & differentiam inter ſe, facilem habẽt ex dictis ſolutionem. Vnde ad primum reſpondetur genus & differentiam non cõparari ad ſpeciem, vt partes ex natura rei diſtinctas: ſed ſolùm ratione. Et hoc ſatis eſſe, vt genus, vel differẽtia cum præciſione ſumpta non poſſint prædicari de ſpecie, vt declaratũ eſt. Ad primã confirmationẽ etiã patet ſolutio ex dictis: nam, licet in homine animal ſit idem cũ homine, & in equo ſit idem cũ equo, non ſequitur hominẽ & equum eſſe idẽ inter ſe, quia non ſunt realiter vnum animal, ſed ſolùm habent ſimili-
C tudinẽ in eſſe animalis; ratione cuius in vno animalis conceptu cõueniunt; & hoc ſatis eſt vt animal ſit vniuocum, & ſecundum eãdem rationem conceptã de vtroq; dicatur, quamuis ſecundũ rem aliã eſſentiam realem habeat animal in homine, quã in equo, & econtrario. Ad vltimam cõfirmationem negatur aſſumptum: nihil enim repugnat, vt ſæpè etiã eſt oſtenſum, rẽ omnino eãdem, & ſine vlla diſtinctione, quæ ex natura rei in ipſa ſit, fundare ſimilitudinẽ & differentiã ad aliã: quia poſſunt imperfectè & ſecundũ quid tantum aſſimilari, ſimpliciter tamẽ differre.

SECTIO X.

Vtrùm abſtracta Metaphyſica generum, & ſpecierũ, & differentiarum verè poſſint inter ſe prædicari.

I. ABſtracta Metaphyſica voco ea quę à cõceptibus Metaphyſicis abſtrahuntur, vt animalitas, rationalitas, & ſimiles: voco autem illa abſtracta Metaphyſica, vt illa diſtinguam à phyſicis, vt ſunt albedo, color, &c. inter quæ non eſt dubium quin poſſint veræ & propriæ prædicationes fieri; vt *albedo eſt color*, & ſimiles. De prioribus ergo terminis, & propoſitionibus, quæ ex illis conficiuntur, vt *animalitas eſt rationalitas*, & ſimilibus. Scot. in d. 1. d. 2. q. 7. & d. 5. q. 1. & in prædicab. q. 16. ſentit falſas eſſe propter diſtinctionem extremorum formalem, & ex natura rei. Soto verò in quæſt. 3. vniuerſal. art. 2. dicit Scotum in hoc differre ab omnibus realibus; vnde contrarium ipſe opinatur ex oppoſito fundamento, ſcilicet, quia ſola diſtinctio rationis non ſufficit ad falſitatem propoſitionis.

II. Sed non ſolùm Scotus, verùm etiam alii authores cenſent illas locutiones eſſe negãdas, non ob diſtinctionem ex natura rei, ſed ob modum ſignificandi, quia adiũcta diſtinctione rationis, ſufficit efficere falſam propoſitionem, quando vna ratio formalis præcisè concepta prędicatur de altera ratione diſtincta, ſimiliter præcisè concepta, quod in illis locutionibus fit. Quia termini abſtracti ſignificant rationes formales præciſas, vnde cùm vna de altera prædicatur, ſignificatur, quòd vna ſit altera, non tantùm ſecundum rem, ſed etiam ſecundum præciſionẽ mentis & ſecundum rationem, quod falſum eſt, & hoc modo tenet hanc ſententiam Niphus lib. 3. Metaph. diſp. 2. & Caiet. de ente & eſſentia cap. 4. & ſignificat D. Thom. ibidem c. 3. & 4. & confirmari poteſt, quia hæc abſtracta ſignificant naturam per modum partis: ſed vna pars non poteſt verè prædicari de alia, nec de toto: vnde dici communiter ſolet, etiam genus ipſum, v.g. animal ſi præcisè ſumeretur per modum partis, non poſſe verè prædicari de ſpecie, ſolumque verè prædicari, quatenus confusè ſaltem ſignificat totum, quod eſt in ſpecie; vel quia adæquate ſignificat id quod habet talem naturam, quod eſt ipſum totum: ergo multo minùs poſſunt verificari propoſitiones illæ in abſtracto ſumptæ.

III. Quòd ſi obiicias, ſi in abſtractis accidentium poſſunt fieri prædicationes huiuſmodi, cur non in abſtractis ſubſtantiarum? Reſpondetur ex Scoto quia hæc abſtracta ſunt vltima abſtractione, id eſt tali abſtractione vt vlterius abſtrahi non poſſint, ſeu in aliã magis abſtracta reſolui: accidentia verò quæ in abſtracto ſignificãtur iuxta cõmunem vſum, & in quibus dicimus poſſe fieri illas prædicationes, non ſunt abſtracta vltima abſtractione, poſſent enim vlterius reſolui ſeu abſtrahi, vt ſi ab albedine abſtrahatur albedineitas, à colore coloreitas: tunc enim in his abſtractis, etiam non poſſunt fieri prædictæ prædicationes: militat enim eadem cauſa. Propriùs verò, ac formaliùs dicetur eandẽ eſſe rationem ſubſtantiarũ & accidentium, ſi abſtractio ſit eiuſdem rationis, ſcilicet, aut Phyſica aut Metaphyſica, inter has verò eſſe diuerſam rationem. Nam per abſtractionem phyſicã, ſcilicet albedinis à ſubiecto nõ abſtrahitur eſſentia ab ipſamet re (vt ſic dicã) quam conſtituit: ſed abſtrahitur forma à ſubiecto; & ideò ex vi talis abſtractionis ſolũ tollitur prædicatio vniuerſalis per modum proprii, vel accidentis, quia vt ſic non poteſt talis forma de ſubiecto ſuo prædicari, nec de compoſito, quia ad hoc cõparatur tãquam pars; ad illud verò vt res ab eo diſtincta, & non ſignificatur vt in eo exiſtens, ſed vt per ſe ſtans. Deniq; vt ſic non ſignificat vllo modo habentem formã, nec ſupponit pro illo, ſed ſolùm pro ipſa forma, quam ſignificat. Et ſimile huius in ſubſtantiis erit, ſi formam à compoſito abſtrahamus, & abſtractè ſignificemus, vt animam ab animato, &c. ſic enim non poterit abſtractum de concreto prędicari; inter abſtracta verò poterũt fieri prędicationes ſuperiorum de inferioribus: nam anima rectè de tali anima prędicatur. Per aliam verò ab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

stractionem Metaphysicam abstrahitur essentia ab entitate, quam constituit, & formaliter concipitur ac significatur, vt cùm dicitur albedinem esse albam, & ideò in his abstractis non possunt fieri veræ prædicationes, quando rationes conceptæ distinctæ sunt saltem secundum rationem.

IIII. Inter has sententias vltima veritatem magis attigit: tamen vt rē amplius explicemus, distinguere hìc possumus quatuor prædicationum genera; primò enim prædicari potest abstractum superius, & quasi genericum de abstracto inferiori, quasi specifico & integro, vt cùm dicimus: Humanitas est animalitas. Secundò potest prædicari idem abstractum generi cum de abstracto non speciei, sed solius differentiæ, quod cōparatur ad aliud tanquam formale ad materiale, vt sic dicamus, rationalitas est animalitas. Tertiò potest econtrario prædicari hoc abstractum formale seu differētiale de abstracto specifico, vt in hac humanitas est rationalitas. Quartò potest idem abstractum differentiæ dici de abstracto generico seu materiali, vt in hac, animalitas est rationalitas.

V. Ab hac ergo vltima prædicatione incipiendo, videtur mihi in rigore falsa, propter rationes factas; &, B quia illa duo extrema, prout præcisè & abstractè significantur, nullo modo comparantur, ita vt vnum in alio formaliter includatur; & consequenter, neq; vnum dicere potest id totum, quod dicit aliud, neq; actu neq; potentia, neque explicitè, nec confusè. Et quamuis identicè interdum animalitas & rationalitas sint eadem essentia, tamen hoc non significatur per illum modum enunciādi, sed potiùs significat, ac si prædicatū sit de formali, & quidditatiuo cōceptu subiecti. Vnde sumitur optima confirmatio, quia rationalitas non potest verè prædicari de animalitate, nisi vt differentia eius diuisiua, & contractiua; atque adeò extra rationem eius existens: sed in illa locutione non prædicatur vt differentia diuisiua: quia differentia diuisiua, cùm sit extra genus, adiacet illi, & se habet per modum accidentis, & ideò non potest de illo prædicari in abstracto, sed tantùm in concreto. Propter q̄ rectè dixit Auicenna. tract. 5. suę Metaph. c. 6. rationalitatē vt in abstracto significatur, nō esse differentiam sed differentiæ principium. Et propter eandē causam existimo, tertiā locutionem esse in rigore falsam, quia etiam in illa rationalitas nō prædi- C catur vt differentia, quia non prædicat in quale: prædicatur ergo, vt tota & integra ratio humanitatis, & ita efficit sensum falsum. Similiter existimo, enunciationes secundi generis esse in rigore falsas, quamuis in sensu identico sint minus indirectæ quam primæ: nam omnis essentia, quę est realiter rationalitas, est etiam animalitas, non verò econuerso.

VI. At verò locutiones primi generis, videntur posse admittere aliquem sensum verum in omni rigore & proprietate, quamuis æquiuocæ videantur, & ideò non sint sine distinctione admittēdæ. Humanitas. n. cùm dicat integram hominis essentiam & naturam, includit in conceptu suo animalitatem, & rationalitatem, quia totum hoc est de essentia hominis. Item quia humanitas non dicit solā rationalitatem: plus enim in conceptu suo includit, vt per se notum est: non enim dicit solam vltimam differentiā hominis, nec solum abstractum differentiæ; sed dicit formam totius, quæ physicè includit totam naturā compositam ex materia & forma, & Metaphysicè omnes gradus talis naturæ. Igitur humanitas reuera est quædā natura sensitiua, & in hoc habet aliquam conueniētiam, & similitudinem cum natura equi, & leonis in A in abstracto sumpta: nā omnes sunt principium integrum sentiendi: ergo potest ab illis omnibus vnus conceptus communis abstrahi, qui sit ille generic⁹, & de illis possit prædicari: & in confuso ac in potētia dicat totum id, quod in singulis membris reperitur, & sanè hic conceptus significari videtur illa voce, principium integrum seu totale sentiendi, quod sine dubio verè prædicatur de omnibus illis naturis. Si ergo nomine animalitatis idē conceptus eodemque modo significetur, erit vera illa locutio. Non videtur autem hæc significatio aliena à proprietate illius vocis: quia, licet illud abstractum significetur vt pars respectu concreti & ideò non possit de illo verè prædicari (iuxta veriorem sententiam infrà tractandam in disputatione de supposito) tamen respectu ipsiusmet formæ totalis, quamuis formaliter non exprimat totam illius rationem, tamen confusè videtur posse significare totam illam, seu conceptum illius communem, vt includentem in potentia omnes determinationes suas: in hoc ergo sensu erit vera illa propositio: sicut hæc est etiam vera, hæc humanitas Christi est humanitas, & pertinet ad prędicationem speciei de indiuiduo.

Nihilominùs tamen propter formalem significationē ac præcisionē vocis abstractæ potest esse æquiuocatio in illa voce *animalitas*, ita vt per illā significet ratio constitutiua animalis, vt præcisa ab omni inferiori, & in hoc sensu esset falsa locutio, vt conuincūt argumenta priùs facta; ideoq; non esset illa locutio sine distinctione admittēda, & quoad hoc nō est eadem ratio de communib. abstractis physicis formarū seu accidentiū: nam cū hæc natura sua sint formæ reales & physicæ, quando in abstracto significantur, vel concipiūtur planè intelligūtur abstrahi à subiectis, nō verò præscindi ab omnib. differētiis inferiorib. natura aūt substātialis est tantū forma Metaphysica, & nō est propriè in subiecto, & ideò, quando in abstracto cōcipitur & significatur, videtur cū omni præcisione ab omni etiā cōtrahente significari, iuxta illud Auicēnæ, *Equinitas est tātum equinitas*: quāuis nō repugnet etiam significari per modū totius potētialis respectu inferiorū, vt diximus. Sed quæres, si animalitas potest in hoc sensu cōcipi vt genus humanitatis, & aliarum naturarum in abstracto sumptarū, C cur rationalitas non habebit rationē differētiæ, aut quę nā erit eius differentia. Respondetur, si quis velit Metaphysicè humanitatem definire, facilè id intelliget; neq; enim dicet, humanitatē esse animalitatē rationalitatem; esset enim incōgrua locutio; neq; illa esset definitio: quia illæ duæ partes nullo modo inte se coniunguntur ad vnam orationem componendam. Dicet ergo, humanitatem esse, animalitatem rationalem: rationale ergo est differentia etiam illius abstracti; quia vt suprà dicebam abstractum vt sic non potest prædicari per modum differentiæ sed generis, vel speciei: nam semper prædicatur in quid: prædicatio enim in quale tantū fit per terminos cōnotatiuos, seu adiectiuos, qui significēt formā vt informantem, vel adiacentem alteri. Et ideò etiā in accidentib. quamuis genus prædicetur in abstracto de specie, differentia nunquam dicetur per modū abstracti sed concreti, non enim dicemus, albedinem esse colorem & disgregationem visus; sed colorem disgregantem, vel disgregatiuū visus. Quod si tandē obiicias, non posse eandem differētiam esse generis in abstracto, & in concreto sumpti. Respondetur, rationale coniunctum animali in cōcreto, & animalitati in abstracto, non eodē sensu vtriq; tribui: nam in vno

vno significat esse naturam tantùm rationalem, in A alio verò esse rationale suppositum.

SECTIO XI.

Quod sit in rebus principium vnitatis formalis, & vniuersalis.

I. QVamuis vnitas vniuersalis aliquo modo differat ab vnitate formali, vt diximus, tamen, quia non est vnitas secundum rem, sed secundū rationem, ideò in re nō est diuersum vtriusq; vnitatis principiū, & ideò necesse nō est, diuersas de illis quæstiones mouere; sed explicato principio vnitatis formalis, erit explicatū de vniuersali: quia hæc non fundatur in rebus, nisi media vnitate formali. Et ideò rectè dixit Ferrar. 2. cōt. gent. c. 95. cùm quęritur, à quo sumatur genus, & differentia, non quæri de genere & differentia secundè intentionaliter, hoc est, vt per rationem habent vnitatem, vel relationem rationis, sed primè intentionaliter, id est, secūdum vnitatem formalem vel conuenientiam, quam in re habere possunt. Est autem hic sermo de principio physico: B sicut enim in superioribus explicata vnitate indiuiduali, inquisiuimus, & explicuimus principium eius, id est, fundamentum physicum, quod in re habere potest; ita hic simile principium inuestigamus respectu vnitatis formalis, quę vel est vnitas generis, vel differentiæ, vel speciei ex vtraque compositæ: omitto enim nunc vnitatem formalem transcendentalem, quia, vel analoga est, & sic non est vnitas simpliciter; vel, si sit vniuoca, ad genericam reuocanda est, vt suprà dixi; & idem proportionale habet fundamentum vt explicabo.

II. Sic igitur declarata quæstio coincidit cum illa cōmuni, vnde sumantur genus & differentia. Et ratio dubitandi est, quia communiter dici solet, genus sumi à materia, & differentiam à forma: quod tamen verum non apparet. Primò, quia etiam in angelis reperitur vnitas formalis generis & speciei; & tamen in eis, nec materia, nec forma reperitur. Secundò, quia si genus sumeretur à materia, ergo quæ materiam non haberent communem, nec genus possent habere cōmune, consequens est apertè falsum, quia C & substantiæ materiales cum immaterialibus in genere aliquo conueniunt, & corpora terrestria cum cælestibus, quamuis in materia non conueniant. Tertiò, quia in substantijs etiam similem materiam habentibus non sumuntur genera à materia: vt patet de genere viuentis, animalis, & similibus: viuens enim non habet vitam à materia, sed à forma: & sic de aliis. In contrarium est, quia ille modus loquendi est ferè omnium antiquorum, præsertim verò D. Thom. de ente & essentia cap. 4. 5. & 6. & 2. cont. gent. cap. 95. & q. de spiritual. creat. artic. 1. & significat Auerr. 10. Metaph. in fine. comm. 26. propter Aristot. ibi dicentem, *Corruptibile, & incorruptibile differre genere*, eò quòd materia etiam differant: In quo significat, genus, vel esse materiam, vel omnino à materia esse sumendum.

Prior opinio reÿcitur.

III. IN hac re duplex potest esse dicendi modus. Prior est, materiam & formā propriè & in rigore sumptos esse propria & necessaria principia vnitatis formalis genericæ, vel specificæ: atque hoc sensu genus sumi à physica materia tanquam à proprio principio, differentiam verò seu speciem (hæ enim duæ pro eadem reputantur, cum differentia, speciem cōstituat) sumi à forma. Atque in hunc modum videntur sensisse, qui negant res immateriales componi ex genere & differentia, sed tantùm rē ex materia & forma compositas, inter quos est Durand. in 2. d. 3. quæst. 1. & indicant Albert. in prædicam. cap. de Substan. & ibidem Ægid. & quodlib. 1. q. 8. nam hac ratione moti (vt videtur) negant substantias corporeas esse vniuocè substantias cū incorporeis. Quod etiam negauit Auerr. loco suprà citat. de corporibus terrestribus, & cælestibus, quia putauit cælos non constare materia, de quo aliàs. Verū est, ex hoc principio non necessariò sequi, hos authores negasse in angelis vel cælis genera & differētias, quia existimare potuerunt habere inter sese genericā conuenientiam, etiamsi negauerint habere illam cum inferioribus substantiis. Tamen, si ita sentiant, nullam probabilem rationem afferre poterunt, ob quam neget communia genera his substantiis compositis ex materia & forma, & illis immaterialibus, quæ compositionem generis, & differentiæ in se admittunt: quia, sicut in hoc similes sunt inferioribus substantiis, ita cum illis habere possunt aliquam vnionem, & genericam conuenientiam: neq; hoc repugnabit earum simplicitati, aut perfectioni: magis ergo consequenter dicent, hoc ipso, quòd materiam & formam non habent, nec genus & differentiam habere posse: quia hæc in illis fundantur. Huius autem assertionis sic expositæ non video, quod possit fundamentum afferri, nisi quia, sicut materia est in potentia ad plures formas, & cum illis componit diuersas essentias, ita se habet genus ad plures differentias. Sed hæc opinio sic expositæ est apertè falsa: vt conuincunt argumenta in principio facta, & quæ afferemus: fundamentumque illud valde leue est, quia illa conuenientia non est per veram similitudinem ac proprietatem, sed solùm secundum quandam proportionem.

Durand. Albertus. Ægidius. Auerroes.

Quæstionis resolutio.

IIII. EST igitur secunda sententia, materiam & formā, non secundum proprietatem physicam, sed secundum quādam proportionem, & analogiam esse principia, à quibus genus, & differentia sumuntur. Genus qui dicatur sumi à materia, à forma verò differentia. C Nam materia est prima, & quasi essentialis seu substantialis potentia naturę substantialis de se indifferens ad plures naturas seu actus: forma verò est primus actus substantialis determinans, vel constitues naturam. Quia ergo genus est quid potentiale, & indifferens, & per differentiam actuatur, & determinatur ad certum gradum seu speciem naturæ, ideò dicitur genus sumi à materia & differentia à forma, id est, per proportionem quandam ad materiam & formā. Atq; hæc est sententia Aristotelis 8. Metaph. tex. 6. D. Thomæ. dict. opusc. de ente & essentia, & 2. cont. gent. c. 95. & 7. Metaph. lect. 11. & 12. & aliis locis infrà citandis. Atque hic sensus est verus & facilis. Dicendum ergo est, in vniuersum loquendo principium formalis vnitatis esse totam rei essentiam & naturam diuersō tamen modo, nam vnitatis genericæ principium, est ipsa natura, vt vlterius est perfectibilis seu determinabilis, seu vt habet cōueniētiam & similitudinem cum aliis in aliquo gradu potētiali, seu amplius determinabili. Vnitatis autem specificę, seu differentiæ est eademmet natura secundum vltimam perfectionem essentialem suam. Probatur primò rationib. factis, quia non potest assignari alius modus, qui communis sit omnib. substantiis, & acci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentibus,ac formis. Secūdò, quia in ipsisinet subſtā- A tiis materialibus,nec forma,nec materia eſt ſufficiés principium generis & differentiæ: quia vt ſuprà dictum eſt,tam genus quàm differentia dicunt aliquo modo totam rei naturam; & ideò poſſunt prædicari de ſpecie. Vnde, ſi per impoſſibile intelligeremus compoſitum ex anima rationali,& alia materia alterius rationis ab ea,à qua nunc homo conſtat, ex tali materia & forma non ſumerentur genus & differentia,quibus nunc homo eſſentialiter conſtat: quia rationale, licet ſumatur præcipuè ab anima, includit tamen eſſentialiter talem materiam. Et econtrario, quamuis fingatur hæc materia abſq; compoſitione cum aliqua forma, nullum genus proprium ſubſtātiæ ab ea ſumi poſſet, niſi fortè genus materiæ, reſpectu cuius ipſa materia ſe habet vt tota natura, à qua, vt habet conuenientiam cū materia cæli in gradu aliquo vlterius determinabili, ſumi poteſt tale incompletum genus, & conſequenter ab eadem, vt habet complementum in ſua eſſentia ſumetur vltimæ differentia conſtituens ſpeciem talis materiæ; & idem eſt ſuo modo in forma: ergo in vnaquaq; re omnis huiuſmodi vnitas ſumitur ex tota natura ali- B ter,& aliter comparata ſeu concepta. Hoc autem cū debita proportione intelligendum eſt, nam in ſubſtantiis completis & integris, id ſimpliciter & cum omni proprietate verum eſt, quia illæ ſunt, quæ habēt proprias & integras naturas; quia verò etiam in partialib. ſubſtantiis, vt ſunt materia & forma reperitur ſuo modo vnitas generica & ſpecifica,in eis debet cum proportione intelligi, quod à tota natura ſcilicet partiali, id eſt,à tota entitate formæ, vel materiæ ſecundùm diuerſas rationes huiuſmodi genus & differentia ſumantur,quod ad formas etiā accidētales eodem modo accōmodandum eſt,vt latè in D. Thom. videri poteſt opuſc. de ente & eſſentia cap. 7.

Argumentorum reſponſa.

VI. In Angelis vere genera & differentiæ reperiuntur.

AD primum ergo fatemur, in angelis eſſe genera & ſpecies, vt latè D. Tho. declarat dicto opuſc. de ente & eſſentia c. 5. & 6. & 1. p. q. 50. art. 2. ad 1. & alii vt infrà tractabimus diſputando de intelligentiis. Neq; oportet vt in eis ſit materia & forma, quia vt diximus non ſemper illæ ſunt participia generis & differentiæ, ſed quælibet natura, etiam ſimplex, dummodo talis ſit, vt poſſit habere cū aliis conuenientiam vniuocam in gradu aliquo abſtrahibili per intellectum vt determinabili, vel determinante: hoc autē nō repugnat inueniri in angelicis naturis, cùm ſint finitæ & limitatæ perfectionis. Dices, ergo nulla eſt in hoc differentia inter ſubſtantias materiales, & immateriales: quia in vtriſq; ſumuntur genus & differentia à tota natura ſecundum perfectiorem, vel imperfectiorem gradum, vnde materia & forma veluti per accidens ſe habent, quia ſolùm concurrūt quatenus ſunt partes componentes talem naturam: conſequens autem videtur contra D. Thom. cit. locis præſertim 1. part. qua ſt. 50. art. 2. ad 1. vbi ait eſſe differentiam inter ſubſtantias materiales, & immateriales, quòd in illis ab alia re ſumitur genus, & ab alia differentia; in his verò ab vna, & eadem re ſecundum rationem diuerſam vtrumque ſumitur. Reſpōdet Ferrara ſuprà, ſi loquamur de proximo principio nullam eſſe differentiam, quia illud eſt tota natura in omnib. ſubſtantiis, vt diximus, ſi autem ſit ſermo de radicali principio, in hoc eſſe aliqualem differentiam: nam in ſubſtantiis immaterialibus, cùm non ſint compoſitæ ex partibus phyſicis, idem eſt principium radicale, quod proximum omnis vnitatis formalis, in ſubſtantiis autem materialibus, quia compoſitæ ſunt ex partib. phyſicis, quamuis tota natura ſit principium proximum, materia verò cēſetur radicale principium generis, quia eſt radix totius potentialitatis: & quia per proportionem ad illam cōſideratur genus vt determinabile per differentias: forma verò cenſetur prima radix differentię quia illa dat vltimam perfectionem, & in actum redigit completam naturam. In quo etiam poteſt aliqualis differentia inter materiam & formam conſiderari, quia materia per ſe non eſt propriè cauſa radicalis alicuius gradus etiam generici, donec actuetur per formam, à qua primariò & eſſentialiter pendet omnis gradus naturæ ſubſtantialis. Vnde D. Thomas quæſt. de ſpirit. creat. artic. 1. ad 24. dicit cùm genus à materia ſumi dicitur, non eſſe intelligendum de materia prima, ſed ſecundum quod per formam recipit quoddam eſſe imperfectum, & materiale reſpectu ſpecifici, ſicut de animalis eſt imperfectum reſpectu hominis, & vtrumque eſt ab anima. Vnde fit vt propriè loquendo, materia non ſit principium generis B niſi per analogiā & proportionem vt diximus. Forma verò aliquid ampliùs habere videtur reſpectu cuiuſcunque differentiæ, quia eſt propria radix illius, quod non ſolùm de vltima, ſed etiam de ſubalternis differentiis verum eſt. Quamuis non ſit omnino in ſuo genere excludenda materia: quia omnis forma naturalis eſt actus eius, & ab illa vt ſic ſumitur differentia, ideoque ſemper in tali differentia includitur aliquo modo materia.

Ad ſecundum non deſunt, qui concedant ſequelam, ſcilicet nullum dari commune genus reb. non habentibus materiam communem ſeu eiuſdem rationis, vt ſuprà citatum eſt. Sed id nullo probabili fundamento nititur: quia, vt oſtendimus, nō repugnat compoſitio generis & differentiæ rebus finitis, etiamſi, vel nulla materia phyſica conſtent, vel materia alterius rationis à materia horum inferiorum. Item non repugnat illis habere vniuocam conuenientiam, vel ſimilitudinem cum his inferioribus, vt conſtat de conceptu ſubſtantiæ, qui ſecundam præciſam ſuam rationem conſideratus æquè conuenit ſubſtantiis integris materialibus ac immaterialibus, C & terreſtribus quàm cæleſtibus. Reſpondetur ergo ad argumentum negando ſequelam: nam in primis quod attinet ad corpora cæleſtia & terreſtria, quamuis demus materias eorum eſſe ſpecie differentes, cū illæmet materiæ genere inter ſe conueniant, nullum erit incōueniens ab eis ſuo modo ſumi vnum commune genus his corporibus, non ſolum quatenus ſubſtantiæ ſunt, ſed etiam quatenus corpora ſunt. Quod verò ſpectat ad immateriales ſubſtantias, vniuocè conueniunt cum inferioribus in ratione per ſe eſſendi, ſeu ſubſiſtendi in ſubſtantiali natura: vnde habere poſſunt commune genus, non ſumptum à propria materia, ſed à tota natura ſecundum indeterminatam rationem eius, vt dictum eſt. Neq; huic veritati, repugnat dictum illud Ariſtotelicum, Corruptibile & incorruptibile differunt genere, quia vt exponunt Diuus Thomas, Alexander Alenſis & alii tum ibi, tum 5. Metaph. tex. 33. illud non eſt intelligendum de genere logico, aut Metaphyſico, quod per conuenientiam in aliqua vnitate formali conſideratur, ſed de genere phyſico, quod eſt ipſa materia, de qua interpretatione plura infrà diſput. 38. ſect. 3. Tertia ratio iam dictis diſſoluta.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De variis diſtinctionum generibus.

HÆc diſputatio neceſſaria hoc loco viſa eſt ad completam expoſitionem huius attributi, ſeu proprietatis entis: nam cùm vnitas indiuiſionem includat & ideò multitudini opponatur, quę ex diuiſione ſeu diſtinctione cōſurgit ad comprehendos omnes modos vnitatis, neceſſe eſt, omnes etiam modos diſtinctionis cōmprehendere: quia, quot modis dicitur vnū oppoſitorū, tot dicitur & reliquum. Eſt autem hoc in Metaphyſica non minùs neceſſarium, quàm difficile: nam vt ex Ariſtotele ſumitur 2. Poſt. cap. 14. vniuſcuiuſq; rei eſſentia & quidditas per diuiſionem, ſeu diſtinctionem attingitur, nam diuidendo vnum ab alio ad propriam vniuſcuiuſque rei definitionem peruenitur: vnde, quàm eſt difficile rerum eſſentias cognoſcere, tantundē eſt varios gradus & modos diſtinctionum explicare. Inquirendum ergo eſt, quotnam illi ſint, & quibuſnam indiciis ſeu modis diſcerni poſſint.

SECTIO I.

Vtrùm præter diſtinctionem realem & rationis ſit aliqua alia diſtinctio in rebus.

I. Diſtinctio realis datur & quid ſit.

AN hoc titulo duo ſupponuntur vt certa, & tertium inquiritur. Primò enim per ſe notum eſt, dari in rebus diſtinctionem realem, quæ ad maiorē explicationem appellari ſolet diſtinctio rei à re, quæ in hoc conſiſtit, quòd vna res non ſit alia, neq; econtrario: conſtat aūt exiſtere plures res, quarum vna omnino non eſt alia. Solùm eſt obſeruandum, interdum res non ſolùm eſſe ſic diſtinctas, ſed etiam non eſſe inter ſe vnitas, vt ſunt duo ſuppoſita, vel accidētia quæ ſunt in diſtinctis ſuppoſitis, & alia huiuſmodi in quibus nulla eſt difficultas cognoſcēdi prædictam diſtinctionem, quia nullum eſt in eis veſtigium realis idētitatis. Aliquando verò contingit, huiuſmodi res ſic diſtinctas eſſe inter ſe vnitas, vt patet in materia & forma, quantitate & ſubſtantia; C & in his ſæpè eſt difficillimum diſcernere realem diſtinctionem, quæ ſit rei à re: ſi poteſt eſſe in rebus alia minor illa, quod ſtatim tractabitur; & tunc etiam explicabitur, quomodo ſit vna diſtinctio ab alia diſcernenda.

II. Poſitiua alia, alia negatiua, & quid vtraque.

Illud etiam eſt in hac diſtinctione obſeruandum, ſolere diſtingui in poſitiuam, & negatiuam: quę partitio, nō tam ex parte ipſius diſtinctionis, quàm extremorum eius data eſt; diſtinctio enim ipſa formaliter ſemper in negatione conſiſtit, vt ſuprà dictum eſt, tamen hæc negatio intercedit aliquando inter res poſitiuas & reales, quarū vna, non eſt alia; & tunc dicitur diſtinctio poſitiua, & hæc eſt propria diſtinctio realis, de qua nos locuti ſumus. Aliquando verò conſideratur talis diſtinctio inter ens & non ens, aut inter non entia omnino diuerſa, & tunc vocatur diſtinctio realis negatiua: quia vnum illorum extremorum non habet realitatem quam habet aliud, ſi ens poſitiuum & reale ſit; vel ſi vtrunq; ſit ens priuatiuum, vt tenebræ, & cæcitas, quia ita ſeparantur ac diſtinguuntur inter ſe, quòd ſi poſitiuæ res eſſent, realiter diſtinguerentur, vel certè quia fundamenta habent realiter diſtincta, in quibus ſuo modo eſſe cenſentur. Vnde hæc diſtinctio negatiua per ꝓpor- A tionē, vel analogiā ad poſitiuam intelligenda ac declaranda eſt: ac propterea illa omiſſa hic ſolū de propria ac poſitiua diſtinctione reali agēdum nobis eſt.

III. Tandem animaduertendū eſt, ad præſentem diſputationem nihil referre, quòd ad diſtinctionem realem cōſequatur relatio realis, vel rationis: nos enim non cōſideramus hic diſtinctionem, vt importare poteſt formalem relationem, ſed ſolùm ratione fundamenti, ad quod poteſt conſequi illa relatio. Vnde ad diſtinctionem realē non eſt neceſſaria (formaliter loquendo) relatio realis, Deus enim realiter diſtinguitur ab Angelo quāuis ad illū non referatur realiter. Quod ſi dicas, Angelum referri ad Deū. Reſpondetur, quicquid de hoc ſit, tamen ante illā relationem intelligi Angelum eſſe rem diſtinctā à Deo: inde enim reſultat illa relatio, ſi qua eſt. Et in Deo tres perſonæ diſtinguuntur realiter, quāuis inter eas diſtinctio nō ſit ſpecialis relatio realis. Omittēda ergo eſt hæc relatio tāquā impertinēs preſenti inſtituto.

IIII. Secundò eſt certū dari præter diſtinctionem realem, diſtinctionem rationis. Et eſt illa, quæ formaliter, & actualiter non eſt in reb. quæ ſic diſtinctæ denominantur, prout in ſe exiſtunt, ſed ſolum prout ſubſtant conceptib. noſtris; & ab eis denominationē aliquam accipiunt, quomodo diſtinguimus in Deo vnum attributum ab alio, vel relationem identitatis à termino, quando dicimus. Petrum eſſe idem ſibi; Hæc autē diſtinctio duplex diſtingui ſolet: vna, quæ Diſtinctio rationis ad & quæ ſit. nō habet fundamentum in re & dicitur rationis ratiocinantis: quia oritur ſolùm ex negotiatione & operatione intellectus, alia quæ habet fundamentum in re, & à multis vocatur rationis ratiocinatę, quamuis hæc vox, ſicut impropria valde eſt, ita & æquiuoca eſſe poteſt. Nam diſtinctio rationis ratiocinatę ſic dicta exiſtimari poteſt, quia in re ipſa prę exiſtit, ante quàm ratiocinetur, vt quaſi ex ſe ratiocinata dicatur; ſolumq; requiratur ratio ad illam cognoſcendam, nō verò faciendam: ſolumq; dicatur diſtinctio rationis, & non realis: quia non eſt tanta, neq; per ſe tam patens, ſicut realis; & ideò requirat attentam operationem rationis ad diſtinguendam illam. Sed explicata ſignificatione huius vocis iuxta hanc etymologiā, talis diſtinctio non eſt verè diſtinctio ratiB onis, de qua nūc agimus, ſed coincidit cū diſtinctione ex natura rei, de qua ſtatim dicemus. Alio ergo ſenſu dici poteſt diſtinctio rationis ratiocinatæ: rationis quidem, quia actu & formaliter nō eſt in rebus ſed per rationem fit, aut excogitatur: ratiocinatę vero, quia non eſt omnino ex mero opere rationis, ſed ex occaſione, quam res ipſa prębet, circa quam mens ratiocinatur. Vnde fundamentum, quod dicitur eſſe in re ad hanc diſtinctionem rationis, non eſt vera, & actualis diſtinctio inter eas res, quæ ſic diſtingui dicuntur: aliàs non fundamentum diſtinctionis, ſed diſtinctio ipſa antecederet, ſed eſſe debet, vel eminentia ipſius rei, quàm ſic mens diſtinguit, quæ à multis appellari ſolet virtualis diſtinctio, vel certè habitudo aliqua ad res alias verè & in re ipſa diſtinctas, penes quas talis diſtinctio excogitatur ſeu concipitur.

Hæc autem duo diſtinctionum rationis genera, quamuis ab aliis aliter explicentur, cōmodè tamen poſſunt in hunc modum declarari, nimirum vt diſtinctio rationis rationantis ſit in ordine ad eundem cōceptum adæquatū, ſeu ſimplicem, eiuſdem rei ſolùm per quādam repetitionem, vel comparationem eius, quæ in mente fit. Sic enim diſtinguitur Petrus à ſe ipſo, vel in ratione ſubiecti & prædicati, quando de ſe ipſo enunciatur, vel in ratione termini &

Universidad de Deusto
Biblioteca

subiecti relationis, quando idem sibi dicitur: in his enim & similibus distinctionibus rationis, idem est atque integer conceptus Petri, solumq; fit quædam repetitio & comparatio eius. At verò posterior distinctio rationis, fit per cõceptus inadęquatos eiusdem rei: nam licet per vtrumque eadem res concipiatur, per neutrum tamen exactè concipitur totum id, quod est in re, neque exhauritur tota quidditas, & ratio obiectiua eius, quod sæpè fit concipiendo rem illam per habitudinem ad res diuersas, vel ad modum earum; & ideò talis distinctio semper habet fundamentum in re, formaliter autem dicetur fieri per conceptus inadæquatos eiusdem rei. Sic distinguimus in Deo iustitiam à misericordia, quia non concipimus simplicissimam virtutem Dei, prout in se est, & secundum totam vim suam, sed eam conceptibus partimur in ordine ad diuersos effectus, quorum est principium illa eminens virtus, vel per proportionem ad diuersas virtutes, quas in homine inuenimus distinctas, & eminentissimo modo reperiuntur vnitæ in simplicissima virtute Deo.

VI. Ex quibus intelligitur primò, distinctionem rationis nõ appellari, eò quòd inter entia rationis versetur, in quo multi decepti sunt, vt posteà videbimus: constat enim ex dictis exemplis, ea quæ sic distingui dicuntur, entia realia esse, vel potiùs ens reale diuersis modis conceptum: & ratione etiam id patet, quia ratio non fingit entia, quę sic distinguit, sed solùm per modum distinctorũ concipit, quæ distincta non sunt: ergo nõ ea, quæ distinguuntur, sed sola ipsa distinctio per rationẽ resultat. Nec tamen mens fallitur sic distinguendo, quia non affirmat in re esse distincta, quæ sic concipit, sed simpliciter, & absque compositione, seu affirmatione aut negatione, ea cõcipit, vt distincta per abstractionem præcisiuam, per quam quasi efficit huiusmodi distinctionem. Quòd si posteà per reflexionem, vel compositionem illam prædicat de rebus sic conceptis, non affirmat simpliciter illas esse distinctas, sed tantùm secũdum quid, id est, secundum rationem. Quanquam autem distinctio hęc no requirat extrema, quę in se sint entia rationis, semper tamẽ supponit in eis aliquam denominationẽ rationis, qualis est denominatio subiecti, aut prædicati, vel saltẽ esse sic cõcisè, vel inadæquatè cõcepta. Ex quo etiã fit, vt, licet hęc distinctio non requirat extrema, quę absolutè sint entia rationis, possit tamen etiam inter illa fingi & excogitari: nam ens rationis semel conceptum, potest ad se ipsum comparari, & sic ratione distingui. Imo & relatio speciei v. g. quamuis in se vnum numero ens rationis sit adæquatè respiciens omnia individua, potest etiam præcisè concipi vt ad vnum vel aliud terminatur, & sic ratione distingui. Quamuis ergo distinctio rationis non requirat entia rationis vt extrema, neque inde denominetur, potest tamen ad illa extendi, seu in illis versari.

VII. Rationis distinctio extrinseca altera, altera intrinseca.

Ex quo vlteriùs intelligitur, distinctionem rationis dupliciter dici posse, seu denominari, primò intrinsecè, nimirum quia in se non est vera distinctio, sed concepta solũ, seu ratione cõficta, & hęc est propria distinctio rationis, de qua loquimur: alio tamẽ modo potest distinctio rationis dici quasi extrinsecè ab extremis in quibus versari intelligitur; ita vt distinctio rationis dicatur; quæ inter extrema seu entia rationis omninò versatur, & hæc non semper est distinctio rationis priori modo, sed tunc solùm, quando circa idem ens rationis versatur, vt explicatum est. Possunt autem interdum distingui duo entia rationis, quæ non possunt dici propriè realiter distingui, quia entia realia non sunt, tamen neq; etiã dici possunt ratione distingui propriè & intrinsecè: quia eo modo quo sunt, non iam ex fictione rationis, sed ex se verè distinguũtur. Nam, cùm distinctio negatio sit, communis esse potest etiam fictis entib. & ita potiùs est illa distinctio quasi realis. Sicut suprà dicebamus de distinctione inter tenebras, & cæcitatem; similis enim intelligitur inter relationem speciei ad individua, quæ concipitur in natura humana ad sua individua, & in equina ad sua; ita enim comparantur illæ duæ relationes inter se, quòd, si reales essent, realiter essent distinguẽdæ: habent enim fundamenta & terminos realiter distinctos.

Vltimò ex dictis intelligitur, distinctionem rationis propriam & intrinsecã, de qua loquimur propriè & per se non esse, nisi medio intellectu concipiente res imperfectè, abstractè, cõfusè, vel inadæquatè. Quia cùm hæc distinctio non sit in re, neq; in obiecto cognito, solùm consistit in quadam denominatione à conceptibus mẽtis, & ideò requirit distinctionem saltem in ipsis conceptibus, & in denominationẽ, quæ ab illis sumitur: hæc autem distinctio conceptuum respectu rei, quæ in se omnino vna est, nunquam est, nisi ob imperfectionem ipsorum conceptuum. Quapropter intellectus diuinus per se non propriè facit distinctionem rationis, quamuis comprehendat illam, quæ ab intellectu finito & imperfectè concipiente fieri potest.

Puncti quæstionis, & opiniones variæ.

HIs positis præcipua difficultas supereſt, an præter hæc duo genera distinctionum, sit aliud admittendũ, quod sit veluti mediũ inter illa. Multi negãt posse excogitari, aut intelligi mediam aliquã distinctionẽ. Ita sensit Durand. in 1. d. 2. q. 2. Ocham. q. 3. Heruęus quodlib. 3. q. 3. Ioan. de Gandauo 6. Metaphys. q. 10. Soncin. 7. Metaphys. q. 36. & idem sentit Caiet. 1. p. q. 54. artic. 2. & Soto. q. 3. vniuer. & cap. de Prop. q. 2. Sed in his authorib. cauenda est equiuocatio ratione cuius possunt, vel nominibus tãtùm differre, vel etiam in re. Nulla enim distinctio inter extrema positiua, & realia excogitari potest, quæ, si per rationem conficta non sit, non debeat necessariò in re ipsa antecedere & esse ante omnem operationem intellectus, & quia, quicquid huiusmodi est, reale est, quatenus in rebus existit, ideò in hoc sensu omnis distinctio, quę rationis non est, realis dici potest: atq; ita manifestum videtur, non posse dari medium inter distinctionem realem, & rationis. Tamen hoc posito, adhuc supereſt quæstio an omnis distinctio, quæ antecedit in rebus omnem operationem intellectus non tantùm fundamentaliter, & virtualiter, sed etiam actualiter & formaliter sit veluti eiusdem rationis quoad hoc vt sit inter res distinctas, an verò in rebus ipsis sit aliqua maior & minor distinctio, & illa quæ maior est, scilicet inter rem & rem, nomen distinctionis realis obtineat, alia verò vocetur distinctio media, seu aliis nominibus infrà explicãdis. Si ergo dicti authores priori tantùm sensu negãt distinctionẽ mediam inter realem & rationis, solis terminis differunt ab his qui illam admittunt, non tamen constanti modo loquuntur, qui nunc illam negant, nunc verò illa vtuntur: quod maximè in Soto videre licet citatis locis, & in cap. de relatione, & aliis. Si autem posteriori sensu negant distinctionem mediam, sic erit dissensio maximè de re.

Pezza. Ochan. Heruæus. Ioannes. Gandauo. Soncin. Caietan. Soto.

In hoc

X. In hoc ergo sensu suadetur primò hæc sententia. Non sunt plura genera distinctionum, quàm entium: quia vnum & multa consequuntur ens: distinctio autem est per quam multitudo consurgit, sed non sunt alia entia nisi realia vel rationis, vt colligitur ex Arist. 5. Metap. tex. 14. & 6. Metap. tex. 6. nam cùm hęc duo includant immediatam contradictionem, non potest inter ea medium excogitari: ergo. Secundò, quæcunq; sunt in re ante intellectum, vel sunt idem realiter, vel realiter diuersa, alioqui daretur mediũ inter idem & diuersum, quod repugnat Arist. 4. Metaph. tex. 4. & 5. vbi dicit, idem & diuersum adæquatè diuidere ens, sicut vnum & multa, & libr. 10. tex. 11. dicit, quodlibet ens ad alterum comparatum esse idem, vel diuersum ab illo. Et ratio est, quia hæc etiam opponuntur per immediatam contradictionem, sicut ergo idem, & diuersum in genere, ita etiam tale idem & diuersum, scilicet realiter, conuenit cuicunq; enti respectu alterius. Igitur omnia, quæ vt duo entia à nobis concipiuntur, vel sunt idem realiter, vel diuersa realiter, si diuersa realiter distinguuntur realiter, si verò sunt idem realiter, non possunt in re distinctionem habere ante intellectum, quia repugnat simul esse idem & diuersum à parte rei.

XI. Quòd si forte dicatur, non repugnare esse idem in communi ratione entis, esse tamen diuersa in ratione talis vel talis entis, v. g. qualitatis vel relationis, actionis vel passionis, &c. contra hoc argumentor. Tertiò. Multiplicato inferiori, necesse est vt eodem modo multiplicetur prædicatum superius, sed quælibet determinatæ rationes entium sunt inferiores ad ens: ergo non possunt à parte rei multiplicari aliqua sub determinatis rationibus entium, vt v. g. in ratione qualitatis & relationis, albedinis, vel similitudinis quin multiplicentur sub communi ratione entis. Ergo si sunt plura sub his determinatis rationibus, sunt etiam plura entia: ergo non possunt in illis rationibus distingui a parte rei, quin realiter distinguantur. Prima propositio videtur per se nota ex dictis suprà de vniuersalibus, non potest enim idem attributum vniuersale seu cõmune existens à parte rei, vnum & idem numero, oppositis differentijs, seu modis contrahi, aut determinari, ac propterea diximus vnitatem in communi aliqua ratione, non esse veram & realem vnitatem à parte rei, sed solam similitudinẽ rei, & vnitatem rationis: ergo, si aliqua multiplicantur in re, secundum determinatas rationes entis, necesse est in illis etiã multiplicari in re, ipsam rationem entis. Quia, cùm illa duo, quatenus à parte rei distinguantur, includant oppositos, seu repugnãtes modos, aut differentias, quibus inter se distinguuntur, non possunt habere in re veram & realem identitatem, nec numericam vnitatem in ratione entis, quia non potest idem numero ens oppositis differentijs simul affici ac determinari. Et confirmatur, quia aliàs posset etiam esse vnũ numero accidens in re, & tamen esse duas qualitates, & qualitatem simul & quantitatem, & eadem ratione posset esse vna substantia, duo corpora & vnũ numero animal, equus, simul ac leo, vel aliquid huiusmodi. Quòd, si in his cernitur aperta repugnantia, eadem erit in omnibus quæ in re distinguuntur secundum proprias rationes respectu cuiuscunq; superioris, etiam ipsius entis. Quia nõ minus essentialiter includitur ens, in quibuscunq; inferiorib. rationibus, quã omnia prędicata intermedia. Et quia differẽtiæ illæ oppositæ seu diuidẽtes eandẽ repugnantiam inuoluunt respectu eiusdem indiuidui sub quacunque ratione superiori, vel inferiori consideretur.

XII. Quartò aliter hoc ipsum explicatur, nam quidquid à parte rei est, habet suam realem essentiam: ergo quæ à parte rei sunt distincta, à parte rei habent distinctas essentias, vel numero, si ipsa sint tantùm numero distincta, vel specie aut genere, si illa dicantur esse essentialiter distincta: ergo habent etiam à parte rei distinctas entitates, quod est realiter distingui. Patet hæc vltima consequentia, tum quia entitas rei nihil aliud est, quàm realis essentia extra causas posita, vt infrà ostendemus, si autem sunt essentiæ distinctæ, illæ sunt reales & extra causas positæ: erunt ergo distinctæ entitates. Tum etiam, quia, si ibi sunt duæ essentiæ reales, vnaquæque earum est essentia alicuius entis realis, quia ens & essentia adæquatè comparantur, vt abstractum & concretum, sed vnum & idem ens, non potest habere nisi vnam essentiam: ergo, si sunt duæ essentiæ reales, sunt duo entia realia. Minor propositio vltima videtur per se nota, quia res maximè habet vnitatem à sua essentia, & quia, nihil magis esse debet inuariabile, & fixum ac certum in re, quàm essentia. Ac denique, si res est per vnam essentiam constituta, secundum illam habet vltimam differentiam, & speciem: ergo non est ampliùs determinabilis: ergo non potest illa & eadem res actuari, determinari, seu constitui per differentiam alterius speciei: ergo non potest habere aliam essentiam: si ergo est alia essentia distincta, aliam rem constituit.

XIII. Secunda sententia est, dari in rebus, quandam distinctionem actualem ante intellectum, quæ proinde non est rationis, sed maior illa, neq; etiam est tanta distinctio, quanta est realis inter rem & rem. Hæc sententia communiter tribuitur Scoto in 1. d. 2. q. 7. §. vlt. & dist. 5. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 4. & in 2. dist. 3. quæst. 1. & alijs innumeris locis, in quibus, vel de distinctione attributorum Dei, vel de distinctione vniuersalium, vel de similibus disputat. Quanquam his locis non satis explicet Scotus, an hæc distinctio, quam ipse formalem vocat, sit actualis in re, vel tantùm fundamentalis seu virtualis, interdum enim virtualem appellat, & ita inter eius sectatores est varius opinandi modus. Nam aliqui existimant, distinctionem formalem apud Scotum, non esse aliam à distinctione rationis ratiocinatæ, eo sensu & modo quo à nobis declarata est, quam dicunt vocari formalem: quia diuersæ definitiones, seu rationes formales ibi concipiuntur: dicunt etiam appellari distinctionem ex natura rei, quia in rebus ipsis habet fundamentum, & virtualiter in ipsis est, licet actu non præcedat, in quo sensu Scotus nihil fauet secundæ opinioni propositæ: nec videtur dubium, quin in aliquibus locis Scotus ita sentire videatur, præsertim quando agit de attributis diuinis. Nihilominus tamen alij Scoti discipuli, intelligunt, eum esse locutum de distinctione vera & actuali, quæ in re sit ante intellectum, quam non solùm in creaturis, sed etiam in Deo existimant reperiri, saltem inter relationes diuinas & essentiam. De quibus idem tenet Durand. in 1. dist. 1. 2. par. distinct. 5. q. 2. ad 4. & latiùs dist. 33. quæst. 1. & multi alij, quos hîc longum esset recensere. Possunt etiam pro hac opinione referri multi, qui inter varias res admittunt distinctionem ex natura rei, & non realem, vt inter existentiã & essentiam, naturam & suppositũ, quan-

Scoti sensus in ponenda distinctione formali.

Durandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

titatem & substantiam, fundamentum & relationem, ac similia, quæ inferiùs suis locis videbimus.

XIIII. Formalis distinctio Scotica ad iuxta mentem Aristotelis.

Solet item hæc opinio Arist. attribui, vel quia in 3. Phys. asserit, eundem motum esse actionem & passionem sub diuersis rationibus formalib. Et 4. Phys. eodem modo distinguit tempus à motu, quod tamen dicit non esse rem ab illo distinctam. Et quod 1. de Generat. similem distinctionem inter nutritionem & augmentationem constituere videatur, dicens, *esse idem subiecto*, id est, entitate, *distingui autem secundum esse*, id est, secundum formale esse. Ac denique quod in Prædicam. constituat, eandem qualitatem v.g. calorem sub diuersis speciebus, quod non potest intelligi, nisi quia duæ species possunt esse idem secundum rem, & formaliter distingui. Sed hæc testimonia non multùm cogunt, quia in duobus primis exemplis, & in vltimo etiam sufficit distinctio rationis per inadæquatos conceptus, vt latiùs dicemus infrà tractando de accidentibus, & prædicamentis. In secundo autem exemplo violenta est expositio illorum verborum Arist. apud quem esse, idē subiecto, nihil aliud est quam (quod verba ipsa sonant) esse in eodem subiecto & supposito cōiuncta, distingui autem secūdum esse potiùs, est distingui in sua entitate seu forma. Quomodo ait idem Arist. 1. Phys. tex. 21. *album & musicum esse eadem secundum rem, & ratione distingui.* Vbi valde æquiuocè vtitur his vocibus, *rationem* enim vocat essentiam seu definitionem, *rem* verò subiectum, seu suppositum, in quo hæc insunt. Ad hunc ergo modum exponi potest, vel etiam debet, cùm ait, nutritionem & augmentum esse idem subiecto, distingui autem secundum esse: maximè, si nutritio significet mutationem vt terminatam ad substantiam, auctio verò mutationem vt terminatam ad quantitatem: nam si vtraq; sumatur vt terminatur ad quantitatē, sic possunt tantùm ratione, vel habitudine distingui, quatenus acquisita quantitas maior, vel æqualis est deperditæ, sed de hoc aliàs. Ex his ergo & similibus Arist. testimonijs nullū firmum pro hac sententia argumentum desumi pōt. Et idem sentio de D. Tho. & de alijs antiquis authoribus, qui ferè semper vtuntur vocib. *distinctionis realis & rationis* in priori sensu suprà explicato, & quæstionem in qua nunc C versamur, distinctè non tractant.

XV. Ratione solet potissimum hæc sententia suaderi: nam, quidquid est extra definitionem essentialem rei, est aliquo modo in re distinctū ab illa, sed multa sunt extra essentiam rei, quæ non sunt res distinctæ ab ipsa re: ergo datur distinctio in re minor distinctione reali. Vel aliter, quæ distinguuntur definitione & conceptu obiectiuo, distinguuntur ex natura rei, & ante intellectum; sed multa distinguuntur hoc modo, quæ non distinguuntur, vt res a re: ergo. His & similibus rationibus vtuntur Scotistæ, quia his ferè modis videtur Scotus distinctionem formalem declarare, tamen si quis rectè consideret, vel in eis petitur principium, vel sumitur distinctio formalis pro distinctione rationis ratiocinatæ per conceptus inadæquatos, quæ virtualiter tantum seu fundamentaliter dici potest esse ex natura rei. Probatur seu declaratur quod dicimus, quia essentia rei non definitur à nobis semper prout in re est, sed prout à nobis concipitur, sic enim definimus essentiam hominis vt communem, cùm in re non sit nisi singularis, & hoc modo loquendo de essentia, falsum est quidquid est extra essentiam distingui à parte rei actualiter ab eo, quod est de essentia, vt patet ex dictis suprà de indiuiduatione, & natura specifica & de alijs vniuersalibus, scilicet, genere & differentia, de quibus videntur potissimè loqui prædicti authores. Vnde ita etiam videntur loqui de essentia in prima ratione: nam, si loquantur de essentia prout est in re, hæc nihil aliud est, quam ipsa rei entitas, & ideò cùm supponitur esse in re aliquid distinctum ab essentia, quod non sit res distincta, id supponitur, quod probandum est. Multò autem infirmior est secunda ratio. Maior enim non est vniuersaliter vera, multa enim distinguuntur in conceptibus obiectiuis respectu nostri, quæ tantùm ratione distinguuntur per conceptus inadæquatos, vt patet ex dictis de conceptu entis, de indiuiduo, specie, & alijs vniuersalibus: & eodem modo possunt definitione distingui solùm secundum rationem, quando definitio non est adæquata rei prout est in se, sed prout objicitur tali conceptu nostro.

Quæstionis resolutio.

NIhilominus censeo, simpliciter verum esse dari in rebus creatis aliquam distinctionem actualem, & ex natura rei, & ante operationem intellectus, quæ non sit tanta, quanta est inter duas res, seu entitates omnino distinctas, quæ distinctio, quāuis generali vocabulo possit vocari realis, quia verè est à parte rei, & non est per denominationem extrinsecam ab intellectu, tamen ad distinguendum illam ab alia maiori distinctione reali, possumus illam appellare, vel distinctionem ex natura rei, applicando illi tanquam imperfectiori generale nomen (quod vsitatum est) vel propriùs vocari potest distinctio modalis: quia, vt explicabo, versatur semper inter rem aliquam, & modum eius. Nomen autem distinctionis formalis non ita mihi placet, quia est valde æquiuocum, sæpè enim conuenit rebus realiter distinctis, quatenus inter se distinguuntur essentialiter, si specie differant, habent enim diuersas vnitates formales, & ita etiam formaliter differunt. Imò & indiuidua eiusdem speciei, quatenus distinctas habent vnitates formales indiuiduas, vt suprà diximus, dici possunt formaliter distingui. Imò & in Trinitate Paternitas & Filiatio, quæ realiter distinguuntur, & non essentialiter, etiam secundum numerum, dici possunt formaliter distingui in obiectiuis rationibus relationum, qui modus distinctionis extra illud mysterium non reperietur. Sic ergo distinctio formalis latiùs patet, & maior esse potest, quam distinctio ex natura rei, de qua nunc loquimur. Aliunde verò etiam potest esse minor, & ita est communior, quia frequenter applicatur ad rationes formales vt conceptas, & præcisas per intellectum nostrum, & tunc illa distinctio non transcendit gradum distinctionis rationis.

Vt autem assertio probetur & explicetur, suppono in rebus creatis præter entitates earum, quasi substantiales, vel radicales (vt ita dicam) inueniri quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positiuum, & afficiunt ipsas entitates per se ipsos, dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam, vt indiuiduam, & existentem in rerum natura. Hoc patet inductione: nam v.g. in quantitate quæ est in substantia, duo considerari possunt: vnum est, entitas ipsius quantitatis, aliud est vnio seu actualis inhærentia eiusdem quantitatis cum substantia. Primum vocamus simpliciter rem quantitatis, includentē quicquid

quid est de essentia quantitatis indiuiduæ, & in rerum natura positæ, quod manet & conseruatur, etiamsi quantitas à subiecto separetur, & impossibile est conseruari illam rem numero, quę est hæc quantitas, quin includat hanc essentiam quantitatis cum sua intrinseca indiuiduatione, & actuali esse, de quo esse postea videbimus: cætera enim constant ex suprà dictis. Secundum, id est, inhærentiam, appellamus modum quantitatis, non quidem illa generali significatione, qua omnis qualitas solet modus substantiæ appellari, vt ait D. Thom. 1.2.q.49.art.2. Neq; etiā illa generali loquendi ratione, qua omne contrahens, vel determinans solet appellari modus contracti: sic enim rationale dici potest modus animalis, & specialiter solet hæc vox applicari ad illos modos, quibus determinatur ens, vel accidens ad genera generalissima. Neque etiam sumitur hæc vox in illa generalitate, qua modus dici solet omnis determinatio, vel limitatio præfixa vnicuique rei finitæ iuxta mensuram eius, vt eodem loco notauit D. Thom. ex Aug. lib. 4. Genes. ad literam cap. 3. dicente, *Modus est, quem mensura præfigit.* Quo modo ait B idem August lib. de natura boni ca. 3. Ex tribus necessarijs ad vniuscuiusque rei creatæ bonitatem, quorum duo sunt *species & ordo*, tertium esse, *modum*, id est, debitam cōmensurationem ad sua principia, vt explicuit D. Tho. 1. p. q. 5. art. 5. & 1.2. q. 85. art. 4. & sæpè aliàs. Sed ab hac generali ratione modi recedendo, & applicando illam ad rem præsentem, appellatur inhærentia quantitatis modus eius: quia est aliquid illam afficiens, & quasi vltimò determinans statum, & rationem existendi eius, non tamen addit illi propriam entitatem nouam, sed solùm modificat præexistentem.

XVII. Nam quod nouam entitatem propriam non afferat, vix potest in dubitationem venire, quia si esset noua omnino entitas, non posset esse actualis vnio inter quantitatem & subiectum, sed ipsa potiùs indigeret, quo subiecto vniretur, & quantitati, sicut quantitas ipsa indiget inhærentia, qua subiecto vniatur. Quòd si inhærentia non indiget alia vnione, vel inhærentia, qua vniatur, vel inhæreat, ideò est quia ipsa per se non affert propriam entitatem, quæ inhæreat, & vniatur, sed est tantùm quidam modus qui per se est ratio vnionis & inhærentiæ. Cuius si- C gnum etiam est, quia hæc inhærentia habet talem modum essendi, vt per nullam potentiam esse possit, nisi actu coniuncta ei formæ cuius est inhærentia, & quod hæc inhærentia numero non potest afficere seu potiùs vnire nisi hanc numero formam, cui est veluti affixa, qui modus afficiendi nunquam reperitur in his formis, vel rebus, qui proprias ex se habent entitates. Quod autem in quantitatis inhærentia explicatum est, in qualitate eodem modo procedit, & in vnione formæ substantialis ad materiam, & in subsistentia seu personalitate respectu naturæ, & in præsentia & motu locali, & ita quacunque actione seu dependentia respectu sui termini, de quibus omnibus non est hîc dicendi locus. Occurret tamen in huius operis progressu. Solùm vltimum exemplum, quod faciliùs videtur, paululum explicabo, pendet enim lumen v.g. à sole, quæ dependentia aliquid est præter lumē & solem, potest enim intelligi manere lumen & solem, & lumen non pendere à sole, vt si Deus nollet concurrere cum sole ad producendum, vel conseruandum lumen, sed sua sola virtute vtrumq; conseruaret. Non potest autē mente concipi, hanc dependentiam luminis à sole A esse entitatem prorsus distinctam ab ipso lumine: tum quia per illam dependentiam influit causa tanquam per viam in effectum seu terminum: vnde nō pōt esse res omnino distincta ab illo, tum ēt quia aliàs illa entitas saltem de potentia absoluta esset separabilis ab alia, q̄ est planè intelligibile: est ergo illa dependentia modus, quidam ipsiusmet luminis, quem aliquis fortasse relationem vocabit: non est tamen relatio prędicamentalis, sed includit relationem seu habitudinem transcendentalem, vt latiùs infrà dicetur. Igitur dantur in entitatibus creatis modi aliqui efficientes ipsas, quorum ratio in hoc videtur consistere, q̄ ipsi per se non sufficiunt constituere ens seu entitatem in rerum natura, sed intrinsecè postulant, vt actu afficiant entitatem aliquam, sine qua esse nullo modo possint.

Ratio autem ponendi hos modos à posteriori su- XVIII. Modos à rebus modaliter tantùm distinctos ponendi quę sit ratio. mitur ex inductione facta, à priori autem esse videtur, quia, cùm creaturæ sint imperfectæ, ideoq; vel dependentes, vel compositæ, vel limitatę, vel mutabiles secundum varios status, præsentię vnionis, aut terminationis, indigent his modis, quibus hæc omnia in ipsis compleantur. Quia nec per entitates omnino distinctas hoc semper fieri necesse est, imò nec commodè intelligi potest, neque etiam fieri potest per id, quod sit omnino nihil, & ideò saltem requiritur modus realis. De quo quotuplex sit, & in quo prædicamento collocetur per se aut reductiuè, dicam inferiùs in diuisionibus prædicamentorum. Denique hos modos videtur agnouisse Durand. in Duran. 1. dict. 30. quæst. 2. num. 15. vbi loquens de esse in, seu inhærentia accidentis, dicit esse respectum, qui analogicè dicitur res, vel ens, quia non est res, sed modus essendi, neque est entitas habens modum, sed modus tantùm entitatis: & num. 16. idem dicit de dependentia, & de omni eo, quod est solus modus essendi. Et eodem modo loquitur de inhærentia Astudil. 1. de Gener. quæst. 5. ad 1. Et in par- Astudillo. Ægid. Fonseca. ticulari tractando de subsistentia, ita illam explicant multi, vt Ægid. titul. de composit. angel. quæstio. 5. Ac denique Fonseca libro quinto, Metaphysic. capit. 6. quæstio. 6. sectio 2. hoc expressè ponit, quamuis distinguat tria genera modorum, quidam qui sunt entitates ex se distinctæ ab C alijs vt albedo, dulcedo, & in hoc ordine ponit figuram sed immeritò, quia in tertio constituitur, quia respectu quantitatis illam afficit tanquam modus non tanquam res omnino ab illa distincta. Alij qui non solùm non sunt entitates distinctæ, verùm, neque vllo modo in re distinguuntur ab his rebus: quarum modi esse dicuntur, sed ratione tantùm, vt sunt illi modi, quibus contrahitur ens ad inferiora. Sed hæc duo genera modorū iam sunt à nobis prætermissa, quia hi posteriores non sunt modi, nisi secundum rationem, illi verò priores sunt res, vel formæ habentes ex se proprias entitates. In tertio ergo ordine ponit eos modos, quos propria & speciali ratione reales modos appellamus, de quibus idem sentit, quod nos explicuimus, quamuis aliqua ponat exempla, quæ incerta nobis sunt. Vt est illud de existentia rerum creatarum, de modo vnde res dicitur necessaria aut contingens, aut ens completum vel incompletum. Nam hoc vltimum æquiuocum esse pōt: quia si hæc dicantur de toto & partibus integralibus, sic verum est, esse modum quendam ad quantitatem pertinentem: eadem. n. portio aquæ v.g. si per se terminata sit & seiuncta ab alijs, dicitur ens completum seu totale, si verò sit alijs continua,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tinua, dicitur ens partiale vel incompletum, qui modus solùm consistit in diuersa vnione, vel terminatione. Si verò illa dicantur de ente secundum se, potiùs pertinent ad modos intrinsecos & essentiales entis, siue ens dicatur incompletum secundum rationem, vt differentia, siue physicè & secundum rem, vt anima rationalis, quæ dicitur ens incompletum, non per aliquid additum essentiæ eius, sed per suammet essentiam: vnde ille modus solùm ratione distinguitur ab illa. Et idem existimo de alio modo entis necessarij, vel contingentis, si in ratione absoluta entis hæc considerentur: nam, si considerentur in ratione effectus, sic sunt denominationes extrinsecæ, vt infrà dicemus. De existentia verò, res est magis controuersa, quam infrà disputabimus. Quicquid verò sit de exemplis, verissimè dicit Fonseca, modum hunc non esse propriè rem seu entitatem, nisi latè & generalissimè vocando ens, quicquid non est nihil: tamen sumendo entitatem pro illa re, quæ ex se & in se ita est aliquid, vt non postulet omnino intrinsecè & essentialiter esse semper affixam alteri, sed vel non sit alteri vnibilis, vel saltem vniri non possit, nisi medio aliquo modo à se ex natura rei distincto, sic modus non est propriè res seu entitas, & in hoc eius imperfectio optimè declaratur, quod semper esse debet affixus alteri, cui per se immediatè vnitur sine medio alio modo, vt sessio sedenti, vnio rebus vnitis, & sic de alijs, de quibus sæpè occurret sermo in sequentibus.

XIX. Ex his ergo facilè intelligitur sensus & probatio conclusionis positæ, nam hic modus prout à nobis est explicatus ex natura rei distinguitur actualiter à re, cuius est modus, vt omnes fatentur, imò plures vocant illam distinctionem realem, quia in rebus ipsis reperitur, quod euidentiùs constabit ex dicendis sect. sequenti: sed non propriè distinguitur hic modus ab eo, cuius est modus tanquam res à re: distinguitur ergo minori distinctione, quæ proprijssimè appellatur modalis. Minor probatur, tum quia modus per se ac præcisè consideratus non est propriè res aut entitas, vt satis explicatum est: ergo nec propriè distinguitur, vt res à re: tum etiam, quia hic modus tam intimè includit coniunctionem cum re, cuius est modus, vt per nullam potentiam sine illa esse possit: ergo signum est illam coniunctionem esse quendam modum identitatis: est ergo minor distinctio inter hunc modum & rem, quam inter duas res: quæ omnia magis confirmabuntur sect. sequent. declarando signa harum distinctionum, & consequenter differentias quibus inter se distinguuntur.

XX. Præter modalem, realê, aut rationis, nulla distinctio. Vltimò addo, præter distinctionem realem, modalem & rationis nullam aliam reperiri, quæ vel non sit communis his, vel in illis non contineatur. Hoc dixerim propter aliquos, qui addunt distinctionem formalem, qualis est inter hominem & animal: quam distinguunt in mutuam, vt inter animal & rationale, & non mutuam qualis est inter animal & hominem: item distinctionem essentialem qualis est inter hominẽ & equum, & distinctionem potentialem, qualis est inter partes continui, & similia multiplicari solent, quæ mihi necessaria non videntur. Sufficientia ergo prædictæ partitionis facilè colligitur ex dictis: nam vel extrema distinctionis non sunt à parte rei actu distincta vllo modo, & sic semper est distinctio rationis, etiamsi alijs nominibus appelletur, quia solùm conuenit per denominationem extrinsecam, quatenus eadem res obijcitur, vel subordinatur diuersis cõceptibus. In hac autem distinctione possunt gradus reperiri, vt dixi, & quando habet in re fundamentum, & fit per plures conceptus inadæquatos potest appellari distinctio formalis, vel interdum etiam essentialis secundum rationem. Et in hoc ipso potest esse multiplex modus, quatenus extrema varijs respectibus comparari possunt, scilicet, vel solùm vt determinatum & indeterminatum, sicut ens & substantia: vel vt totum & pars vt differentia & species, vel vt duæ compartes, sicut animal & rationale. Atq; ita potest etiam hæc distinctio intelligi tanquam inter includens & inclusum, vel tanquam in ea, quæ secundum rationem neutrum includit alterum, quo sensu, & nullo alio vero potest hæc distinctio dici mutua, vel non mutua, reciproca vel non reciproca, tamen hęc omnia cadunt sub latitudine distinctionis rationis. At verò, si extrema distinctionis à parte rei actu distincta sunt, vel vtrumq; est vera res habens propriam entitatem simplicem vel compositam, vel vnum est res, & aliud est modus eius. Priori modo constituitur distinctio realis, posteriori autem modalis: non est autem intelligibilis alia habitudo inter hæc extrema: neque aliud medium inter ea excogitari: includunt enim inter se immediatam oppositionem, quasi contradictionis: non est ergo alius modus distinctionis.

XXI. Varia distinctionis modi. In ipsa tamen distinctione reali seu plurium rerum, possunt, vel varij modi, vel variæ habitudines considerari. Primum enim intelligere possumus res sic distinctas non solùm esse re ipsa distinctas, sed etiam dissimiles in sua intrinseca, & essentiali entitate: & tunc dicuntur, non solùm realiter, sed etiam essentialiter distingui, & quo maior est illa dissimilitudo, vel minor, dicuntur distingui vel specie vltima vel subalterna, vel etiam genere aut prædicamento. Vnde distinctio essentialis, vel communis est ad realem modalem, & rationis, vel si proprijssimè sumatur, includitur in reali, quamuis cum illa non conuertatur: & potiùs addit dissimilitudinem, quam distinctionem. Quæ omnia procedunt vtendo in rigore illa voce distinctionis essentialis: nam si sit sermo de distinctione essentiarum, qualis inter indiuidua etiam intercedit, vt suprà diximus: hæc nihil propriè addit, sed indicat res inter quas est distinctio: sicut distinctio personalis vocatur illa, quæ est inter personas. Rursus, hæ res sic distinctæ interdum possunt esse vnitæ inter se, interdum verò vni tertio: priori modo vniuntur materia & forma, & similiter partes integrales continuæ, vt omittamus alias vniones magis extrinsecas & accidentales. Quocirca, sicut materia & forma, quamuis vnitæ sint, nihilominùs distinctionem realem inter se retinent: ita etiam partes continuæ quamuis sint vnitæ, distinguuntur realiter, non solùm quoad designationem, vt quidam loquuntur, sed etiam quoad partialem entitatem vniuscuiusque.

XXII. Solum est aduertendum quod materia & forma ex se sunt entia incompleta, & partialia, siue coniunctæ sint, siue separatæ existere supponantur, & ideò semper censentur distingui eodem modo. At verò partes integrales non habent rationem partis, neque entis incompleti, nisi quando coniunctæ sunt: nam statim ac separantur vnaquæque incipit esse ens integrum & totale, quia per se non ordinatur ad componendum aliud: & ideò aliter censentur distingui (magis quoad denominationem vel modum, quam quoad rem) quando sunt disiuncta, vel vnita: nam in priori statu distinguuntur, vt entia totalia, in posteriori verò vt partialia, & ideò dici aliquando solent huiusmodi partes vnitæ actu distingui vt partes, in potentia verò vt entia, id est, vt tota quædam, quia sunt in potentia, vt talia fiant. Quæ omnia maximè cernuntur in partibus homogeneis cõtinuis: nam in heterogeneis, licet in re ferè idem sit, tamen in modo est nonnulla diuersitas, quia maiorem dissimilitudinem habent, & ideò videntur maiorem quandam distinctionem habere, etiam dum sunt in toto, & quando separantur, si nõ mutent substantialem formam, sed eandem conseruent, quam habebant in toto, vt contingit in plantis, & animalibus sectilibus, adhuc censentur entia incompleta & partialia: quia semper sunt quasi per se ordinata ad componendum aliud. Ex his ergo facilè intelligitur, quod distinctio illa quæ ab aliquibus vocatur potẽtialis, est distinctio realis: quia verò distinctio est negatio, duo possunt per eam negari: vnum, quod hoc sit illud: & hoc actu verum est de partibus actu vnitis: quia vna non est alia, & hæc negatio est, quæ per se primò requiritur & sufficit ad distinctionem. Aliud, quod potest negari, est hoc esse coniunctum illi, quod est dicere, hoc non esse illud tanquam ens totum & integrũ distinctum ab illo, & hoc non conuenit partibus vnitis in actu, sed in potentia, & sub hac ratione potest illa distinctio vocari potentialis: tamen vt sic nondum est, & ideò non oportet eam inter distinctiones numerare tanquam ab alijs distinctam. Tandem hinc à fortiori intelligitur, sine causa aliquos vocare hanc distinctionem inter partes continui distinctionem rationis habentem fundamentum in re, quia partes illæ non distinguuntur actu, sed designatione & potentia. Non est enim hoc verum, quia ibi non est solum fundamentum distinctionis, sed vera distinctio propriè hac voce vtendo, non prout dicit separationem seu disiunctionem, sed prout dicit diuersitatem entitatis totalis vel partialis. Alias materia & forma, quando sunt vnitæ, non deberent dici distinctæ actu, sed potentia tantùm: quia non est minor vnió inter materiam, & formam, quam inter partes continui. Separatio ergo inter illas partes poterit dici rationis: quia solùm per rationem possunt considerari ac si essent disiunctæ, & quasi quædam tota: distinctio autem partium actualis est, & realis. Nam partes istæ, etiam dum componunt totum, realitatem aliquam habent, quia sicut Aristot. dixit 1. Phys. c. 2. *Substantiam non componi, nisi ex substantijs*: ita integrum ens non componitur, nisi ex entibus saltem partialibus, manent ergo talia entia distincta, licet vnita: imò, nisi distincta manerent, compositionem facere non possent, quia compositio non est, nisi ex distinctis.

Distinctio potentialis vtò realis.

XXIII. Distinctio includentis ab incluso realis. Et hinc vlteriùs nascitur alius distinctionis modus, qui considerari potest, in quolibet toto respectu singularum partium, non enim sunt omnino idem, vt per se notum est, neq; etiam distinguuntur vt duæ partes inter se, quia illæ ita se habent, vt neutra alteram includat, totum autem in sua entitate continet vtramq; partem, & ideò dicuntur distingui vt includens & inclusum. Tamen etiam illa distinctio prout hic intercedit realis est, quia aliquam rem includit totum, quam non includit pars. Vnde hic modus distinctionis, includentis, & inclusi, suo modo reperiri põt in distinctiõe reali, modali, & rationis, nam in vnoquoque ordine potest comparari id quod se habet vt totum, ad aliud, quod se habet tanquam pars, tamen in singulis manet in latitudine distinctionis realis, modalis, vel rationis: quia illud, quod vnum extremum includit vltra aliud, distinguitur, realiter aut modaliter, aut ratione ab altero incluso. Ex his ergo satis constat, nullum esse distinctionis modum, qui in prædictis tribus non contineatur.

XXIIII. Solùm videtur posse obiici, quia præter distinctionem inter rem & rem, & inter rem & modũ potest inueniri distinctio inter modum & modum, vt multi putant de subsistentia & existentia, & est certius de subsistentia & præsentia locali. Hi enim modi non possunt distingui ratione, quia à parte rei ita existunt, vt habeant diuersa principia, & diuersas affectiones, ac denique vt separari possint, quæ sunt indicia actualis distinctionis in re existentis, vt iam dicemus: neque etiam distinguuntur realiter, quia non distinguuntur vt res & res, cùm non sint verè res; hoc enim argumento probauimus, modum nõ distingui realiter ab ipsa re, quam afficit. Nec denique dici possunt distingui tantùm modaliter, tum quia vnus non est modus alterius, tum quia sæpè sunt mutuò, & ad inuicem separabiles, quod est signum maioris distinctionis, quàm modalis, vt statim dicemus.

XXV. Duo modi inter se qui distinguantur. Respondetur, cùm hi modi non habeant esse seu entitatẽ, nisi ex re, vel in re cui adhærent, ex illa pendsandum esse quomodo ab alijs modis distinguãtur: semper tamen eorum distinctio ad realem, vel modalem pertinebit, suppono, cp in re existunt. Quod ideò dico quia etiam possunt excogitari modi sola ratione distincti: sicut enim ratio per conceptus inadęquatos potest distinguere vnam rem, ita & vnum modum, vt est valde probabile de actione & passione, de motu & tempore, de existentia & duratione, & de alijs. Loquendo autem de modis in re ipsa distinctis, vt sunt præsentia localis v. g. & subsistentia humanitatis: aut hi comparantur tantũ prout sunt in eadem re, & sic solùm distinguuntur modaliter propter argumentum factum, quia cùm ex se nõ habeant propriam entitatem, ẽt ex se non habent, vnde C pluſquam modaliter distinguantur, neq; ex re, quã afficiunt, plus distinguuntur, quia supponimus esse eandem: ergo non habent maiorem distinctionem, quã modalem. Et cõfirmatur, quia vnusquisq; illorum habet aliquam identitatem cum illa re, quã afficit, ergo in illa & per illam habent aliquam identitatem inter se: ergo retinent solũ distinctionem modalem. Vnde non refert, quòd possint mutuò separari, id est, cp possit vnus manere, alio non existente, vel ecõuerso: quia saltem necesse est, vt semper maneat illa res, in qua vterq; existit cum aliqua identitate. At verò si inter se comparentur modi afficientes res diuersas, siue illi modi sint eiusdem rationis, vt duæ subsistentię duorũ hominum, siue diuersarũ rationum, vt sessio vnius, & subsistentia alterius, sic distinctio inter hos modos est realis, non ratione ipsorum, sed ratione rerum in quibus sunt, nam vnusquisq; habet aliquam identitatem cum re, quam afficit, & illæ res distinguuntur inter se realiter: ergo & modi ratione illarum. Et hoc etiam bene confirmat illa ratio, quia illi modi sunt mutuò separabiles & inter se, & vnusquisq; ab illa re quam alius afficit: nam hoc est sufficiens signum distinctionis realis. Atq; in hunc modum omnis distinctio etiam inter ipsos modos ad prædictas tres reuocatur.

Sol-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Soluuntur argumenta.

XXVI. Primum.

AD argumenta prioris opinionis, quatenus procedere possunt contra distinctionem modalem à nobis positã, respondẽdum est. Ad primum respondetur, duplici sensu posse sumi argumentum ab ente reali, vel rationis ad concludendam distinctionem realem, vel rationis. Primò tãquam à propria ratione & causa, ita vt talis existimetur esse distinctio, quales sunt res, in quibus versatur. Et hic sensus est falsus: ostensum est enim inter extrema realia intercedere distinctionem rationis, & è conuerso inter extrema rationis esse saltem quandam imitationem distinctionis realis. Secundò argumentum esse potest proportionale, seu à paritate rationis: vt quia in entib. non dantur nisi realia vel rationis, neque in distinctionibus dandæ sint, & hoc sensu concedi potest proportio argumenti, si debito modo fiat, nihilque contra nostram sententiam concludet. Etenim, si ens reale in sua amplissima conceptione sumatur, pro omni eo, quod non est omnino nihil, quodque potest esse in rebus sine fictione intellectus, sic verum est, non dari medium inter ens reale & rationis, & in eodem sensu concedo non dari medium inter distinctionem realem & rationis: nam omnis distinctio ex natura rei potest in hac amplitudine dici realis: & ita locuti ferè sunt antiqui scriptores. Alio tamen modo potest sumi ens reale pro eo, quòd ex proprio conceptu, seu ex vi suæ rationis formalis potest propriam entitatem afferre, seu constituere, & hoc sensu falsum est, non posse dari medium inter ens reale & rationis: datur enim modus entis, qui neque est merum ens rationis vt per se constat, neque est ens reale in eo rigore & proprietate sumptum, vt à nobis declaratum est: & ita etiam datur distinctio modalis media inter distinctionem rationis, & realem rigoro-

XXVII. Secundum.

sè sumptam.

Ad secundum respondetur, inter idem & diuersum secundum eandem rationem sumpta non dari medium, vt rectè argumentum probat, tamẽ secundum diuersas rationes fieri posse, vt, quæ sunt idem vno modo, alia sint diuersa, vt D. Thom. dixit 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. Sic igitur ens & modus possunt dici idem realiter, & nihilominùs habere in re distinctionem modalem.

XXVIII. Tertium.

Neque contra hoc quicquam vrget tertium argumentum, nam nos non dicimus rem & modum distingui secundum proprias rationes, & nõ secundum communem, quod supponunt ferè omnes replicæ ibi factæ: nam eo modo quo distinguuntur ens & modus à parte rei, distinguuntur omnia prædicata superiora etiam transcendentalia inclusa in modo ab his, quæ includũtur in re cuius est modus. Atq; ita concedendum est, quatenùs modus est ens, eatenùs ipsum & rem quam modificat, esse duo entia, & distingui in re ipsa, vel realiter latè loquendo. Nihilominùs tamen addimus, modum nõ esse propriè & rigorosè ens, & hoc modo negamus ibi esse duo entia: negamusq; subinde, ens hoc modo propriè sumptum esse prædicatum superius ad rem & modum eius. Et ideò necesse nõ est, propter distinctionem modi à re multiplicari entia in dicta proprietate & rigore sumpta. Vnde ad confirmationem illius tertij argumenti, idem dicendum est de accidente, quod dictum est de ente, quia accidens interdum significat formam habentem propriam entitatem ex se distinguibilem & separabilem realiter ab omnia alia, interdum significat modum solùm alterius, vel accidentis, vel substantiæ. Et priori modo repugnat, in eadem re inueniri plures rationes accidentis, vt argumentum conuincit, non tamen repugnat, vnam entitatem accidentalem habere vnum, vel plures modos ab ipsa tantùm modaliter distinctos. Substantia verò simpliciter dicta, non significat modum, sed rem propriam & perfectam in suo esse, & idem est de corpore, & de quocunq; gradu substantiæ sub his collocato; & ideò fieri non potest, vt hi gradus in re ipsa multiplicentur, nõ multiplicatis rebus, & substantijs. Tamen etiam in latitudine substantiæ in communi, seu analogicè sumptæ, possunt dari aliqui modi substantiales, in quib. fieri potest, vt in eadem re seu substantia propriè & simpliciter dicta, sint vnus, vel plures modi substantiales inter se & ab illa modaliter distincti, vt sunt subsistentia, vnio, &c.

XXIX. Quartum.

Atq; ex eis facilis est solutio ad quartum, nam q dictum est de ente, dicendũ est de essentia reali. Potest significare propriam naturam ex se sufficientẽ ad constituendam entitatem in rerum natura, vel latius quamcunq; rationem realem constitutiuam entis, aut modi realis. Hoc posteriori sensu concedimus in re & modo esse distinctas essentias, & ideò esse inter ea distinctionem ex natura rei, & aliquo modo realem. Priori tamen sensu vnica tantum est essentia in qualibet entitate: modi autem, qui ab illa ex natura rei, seu modaliter distinguuntur, nõ possunt esse de essentia eius, sed vel accidentia, vel ad summum, pertinentes aliquo modo ad integritatem, vel causalitatem eius, vt de singulis posteà exponemus. Ex quo sequitur (quod valde notandum est) in qualibet entitate propriè dicta esse vnicam essentialem rationem, vt conuincunt ad minimum omnia illa argumenta in principio facta, quæ ratio essentialis, quasi fundamentalis est, & inuariabilis in tali entitate: ita vt impossibile sit, illam entitatem conseruari in rerum natura sine illa ratione essentiali: quia per illam primò constituitur: vnde non potest esse nisi vna specifica, vt argumenta facta cõuincunt. Rationes autem modales, quæ possunt esse quasi adhærentes, vel affixæ tali entitati multiplicari, & variari possunt, quia in re sunt extra essentiam eius: vt in particulari clariùs constabit in discursu totius Metaphysicæ.

SECTIO II.

Quibus signis seu modis discerni possint varii gradus distinctionis rerum.

L In quo sita sit difficultas.

OTa difficultas consistit in discernenda distinctione modali à cæteris: nam distinctio realis & rationis cùm sint extremè oppositæ facilè discernuntur: distinctio autem modalis cùm sit media, interdum existimatur realis propter conuenientiam, quam habet cum illa: interdum verò existimatur nulla in re, sed secundũ rationem tantũ propter quandã conuenientiã cum alia. Vt ergo aliqua generalia signa habeantur, quæ ad particulares quæstiones applicari possint, nonnulla breuiter dicenda sunt, supponendo, vt aliqua à nobis distinguantur plusquã ratione ratiocinantis (de qua distinctione nihil oportet addere, quia est prorsus conficta) vt minimum, seu in primis necessarium esse, vt habeãt distinctos conceptus obiectiuos, & secundum eos rationes formales aliquo modo distinctas. quia nisi hoc

hoc saltem modo concipiantur, nec concipientur vt distincta, neq; erit vlla ratio inquirendi, quanta, vel qualis sit inter ea distinctio: suppositis verò pluribus conceptibus obiectiuis optimè & meritò inquiritur, quomodo cognoscetur, an in re habeant distinctionem, & qualis illa sit.

Signum actualis distinctionis in re.

II.

DICO primò, Quandocunq; duo conceptus obiectiui ita se habent, vt à parte rei, & in indiuiduo separari possint, vel ita vt vnum sine alio in rerũ natura maneat: vel ita vt realiter disiungatur, & realem vnionẽ, quã habebãt, amittant, signũ est inter illa esse maiorem distinctionem quam rationis ratiocinatę: atq; adeò actualẽ aliquam ex natura rei, seu quæ à parte rei sit. Hęc assertio cõmunis est Doctorum & sumitur ex Arist. 7. Topic. c. 1. loco. 15. vbi sic inquit, *Amplius, si potest alterum sine altero esse, nõ erit idẽ*, vbi Alex. Aphrodis. id notat. Sumi etiam potest ex Auguſt. 6. de Trinitat. cap. 6. vbi cùm dixisset: *In vnoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura*, talem probationem subiungit, *Potest enim, & diminuta magnitudine manere idem color, & eadem figura, & mutato colore manere eadem magnitudo, & eadem figura, & figura eadem non manente, tam magnum esse, & eodẽ modo coloratum, & quæcunq; alia simul dicuntur de corpore, possunt & simul, & plura sine cæteris commutari, ac per hoc multiplex esse conuincitur natura corporis, simplex autẽ nullo modo.* Et inferiùs inde probat, animam humanã non esse simplicem, quia habet varios actus & affectus, quos esse distinctos ostendit: *Quia alia sine aliis, & alia magis, alia minus inueniri possunt.* Hac etiã regula vtuntur frequenter Scholastici, vt patet ex Mag. in 1. d. 8. Durand. d. 30. q. 2. Scoto in. 2. d. 1. q. 5. & in. 3. d. 8. q. 1. Ocham in 1. d. 1. q. 3. & ibi Gab. q. 3. art. 3. dub. 1. Heruæo quodlib. 3. q. 3. & ex Metaphysicis vtuntur hac regula Ioan. de Gandauo 6. Metaph. q. 10. Antonin. Trõbeta 5. Metaph. q. 3. art. 1. Fonsec. 5. Metaph. c. 6. q. 6. sect. 1. Item. Ferr. 1. Phy. q. 10. & Paul. Venet. 3. Phys. text. 19. Astudil. citatus sect. præced. Eadem vtuntur multi ad probandam distinctionem ex natura rei inter subsistẽtiã & naturã creatam, vt patet ex Ægid. cit. sect. præc. Med. 3. p. q. 4. a. 2. Et infrà plures referemus suo loco. Et eodẽ argumento ꝓbari solet, inhęrẽtiam distingui ab existentia accidentis: & dependentiam, seu actionem à termino, quæ omnia in sequentibus videbimus.

Aristotel. Aphrodis. D. Auguſt.

III.

Magister. Durand. Scotus. Ocham. Gabr. Ferr.

Ratione probatur, quia, si ea, quę à nobis concipiuntur, vt habẽtia duos conceptus obiectiuos, in re inueniuntur coniũcta, & posteà separãtur, vel vtrũque manet à parte rei existens post separationem ab alio, vel alterum desinit esse, & alterũ manet: si priori modo accidat, necesse est, illa duo ex natura rei imò & realiter distingui; primò, quia impossibile est idem omnino à se ipso seiungi ac separari à parte rei: inuoluitur enim aperta contradictio: nulla enim excogitari potest maior vnio in re, quam totalis idẽtitas in re, imò illa non est vnio, sed vnitas. Sicut ergo impossibile est diuidi, quod indiuisibile est, ita & à se ipso seiungi, quod idem omnino est. Deinde quia si illa duo manent à parte rei, & non vnita inter se, vnum non est modus alterius, neq; econtrario: quia de essentiali ratione modi, vt vidimus, est esse actu vnitũ, seu affixũ rei cui est modus: ergo quandocunq; aliquid potest separari ab alio, & separatũ conseruari, est signum euidens, nõ esse modũ illius: erit ergo, vel res per se ipsam distincta realiter ab alia, vel modus alterius rei realiter distinctę, ratione cuius est modus ipse realiter distinguetur ab alia re. Si autem duo ita separantur in re, vt vnum existens maneat, & nõ aliud, necesse est, vt saltem modaliter distinguantur. Primò, quia impossibile est, vt idem sit & non sit: ergo, si hoc non existit, quod anteà existebat, & aliquid manet existens, non possunt esse in re idem omnino, alioqui idem simul existeret; & non existeret. Secũdò, quando hæc duo ita separant, aliquid positiuũ est id quod in re tollitur ab alio, & desinit esse, sumendo latè aliquid vt distinguitur contra nihil, pro omni re, vel modo reali, tale enim supponimus esse vtrumq; corũ quæ prędicto modo separabilia sunt: illud ergo positiuum postquam separatur, non est: ergo, quando erat, distinctum aliquo modo erat ab eo, quod existens manet. Tandem, quia nõ est minus impossibile separari idem omnino à se ipso, destructo altero extremo, quam cõseruato vtroq;, sed ostensum est, non posse idem à se ipso separari manẽte vtroq; extremo: ergo neq; poterit, altero nõ manẽte: ergo quoties fieri potest talis separatio, supponitur in re distinctio. Et ideò valdè errãt, qui existimant, relationem esse aliquid reale positiuũ, sine quo potest fundamẽtum manere in re ipsa, & tamen non distingui actualiter, & à parte rei ab ipso fundamẽto: est enim aperta implicatio cõtradictionis. Nam, si relatio in sua essentia aliquid reale est, & nunc est in fundamento, & posteà non est, manente ipso fundamento integro in sua entitate & essentia, necesse est, vt, quidquid illud est, quod est relatio, sit aliquo mõ in re ipsa distinctũ à fundamẽto: alioquin idẽ omnino secundum rẽ desineret esse & maneret.

IIII. Obiectio dissoluitur.

Sed obiicies, nam animal est in re coniunctũ homini, & est separabile ab illo in equo, vel in leone: & tamẽ nõ distinguitur in re ab illo, vt suprà dictũ est. Respondetur, ideò in proposita regula dixi, *id quod in re ipsa, & in indiuiduo est separabile*: animal. n. (& idẽ est de omnibus similibus prædicatis) solùm est separabile ab homine secundum communem rationẽ conceptam, secundum quam non habet in re vnitatem in multis, sed ratione tantùm: quatenus verò animal est in re, & in indiuiduo coniunctum homini, non est separabile ab homine: nam hoc indiuiduum animal, quod in re est hic homo, nunquam potest in re manere nisi maneat homo, neq; econuerso potest durare hic homo, quin duret hoc animal.

V. Replicæ Theologicæ. respondetur.

Vrgebis, nam saltem in Deo, diuina essentia est in re coniuncta paternitati; & eadem numero est separabilis ab illa, quatenus est coniuncta filiationi; & tamen non distinguuntur actualiter in re ipsa. Aliqui Theologi propter hanc difficultatem admittere videntur distinctionem actualem, & in re ipsa saltem modalem inter relationem diuinam & essentiam, quod solet tribui Scoto, sed clariùs id sentit Durandus: nam Scotus obscuriùs, & valdè in communi loquitur de sua distinctione formali. Ea verò sententia in prędicto sensu est valdè falsa, multumque repugnans diuinæ simplicitati: & perfectioni. Hanc verò disputationem Theologis relinquimus: & respondemus breuiter. Primò, negando essentiam esse separabilem à paternitate: aliud est enim esse communicabilem Filiationi, vel Processioni, aliud verò esse separabilem à paternitate: quin potiùs ex intrinseca ratione sua, postulat ita communicari illis, vt ab hac nõ separetur: non ergo habet hîc locum regula posita de separatione. Secundò respondetur, esse illo mõ cõmunicabile multis inter se distinctis realiter,

Relationes diuinæ ab essentia nullo modo in re distinctæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sine distinctione ab eo, quod illis commune est, nisi sola ratione, seu virtualiter, esse proprium rei in finitę simpliciter: & ideò, quamuis latè loquendo de separatione pro coniunctione cum alia re distincta realiter, in creaturis optimum argumentũ sit, quidquid coniungitur cum alio realiter distincto, esse et ipsum in re distinctum ab altero extremo: quia non potest vna res finita eadem numero per identitatem coniungi cum rebus realiter distinctis; tamen in re infinita hoc nullum argumentum est propter summam eius simplicitatẽ & perfectionẽ; & hoc est mysteriũ Trinitatis, q̃ sola ac certissima fide tenemus.

Signum distinctionis tantùm modalis.

VI. Dico secundò. Separatio vnius ab alio, quæ solùm est non mutua (vt vulgo appellatur) id est, in qua vnum extremum potest manere sine alio non tamen econuerso, est sufficiens argumentum distinctionis modalis, non tamen maioris, seu realis propriè sumptæ. Prior pars satis probata est in præcedente assertione. Posterior probatur, quia ex huiusmodi separatione non mutua rectè conuincitur, eam rem, quæ potest manere destructo alio extremo habere per se suam realitatem independenter intrinsecè & entitatiuè, seu essentialiter ab illo extremo, quod destrui potest, ipsa manente: non verò põt inde concludi aliud extremum, quod destrui potest habere ex se propriam entitatem: quia, vt supponitur, illud extremum tale est, vt manere non possit sine altero; sed ad hoc sufficit, vt sit modus eius: imò hoc est intrinsecum, vt diximus entitati modali, vt per se manere non possit, nec separari actu ab eo, cuius est modus: ergo ex prædicta separatione non potest concludi maior distinctio, quàm modalis. Et cõfirmatur, nam ita comparatur motus localis ad mobile, sessio ad sedẽtem, actio ad terminum, inter quæ nullus, qui rectè sentiat, maiorem distinctionem ponit, quàm modalem.

VII. Quæstiuncula notabilis.

Sed quæret aliquis, esto sit vera hæc regula, quasi negatiua, ex hac separatione non necessariò colligi maiorem distinctionem, an positiua etiam regula vera sit, ea scilicet, quæ hoc tantùm modo separabilia sunt, tantùm etiam modaliter distingui, & non maiori distinctione reali. Videtur enim incerta, atque adeò fallax talis regula; nam, licet illud solùm signum non sit sufficiens argumentum maioris distinctionis, non videtur tamen signum sufficiens ad negandam maiorẽ distinctionem. Fieri enim potest, vt illa inseparabilitas, quæ est ex parte alterius extremi, non oriatur ex identitate aliqua, vel minori distinctione, sed ex aliquo modo dependentię magis intrinseco & separabili. Vt verbi gratia, subiectũ, & accidens ita comparatur, vt subiectum possit manere sine accidente: accidens verò non possit naturaliter manere sine subiecto, etiam si sit res distincta ab illo. Et aliqui existimant nonnulla accidentia, etiamsi sint realiter distincta, non posse etiam supernaturaliter sine subiecto conseruari, vt actus vitales, & si quæ fortasse sunt alia similia. Illa ergo positiua regula, vel falsa est, vel incerta. Respondetur, aliud esse loqui de inseparabilitate naturali: aliud verò de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutã. Nam ex priori sola non potest sufficiens argumẽtum sumi in distinctionis realis propriissimè & in rigore sumptæ, vt argumentũ factum conuincit, & exemplũ de subiecto & accidente; & simile de materia, & singulis formis materialibus: materia enim potest à qualibet indiuidua forma separari, & sine illa conseruari: nulla verò talis forma potest naturaliter separari à materia, ita vt sine illa conseruetur.

At verò, si sit sermo de inseparabilitate in ordine ad potentiam Dei absolutam, valde probabile argumentum sumitur, ea, quæ prædicto modo comparãtur, & conseruari non possunt mutuò separata, tantùm distingui modaliter. Ratio est, quia si alterum extremum ex illis duobus tale est, vt per potentiam Dei absolutam, non possit sine alio conseruari, magnum argumentum est, illud essentialiter tantùm esse modum quendam, & non veram entitatem: quia, si esset vera entitas non posset habere tam intrinsecam dependentiam ab alia entitate, vt nõ posset Deus illam supplere sua infinita potentia: ergo solùm potest id prouenire ex eo, quod illud extremum in sua intrinseca essentia non est entitas, sed tantùm modus. Antecedens patet: quia causalitatem efficientem vt sic Deus potest supplere, vt omnibus est notum. Item, conseruando accidens sine subiecto supplet causalitatem materialem non respectu compositi, sed respectu alterius extremi; quæ sola illius generis in præsente interuenire potest. Et eadem ratione posset supplere similem causalitatem formalẽ, si interueniret, quia non est de se minus intrinseca, quàm materialis. Nec fingi potest aliud dependentiæ genus inter res absolutas, vt omittam relationem & terminum, de quibus statim. Dices, Multi putant, materiam non posse conseruari à Deo sine forma, licet forma possit conseruari sine materia: & tamen nõ sequitur solùm modaliter distingui: Respondetur, qui ita sentiunt, ipsi viderint, quo probabili fundamento id asserant: mihi enim illa sententia probari nunquam potuit, vt infrà dicam tractando de causis. Deinde non est simile de materia; nam, licet gratis demus, non posse materiam sine omni forma conseruari: tamen certum est, posse naturaliter conseruari sine hac vel illa, & sine quacunque forma determinatè: & hoc est sufficiens argumentum, materiam non esse modum formæ, sed esse rem distinctã, quantum est ex se; nam id quod est modus tantùm, non solùm separari non potest ab omni re cuius est modus, sed etiam neq; hic modus in indiuiduo potest separari ab hac re indiuidua, vt hæc sessio ab hoc sedente; cùm ergo materia in indiuiduo & hæc numero, separari possit ab hac forma, & esse sub quacũque alia, rectè colligitur, ipsam non esse modũ formæ. At rursus ex eo, quòd forma est res separabilis & potens manere sine materia saltem de potentia absoluta, rectè et concludit ipsam non esse modũ materię, sed in se habere suam entitatem, quę per distinctã vnionẽ materiæ coniungitur. Præter alia argumẽta, quę sumi possunt ex perfectione formæ super materiam, & ex actiuitate eius, & aliis similibus. Regula ergo posita, et illo positiuo modo declarata, quoad nos valdè probabilis est. Dico, *quoad nos*, quia fortasse contingere potest, vt in se sint distincta, quæ respectu cognitionis nostræ non exhibent sufficiens signum distinctionis. Tamen, quia nos iudiciũ ferre nõ possumus de iis quę in seipsis non videntur, nisi per effectus, vel signa nobis nota, & quia generalem regulã habemus, nõ esse multiplicẽdas distinctiones sine sufficiente fundamento: quia distinctio nõ fit à natura sine sufficiente causa, vel necessitate, ac denique quia illa inseparabilitas videtur etiam directè obstẽdere aliquam identitatem, ideò probabiliter coniectamus, vbi nõ est possibilis separatio mutua, sed nõ mutua tantũ, nõ esse distinctionẽ nisi modalem.

Obiectio.

Signa

Signa realis distinctionis.

IX. Dico tertiò. Quamuis ad distinctionem realem cognoscendam, plura indicia soleant assignari, tamen duo, quæ ex separatione sumuntur, videntur potissima. Vnũ est de separatione tantùm, quoad realem vnionem, id est, si vtrumque simul & actu possit conseruari in rerum natura absque vnione reali inter se. Aliud est de separatione mutua quoad existentiam, id est, quòd vnum possit sine alio conseruari, & econuerso, per se immediatè, & sine ordine, seu connexione necessaria cum aliquo tertio. Hæ duæ regulæ sunt ferè probatæ explicando duas conclusiones præcedentes. Et prima patet, quia illa duo, quæ sic separantur, non possunt sic se habere, vt vnum sit modus alterius, neque econtrario: quia de essentia modi est, vt non possit esse, nisi vnitus actu ei, cuius est modus, quia se ipso vnitur, & non alio vnionis modo, vt satis declaratum est: ergo illa duo, vel erunt res distinctæ, quod intendimus: vel erunt modi rerum distinctarum, vel vnum erit res, & aliud erit modus alterius rei distinctæ; & quocunq; istorũ modorum se habeant, distinguentur realiter: vel per se, vel ratione rerum distinctarũ, iuxta dicta in Sect. præced. Secunda probatur, quia, quando duo ita se habent, vt mutuò separari possint, & vnum sine altero conseruari; neutrum potest esse modus alterius, quia de intrinseca ratione modi est, vt manere non possit sine re, cuius est modus: ergo vtrumque illorum erit vera res secum afferens veram entitatem, quæ conseruari potest sine altera. Ergo necesse est, ea quæ huiusmodi sunt, realiter distingui; quia distinguuntur à parte rei, cùm separari possint, & non distinguuntur tanquam res, & modus rei, sed tanquam res & res: ergo distinguuntur realiter. Dixi autem, *per se & immediatè*, quia fieri potest, vt duo modi eiusdem rei possint mutuò vnus esse sine altero, & econtrario; & tunc non rectè colligitur distinctio realis inter illos: quia, licet non ratione sui, formaliter loquendo saltem ratione rei quam modificant, habent inter se quandam realem identitatem, & neuter illorum est separabilis, ita vt conseruetur sine re, quã modificat.

X. Atq; ex his constat, nihil referre, quòd hæc separatio naturaliter fieri possit, vel de potẽtia absoluta: quia tam essentiale est illi rei, quã nos tantùm modũ appellamus, esse actu affixam; & modificantẽ rẽ cuius est modus, vt repugnet ei de potẽtia absoluta cõseruari sine illa re, seu aliter, quàm actu modificando illã. Qua ratione nec mente intelligi potest figura separata ab omni quantitate & re, cuius sit figura, vel relatio sine fundamento, si est modus eius, vel motus sine mobili, & sic de aliis similibus. Et ratio est supra tacta; quia, quæ huiusmodi sunt, non habent ex proprio conceptu sufficientem entitatem, in qua conseruentur, sed solùm ex quadam identitate ad ea, quibus insunt, ergo quidquid prædicto modo separabile est, etiã de potentia absoluta, non est modus, sed res distincta. Quod ergo attinet ad inferendam in re ipsa distinctionem, nihil refert, quòd separatio prædicta naturaliter, vel supernaturaliter fiat, solùm quoad nos poterit esse notior distinctio, quando separatio naturaliter fit, interdũ verò notificatur nobis per supernaturalia mysteria, quorum cognitio multum iuuat ad naturalia cognoscẽda. Quomodo per mysterium Eucharistiæ cert. ùs nobis constitit, quantitatem esse rem distinctam à substantia, quàm per cognitionem naturalem constare potuisset.

A Vbi etiam obiter obseruari potest, quòd, licet interdum non sit facta mutua separatio & conseruatio duarum rerum, sed vnius tantum ab alia, nihilominus nobis sufficit ad inferendam distinctionem realem, vt in prædicto exemplo. Hactenus quidem factum nõ est à Deo, vt materialis substantia sine quãtitate conseruetur, sed solùm vt quantitas sine substantia materiali permaneat, & nihilominus hoc nobis est sufficiens argumentũ, vt colligamus quantitatem, & substantiam non solùm modaliter, sed etiam realiter distingui. Non quidem ratione formæ, (vt sic dicam) sed ratione materiæ: nam in humanitate & subsistentia factum etiam est vt humanitas sine subsistentia creata conseruetur: non est autem factum, neq; fieri posse credimus, vt subsistentia creata sit absque propria natura substantiali, cuius est terminus, vnde in hoc exemplo ex prædicta separatione non colligimus distinctionem realem, sed solùm modalem. Igitur in his præter separationem oportet considerare naturam eius, quod sine alio conseruatur; nam si illud sit natura sua, quasi adhærens alteri, & imperfectiùs illo, ac denique id, quod maximè videtur habere posse rationem modi & nihilominus sine alio conseruatur, signum est distinctionis realis, secus verò est, quando, id quod in re manet, est perfectius, habensque præcipuam rei entitatem. Vt in prædictis exemplis comparando ex se substantiam, & quantitatem, clarum est substantiam esse perfectiorem; &, quòd si vna esse deberet modus alterius, non substantia quantitatis, sed quãtitas deberet esse modus substantiæ: igitur, cùm per separationem quantitatis à substantia satis declaratum sit, quantitatem non esse modum, sed veram rẽ, satis consequenter declaratum est, substantiam & quantitatem non distingui vt rem & modum, sed vt duas res. At verò in natura & subsistentia potiùs constat, substantialem naturam esse præcipuam rei entitatem: & quòd, si aliqua earum est modus alterius, subsistentia est modus naturæ, & non econtrario: ex vi autem separationis factæ declaratum non est subsistentiam esse plus quàm modum, cùm ipsa non sit sine natura conseruata, & ideò ex illa non licet colligere distinctionem realẽ, sed modalem tantùm.

XI. Attentione dignum.

C Sed difficultas hic superest, quando nulla separatio, nec naturalis, nec supernaturalis facta est, quomodo tunc cognosci possit distinctio realis, quia tũc regulæ prædictæ deseruire non possunt, cùm tamen non repugnet, multa distingui realiter, quæ hactenus non sint aliquo ex prædictis modis separata, vt materia & forma cœli. Quòd si dicas estò non sint separata, posse cognosci vt separabilia: hoc perinde dicto est ac si diceretur cognosci esse distincta, vel saltem eiusdem difficultatis est: hoc enim inquirimus, quomodo cognoscemus esse separabilia, si nec naturaliter separantur, neque à Deo hactenus separata sunt aliquo ex prædictis modis. Et augetur difficultas, quia aliqua sunt inseparabilia, etiam de potentia absoluta, quæ tamen censentur realiter distincta, vt de intellectu & voluntate, tam inter se, quàm respectu animæ, multi existimant. Propter priorem difficultatem dici potest, dictum signum ex separatione sumptum, neque esse adæquatum, neque vnicum, nec semper primum aut necessariũ, solùmque assignari vt certius & notius, quando haberi potest; ideoque præter illud assignari solent nonnulla alia, quæ breuiter attingenda sunt.

XII. Vade conũciendа distinctio in iis, quæ per nullam vim separata adhuc existiterunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aliud signum realis distinctionis vt inutile reiicitur.

XIII. PRimum est, distinctio existentiarum; nam quæ distinguuntur realiter, habent distinctas existẽtias, quæ verò distinguuntur modaliter, vnicam tãtùm existentiam habent: nam modus ideò modus est, quia non habet aliam existentiam præter existẽtiam rei, cuius est modus.

XIV. Sed hoc signum nullius momenti est; quia, vel est obscurius, quam id de quo agimus, vel petit principium, vel aliquid falsum inuoluit. Primum enim, si verum est, existentiam esse actualem rei entitatem; perinde est dicere illa distingui realiter, quæ habent existentias distinctas, ac si diceretur, ea distingui realiter, quæ habent entitates distinctas. Si autem existentia fingitur esse res distincta ab essentia actuali, aut supponitur, eas res quæ habent distinctas existẽtias, habere etiam distinctas essentias: & hoc est quidem verum, tamen nõ est minùs difficile cognoscere distinctas existentias, quàm distinctas essentias, nisi fortè per separationem, vel asseritur posse duas essentias habere vnam existentiam; & tunc distingui tantùm modaliter: realem verò distinctionem esse, quando cum distinctione essentiarum, coniungitur etiam existentiarum distinctio: & hoc non solùm existimo ita esse occultum, vt naturaliter de nullis rebus cognosci possit; verùm etiam esse falsum: quia nulla est maior ratio distinguendi essentias, quàm existentias, in his, quæ modaliter distinguuntur: idem enim modus distinctionis, qui est inter essentias, esse potest inter existentias. Quocirca supponendo, quod infrà probabimus, existentiam nihil aliud esse præter rem ipsam essentiæ actualis, sicut in re & modo intelliguntur distinctæ existẽtiæ: quia modus, vt condistinctus à re quàm modificat, habet suam actualitatẽ; eadem ergo est ratio, idemq; modus distinctionis inter illa duo, siue in potẽtia, siue in actu, siue secundũ esse essentiæ, siue secũdum esse existentiæ considerẽtur. Adde deniq; iuxta opinionem asserentem esse existentiã rem distinctam ab essentia, posse res realiter distinctas eadem indiuisibili existentia existere, vt materiam & formã, & partes omnes eiusdem compositi: ergo etiam iuxta illam opinionem distinctio rerum non satis neq; verè manifestatur per distinctionem existentiarum, in his rebus, quæ ita sunt distinctæ, vt sint inter se coniunctæ, in quibus præsens difficultas potissimũ versatur, quando quidem res distinctæ possunt habere eandem existentiam. Quòd si fortasse aliquis hoc non admittat, non est cur possit consequenter admittere, rem & modum habere eandem omnino existentiam, sed modaliter etiam distinctam, vt vnumquodque habeat esse sibi accommodatum: igitur eadem quæstio erit de distinctione rerum, vel modorum, & de distinctione existentiarum.

Aliud signum realis distinctionis ex Aristotele sumptum exponitur.

XV. SEcundum signum sumi potest ex diuersa productione, vel corruptione, ita vt ea dicantur realiter distingui, quæ diuersa generatione & corruptione generantur, & corrumpuntur. E contrario verò *ea esse realiter idem, quæ eadem generatione generantur*: hoc enim signo vsus est Aristoteles libro quarto, Metaphys. textu 3. ad probandum, ens & vnum esse idem. Hanc sententiam refert Fonseca ex Anton. Tromb. tractat. de formalit. cap. 2. & eam

Fonseca. Anton. Tromb.

A impugnat. Quia proprietates animæ eadem actione cum ipsa anima producuntur, & tamen sunt res distinctæ: & econtrario relatio non distinguitur realiter à fundamento; nec figura à quantitate, & tamen diuersa actione producuntur. Sed non censeo, hoc signum esse falsum, si debita proportione intelligatur, censeo tamen esse fere inutile ad cognoscendam distinctionem, nisi quatenus aliquo modo includit signum separationis. Explico singula, & inprimis suppono, sermonẽ esse de naturali actione seu productione rerum, non miscendo miracula. Item esse sermonem de his, quæ ex se, & natura sua requirunt distinctas actiones, quibus fiunt, etiamsi simul producantur. Cur autem hæc supponam, infrà explicabo. Rursus aduerto duobus modis posse intelligi aliqua produci distincta actione. Vno modo per se primò, & absque vlla naturali connexione, vel consecutione talium actionum inter se; alio modo cum connexione actionum, ita vt vna ex altera naturali necessitate resultet. Vnde econuerso duob. etiã modis possunt dici aliqua eadẽ actione fieri, sc. vel æquè primò, & absq; vlla dimanatione vnius ab alio, vel vnũ primariò, & aliud secundariò, quatenꝰ à priori termino necessariò resultat.

B Igitur, quæ priori modo per se primò fiunt actionibus in re distinctis, necesse est, vt in re distinguantur: & quoad hoc verissima est regula suprà posita. Quia tota ratio & distinctio actionũ, sumitur à terminis: ergo, si termini tales sunt, vt requirant actiones distinctas, etiam ipsi erunt distincti: tamen non potest hinc absolutè inferri distinctio realis inter terminos, nec maior, quàm sit inter ipsas actiones; quę interdum possunt realiter distingui, vt productio ligni, & calefactio eius: interdũ verò tantùm modaliter, vt productio ligni, & motio localis eius, quæ tantùm distinguuntur, vt duo modi eiusdẽ ligni: & eodem modo distinguũtur res productæ per huiusmodi actiones: nã per priores producũtur substãtia & calor, quæ sunt realiter distincta; per posteriores verò substãtia, & vbi, seu præsentia localis, quę tãtùm modaliter distinguũtur. Seruãt ergo proportionalẽ distinctionẽ res productæ cũ suis productionibus. Quod quidẽ verum est, non solùm quando huiusmodi actiones separatim fiunt, & absq; naturali coniunctione, vt contingit in productione, & calefactione ignis, sed etiã quando illæ actiones naturaliter cõiunctæ sunt, & vna resultat ex alia. Vt contingit, v. g. in productione alicuius rei grauis in regione aeria, & motu eius deorsum, qui naturaliter ad talem generationem consequitur: ibi enim euidenter, & ferè ad sensum patet distinctio actionum: quia vna fit intrinsecè in vno instante, alia tantùm extrinsecè in eodem inchoatur. Esse tamen potest eadem distinctio & consecutio inter actiones instantaneas, vt inter productionem ignis, & consecutionem caloris, & idem est de productione animæ, & emanatione potentiarum eius ab ipsa: nam, si illæ potentiæ sunt res distinctæ, etiam illa emanatio est actio physicè distincta, quamuis ab alia resultet, & ideò dicatur non fieri per se primò. Et similia exempla adhiberi possunt in actionibus tãtùm modaliter distinctis, vt sunt creatio angeli, verbi gratia, & productio alicuius vbi, seu præsentiæ localis, quæ ad illam naturaliter consequitur; & productio alicuius quantitatis, & figuratio eius, quæ postcà fit; & idem est de productione fundamenti, & resultantiã relationis, supponendo eam esse modum distinctũ. Atque ita constat, instantias seu exempla adducta contra

contra istam sententiam non vrgere, nam in illis omnibus, sicut est distinctio inter actiones, ita & inter terminos, & econuerso. A

XVII. Constat deinde, quo sensu verum sit principium ab Aristotele dicto loco positum, *quæ vna productione generantur esse idem.* Est enim hoc verum de his, quæ per se fiunt, & immediatè vnica actione reali: quæ autem solùm dicuntur produci, vel potiùs cõproduci vna actione, quatenus vnum resultat ex alio, non oportet vt sint idem realiter, sed solùm subiecto, vel colligatione quadam: quia reuera immediatè & proximè non fiunt vna reali actione, vt in substantia & passionibus realiter distinctis declaratum est. Imò necesse est, vt illa vna actio indiuisibiliter sumatur, nam si sit aliquo modo composita poterit in adęquato termino eius reperiri aliqua distinctio. Vt vnica actione, v. g. calefactione, seu eductione formæ de potentia materiæ sit calor seu forma, & vnitur subiecto seu materiæ, vbi in termino duo fiunt ex natura rei, seu modaliter distincta, scil. entitas formæ seu caloris, & vno eius, & tamen actio est vna; tamen aliquo modo composita ex modis, quasi partialibus, qui in ea possunt considerari. B

XVIII. Atq; hinc vlteriùs ex dictis constat, cur dixerim, hoc signum fere esse inutile ad distinctiones rerum cognoscendas: nam iidem varij modi distinctionum possunt reperiri inter actiones, qui sunt inter terminos, scilicet, realis, modalis, & interdum rationis, vt est inter generationem hominis & animalis: hi autem modi distinctionum non sunt nobis notiores in actionibus, quàm in terminis. Quin potiùs frequentiùs magisque à priori distinctionem actionum ex terminis venamur: non enim alia ratione censemus, calefactionem esse actionem realiter distinctã à ligno, constitutionem autem eius in tali vbi solùm modaliter distingui, nisi quia calor est res distincta, præsentia autem localis solùm est modus distinctus. Addidi præterea, hæc esse intelligenda de distinctione actionum, quam termini per se & natura sua requirunt, quia, si actiones solùm distinguuntur, vel ex temporis successione, vel ex diuerso modo, quo fiunt, non est necesse, vt ex distinctione actionũ, aliqua distinctio in termino colligatur. Nam, sicut eidem rei possunt modi distincti inesse, præsertim successiuè, ita ad eundem terminum possunt distinctæ actiones terminari, si sint à distinctis agentibus, vel distinctis temporib. quomodo idem lumen nunc producitur vna actione ab vna lucerna, & põt deinde ab alia per actionem distinctam conseruari; & idem homo per generationem producitur, & per resurrectionem reproducitur. Dixi deniq; non esse admiscenda miracula, quia diuina virtute non solùm successiuè, sed etiam simul potest eadem res pluribus actionib. produci, aut conseruari, vt in 3. tom. 3. partis, latiùs tractaui. E contrario verò, non existimo fieri posse vt res omnino distinctæ eadem actione producantur. Ratio autem differentiæ non est difficilis ex dictis, quia actio est quidam modus rei, quæ fit; non potest autem vnus, & idem modus indiuisibilis distinctis rebus inesse: vt in superioribus probatum est, quòd autem plures modi eidẽ rei insint, non est repugnantia: quando ipsi modi inter se non sunt oppositi; sed videri potest superfluum, quando, vel sunt eiusdem rationis, vel ad idem tendunt: tamen respectu diuinæ sapientiæ potest non esse superfluum, & nulla ostenditur pugnantia propter quam possibile non sit. C

Expenditur aliud signum realis distinctionis.

XIX. TErtium signum adhiberi solet, scilicet quando vnum se habet vt producens, & aliud vt productum, esse sufficiens signum distinctionis realis. Ita Fonseca lib. 5. Metaphys. cap. 6. q. 6. sect. 1. ex Diuo Thom. 1. p. q. 41. artic. 4. Sed hoc signum in primis non est vniuersale, vt per se constat. Deinde si solùm assignetur ad concludendam distinctionem ex natura rei, abstrahendo à modali, vel propria reali, est generaliter verum: si autem intelligatur de propria distinctione reali, vt verum teneat, coarctandum est ad productionem, vel substantialem propriam, perfectam, ac primariam, vel accidentalem, quæ terminetur ad aliquid quod ipsi producenti nõ vnitur: nam in his duobus casibus semper requiritur distinctio realis; in aliis verò non semper. Primum patet, quia non potest idem suppositum substantiale se ipsum producere proprie ac primariò, quia, vt producat, supponitur esse, & ideò si producit, supposito, aliud à se distinctum producit. Vnde etiam diuinæ personæ, quamuis vnitatem in essentia habeant, ob realem productionem vnius ab alia realiter distinguuntur. Dixi autem, *propriè ac primariò* quia per miraculum fieri fortasse potest, vt aliqua res se ipsam reproducat; tamen tunc necesse est, vt illa res supponatur priùs alia actione producta; & ideò secunda actio non est primaria productio neque propria, sed solùm per modum conseruationis: de qua re latiùs in materia de Eucharistia. Secundum ita declaratur, quia, quicquid ab aliquo producitur, debet ab illo in re ipsa actu distingui: quia ipsamet productio debet esse à producente distincta aliquo modo, maximè cùm ponatur esse accidentalis: ergo & terminus eius debet esse distinctus à parte rei ab ipso producente: ergo si aliunde supponatur, quòd talis terminus non producitur cũ vnione & coniunctione ad ipsum producentẽ, necesse est, vt non sit modus eius, sed res distincta ab ipso, vel modus rei distinctæ ab ipso: necesse est ergo, vt non tantùm modaliter, sed re aliud distinguatur, vel per se immediatè, vel ratione eius, in quo est. At verò, si productio sit accidentalis, & terminetur ad aliquid, quod vnitur, & coniungitur producenti, non est signum sufficiens distinctionis realis. Nã licet interdum possit interuenire talis distinctio, vt in visu producente visionem, & intellectu, voluntate, ac similibus facultatibus, quæ producunt qualitates realiter à se distinctas, quibus ipsæ informant: tamen hoc simpliciter necessarium non est, vt patet, quãdocunq; id quod producitur, solùm est modus ipsius producentis, siue per se & per propriam actionem producatur, vt in præsentia locali, quam in se efficit qui se mouet; siue per actionem tantùm resultantem, vt in emanatione subsistentiæ à natura, & similibus. Quòd si dicatur, non quamcunque productionem, sed eam, quæ est res distincta à producente, inferre distinctionem realem producentis & producti: hic erit circulus omnino inutilis: nam actionem huiusmodi esse re distinctam à producente, non potest aliunde colligi, quàm ex eo, quod nõ producitur per eam modus aliquis producentis, sed vera qualitas, seu forma ipsum afficiens, quod inquirebatur.

Atq; idem iudicium est de alio signo, quod idem author ibidẽ subiungit de relatione causæ & effectꝰ. Nam hoc maximè habere potest locum in causa efficiente, de qua procedunt omnia dicta: & applicari XX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

suo modo possunt ad causam formalem, vel materialem: nam, licet propriissimè non reperiantur, nisi inter actum & potentiam realiter distincta: tamen aliqua etiam ratione interueniunt inter modũ afficientem, & rem affectam: in causa autem finali non habet locum, cùm finis & effectus possint in eandem rem coincidere: imò & finis, & agens, vel finis & forma.

XXI. Conclusio ex dictis elicita. Vix ergo potest aliquod certum indicium realis distinctionis dari, quando res huiusmodi sunt, vt naturaliter semper ac necessariò sint inter se realiter vnitæ, & hactenus non sunt diuinitus separatæ, non nego tamẽ posse inueniri plures res huiusmodi realiter distinctas, vt exemplis superiùs allatis constat, sed solùm assero, huiusmodi distinctionem non posse aliquo generali signo discerni, sed in singulis considerandam esse propriam rationem essentialem, & gradum perfectionis, & munus, ad quod ordinãtur, vt ex omnibus in vnum collectis possit iudicium de distinctione fieri: vt v. g. inter materiam & formam cœli, facilè credimus, esse distinctionem realem: quia ex communibus rationibus essentialibus materiæ & formæ intelligimus neutram earum esse modum, sed veram entitatem: & aliunde ex variis proprietatibus cœli intelligimus, in eo reperiri vtramq; secũdũ ꝓprias rationes earũ, ac deniq; ex limitata earũ pfectione cõcludimus, ipsas esse ex natura rei, & cõsequẽter realiter distinctas. Simili modo inter formam substãtialẽ & potẽtiã per se primò ordinatã ad actũ accidentalẽ efficiẽdũ credit intercedere realis distinctio: quia ratio facultatis operatiuę valde perfecta in suo genere est, vnde nõ videtur esse aliquis modus accidentalis, qui solet esse valde imperfectus, sed vera entitas & forma per se ordinata ad talẽ actũ: aliũde verò, cõsiderata limitatione substãtię finitę, non videt in sua essentiali ratione, prout in re existit, comprehendere tã diuersas rationes, seu habitudines ad actus adeò diuersos, quales sunt actus essendi & operandi: vnde cõcludimus, esse inter illa duo, realẽ distinctionẽ, cùm nõ sit inter rẽ & modum, sed inter essentias cõstituentes ꝓprias entitates. Ad hunc ergo modũ in cæteris philosophandum est, cõsiderando priùs, an rationes illę inter quas distinctio quæritur, excedant rationẽ modi; & vtraq; per se sufficiat ad cõstituendam entitatẽ; & deinde, an tanta appareat in eis diuersitas vt in re finita requirant aliquam distinctionem ex natura rei, & actualem in re ipsa; & ita fieri poterit probabilis coniectura de qualitate distinctionis.

Dubium occurrens de separabilitate rerum distinctarum.

XXII. DVbium verò supereſt, quod in altera parte propositæ difficultatis tangebatur, an scilicet omnia quæ sunt à parte rei realiter distincta, possint per diuinam potentiam separari. Quod potest de duplici separatione suprà tacta intelligi. Primò de sola separatione quoad vnionem realem conseruato in esse vtroque extremo. Secundò, de separatione quoad esse, id est in qua vno destructo, aliud in esse conseruetur. Suppono autem, quæstionem versari circa res omnino inter se condistinctas, ita vt non se habeant vt totum, & pars, seu vt includens & inclusum: nam de his constat, quod aliud includit, non posse sine illo conseruari: quia ex illo intrinsecè constat. De rebus autem priori modo condistinctis variæ possent referri opiniones, quas omitto, quia ad particulares materias pertinent. Et ad priorem sensum respondeo huiusmodi res semper posse illo modo separari de potentia absoluta (sic enim loquimur) neque occurrit vlla exceptio, quam in hoc facere oporteat. Et ratio est, quia his rebus nou potest repugnare mutua separatio vnius ab alia ex defectu sufficientis entitatis (sicut in modis contingit) quia, vt supponimus, vtraque earum habet veram entitatem distinctam ab alia: si ergo est repugnantia, solùm potest esse, vel ex dependentia vnius ab alia: vel ex naturali connexione seu dimanatione alterius ab altera: non enim potest alia ratione excogitari. Sed, quãuis hinc rectè inferri possit naturalis inseparabilitas, non tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam: quia, vt suprà tactum est, omnem illam dependentiam potest Deus supplere, quia vel est dependentia in genere causæ efficientis, vel, si est causę formalis, aut materialis, non est tanquam intrinsecè cõponentis, sed tanquam sustentantis, vel actuantis rem à se distinctam, quæ dicitur causalitas quodammodo extrinseca, quam totam Deus supplere põt. Multò aũt faciliùs potest impedire quamcunq; naturalem dimanationẽ: tum quia illa fieri non potest sine influxu Dei, quem ipse potest non dare, tum ét quia potest destruere quamcunque vnionem inter illas duas res, & sua virtute sola vtramque efficere vel conseruare. Itaq; in hoc, nec generalem repugnantiam, nec rationabilem exceptionem inuenio. Nam, quam aliqui faciunt de passionibus & essentia, vel nulla ratione nititur, vel, si quæ est apparens, illa potiùs probat, illas non esse in re distinctas, quàm, supposita distinctione, separari non posse.

Reuocatur distinctio quòd separari possint: esse tales.

Solum posset instari de relationibus vnionis, verbi gratia, materiæ & formæ, quæ realiter distinguuntur, sicut ipsa materia & forma: quia in ipsis sunt adæquatè, & tamen non possunt conseruari disiunctæ, sed tantùm vnitæ. Respondetur primum, si sit sermo de relationibus prædicamentalibus, fortasse illas non esse aliquid reale distinctũ in re ab huiusmodi vnione, sed solùm mutuam denominationem rerum vnitarum inter se: vel, si admittamus illas relationes esse positiuos modos reales partium vnitarum, respondetur, illas non esse inter se vnitas, formaliter loquẽdo: sed esse inter partes vnitas: ideoq; non posse conseruari sine vnione earum, quia in illa fundantur, quod non est contra dicta. Si autem sit sermo de ipsa vnione formali, quæ est relatiua secundum dici, seu transcendentaliter, illa non est res distincta à partibus vnitis, sed modus earum; & ideò mirum non est, quod non possit talis modus conseruari dissoluta ipsa vnione, cùm sint idem modus & vnio.

XXIII. Obiectio soluitur.

Ad posteriorem autem sensum respondeo, etiam illo modo posse res distinctas separari per potentiam Dei, triplici adhibita exceptione, quæ sub vno nomine essentialis habitudinis, vel dependentiæ cõprehendi potest. Ratio generalis regulæ est ferè iam tacta, quia, si res realiter distinguuntur, disiungi etiam realiter possunt: quæ sic autem disiuncta sunt, nõ repugnat, vel contradictionem inuoluit, vnum à Deo conseruari sine alio, quia regulariter solùm potest esse inter illa dependentia effectiua, non verò essentialis: & illam Deus supplere potest.

XXIV. Rerum distinctarum dependentia manens tollitur.

Vnde prima exceptio est de creaturis respectu Dei: sunt enim res à Deo distinctæ, & potest Deus sine illis esse, non autem illæ sine Deo: non solùm quia Deus est per se ens necessarium, sed propter essentialem dependentiam, quam habent à Deo: ratione eius, si per impossibile fingatur Deus non esse, non possent creaturæ esse sine illo. Quam dependentiam effectiuam ita essentialem non habet vna creatura ab alia, præsertim, si habeat veram entitatem, & realitatem, de qua nũc loquimur, nam fortasse id, quod intrinsecè tantùm est modus, potest essentialiter dependere ab eo, cuius est modus: de quo aliàs, nam ad præsens non refert.

XXV. Prima exceptio de creaturis & earum dependentia.

XXVI. Secunda de relatione & termino. Secunda exceptio est relationis & termini realiter distincti, non enim potest in rerum natura alterum sine altero mutuò conseruari, quamuis non habeant inter se propriam realem vnionem, sed habitudinem. Ratio verò est, quia relatio vt sic essentialiter & quasi formaliter pendet à termino, & ideò neque consurgere, aut conseruari potest sine illo: neq; abundè potest hæc ratio ampliùs probari, nisi quia huiusmodi est relationis essentia, vt nunc ex cõmuni opinione supponitur: loquimur enim de relatione reali purè prædicamentali.

XXVII. Tertia de personis diuinis ab inuicem. Tertium exemplũ est de diuinis personis, quæ, licet distinguantur realiter, non possunt inter se separari in esse, propter intrinsecam & necessariã connexionẽ, quàm inter se habent. Quæ potest ad præcedens caput reduci: sunt enim relatiuæ personæ, & ideò vna esse non potest sine alia. Item oritur ex vnione, quam habent in essentia per veram atque perfectam identitatem cum illa, ratione cuius sit inprimis, vt quælibet illarũ personarum sit ens simpliciter necessariũ: atq; adeò, vt ei repugnet absolutè & simpliciter nõ esse, & consequenter sit, vt nulla possit esse sine alia: quia, si nulla illarum personarũ potest non semper esse, neq; etiã poterit vna esse, cùm alia non sit. Sicut ob hanc etiã causam, quamuis creaturæ non pendeant per se à relationibus diuinis vt sic, nihilominus non possunt prædicto modo separari in esse ab eisdem relationibus: quia non possunt creaturæ existere, quin supponãtur relationes illæ existentes, sunt. n. ens simpliciter necessarium; & licet ex parte creaturæ non sint per se necessariæ ad eius creationem, tamen ex parte Dei sunt necessariæ: quia & per se sunt in Deo; & ipsæ essentialiter sunt Deus. Denique formaliter ac sufficienter id prouenit ex vnione cum essentia per identitatem: nam cùm quælibet relatio & essentia sint inter se omnino idem in re, neque essentia esse potest à parte rei sine qualibet relatione, neque relatio quælibet sine essentia. Vnde fit, vt neque etiam vna relatio possit sine aliis existere. Dices, hoc argumentum fundari in illo principio Aristot. 4. Metaphys. text. 3. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, quod in Trinitate locum non habet: alioqui non solùm inferretur, vnam relationem non posse esse sine alia, sed etiam esse aliam: respondetur formaliter non fundari in illo principio, sed vel in hoc, quod ea quæ sunt omnino idem in re, non possunt ita in re separari, vt vnum sine alio existat, vel certè in hoc, quod essentia & relatio diuina, non vtcunque sunt idem, sed ita vt essentia sit de essentia relationis, & relatio sit intrinsecus terminus essentiæ, & ideò nec relatio potest esse sine essentia sibi essentiali, neq; essentia sine suo termino intrinseco, & simpliciter necessariò. Sed de his satis pro huius loci occasione.

Obiectio soluitur.

Signa distinctionis rationis.

XXVIII. VLtimò ex dictis facilè intelligi potest quomodo distinctio rationis possit dignosci, & ab aliis discerni. Nam inprimis, de distinctione rationis ratiocinantis nulla est difficultas, quia, cùm hæc nõ solùm non sit in re, sed neque etiam in illa habeat fundamentum, facillimè cognoscetur; maximè, cùm neque etiam in ipsis conceptibus obiectiuis habeat formalem diuersitatem, sed solùm quasi materialem per repetitionem, vel comparationem eiusdem conceptus, quo, cùm vnus sit, vt pluribus vtimur; sicut Aristoteles dixit. 5. Metaphys. cap. 9. Aristot. text. 16. Distinctio autem rationis ratiocinatæ inprimis requirit diuersitatem, aliquam formalem in conceptibus obiectiuis, in quo differt ab altera distinctione rationis ratiocinantis; conuenit autẽ in hoc cum distinctionibus in re inuentis. Vt autem talis distinctio iudicetur rationis, & non rei, satis est vt præter illam distinctionem conceptuum, nullum inueniatur signum ex omnibus positis ad distinctionem modalem, vel realẽ cognoscendam: nam, cùm distinctiones non sint multiplicandæ sine causa; & sola distinctio conceptuum non sufficiat ad inferẽdam distinctionem rei, quandocunque cum illa distinctione conceptuum non adiungitur aliud signũ maioris distinctionis, iudicanda semper est distinctio rationis, & non rei. Ex quo infero, quandocunque certò constat, aliqua duo quæ in re vnita & coniuncta sunt; ita esse in conceptibus obiectiuis distincta, vt in re & in indiuiduo sint prorsus inseparabilia, tam mutuò, quàm non mutuò, & tam de potentia absoluta, quàm naturaliter, & tam quoad esse, quàm quoad realem vnionem inter se, tunc magnum, & ferè certum argumentum esse, illa non distingui actu in re, sed ratione ratiocinata. Probatur ex dictis, & primò inductione: nam Petrus, homo, animal, & cætera prædicata prout in re sunt in Petro, non distinguuntur ex natura rei. Similiter in intellectu ratio superior & inferior, syndieresis, memoria, & similia attributa eius, non significant aliqua in re distincta, sed ratione tantùm ratiocinata: quia illa potentia talis est, vt hæc omnia in sua adæquata ratione comprehendat, nec sint in illa separabilia vllo modo etiam de potentia Dei absoluta, quoad ipsam facultatem, seu actum primum, licet quoad vsum possint separari. Secundò ratione insinuata, quia, quæ huiusmodi sunt, nõ alia de causa videntur ita inseparabilia, nisi quia in re vnam & indiuisibilem habent essentiam, & entitatem: alioqui cur saltem diuina virtute separari non possint, præsertim in creaturis? Denique, quia ibi nullum est sufficiens signum maioris distinctionis: ergo debet iudicari illa distinctio, esse rationis, quamdiu maior non constiterit.

SECTIO III.

Quomodo idem & diuersum tum inter se, tum ad ens comparentur.

DE eodem & diuerso agit Aristot. 5. Metaph. c. 9. & multi hanc ponũt inter distinctas passiones entis, quã nos suprà diximus sub vnitate cõprehendi: sumiturq; ex Arist. lib. 10. Metaph. tex. 9. c. 5. & 6. & ideò in fine harũ disputationum de vnitate & multitudine pauca dicenda sunt de eodẽ & diuerso, potiùs ad explicandum vsum plurium vocum in hac scientia quàm ad rem nouam addendam, quidquid enim ad rem spectat, in his quæ de vnitatib. & distinctionibus diximus, traditum est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Primò igitur aduertendum est, *idem* duobus modis dici posse, scilicet relatiuè, & negatiuè; seu (prout alij loquuntur) formaliter, & fundamentaliter. Idem enim formaliter sumptum relationem importare videtur, in quo maximè ab vnitate distinguitur; negatiuè autem dicitur idem, quod non est ab aliquo diuersum, seu distinctum: quomodo fere nihil differt ab vno, nisi quod vnum dicit negationem diuisionis in se: idem verò dicit negationem diuisionis à se, seu ab eo, cum quo ens idem esse dicitur: propter quod dixit Arist. 5. Metaph. capit. 9. text. 16. *identitatẽ vnitatem esse quandam ipsius esse.* Et declaratur in ea idẽtitate, qua aliquis dicitur esse idem sibi; nam, si hoc relatiuè sumatur, & formaliter, tantùm dicit relationem rationis, vt sumitur ex Aristotele suprà, & est certa & communis sententia, quia eiusdem ad se ipsũ non potest esse relatio realis: quia oportet veram esse oppositionem inter relationem, & terminum; quæ non potest esse eiusdem ad se ipsum, tamen hoc modo, seu formaliter non dicetur aliquis idem sibi, id est, ad se referri tali relatione, nisi quando per intellectum ita concipitur, seu comparatur. At verò sine vlla huiusmodi comparatione, vel fictione intellectus dicitur aliquis idem sibi fundamentaliter seu negatiuè: quia non est à se ipso diuersus, seu diuisus. Atque hoc posteriori modo potest identitas inter passionis entis numerari: quamuis illa negatio, vt suprà dicebamus, non soli enti vero, sed etiam ficto, attribui possit, neque soli enti per se, sed etiam cuilibet aggregato entium, seu multitudini ac numero: quilibet enim numerus est idem sibi, sicut vnum, vel vnitas. Alio sensu distinxit Scotus identitatem in absolutam & relatiuam, prout referunt Heruæus Quodlib. 4. q. 2. & Soncin. 10. Metaph. q. 3. Iauell. q. 7. Absolutam identitatem vocat qua vna res dicitur idem sibi, quia ibi non implicatur respectus ad aliam rem. Relatiuam verò identitatem vocat, quâ vna res dicitur eadem alteri. Et has duas identitates vult Scotus, vt dicti authores referunt, esse re ipsa distinctas, & in hoc illum impugnant. Et quidem si idẽtitas respectiua sumatur inter res, tantùm ratione ratiocinata distinctas, vt sunt homo, & Petrus, meritò improbatur illa sententia, quia identitas Petri ad se ipsum, vel ad hominem, aut animal non differunt re, sed vt maior, & minor secundum rationem; aliàs oporteret extrema ipsa in re distingui: si autem idẽtitas respectiua, sumatur inter res realiter distinctas, & sic comparetur identitas, qua Petrus est idem sibi vel qua est idem Paulo, sic possunt dici identitates re ipsa diuersæ, cùm altera sit rei, altera rationis: de nominibus autem curandum non est, cùm res constet.

III. Secundò obseruandum est ex Aristotele suprà, identitatem aliquando considerari in aliqua re in se ipsa: seu respectu sui ipsius: aliquando verò in multis inter se collatis, seu in vna re cum alia comparata. Priori modo dicitur Petrus idem numero secum. Posteriori autem modo est idem specie cum Paulo, vel idem genere cum leone. Et hoc mõ dixit Arist. 5. Metaph. capit. 9. eadem esse, quæ in aliquo vnum sunt, vel in genere, vel in specie, vel in aliqua ratione analoga. Prior identitas si quoad negationem, vel fundamentum consideretur, est identitas simpliciter, sicut & vnitas, quia est identitas realis: in ratione autem respectiua est tantùm secundum quid: quia relatio identitatis ad se ipsum non est realis, sed rationis. E contrario verò identitas plurium distinctarum rerum in ratione communi (de creaturis enim loquimur, vt omittamus identitatem triũ personarum diuinarum in vna numero essentia) quoad fundamentum: & quoad negationem diuisionis, est tantùm identitas secundum quid, vel potiùs est similitudo quædam: quia solùm est vnitas rationis, vt suprà ostensum est; quoad relationem verò identitatis censetur hæc identitas simpliciter, quia relatio hæc, cùm sit inter res distinctas, realis est iuxta communem conceptum de relationibus, de quo infrà videbimus. Et hæc quidem quod ad rem spectat, generalia sunt: quod autem pertinet ad vsum vocum, est obseruandum, conuenientiâ hanc plurium rerum in ratione communi in substantiis retinuisse nomen identitatis, simpliciter loquendo, ex accommodatione vsus, & quasi per antonomasiam: in qualitatibus verò vocari similitudinem, in quantitate verò vocari æqualitatem, quamuis hæc vox nõ tantùm significet conuenientiam in essentiali ratione, sed etiam in magnitudine: in his tamen omnibus, sicut est idem modus vnitatis, ita etiã & eadem ratio formalis identitatis, & ita hæc omnia comprehenduntur sub eodem & diuerso, prout transcendẽtaliter sumuntur, & enti attribuuntur.

III. Quod dictionis idem non sit genus. Tertiò obseruandum est, cùm idem dicatur per negationem diuisionis, vel à se ipso, si vnus dicatur idem sibi, vel inter aliqua duo, si illa dicantur esse idem, quot sunt modi diuisionis seu distinctionis, tot posse esse modos identitatis, iuxta illud, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot potest dici & reliquum. Vnde fit, aliqua esse posse idem re, & modo, & ratione ratiocinata: nam ratione ratiocinante, nihil est quod non possit à se ipso distingui, si aliquo modo ad se comparetur: nam si nullo modo vt plura concipiatur, iam nullo modo erit aliqua, sed aliquid tantùm, vnde Arist. citato loco ait, *identitatem esse vnitatem quandam aut plurium, aut cùm quis vno vt pluribus vtitur.* Aliqua verò sunt idem re & modo, non tamen ratione: alia possunt esse idem secundum rem, non tamen secundum modum: alia denique nullo modo sunt idem secundum rem, sed tantùm secundum rationem. Atque hinc intelligitur primò, quomodo idem & diuersum inter se opponantur: opponuntur enim inprimis respectu eiusdem, non respectu diuersorum: quia opponuntur ad modum relatiuorum. Deinde opponuntur comparata ad idem genus distinctionis, seu diuisionis, Quia negatio nõ erit opposita affirmationi, nisi sit de eodem secundum idem: hæc autem in tantùm opponuntur, in quantum vnum includit negationem alterius; igitur esse idem re excludit esse diuersum realiter, non tamen esse diuersum modaliter vel ratione. Et econuerso esse idem ratione, non excludit esse realiter distinctum seu diuersum, quia ratio, sicut distinguit conceptibus, quæ in re sunt idem, ita econtra vnit conceptu, quæ in re sunt diuersa, vt patet ex dictis suprà de vnitate vniuersali.

V. Obiectio respondetur. Quòd si obiicias, quia, licet non omnis identitas inferat negationem omnis diuersitatis, tamen maior identitas videtur inferre negationem maioris diuersitatis, vt, si aliqua sunt idem modaliter, non solùm infertur non esse diuersa modaliter, sed etiam non esse diuersa realiter, sed identitas rationis videtur esse maxima: ergo rectè ex illa infertur identitas modalis & realis. Respondetur, esse æquiuocationẽ in identitate rationis; non enim illa semper est maxima; est enim quædam identitas rationis, quam non facit, sed solùm concipit ratio: & hæc est maxima, quia supponit, non solùm actualem negationẽ distinctionis in re; sed etiam negationem fundamẽti, seu virtualis distinctionis, alia verò est identitas rationis, quam conficit ratio: & hæc nõ est maxima, imò est tantùm secundum quid: quia non supponit in re identitatem simpliciter, sed solùm fundamentum similitudinis, vel conuenientiæ, & ideò hæc vnitas non excludit diuersitatem simpliciter, seu secũdum rem.

VI. Distingui differre, & esse diuersũ quid sit & qualiter inter se cõparẽtur. Hîc verò cauere oportet æquiuocationem horũ terminorum, distingui, differre, & esse diuersum: ait enim Aristotel. 5. Metaph. capit. 9. lib. 10. capit. 5. non esse idem, differre, & esse diuersa: nam differre dicuntur, quæ in aliquo conueniunt, & in alio distinguuntur: esse autem diuersa dicuntur etiam illa, quæ in nullo conueniunt: vnde esse diuersum videtur esse quid superius ad differre, vt idem Aristotel. dicit libro 4. cap. 2. Et in hac latitudine sumitur hîc esse diuersum: esse autem distinctum pro eodem etiam sumitur, quòd esse diuersum, quamuis in alia acceptione, & satis visitata esse distinctum solùm videtur dicere negationem identitatis realis: esse autem diuersum, addere etiam videtur negationem similitudinis & conuenientiæ, vt vna imago dicitur distincta ab alia, quantumuis inter se similes sint, cum tamen diuersa dicitur, non solùm hoc significari videtur, sed etiam quòd sit dissimilis, vel minùs perfecta. Sed hæc, vt dixi, solùm spectant ad significationem vocum ex accommodatione vsus: nam de re satis constat. Igitur, vt idem & diuersum opponantur, cum proportione sumenda sunt, & respectu eiusdem, & hoc modo immediatam includunt oppositionem, sicut vnum & multa, vt Aristotel. dixit 4. Met. c. 2. quia vnũ includit negationẽ alterius.

VII. Atque hinc etiam constat, quomodo omne ens sit idem, aut diuersum vt expresè ait Aristot. lib. 10. Metaph. c. 5. de quo multa Sonc. ibi, q. 5. & 6. Iauell. q. 7. & 8. sed est res facilis. Nam si hæc sumantur relatiuè, non oportet conuenire omni enti, quia nec relatio rationis necessaria est, vt per se constat, nec semper vnum ens requirit aliud, ad quod realiter referatur relatione reali identitatis, vel diuersitatis, vt patet in Deo, nã in creatura, quia essẽtialiter depẽdet à Deo, semper erit relatio realis diuersitatis, seu distinctionis, si talis relatio realis est. Si autem loquamur (vt verè loqui oportet) de identitate fundamẽtali seu negatiua, seu respectu diuersorum, omne ens est idem sibi, & est diuersum à quolibet alio, vel existente, vel possibili, vel etiam ab ente ficto, vel imaginario, quia de quolibet horum negari potest, iuxta quem sensum dicunt multi, *aliquid* esse passionem entis, quia solùm significat diuisionem à quolibet alio. At verò respectu eiusdem, omne ens est idem vel diuersum ab illo, si proportionatè sumantur, sic. n. includunt contradictionem: secus verò si varientur modi identitatis, & diuersitatis, vt ex dictis satis constat. Dices, Homo & animal nec sunt idem, neque diuersa, quia neque sunt eiusdem generis, aut speciei, neque diuersæ, quia nec conueniunt in differentia vltima, & sic non possunt esse eiusdem speciei, nec habent differentias vltimas oppositas, vt possint differre specie. Respondetur, idem & diuersum respectu eiusdem opponi immediatè, si sumantur vt negatiuè, vel priuatiuè oppositæ, non verò quasi contrariè: vt in proposito, si esse diuersum in specie, sumatur quasi negatiuè tantùm, genus & species, seu homo & animal dici possunt diuersa in specie vltima, quia nõ cõstituũtur eadem differentia vltima. Si autem diuersum in specie sumatur quasi positiuè & contrariè, sic nec sunt idem in specie, nec differunt specie, & simili proportione, nec sunt idem genere, nec diuersa, sed negatiuè, non conueniunt immediatè in eodem genere, & ita dici possunt non eiusdem generis. Cùm ergo hæc dicuntur immediatè opposita, negatiuè sumendum est alterum extremum. Hinc etiam, esse oppositum alteri existimatur esse passio entis, non quidem oppositione relatiua quæ requirat vtrumque extremum, sed oppositione fundamentali, quatenus omne ens habet in se aliquam rationem, differentiam, seu essentiam, quę ab ipso excludit omnem aliam oppositam, seu repugnantem. Sed hoc intelligendum est, vel de oppositione latè sumpta, vt includit, non solùm quatuor genera posita ab Aristotele in prædicam. & 5. ac 10. lib. Metaph. sed etiam quælibet repugnantia, vel certè intelligi potest de fundamento oppositionis, quod saltem ad contradictionem sufficiat, respectu alterius cuiusçunq; & hoc modo nihil amplius nomine oppositionis, quàm nomine diuersitatis explicatur. Et ita satis est declarata hęc proprietas entis.

VIII. Expositio pronunciati Aristotelici. Vltimò potest ex dictis colligi, quomodo sit intelligendum illud axioma, quod Aristot. posuit 4. Metaph. *Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: intelligendum est enim cum proportione, nam si sunt eadem re vni tertio, simili modo erunt eadem re inter se, poterunt autem esse ratione diuersa: si aũt re & ratione sint vni tertio eadem, erunt eodem mõ eadem inter se. Sed hoc principium in creaturis, & in rebus finitis simpliciter tenet: in re autem infinita, qualis est diuina essentia, non verificatur illa maxima absolutè loquendo, quia propter suam infinitatem potest esse idem relationibus oppositis, quæ propter oppositionem inter se idem esse non possunt, nisi tantùm in essentia de quo alias.

DISPVTATIO VIII.

De veritate, seu vero, quod est passio entis.

Ordo disputationis. POST considerationem de Vnitate sequitur disputatio de Veritate, quæ ratione prior est Bonitate, & inter passiones entis secundum locum post Vnitatem obtinet, vt in superioribus visum est: nam, sicut intellectus prior est potentia, quàm voluntas, ita etiam verum quod respectum dicit ad intellectum, prius ratione est, quàm bonum, quod ad voluntatem pertinet. Eò vel maximè quòd bonitas vniuscuiusque rei quodam modo in veritate fundatur, nulla enim res esse potest in sua specie bona, nisi priùs in eadem vera intelligatur; non enim est bonum aurum, aut bona sanitas, nisi sit verum aurum, ac sanitas vera: nam ficta sanitas bona existimari non potest, sicut, neque ficta virtus honesta est; sed, vt honesta sit, veram esse necesse est. His igitur de causis hoc loco disputationem de veritate instituimus, quod ad hãc scientiam maximè pertinere docuit Aristotel. secundo Metaphysic. text. tertio, vbi dicit, *hanc scientiam maximè esse veritatis contemplatricem*, quod nõ solùm de veritate (vt ita dicam) in actu exercito, sed etiam in actu signato intelligi potest. Est enim considerandum, duplicem esse posse veritatis contemplationem, prior dici potest quasi materialis, seu in actu exercito: quæ fit cognoscendo res, & proprietates earum, prout à parte rei insunt: & hoc modo omnes scientiæ, & practicæ con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

considerant, seu demonstrant veritatem; magis autē A per se ac propriè speculatiua, nam practicæ considerant veritatem propter opus, speculatiuæ verò per seipsa propter cognitionem veritatis; ideòque hoc maximè conuenit huic scientiæ (quod Arist. prædicto loco præcipuè intendit) quia, & maximè speculatiua est, & de primis entib', & maximè veris, & de primis cautis ac principiis veritatis disserit. Posterior veritatis consideratio est quasi formalis, & (vt sic dicam) in actu signato, scilicet inquirendo quidnam ipsa veritas in rebus sit, & quotuplex, & quando ad ens comparetur. In quo est rursus obseruandum triplicem solere distingui veritatem, scilicet, in significando, & cognoscendo, & in essendo. Prima veritas propriè reperitur in vocibus, vel scripturis, aut etiam in conceptibus, quos non vltimatos vocant. Secunda est in intellectu cognoscente res, seu in cognitione & conceptione ipsarum rerum. Tertia est in rebus ipsis, quæ ab illa denominantur veræ. Prima igitur veritatis consideratio ad Dialecticū pertinet. Secunda ad Physicū, quatenus de anima, eiusq; functionibus considerat. Tertia verò est propria huius scientiæ, quæ tractat de ente, in quantum ens, & B de passionibus entium. Tamen, quia omnes hæ veritates inter se habent conuenientiam aliquam, vel proportionem, ratione cuius melius intelligentur, si simul de omnibus disputetur, &, quomodo inter se differant, declaretur; ideò de omnibus hoc loco dicemus, sic enim facilius constabit, quid sit veritas, quæ proprietas entis esse dicitur. Maximè, quia omnis alia veritas, si realis sit, aliquo modo sub veritate transcendentali continetur, si autem sit rationis, per analogiam & proportionem ad veritatem realē declaranda est. Quoniam verò ratio nominis in principio omnis disputationis necessaria est, supponimus ex communi omnium consensu, veritatem realem consistere in adæquatione quadam seu conformitate inter rem, & intellectum, siue sit conformitas intellectus ad rem, siue rei ad intellectū, quod posteà videbimus, vbi latiùs hanc definitionem explicabimus. Hinc verò sumpta analogia, vel proportione, veritas rationis seu significationis consistit in adæquatione inter propositionem significantem, & rem significatam.

SECTIO. I.

Vtrum in compositione & diuisione intellectus sit formalis veritas.

I. QVòd intellectus, componendo, & diuidendo, verus, vel falsus dicatur, certum est ex communi omnium consensu. Vnde Augustl. lib. de vera relig. cap. 36. *Cui manifestum est* (inquit) *falsitatem esse, quæ id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id, quod est*: tunc autem intellectus cōcipit, seu ostendit aliquid esse vel non esse, quando componit & diuidit: certum est ergo veritatem esse in intellectu media cōpositione & diuisione. Quid autem sit illa veritas, & quomodo in cōceptione sit, non est facile ad explicandum, & ideò variæ sunt opiniones.

Tractatur prima sententia.

II. PRima sententia est, veritatem illam non esse in formali actu seu cognitione intellectus, sed esse in re cognita vt obiecta intellectui, quatenus cōformis est sibi ipsi vt à parte rei existenti, & hoc modo exponit, veritatem esse conformitatem intellectus ad rem, id est, esse conformitatem conceptus obiectiui intellectus enunciantis ad rem secundum esse reale eius. Hanc sententiam insinuare visus est D. Thom. 1. cont. gent. cap. 59. sed eum locum melius expendemus sectione sequenti: clariùs hoc docuit Durand. in 1. distin. 19. q. 5. & ferè idem docet Heruæus quodlib. 3. quæst. 1. art. 2. & 3. eamque defendit vt probabilem Soncin. 6. Metaph. quæst. 16. Fland. quæst. 23. Iauell. quæst. 13. Fundamentum Durandi est, quia veritas hæc non potest esse conformitas inter formalem actum, quo intellectus iudicat aliquid esse, vel non esse, cum re iudicata secundum esse reale talis actus, seu secundum conuenientiam realem, quam habet cum obiecto: quia hoc modo sunt valdè dissimilia, & actus intellectus est spiritualis, obiectum autem esse potest quid materiale: ergo solùm potest esse conformitas in repræsentando: huiusmodi autem conformitas solùm attenditur secundum id, quod se habet obiectiuè in intellectu: ergo veritas solùm est obiectiuè in intellectu. Atque ita nihil aliud erit, quàm conformitas rei in esse obiectiuo ad se ipsam in esse reali. Minor probatur, quia conformitas in repræsentando solùm cōsistit in hoc, quòd res cognita ita repræsentatur sicut in se est: sed in hoc solùm declaratur conformitas rei in esse obiectiuo ad se ipsam in esse reali: quando enim dicitur res sic repræsentari sicut est in se, per illas duas particulas *sic*, & *sicut*, non comparatur actus intelligendi ad rē; nam sic esset falsa comparatio, & propositio: sed cōparatur id, quod obiicitur tali actui secundum esse cognitum seu apprehensum ad se ipsum secundum esse reale: ergo in conformitate inter hæc veritas cōsistit. Secundò potest hoc confirmari, quia obiectum intellectus, seu iudicij eius, est verū vt verum; ergo veritas non est conformitas ipsius iudicij: sed est conformitas ipsius obiecti. Patet consequentia, quia intellectus directè iudicans de veritate, non iudicat de proprietate seu conformitate sui actus, sed de veritate ipsius obiecti: est ergo cōformitas in obiecto ipso. Vnde argumentor tertiò, nam, quādo intellectus reflectitur ad cognoscēdam formaliter veritatem, non comparat suum actum cum obiecto, sed cōparat obiectum in esse apprehenso ad se ipsum C in esse reali: imò, vt cognoscat suum iudicium fuisse verum, incipit ab ipsa re iudicata, & comparās illam ad se ipsam vt est in re, si inueniat conformitatem in illa, tunc iudicat se verè iudicasse: ergo signū est, veritatem consistere in conformitate rei in esse obiectiuo ad se ipsam in esse reali, & ab illa solùm per denominationem extrinsecam denominari iudicium verum.

Quæstionis resolutio.

III. NIhilominus hæc sententia mihi non probatur, existimoq; veritatem complexæ cognitionis, seu compositionis & diuisionis, seu iudicij, quo iudicamus aliquid esse hoc aut illud, vel non esse (hæc enim omnia pro eodem sumimus) esse conformitatem iudicij ad rem cognitam prout in se est, ex qua conformitate prouenit, vt res ipsa iudicata dicatur ita esse in se, sicut iudicata est. Hanc existimo esse sententiam D. Thom. vt sumi potest ex prima part. quæst. 16. art. 1. 2. & 8. vbi id tenet Caiet. art. 2. Item D. Thom. 1. cont. gent. cap. 59. 60. & ibi Ferr. Sonc. 6. Metaph. quæst. 17. Ægid. quodlib. 4. q. 7. & alij, qui D. Thom. sequuntur. Et probatur primo ex Arist. in prædicam. cap. de subst. dicente, *Ex eo, quod res est, vel non*

vel non est, propositio vera, vel falsa est, vbi (vt rectè D. A Tho. dict. q. 16. art. 1. ad 3. ponderauit) non dicit, ex eo quòd res vera est, *sed ex eo quòd res est*: ergo cognitio nō denominatur vera à conformitate seu veritate ipsius obiecti, sed à veritate, vel cōformitate ipsiusmet iudicij ad obiectum: ergo in huiusmodi conformitate veritas eius consistit. Secundò hoc potest declarari ex veritate in significando, quæ est in propositione vocali; illa enim nō consistit in conformitate rei vt significatæ ad se ipsam, vt in se existentem, sed consistit in immediata conformitate vocis significantis ad rē significatā. Imò in quacunq; imagine, quæ vera denominetur, simile quid reperitur: nam imago Petri, v. g. tunc vera imago dicitur, quādo repræsentat illum, prout in se est: vnde illius veritas nō consistit in conformitate inter Petrum in aliquo esse repræsentato, quod sit veluti obiectiuum respectu imaginis ad se ipsum in se existentem, sed in conformitate immediata inter repræsentationē imaginis, & rem ipsam repræsentatam.

Prima sententia tribuitur Durand. Heruæo. Soncin. Fland. Iauell.

Quid veritas in significando.

IIII. Tertiò est generalis ratio, quia res vt cognita, vel vt repræsentata, quando verè cognoscitur & repræsentatur, non habet aliud esse obiectiuum, præter illud quod in se habet; quod solùm dicitur actu esse obiectum tali cognitioni per denominationem extrinsecā à cognitione, quæ terminatur ad ipsum sicut res visa in esse obiectiuo respectu visus, si sumatur in aptitudine, seu in actu primo, nihil aliud dicit præter ipsum esse coloratum aut lucidum, quod in se res habet. Si autem sumatur vt actu visa, nihil addit nisi denominationem extrinsecā à visione: ergo nulla est ibi conformitas obiecti ad rē, sed illa est potiùs omnimoda identitas. Si autem sumatur obiectū vt denominatum à cognitione seu forma repræsentante ipsum, sic de formali includit formam denominantem ipsum. Vnde obiectum sic sumptum vt cognitum, vel repræsentatum, non potest alia ratione dici conforme sibi in esse reali, nisi quia ipsa forma, qua cognoscitur, vel repræsentatur habet immediatam conformitatē cum re cognita, vel repræsentata secundum se: ergo in hoc consistit primò ac per se veritas cognitionis.

V. Quartò tandem, quia sæpè res nullum habet esse in se, quod sit esse existentiæ exercitum, præter esse quod habet intellectui obiectum; quomodo Deus C habet veram cognitionem eorum, quæ nunquā futura sunt, siue cognoscantur vt possibilia tantùm, siue vt ea quæ futura fuissent, si hoc, vel illud accideret: in his autem obiectis non potest facilè excogitari cōformitas rei vt obiectæ intellectui ad se ipsam vt in se: quia nullum aliud esse habet in se, præter illud quod obiicitur intellectui. Idem autem est de cognitione intuitiua, quæ terminatur ad rem prout in se existit, vt est, v. g. visio beatifica ipsius Dei, quæ potest dici vera cognitio Dei, quandoquidem per illam cognoscitur Deus prout est in se: non pōt autē fingi, quomodo illa veritas sit conformitas ipsius Dei, vt nisi ad se ipsum vt in re existit, quia immediatè videtur prout in se existit, & esse visum, solùm addit illi denominationem extrinsecam. Est ergo veritas talis visionis vel scientiæ conformitas immediata inter ipsam, & obiectum: idē ergo est in omni cognitione seu iudicio, quo iudicatur aliquid esse vel non esse.

Argumentorum solutio.

VI. AD argumentum autem Durandi respondetur, hanc conformitatem cognitionis, quam veritatem eius esse dicimus, non consistere in similitudine entitatum, vt per se notum est; neque etiam in similitudine formalis imaginis seu talis repræsentationis, qualis est in formali imagine: quia hæc non est sine similitudine in aliqua entitate, seu forma reali, quæ nō est necessaria ad cognitionem, vt alibi latiùs dicendum est. Consistit ergo in quadam repræsentatione intentionali, qua scilicet sit, vt intellectus per actum, vel iudicium ita percipiat rem, sicut in se est. Atque ita hæc conformitas est debita quædam proportio & habitudo inter perceptionem intellectus, & rem perceptam. Quæ proportio rectè explicatur illis verbis: quod res cognita ita repræsentatur, seu iudicatur, sicut in se est: quibus non comparatur res ipsa cognita ad se ipsam in se, vt Durandus ait, sed comparatur cognitio ipsa, seu iudicium intellectus ad rem cognitam in ratione repræsentantis, & repræsentati: & ideò nulla est falsitas in illa comparatione. Sicut quando dicimus hanc imaginem esse propriam, quia ita repræsentat, sicut res est, nō comparamus rem ipsam repræsentatam ad se ipsam, sed imaginem ad rem.

Quòd si quis dicat, comparare imaginem vt imaginem ad rem, nihil aliud esse, quàm comparare rem in esse repræsentatiuo ad se ipsam in esse proprio: Respondetur, si nomine rei in esse repræsentatiuo intelligatur aliud, quam imago ipsa repræsentans vt sic, falsum esse assumptum: si verò ipsum esse imaginis vt repræsentantis vocetur esse imperfectum, seu diminutum rei repræsentatæ, sic idem illis verbis dicitur, quod nos asserimus. Sed hoc reuera non est comparare eandem rem ad se ipsam, sed imaginem à qua ipsa extrinsecè dicitur habere esse repræsentatiuum, ad ipsam secundum verum esse; & idem est de cognitione, quatenus repræsentat, & imago intentionalis dicitur sui obiecti. Satisfit obiectioni.

Ad secundum respondet D. Tho. suprà ad tertiū, & Soncin. dict. quæst. 16. ad primum; Verum nō formaliter, sed fundamētaliter esse obiectū iudicij, seu cognitionis intellectus, quia vt Aristoteles dixit, esse rei causat veritatem in intellectu, seu est obiectū iudicij veri. Vnde, quando dicitur intellectus tantùm assentiri verò, sensus est, solùm assentiri obiecto, quatenus ita esse ostenditur; & hoc modo iudicat de veritate obiecti, non formaliter (vt sic dicam) sed causaliter, seu fundamentaliter, id est, de ipso esse rei, ita vt ex conformitate ad illud veritas in cognitione resultet, seu existat. VII.

Ad tertium negatur assumptum: nam ad formaliter cognoscendam veritatem, solùm comparamus cognitionem nostram ad rem, seu econtrario rem ad cognitionem iuxta illud, *Ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* VIII.

SECTIO II.

Quid sit veritas cognitionis.

I. DEclarandum supereſt, quid sit hæc conformitas, quam dicimus esse veritatem cognitionis; an scilicet in ipso actu sit aliquid absolutum, vel respectiuum, reale, vel rationis. Quidam enim existimant, veritatem esse aliquid reale & absolutum in ipsomet actu cognoscendi, seu iudicio intellectus. Quæ opinio suaderi potest, nam, quòd hæc veritas aliquid reale sit in ipso actu, videtur valde probabile. Primò, quia iudicium à parte rei, & sine vlla fictione intellectus denominatur verum: ergo illa denominatio prouenit ab aliqua forma reali; & non Prima sententia suadetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& non à forma extrinseca: quia, vt ostendimus, veritas formaliter est in ipso actu, & non extrinsecè. Secundò, quia veritas est perfectio simpliciter intellectus: ergo est aliquid reale in ipso intellectu & non est in ipso, nisi mediante actu: agimus enim de veritate actuali, ergo est proprietas realis ipsius actus. Vnde confirmatur tertio, quia in habitu scientiæ est magna perfectio, quòd verus sit; ergo veritas habitualis (vt sic dicam) est realis proprietas eius: ergo similiter erit in actuali cognitione.

II. Quòd autem hæc proprietas absoluta sit, & non respectiua, probari potest primò ex dictis, quia est perfectio simpliciter. Secundò, quia non pendet per se loquendo, & ex necessitate, ab aliquo termino reali, & existente, nisi quando tale esse iudicatur; quod est per accidens, nam veritas eiusdem rationis debet esse in omnibus, in hoc autem iudicio, chymera est ens fictum, est veritas realis absque relatione reali: ergo idem est in omnibus, quicquid sit, an in aliquibus consequatur ad veritatem relatio realis: sicut etiam in scientia habitudo ad obiectum scibile, non est relatio realis formaliter loquendo, quamuis interdum possit ad illam consequi. Tertiò sumi potest argumentum ex veritate diuina: nam in Deo est veritas cognitionis, quæ sine dubio est magna perfectio illius, & tamen nõ potest esse relatio realis, quia si comparetur ad ipsam essentiam Dei non distinguitur in re ab illa, si verò ad creaturas, non potest ad illas realiter referri: erit ergo proprietas & perfectio absoluta. Tandem, quia veritas, vel falsitas necessariò comitatur iudicium intellectus, & tamen nulla relatio realis illud necessariò comitatur: ergo non est aliquid relatiuum, sed absolutum quid. Et hanc opinionem videtur tenere Soncin. 6. metaph. quæst. 17. vbi, licet dicat veritatem dicere absolutũ cum respectu, explicans tamẽ hunc respectum in summa dicit, esse secundum dici, non secundum esse, & vtitur hoc exemplo. Sicut intellectiuum potest dici includere respectum, quia non potest concipi sine habitudine ad intelligibile: constat autem, huiusmodi respectum intellectiui esse tantùm transcendentalem, seu secundum dici; & idem sentit Capreolus in 1. dist. 19. quæst. 3. conl. 3.

III. Secunda sententia. Durand. Heruæus. Iauell. Flandr. Amon.

Aliis tamen videtur huiusmodi veritatem solùm in relatione consistere. Quod tenent Durand. & Heruæus, Iauell. & Flandria citati in superiori sect. Amõ. 1. Perih. cap. 1. & ibi alij expositores. Fundamentum in communi est, quia esse veritatis omnino pẽdet ex termino, ita vt, illo mutato mutetur veritas, & illo posito ponatur, nulla facta mutatione ex parte cognoscentis: nam teste Aristotele eadem propositio mutatur de vera in falsam, & econuerso, mutato obiecto: ergo signum est veritatem solùm consistere in relatione, nam proprium est relationis, vt stante fundamento consurgat posito termino, & mutetur illo mutato. Vnde confirmatur primò, quia veritas non est de essentia actus, quandoquidem mutatur, illo manente: ergo est accidens eius: & tamen non est accidens absolutum: non est enim qualitas, quia actus secundus & vltimus non est subiectum alterius qualitatis, neque etiam est in aliquo alio genere accidentis absoluti, vt videtur per se notum: ergo erit relatio. Confirmatur secundò, quia veritas nihil est aliud, quàm conformitas quædam: conformitas autem non est aliud, quam conuenientia vel similitudo, aut proportio: omnia autem hæc relationem indicant: sicut conformitas imaginis ad suum exemplar relatio est, & sic de aliis.

An verò hæc sit relatio realis, vel rationis, controuersum est, etiam inter prædictos authores: nam argumenta, quibus prima sententia probabat, veritatem esse proprietatem realem, videntur consequenter probare hanc relationem debere esse realem. Argumenta verò, quibus eadem prima sententia probabat, veritatem esse proprietatem absolutam, videntur concludere, non esse relationem realem, sed rationis. Vtraque verò argumenta inter se collata videntur probare, hanc relationem interdum esse realem, interdum rationis: nam interdum videntur omnia concurrere, quæ ad relationem realem necessaria sunt, interdum verò aliquid deesse põt: ergo aliquando etiam erit relatio realis, aliquando verò minimè. Antecedẽs declarat, nã ad relationẽ realem primũ requiritur terminus realis, & deinde fundamẽtũ nõ solùm reale, sed etiam capax relationis, seu ordinabile ad terminum: sæpè aũt hęc duo cõcurrũt in hac relatione veritatis. Nã & sæpè respicit terminũ realem, & realiter existentem; & ex parte ipsius iudicij sæpè est fundamentũ sufficiẽs, quia & iudiciũ quid creatum est, & ex hac parte referibile realiter ad extrinsecum terminũ: & prætereà tale est, vt cõparetur ad suum obiectum tanquã mensuratũ ad mensuram, quę relatio realis est ex parte mensurati, qua ratione relatio scientiæ ad scibile, realis esse censetur: huiusmodi autem est hęc relatio veritatis. At verò aliquando deest in hac conformitate terminus realis, vt quando iudicium verum est de non entibus: aliquando verò deest fundamentũ aptũ ad fundandã relationem realem, vel quia nõ est ordinabile ad aliud extrinsecum, vt cõtingit in diuina scientia respectu creaturarũ existentium, vel quia non est distinctum à termino, vt in eadẽ scientia Dei respectu eiusdem Dei, vel quia non comparatur vt mensuratum ad mensurã, sed potiùs vt mensura ad mensuratũ, vt eadem scientia Dei ad omnes creaturas, & idem cẽsetur de arte humana respectu artificij: ergo in his casibus erit hęc relatio rationis, & non realis.

Quæstionis resolutio.

V. VTrem hanc explicemus, aduertendum est, aliud esse inquirere quid addat veritas suprà actum, qui denominatur verus; aliud verò quid includat totum id, quòd nomine veritatis significatur, ad eum modum, quo suprà de vnitate dicebamus, aliud esse quod addit suprà ens, aliud verò, quod nomine vnitatis significatur.

VI. Veritas addit in re differentiam à cognitione.

Primò ergo certum existimo, veritatem non addere actui vero aliquam rem, vel modum absolutum ex natura rei distinctum ab ipso, seu ab essentia & entitate eius. In hoc videntur omnes authores cõuenire: neq; aliquem inuenio, qui oppositum expresè docuerit. Et probatur satis argumentis factis in secũda sententia. Item, quia neq; intelligi, neq; explicari potest quid, aut quale sit hoc absolutum neque ad quid ponatur. Quod ita declaro, quia vel illud est aliquid separabile ab actu vero, vel est omnino inseparabile: si dicatur hoc secundum, sine causa ponitur distinctũ ab actu ex natura rei: si verò dicatur primũ, illud non erit absolutum, sed respectiuum, vt argumẽtum factum probat: quia separatur per mutationem solam obiecti, sine alia absoluta mutatione ex parte actus: nam actus ex se idem, & eodem modo repræsentat, solumque mutatur eius veritas: quia res non eodem modo se habet. Dices, veritatem addere quid absolutum inseparabile ab actu; non tamen re, sed ratione distinctum ab illo. Sed contra, quia vel hoc absolutum complet actum tanquam vltima differentia specifica, vel indiuidualis eius; vel non complet sed supponit perfectè completum. Si primum dicatur; ergo tale absolutum non additur actui constituto, sed constituit illum: ergo nõ rectè dicit veritatem addere hoc absolutum supra actum; secundũ aũt dici non põt, quia impossibile est intelligere actui plenè cõstituto addi aliquid reale absolutũ sola ratione distinctũ. Ac deinde cõtra hoc procedit argumentũ de mutatione eiusdẽ actus de vero in falsum.

VII. Non addit veritas relationem prædicamẽtalẽ.

Secundò dicendum est, veritatem non addere supra actum relationem realem propriam & prædicamentalem actus ad obiectum. Hoc etiam sufficienter probatur argumentis factis, nam in multis impossibilis est talis relatio; & ab eis sumitur argumentum, nunquam esse necessariam talem relationem ad rationem veritatis vt sic. Tum quia conceptus & modus veritatis eiusdem rationis seu proportionis est in omnibus. Tum etiam, quia, licet gratis concedamus interdum concurrere omnia necessaria, vt inter actum & obiectum consurgat relatio realis, tamen prius natura intelligitur actus verus, quàm intelligatur consurgere relatio realis. Nam hæc dicitur consurgere posito fundamento, & termino, actus autem formalissimè verus est hoc ipso, quòd ponitur tale fundamentum & terminus: ita vt, si per impossibile impediretur resultãtia relationis, adhuc actus esset verus ex vi talis actus & obiecti in rerum natura positorum: ergo in formali conceptu veritatis non intrat relatio, quicquid sit, an inde interdum consequatur.

VIII. Neque relationẽ rationis strictè sumptam.

Tertiò dicendum est, veritatem vt sic, non addere actui vero relationem rationis actualem propriè & in rigore sumptam. Hoc etiam mihi sufficienter persuadet argumentum illud, quòd denominatio veritatis non pendet ex huiusmodi relatione: nam hæc eo modo, quo esse potest, non est actu, nisi intellectu actu cogitante vel comparante vnum ad aliud: sed absque huiusmodi comparatione actus est simpliciter verus, ergo. Prætereà argumentum factum de relatione reali à fortiori probat de relatione rationis: nam, sicut illa consurgit posito fundamento & termino, ita hæc fingitur per intellectum, supposito eo, quod per modum fundamenti & termini interuenire potest: sed ex vi eius, quod supponitur ad talem relationem, vel fictionẽ, actus est verus: ergo talis relatio non intrat formaliter conceptum veritatis: ergo nec veritas habet talem relationem suprà ipsum actum.

IX. Veritas addit cognitioni cõnotationẽ obiecti, sicut iudicatur se habentis.

Quartò dicendum est, veritatem cognitionis vltra ipsum actum nihil addere reale, & intrinsecum ipsi actui, sed connotare solùm obiectum ita se habens sicut per actum repræsentatur. Hæc assertio sequitur ex præcedentibus, nam actum esse verũ plus aliquid dicit, quàm actum esse, non dicit aliquid reale absolutum, vel relatiuum vltra ipsum actum, nec etiam dicit propriam & rigorosam relationem rationis: ergo nihil aliud addere potest præter dictam connotationem, seu denominationem cõsurgentẽ ex connexione seu cõiunctione talis actus, & obiecti. Prætereà hoc confirmat argumentũ, quo posterior opinio probat veritatẽ nõ esse aliquid omnino absolutum, scil. quia mutato obiecto, mutatur veritas cognitionis, & tamen nõ mutatur ibi aliquid intrinsecũ actui, sed tollitur concomitantia obiecti: ergo signum est, veritatem includere, vel saltem connotare prædictam concomitantiam obiecti.

X. Eadẽ enũciatio per extrinsecam mutationẽ ex falsa vera fit.

Respondent aliqui negando posse eandẽ mentalẽ propositionẽ transferri de vera in falsam sine intrinseca mutatione eius, loquendo de propria cognitione, seu iudicio ipsius rei: quia propositio, quę pro aliquo tempore vera fuit, non põt esse falsa pro eodẽ tempore, & vt fiat falsa, necesse est, vt mẽs coniũgat extrema pro alio tempore, quod facere non potest, nisi in ipsa sit aliqua mutatio. Sed hoc simpliciter repugnat Arist. in prædicam. c. de substantia, & D. Tho. 1. p. q. 14. a. 15. ad 3. Et primò sumi potest argumentũ à propositionib⁹ vocalibus, seu mentalibus, quæ dicuntur esse in mente non vltimata: nam in eis dubitari nõ põt, quin sit eadem omnino propositio, quæ anteà erat vera, & nũc est falsa per mutationem rei significatę absque vlla mutatione signi vel significationis eius; ergo veritas illa in significãdo, quę conuenit his propositionib⁹ præter totũ id, quod sẽ tenet ex parte propositionis significãtis, cõnotat talem cõcomitantiã obiecti. Sic ergo intelligi põt in veritate ipsius iudicij, seu veritatis existens in mente vltimata saltem imperfecta & abstractiua. Quod idcirco addo, quia in cognitione intuitiua perfecta, qua exactè videtur res in particulari secundũ omnes cõditiones existentiæ omnino determinatas, non potest esse mutatio conformitatis inter cognitionẽ, & obiectum, manente immutata cognitione: tunc.n. rectè procedit argumentum factum, quòd semper terminatur actus ad rem prout in tali tempore & momento existentem; pro quo tempore & momento mutari non potest veritas, quamuis pro aliis temporibus mutetur. Propter quam rationem diuina sciẽtia semper est conformis obiectis cognitis, quantũuis hæc pro suis diuersis temporibus mutentur. Et idem fortasse est in cognitione angelica, quando est perfectè intuitiua, quamuis differat à diuina, quòd hęc simpliciter immutabilis est, illa verò mutari põt. Nihilominus tamẽ in cognitione imperfecta, & abstractiua, qualis est nostra cognitio, non repugnat idem omnino iudicium mutari de vero in falsum absq; intrinseca mutatione: quia illa duratio, quam concipimus, & per copulam significamus, non est indiuisibilis, nec omnino determinata, sed aliquo modo indifferens & confusa; & consequenter latitudinem habens, ratione cuius potest in vna parte illius successionis obiectũ se habere vno modo, & diuerso modo in alia. Et hac ratione fieri potest, vt eadem cognitio mutetur de vera in falsam ex mutatione obiecti, ipsa cognitione in se manente inuariata: sicut cognitio seu propositio indefinita ex parte obiecti eadẽ manẽs põt nunc esse vera ratione vnius singularis, posteà ratione alterius, quãuis ipsa in se nõ mutet: quia in cõceptu illo cõfuso rei cõmunis & indefinitè cõceptę includit aliquo mõ plura singularia, quorũ singula sufficiunt ad eius veritatem; & ideò, licet ipsa mutẽt, veritas manere põt in eodem cõceptu confuso, si aũt omnia singularia deessent, omnino periret veritas. Idem ergo est respectu temporis seu durationis cõfusè cõceptę: nam ẽt respectu illius propositio seu cognitio est quasi indefinita: & ideò eadem manens, & ad diuersa instantia seu tempora comparari potest, & in eis nunc vera, nũc autem falsa reperiri, sine mutatione sui, per solam obiecti mutationem. Ergo signum est, hanc veritatem cognitionis connotare saltem concomitantiam obiecti in tali statu, qualis per cognitionem repræsentatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XI. Vltimò confirmatur à simili de bonitate: nam, sicut verum dicit conformitatem, ita bonum conuenientiam: sed bonum vt conueniens solùm addit denominationem, seu concomitantiam alterius extremi habentis talem naturam, vel aptitudinem ad talem perfectionem, vt infrà ostendimus: ergo eodem modo de veritate philosophandum est.

XII. Veritas requirit intentionalem repræsentationem obiecti sicut est. Quintò ex dictis concludo, veritatem cognitionis includere talem repræsentationem cognitionis, quæ habeat coniunctam concomitantiam obiecti, ita se habentis, sicut per cognitionem repræsentatur. Probatur ex dictis, quia ad veritatem nec sola repræsentatio sufficit, si obiectum non ita se habeat, sicut repræsentatur; neque concomitantia obiecti potest sufficere ad denominationem veritatis, nisi præsuppositа prædicta repræsentatione, vel potiùs includendo illam: quia veritas non est sola illa denominatio extrinseca, sed includit intrinsecam habitudinem actus terminatam ad obiectum taliter se habens.

Censura primæ opinionis, & solutiones argumentorum eius.

XIII. ATque hinc intelligitur primò, quid veritatis habeat prima opinio, & quid dicendum sit ad rationes eius. Nam, si per absolutum intelligat solam entitatem actus cum reali & transcendẽtali habitudine ad obiectum, quam habet omnino inseparabiliter, & immutabiliter: sic falsum est, veritatem consistere in hoc solo absoluto: quia aliàs esset omnino immutabilis manente eodem actu. Si autem dicat consistere in absoluto, quia nullam intrinsecam relationem addi necesse est, sed solam concomitantiam obiecti, sic fatemur veritatem esse aliquid absolutum, vel potiùs consistere in absoluto cum respectu secundum dici: nam illa denominatio sumpta ex concomitantia obiecti non incõgruè potest respectus secundum dici appellari. Tamen, quia rationes illius opinionis videntur in priori sensu ꝓcedere, & possunt his quæ diximus, obstare, eis satisfaciendum est.

XIIII. Verũ formale quid, quid verũ radicale. Ad priora ergo argumenta, quibus probatur, veritatem cognitionis esse realem & intrinsecam proprietatem actus, respondetur, aduertendo, denominationem veri dupliciter posse tribui actui cognitionis. Vno modo formaliter; alio modo radicaliter; formalem veri denominationem appello eam, quam hactenus explicui; quæ consistit in actuali cõformitate ad obiectum; radicalem autem voco illam perfectionem actus, à qua habet huiusmodi conformitatem cum obiecto, vt est in scientia euidẽtia, vel in fide certitudo ratione cuius habet, vt infallibilis sit, & consequenter, vt existere non possit, quin conformitatem habeat cum materiali obiecto suo. Hoc ergo supposito ad primum respondeo, denominationem veri radicaliter sumptam ex intrinseca perfectione actus, vel habitus esse realem, & absolutam; nos tamen nunc non loquimur de illa: quia illa non tam est denominatio veri, quam certi, vel euidentis assensus. Vnde perfectio illa, à qua sumitur hæc denominatio non est aliquid ex natura rei distinctum ab ipso iudicio, sed est ipsamet specifica differentia, quæ sumitur ex tali obiecto formali, seu ratione assentiendi. Denominatio autem veri formalis, & actualis, est quidem in re ipsa absque fictione intellectus, vt rectè probat argumentum, non tamen est omnino intrinseca denominatio, sed partim est à forma intrinseca, partim cõnotat coexistentiam obiectiuam, seu concomitantiam obiecti ita se habentis sicut per cognitionem iudicatur. Vnde, quod diximus, huiusmodi veritatem de qua agimus, conuenire ipsi formali iudicio seu cognitioni, & non tantùm obiecto eius, intelligendum est ab hac conformitate ipsũ iudiciũ primò ac per se denominari verum, quamuis forma à qua denominat, nõ sit omnino intrinseca, sed concomitãtiam alicuius extrinseci includat.

Ad secundum eadem distinctione satisfaciendũ est: nam veritas radicalis, quæ sumitur ex formali ratione talis cognitionis, est perfectio simpliciter intellectus: quia pertinet ad rationem virtutis intellectualis simpliciter: veritas aũt actualis, de qua loquimur, per se non est perfectio simpliciter: imò neque addit perfectionem supra naturam, vel speciem ipsi⁹ actus cognoscẽdi. Nã hęc veritas actualis, qua ex parte cõnotat, vel incudit cõcomitantiã, seu cõuenientiã extrinseci obiecti, nihil reale addit actui, & cõsequenter nec perfectionẽ vllam ei affere põt; qua verò ex parte supponit, vel requirit in ipso actu repræsentationem, seu habitudinem realẽ ad obiectũ dicit realẽ aliquam perfectionem eius: illa aũt perfectio aliquando esse potest perfectio simpliciter; interdum verò est tantùm secundum quid. Nam interdum hęc veritas actualis est infallibiliter ac necessariò cõiuncta cum essentiali ac reali perfectione talis actus, & ex vi illius: & tunc perfectio, quam per se supponit in actu, est perfectio simpliciter: pertinet .n. ad rationem intellectualis virtutis simpliciter. Interdum verò non est hæc veritas actualis necessariò coniuncta cum actu, aut non ex vi rationis formalis, & essentialis eius; & tunc perfectio, quæ supponit in actu, non est simpliciter, sed secundum quid: quia nõ pertinet ad rationem virtutis intellectualis simpliciter; & semper ac intrinsecè habet ad mixtam imperfectionem obscurã, vel confusę cognitionis, vt est in humana fide & opinione, &c. Ad tertium eadem est responsio, nam in habitu scientiæ: quòd verus sit radicaliter, est perfectio eius, vltra quam actualis veritas nihil perfectionis ei addit.

Alia verò argumenta, quibus probatur, veritatem esse proprietatem omnino absolutam, admitti quidem possunt, quatenus probant, non esse necessariam relationem realem ad huiusmodi veritatem, quatenus verò excludere possunt omnem extrinsecam connotationem, non rectè concludunt: vnde ad primum iam declaratum est, quando & quomodo veritas sit perfectio simpliciter non quidem formaliter & in se, sed in radice, quando illa talis est, vt necessariò secum habeat veritatem coniunctam. Ad secundum concedo veritatem vt sic nunquam consistere formaliter in relatione reali, nego tamen inde sequi non includere concomitantiam obiecti, cui cognitio conformetur. Nec refert, quòd huiusmodi veritas cognitionis non semper requirat obiectum actu existens, quia non dicimus realem existentiam obiecti includi in conceptu veritatis, sed solùm quod ita se habeat, sicut per cognitionem repræsentatur, seu iudicatur: seu quod habeat tale esse quale cognoscitur. Quod esse non semper est existentiæ, sed quale sufficit ad veritatem enunciationis, vt tetigit Aristotel. 5. metaphysicæ capite septimo, & lib. sexto, capite vltimo, & libro 9. cap. vltimo.

Ad tertium idem dicendum est de veritate diuina, quod dictum est de veritate scientiæ, & cuiuscũque

Deo quot modis, & an sit perfectio simpliciter. que virtutis intellectualis, quod in Deo dicit perfectionem quantum ad radicalem veritatem, quoad actualem verò conformitatem cum obiecto nullam nouam perfectionem addit, neque etiam realem relationem, vt rectè argumẽtum probat. Quod, vt magis intelligatur, omnisque æquiuocatio tollatur, aduertendum est, perfectionem summam veritatis triplici modo tribui Deo, scilicet ratione essentiæ seu esse; ratione intellectus; & ratione voluntatis: quibus modis dicitur Deus prima veritas in essendo, in intelligendo, & in dicendo. De prima ratione veritatis in essendo dicemus inferiùs, quia illa nihil aliud est, quàm veritas transcendentalis, quę in Deo est in summo ac primo perfectionis gradu. Postrema veritatis ratio nihil ẽt ad præsens refert, quia nomen veritatis sub illa significatione valdè æquiuocum est, significatque virtutem quandam moralem in voluntate existentem, quæ inclinat ad verum semper loquendum, & dicendũ iuxta mentem; quæ virtus est in Deo in gradu eminentissimo, tamque naturalis est illi vt nullo modo possit aliud, quàm verum loqui; & hoc modo veritas est perfectio simpliciter, sed moralis. Secunda ergo veritas, scilicet intellectualis duo significare potest in Deo. Primum, vim intelligendi adeò perfectam, vt nunquam ab scopo aberret, neque aberrare possit; & hoc est magna perfectio simpliciter, quam ex se habet Deus in eminentissimo gradu; & hac ratione dicitur prima veritas in cognoscendo. Deinde dicere potest actualem conformitatem inter cognitionem Dei, & rem cognitam; & hoc supponit quidẽ prædictam perfectionem, nõ verò addit nouam, sed connotat tantùm obiectum ita se habere in se, sicut cognoscitur.

Responsiones ad argumenta posteriorís opinionis.

XVIII. ADfundamentum contrariæ sententiæ respondetur, illo argumento rectè probari, veritatem præter totam perfectionem realem & intrinsecam cognitionis, connotare, & consignificare concomitantiam obiecti, non tamen propriam relationem consurgentem ex coexistentia cognitionis & obiecti, vt satis declaratum est. Dices, si hoc argumentum in præsente non est efficax ad inferendam relationem, nullum relinqui sufficiens ad probandas relationes reales, præsertim, quæ in vnitate fundari dicuntur, vt relationes similitudinis, æqualitatis, & similes: nam licet mutato alio extremo dicatur mutari similitudo, dici potest, non inde variari relationem aliquam, sed solam denominationem ortam ex coexistentia vtriusque extremi. Respondetur argumentum hoc pertinere ad prædicamentum *Ad aliquid*, de quo posteà dicturi sumus; nunc duo dicenda videntur, vnum est, talem argumentandi modum non esse sufficientem ad inferendam relationem realem, quæ sit modus ex natura rei distinctus à fundamento & termino eius, & quasi medium quid inter illa, vt argumentum (sententia mea) conuincit: vnde, quidquid sit de talibus relationibus, negari nõ potest, quin priùs natura quàm illæ insurgant, intelligantur simul existentia fundamẽtum & terminus, in quibus est fundamẽtalis vnitas, seu conuenientia. Vnde secundò dicit, esto demus insurgere relationem aliquam inter cognitionem & obiectũ, quãdo in altero est sufficiens fundamentũ, & in altero sufficiens ratio terminandi, tamen ad rationem veritatis formaliter non esse necessariam, sed sufficere id, quod in vtroq; extremo antecedere intelligitur ad talem relationem; sicut etiam sufficit, quandocunq; extrema talia sunt, vt non possint fundare, nec terminare relationem realem: & sanè probabilissimum est, hanc relationem nunquam esse realem, vt iam dicam.

XIX. Vnde ad primam confirmationem concedo, generatim loquendo, veritatem de qua agimus, secundum id totum quod includit, non esse de essentia actus cognitionis; Non tamen inde fit, esse aliquod accidens intrinsecum, & inhærens ipli actui, sed solùm præter entitatem & intrinsecam perfectionem actus connotare aliquid aliud extrinsecum, sine quo veritatis ratio non subsistit; ratione cuius potest interdum veritas actus variari, quamuis actus ipse in se intrinsecè non mutetur; & tunc se habet veritas ad modum accidentis separabilis seu quinti prædicabilis, ratione extrinseci connotati variabilis. In his verò actibus, qui habẽt inseparabilem, & indefectibilem veritatem, perfectio illa, vnde oritur huiusmodi necessariã coniunctio cum veritate, quæ à nobis radicalis veritas dicta est, nullo modo est accidens, sed essentialis proprietas talis actus: veritas autem formalis, se habet in his ad modum proprietatis inseparabilis.

XX. Ad secundam confirmationem primò iam respõsum est. quod, licet conformitas possit formalissimè pro relatione sumi, tamen etiam potest accipi pro concomitantia illorum extremorum, inter quæ fingitur illa relatio, prout ordine naturæ antecedit talem relationem: & huiusmodi conformitatem ostẽdimus sufficere ad rationem veritatis. Quocirca nihil ad explicandam veritatis essentiam refert controuersia de illa relatione, an sit semper realis, vel semper rationis, vel interdum realis; interdum autem rationis: nam, quidquid de hoc sit, veritas ipsa antecedit talem relationẽ. Et sine dubio verum est, talem relationem non semper esse realem, vt rectè probat argumentum de veritate scientiæ diuinæ; & de veritate cognitionis circa obiecta non existentia: & hoc satis est, vt intelligamus, propriam relationem non esse necessariam ad rationem veritatis: quia nec realis necessaria est, vt patet ex dictis, nec rationis, quia hæc non est propriè, nisi dum cogitatur, seu fingitur. Addo autem vlteriùs, nunquam consequi relationem realem in actu cognitionis præcisè ex illa conformitate, quæ ad veritatem necessaria est: quia illa conformitas non consistit in vera ac propria similitudine formali, sed solùm in quadam proportione, & intentionali repræsentatione, ratione cuius ita res percipitur, sicut est, quod magis ex sequentibus fiet manifestum.

SECTIO III.

Vtrùm veritas cognitionis sit solùm in compositione & diuisione, vel etiam in simplicibus conceptibus.

I. Prima sententia. Caiet. Heruæus. Durand. D. Thom. COmmunis sententia esse videtur, veritatem cognitionis, propriè & in rigore loquendo, solùm esse in compositione & diuisione intellectus, & non in actibus eius simplicibus. Ità sentit Caietanus 1. part. quæstione decima sexta, articulo secundo, & ibi aliqui Thomistæ. Heruæus, quodlib. 3. quæstione prima, articulo secundo & tertio. Duran. 1. dist. 19. quæst. 5. num. 14. & videtur esse opinio

Universidad de Deusto
Biblioteca

D. Tho. ibi: sic enim scribit, *Propriè loquendo, veritas est in intellectu componente & diuidente; non autē in sensu, neque in intellectu cognoscente, quod quid est.* Similia habet 1. contr. gent. cap. 59. & q. 1. de verit. artic. 3. Et videtur id sumpsisse ex Aristot. 1. de interpretat. cap. 1. & 3. vbi ait, *Verum & falsum in compositione, diuisioneq; consistere.* Similia habet 3. de anima. cap. 6. vbi ait, *In indiuisibilis mentis conceptione falsitatem non esse:* Vbi autem falsitas esse non potest, nec veritas esse potest: nam opposita circa idem nata sunt esse. Vnde concludit Aristot. *At in quibus, & falsitas, iam & veritas inest; in hisce compositio quædam iam est conceptuum intellectus,* & 9. Metaphys. cap. vlt. & lib. 6. cap. 2. dicit, *veritatem solum esse in intellectu, quia tantum in illo est compositio, & diuisio.*

II. Ratione potest hæc sententia fundari, primò, quia in vocibus non est veritas, & falsitas in significando, nisi in oratione complexa, qua significamus hoc esse vel non esse, non autem in prolatione vocum incomplexarum: ergo idem iudicandum est de veritate in cognoscendo, respectu conceptuum mentis; quod scilicet non sit in incomplexis ac simplicibus conceptibus, sed in his tantum, quibus componendo cognoscimus ac iudicamus, hoc esse, vel non esse. Probatur consequentia: quia voces sunt signa conceptuum, & quidquid veritatis, vel falsitatis est in conceptu, potest esse in voce vt in signo. Quæ tota ratio sumpta est ex Aristot. 1. de interpret. cap. 1.

III. Secundò, quia, si in simplici conceptione est veritas, vel omnis conceptus simplex est verus, & nunquam falsus; vel interdum est verus, interdum falsus, vel semper est verus & falsus respectu diuersorum: nullum autem istorum potest dici probabiliter: ergo neque etiam potest veritas simplici conceptioni attribui. Minor declaratur, quoad singulas partes. Primò enim, si in simplici conceptu potest esse veritas, nulla ratio fingi potest, cur non possit in eodem esse falsitas: nam, vt dicebam, contraria circa idem versantur: ergo quamuis conceptus simplex possit esse verus, non ideò omnis talis conceptus erit verus, quin potiùs ex eodem principio inferre liceat, aliquando posse esse falsum. Et confirmatur, ac declaratur exemplo; nam, si conceptus simplex ac proprius veri auri verus est: ergo, si aurichalcum, vt verum aurum simpliciter cōcipiatur, conceptus ille falsus erit. Deinde, si hoc concedatur, scilicet aliquem conceptum simplicem posse esse falsum respectu alicuius, probo, necessariò debere esse verum respectu alterius: quia impossibile est, dari conceptum intellectus, qui non habeat aliquod proprium obiectum, quod repræsentet: ergo, si ad illud comparetur, non potest non esse verus conceptus talis obiecti; quia necesse est, vt naturaliter illud repræsentet: nō potest autem illud naturaliter repræsentare, nisi intentionaliter sit illi conformis, si autem est conformis, est etiam verus: quia veritas nihil aliud est, quàm conformitas intellectus ad rem. Vt in exemplo adducto, quamuis cōceptus aurichalci respectu auri falsus existimetur, tamen respectu aurichalci verus conceptus illius est. Imò nullum potest esse obiectum ita fictum, & impossibile, quin conceptus illius, vt sic verus sit, vt conceptus chymeræ, vel hippocentauri, etiamsi dici possit falsus conceptus veri aut possibilis animalis, tamen respectu chymeræ, aut hippocentauri est verus conceptus eius. Denique, si hac de causa dicatur idem conceptus verus esse, & falsus respectu diuersorum, sequitur in omnibus conceptibus esse falsitatem aliquam, quod est ab omni veritate alienum; alioqui etiam in diuino conceptu esset falsitas. Item, quis dicat, imaginem Christi Domini, hoc ipso, quod est vera imago eius esse falsam imaginem Antichristi?

IIII. Dices, sicut eadem res, hoc ipso, quod vni est similis, est dissimilis alteri: ita nullum est inconueniens: quòd idem conceptus sit verus & falsus respectu diuersorum. Respondetur, potiùs hoc argumēto declarari, veritatem, vel falsitatem cognitionis nō consistere in simplici similitudine; vel dissimilitudine, sed in aliqua alia comparatione, seu compositione, per quam rei attribuitur proprius conceptus eius, vel alienus, vt in adducto exemplo, in concipiendo aurichalco non potest esse falsitas, sed in attribuendo rei sic conceptæ naturam veri auri. Et confirmatur ac declaratur, quia aliud est, non cognoscere rem aliquam, aliud falli in cognitione eius: qui autem concipit simplici ac vero conceptu rem vnam, quamuis ex illius non concipiat alias res dissimiles, tamen non fallitur in conceptione earum: quia neque illas concipit, neque aliquid alienum eis attribuit: ergo conceptus simplex & proprius vnius rei non potest dici falsus conceptus aliarum rerum, cò quòd illas non repræsentet, & eadem ratione non poterit dici verus ex sola simplici repræsentatione sui obiecti. Et confirmatur tandem, quia aliàs in sola specie intelligibili posset esse veritas; quia etiam illa simpliciter repræsentat, & in repræsentatione eius poterit intelligi conformitas quædam ad rem repræsentatam: consequens autem est falsum, quia in sola specie intelligibili vt sic, non est cognitio: ergo neque veritas esse potest.

Secunda sententia.

V. Aliorum nihilominus opinio est, veritatem cognitionis non tantùm in compositione & diuisione, sed etiam in simplicibus mentis cōceptibus reperiri. Quam opinionem tenet Ferr. 1. cont. gent. cap. 59. & 60. idemque sentit Capreol. in 1. dist. 19. q. 3. artic. 1. concl. 3. Sonc. 6. Metaph. c. 2. q. 17. Ægid. quodl. 4. q. 7. Fonseca lib. 4. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 4. Et probari potest primò ex Arist. 3. de anima, cap. 6. in fine, vbi D. Thom. lect. 11. ait. *Quod licet intelligibile incomplexum non sit neque verum, neque falsum, intellectus tamen intelligendo ipsum verus est, in quantum adæquatur rei intellectæ.* Et ita exponit Aristot. ibi dicentem, *intellectum, qui est ipsius quid est ex ipso quid erat esse, verum esse, etiamsi non aliquid de aliquo:* supple, enunciet, vel affirmet. Et confirmatur exemplo, quod ibidem adducit Arist. quia ipsemet dixerat secundò de anima, c. 6. sensum in cognitione proprii sensibilis verū esse: constat autem, in sensu tantum esse simplicem actū seu cognitionem: ergo multò magis in simplici cognitione intellectus erit veritas. Item lib. 9. Metaph. c. 7. tex. 21. & 22. vbi id etiam D. Tho. notat lect. 11. dicens, *In simplicibus esse veritatem per hoc, quòd cognoscitur res secundum propriam quidditatem.* Ratione confirmatur hæc sententia: quia, vt per simplicem conceptum res concipiatur, necesse est, vt sit aliqua conformitas conceptus ad rem in repræsentando, propter quod dixit Arist. 3. de anima, c. 8. animam intelligendo fieri omnia, quia per repræsentationem omnibus cōformatur: ergo illa cōformitas est quædā veritas, nam illi conuenit definitio veritatis.

VI. Secundò in intellectu diuino & angelico est perfectissima veritas, & tamen in eis nō est compositio, neque diuisio: ergo etiam in nostro intellectu simpliciter cognoscente potest esse veritas. Dicetur fortasse ex D. Tho. 1. p. q. 16. art. 5. ad 1. & 1. cont. gent. c. 59. quamuis Deus simpliciter cognoscat, tamen illo actu simplici iudicare, ita esse, vel nō esse, quod nos complexè iudicamus. Sed contra hoc obiicitur ex eodem D. Tho. eodem c. 59. lib. 1. cont. Gent. nam ēt nos per simplicem cōceptionem iudicamus aliquid de re, ità vt simplex aliquis conceptus virtute contineat: quicquid per conceptum complexum seu per compositionem iudicatur. Vt quando concipio hominem sub conceptu distincto animalis rationalis, & hanc apprehendo vt quidditatem hominis; ibi virtute iudico hominem esse animal rationale, & illa simplex conceptio virtute continet totum id, quod per hanc enunciationem significatur: ergo erit etiā veritas propria in illo simplici conceptu. Tertiò omnis res, quę est conformis, & adęquata suę mensurę, suisq; principiis, habet propriam veritatem: sed in conceptu simplici est conformitas ad obiectum tanquam ad suam mensuram, & principium, cui debet conformari: est ergo in eo veritas, quę non est alia, quàm veritas cognitionis, quādo quidem illa est conformitas cognitionis.

Duo certa ex dictis opinionibus colliguntur.

VII. Fvndamenta harum opinionum duo conuincere videntur. Vnum est, veritatem aliquam reperiri in simplici mentis conceptione, neque solùm mentis, sed etiam sensuum. Alterum est, veritatem aliqua propria & speciali ratione reperiri in compositione intellectus; qua in simplici notitia intellectus non reperitur. Et primum quidem constat primò ex adductis testimoniis Arist. & D. Tho. & ex eodē D. Tho. 1. parte, q. 16. articulo secundo & sequentibus & 1. contra Gentes, capite 59. & aliis locis, quæ ibi Ferr. adducit. Secundò ex communi modo loquendi: rectè enim dicimus, eum formare verum conceptum hominis, qui illum tanquam rationale animal apprehendit, & sic de conceptibus aliarum rerum. Tertiò, quia hi conceptus mentis sunt res quædam, seu qualitates: si ergo in aliis rebus est veritas, vt infrà ostendemus, etiam in his conceptibus veritatem esse necesse est: vnde, sicut dicitur verum aurum, quod propriam habet auri naturam, ita dicetur verus auri conceptus, qui habet entitatem cōmēsuratā vero auro in representādo intentionaliter, & simile est de reliquis. Atque hinc etiam constat, quæ vel qualis sit hæc veritas, quæ in simplici mentis notitia reperitur: nihil enim aliud est, quàm veritas ipsa transcendentalis, his entibus accōmodata. Nam, si veritas, quam vocant in essendo, est adæquata passio entis, vt dicemus, in vnoquoque ente iuxta modum naturę suę reperietur: ergo & in his entib⁹, quæ sunt simplices conceptus mentis. Vnde quia esse ꝓprium horum conceptuum est esse cognitionis, & consequenter formaliter reddere cognoscentem eum, cui insunt, ideò veritas talis conceptus est etiam veritas cognitionis.

VIII. Veritas speciali modo in compositione & diuisione. Secundum, scilicet, in compositione & diuisione speciali modo veritatem & falsitatem reperiri probatur. Non enim sine causa Aristoteles in locis citatis specialiter dixit, veritatem & falsitatem in sola mētis cōpositione reperiri, cū. n. hoc verum esse nō possit de omni veritate & falsitate, vt ex priori puncto constat, necesse est vt aliquo ꝑprio & peculiari mō veritas sit in huiusmodi cōpositione, vt doctrina etiam Aristotelis vera sit. Et ita planè sensit D. Tho. in eisdem locis citatis, præsertim in prima parte. Secundò hoc constat ex communi modo sentiendi, & loquendi: quia tunc aliquis censetur veram rei cognitionem habere: quando cognoscit, & iudicat, ita esse, vel non esse, sicut est, vel non est in re, quod homines non facimus nisi componendo aut diuidēdo. Vnde, sicut in loquendo veritas, vel falsitas singulari modo est in propositionibus: quia non censetur aliquis verum dicere vel falsum, donec propositionem enunciet; ità etiam in mente erit speciali modo veritas & falsitas in compositione & diuisione. Tertiò idem potest à contrario declarari, quia falsitas propriè non reperitur in simplici conceptu mentis, sed in compositione aut diuisione; vt disp. sequenti latiùs exponam: ergo signum est, veritatem etiam, cui falsitas & deceptio opponitur, speciali modo in cognitione composita reperiri.

Punctus difficultatis, & varij modi expediendi illum.

IX. Difficultas autem est in explicando, quis nam sit hic specialis modus, quo veritas dicitur in cōpositione reperiri. Quidam enim contenti sunt dicendo, veritatem complexam reperiri tātùm in cōpositione, incomplexam verò in simplici notitia. Sed hoc nihil est dictu, neq; rem explicat: nam eadē ratione dici posset, veritatem speciali modo reperiri in simplici notitia: quia incōplexè tātùm in illa reperitur. Item, quia ex hoc non habetur, quòd veritas sit aliter in cognitione composita formaliter loquēdo: quā in aliis rebus, sed solùm quasi materialiter, quod sit in illa modo illi accōmodato: hoc aūt commune est omnibus aliis rebus: ergo propter hanc solam causam non erat, cur veritas cognitionis speciali mō soli cōpositioni tribueretur. Assumptum declaratur exemplis, nam etiam veritas aliter est in homine v. g. quā in angelo, nam in homine est veritas per cōpositionem (loquor de veritate entitatiua) in angelo aūt est veritas simplex, in homine est materialis, in angelo verò immaterialis, & simile est in cæteris entibus: singula. n. sunt vera veritate sibi accommodata, & tamen non propterea dicitur veritas speciali modo esse in vno magis, quàm in aliis: sed absolutè dicitur communis omnibus communitate transcendentali: ergo, si in compositione mentis nihil aliud singulare reperitur, nisi hoc solùm, quòd sicut esse talis cognitionis compositum est, ita & veritas eius complexa est, non est cur dicatur veritas singulari titulo in sola compositione reperiri.

X. Alij ergo respondent, in simplici notitia reperiri veritatem, non autem falsitatem, saltem regulariter & per se loquendo, in compositione autem, & diuisione indifferenter reperiri veritatem, & falsitatem, & ideò specialiter asseruisse Aristotel. in sola compositione & diuisione veritatem, & falsitatem reperiri. Sed hoc neque rem ipsam, neque Aristotelis locutionem satis declarat. Nam, si veritas ita reperitur in simplici conceptu, vt in eo non reperiatur falsitas, in compositione autem indifferenter veritas & falsitas reperitur, potiùs dicendum fuisset, veritatem esse quodammodo propriam simplicium conceptuum, falsitatem autem in sola compositione reperiri, vel, ad summum, dicendum esset compositionem esse indifferentem ad veritatem & falsitatem, non autem quòd sit veluti proprium vtriusque susceptiuum. Ac denique (vt dicebam)

Universidad de Deusto
Biblioteca

hoc ipsum, scilicet, in simplici apprehensione esse veritatem talis rationis, cui nulla opponatur falsitas in tali subiecto: in compositione autem reperiri veritatem, cui falsitas opposita inesse potest, indicat, veritatem esse speciali modo in compositione: nam illud prius commune est omni veritati in essendo, vt inferiùs dicam: quis autem sit hic specialis modus veritatis, non declaratur per solam illam indifferentiam.

XI. Aliter dici solet, ideò veritatem, vel falsitatem specialiter attribui compositioni, & diuisioni: quia secundum eam dicimur verè sentire, vel falli, quod non propriè dicimur ratione conceptuum simplicium. Sed hoc quidem (vt suprà etiam argumentabar) indicium est a posteriori esse singulari modo in cōpositione & diuisione veritatem & falsitatem, non tamen à priori rem declarat, in quo scilicet hic modus consistat. Non enim ideò compositio vera vel falsa est, quia secundum eam nos verè vel falsò sentimus, sed potiùs e contrario, quia illa vera vel falsa est, ideò secundum eam nos verè vel falsò sentimus: est enim ipsa compositio forma, quę, sicut suum esse, ita & proprietates suas nobis communicat.

Hæc super re D. Thomæ doctrina expenditur.

XII. DIuus Thomas igitur 1. part. quæstione 16. artic. 2. rem hanc declarans, dicit, Veritatem singulariter tribui compositioni, & diuisioni, quia per hanc solam operationem est veritas in intellectu tāquam in cognoscente veritatem ipsam. Itaque significat per simplicem notitiam esse veritatem in intellectu; solùm vt in cognoscente rem tali notitia apprehensam, non verò tanquam in cognoscente veritatem ipsam: per compositionem autem esse veritatem in intellectu non solùm tanquam in cognoscente rem, sed etiam tāquam in cognoscente ipsam veritatem. Nam veritas in conformitate consistit, dum autem intellectus componit, comparat rem vt simpliciter conceptam vno modo, ad esse ipsius rei, & cognoscit conformitatem, quam inter se habent, & ideò non solùm rem, sed etiam veritatem cognoscit, eamque ob causam dicitur veritas esse singulari modo in compositione & diuisione. Et hoc idem est, quod alij dicunt, veritatem esse subiectiuè quidem non solùm in compositione, sed etiā in simplici notitia, obiectiuè autem esse tantùm in compositione & diuisione.

XIII. Sed hęc responsio non paruam habet difficultatē, quia vel est sermo de notitiis directis, ve de reflexis. Si de directis, non est verum, in compositione & diuisione directa esse obiectiuè veritatem, & multò minùs falsitatem. Neque etiam verum est, intellectum componendo & diuidendo non solùm concipere rem, sed etiam veritatem suam. Probatur quia quādo intellectus componit, hominem esse album, & hoc directè cognoscit, non comparat conceptum suum ad aliquam rem, nec rem ad conceptum, vt veritatem cognoscat, sed solùm cōparat vnam rē ad aliam, vt cognoscat coniunctionem earum inter se, quod est cōponere: ergo. Vnde fallax videtur ille argumentandi modus, vt quia intellectus tunc cōparat vnum ad aliud, ideò dicatur cōparare, & cognoscere conformitatem, in qua veritas cōsistit, quia nō comparat conceptum formalem ad rem, nec rem ad conceptum, sed comparat rem conceptam ad aliam, vel ad se ipsam. Vnde non fit, vt per talem compositionem cognoscat veritatem, sed solùm illud esse rei, quod fundat veritatē, iuxta illud Arist. Ex eo, quòd res est, vel non est, opinio vera, vel falsa est, quod esse formaliter non est veritas, quāuis causet veritatem in intellectu, vt dixit idem D. Tho. d. q. 16. a. 1. ad 3. Et confirmatur, nam aliud est, quando intellectus cōponendo dicit, homo est albus, aliud verò, quando dicit, hominem esse albū, est verum: hæc. n. posterior cōpositio est reflexa, & ideò in illa est obiectiuè veritas, quia formaliter per illam cognoscit. At verò prior conceptio est tantùm directa, & non habet idem obiectum q; posterior: ergo per illam non cognoscitur formaliter veritas, neque in illa est obiectiuè.

Si autem dicatur, sermonem esse de cognitione reflexa, sequitur primò, non esse in vniuersum verū, quod Arist. ait, veritatem & falsitatem in compositione & diuisione reperiri: cōsequens aūt est falsum, quia sicut enunciatio omnis vocalis vera vel falsa est, ita & mentalis compositio vel diuisio. Vnde per omnem illam, aut verè aut falsò sentimus. Secundò sequitur, nullam esse differentiam, quia etiam per simplicem notitiam reflexam potest veritas formaliter ac verè concipi: sicut enim simpliciter concipimus, quid est homo, ita etiam simpliciter concipere possumus, quid est veritas, & per simplicem conceptum possumus concipere conformitatem inter cōceptum & rem per modum cuiusdam relationis: tūc ergo erit etiam veritas obiectiuè in simplici notitia: nulla ergo est prædicta differentia.

Responderi potest doctrinam D. Tho. intelligēdam esse de compositione & diuisione, quę fit per directam cognitionem, nā certū est in omni tali cōpositione propriā veritatem, vel falsitatem reperiri. Ad obiectionēaūt contra hoc factam, si vera esset sententia Durandi, quod veritas est conformitas rei prout est in esse obiectiuo intellectus ad se ipsam prout est in re, facilis esset responsio, dicendo, intellectū, quādo cōponit, comparare conceptum obiectiuū vnius rei ad aliam, vel ad se ipsam aliter, seu prius cōceptā, atq; ita cognoscere conformitatem inter illa, & ideò dici cognoscere veritatem. Atq; hoc mō videtur declarasse hanc rem D. Tho. 1. cont. Gent. c. 59. in 1. ratione dicens: *Cum veritas intellectus sit adæquatio intellectus & rei, secundū quod intellectus dicit esse quod est, vel nō esse, quod non est: ad id in intellectu veritas pertinet, quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit: non enim ad veritatem intellectus exigitur, vt ipsum intelligere rei adæquetur, cum res interdum sit materialis, intelligere verò immateriale, sed illud, quod intellectus intelligendo dicit & cognoscit, oportet esse rei æquatum, sc. vt ita in re sit, sicut intellectus dicit.* Iuxta hanc ergo interpretationem facilè intelligitur, per directam cognitionem, compositiuā cognosci conformitatē in qua veritas cōsistit.

Sed hæc responsio, si aliud non addatur, nobis satisfacere non potest. Primò, quia sententia illa Durandi à nobis suprà reiecta est, neq; est verisimile D. Tho. in citat. verbis eum sensum intendisse, vt patet ex ratione, quam adducit, *quod non oportet vt intelligere rei adæquetur: quia interdum res est materialis, & intelligere immateriale.* Vbi constat apertè loqui de intelligere, quantum ad conuenientiam, quam habet cū re intellecta in esse entis, & conditionibus eius, & non de conuenientia, quam habet in ratione repræsentantis, & repræsentati. Et ita Ferr. ibi distinguens inter intelligere & conceptum, seu verbum mentis, & existimās intelligere nō esse repræsentatiuum rei, conceptū aūt seu verbum repręsentare illam, exponit D. Tho. loqui de cōceptu ipso seu verbo, & in illo cōstituere, conformitatem seu veritatē, & nō in ipsō intelligere. Ego autem existimo, si propriè loquamur, intelligere formaliter fieri per ipsum verbum, seu

seu cōceptum vt informantem intellectum, & ideò non posse verbum vt verbum esse conforme in repręsentando rei cuius est verbum, quin etiam intellectus, quatenus per verbum formaliter intelligit, fiat eidem rei conformis. D. Tho. ergo non potuit excludere hanc conformitatem in ratione repræsentādi, sed tantùm conformitatem in essendo. In eodem ergo sensu intelligendū est, quod paulò superiùs ait, *Veritatem pertinere ad id, quod intellectus dicit, non ad operationem, qua id dicit.* Sensus enim est veritatem nō ptinere ad illam operationem, quasi materialiter suptam, vt est qualitas quædam spiritualis, sed formaliter, quatenus refert intellectui rem, quæ per illam dicitur, seu quatenus in esse repræsentatiuo continet rem cognitam.

XVII. Secundò, non rectè applicat illa sententia ad præsentem difficultatem explicandā, quia, quādo intellectus componit, vel ex parte prędicati enūciat rem vt est in se, vel vt obiectiuè conceptam. Si primū dicatur, ergo per illam cōparationem non cognoscit conformitatē rei, vt obiectiuè conceptę ad se ipsam, vt est in se, in qua veritas consistere dicebatur, & ita non cognoscet veritatem. Si verò dicatur secundū, ergo ēt ex parte subiecti non sit comparatio ad rem prout est in se, sed prout obiectiuè conceptam: quia non est maior ratio de prędicato, quam de subiecto: vtrumq; enim comparat intellectus prout ab ipso conceptum est, ita vt compositio sit quasi collatio quædam simplicium conceptuum obiectiuorum, & cognitio coniunctionis, quam in se habent: ergo neque hoc mō concipitur veritas prout à Durando explicatur, quia non cognoscitur conformitas rei in esse obiectiuo, ad se ipsam in re, sed conformitas, vel identitas, vel vnio inter vnam & alteram rem, prout vtraq; est in esse obiectiuo. Tertiò multò minùs potest ille modus ad falsitatem applicari: nam quando per compositionem vnum de alio falsò affirmatur, non cognoscitur difformitas, quæ est inter illa, sed potiùs cognoscitur, seu concipitur conformitas, quę non est in re: ergo tunc falsitas non est obiectiuè in tali cognitione, seu compositione intellectus.

Mens Diui Thomæ, & res ipsa iuxta illam explicatur.

XVIII. DIcendum ergo est non esse mentem D. Tho. quando intellectus componit, vel diuidit, formaliter, & in actu signato (vt bene Caietanus ibi distinxit) cognoscere veritatem, & conformitatem illam, in qua veritas formaliter cōsistit, hoc enim sensu verificari id non posse obiectio facta conuincit. Intelligit ergo D. Thomas, quando intellectus componit aut diuidit, in actu exercito cognoscere id, in quo veritas consistit, & consequenter affirmare vel negare veritatem ipsam seu falsitatem. Et hac speciali ratione dici veritatem esse propriè in compositione & diuisione. Quid autem sit, in actu exercito veritatem cognoscere, seu affirmare, ita potest declarari: nam intellectus noster per vnum simplicem conceptū non cōcipit adęquatè, neq; exhaurit distinctè & clarè rem conceptā, sicut faciunt Deus, vel angeli, & ideò, postquam aliquo modo confusè & inadęquatè illam concepit, vtillā distinctè & adęquatè cognoscat, illi attribuit plura prædicata siue re, siue ratione tantùm distincta. Sicut autem de vocibus Aristotel. dixit, quia res non possumus adducere ad scholas, vtimur terminis pro rebus, ideòque quando affirmamus vnam rem de alia, id exterius non facimus, nisi mediante voce significante, & quatenus significans est: ita, quando mente vnum de alio affirmamus, quamuis præcipuè intendamus rem de re affirmare, id tamen non facimus nisi per conceptus, quatenus naturaliter nobis repræsentant res. Atque hinc fit, vt, dum componimus vnam rem conceptam cum alia, vel cum ipsamet alio modo concepta, comparando rem ipsam, simul in actu exercito comparemus conceptum nostrum vt repræsentantem illam rem. Vt verbi gratia, quando intellectus componendo dicit, hominem esse album, formaliter & directè cognoscit identitatem, vel coniunctionem, quam album habet cum homine, simul tamen in exercitio ipso cognoscit conceptum albi aliquo modo continere sub se hominem, & repræsentare illum, & consequenter esse illi aliquo modo conformem. Atque ita dum mens affirmat, hominem esse album, in actu exercito affirmat veritatem, seu hoc esse verum: quia dum affirmat, album inesse homini, affirmat, conceptum albi veram aliquam conformitatem habere cum homine. Et hoc sensu dixit D. Thomas, dicto articulo 2. *intellectum cognoscere conformitatem sui ad rem intelligibilem quando iudicat, rem ita se habere, sicut est forma, quam de re apprehendit, quod facit componendo, & diuidendo.* Non quod, quando intellectus componit, iudicet ita se habere rem, sicut est forma, quæ formaliter, seu inhæsiuè est in intellectu, sed quod iudicet, ita se habere, sicut est forma apprehensa per intellectum, & consequenter in actu exercito iudicet, ita se habere rem, sicut est forma, seu conceptus formaliter repręsentans in intellectu: quia cōceptus formalis, vt repręsentans tanquam vnū quid censetur cum re repręsentata, & quia intellectus non comparat rē repręsentatam nisi vt à se conceptā. Hoc ergo modo rectè intelligitur, cur veritas dicatur specialiter esse in intellectu nostro cognoscēte media compositione & diuisione: nam per simplices conceptus nullo modo cognoscit intellectus conformitatem, vnde nec propriè affirmat, aut sentit veritatem, sicut facit, quando simplices conceptus componit. Vnde, licet tam compositio, quam simplex apprehensio rerum, sit absolutè cognitio directa, tamen, si compositionē ad simplicem apprehensionem comparemus, quodammodo est quasi reflexiua suprà illam veluti in ipso exercitio: quia per compositionem fit collatio inter simplices conceptus, ratione cuius est veritas in illa, prædicto speciali modo.

Soluuntur oppositæ rationes.

XX. ET per hæc patet responsio ad fundamenta prædictarum opinionum, quas non existimamus inter se contrarias, si rectè intelligantur, vt exposuimus, & ipsimet authores reuera exponunt, vt apertè constat ex Diuo Thoma & Caietano, suprà Ferrar. verò, qui Caietano opponitur, vel eum & Diuum Thomam intelligere noluit, vel solùm verbis diuersis rem eandem explicat. Fundamenta igitur vtriusque opinionis, quatenus illas in vero sensu confirmant, admittenda sunt: declarandum verò supereſt quomodo in alio sensu eis non repugnent. Ad testimonia itaque Aristotelis priori loco adducta respondetur, ibi loqui Aristotelem de veritate existente in intellectu nostro vt cognoscente aliquo modo veritatem ipsam. Vnde ad primam rationem respondetur, eadem proportione esse de vocibus loquendum qua de conceptibus; nam in simplici & incōplexa voce est veritas signi tāquā in habēte illā ad modū veritatis trāscendentalis, seu in

Universidad de Deusto
Biblioteca

essendo: nam hæc vox, *homo*, & significat verum ho- A minem, & potest dici verum signum hominis: tamẽ in voce simplici non est veritas tanquam in significante veritatẽ, quomodo est in enunciatione composita, quę dum significat hoc esse illud, significat consequenter, & quasi in actu exercito, conformitatem, & veritatem, sicut de conceptibus explicatũ est. Ad secundum, quod tangit materiam de falsitate, dicetur clariùs disput. seq. Nunc respondetur, ex tribus membris ibi enumeratis illud esse eligendum, quo dicitur, simplices conceptus ita esse veros vt nõ sint propriè falsi, vt argumenta ibi facta satis probant. Neque verò necesse est, vt in omni subiecto vbi potest esse vnum oppositorum, possit etiam esse aliud. Præsertim, quia cùm veritas alio modo sit in simplici apprehensione, quam in compositione, ea ratione fieri potest, vt ea veritas talis sit, quæ non habeat falsitatem oppositam. Cur autem hoc ita sit, & cur potiùs veritas compositionis possit habere propriam falsitatem oppositam, patebit ex dicendis. Quod autem in vltima confirmatione tangitur de specie intelligibili, declarabitur statim. Ad fundamenta secundæ sententię nihil addere oportet, solũ B n. probant, in simplici conceptione esse veritatem tanquam in habente, non tanquam in cognoscente. Solùm circa secundum oportet ex dictis notare, nõ esse eandem rationem de simplici cognitione Dei, aut angelorum: illi enim simplici conceptu perfectè iudicant de re, & quod ita se habeat, sicut cognoscitur, seu quod ei insit id, quod de ea iudicatur, & cognoscitur. Imò illud iudicium simplex tale est (præsertim si sit sermo de diuino) vt per illud perfectissimè etiam cognoscatur omnis conformitas, quę esse potest inter ipsum, & rem cognitam, & ideò non est simile de illa simplici cognitione.

SECTIO IIII.

An veritas cognitionis seu intellectus in eo non sit, donec iudicet.

I. ANte iudicium, intelligi possunt in intellectu, vis ipsa intelligẽdi, species intelligibilis, sub qua reliquos habitus comprehendo, ipse actus cognitionis prout est in fieri, & apprehensio ipsa. C Dubitari ergo potest primò, an hæc veritas dici possit esse in specie intelligibili, vel in actu, vel in conceptu, vel in habitu, aut ipsa vi intelligendi. Nam D. Tho. 1. cont. Gent. c. 59. ratione 1. in verbis suprà citatis significat tantùm esse in cõceptu seu verbo mẽtis, vbi Ferr. ita illum intelligit, & addit non esse in actu intelligendi: quia non est imago, nec repræsentat obiectũ. Vnde infert, priùs ordine naturę esse veritatem in intellectu, quam intellectus cognoscat rẽ per conceptũ repræsentatam, quia priùs ordine naturę actio intellectus terminatur ad cõceptum, quã cognoscat rem in illo repręsentatam. Quo sensu videtur dixisse D. Tho. q. 1. de verit. a. 1. *cognitionem esse veritatis effectum*. De specie verò intelligibili ait in illa esse veritatem quatenus illa etiam repręsentat obiectum, & secundum illam repræsentationem, habet conformitatẽ cum illo, imperfecto tamen mõ, quatenus repręsentatio speciei imperfecta est, & quatenus habitus ad actum, vt imperfectũ ad pfectum cõparat. De ipsa aũt vi intelligendi, & habitu eius iudicatiuo, & qui tenet se ex parte potentiæ, nihil dicit, tamen consequenter dicturus etiam esset, in eis non esse veritatem, quia non repræsentant obiectum.

Sed nobis supponendum est, hìc solùm esse ser- II. monem de veritate cognitionis. Credimus autem cognitionem fieri formaliter per conceptum, seu verbum mentis vt informantem ipsum intellectum: conceptum aũt seu verbum mentis in re ipsa non distingui ab actu intelligendi, quatenus est aliquid factũ ab intellectu, seu qualitas in facto esse, intellectionem verò, quatenus est actio in fieri, distingui modaliter à verbo sicut distingui solet actio, vel dependentia à termino. Cùm ergo cognitio simpliciter significet actualem cognitionem, veritas cognitionis absolutè ac simpliciter est in conceptu seu verbo, aut actu intelligendi in facto esse: quia hæc omnia idem sunt, & significant formam, qua intellectus sit actu cognoscens; ac si diceremus, veritatem calidi vt sic in calore inesse. In actione autem intelligendi vt sic non est quidem veritas cognitionis, quia illa actio, non est cognitio simpliciter, sed via ad cognitionem, tamen eo modo, quo est, habet suam veritatem, sicut calefactio, quamuis veritatem caloris non habeat, habet tamen veritatem calefactionis, quia est vera tendentia ad calorem: sic enim actio intelligendi est etiam vera tendentia ad rei cognitionem. Et quamuis dicatur non repræsentare per modum formæ, repræsentat tamen per modũ viæ: quia est tendentia ad veram repręsentationem; veritas ergo cognitionis dici potest esse in fieri in actu intelligendi, vt actio est. In specie autem intelligibili non est veritas cognitionis, nisi tanquam in principio & actu primo, est tamen in illa propria veritas entitatiua, ratione cuius dicitur vera species intelligibilis talis obiecti. Ad quod nil refert, quod species intelligibilis repræsentet formaliter vt imago, vel tantùm effectiuè & virtualiter vt semen obiecti: quia quacũque ratione repræsentet, secundum eam habere potest suam veritatem per debitam commensurationem ad tale obiectum, sicut semen hominis non habet quidem in se veritatem humanæ naturæ, nisi virtualiter, seu instrumentaliter, habet tamen veritatẽ humani seminis secundum debitam proportionem & habitudinem ad talem naturam, vel actionẽ. Quo etiam fit, vt vis intelligendi, seu lumen intellectus, aut habitus illud perficiens, formaliter ac propriè non habeant per se veritatem cognitionis, de qua agimus, vt per se constat: habeãt tamen suam accommodatã veritatem, quæ radicaliter dici potest veritas cognitionis, quatenus lumen intellectuale eatenus verum est, quatenus de se inclinat ad veram rei cognitionem, & idem est suo modo de habitu.

Ex quo tandem intelligitur, falsum esse, quod di- III. cebatur, priùs natura esse veritatem in conceptu mentis, vel in intellectu per conceptum, quàm intellectus actu intelligat: quia conceptus mentis seu verbum non priùs natura est, quàm insit intellectui: non fit enim, nisi per eductionem de potentia eius, & ideò non fit in aliquo signo naturæ, in quo non vniatur intellectui, vt possit intellectus per modum potentiæ actiuæ, & receptiuæ ad illius productionẽ cõcurrere: ergo non priùs natura verbum habet veritatem, quàm illã formaliter cõmunicet intellectui: ergo nec priùs natura est in eo veritas, quàm intellectus sit actu cognoscẽs. Patet vltima cõsequẽtia, quia nõ aliter constituitur intellectus actu cognoscens, nisi per informationẽ verbi seu conceptus. Est ergo veritas cognitionis primò ac per se in intellectu actũ cognoscente per verbum, conceptum, seu actum in facto esse, tanquam per formam qua actu cognoscit. Vnde, quod D. Tho. dicto loco ait q. 1. de verit. artic. 1. *cognitionem esse quendam veritatis effectum*, intel- A ligendum est, aut de veritate fundamentali, quæ est ipsum esse rei, à quo vt obiecto habet cognitio vt vera sit, vel de veritate conformitatis, quæ est per speciem intelligibilem, vel certè de effectu formali, quẽ verus conceptus menti tribuit.

De notitia apprehensiua.

IIII. SEcundò dubitari potest, an veritas cognitionis sit in apprehensiua notitia, vel tantùm in iudicatiua. Et ratio dubitandi esse potest, quia simplex notitia tantùm est apprehensiua, & tamen diximus in illa esse veritatem. Item in sensibus est veritas simplex, vt ex Aristotele suprà diximus: & tamen in eis non est, nisi apprehensiua cognitio. Tandem in compositione apprehensiua, etiamsi intellectus nesciat discernere & iudicare, sitne in illa veritas, an falsitas: nihilominus tamen alterutrum hõrum in tali apprehensione reuera inest: nam si propositio vocalis aut vera aut falsa necessariò est, multò magis mẽtalis, etiam apprehensiua tantùm. In contrarium autem est, quia intellectus non denominatur verus aut falsus, nisi quando iudicat. Quamuis enim ego B apprehendam hanc propositionem, astra sunt paria, si dubito, & suspendo iudicium, nec falsus sum, nec verus: ergo signum est, in illa apprehensione nec veritatem esse, nec falsitatem, alioqui verum, vel falsum denominaret. Vnde vbi Aristotel. ait 6. Metaph. capite 2. veritatem esse in mente, græcè est vox, *dianoia*, quæ sententiam, seu intelligentiam significat.

V. Respondetur, veritatem cognitionis propriè esse in iudicio, & quemlibet actum intellectus tantundem huius veritatis participare, quantum de iudicio participat. Nam, si attentè res spectetur, intellectus nihil verè cognoscit, donec iudicet: ergo nec potest esse verus, vel falsus in cognoscendo, donec iudicet: ergo veritas cognitionis esse non potest, nisi in iudicio. Antecedens manifestum est in cognitione compositiua: quando enim intellectus apprehendit compositionem, & suspẽdit assensum, ideò est, quia ignorat, an reuera illa extrema ita coniuncta sint in re, sicut per compositionem apprehenduntur. Vt in dicto exemplo de apprehensione huius compositionis, astra sunt paria, quamuis intellectus cogno- C scat aliquo modo quid sint astra, & quis sit numerus par, ignorat tamen omnino, an illa duo in re coniuncta sint, & ideò, licet cõpositionẽ apprehendat, nõ iudicat: e contrario verò fieri non põt, vt intellectus componat prædicatũ cum subiecto, actu cognoscẽdo corũ coniunctionem, quam in re habent, vel habere existimantur, quin iudicet, ita esse vel non esse. Quia, si totum hoc cognoscit, nihil est, quod iudicium addere possit. Igitur iudiciũ cõpositionis in cognitione illa cõsistit, qua cognoscitur prędicatũ cõuenire subiecto, ratione cuius diximus suprà cũ D. Thom. veritatem esse in intellectu componente tãquam cognitum in cognoscente. Sic ergo veritas cõpositionis propriè solùm est in notitia iudicatiua.

VI. Notitia autem simplex quæ simplex apprehensio dici solet, in tantum est capax alicuius veritatis, in quantum cognitio est, & aliquam rationem iudicij participat. Nam, licet conceptio per simplices actus dici soleat simplex apprehensio, quatenus potentia cognoscens format in se similitudinem rei, & quodammodo illam ad se trahit, & vt distinguatur à proprio iudicio, quod à nobis datur, cùm rem vnam cum alia componimus, vel eas diuidimus: tamen quatenus illamet apprehensio est aliqualis rei cognitio, est etiam aliquale iudicium, quo implicitè iudicatur res id esse, quod de illa cognoscimus. Et hoc modo in tali apprehensione, vel simplici cognitione res, includit aliquo modo iudiciũ: quia, cùm illa apprehensio sit actus potentiæ cognoscitiuę, necessariò debet per illam aliquid cognosci: quod aũt cognoscitur, ea ratione iudicatur: nam, quod iudicari non potest, ignoratur.

Quocirca ad priores rationes dubitandi respon- VII. detur, in simplici apprehensione intellectus esse aliquale iudicium, licet imperfectum, & secundum illud esse in eo actu veritatem cognitionis. Et idem est dicẽdum proportione seruata de cognitione sensus, quando enim ouis concipit lupum & fugit, quamuis simplicem tantùm actum habeat, tamen verè cognoscit illum vt inimicum, & ita iudicat, quamuis imperfecto modo: & visus, dum cognoscit hoc album, aliquo etiam modo iudicat, hoc esse album. Quod si interdum intellectus vel imaginatio videntur aliquid simpliciter apprehendere, nihil omnino iudicando, vt quando fingitur mons aureus, aut Chymera, vel quid simile, tunc non apprehenditur aliquid vt vera res, sed vel vt possibilis, saltem quoad illam figuram, sub qua apprehenditur, vel vt imaginabilis, seu significabilis per vocẽ: quomodo dicunt aliqui, tunc magis apprehendi significationem vocis, quam rem aliquam. Vnde tunc solùm cognoscitur id, quod consurgeret, si hæ vel illæ partes consurgerentur, & ita hoc ipsum aliquo modo iudicatur, & eodem modo est aliqualis veritas simplex in huiusmodi apprehẽsione: quia reuera illud obiectum tale apprehenditur, vel cognoscitur, quale consurgeret, si partes illæ in re copularentur.

Vnde ad aliam partem de compositione appre- VIII. hensiua respondetur in primis, huiusmodi compositiones mentales, quæ sunt absque iudicio, regulariter fieri per conceptus vocum potiùs, quàm rerum: quia cùm in re ipsa non cognoscatur coniunctio prædicati cum subiecto, non etiam apprehenditur secundum rem, sed secundum vocem, seu copulam significantem talem vnionem. Quod si ita est, tunc illa compositio apprehensiua est in mẽ- C te, vt vocant, non vltimata, & in ea est veritas vel falsitas, nõ vt in cognitione, sed vt in signo tantùm ad placitum, sicut est in voce, vel in scriptura. Deinde dicitur, si hæc apprehensio non iudicatiua, aliquo modo esse dicitur in conceptu compositiuo ipsarum rerum, vel id solùm esse, quatenus per illum aliquid concipitur, & aliud ignoratur: vel apprehendi tantùm in ordine ad significationem vocis. Prior modus erit, si concipiam astra vt paria, & cognoscam hoc esse possibile, & ignorem an ita sit. Et tunc quoad illud, quod cognoscitur, cognitio est, non tantùm apprehensiua, sed etiam iudicatiua, & consequenter aut vera, aut falsa, quoad aliud verò, sicut non est iudicatiua cognitio, ita neque vera neq; falsa. Imò neq; est apprehensiua per modum compositionis intellectus affirmantis, vel negantis, sed per modum cuiusdam simplicis apprehensionis illius possibilis enunciati, de quo dubitatur, an ita sit nec ne. Nam si hoc non cognoscitur per talem conceptum, scilicet hoc esse possibile, non video, quid ibi apprehendi possit per veram compositionem, quæ includat copulam de inesse: ergo tantùm apprehendi potest per modum quæstionis, an hoc ita sit, vel non sit, & tunc non est necesse

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt ibi sit aliqua veritas, vel falsitas. Posterior modus erit si extrema illius compositionis, vel compositio ipsa tantùm apprehendat, quatenus est quid significatũ hac voce: verbi gratia, astra sunt paria, & tunc etiam intellectus non apprehendit aliquid affirmãdo vel negãdo, sed quasi simpliciter apprehendendo hoc tanquã significatum illus vocis, siue in re ita sit, siue non sit, & quoad illud primum inuoluitur ibi aliqua cognitio, & cõsequenter aliquid veritatis simplicis. Sic ergo omnis veritas cognitionis eo modo quo est, in iudicio existit.

SECTIO V.

An veritas cognitionis sit tantùm in intellectu speculatiuo, vel etiam in practico.

I. RAtio dubitandi sumi potest ex quadam vulgari doctrina indicata à D Thom. 1.part. quæstione 16.artic.1. & aliis locis, quòd veritas dicit conformitatem cognitionis ad rem cognitam tanquã mensurati ad mensuram, iuxta illud Aristotel. *Ex eo quod res est, vel non est, propositio vera vel falsa est.* Hinc ergo sequi videtur, in sola speculatiua scientia, esse propriè veritatem, quia sola scientia speculatiua mensuratur ex obiecto suo, nam scientia practica potiùs est mensura sui obiecti, ideò .n. res arte facta vera est, quia est conformis arti. Rationem autem tetigit Diuus Thomas illo loco, quia res intellecta duplicem potest habere ordinem ad intellectum, per se scilicet, & per accidens, per se habet ordinem ad intellectum à quo pendet, per accidens ad intellectum à quo non pendet, sed cognoscitur tantùm. Priori modo pendẽt effectus artis ab arte, & res creatæ à Deo, & ideò non sunt res mensuræ cognitionis, sed potiùs econtrario: ergo in tali cognitione non est veritas, sed potiùs in rebus, quatenus illi commensurantur. Posteriori autem modo comparantur res ad scientiam speculatiuam, & ideò in hac cognitione erit tantùm veritas, quatenus commensuratur rei cognitæ. In contrarium autem est, quia etiam in cognitionibus & iudiciis practicis est veritas vel falsitas: quis enim neget, in compositione & diuisione, quæ fit in rebus practicis, non solùm moralibus & agibilibus, sed etiam in factibilibus esse propriissimam veritatem, & falsitatem? aut quomodo possent scientiæ practicæ esse veræ scientiæ, si non esset in eis veritas? habent ergo non solùm veritatem, sed etiam sua principia per se nota, & conclusiones euidenter veras. Item, si non de veritate complexa, sed de incomplexa loquamur, etiam idea artificis, si sit propria & adæquata rei efficiendæ per artem, est maximè vera, tantòque magis, quantò non solùm ipsa vera est, sed etiam est causa veritatis artificij. Denique in scientia, quam Deus habet de creaturis, est perfectissima veritas, quamuis sit etiam mensura creaturarum.

II. Dicendum itaque est, veritatem non solùm esse in intellectu speculatiuo, sed etiam in practico, quatenus in eo est rerum agendarum, seu efficiendarum cognitio, vt posteriora argumenta probant, & docet Aristotel. 6. Ethicor. capite secundo & est res per se satis nota. Ad rationem verò in contrarium dupliciter responderi potest, primò negando, veritatem dicere semper & in rigore relationẽ mensurati ad mẽsuram, alioquin nõ posset dici Deus verus, quia mensuratus non est, etiam per propriam scientiam: videtur ergo sufficere quælibet relatio conformitatis, siue illa sit mensurati ad mensuram, siue econtrario mensuræ ad mensuratum. Sed hæc responsio non videtur esse conformis cõmuni modo sentiendi & loquendi de veritate: omnes enim censent, veritatem cognitionis esse in intellectu, quatenus conformatur rei intellectæ, & consequenter esse relationem mensurati, aut se habere ad modum eius.

III. Respondetur ergo secundò, cognitionem practicam dupliciter posse comparari ad obiectum, vno modo, in ratione cognitionis, alio modo, in ratione causæ, aut efficientis aut exemplaris, vt est idea artificis. Et hoc quidem posteriori modo cognitio practica sicut est causa, ita est mensura sui obiecti, vt habet rationem effectus ipsius, & ideò vt sic, non denominatur propriè vera, sed efficax vel sufficiens ad causandum effectum in suo genere: priori autem modo cognitio practica est vera: vnde sub ea ratione comparatur ad obiectum suũ, vt mẽsuratum ad mensuram: quia sub ea consideratione præcisa non est causa illius, sed mera cognitio, quæ vt sic, solùm est repræsentatio intentionalis obiecti, & ideò veritatem habet quatenus illi commensuratur. Quòd in hunc etiam modum declarari potest, nam scientia vt scientia, etiamsi practica sit, abstrahit ab existentia obiecti, & vera est, etiamsi nihil efficiat seu causet: si ergo scientia practica ad obiectum secundum se & vt abstrahit ab existentia comparetur, sic non est mensura eius: quia non est causa illius, vt sic: ergo talis scientia mensuratur potiùs ab obiecto secundum suam rationem & essentiam considerato, & per conformitatem ad illud habet suam veritatem. Quod tam in artificialibus, quàm in moralibus facilè suaderi potest: nam scientia seu ars ædificandi, ideò dictat domum esse in hac proportione, figura, &c. exstruẽdam, quia perfectio domus secundum se & quasi natura sua id postulat, considerato fine ad quem ordinatur, & proprietatibus, quas requirit, vt verbi gratia, quod sit vtilis, fortis, pulchra. Et Dialectica, quatenus practicas scientias imitatur, ideò dictat syllogismum esse in tali modo & figura construendum: quia natura syllogismi hoc postulat. Igitur secundum se, & abstrahendo ab existentia, non ideò res arte facta talis construenda est, quia scientia, vel ars hoc dictat, sed potiùs ideò scientia vel ars hoc dictat, talemque ideam proponit talis artificij, quia ipsum ex se postulat talem perfectionem in ordine ad suum finem. Idem videre licet in moralibus, nam medium temperantiæ, verbi gratia, non ideò in tali re consistit, quia moralis philosophia vel prudentia illud dictat; sed econtrario potiùs, ideò moralis scientia illud dictat, quia illud in se tale est, talemque proportionem requirit. Et ideò dixi in prima secundæ, veritatem practicam moralem non sumi ab appetitu recto tanquam à mensura, sed potiùs econtrario ipsam esse mensuram appetitus recti. Ratio autem generalis est, quia etiam scientia practica, quatenus scientia est, nititur primis principiis per se notis, quæ præcipuè sumuntur ex definitione obiecti, & prima proprietate: hæc autem secundum se & abstrahendo ab existentia conueniunt obiecto ex intrinseca sua natura sine causalitate talis scientiæ. Igitur veritas huius scientiæ vt scientia est & cognitio mensuratur ex obiecto secundum esse essentiæ consideratur. Quia verò illud idem obiectum quoad existentiam est effectus talis scientiæ secundum

secundum illum statum mensuratur per illam scientiam, & hoc modo dicimus, domum rectè esse constructam, quia est secũdum regulas seu ideam artis.

IIII. Obiectioni satisfit. Dices, sicut scientia abstractiua comparatur ad obiectum abstrahens ab existentia, ita scientia intuitiua ad obiectum existens: ergo, sicut illa mensuratur ab obiecto secundum se, ita hæc ab obiecto existente: ergo sub nulla ratione obiectum mensuratur per scientiam. Respondetur, concesso antecedente cum prima consequentia, & negando secundam: quia scientia practica non est causa obiecti sui existentis, vt est cognitio intuitiua eius: nam hæc nec est propriè scientia, de qua agimus, sed experientia, nec propriè ac per se est practica, sed mera cognitio, quia non est actiua obiecti, sed supponit factum. Igitur eadem scientia propria, quæ considerat obiectum secundum se, & vt abstrahit ab existentia, per voluntatem applicata ad opus, est causa eius, & ita etiam est mensura operis facti & existentis.

V. Sed adhuc superest difficultas de scientia Dei: nam sequitur scientiam Dei, vt veram, mensurari ab obiecto suo. Respondetur, scientiam Dei posse comparari vel ad ipsum Deum, vel ad creaturas. Respectu sui non potest secundum rem habere mensuram: quia non distinguitur à se, seu à suo obiecto, est ergo supra omnem mensuram, & per se ipsam vera, imò ipsa veritas: secundum rationem autem ita est: nam ideò Deus veram & adæquatam de se ipso scientiam habet, quia ita est in re, sicut se ipsum cognoscit. Neque hoc est contra perfectionem aut immensitatem Dei: quia hoc non est esse mensurabilem propriè aut verè, sed est potiùs per se ipsum esse talem, & esse sibi ipsi æqualem: sicut esse Deum comprehensibilem à se ipso non repugnat perfectioni eius, sed ad maiorem perfectionem pertinet. Si verò scientia illa comparetur ad res creatas, quatenus est scientia practica & causa illarum, prout existentes sunt, sic constat non mensurari ab illis, sed esse potiùs mensuram earum: & non habere ab eis veritatem, sed potiùs illas esse veras, quatenus conformes sunt diuinis ideis, vt statim dicemus. Considerando verò diuinam scientiam solùm, prout est simplex intelligentia creaturarum secundum esse essentiæ seu possibile, vel quatenus est intuitiua visio existentiæ, sic videtur sine inconueniente posse concedi etiam illius scientiæ veritatem consistere in conformitate ad illa obiecta: nam secundum hanc præcisam considerationem non est causa talium obiectorum, sed mera intuitio, & quasi speculatio, & ideò secundum eandem considerationem non ideò res est talis essentiæ, quia talis à Deo cognoscitur: sed econuerso ideò talis cognoscitur, quia talis essentiæ est, neque aliter poterat verè cognosci. Et simliter dicunt Sancti & graues Theologi, non ideò rem esse futuram, quia Deus illam futuram intuetur, sed quia futura est, ideò Deum illam intueri. Orig. lib. 7. in epistol. ad Rom. circa illa verba, cap. 8. *Quos vocauit, hos & iustificauit.* Hier. Dialog. 3. cont. Pelag. Et in cap. 16. Isaiæ 26. Hierem. 2. Ezech. Chrys. hom. 60. in Matth. Bed. lib. Var. q. q. 13. significat Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 20. Plures Scholastici in 1. distinct. 38.

Vt tamen propriè & castè loquamur dicere non debemus, diuinam scientiam etiam sub his considerationibus mensurari ab his obiectis, tum quia Deus ita habet scientiam horum obiectorum, vt ab eis illam nõ accipiat, sed ex se illam habeat, & ab intrinseco, & ex vi suæ essentialis perfectionis habeat omnem rectitudinem & infallibilitatem eius. Tum etiam, quia illa scientia ita attingit hæc secũdaria obiecta, vt nullam veram relationem, seu habitudinem realem habeat ad illa, sed eminentiori modo illa omnia attingit Deus per hoc, quod se ipsum comprehendit: quia ergo in ratione mensuræ & mensurati contrariæ imperfectiones indicari possunt, ideò dici non potest scientia Dei mensurari ab his obiectis, etiamsi vera non sit sine conformitate cum illis.

SECTIO VI.

An in diuisione sit veritas æquè ac in compositione.

I. QVoniam diximus veritatem cognitionis esse speciali modo in compositione & diuisione; operæ pretium erit exponere an sit æquè in vtraque, vel magis sit in compositione, quàm in diuisione. Videtur enim hoc vltimum, quia in compositione, cùm vnum de alio affirmetur, intellectus cognoscit conformitatem vnius cum alio, & ideò in ea cognitione obiectiuè est veritas modo suprà expósito: at verò in diuisione potiùs cognoscit intellectus conceptum illum, quem de alia re negat, non habere cõiunctionem seu conformitatem cum illa: ergo per illum actum nõ cognoscit veritatem, sed potius veritatis negationem: ergo non ita est veritas obiectiuè in diuisione, sicut est in compositione. In contrarium autem est, quia Aristot. & D. Thom. & cum eis cæteri doctores æquè tribuunt veritatem diuisioni ac compositioni. Item quia tam est verum, rem non esse quod non est, quàm esse quod est: ergo tam est verus intellectus cognoscendo seu componendo illam negationem, quam componendo hanc affirmationem.

II. Dicendum itaque est tam verè ac propriè reperiri veritatem in diuisione, sicut in compositione. Nam propositio vocalis negatiua tam simpliciter ac propriè vera est, sicut affirmatiua, ergo diuisio quæ in mente respõdet, tam vera est, sicut compositio. Vnde (Theologicè argumentando) tam est de fide, Deum non esse corporeum, sicut esse æternum: vtrumque ergo iudicium æquè certum est: ergo & æquè verum, licet vnum diuidendo, aliud componendo feratur.

III. Ad argumentum autem respondetur, veritatem (vt suprà dixi) non ita esse obiectiuè in compositione & diuisione, vt formaliter & propriè cognoscatur per illam, sed solùm implicitè: quia, dum vnus conceptus obiectiuus ad alium comparatur, in actu exercito quodammodo cognoscitur cõformitas inter rem & conceptum. Sicut ergo in compositione cognoscitur hæc conformitas, ita in diuisione cognoscitur difformitas seu disconuenientia eorum obiectiuorum conceptuum, quorum vnus de altero negatur, & consequenter in actu exercito cognoscitur difformitas inter formales conceptus illorum obiectorum, & virtute etiam cognoscitur conformitas, quam vnusquisque eorum conceptuum habet cum suo obiecto. Quando enim mens concipit, hominem non esse leonem, implicitè etiam cognoscit, cõceptum, quẽ de homine habet, nõ conuenire leoni, sed vnicuiq; proprium conceptum correspondere. Et hoc modo etiam in diuisione includitur cognitio veritatis seu conformitatis, non quidem illorum extremorum inter se, quorum vnum de alio negatur: sed vniuscuiusque eorum cum suo conceptu:

nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam in hoc veritas illius negationis fundatur. Vel secundò ac breuiùs dici potest, sicut cognoscere conformitatem prout est, verum est, ita etiam cognoscere difformitatem prout est, verum esse: & hoc ipsum per diuisionem significari, & in actu exercito cognosci, & ideò veritatem propriissimè esse in diuisione, sicut in compositione.

SECTIO. VII.

Vtrùm veritas aliqua sit in rebus, quæ sit passio entis.

I. HÆC quæstio est præcipuè intenta in hac disputatione: nam ad explicandam veritatem entis reliqua præmisimus. Videtur ergo fieri non posse, vt veritas aliqua sit passio entis realis, primò quidem ex Arist. 6. Metaph. in fine dicente, verum & falsum non esse in rebus, sed in mente; & in hoc constituente differentiam quòd bonum & malum sunt in rebus, non autem verum & falsum, sed in mente tantùm. Secundò quia verum supra ens, aut nihil addit, aut solam denominationem extrinsecam: ergo nullo modo potest esse proprietas entis. Probatur consequentia, quia si nihil addit, nihil aliud est, quàm ipsummet ens, & consequenter non magis est proprietas eius, quàm ipsum ens sit proprietas sui. Si autem addit solam denominationem extrinsecam, illa non potest sufficere ad rationem proprietatis entis. Tum quia alias infinitæ proprietates huiusmodi possent multiplicari, quia infinitæ possunt esse huiusmodi denominationes. Tum etiã, quia hęc denominatio cõmunis est non entibus seu entibus rationis, sicut enim aurum dicitur verũ aurum, ita relatio rationis potest dici verum ens rationis, & (sicut nuper dicebamus) ita negatio habet veritatem, sicut affirmatio, non ergo potest veritas ratione huius denominationis esse proprietas entis realis de qua agimus. Tum denique, quia aliàs etiam falsitas posset dici proprietas entis realis: nam, sicut potest ens verè cognosci, ita etiam falsè: ergo, sicut inde denominatur verum, hinc potest denominari falsum.

II. Primum verò antecedens huius rationis declaratur, & probat: nã cùm ens aliquod, verbi gratia, aurum, dicitur verum aurum, dupliciter potest esse, aut intelligi talis denominatio. Primò, vt sit omnino absoluta & intrinseca; & hoc modo nihil potest addere tali enti, sed solùm magis explicare entitatem & realitatem eius: quia hoc modo esse verum aurum, nihil aliud est quàm non esse tantùm apparens vel fictum, sed habens propriam & realem naturam & essentiam auri. Hoc autem nihil aliud est, quàm esse aurum: ergo esse verum aurũ, quoad hanc denominationem nihil addit supra esse aurũ. Eadem ratione in vniuersum, esse verum ens reale nullum alium conceptum dicit, quàm esse ens reale, id est, non fictũ, neq; chymericum. Qua ratione suprà dicebamus, rem nihil addere supra ens reale: quia nihil dicit, nisi habere ratam essentiam, quod nihil aliud est, quàm habere realem essentiam, & idem est dicere veram essentiam. Et sumendo hoc sensu denominationem veri, dixisse videtur Aug. lib. 2. Soliloquiorum cap. 5. *Verum esse id, quod est, non autẽ, id quod videtur, aut quod tale est, quale videtur: Quia ẽtsi res non videatur, neque conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera est*; in quo significat, veritatem non esse denominationem extrinsecam. Et in eodẽ sensu quadrat definitio Auicennę dicentis. *Veritas vnius cuiusq; rei est proprietas sui esse, quod stabilitum est ei.* Cùm enim ait esse proprietatem, non sumit illam vocem vt significare solet passionem seu facultatem aliquã; sed significat esse proprium, id est, non extrancum nec alienum, quod nihil addit supra ipsum esse, sed explicari potest ad modum relationis identitatis, sic enim dici potest relatio proprietatis: nam hoc modo sic vnaquęque res habet illud esse, quod suum est, seu quod stabilitum est ei & hoc ipsum est, habere veritatem talis entis.

D. August.

A

B

C

III. Alio verò modo potest illa denominatio sumi, nõ vt absoluta & intrinseca, sed vt aliunde prouenies, & hoc modo esse non potest nisi extrinseca rei denominatio; scilicet quòd verè talis enuncietur, seu enunciabilis sit. Quod sensisse videtur D. Thom. 1. parte quæst. 16. art. 1. dicens. *Verum nominare id, in quod tendit intellectus, esseque in intellectu secundum quod cõformatur rei intellectæ, & ab intellectu deriuari ad rem intellectam, qua vera dicitur secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum.* Constat autem, ex conformitate intellectus ad rem solùm resultare in re cognita denominationem extrinsecam. Vnde articul. 6. expresè dicit Diuus Thomas. *Omnes res creatas denominari veras vna & eadem veritate*, scilicet veritate intellectus diuini, à qua tamen non possunt nisi extrinsecè denominari. Et in solutione ad secundum, hoc confirmat ex Anscl. lib. de verit. c. 14. dicente, *sicut tempus se habet ad temporalia, ita veritas ad res veras*; quod D. Thom. intelligit de vno tempore communi à quo constat solùm extrinsecè res temporales denominari. Ratione denique patet, quia aut res est vera, quia conformatur intellectui, aut quia intellectus conformatur ad ipsam. Primum dici nõ potest, quia potiùs ex eo quod res est, vel non est, intellectus est verus: aliàs incideremus in errorem philosophorum dicentium, nihil esse verum nisi quod intelligitur. Si autem secundum dicatur, apertè sequitur illam tãtùm esse denominationem extrinsecam, quia intellectum conformari ad rem, nihil ponit in re, nisi tantùm verè cognosci. Præter illa autem duo nihil aliud excogitari potest: quia ex communi omnium cõsensu, omnis veritas sumitur ex conformitate intellectus & rei. Et confirmatur: quia falsitas in rebus esse non potest, nisi denominatio extrinseca, ergo nec veritas: nam oppositorum eadem est seu proportionalis ratio. In contrarium autem est, quia teste Arist. lib. 2. metaph. c. 1. *Vt vnumquodque est, ita & verum est*: quibus verbis significat, veritatem ita comitari ens, vt iuxta gradum & rationem entitatis sit in vnoquoque gradus veritatis, signum ergo est veritatem comitari ens vt passionem eius.

D. Thom.

Transcendentalis veritas an sit.

IIII. IN hac re constat, veri denominationem solere rebus attribui: sic enim dicere solemus esse verum aurum, vt illud ab apparẽti distinguamus, & verum hominem vt distinguamus à picto; & verum Deum, vt à falsis illum separemus; & hoc modo loquũtur non solùm sacræ & prophanæ litteræ, sed etiam vniuersi homines. Vnde planè fit, eandem veri appellationem, posse cuilibet enti reali attribui, vel vt ab ente ficto, & imaginario separetur, vel vt in sua specie & ratione propriam talis rei essentiam habere indicetur: nam quoad hæc duo eadem est huius appellationis ratio in omnibus entibus. Atque hinc rursus manifestum etiam est, verum sub aliqua ratione esse attributum entis, & cum illo conuerti.

Vt

Vt autem declaretur qualis sit hæc denominatio, oportet ante omnia exponere, quid sit hæc veritas, quæ enti attribuitur, vt inde cõstet, quomodo possit esse proprietas eius, & cum illo conuerti. Possunt ergo varij modi explicandi veritatem excogitari.

A

Prima sententia circa quid sit improbatur.

V. PRimus est, veritatem transcendentalem significare quandam proprietatem realem absolutam & ratione ratiocinata distinctam ab ente. Ita sentiunt quidam Thomistæ moderni. 1. par. quæst. 16. & putant esse sententiam D. Thom. quæst. 1. de verit. art. 8. Capreoli in 1. distin. 19. q. 3. concl. 3. Soncin. 6. Metaph. q. 17. Iauel. tracta. de transcendentalibus cap. 5. Probatur, quia veritas est realis perfectio; ergo dicit rationem realem, non relatiuam: ergo absolutam; & non est nomen synonimum idem significans, quod entitas; ergo dicit perfectionem saltem ratione distinctam ab entitate. Primum antecedens patet, tum quia rem esse veram non est aliquid fictum, imò hoc ipsum videtur excludi nomine veritatis; tum etiam quia res omnes ex se sunt veræ, & non ex intellectus consideratione, tum præterea quia veritas in Deo est magna perfectio; & illa est mensura veritatis creatæ: tum denique, quia cùm veritas sit proprietas entis, non potest non esse perfectio realis. Quòd verò illa relatiua non sit, facilè inferiùs probabitur. Quòd denique veritas & entitas non sint idem tanquam synonima, constat ex communi modo concipiendi omnium, & ex diuersis definitionibus, quibus earum conceptus obiectiuè à nobis explicantur; necesse est ergo saltem ratione ratiocinata distingui. Imò, secundum sententiam Scoti suprà tractatam cùm de his passionibus in communi ageremus, dicendum esset, distingui formaliter ex natura rei.

B

VI. Sed in hac sententia, & in omnibus sequentibus obseruandum est, aliud esse loqui de toto illo, quod includit veritas in essendo; aliud verò de eo, quod addit veritas supra entitatem, seu (quod idem est) verũ supra ens. Priori modo admittimus veritatem entium realium dicere perfectionem realem, vt argumenta facta probant, & alia quibus suprà ostendimus vnitatem non dicere solam negationem, sed entitatem sub negatione: sic enim nunc asserẽdum est, veritatem non dicere solam rationem extrinsecam, vel intellectu fabricatam, sed esse entitatem sub aliqua alia ratione significatam, vel addendo aliquid, quod nunc inquirimus. In hoc ergo sensu vera est dicta sententia, & reuera D. Tho. Capreol. & antiquiores Thomistæ nihil aliud intendunt, moderni verò plus significare videntur.

C

VII. Alio ergo modo intelligi potest, veritatem addere enti supra rationem essentiæ, vel entitatis proprietatem absolutam & realem. Et hoc sensu existimo, falsam esse prædictam sententiam. Et primùm si intelligatur de perfectione ex natura rei distincta sufficienter probari potest, tum argumentis suprà factis contra Scotum de passionibus entis in genere, tum ex suprà dictis de distinctionibus ex natura rei. Nam hîc non potest interuenire realis distinctio rei à re, vt omnes fatentur, quia nullum est fundamentum ad fingẽdam talem distinctionem: neq; etiam potest esse distinctio modalis, tum quia nullum indicium distinctionis inter talem modum & ens excogitari potest, sunt enim omnino inseparabilia, ita vt vix possint etiam intellectu præscindi, vt statim dicam. Tum etiam, quia nulla res intelligitur esse vera per modum superadditum, sed per suam entitatem, quam si habeat etiamsi omnem alium modum separes, intelliges manere veram rem, vel in ratione entis, vel in ratione talis entis, quale aptum est, tali entitate constitui. Atq; hæc ratio cum proportione applicata probant etiam, non posse veritatem addere supra entitatem perfectionem aliquã ratione ratiocinata, condistinctam ab entitate: nam si ita condistinguuntur, vt neutrum extremum in præciso conceptu alterius includatur (sic enim loquimur) separetur ratione veritas ab ente, & argumentor de vtroq; extremo. Ens sic præcisum est intelligibile quantũ est ex se, tum quia directo & proprio conceptu ab intellectu concipitur, tum etiam, quia, quantùm vnumquodq; habet de esse, tantùm habet de intelligibilitate, vt aliàs dixit D. Th. q. 16. 1. part. art. 3. ergo ens in illo præciso conceptu includit omnem perfectionem realem, quę requiritur ad rationem veri: quia hoc ipso, quod ens est intelligibile, verum est; nam hoc sensu dicitur verum esse obiectum intellectus, & quia inter omne ens intelligibile, & intellectum potest esse conformitas. Ex alio verò ratione etiam sumitur argumẽtum, nam aut veritas sic præcisa intelligitur includere entitatem realem, & sic non præscinditur dicto modo; vel illam non includit, & sic non dicet perfectionem realem. Et hoc totum significauit D. Thom. dist. q. 16. 1. par. art. 3. ad 3. dicens. *Quamuis ens possit apprehendi non apprehensa ratione veri*, id est, includendo illam expresè ac formaliter; *tamen econtrario non posse apprehendi verum, quin apprehendatur ratio entis: quia ens cadit in ratione veri: neq; etiam posse apprehendi ens, nisi ad eam apprehensionem ratio veri consequatur*, id est, quin ipsum ens, quantumuis præcisè conceptum, verum fit, & sub ratione veri apprehẽdi possit, etiamsi nulla perfectio absoluta ei addatur. Et addit exemplum dicens. *Et est simile si comparemus intelligibile ad ens, non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile, sed tamen potest intelligi ens, ita quod non intelligatur eius intelligibilitas; & similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligendo ens intelligitur verum.*

D

VIII. Præterea argumentor secundò inquirendo, quæ nam sit hæc perfectio absoluta, quam verum addit suprà ens: non enim potest intelligi ita absoluta, vt nec respectum transcendentalem aut secundum dici (vt vocant) includat, vt etiam prædicti authores fatentur ex communi omnium conceptu: nam omnes concipiunt veritatem per conformitatẽ inter rem & intellectum, vel in ordine ad illam, nec facilè fingi posset aut explicari talis ratio realis omnino absoluta, & distincta à ratione entis, in qua veritas consistat. Si autem dicatur hæc ratio absoluta cum respectu transcendendali, vel explicata per modum respectus, ille esse non potest nisi in ordine ad aliquem intellectum, sed veritas vt explicata per talem respectum, non potest esse aliud, quàm entitas ipsa cum eodem respectu; neque suprà eam addere potest rationem realem absolutam etiam ratione distinctam: ergo. Maior probatur ex dicta veritatis definitione, quæ declarat veluti primam conceptionem eius. Nam veritas adæquationem quandam & conformitatem significat, sed non omnis conformitas rationem veritatis habet, æqualis enim inter duas res, & similitudo, est conformitas quædam, & non dicitur veritas: ergo veritas dicit specialem rationem conformitatis, quæ non potest esse alia, nisi quæ in ordine ad intellectum sumitur, seu explicatur.

S

Universidad de Deusto
Biblioteca

catur. Vnde probatur minor, quia hæc conformitas A ad intellectum duplex intelligi potest, scilicet actualis, & aptitudinalis. Actualis in hoc tantùm consistere potest, quod res talis sit, qualis actu intelligitur: aptitudinalis verò in hoc, quod res sit talis, vt vero ac proprio conceptu talis rei intelligi possit. Sed neutro ex his modis additur supra entitatem rei aliqua realis perfectio absoluta, qui actu intelligi nihil addit entitati intellectę vt sic: ergo neq; ré esse talē qualis intelligitur, potest illi addere rationem realem absolutam. Rursus hoc ipso quod ens est ens vel tale ens, si in alio sit vis ad intelligendum aptum est adæquari vero conceptui: ergo nō solùm superfluum, sed etiam impossibile est, quod hæc actualis, vel aptitudinalis conformitas addat enti aliquam perfectionem absolutam, etiam ratione distinctam. Sicut impossibile est, quod in albedine esse aptam assimilari alteri dicat perfectionem absolutam additam rationi albedinis; & multo magis impossibile est, quod actualis similitudo addat rationem absolutam intrinsecam ipsi albedini.

Secunda opinio cum variis interpretationibus examinatur.

IX. PRopter hæc ergo esse potest secunda sententia dicens, veritatem addere enti relationem conformitatis ad intellectum: hoc enim concludi videtur ratione proximè facta contra præcedentem sententiam. In hac autem opinione explicāda, possunt varij modi excogitari. Vnus est, vt intelligatur de relatione conformitatis actualis: nam veritas actualem conformitatem significare videtur. Alius est, vt intelligatur de aptitudinali conformitate; & hoc modo dicunt aliqui, nihil aliud esse veritatem transcendentalem, quàm intelligibilitatem entis; quæ intelligibilitas non solùm dicit denominationem extrinsecam à facultate, quam res intellectiua habet ad intelligendum omne ens, sed ex parte ipsius rei intelligibilis dicit aptitudinem quandam vt intelligi valeat, quæ addit relationem ad intellectum, cui, quantum est ex se, potest conformari. Rursus quidam intelligunt, hanc relationem sumēdam esse tantùm in ordine ad diuinum intellectum: quia ab illo res omnes pendent per se, non verò ab C alijs; imò ad illos per accidens comparantur. Alij existimant, sumendam esse in ordine ad quemcunque intellectum, quia res de se est intelligibilis à quocunque, & ita est de se apta conformari omnibus vnde ad omnes dicere potest prædictam relationem, sicut color, in quantum visibilis, dicit relationem ad omnem visum, etiamsi ab illo non pēdeat. Denique quidam existimant hanc relationem esse realem, quoniam veritas reale quid est, & in rebus existit. Alij volunt esse relationem rationis, quia non requirit existentiam, nec distinctionem extremorum; quod sentiunt Dur. Capr. Caiet. locis citatis & citandis, & fauet D. Thom. 1. dist. 19. quæst. 5. art. 1. Alij tandem putant illam relationem interdum esse realem, sæpè verò rationis iuxta capacitatem extremorum: vt Soncin. & Iauel. suprà, Ferrar. 1. cont. Gen. cap. 60. fauetque D. Thomas, quæst. 1. de veritate artic. 2. & libro 1. de interpretat. lect. 3.

X. Sed, vt intelligamus, quid veritatis vel falsitatis esse possit in his dicendi modis, supponendum est, hanc sententiam (vt sit ab alijs distincta) intelligendam esse de propria relatione, quam prædicamentalem vocant, si sit realis, vel similem illi, si sit rationis. Nam, si latè sumatur relatio pro omni transcendentali habitudine, vel pro qualibet denominatione quæ ex consortio plurium rerum consurgit; sic sententia hæc in vno sensu coincidet cum præcedenti, in alio verò cum ea quam posteà tractabimus. XI.

Primò igitur existimo denominationem non esse sumptā ex aliqua relatione rationis in dicta proprietate sumpta, quia veritas nec huiusmodi relationem dicit, nec entitatem sub tali relatione. Probatur ratione sæpè repetita, quia passio entis realis non potest consistere in prædicta relatione, neque illam formaliter includere. Deinde, quia talis relatio non est, nisi dum consideratur aut fingitur: veritas autem rerum non requirit huiusmodi fictionem, quin potiùs, vt suprà dicebam, cum ipso veritatis nomine quandam habet repugnantiam. Item Deus ab æterno est verus transcendentaliter secundum completam & exactam rationem veritatis, & tamen nec fingit relationes rationis, nec illas requirere potest; vt verus Deus sit & dicatur. Deniq; hæc relatio non est, nisi per reflexionem & comparationem intellectus; antequam & hoc ens est verum aurum v.g. & tale esse cognoscitur. B

Secundò videtur certum, loquendo in communi de vero transcendentali, vt abstrahit ab ente creato & increato, non posse consistere, aut requirere formaliter relationem realem ad alterum, in ordine ad quod veri denominatio sumatur. Patet, quia in Deo non potest veritas transcendentalis huiusmodi relationem includere, quia vel illa veritas consideratur in Deo, vt Deus est, quomodo dicimus tres personas esse vnum verum Deum: vel consideratur in singulis personis secundum proprias relationes, vt hoc Theologis demus. Priori modo Deus nullam habet relationem realem: quia neq; ad aliquid extra se, vt constat, neq; ad aliquid intra se: quia vera diuinitas nullā in re distinctionem habet ab his omnib. quæ intra Deum sunt. Item, quia illa relatio, si quæ est, debet esse ad intellectum, vel ergo est ad intellectum vt causantem; & hæc non habet locum in vera diuinitate, quæ causam non habet; vel est ad intellectum vt intelligentem: & hæc non potest esse relatio realis ad intrà, cùm sit eiusdē ad se ipsum. Posteriori etiam modo non potest esse realis relatio. Primò, quia in Deo non sunt aliæ relationes reales, præter relationes quæ comitantur origines, in quibus nullæ aliæ fundari possunt. Deinde, quia in Patre v.g. non potest illa relatio veritatis esse ad intellectum vt præducentem; quia persona Patris nō est producta neque vt intelligentem: quia est relatio eiusdem ad se ipsum. In Filio item, quamuis sit persona producta, non potest veritas filiationis consistere in relatione cōformitatis ad intellectum vt producentem, seu, quod idem est, vt habentem ideam, vel exemplar, quo talis res producitur: quia Verbum diuinum non producitur per ideam; sed est ipsa imago, vel exemplar a Patre naturaliter productum. Neque etiam potest dicere relationem realem conformitatis ad intellectum vt intelligentem: quia sic etiam in Verbo talis relatio est eiusdem ad se ipsum. Nam, licet Verbum intelligatur etiam à Patre, & ipsum etiam intelligat Patrem, tamen vt sese mutuò intelligunt, non distinguuntur ab intellectu, & ab actu, quo se intelligunt. Et eadem ratio cum proportione applicata locum habet in Spiritu sancto. In Deo ergo nulla est relatio realis conformitatis, in qua veritas possit consistere; & consequenter nec veritas entis, vt abstrahit à creato, & increato, potest hanc relationem realem A requirere.

XII. Probatur in creatis entibus. Tertiò, etiamsi contractiùs loquamur de ente creato, eiusq; veritate transcendentali, vt videntur loqui, qui dicunt, veritatem huius entis consistere in conformitate ad intellectum diuinum, vt in se continet exemplaria seu ideas creatorum entium: quamuis (inquam) de hoc ente loquamur, non existimo, veritatem hanc consistere in aliqua relatione reali propria, & prædicamentali huiusmodi entis ad ideam diuinam. Quod aliqui probant, quia illa relatio conformitatis quæ ad veritatem requiritur, communis est in his entibus, siue existant, siue non existant: ergo non potest esse relatio realis. Sed hæc ratio non est magni momenti. Primò quidem, quia fortasse assumit falsum: nam, vt suprà dicebam, creaturæ consideratæ tantùm secundum esse essentiæ, non habent veritatem essentiæ ex conformitate ad diuinam mentem, seu ideam: non enim homo est talis essentiæ, quia talis cognoscitur à Deo, sed potiùs ideò talis essentiæ cognoscitur, quia talis est essentialiter. Deinde, posita illa relatione, dicetur esse realis cum proportione sumpta: nam in ente creato in potentia tantùm existente est veritas, etiam tantùm in potentia: eodem ergo modo esse potuit relatio realis in potentia: eodem autem ente actu existente, sicut est veritas realis in actu, ita & esse poterit relatio realis in actu. Aliter ergo probari potest, illam relationem non esse realem, quia alias daretur processus in infinitum in tali relatione, nam etiam illā relatio haberet ideam cui esset cōformis, & illa per aliam relationem, & sic in infinitum: sed hæc ratio omnibus ferè relationibus communis est præsertim his, quæ in vnitate fundantur, vt sunt similitudo, æqualitas, & similes. B

XIIII. Probatur ergo aliter; quia vel est relatio similitudinis, vel relatio effectus ad causam, quæ alio nomine dici solet mensurati ad mēsuram. Non primum, quia relatio similitudinis propriè non est, nisi quæ fundatur in vnitate, vel conuenientia formali: inter creaturam autem & ideam, quam habet in Deo, non est talis conuenientia formalis, sed solùm intentionalis, seu idealis, sicut inter speciem intentionalem & obiectum visibile non est propria relatio similitudinis, quāuis sit intentionalis repræsentatio. Nec C secundum dici potest, quia idea vel exemplar artificis non habet alium influxum immediatum in effectum præter eum, quem habet artifex vt causa perfecta efficiens est, neq; per aliam actionem, nisi qua efficiens est, quia exemplar, vt sic, non habet aliam causalitatem, quàm dirigere actionem agentis, ergo in effectu non resultat alia relatio, nisi quæ consequitur ex vi actionis, agentis, vt agens est: ergo non habet aliam relationem realem conformitatis, vel dependentiæ ad exemplar. Quod si dicas, effectum pendere ab exemplari quoad specificationē, ab efficiente verò vt sic quoad exercitium: hoc ipsum cōuincit, in effectu nō resultare specialem relationem ad exemplar, sed solùm eam, quæ est ad causam efficientem, quia vnica est causalitas & actio, qua res fit, & in tali specie fit, & illa distinctio quoad exercitiū, & specificationem, in præsenti solùm est secundum rationem, & accommodationem, non secundum rem. Imò exemplar non comparatur ad efficiens vt causa distincta, sed vt constituens illud suo modo in actu primo ad efficiendum: ergo neq; in effectu resultat multiplex relatio, sed sola illa, quæ est effectus ad suam causam efficientem.

XV. Dicetur fortasse, argumentum quidem probare has relationes non esse distinctas, nihilominùs tamen verùm esse relationem creaturæ in sua essentia includere, vt sit relatio conformitatis ad ideam creatoris, sicut actio ipsa creatoris in sua essentia includit quod sit ab idea. Sed quicquid sit de tali relatione reali, & siue distincta sit, siue non, probo vlteriùs non posse in illa consistere rationem veritatis entis creati. Primò illa ratione generali suprà dicta, quòd passiones entis non possunt addere enti modum realem positiuum, neque absolutum neque respectiuum. Secundò, quia aliud est relationem consequi ex alio, aliud verò formaliter illud constituere: illa autem relatio, si est, supponit rationem veritatis in ente creato, & illam consequitur: ergo non constituitur formaliter veritas tali relatione. Consequentia est euidens: quia id quod constituitur formaliter per aliquam formam, non potest ipsi formę supponi. Antecedens verò patet primò exēplo sensibili rerum artificialium, nam res arte facta secundum ideam, & regulas artis, non ideò est recta, & conformis arti, quia in se habet relationem aliquā B prædicamentalem ad artem, sed præcisè, quia habet talem figuram, proportionem, &c. qualem ars postulat, & inde posteà sequitur relatio, si verè resultat. Vnde si mente præscindamus talem relationem; vel, si fortasse vera est opinio quæ negat huiusmodi relationes resultantes, nihilominus intelligetur res artificialis vera in genere artificij: ergo idem est in creatura respectu diuinarum idearum, nam comparatur ad illas sicut ad artificem. Deinde explico in hunc modum, quia priùs natura est creatura producta à Deo, quàm ad ipsum referatur relatione prædicamentali creaturæ: ergo & est vera creatura seu verum ens creatum priùs natura, quàm referatur prædicta relatione; & similiter priùs natura est verus homo, aut verus leo: non ergo includitur illa relatio formaliter & intrinsecè in ratione veritatis. Antecedens patet, quia priùs natura est fundamentum, quàm relatio: hæc autem relatio fundatur in entitate creaturę existentis; & ideò supponit illam creatam, & manantem à Deo. Prima verò consequentia patet, quia ens creatum ex vi illius entitatis, quam à Deo habet priùs natura, quàm in illo resultet relatio prædicamentalis, non solùm est intelligibile vero conceptu entis, sed etiam est verè constitutum in tali, vel tali specie entis creati: ergo præcisa tali relatione præintelligi potest esse verum ens, & tale ens: non ergo addit verum vt verum prędictam relationem supra ens.

XVI. Quæ ratio non solùm procedit contra eos qui dicunt, hanc relationem esse realem, sed etiam contra eos, qui dicunt, illam esse relationem rationis, si de formali & actuali relatione loquantur: secus, si de fundamentali, quæ non tam est relatio, quàm concomitantia plurium rerum, vel rationum formalium, seu denominatio ex tali concomitantia sumpta vt suprà declaratum est in veritate cognitionis. Sed prædicta ratio præcipuè procedit de cōformitate actuali ad ideam diuinam, à fortiori tamen probat de simili actuali conformitate ad quamcunq; aliam cognitionem: quia omnis alia relatio posterior est, magisq; extrinseca. Et applicari etiam potest ad relationem aptitudinalem, qua dicitur res apta intelligi vel conformari intellectui habenti propriū, seu verum conceptū eius: hæc. n. denominatio reuera non addit relationem realem in re, quæ intelligibilis dicitur: quia solùm est aptitudo ad quandam ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

trinsecam denominationem, ad quam comparatur A obiectum, vt terminus seu materia circa quam versatur cognitio. Item, quia, vt argumenta facta probant, res est intelligibilis per se ipsam, & non per relationem superadditam, quantum ad id quod ex parte eius requiritur: nam ex parte alterius requiritur facultas ad intelligendum. Item, quia scibile vt sic, non dicit relationem realem ad scientiam, vt omnes docent: & idem est de visibili respectu visus. Deniq; etiam si fingas nullum actu esse intellectum res erit intelligibilis ex se, & vera. Quomodocunq; ergo veritas explicetur, siue per actualem conformitatem, siue per aptitudinalem, non potest in formali, & propria relatione consistere.

Tertia opinio improbatur.

XVII. TErtia sententia excogitari potest, quòd veritas transcendentalis supra ens solùm addat negationem aliquam. Quæ sanè opinio videri potest singularis: quia omnes authores supponunt, verum dicere positiuam denominationem, tamen, si considerentur suprà dicta, videbitur apparens: quia ostē- B sum est non addere veritatem supra ens positiuam rationem absolutam, neque etiam relatiuam rei, aut rationis: ergo nihil relinquitur, quod addere possit præter negationem. Confirmatur ex communi modo declarandi hanc veritatem, vt enim argumē-
Aureol. tatur Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 13. quæst. 3. vt concipiamus & explicemus veritatem alicuius rei, verbi gratia, hoc esse verum aurum, non recurrimus ad exemplaria diuina, neque ad aliquem alium intellectum, vt ex ipso vsu concipiendi, & loquendi constat, sed per negationem id declaramus: dicimus enim esse verum aurum, quod non est fictum, vel apparens tantùm, seu quod habet propriam auri naturam, quam ex proprietatibus, & effectibus colligimus. Vnde hæc veritas magis videtur explicanda per principia intrinseca rei, vt verus homo dicatur, quia essentialibus principijs hominis constat, hoc autem nihil addit supra entitatem rei, nisi negationem fictionis seu apparentiæ. Præterea declaratur à simili, nam, sicut esse idem (vt suprà dicebamus) quamuis per modum positiui significetur, tamen in re nihil addit supra ens, nisi negationem: ita in vero contingere videtur, dicitur. n. C res aliqua vera in tali ratione entis, quia veram naturam, aut propria principia essentialia illius rei habet: dicitur autem habere veram naturam, quia non habet fictam, nec extraneam, & apparentem, sed eā, quæ est propria talis rei; sicq; dicitur verus Deus, vt à falsis distinguatur, & vera diuinitas, vt indicetur non esse fictam, sed quæ ex se talis est. Denique ad hunc modum alia transcendentia à multis explicantur: nam res, quòd significat essentiam, vt realem & ratam, dicitur importare negationem imaginariæ aut fictæ essentiæ; & aliquid, negationem nihili, aut negationem identitatis. Quid ergo mirum, quòd verum etiam per negationem declaretur, quamuis speciem habeat positiuæ proprietatis.

XVIII. Videtur ergo hic modus dicendi non omnino improbabilis, tamen quia nouus apparet, probandus nobis non est, nam ratio & definitio veritatis iuxta communem modum concipiendi omnium, qui de veritate loquuntur, includit, vel connotat aliquo modo habitudinem ad intellectum, seu ad potentiam cognoscentem; & non per modum negationis, vt per se constat; ergo per modum conformitatis, quæ vt positiuum aliquid concipitur. Deinde, quia potius falsitas rei in negatione posita est, vt infrà dicetur, quia dicit carentiam perfectionis debitæ ad veritatem rei: ergo veritas non addit de formali negationem illius carentiæ perfectionis debitæ, neque negationem fictæ naturæ, sed propriam, & positiuam rei perfectionem. Denique, quamuis hæc simplicia sæpè explicentur à nobis per negationem (quod solùm probant coniecturæ adductæ) non tamen propterea significant formaliter talem negationem.

Quarta opinio.

XIX. ESt ergo quarta sententia, hanc veritatem solùm esse denominationem extrinsecam. Ita sentit Caietan. Caiet. 1. par. quæst. 16. art. 6. in fine. Vbi solùm agit de rebus creatis, quas dicit esse veras denominatione extrinseca, vel à veritate diuina, quatenus sunt signa eius, eamq; imitantur, vel à veritate creata speculatiuè intellecta, quatenus sunt, vel esse possunt causa eius. Ratio eius est, quia ita se habet verum ad cognitionem & res: sicut sanum ad animal habens sanitatem, & ad medicinam, &c. nam sicut, ablata sanitate quæ formaliter est in animali, reliqua non denominarentur sana, ita ablata veritate cognitionis, reliqua non denominarentur vera: ergo, sicut animal dicitur sanum intrinseca denominatione, reliqua verò tantùm extrinseca, ita intellectus est, qui formaliter & intrinsecè denominatur verus; alia verò tantùm extrinseca denominatione, quatenus sunt signa, vel causæ veritatis intellectus. Non declarat autem Caietanus quid dicendum sit de veritate qua Deus dicitur verus, fortasse tamen diceret, etiam in eo significare denominationem extrinsecam non signi, sed causæ, vt scilicet Deus dicatur verus, qui potest veram sui cognitionem causare, vel propriè in alienis intellectibus, vel improprie & secundum rationem tantùm respectu sui intellectus, in quantum potest per modum obiecti esse suo intellectui ratio formandi de se ipso verum conceptum Dei.

XX. Quod si obijcias, quia hæc ipsa virtus causandi vel essendi sufficiens ratio obiectiua talis cognitionis est intrinseca ipsi enti. Item, quòd, cùm cognitio Dei sit ei maximè intrinseca, non potest ab illa extrinseca denominatio sumi. Responderi potest ad priorem partem, virtutem quidem seu perfectionem illam esse intrinsecam, denominari tamen veram, seu veritatem ab extrinseco: sicut etiam in medicina virtus causandi sanitatem intrinseca est, tamē ratio sanitatis in illa est extrinseca. Ad alteram partem dicetur, quòd, licet cognitio, qua Deus se cognoscit, sit illi maximè intrinseca; & ideò intrinsecè denominet illum cognoscentem; tamen denominatio cogniti, vt sic per se ac formaliter est extrinseca, accidità; illi, vt forma à qua sumitur, sit intrà rem, quæ cognita denominatur.

XXI. Hæc sententia quantum ad aliquid, clara est, nimirum, quòd verum supra ens non addit nisi concomitantiā alicuius extrinseci, vt infrà ostendemus, quatenꝰ verò dicit res solùm per denominationem extrinsecam denominari veras, videtur hæc sententia difficilis. Primò, quia Arist. dicto loco 2. Metaph. tex. 4. sentit aliquam veritatem consequi ad omnia entia, quod etiam docet, D. Thom. 1. contra Gent. cap. 60. ratione vltima, distinguens duplicem veritatem, scilicet intellectus, & rei, & de posteriori exponens definitionem Auicennæ tract. 1. suæ Metap. capit. 6. & tractat. 8. cap. 6. *Veritas rei est proprietas esse*

Quæritur obiectio præcedentis opinionis.

Auicenna.

esse vniuscuiusq; rei, quod stabilitum est ei. Et 1. par. quæst. A 16. artic. 1. de eadem veritate exponit definitionem Aug. libr. de vera religione, cap. 36. dicentis. *Veritas est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est*: & definitionem Anfel. dialog. de veritate cap. 12. *Veritas est rectitudo solà mente perceptibilis.* In quibus omnibus significatur, veritatem rei esse aliquam intrinsecam formam & perfectionem eius. Vnde Augustin. suprà. *Vera* (inquit) *in tantum vera sunt, in quantum sunt: in tantum autem sunt, in quantum principalis vnius similia sunt.* Vnde addit, veritatem esse, *formam verorum. sicut similitudo est forma similium.* Præterea D. Thom. quæst. de verit. art. 4. quamuis multùm videatur fauere opinioni Caietani, tandem tamen dicit: *Quamuis veritas secundum quam omnes res dicuntur veræ, minus propriè veritas dicitur: tamen ab illa denominatur res veræ, sicut à forma inhærente, nihilque aliud esse, quàm entitatem intellectui adæquatam.* Et idem sentit ibidem artic. 5. & 6. Est ergo hæc veritas aliquid intrinsecum rebus, & non tantùm denominatio extrinseca. Ratione hoc confirmari potest primò, B quia sola extrinseca denominatio non potest propriè inter rei proprietates numerari; veritas autem dicitur ab omnibus proprietas entis; ergo non est tantùm externa denominatio. Maior patet, quia proprietas debet ab intrinseco conuenire: denominatio autem extrinseca accidentariè & ab extrinseco conuenit. Quod maximè verum est de denominatione illa, quæ solùm per analogiam sumi dicitur ex proportione vel habitudine ad aliud: nemo enim dixerit, sanitatem vt sic, esse proprietatem cibi, aut vrinæ; vel risibilitatem esse proprietatem prati florentis, quia hæc prædicata solùm quasi metaphoricè conueniunt, illis subiectis.

Qualiter Augustinus. Qualiter Anselmus.

XXII. Dices, quamuis hæc prædicata quoad impositionem vocum sint Metaphorica, tamen reuera significant quasdam proprietates earum rerum, quibus attribuuntur; & hoc modo sanitas dici potest proprietas talis cibi, non quoad ipsam formalem sanitatem, sed quoad id, quod per talem denominationem sani declarari intenditur. Sed contrà, nam hinc saltem rectè colligimus, sanitatem non esse proprietatem cibi distinctam ab illa, quæ per talem metaphoram declaratur: quòd si illa non esset proprietas, sed essentia ipsius cibi, certè sanum non significaret proprietatem, sed essentiam cibi. Sic ergo in præsente, si verum tantùm dicitur de rebus per analogiam, & extrinsecam denominationem à veritate intellectus, interrogo quid indicetur, vel significetur in ipso ente per hanc metaphoram, vel habitudinem. Aut enim indicatur sola rei entitas, & sic verum non est proprietas entis, sed solùm differt ab illo, quod verum metaphoricè significat id, quod ens significat cum proprietate: sicut ridere non est in prato alia perfectio ab ea, quæ est esse viride vel floridum, sed est eadem metaphoricè significata. Aut per illam veri appellationem analogam indicatur in ente aliquid ab entitate diuersum; & de hoc inquirimus quid sit, & an sit sola denominatio extrinseca: nam, si ita est, non poterit esse proprietas entis, si autem est aliquid vltra denominationem extrinsecam, quoad id ratio veri intrinseca erit, quidquid sit de impositione vocis an ab extrinseco desumpta sit.

XXIII. Et confirmatur, quia, si veritas esset sola denominatio extrinseca, tam posset conuenire entibus rationis, sicut realibus, quia huiusmodi denominationes sumptæ ex cognitione tam possunt conuenire entibus rationis, sicut realibus, vt esse genera, species, verè cognosci, significari, & similia. Quod si dicatur formaliter ita esse, fundamenta autem harum denominationum aliter conuenire entibus realibus: contra hoc vrgeo semper rationem factam: quia hoc fundamentum in hac denominatione veri vel est aliquid præter ens, vel non: si est aliquid, quæro, quid illud sit, an extrinsecum, vel intrinsecum; & redeunt argumenta facta, si non est aliquid, ergo verum prout est in rebus, non est proprietas entis, sed ipsum ens. Simile argumentum fieri potest, quia sequitur id, quod est perfectius ens, non esse perfectius verum veritate rei, quod est apertè contra Arist. & D. Thom. suprà, & contra communem sensum omnium: quis enim dicat non esse verius ens in ratione entis angelum, quàm hominem; vel etiam Deum, quàm angelum? Sequela verò patet, quia in denominatione illa, quæ sumitur ex veritate intellectus, non possunt habere inequalitatem: quia tam vera est idea, quam Deus habet de homine, sicut idea, quam habet de angelo, tantaque est conformi- B tas inter illa extrema, sicut inter hæc, & tam vera est cognitio quam Deus habet de angelo, sicut quam habet de se ipso.

Quæstionis resolutio.

XXIIII. IN hac opinionum varietate difficile est, verum iudicium de veritate ferre, & fortasse difficultas inde orta est, quòd non satis in vsu harum vocum distinguimus id, à quo earum impositio sumpta, vel translata est, & ad quòd significandum imponuntur: fieri enim potuit, & verisimile est, omnem veri appellationem ex veritate cognitionis duxisse originem, vt Sect. seq. commodiùs dicam: nihilominus tamen nomine veri non significari in rebus solam denominationem sumptam ex veritate cognitionis, sed aliquid aliud, ad quod significandum nomen illud impositum est. Vt ergo hoc declarem, di- Quid intrinsecè dicat veritas transcē- dentalis. co primò, veritatem transcendentalem intrinsecè dicere entitatem realem ipsius rei, quæ vera denominatur, & præter illam nihil ei intrinsecum, neq; absolutum, neq; relatiuum, neq; ex natura rei, nec sola ratione distinctum, addere, Hæc conclusio satis C probata est ex dictis in prima sententia, & sumitur clarè ex D. Thom. cit locis, & quæst. 1. de verit. art. 1. ad 6. & art. 8. Capreol. Caiet. Ferrar. & alijs suprà in prima opinione citatis. D. Thom. Caietan. Ferrar.

XXV. Dico secundo, veritatem transcendentalem significare entitatem rei connotando cognitionem seu conceptum intellectus, cui talis entitas conformatur, vel in quo talis res repræsentatur, vel repræsentari potest prout est. Hæc conclusio probatur et- Quid connotet veritas transcen- dentalis. iam ex dictis à sufficiente partium enumeratione. Et existimo, quāuis authores diuersimodè loquantur, omnes ferè hanc eandem rem docere voluisse. Eamque in hunc modum explico. Existimo enim, hunc veri entis conceptum esse virtualiter comparatiuum vnius rei, vel naturæ ad proprium conceptum eius rei, quæ vera esse dicitur: vt verbi gratia, ad profitendum Eucharistiæ mysterium, dicere solemus hostiam consecratam esse verum corpus Christi Domini, vbi per *verum corpus*, nihil aliud significamus, quàm illud idem corpus, quod per proprium ac verum conceptum corporis Christi repræsentatur. Et similiter ad confitendum mysterium Incarnationis dicimus, Deum esse verum hominem, id est, habere illam naturam, quam in essentiali specie hominis verè concipimus. Et hinc dixit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Heruæus quodlib. 3. quæst. 1. art. 2. & 3. hanc veritatem esse cõformitatem rei prout est in se ad se ipsam vt obiectiuè conceptam: Durandus verò in 1. dist. 19 q. 5. econtrario dixit, hanc veritatem esse conformitatem rei secundum esse obiectiuum ad se ipsam secundum esse reale: vterq; enim intellexit hanc veritatem nihil rei addere præter denominationem ortam ex coniunctione & proportione, seu conformitate inter intellectum & rem: Sed ipsi declarant per conceptũ obiectiuum, quod nos per formalem; tamen quia conceptus obiectiuus nihil præter rem addit, nisi denominationem termini conceptus formalis, ideò non rectè explicatur conformitas inter rem, & cõceptum obiectiuum, sed inter rem potiùs & conceptum formalem seu ideam. Atq; idem existimo sensisse eos, qui dicunt, verum addere supra ens relationem rationis conformitatis entis ad intellectum, vt significat S. Th. in 1. d. 19. q. 5. art. 1. hoc enim, vt verum sit, non est intelligendum de relatione propria & actuali, sed de illa mutua cõnexione rei & conceptus, & connotatione vnius vt correspondentis alteri, quæ, quia per modum relationis à B nobis concipitur, relatio rationis dici solet. Deniq; in hoc sensu facilè applicatur ad hanc veritatem illa vulgaris veritatis definitio, quòd sit *conformitas inter intellectum & rem*: illa enim conformitas non intelligitur esse relatio aliqua, vt suprà in veritate cognitionis explicatum est, sed denominatio sumpta ex consortio plurium ita se habentium, vt tale vnum sit, quale ab alio repræsentatur.

XXVI. Dico tertiò, hanc veritatem transcendentalem posse, & per modum aptitudinalis, & per modum actualis conformitatis explicari: & in ordine ad intellectum diuinum, & ad creatum: & in ratione cogniti & cognoscentis; si vniuersaliter de ente vero loquamur, vel in ratione causati, & causæ, vel mensurati & mensuræ, si de ente creato seu artificiali sermo sit. Declaro singula, nam inprimis, quòd hæc veritas dicere possit conformitatẽ actualem, omnes fatentur, & ex ipso nomine veritatis & conformitatis constare videtur, magis enim significat actum, quam aptitudinem. Item veritas cognitionis dicit actualem conformitatem & commensurationem: ergo idem est, pportionaliter de veritate rei. Quòd C si obijcias August. libr. 2. Soliloquiorum, cap. 5. dicentem, *Verum non rectè dici esse id, quod ita se habet, vt videtur cognitori: quia secundum hoc nihil esset verum si nullus cognosceret*; Respondebimus, secundum hanc denominationem non esse illam definitionem reijciendam absolutè & simpliciter, si intelligatur, vt intelligi debet de cognitore verè attingente rem ipsam. Vnde etiam admittimus, illam conditionalem esse veram, tamen sicut antecedens est impossibile saltem respectu intellectus diuini: ita & consequens. Vnde D. Thom. 1. par. quæst. 16. artic. 1. ad 1. tractans hunc locum Augustini dicit, solùm excludere comparationem ad intellectum creatum.

Augustini dictum explicatur.

XXVII. Præterea, quod hæc veritas possit etiam per aptitudinalem conformitatem declarari, sumitur ex illo eodem loco Augustini, vbi post illa verba, *Verum est, quod ita se habet, vt videtur cognitori*; additur; *Si velit & possit cognoscere.* Quæ verba aptitudinem significant. Clariùs Anselmus dialog. de verit. cap. 9. dicit veritatem esse, *Rectitudinem sola mente perceptibilem.* Et D. Thom. dicta quæst. 16. art 5. dicit, *veritatem inueniri in re secundum quod habet esse conformabile intellectui*; & 1. cont. Gent. cap. 60. declarans definitionem Auicennæ, *Veritas rei est proprietas esse vniuscuiusque rei, quod stabilitum est ei*, addit, *In quantum talis res nata est facere de se veram æstimationem.* Et probatur, quia omne ens reale natum est facere de se veram æstimationem, quomodo omne ens intelligibile dicitur, siue sit principium cognitionis, siue tantùm terminus: hæc enim aptitudo de se abstrahit ab his modis: ergo nihil impedit, quominus hæc possit nomine veri seu veritatis significari. Et confirmatur. nam licet sit impossibile esse aliquod ens, quod actu non verè cõcipiatur ab aliquo intellectu saltem diuino: nihilominus tamen, etiamsi intellectus apprehendat illam hypothesim impossibilem in re positam, nimirum quòd omnis intellectus, etiã diuinus, cessaret ab actuali rerum conceptione, nihilominus adhuc esset in rebus veritas, nam & compositum ex corpore & anima rationali esset verus homo, & aurum esset verum aurum, &c. vel secundum veritatem essentiæ, si intelligamus nõ manere res existentes, vel etiam secundum existentiam, si fingamus, cessante actuali cognitione adhuc conseruari res existentes à Deo operante per suam potentiam ex- Obiectum fit fictũ. equentem: ergo hæc veritas intelligi potest sufficienter per illam actualem conformitatem, etiamsi actualis non sit. Dices, simili argumento posset probari conformitatem aptitudinalem non esse necessariam, nam etiamsi fingatur alia hypothesis impossibilis, scilicet, quod res nec intelligatur, nec possit ab aliquo intelligi, & quòd maneat in sua essentia: vel existentia, nihilominus vnaquęque res in sua essentia vera esset: & tamen tunc non intelligeretur, vt apta ad faciendam veram de se æstimationem, quia non esset apud quem posset illam facere: ergo etiam illa aptitudo non est de ratione veritatis. Respondetur primùm, illam posteriorem hypothesim inuoluere magis directam & formalem repugnantiam, cum propria ratione entitatis realis saltem secundũ essentiam, nam de ratione eius est, vt sit possibilis, & consequenter ac multò magis vt sit intelligibilis. Deinde facta illa hypothesi posset res dici vera fundamentaliter, seu non repugnanter, non tamen positiuè ac formaliter: quia tunc non esset possibilis veritas cognitionis, & consequenter omnis veri denominatio cessaret.

XXVIII. Veritas maximè stãdum ad diuinum intellectum. Præterea ex his facilè constat, hanc appellationem seu conformitatem potissimè ac per se esse sumendam in ordine ad intellectum diuinum, vt D. Thom. docet d. q. 16. art. 1. & alijs locis. Primò, quia conformitas ad hunc intellectum est maximè per se in omnibus rebus; in creatis quidem propter dependentiam, quam ab illo habent; in ipso verò ente increato propter intrinsecam & essentialem identitatem cum suo intellectu, & actuali intellectione. Deinde quia in diuino intellectu est summa & infallibilis veritas, & perfectissima rerum omnium ratio, seu repræsentatio: ergo tunc res maximè dicitur vera, quando conformari potest conceptui, quem de tali re Deus habet.

XXIX. Secundariò in ordine ad creatum. Quod autem etiam sumi possit in ordine ad intellectum creatum quamuis secundariò, docet expresè D. Tho. quæst. 1. de verit. locis cit. Et potest facilè declarari ex dictis: quia hæc conformitas quam dicit veritas, potest non solùm de actuali, sed etiam de aptitudinali intelligi: at verò secundum aptitudinem, omne ens natum est habere veram sui æstimativnem in omni intellectu, nõ solùm diuino, sed etiam creato. Vnde, si velimus hanc denominationem per modum relationis cõcipere, intelligemus quodlibet ens habere hanc relationẽ intelligibilitatis,

tis, non solùm ad intellectum diuinum, sed etiam ad A quemcunque creatum. Item, quia intellectus creatus est quædam participatio diuini intellectus, cui natus est conformari in intelligendo, si verè intelligit: ergo hoc ipso, quòd ens dicitur verum, quia est conformabile intellectui diuino, poterit etiam dici verum, quia est conformabile intellectui creato verè intelligenti. Tandem hoc probat argumentum illud, quòd nos non semper cognoscimus veritatem rerum per cõformitatem ad ideam diuinam, sed per conceptionem, quam de tali re nos habemus. Atque hoc modo vti solemus definitione talis rei, seu naturæ ad probandum aliquid verè esse tale: definitio enim nihil aliud est, quam explicatio talis naturæ vt à nobis concipitur: potest ergo hæc veritas sumi non solùm ex conformitate ad intellectum diuinum, sed etiam ad creatum.

XXX. Cõformitas veritatis in cõmuni, est conformitas cognoscentia & cogniti. Hoc autem maximè verum habet, si conformitas hæc sumatur solùm in ratione cognoscentis & cogniti, quomodo necesse est sumi, de transcendentali veritate in tota sua latitudine sermo sit. Quia in Deo B non potest aliud genus conformitatis intelligi, cùm non sit ens dependens, neque causatum, vt per se constat, neque etiam propriè dici possit mensuratum in ratione veri per aliquam scientiam, non solùm, quia propter summam identitatem non potest ibi esse ratio mensuræ, sed etiam quia eo modo, quo possunt ratione distingui, & commensurari, potiùs essentia Dei vera est mensura suæ scientiæ, quàm econuerso: non enim Deus ideò verus Deus est, quia talem se esse cognoscit, sed potiùs quia est verus Deus, ideò verè se talem esse cognoscit. Ergo verum transcendentale in tota sua latitudine sumptum nõ potest dicere conformitatem ad intellectum vt ad causam vel ad mensuram, sed tantùm vt ad repræsentantem, seu cognoscentem, vel actu, vel aptitudine. Hoc ergo modo talis conformitas præsertim aptitudinalis, in ordine ad quemcunque intellectum sumi potest, ita vt Deus dicatur verus, quia in quocunque intellectu gignere potest verum cõceptum Dei, vel quia re ipsa in se habet illam naturam, quam in Deo concipit quilibet intellectus verè Deũ concipiens. Et idem eadem ratione est de entibus creatis: nam idem conceptus veritatis potest ad omnia pportionabiliter applicari; & quod in Deo sufficit ad veritatem, si in aliis potest per participationem reperiri, vt re vera potest, sufficiet etiam ad veritatem eorum per participationem.

XXXI. Entia creata intellectui diuino vt obiecti conformantur. Additur verò in vltima parte conclusionis repe- C riri in entibus creatis conformitatem ad intellectũ diuinum vt ad causam & exemplar, ratione cuius possunt talia entia vera denominari, quia etiam illa est vera conformitas ad intellectum vt practicè cognoscentem, & suo modo operantem. Et eadem ratione entia artificialia, quæ ab intellectu humano procedunt, respectu illius habent eandem conformitatem vt ad suum exemplar, vel ideam, & secundum eam vera etiam dici possunt. Imò sentit D. Thomas ab hac conformitate potissimum denominari vera entia creata, quia illa per se eis conuenit: conformitas autem ad alios intellectus speculatiuè cognoscẽtes, est magis extrinseca & per accidens. Quod maximè habet locum in rebus existentibus, & actu creatis: nam res secundum esse essentiæ non habent actu causam exemplarem, sicut neque efficientem: habent tamen in potentia: & ideò si considerentur vt possibiles sunt, per se requirunt exemplaria, & ideas in primo artifice, quæ vnumquodque tale esse

XXXII. Sed obijcies: ergo ratio veritatis transcendentalis non est vna, sed multiplex; quia aptitudinalis, vel actualis conformitas, & speculatiua. vel practica, valde diuersæ sunt. Secundò specialiter obijci potest, quia veritas dicit relationem mensurati ad mensuram, saltem fundamentaliter: ergo non potest veritas rerum sumi in ordine ad intellectum creatum, cuius cognitio non est mensura veritatis rerum, sed per illas potiùs mensuratur. Vnde argumentor tertiò, nam cognitio est vera quia conformatur rebus cognitis: ergo non possunt econuerso res dici veræ per conformitatem ad talem cognitionem: quia inter hæc non est relatio mutuæ seu similis comparationis, qualis est inter duo similia, sed dissimilis seu non mutuæ comparationis, qualis est inter mensuram & mensuratum.

XXXIII. Ad primum aliqui non existimant inconueniens totum id concedere, quod in argumento infertur: quia cùm hæ tantum sint quędam denominationes, quæ ad modum relationum desumuntur, seu explicantur, non est inconueniens ex variis capitibus, & diuersis considerationibus multiplicari. Imò quidam etiam addunt, sub vna ratione esse respectus reales, sub alia verò rationis. Quod saltem concomitanter probabile est, quamuis non sit verum formaliter. Meliùs tamen fortasse dicetur, illos omnes respectus sub vno adæquato cõtineri, seu ad vnum reuocari, nimirum ad illam aptitudinem, qua vnaquęque res nata est veram sui æstimationem conferre: nam illam habet respectu cuiuscunque intellectus, vel cognitionis, & suprà illam nihil addit actualis conformitas, præter denominationem, seu coexistentiam cognitionis. Quod si inde resultet relatio, C quando illa cognitio est practica, & causa rerum, illa supponit potius veritatem, quam constituat, vt circa secundam opinionem ostensum est. Ad secundum respondetur, in rigore non esse necessarium, vt ens dicatur verum in ratione mensurati per cognitionem cui confirmatur: aliàs non posset Deus verum ens dici, vt suprà argumentabar; quia in ratione entis nullam habet mensuram nec secundum rem, nec secundum rationem; & ideò, vt 1. p. q. 14. latiùs dictum est, diuina scientia non comparatur ad suam essentiam suumque vt practica, sed vt speculatiua tantùm. Solùm ergo in veritate cognitionis speculatiuæ verum habet, quod ratio veri sumitur in ratione mensurati: nam diuina etiam scientia practica vt practica est, vera est, quamuis vt sic non habeat rationem mensurati, sed potius mensuręe. Vnde ad tertium respondetur, negãdo consequentiã: quia ipsamet ratio veritatis non eo modo dicitur de cognitione, & de rebus; & ideò non est inconueniẽs, vt secundũ diuersas habitudines cõueniat cognitioni per conformitatẽ ad res, in quantum illas, vt sunt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

repræsentat, & rebus in ordine ad cognitionem, in quantum aptæ sunt vt in ratione obiecti veram sui existimationem inducant.

XXXIII. Veritas transcendentalis non est mera denominatio extrinseca.

Dico vltimò hanc veritatem transcendentalem nõ esse meram denominationem extrinsecam, quãuis includat aliquo modo seu cõnotet coniunctionem alterius rei, vnde illa resultat. In hac conclusione differo ab opinione Caietani, quamuis fortasse non tam sit differentia, quàm explicatio, sententiæ eius. Probatur ergo ex dictis, quia veritas rei intrinsecè includit entitatem eius: ergo non est mera denominatio extrinseca. Antecedens patet ex definitionibus veritatis, quas tradunt Augustin. Anselm. & Auicenna, & ex aliis suprà adductis. Item, quia propter hanc causam entia fictitia non sunt vera entia, & lõgè aliter sunt intelligibilia, quàm vera entia: nam hæc ex se nata sunt apprehendi & cognosci prout sunt: illa verò minimè, sed oportet, vt artificio & vi intellectus aliqua realitatis specie, seu vmbra induantur. Item hac ratione, quò res magis habet de entitate, magis etiam habet de hac veritate; & quod perfectius est ens, id ex se magis intelligibile dicitur. Vnde vlteriùs argumentari possumus: quia esse intelligibile, non est mera denominatio extrinseca: ergo neque esse verum obiectiuè, seu realiter. Antecedens patet, tum ex dictis, quòd intelligibilitas sequitur entitatem rei, tum etiam quia obiectum est natura prius potentia, & ratio illius: ergo supponitur in obiecto aptitudo aliqua ratione cuius aptum sit terminare actum potentiæ, vt, verbi gratia, in colore & sono, respectu visus, & auditus: ergo similiter in ente quatenus intelligibile est, non solùm intelligitur facultas extrinseca, quæ vim habet intelligendi, quamuis hæc necessaria sit, sed etiam ex parte ipsius entis, supponitur aptitudo intrinseca ratio nec, uius potest actum huiusmodi terminare. Præterea hoc confirmant quæ in fauorem primæ opinionis adducta sunt, & alia addemus sectione sequenti.

Corollaria ex superiori resolutione.

XXXV. Increatum & creata entia quo modo vera.

A Tque ex his intelligitur primò, quomodo esse verum conueniat omni enti reali, siue creato, siue increato: quia omne ens de se est aptum conformari intellectui: imò nullum est ens, quod non sit actu conforme alicui intellectui: saltem diuino. Quo fit, vt hæc ratio veri primariò conueniat primò enti, quod est Deus: quia per se & essentialiter includit cognitionem, & cum illa summam ac necessariã conformitatem habet: & quia per se (vt ita dicam) est ratio suæ veritatis; & est origo & mensura omnis veritatis, quæ in creaturis reperitur.

XXXVI. Verum qualiter passio entis.

Secundò intelligitur ex dictis, quomodo Verum sit passio entis. Dicitur enim passio, non quasi sit realis proprietas distincta ex natura rei ab ente, sed latiori modo, solùm quia est quoddam attributũ, quod reciprocatur cum ente, & ab eo aliquo modo distinguitur, saltem secundum rationem, seu connotationem. Primùm constat, quia ostensum est, omne ens esse verum. Constat item ex dictis, omne verum eo modo, quo à nobis explicatũ est, esse ens reale: quia licet entia rationis eo modo, quo cognoscuntur, dici possint habere conformitatem cum intellectu: tamen quia ex se non habent intelligibilitatem, neq; entitatem, in qua fundetur illa conformitas, ideò neq; veritatem habent, quæ est passio entis. Maximè cùm ostensum sit, hanc veritatem dicere entitatem ipsam vt conformẽ. Altera verò pars de distinctione satis etiam est ex dictis explicata. Neq; contra illam procedunt, quæ circa tertiam opinionem Caietani obiiciebamus, quia non asserimus solam denominationem esse proprietatem, sed ipsam entitatem sub tali ratione conceptam. Quo fit, vt per hoc veri attributum nulla noua perfectio, aut realis ratio in ipso ente explicetur, sed solùm declaretur amplius ipsamet ratio entis per habitudinem ad cognitionẽ, eo modo quo à nobis explicata est. Et, quia hæc habitudo accidit quodammodo ipsi enti vt sic; & est aliquo modo saltem secundum rationem posterior illo (quamuis semper sit cum illo coniuncta) ideò verum, quòd per hanc habitudinem declarat natura entis, attributum seu proprietas eius dicitur.

XXXVII. Aristotelis dictum explicatur.

Tertiò intelligitur ex dictis, quo sensu dictum sit ab Arist. in fine lib. 6. Metaph. verum non esse in reb. sed in mente, loquitur enim de veritate complexa, quæ est in cõpositione mentis, & de alio esse vel non esse, quod per huiusmodi complexionem significatur, & ad eius veritatem requiritur. Nam, quia veritas est speciali modo in compositione & diuisione intellectus, vt suprà dixi, ideò veritas quasi per antonomasiam vel analogiam specialiter dici solet de illa veritate, quæ est in compositione & diuisione, quæ in negationibus & affirmationibus æquè reperitur, & per se non requirit reale esse, sed quale per complexionem significatur.

SECTIO VIII.

An veritas per prius dicatur de veritate cognitionis quàm de veritate rei, & quo modo.

I. Dubitandi ratio.

DIximus, veritatem in rebus, & in cognitione reperiri: explicare ergo oportet, quo ordine ac modo vtrisq; conueniat, quod etiam cõferet, vt ampliùs explicata maneat veritatis transcendẽtalis ratio. Videtur ergo, priùs conuenire veritatem rebus, quàm cognitioni. Primò quidem quia verum est obiectum intellectus: ergo ante omnem actum intellectus supponitur veritas: ergo priùs est veritas in rebus, quàm in cognitione. Secundò quia veritas C rerũ vniuersalior est, cùm sit transcendens: ergo est prior: quia vniuersaliora priora sunt natura sua. Imò cũ dictum sit, verùm conuerti cum ente reali, & ipsi conceptus mentis entia realia sint, non alia ratione videntur esse veri, nisi quatenus entia sunt: ergo veritas rerum de se communior est, & prior, quã veritas cognitionis. In cõtrarium autem est, quia omnes authores sentiunt, verum esse quid anologum, cuius principale analogatum est veritas cognitionis, ex Arist. 6. Metaph. in fine dicente veritatem esse tantùm in intellectu formaliter & propriè: in reb. autem vt in causa, vt etiam dicit 9. Metaph. c. 12. In vocibus autem dicitur esse tanquam in signo, quatenus verum, vel falsum significant, vt dicitur 1. Perih. c. 4.

Opiniones variæ.

II. ESt igitur multorum sententia, veritatem primò ac præcipuè reperiri in cognitione; secundariò verò in rebus: imò in sola cognitio ne esse intrinsecè ac formaliter, in rebus autem causaliter, seu obiectiuè. Ita vt, sicut *sanum* est analogũ attributionis, quod de vno tantùm analogato dicitur intrinsecè ac formaliter; de aliis verò per solam denominationem ab illo: ita *verum* sit analogum attributionis eiusdem omnino rationis, quod de cognitione dicetur formaliter,

liter, quia vera est, de rebus verò solùm denominatione sumpta à veritate cognitionis, quatenùs causa illius sunt. Sicut etiam dicitur de veritate locutionis, solùm quatenus est signum illius. Ita sentit Caietan. Caiet. præced. sect. citatus. Et videtur sumi ex D. Thom. dict. q. 16. 1. q. art. 1. 3. & 6. & q. 1. de verit. art. 3. & superA citata loca Arist. Et declarari ampliùs potest ex ipsa veri definitione, prout his omnibus applicatur. Cognitio enim dicitur vera, quatenus est conformis rei, quam repræsentat, non vt res ipsa vera est, sed vt talis est, qualis mente concipitur, & affirmatur seu negatur, vt notauit D. Thom. dicta q. 16. art. 1. ad 3. Res autem dicitur vera, quatenus conformis, vel conformabilis est vero conceptui, quem aliquis intellectus habet, aut habere potest de tali re. Ergo signum est, rationem veritatis per se reperiri in cognitione, in rebus verò non nisi per denominationem ab illa, & nullam esse rationem veri; vtrisque communem. Simili enim rationem concludimus, veritatem in vocibus solum analogicè vt in signo reperiri: quia non sunt veræ, nisi quatenus veram cognitionem significant. Tandem ex modo ipso loquendi & concipiendi omnium, videtur posse hoc satis confirmari: B omnes enim simpliciter loquendo, veritatem attribuunt iudicio intellectus; rebus autem non nisi secundum quid; & ideò simpliciter dicimus intellectum esse verum; alias verò res non dicimus simpliciter veras, sed cum addito, verum aurum, vel quid simile.

III. Alij verò distinctione vtuntur. Nam duobus modis denominari possunt res veræ; vno modo, vt mensura cognitionis, alio modo vt mensuratæ per cognitionem. Priori modo dicuntur res veræ, vt obiecta speculatiuæ cognitionis, quatenus vel conformantur, vel aptæ sunt conformari veritati illius: quia obiectum est mensura talis cognitionis, præsertim si sit obiectum primarium illius. Quod dico propter cognitionem, quam Deus habet de essentiis creaturarum, à quibus non mensuratur, vt suprà dixi: quia non respicit illas vt primarium obiectum, sed vt secundariũ, in primario eminenter contentum, à quo proximè illa cognitio quasi mensuratur. Imò addit Ægid. quodlib. 4. q. 7. neque cognitionem, quã Angelus habet de Sole, verbi gratia, & aliis rebus, quarum habet inditas species, propriè mensurati ab illarum obiectis, sed ab ideis diuinis, à quibus illæ species profluxerunt, de quo aliis: nunc enim satis est, quòd huiusmodi res dicantur veræ, quatenus adæquari possunt intellectui humano, vt mensura eius. Posteriori autẽ modo dicuntur veræ omnes res, quæ ab intellectuali exemplari seu idea manant, illiq; cõformantur tanquam suæ mensuræ. Dicunt ergo, veritatem æquè primò dici de omni adæquatione mẽsurati ad mensuram, quæ inter rem & intellectum seu cognitionem inuenitur, siue illa sit cognitionis siue rei; de adæquatione autem mensuræ ad mensuratum, siue sit cognitionis, siue rei non dici verè ac propriè, quòd sit veritas, sed ad summum dici posse per prædictam analogiam attributionis. Fundamentum huius sententiæ solùm est, quia veritas, vt nomẽ ipsum præ se fert dicit relationem mensurati: nã dicit conformitatem intellectus ad rem: quod enim alteri conformari debet vt verum sit, respicit illud vt mensuram.

IIII. Iuxta quam sententiam sequitur primò, Deum in ratione entis non esse verum, sed solùm in ratione scientiæ seu scientis speculatiuè: quia in quantum est ens, non habet mensuram suę veritatis, & sui esse, nec conformatur alicui intellectui etiam proprio vt mensuratus ab illo, vt suprà dictum est. Nisi velit quis negatiuè explicare, Deum esse verum, quia non est alicui mensuræ seu ideæ difformis, vt in simili explicuit D. Thom. dict. q. 16. art. 5. ad 2. Sequitur secũdò, diuinam scientiam vt practicam non esse veram simpliciter loquendo, quia vt sic non est mensurata, sed mensura rerum. Sequitur tertiò, essentias creaturarum secundum esse essentiæ consideratas non posse veras dici simpliciter, sed tantùm per prædictam analogiam, quia non habent mensuram in ratione essentiæ. Sequitur quartò, absolutè loquendo non esse ordinem prioris & posterioris inter veritatem rerum & cognitionem, sed inter veritatem mẽsuræ & mensurati: quia hęc siue in rebus siue in cognitione existat, dicitur esse propria & formalis veritas; illa verò tãi n reb. quã in cognitione, diciturnon esse veritas, sed solùm relatio mensuræ, quæ per analogiam interdum dicitur veritas. Et hãc opinionem videntur sequi multi ex modernis scriptoribus.

V. Tertia opinio esse potest, aliud esse loqui de prima origine seu impositione huius vocis *verum* seu *veritas*; aliud de proprio significato, quod iam de facto habet. Nam priori modo est quidem verum, per B eam vocem primò significatam esse veritatem cognitionis, seu compositionis & diuisionis: quia illa est nobis notior: nihilominùs tamen iam vocem illã extensam esse non per Metaphoricam translationem, sed per proprietatem ad significãdam veritatem rerum, quæ in ratione etiã veritatis perfectior esse potest, quam veritas cognitionis. Sicut dicere solent Theologi nomina paternitatis, aut misericordię, vel similia, primò esse imposita ad significãdas has proprietates in creaturis; deinde verò extẽsa esse ad significandas similes proprietates Dei, non per Metaphorã, sed per summã proprietatem, & analogiã, in qua primum ac præcipuum analogatum est Deus, vt habẽs huiusmodi proprietates. Fundamentũ huius sententiæ est, quia tam perfecta & propria est adæquatio rei ad intellectũ, sicut est adæquatio intellectus ad rem: ergo ex hac parte nihil obstat, quo minus ratio veritatis æquè conueniat vtrique. Rursus, quod hæc adæquatio sit per modu mensuræ vel mẽsurati, nihil referre videtur, quominus vtroque modo possit & nomen & rationem veritatis obtinere: tum quia nulla sufficiente ratione probatur, rationem veri intrinsecè dicere ac postulare rationem mensurati, neq; ex communi definitione veritatis id colligitur, sed potiùs contrarium: dicitur enim *conformitas inter rem & intellectum*: vbi nihil dicitur de conformitate per modum mensuræ, vel mensurati. Imò, vt notauit D. Tho. locis suprà citatis ex vi illius definitionis non magis dicitur veritas, conformitas intellectus ad rem, quàm conformitas rei ad intellectum. Tum etiam, quia illa ratio mensuræ, & mensurati, nihil addit in vno extremo potiùs, quàm in alio, nisi vel denominationem sumptam ex causalitate aliqua eius rei, quæ mensura dicitur, ad rem quæ dicitur mensurata, vel ordinem aliquem transcendentalem, secundum quem vna res ordinatur ad alteram potiùs, quàm econtrario, vt scientia ad scibile potiùs, quam scibile ad scientiam. Sed hi respectus non mutant veritatem seu proprietatem adæquationis seu conformitatis, quæ per se tantùm ad rationem veritatis requiritur. Vt verbi gratia, si res arte facta comparetur ad intellectum artificis à quo processit, & ad intellectum alterius, qui perfectè cõcipit rationẽ & ideam talis artificii, nihil influendo, neq;

causando

Universidad de Deusto
Biblioteca

causando in illud, certè artificium in re æquè conforme est vni, & alteri intellectui: ergo æquè verum est respectu vtriusq;, etiamsi ad vnum habeat relationem effectus, & non ad aliud.

VI. Atque huc accedunt ea, quæ ex secunda sententia consequi inferebamus: quæ, quia per se inconuenientia videtur, suadent, nõ pertinere ad rationem veritatis differentiam hanc formaliter ac per se. Secluſa autem hac differentia, nihil est, cur non possit ratio veritatis in omnem adæquationem inter rem & intellectum conuenire, siue illa sit inter intellectum & rem, siue inter rem & intellectum; & siue sit inter mensuram cum mensurato, siue inter mensuratum cum mensura, siue inter ea quæ neutram rationem inter se habent, vt de essentiis creaturarum vt sic, & de scientia Dei creaturarum speculatiua dicebamus. Imò neque sufficiens ratio analogiæ videtur posse assignari inter veritatem rei, & cognitionis: tũ quia licet nomen veritatis primùm sit à nobis inuentum propter cognitionem: non tamen inde fit analogicè dici de veritate rerum, vt explicatum est: tum etiam propter ea, quæ in Sect. præced. circa opinionem Caietani proposita sunt, quibus ostendi videtur, veritatem rerum non posse in sola extrinseca, & Metaphorica denominatione consistere.

Quæstionis resolutio.

VII. EX his opinionibus aliquid, quod ad quæstionẽ hanc explicandam conferat, sumere possumus. Vt tamen resolutio, quæ nobis verior videtur, intelligatur, aduertendum est, quod suprà diximus veritatem specialiori modo reperiri in compositione & diuisione, quam in simplicibus, aut conceptibus, aut rebus. Veritas autem illa specialis, quę est in compositione & diuisione intellectus, reuera non est veritas transcendentalis illius actus seu iudicii, quod in compositione & diuisione verum denominatur. Quod sic patet, nam veritas transcendentalis cùm sit suo modo propria passio entis, est immutabilis & inseparabilis ab ente, illa autem veritas, quæ est in compositione est separabilis ab illa, quantum est ex ratione sua, quia interdum separatur, quando, manente eodem iudicio res iudicata mutatur incipitq; aliter se habere, quam iudicetur, cùm anteà conformitatem cum iudicio haberet. Quòd si interdũ hæc veritas, est immutabilis ex eo prouenit, quod res circa quam iudicium versatur, immutabilis est vel simpliciter, vel prout sub iudicium cadit.

Veritas compositionis & diuisionis, non est transcendentalis.

VIII. Atq; hinc intelligere licet, in hocmet iudicio seu actu compositionis & diuisionis, duplicem veritatem reperiri: vnam transcendentalem, aliam specialem, quam veritatem cognitionis seu accidentalem vocare possumus, alii formalem appellant. Quod sic declaratur & probatur, nam quando iudicium mutatur de verò in falsum, amittit aliquam veritatem, & non amittit omnem, sed aliquam necessariò retinet, ergo duplicem habebat. Maior per se nota est, nã falsitas, cùm sit veritati cõtraria, aliquam veritatem ab actu excludit, cũ de vero in falsum mutatur. Minor autem patet, quia verum cum ente conuertitur, vt diximus: sed illud iudicium, quod de vero in falsum mutatur, manet nihilominus reale iudicium, & reale ens: ergo necesse est, vt verum etiam maneat transcendentali veritate. Quæ in hoc consistit, quòd in ratione iudicij intellectus ille actus habet veram essentiam, & speciem iudicii, & conformitatem cum proprio conceptu seu idea intellectualis iudicii.

In compositione cum veritate, aut falsitate eius stat semper transcendentalis veritas.

A Quod in vocali propositione commodè explicari potest: hæc enim enunciatio, omnis homo est albus, vel alia similis, si in ea consideres conformitatem ad rem, quam significat, non habet veritatem, sed falsitatem, & hoc sensu non vera, sed simpliciter falsa vocatur: si verò in ea consideres definitionem seu essentiam propositionis, & conformitatem, quam habet cum regulis artis dialecticę, seu cum idea propositionis, intelligitur habere suam veritatem quasi transcendentalem, secundum quàm dici potest esse vera propositio, eo modo quo aurum dicitur verum aurum, & eo modo quo syllogismus dicetur verus syllogismus, si bona sit illatio, etiamsi falsum concludat.

IX. Vocis veritas primaria & radicalis.

Hac igitur distinctione constituta, censeo imprimis, veritatem in primæua significatione dictam esse de veritate cognitionis, quæ in compositione ac diuisione specialiter reperitur. Hoc probant omnia suprà adducta, hac enim ratione Aristot. sæpè dixit, veritatem esse in intellectu seu in compositione & diuisione. Item propter hanc causam iudicium habens hanc veritatem simpliciter verum dicitur. Si B autem illa careat, dicitur simpliciter falsum, etiamsi veritatem transcendentalem modo à nobis declarato habeat. Deniq; ratio esse videtur, quia huiusmodi veritas nobis est notior, magisque formaliter est in cognitione nostra, vt in superioribus explicatum est.

X. In primaua significatione veritas propriè & rationis entis sumpta est obiectiua.

Secundò censeo, res cognitas posse ab hac veritate cognitionis per extrinsecam analogiam ac denominationem dici veras, non tamen secundum hanc rationem aut denominationem sumi verum, cùm dicitur esse passio entis. Prior pars probatur ex adductis inter referendam primam sententiam, & opinionem Caietani secunda Sect. tractatam. Declaratur etiam illo exemplo de sano: nam sicut sanum dicitur, & quod habet sanitatem, & quod causat & significat illam; ita in præsente verùm dici potest & iudicium habens hãc veritatem, & vocalis propositio illam significans, & res ipsa quatenus causat, vel fundat illam. Vnde hoc etiam confirmat vsus, non solùm enim dicimus verum esse iudicium, quo credimus, Deum esse trinum & vnum, & similiter veram esse propositionem, qua id affirmamus, sed etiã hoc C ipsum, Deum esse trinum & vnum, verum esse: quã veritatem solùm habet illa res prout est obiectiuè in intellectu, id est, quatenus complexè cognoscitur, & verè ac sicut est iudicatur: & de huiusmodi vero, seu denominatione veri, dixit etiam Aristoteles, non esse in re, sed in intellectu. Vnde hæc denominatio veri etiam non entibus conuenit: sic enim verum esse dicimus, & chymeram esse ens fictũ, & hominem non esse equum. Atq; hinc patet posterior pars, quòd hæc denominatio non sit veritas, quæ est passio entis. Et hoc etiam confirmat illa ratio, quòd verum est obiectum intellectus: nam licet quidam dicant, veritatem esse conditionem tantùm obiecti intellectus, non antecedentem, sed consequentem potiùs actum intellectus, vt videre licet in Toleto 3. de anim. q. 20. tamen hoc modo valde impropriè diceretur verum obiectum intellectus: quia obiectum potentiæ passiuæ vt sic, supponitur ad actum, & ideò conditiones illæ, quæ sunt propriæ obiecti debent supponi, nõ subsequi: ergo verum, prout dicitur esse obiectum intellectus, non est quatenus ab ipsomet actu denominatur, sed secundum aliquam aliam rationem, secundum q̃ possit antecedere actum. Hoc denique confirmant ea, quibus suprà probatum est veritatem

veritatem transcendentalem non consistere in sola hac extrinseca denominatione.

XI. Translatio vocis veritas.

Tertiò itaque censeo, ab hac veritate cognitionis translatum esse hoc nomen veri, ad significandum hanc proprietatem cuiuslibet entis realis, quæ est conformitas cum intellectu actu, vel potentia concipiente rem sub tali ratione entis realis. Hoc patet ex dictis, & à sufficiente enumeratione. Dices hanc denominationem in nullo differre ab illa denominatione extrinseca, qua res dicitur vera, quia fundare potest, vel causare veritatem intellectus. Respondetur, negando consequentiam, quia illa denominatio præcisè sumitur ex veritate extrinseca, vt denominante obiectum, seu causam suam: hæc autem veritas rerum non sumitur ex illa denominatione, sed ex ipsa rei entitate, vt habente conformitatem ad aliud. Itaq; sicut cognitio, vel iudiciũ dicitur verum, quia cõforme est ipsi esse, vel non esse rei, & tamen non denominatur verũ à veritate ipsius rei, sed à suo esse, connotando simul esse ipsius obiecti tale, quale per iudicium repræsentatur: ita in præsente res dicitur vera, quia habet esse conforme seu conformabile tali conceptui, quæ denominatio non sumitur extrinsecè à veritate conceptus, sed ab intrinseca entitate, vt est sub habitudine, vel quasi habitudine ad aliud. Confirmatur ac declaratur primò, nam, sicut in relatiuis hoc album, verbi gratia, dicitur simile alteri, non per extrinsecam denominationem à similitudine, quæ in alio est, sed quia habet in se relationem, qua tendit in aliud; vel quia habet in se talem qualitatem, qualis in alio est: ita in præsenti potest facilè intelligi, rem dici veram propter conformitatem cum intellectu, quamuis non denominetur extrinsecè à sola veritate intellectus. Tandem, si mente præscindamus veritatem cognitionis à repræsentatione ideæ vel conceptus, adhuc res denominaretur vera per conformitatem ad ideam sic repræsentantem: ergo hæc denominatio formaliter non sumitur ab ipsa veritate intellectus.

XII. Veritas de veritate cognitionis, ac rei qua analogia dicatur.

Vnde vlterius colligo, verum, prout dicatur de veritate compositionis aut diuisionis, & de veritate rerum seu transcendentali, non dici propriè secundum aliquam analogiam attributionis sumptam ab aliqua forma, quæ intrinsecè conueniat alicui analogatorum, alijs verò extrinsecè, quia, vt ostensum C est, non intercedit in præsenti huiusmodi denominatio. Videtur ergo hæc vox æquiuocè dici sub his duabus rationibus, vel ad summum, secundum analogiam proportionalitatis. Quia hîc etiam non videtur intercedere vnus conceptus obiectiuus secũdum vnam aliquam communem rationem: nam vt explicuimus longè alia est ratio veritatis in compositione & diuisione, quàm sit in aliis rebus. Solùm ergo relinqui potest quædam proportionalis analogia, quæ in hoc cõsistit, quòd sicut veritas compositionis requirit illã conformitatem inter esse rei, & iudicium, ita veritas transcendentalis requirit talem rei entitatem, quæ adæquari possit proprio conceptui, seu ideæ, aut intellectuali repræsentationi talis rei. Huiusmodi autem analogia nihil obstat, quo minùs verum transcedens possit esse proprietas entis: quia licet translatio nominis ex illa proportionalitate sumpta sit, non tamen formaliter significat illam, sed proprietatem, in qua illa considerari potest. Sicut in sano præter analogiam attributionis suprà declaratam intelligi potest alia proportionalitatis secundum quàm pomum, in quo nihil est corruptum, sanum dicitur: quia sicut sanitas in animali consistit in debita humorum proportione ac dispositione, ita pomum dicitur sanum, quia habet debitam omnium, suarum partium dispositionem; & tamen sanum sub hac significatione proprietatem aliquam, seu intrinsecam perfectionem pomi significat, scilicet, integritatem, seu incorruptionem eius. Sic igitur verum quamuis per aliquam analogiam proportionalitatis translatum sit ad veritatem rerum significandam, nihilominus proprietatem ipsius entis significare potest.

XIII. Quod autem dicimus de veritate rerum, intelligendum etiam est de veritate quæ attribuitur sensibus, aut simplicibus mentis conceptibus: imò & de veritate ipsius compositionis, quatenus in ea aliqua ratio entis consideratur; nam in his omnibus veritas est eiusdem modi seu rationis cum veritate transcendentali, & propriè consistit in adæquatione talis rei ad ideã, vel relationẽ, quæ de illa formari potest, quamuis in sensu, vel intellectu per ordinem ad obiecta interdum explicetur: quia obiectum est veluti forma actus, vel conceptus; qui ab illo sumit speciem. Et sæpè hæc veritas transcendentalis per intrinseca principia, & præsertim per formam explicari solet, sicut dicitur vera paternitas, quæ ad verum filium à se genitum terminatur: quamuis formalis ratio veritatis, etiam in paternitate ipsa, in adæquatione ad intellectum consistat.

Soluuntur rationes dubitandi in principio positæ.

XIIII. VLtimò ex his satisfactum est rationibus dubitandi in principio positis: nam priores probant veritatem transcendentalem secundum se esse priorem, non tamen, quòd hęc vox primò sit imposita ad illam significandam. Et hoc item probant rationes secundo loco factæ de veritate cognitionis. Quæstio autem quæ ibi attingitur de vero, quomodo sit obiectum intellectus, non est propria huius loci, sed in materia de anima explicanda est, quanquam in re facilis sit ex dictis expositio. Nam si sit sermo absolutè de intellectu, non aliter verum dicitur obiectum eius, quàm ens, solùm enim nomine veri significatur aptitudo illa, vel proportio, quæ est in ente, vt intelligi possit: quatenus enim tale est, vt adæquationem habere possit cum aliquo conceptu, eatenus terminare potest intellectus actum, esseque obiectum illius. Vnde econtrario intellectus tunc rem intelligit, quando illum conceptum formatum, cui res illa adæquari potest, & ideò dicitur intelligere illam vt veram. Et hoc modo veritas dicitur esse conditio necessaria in obiecto intellectus, de qua re legi potest Caiet. 1. par. quæst. 16. art. 3. ad 3. & 2. 2. quæst. 1. art. 1. & Capreol. in 1. dist. 2. art. 1. Ægid. quodlib. 4. qu. 20. Si verò sit sermo de intellectu vt propriè iudicãte, seu vt componente & diuidente, sic verum dicitur obiectum iudicii intellectus: quia eo modo, quo dicitur esse veritas in compositione, nunquam intellectus præbet assensum suum, nisi cognoscendo veritatem, seu conformitatem vnius rei, seu conceptus eius ad aliam in actu exercito, cognoscendo, inquam, vel saltem existimando se cognoscere, & hoc modo dicitur intellectus semper assentiri sub ratione veri, & verum esse proprium obiectum iudicii seu assensus intellectus.

Caietan. Capreol. Ægid.

DISPV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO IX.

De falsitate, seu falso.

QVamuis falsitas non attribuatur enti, vt proprietas eius; tamen, quia veritati opponitur, & oppositorum eadem est scientia, vnumque eorum ex alio amplius manifestatur, ideò de falsitate breuiter hoc loco differendum est, de qua eadem ferè, quæ de veritate inquiri possunt, tamen suppositis, quæ de veritate diximus, vna fere aut altera dubitatione omnia poterunt comprehendi.

SECTIO I.

Quidnam, & vbi sit falsitas, & an sit entis proprietas.

I. Falsitas est.

PRincipio, quod falsitas aliquid sit, & alicubi inueniatur, aut saltem, quod ad hunc modum à nobis concipiatur, cōstat ex communi modo loquendi de rebus, & de sermonibus & iudiciis rerum: dicimus enim, & iudicium seu compositionem aut diuisionem falsa esse, & locutionem similiter, & res etiam aliquas falsas denominamus, vt auricalcū dicimus esse falsum aurum: hæ autem denominationes ab aliqua forma, seu quasi forma desumuntur, & de hac inuestigamus quid sit. Vt autem hoc commodiùs fiat, prius declarare oportet, an hæc falsitas verè ac propriè attribuatur rebus, eodem modo quo veritas: simulq; explicandum est, an verè ac propriè attribuatur conceptibus simplicibus intellectus, & consequenter actibus etiam sensuum, vel in sola cōpositione aut diuisione propriè inueniatur.

Variæ opiniones circa quid sit.

II. PRima opinio asserit falsitatem non minùs propriè reperiri in rebus aut conceptibus simplicibus, quàm veritatem. Ita sentiunt nonnulli moderni super 1. p. D. Thom. q. 17. Et probatur primò ex Aristotel. 2. de anim. cap. 7. dicente, sensum non falli circa proprium sensibile: circa cōmune autem posse decipi: ergo supponit esse posse falsitatem in sensu, saltem quoad aliquos actus vel aliqua obiecta eius, cū tamen omnes actus eius simplices sint, & li. 3. tex. 161. limitans priorem sententiam, ait sensum, vel nō falli circa proprium sensibile, vel rarò, ponit ergo in illo falsitatem, & idem ait ibi de phantasia. Vnde D. Thom. 1. p. q. 17. artic. 2. exponit quod Aristotel. ait, sensum circa propria sensibilia nō habere falsam cognitionem, intelligendum esse per se, & vt in plurimum: nam per accidens, & in pautioribus, etiam in cognitione proprii sensibilis potest in sensu esse falsitas. Atque idem argumentum sumi potest ex parte intellectus in cuius simplici cognitione, qua apprehendit seu cognoscit quod quid est, negatur esse falsitas 3. de anim, tex. 21. & 51. & 9. Metaph. tex. 22. per se & vt in plurimum, tamen ex accidenti & in paucioribus non repugnat in eo reperiri, vt D. Thom. ibi indicat; & 1. cont. Gent. cap. 59. & 60. Secundò argumentor ratione, quia oppositorum eadem est ratio: ergo sicut veritas consistit in conformitate & adæquatione, ita falsitas in difformitate: sed sicut conformitas reperitur, non solùm inter cognitionem complexam & rem, sed etiam inter conceptus simplices & res, ita reperitur difformitas non solùm in A compositione aut diuisione, sed etiā in simplicibus, tam rebus, quam conceptibus, ergo. Minor probatur, & primò in cognitione simplici: nā illamet imperfectio, quæ solet esse radix deceptionis & difformitatis in iudicio complexo, inueniri potest in simplici cognitione, tam sensus, quàm intellectus, nimirum, quòd species obiecti imperfectè imprimatur: hæc enim est prima radix omnis deceptionis: nā potentia de se sufficiens esset, si obiectum per speciem sufficienter applicaretur, & vniretur: hæc autem radix communis est tam simplici operationi, quàm compositæ. Imò tota deceptio in compositione solet ex eo prouenire, quòd conceptus simplices difformes sunt rebus ipsis: inuenitur ergo difformitas in his conceptibus, & consequenter etiam falsitas.

III. Rursus, quòd in rebus etiam inueniatur falsitas, patet in his præcipuè, quæ arte fiunt: nam sæpe sunt difformes suæ regulę & ideæ; ergo sub ea ratione habent falsitatem. Idemque reperitur in aliquibus effectibus naturalibus, qui dicuntur monstra, seu peccata naturę: nam discrepant ab idea seu regula, quàm B deberent causæ secundæ naturales imitari, & ad eam suos effectus conformare. Quomodo etiam actio humana, quæ deuiat à diuinis regulis, mendacium appellari solet: Psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sicut econtrario operatio conformis prudentię seu regulæ diuinæ, vocari solet veritas. Ioan. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* De qua Paul. ad Ephesios 4. *Facientes veritatem in charitate crescamus.* Atque in hunc modum de conformitate & difformitate rerum ad intellectum philosophatur D. Th. dict. quæst. 17. artic. 1. significans, tam esse propriam falsitatem rerum hanc difformitatem, sicut est veritas illa conformitas.

Psalm. 4. Ioan. 3. Ephes. 4.

IIII. Quòd si obiicias, nam sequitur falsitatem esse ponendam inter proprietates entis sicut veritatem, negatur consequentia: quia non omne ens est falsum: omne autem ens est verum: nam Deus nullo modo falsus appellari potest, neq; in ratione entis, neq; in ratione Dei, aut alicuius entis in particulari: imò nec res creatæ omnes possunt falsæ nominari: quia ea, quæ à Deo fiunt, si immediatè ab eo fiant, non possunt ab eius arte discrepare; si autem fiāt ab ipso mediis causis secūdis, licet possint discrepare ab vna C regula, vel idea diuina ad quam causę secundę conformari deberent in agendo, tamen prout ab ipso Deo procedunt, discordare non possunt ab illa regula & idea, per quam Deus operatur, quando in illas influit, & hoc modo habent veritatem.

V. Secunda sententia negat, in simplicibus, vel conceptibus, vel rebus esse falsitatem, sed solùm in compositione & diuisione, quod sentit Alber. 2. de anima, tract. 3. cap. 5. & ibi Apollinar. q. 13. Ægid. quodlib. 4. quæst. 7. Ferrar. 1. cont. Gentes, ca. 59. Fonsec. 4. Metaph. cap. 2. quæst. 6. sect. 1. Et hæc sententia est magis consentanea Aristoteli, & Diuo Thom. cit. locis, & mihi videtur etiam verior, si de falsitate in eo rigore, & proprietate loquamur, qua in præcedenti disputatione de veritate locuti sumus.

Alber. Ægid. Ferrar. Apollin. Fonseca.

Falsitas rebus attributa, quid.

V. AD quod explicādum dico primò, in rebus extra intellectum non esse propriam & rigorosam falsitatem, sed vocari falsas res per quandam Metaphoram, & extrinsecam denominationē. Probatur, quia sicut veritas, ita & falsitas sumenda est per habitudinem ad intellectum, quæ in rebus considerari

siderari potest, vt suprà diximus, vel in ordine ad intellectum speculatiuum, vel in ordine ad practicum. Rursus illa habitudo esse potest, vel actualis conformitatis, seu difformitatis, vel aptitudinalis tantùm. Ac denique considerari potest vel in ordine ad intellectum diuinum, vel in ordine ad creatum, nullo autem ex his modis potest propria falsitas rebus attribui. Quod breuiter ostendo discurrendo per singula. Et primò in ordine ad intellectum diuinum, vt speculatiuè cognoscentem omnia per se notum est, nullam rem posse propriè vel impropriè falsam denominari: quia scientia speculatiua, quam Deus habet de omnibus rebus, necessariò est verissima ac propriissima: ergo res cognitæ in ordine ad hanc scientiam non habent difformitatem vllam, sed summam conformitatem. Secundò in ordine ad eundem diuinum intellectum, vt practicè cognoscentem & operantem non possunt res falsæ denominari: quia vel res sunt factæ à Deo, vel non. Res non factæ à Deo, tantùm sunt, aut res summè bona quæ est ipsemet Deus, qui supra omnem est mensuram, & supra omnem ideam, & extra omnem causalitatem intellectus practici, & ideò non potest ex hac habitudine propriam veritatem habere, nedum falsitatem: aut res summè mala, quæ est culpa vt culpa est (si tamen res appellanda est) hæc enim, sicut à Deo non sit, ita neque in eo propriam ideam habet, sed est potiùs in Deo idea bonitatis, & honestatis, à qua culpa discordat: ex quo habet, quòd vera culpa sit, quia, sicut eius esse, ita & eius veritas in priuatione & defectu consistit. Solet autem interdum culpa, falsitas & deceptio appellari, non tam in ratione mali aut culpæ, quàm in ratione boni: omne enim peccatum habet aliquam rationem apparentis boni, sub qua falsum quid & fucatum vocari solet, eam verò denominationem non habet in ordine ad Deum, sed in ordine ad hominem, quem decipit, sicut de aliis rebus falsis statim dicemus. Aliæ verò res, quæ à Deo fiunt, nunquam discordant ab arte, vel idea eius, quia est tam potens in exequendo, quantum est sapiens in cognoscendo.

In ordine ad diuinum intellectum nulla in reb. falsitas.

VII. Obiectioni respōdetur.

Dices, licet hoc sit verum de his, quæ Deus per se ipsum operatur, non tamen de his, quæ per causas secundas efficit: nam tunc accommodat suam potentiam exequentem actiuitati causarum secunda- C rum, & ideò hinc fieri potest, vt effectus non adæquet ideam artificis, vt videtur contingere in monstris naturæ. Respondetur cùm illa non euenire casu & fortuitò respectu Dei, sed ex vera scientia, & voluntate eius, necessarium esse, vt etiam hæc, quatenus entia sunt non discordent à diuina scientia practica: quia Deus, sicut vult cum causis secundis non impeditis influere ad effectus integros & perfectos perficiendos, ita vult cum eisdem impeditis influere ad efficienda monstra. Vnde sicut, quando optimus pictor non ex impotentia, sed voluntariè depingit monstrum, illud non dicitur discordare ab arte; neque esse aliquid falsum respectu talis pictoris, ita neque monstra naturæ falsitatem habent respectu supremi artificis Dei, quia ea sciens & videns fabricatur, quatenus entia sunt. Quod ideò semper adiungo, quia si hęc considerentur, quatenus in eis est priuatio, seu carentia alicuius perfectionis, vt sic non per se fiunt, sed per accidens, neque habent propriam ideam, ad quam conformentur, vt respectu illius vera aut falsa dici possint, sed habent talem defectum, quatenus deficiunt ab alia perfectiori idea: hic autem defectus, vel non est à Deo, vt in defectibus culpæ, vel, si est ab ipso, vt in malis pœnæ, non est præter scientiam & intentionem, seu voluntatem eius, & ideò respectu illius non potest dici falsitas, an verò respectu causæ secundæ ita appellari possit, statim dicam.

VIII. Nullæ res falsæ in ordine ad intellectū creatum speculatiuum.

Tertiò, si res ad intellectum creatum speculatiuū comparentur, non possunt intrinsecè ac propriè falsæ denominari. Quod sic ostendo, quia, vel denominarentur falsæ ex aptitudinali difformitate, vel ex actuali; neutrum dici potest: ergo. Minor quoad priorem partem probatur, quia omnis res, quantum est de se apta est cognosci sicut est, & generare propriū & adæquatum sui conceptum. Quod autem aliquis intellectus in eis cognoscendis interdum decipiatur, non prouenit ab ipsis, quatenus entia sunt, sed vel ex defectu vnitatis intellectus, vel ex aliis impedimentis: ergo ratione aptitudinis, qua est in rebus vt intelligantur, non conuenit eis falsitas, quòd ampliùs patebit ex confirmatione alterius partis. Probatur ergo altera minoris pars primò ratione tacta præcedente Disput. Sect. 2. quia, si res falso cognitæ ab intellectu creato, haberent propriam & intrinsecam falsitatem ex eo, quod discordant à tali intellectu, nulla esset res, quæ non posset falsa denominari: quia nulla est, quæ non possit falsò cognosci: esset ergo etiam in Deo falsitas, quod absurdissimum est. Item, si res est falsa respectu intellectus: ergo, vel respectu intellectus verum & proprium conceptum formantis talis rei; & hoc non vt per se constat, quia ab illo non discordat, vel respectu intellectus verè cōcipientis aliam rem, vt auricalcum videtur dici falsum aurum respectu intellectus concipientis verum aurum; & hoc modo etiam aurum potest dici falsum auricalcum, respectu intellectus verum auricalci conceptum formantis. & sic redit idem inconueniens suprà illatum, quod in rebus omnibus sit aliqua falsitas. Denique, vel res dicitur falsa in ordine ad conceptum simplicem, vel in ordine ad conceptum complexum. Primum dici non potest, tum propter rationes dictas, tum quia, vt ostendam, in solo conceptu simplici non est propriè falsitas: ergo multò minus erit in re speculatiuè cognita in ordine ad talem conceptum; tum etiam, quia, si res ad proprium suum conceptum comparetur, respectu illius non erit falsa, sed vera, si verò comparetur ad conceptum alterius rei, per illum non est falsò cognita, sed potiùs ignorata: ergo nec respectu illius poterit denominari falsa: inter hos autem conceptus non potest medium excogitari sistendo in simplicibus conceptibus: ergo per difformitatem ad illos non habēt res propriam falsitatem. Si autem hæc denominatio sumatur in ordine ad compositionem & diuisionem, sicut Aristot. dixit 6. Metaph. nec veritas est in rebus, sed tantum obiectiuè in intellectu; multò ergo minus falsitas.

IX. Naturalia ens tia per ordinem ad humanam praxim nulla falsa.

Quartò, si res creatę comparentur ad intellectum creatum practicè cognoscentem, sic excludendæ in primis sunt res naturales, quæ non pendent ab vllo creato intellectu, tanquam a suo artifice; & ita de omnibus his reb. probata relinquitur conclusio posita, quod respectu nullius intellectus habent propriā falsitatem. Vnde infero, etiam naturalia mōstra non habere propriam falsitatem, sed imperfectionē, vel defectum, ideoq; non tam falsa entia, quam imperfecta sed mala denominari solent. Probatur, quia non denominantur falsa respectu primæ causæ vniuersalis vt diximus, neq; etiam respectu causarum secundarū, quia illę non operantur per intellectum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

falsitas autem sumenda est in ordine ad aliquem intellectum. Dices, sicut opus naturæ est opus intelligentiæ, ita hæc monstra posse dici falsa respectu naturalis virtutis causæ, non præcise sumptæ, sed quatenus subordinari deberet ideæ primi artificis, dirigentis illam ad perfectum effectum producendum. Respondetur inprimis hanc denominationem &, solum extrinsecam esse, & Metaphoricam magis, quam propriam. Sicut opus naturæ non est propriè & intrinsecè opus intelligẽtiæ, sed extrinsecè & Metaphoricè, vel sicut dicitur errare manus proiicientis sagittam, quando scopum non attingit: nam error propriè non illi tribuitur, sed per Metaphorã tantùm. Deinde dicitur, quod illa imperfectio effectus nõ prouenit ex vllo defectu intellectus, & ideò nõ potest propriè falsitas appellari, sed imperfectio, vel malitia, & ita hæc solent vocari monstra, vel peccata naturæ, quæ voces malitiam potiùs, quàm falsitatem indicant.

X. Res artificiales in ordine ad humanos opificis an falsæ.

Solùm supersunt res artificiales & morales, ad quas potest intellectus creatus practicè cõparari, & vt causa earum. Artificialia ergo non est dubiũ, quin interdum discrepent ab arte. Sed hoc dupliciter cõtingit; vno modo, quod discrepent ab arte, quæ est in artifice, seu ab idea, quam re vera habet conceptã: alio modo quod discrepent ab arte, quam deberet habere, quamq; alius probus artifex habet. Quando hoc posteriori modo contingit, nõ videtur propriè habere locũ denominatio falsitatis, quia tunc res artefacta non discordat ab idea à qua procedit; ad alias vero perfectiores ideas, quæ sunt in aliis artificibus, non comparatur talis res vt ad principium practicũ, sed vt ad cognitionẽ speculatiuã; & ideò respectu illarum non habet propriam falsitatem, iuxta dicta in tertio puncto. Et cõfirmatur, nam, si quis simul habeat ideas perfecti & imperfecti artificii, & volẽs faciat rem imperfectam, & conformem imperfectæ ideæ, non dicetur ille errare in operando vt artifex est; nec res facta in genere artificii dicetur falsa; ergo idem erit, quando habet imperfectam ideam solam; & iuxta illam operatur. Dices, hunc artificem deficere ab arte, vel quia habens ideam tantùm imperfectam vult effectum facere perfectum, & cõformem suæ ideæ, quę est manifesta repugnantia, vel quia existimat iuxta veras regulas artis, ita esse rem perficendam. Respondetur, in eo, qui sic operatur, interuenire errorem speculatiuum potiùs, quam practicum, seu antecedentem anteconceptionem ideę per quàm res est fabricanda; & ideò ab eo errore nõ propriè denominari rem falsam, sed, ad summum, Metaphoricè & valde extrinsecè. Cuius signum est, quia, si talis res ex industria fiat illo modo propter aliquem finem, vel voluntatem artificis, non erit res vllo modo falsa, cùm tamẽ in re eandem conformitem, vel difformitatem habeat cum idea. Item, quia huiusmodi regulæ artis sæpè sumuntur in ordine ad aliquem finem, & suppositа tali materia, vel circumstantiis: sed hæc omnia non variant intrinsecam formam artificialem rei, nec conformitatem, quam habet cum idea à qua proximè procedit, ergo quandocunque res artefacta est conformis ideæ à qua proximè procedit, tunc non est in ea falsitas, etiamsi aliàs sit simpliciter res imperfecta respectu aliarum idearum perfectarum; vel si sit inutilis in ordine ad finem intentum.

XI. Quando verò res artefacta prodit difformis ideæ, quæ est in artifice vt actu operante, seu à qua proximè procedit, tunc maximè videtur esse falsitas in tali re artificiali, sed adhuc illa non potest propriè dici falsitas, tum quia illi defectus in effectu, non procedit ex imperfectione aut falsitate intellectus, sed ex imbecillitate potentiæ exequentis, vel alio simili occurrenti impedimento; tum etiam quia illud artificium vt sic, seu quatenus cum illa deformitate fit, non procedit ab idea, sed casu fit: ergo nõ comparatur ad illam vt ad causam, & mensuram, vt per conformitatem, vel difformitatem ad illam falsum denominetur. Et confirmatur, nam cognitio illa, vel idea non est falsa per difformitatem ad illud opus, quia re vera non habebat illud pro obiecto: ergo neque econtrario opus ipsum potest denominari falsum in ordine ad talem cognitionem, cùm neque sit obiectum, neque effectus illius, quantum ad imperfectionem secundùm quam ab idea discordat. Dicetur ergo tale artificium incongruum, aut malum in genere artificii, non autem propriè falsum. Quomodo dicunt dialectici, consequentiam seu illationem, quæ non fit iuxta regulas artis, esse quidem malam, non autem falsam.

XII. Res in ordine humanos opificis falsæ.

Atque idem discursus fieri potest de operib. prudentiæ, seu moralibus: ea enim opera, quæ à regulis B prudentiæ discordant, quamuis interdum dici soleant falsa practicè, vt suprà dicebamus ex illo Psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* tamen hoc solùm est, quatenus sequuntur ex aliquo dictamine falso practicè, quod dictamen ad iudicium intellectus per compositionem & diuisionem spectat. Vnde ab illo solùm extrinsecè & per analogiam denominatur opus falsum. Propriè tamen non est in ipso opere falsitas, sed malitia: nam si comparetur ad dictamen, à quo actu procedit, illi est conforme: quia illud dictamen imprudens est, & erroneum; si autem comparetur ad illud dictamen, per quod deberet vitari talis actus, vel rectitudinem habere quatenus actus humanus est, respectu illius, non tam falsus, quàm prauus dicitur; tum quia illud debitum operandi iuxta dictamen prudentiæ, non tam ad veritatem rerum, quam ad honestatem morum, pertinet: tum maximè, quia opus illud, quatenus realiter fit, non est obiectum illius dictaminis, neque ab illo procedit. Vnde tandem confirmari potest tota hæc conclusio ex Augustino lib. 2. Soliloquiorum cap. 8. dicente, *Si verum esse id, quod est, dixerit, falsum non esse vspiam, concludetur.* Quæ verba exponens D. Thom. 1. par. quæst. 17. artic. 1. ad 1. inquit: *Res comparata ad intellectum secundum id, quod est, dicitur vera, secundum id, quod non est, dicitur falsa: vnde verus tragœdus est falsus Hector, vt dicit idem Augustinus* 2. *Soliloquiorum* c. 10. Igitur entia, quatenus entia sunt, non sunt falsa: sed, si falsitas aliquo modo eis attribuitur, solùm est & per attributionem quandam, & quatenus non entia sunt.

Augustin.

XIII. Falsitas vocis quando sit.

Exponendum verò superest, qualis sit hæc analoga denominatio. In quo breuiter dicendum est cum D. Thom. dicta quæst. 17. artic. 1. variis modis per se rem denominari falsam. Primus & maximè vsitatus est, propter similitudinem ad rem verã; ratione cuius occasionem falsitatis nobis præbet, vt scilicet illud existimemus esse quod non est. Hoc modo auricalcum dicitur falsum aurum, non propter solam disconuenientiã quam habet cum vera idea, vel cõceptu auri: maiorem enim habet plumbum, vel stannum, quæ non denominantur falsum aurum: igitur propter similitudinem & speciem auri, quam gerit, ratione cuius facilè existimatur esse aurũ. Et de hoc modo dixit Aristoteles 5. Metaphys. c. 1. p. 29. *falsa dicit, quæ natura sua apta sunt vt videantur esse aut quæ non sunt,*

D. Augustin. *quæ natura sua apta sunt vt videantur esse aut quæ non sunt,* A *aut qualia non sunt, veluti pictura, & insomniæ*: & Augustin. lib. 2. Soliloq. dixit. cap. 6. *Eas res falsas esse nominamus, quas verisimiles deprehendimus.* Secundò dicitur aliquid falsum, quia est obiectum falsæ enunciationis, quod tamen obiectum est obiectiuè tantùm in intellectu. Ita Aristoteles suprà, qui addit, in huiusmodi falsis esse latitudinem: nam quædam sunt etiam impossibilia, vt diametrum esse commensurabilem costę, alia verò sunt tantùm falsa, vt Petrum currere, si quiescit. Et ad hunc modum idolum dicitur falsus Deus, quia est obiectũ falsæ opinionis, quòd idolum sit Deus. Quo sensu dixit Paul. ad Rom. 1. *Idolum esse mendacium.* & 1. ad Corinth. 8. dixit, *idolum esse nihil.* Tertius modus esse potest, quãdo res dicitur falsa, quia non est adæquata, vel conformis arti. Hunc posuit D. Thom. & dicit, solùm habere locum in rebus arte humana factis: veruntamen Aristoteles illum modum prætermisit, & mihi (vt dixi) valde improprius videtur, parumque communi modo loquendi vsitatus: non tamen repugnat talis Metaphorica denominatio; vt quia res dicitur vera, quando est arti conformis, falsa dicatur, quando non est B conformis: quanquam hoc ipsum magis conueniat ei, quatenus habet aliquid non entis, quàm vt entitatem habet.

Aristoteles.

De falsitate simplicium conceptuum.

XIIII. In simplici cognitione quæcunque Metaphoricè est falsitas.

Dico secundò. In simplicibus conceptibus seu actibus cognoscendi, siue intellectus, siue sensus non est propria falsitas, seu deceptio, sed per Metaphoram eis attribuitur, sicut rebus ipsis. Hæc conclusio est Arist. lib. 3. de anima, cap. 6. & latiùs libr. 9. Metaph. cap. 12. sequiturque ex præcedente, quia cõceptus simplices æquiparantur rebus in veritate, vt constat ex dictis Disput. præced. ergo & in falsitate: est enim par ratio, & totus discursus factus in præcedente conclusione hîc potest facilè applicari. Secundò potest idem probari ratione latè tractata Disput. præced. Sect. 2. quia si in conceptu simplici posset esse falsitas propriè propter difformitatem ad aliquas res, nullus esset conceptus simplex, qui non esset falsus respectu aliquarum rerum, quia nullus est conceptus, qui non habeat difformitatem cum C aliquibus rebus, præsertim in creaturis, consequens autem absurdum est, vt ibidem ostendi. Tertiò, hinc potest ratio à priori declarari: quia falsitas inter ea versatur, inter quæ versatur veritas: sunt enim oppositа: veritas autem versatur inter cognitionem & rem, quæ est obiectum eius, falsitas ergo etiam versari haberet inter cognitionem, & rem, quæ est obiectum eius: vnde, quamuis cognitio habeat disconuenientiam cum re, quæ non est obiectum illius illa non potest denominari falsitas, sed erit (vt ita dicam) disparata quædam habitudo, vt in compositione etiá & diuisione intellectus videre licet. Hinc ergo conficitur argumentum, nam simplex apprehensio seu cognitio non potest habere difformitatem cum re quæ est obiectum eius, esto possit esse difformis aliis rebus: ergo non potest in illa esse falsitas. Minor declaratur in hunc modum, quia, cùm habitudo huius cognitionis ad obiectum sit simplex, seu per simplicem repræsentationem, non potest esse difformis rei tanquam obiecto repræsentato: quia, aut talis res repræsentatur per talem actum cognitionis, vel non. Si non repræsentatur, non est obiectum, & ita respectu illius non erit falsus talis actus. Si verò repræsentatur per illum, erit conformitas inter illa, quia necesse est repræsentans & repræsentatum habere inter se cõuenientiam; ergo etiam respectu illius obiecti non erit falsus talis actus: ergo respectu nullius obiecti potest huiusmodi actus habere falsitatem.

XV. Dices, posse huiusmodi actum repræsentare rem, non tamẽ sicut est: & ideò posse respectu obiecti sui esse falsum. Respondetur, in simplici actu seu repræsentatione inuolui repugnantiam: quia in hoc modo repræsentandi non attribuitur vna res alteri, neq; vnus conceptus obiectiuus alteri, sed simpliciter res aliqua repræsentatur: ergo vel repræsentaẽ sicut est, vel non est illa, quæ repræsentatur, & consequenter repugnat, esse obiectum, & nõ repræsentari sicut est. Sicut imago sensibilis simpliciter repræsentans personam aliquam, oportet vt repræsentet illam, sicut est, vel si in aliquo non repræsentat illam sicut est, in lo non est imago eius, & ideò non potest dici falsa imago propriè loquendo, sed imperfecta, aut diminuta, vel non imago. Vnde, quando appellamus aliquam falsam imaginem, falsitas re vera existit in attributione, vel compositione nostra, quia scilicet attribuimus talem imaginem ei, quem non repræsentat, existimantes esse imaginem eius, & ita illa falsitas solum est obiectiuè in intellectu, seu denominatiuè ab actu intellectus, eodem ergo modo censendũ est de simplicibus conceptibus, seu actibus cognoscendi, qui ita se habent, sicut simplices imagines.

XVI. Et hoc planè docuit D. Tho. dict. quæst. 17. art. 2. & 3. si attentè legatur, & solutiones argumentorum cum doctrina articuli coniungantur. Quamuis enim dicat, sensum falli circa sensibile commune aut per accidens, & similiter intellectum per accidens posse falli in simplici apprehensione quidditatis rei, quod etiam Aristot. citatis locis docuit, tamen non intelligit, falsitatem propriè sumptam in ipsa simplici apprehensione reperiri, sed esse in his apprehẽsionibus occasionem erroris, & deceptionis, & inde falsas nominari. Quomodo dixit Aristoteles, picturam, & insomnia falsa dici, *quia imaginatio, quam efficiunt, entis non est.* Itaque non est dubium, quin interdum sensus (& idem proportionaliter est de intellectu) apprehendat rem exteriorem aliter, quàm in re existat. Quo fit, vt non tam illam quam loco illius C apprehendat, & ideò dicimus non propriè falli, quia ipse non attribuit illam suam apprehẽsionem rei in se existẽti, sed simpliciter illud obiectum sibi repræsentatũ apprehendit. Vnde, sicut imaginatio apprehendens montem aureum non fallitur, quia non componit, neque hoc rei attribuit, ita nec sensus, tamen quia sensus exterior mouetur ab exteriori obiecto, & apprehendit illud per modum intuitionis, atq; adeò per modum præsentis, & existentis, ideò, quando apprehendit rẽ, quæ re vera non est, vel non eo modo quo est, falli dicitur, quia discrepat ab illa re, quam pro obiecto habere videtur, quãuis re vera an illam, vel ad talem modum eius non terminetur eius apprehensio: & ideò non sit in eo propria falsitas, sed imperfectio quædam, quæ est occasio falsitatis. Vnde Aristoteles suprà dicat, *Visus non errat dicens esse colorem, sed quid sit id, quod est infectum colore, vel vbi,* id est, errat circa subiectum, quod est affectum colore, constat autem visum non habere in se errorem formaliter, sed causaliter seu occasionaliter, quia non iudicat per se de subiecto coloris: non est ergo propria ac per se falsitas in his simplicibus actibus, atq; ita etiam sentiunt authores suprà citati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De falsitate compositionis & diuisionis.

XVII. Falsitas propriè in compositione & diuisione. DIco tertiò, Falsitatem propriè reperiri in compositione & diuisione intellectus. Hæc est cõmunis, & recepta sententia Arist. D. Thom. & aliorũ, locis citatis. Et sequitur à sufficienti enumeratione ex dictis, quia falsitas non est in rebus, neq; in simplicibus conceptibus: ergo oportet, vt saltem sit in compositione & diuisione: quia, nec potest aliud membrũ excogitari, nec potest nullibi esse suo modo, quia cætera per Metaphoram & analogiam denominantur falsa: ergo per habitudinem, vel imitationẽ alicuius, quod propriè falsum nominatur: hoc autem non est, nisi compositio & diuisio intellectus. Ratio à priori ex dictis sumitur, quia in huiusmodi compositione, vel diuisione potest reperiri propriè difformitas inter cognitionẽ & rem, quæ est obiectũ eius: ergo & falsitas. Antecedens patet, quia quando intellectus componit ea, quę in re non sunt coniuncta, habet pro obiecto adæquato vnionem seu coniũctionem vnius extremi cum alio. Vnde ipsa etiam extrema in actuali obiecto complectitur, vnum vt materiam seu subiectum, cum quo aliud comparat, & iudicat habere cum illo coniunctionem, & consequenter in actu exercito iudicat conceptum vnius habere conformitatem cum alio: ergo quando inter illa extrema non est illa coniunctio seu cõformitas, quam intellectus iudicat, discordat iudicium ab obiecto suo: est ergo in illo propria ac rigorosa falsitas. Dices, Veritas & falsitas sunt in compositione & diuisione tanquam in cognoscente, vt suprà diximus cum D. Thoma, at verò quando intellectus componit prædicatum cum subiecto, quæ in re non sunt composita, nullo modo cognoscit falsitatem: imò ideò sic componit, & iudicat, quia id esse verum existimat: ergo vel non est propriè falsitas in huiusmodi compositione, vel falsa sunt, quæ suprà diximus. Respondetur, neutrum sequi, quia, vt suprà etiam declaratum est non ita dicuntur veritas & falsitas esse per compositionem & diuisionem in intellectu tanquam in cognoscente: quia oporteat eas directè & formaliter cognosci compositione ipsa, aut diuisione, quod specialem includit repugnantiam respectu falsitatis: quia tunc in compositione, vel diuisione est falsitas, quando intellectus decipitur, ideò autem decipitur, quia verum esse existimat, quod falsum est: vnde necesse est, vt falsitatem ignoret, quam habet, nisi enim illam ignoraret, illam non haberet, & ideò error dici solet ignorantia prauæ dispositionis. Dicitur ergo falsitas esse in compositione & diuisione tanquam in cognoscente, non quia falsitas ipsa vt falsitas est, directè cognoscatur: sed quia cognoscitur vnum vt coniunctum, vel conforme alteri, quod re vera potiùs est disiunctum ac difforme, & ideò in actu exercito cognoscitur id quod est difforme & falsum, scilicet hoc esse illud, quod in re non est, aut non esse quod est.

Illata quædam ex dictis.

XVIII. ATque hinc intelligitur primò differentia inter conceptus simplices, & iudicium compositionis & diuisionis: nam conceptus simplex prout directè & positiuè tendit in obiectum per ipsum apprehensum & cognitum, solùm repræsentat illud, & non dicit vel repræsentat positiuè ita esse in re, vel non esse (loquor de humanis actibus) vnde, si contingat habere aliquam difformitatem cum re prout est in se, est potiùs per modum negationis, quàm per modum positiuæ repugnantiæ, scilicet, quia non repræsentat id, quod est, sed aliud. Vnde etiam fit, vt non propriè discordet ab obiecto, quod repræsentat, & in quod directè tendit. At verò iudicium discordat positiuè ab obiecto suo: quia iudicat, aut habere, quod non habet, aut non habere, quod habet, & ideò inuenitur propria falsitas in compositione & diuisione, non autem in simplici conceptione. Et ideò Theologi, quamuis sentiant, in intellectu Christi, aut B. Virginis, non potuisse esse errorem, seu falsum assensum, non tamen existimant inconueniens, vt per sensus potuerint apprehendere res aliter quàm in se sint, quia hæc non est propria deceptio nec falsitas, neque indecens imperfectio: maximè cùm per sapientiam intellectus corrigere possent sensus, ne in deceptionem inducerent. Et idem probabile est de Adamo, & hominibus in statu originalis iustitiæ existentibus, si ille perdurasset.

XIX. Falsitas propriè dicta duplex quid. Secundò colligitur ex dictis, quid sit falsitas: nam si de ea in omni proprietate loquamur, dicit disconuenientiam illam, seu inadæquationem, quæ est inter iudicium intellectus componentis & diuidentis, & rem ipsam prout est in se. Non tamen hæc inadæquatio significat aliquam propriam relationem realem, vel rationis, vt à fortiori constat ex his, quæ de veritate dicta sunt. Neque etiam significare videtur solam denominationem extrinsecam: quia falsitas intrinseca imperfectio intellectus est. Neque priuationem solam: tum quia falsitas in hoc distinguitur ab ignorantia priuationis, tum etiam quia actus potest ex vero fieri falsus absque priuatione reali alicuius perfectionis, quia fit falsus sine mutatione reali sui, vt suprà dictum est. Igitur hæc falsitas videtur includere & positiuam relationem seu comparationem vnius ad alterum, quæ per compositionem & diuisionem fit, & præterea connotare obiectum aliter se habens. Sic enim veritas & falsitas, quę opposita sunt, opposita rationes habere intelligũtur. Vnde eadem proportione explicanda est hæc falsitas, qua opposita veritas suprà est à nobis declarata. At verò falsitas impropriè dicta, quæ rebus, vel simplicibus conceptibus attribuitur, solùm est denominatio extrinseca, vel signi, vel causæ, seu occasionis, vel obiecti falsi iudicii, vel certè interdum significat negationem aliquam cõuenientiæ inter aliquam rem & aliquem conceptum simplicem, quę potiùs consistit in carentia perfectionis, seu adæquationis perfectæ & integræ, quam in directa & opposita discõuenientia, & ideò non meretur nomen proprię falsitatis, quæ omnia ex his quæ diximus, satis patent.

XX. Augustin. Et iuxta hæc intelligendum est, quod Augustinus ait lib. 83. quæst. q. 32. *Quisquis vllam rem aliter quàm ea res est, intelligit, fallitur.* Dupliciter enim contingit, rem intelligere aut cõcipere aliter, quàm est, scilicet positiuè & negatiuè. Positiuè appello, quando res aliter concipitur, attribuendo ei illum alienum conceptum, vel remouendo proprium, quod sit falsa compositione & diuisione. Negatiuè autem appello, quando, licet intellectus rem aliter concipiat, id est, non secundum eum modum, quem res habet, sed secundum alium, non tamẽ ei attribuit, aut modum illum, aut vllum alienũ conceptum, quod accidit in simplici conceptione imperfecta: constat autẽ hunc posteriorem modũ non sufficere ad deceptionem vel falsitatẽ. Loquitur ergo Augustinus priorem modo, & eodẽ sensu intelligendũ est, quod subdit, *Et omnes, qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur vllam rem aliter quàm est, intelligit, non eam intelligit:*

intelligit: huiusmodi enim propositiones veræ sunt, A quamuis non conuertantur: omnis enim error ignorantia est: non tamen omnis ignorantia est error: & ita omnis falsitas includit carentiam alicuius intelligentiæ, quamuis carentia intelligentiæ ad falsitem non sufficiat.

XXI. Tertiò colligitur ex dictis, falsitatem seu falsum analogicè dici de compositione & diuisione, & de simplicibus conceptibus & rebus. Hoc satis constat ex dictis, quia ostensum est, propriè solùm reperiri in compositione & diuisione, in alijs verò per denominationem extrinsecam & Metaphoram. Solùm est in hoc notanda differentia inter veritatem, & falsitatem: nam, licet de veritate etiam dixerimus, sub quadam ratione primo dici de veritate complexa, & analogicè de signis, vel causis eius, quatenus ab illa præcisè denominantur, quod nunc eodem modo de falsitate docemus: tamen sub alia consideratione admisimus propriam veritatem in rebus & conceptibus reperiri, quod de falsitate negamus. Ratio autẽ huius differentiæ est, quia inter intellectum, & res, quæ illi obijciũtur potest esse, imò & esse debet po- B sitiua conformitas in ratione repræsentantis & repræsentati, in qua consistit simplex veritas, non tamen potest esse propria difformitas inter obiectum & actum, quia hoc ipso, quòd non repræsentatur, definit esse obiectum: negatio autem cõuenientiæ, & conformitatis inter cognitionem & rem, quæ nõ est obiectum eius, non habet rationẽ falsitatis, quãuis interdũ ita nominetur, propterea quòd res quãdam similitudinem vel propinquitatem cum obiecto habeat, & aliter quàm in se sit, repræsentari videatur.

XXII. Qualiter falsitas veritati opponatur. Vltimò intelligitur ex dictis, quę sit oppositio inter veritatem, & falsitatem: nam D. Tho. dicta quęst. 17. art. 4. dicit opponi cõtrariè *Quia vtrumq; (inquit) est aliquid positiuum, & inter se repugnant.* Quod confirmat autoritate Aristotelis 4. Metaphys. tex. 27. dicẽtis, *Falsum esse ex eo, quod iudicatur esse quod non est, vel non esse quod est.* Ex quo intelligitur, D. Thom. loqui de vero & falso propriè dictis, prout sunt in compositione & diuisione: nam falsum improprium, seu Metaphoricum non opponitur verò, nisi vel negatiuè, seu priuatiuè, vel tanquam imperfectum perfecto, vel tanquam apparens existenti iuxta varias denominationes falsi suprà explicatas. Addendumq; vl- C teriùs est, etiam in compositione intellectus, vt verum aut falsum contrariè opponãtur, debere versari circa idem & secundum idem: alioqui si ad diuersa comparentur, contingit, nõ solùm verum & falsum non esse contraria, verũ etiam in idem saltem diuersis temporibus conuenire, sicut Aristoteles dixit, & suprà explicatum est, eandem propositionem mutari posse de vera in falsum ex mutatione sui sine mutatione obiecti. Et ratio est clara, quia veritas, vel falsitas duo includit, scilicet, iudicium, seu existimationem intellectus, & talem coexistentiam seu connotationem obiecti: & ideò ex mutatione alterius potest mutari veritas, vel falsitas. Et hoc ipso quòd iudicium ad diuersas res, aut ad eandem pro diuersis temporibus comparatur, nõ est omnino eadem veritas, quæ in illo cernitur, & ideò mirum non est, q̃ propriam oppositionem absolutam ad falsitatem non seruet, sed solùm quasi relatiuam. Vt ergo verum & falsum contrariè opponantur, necesse est, vt sumantur respectu eiusdem omnino obiecti: tunc enim oppositio oritur, nõ ex relatione sola, seu quasi relatione, sed ex ipsismet actibus intellectus habentibus oppositas habitudines ad tale obiectum, quatenus vnus est per modum assensus; alius per modũ dissensus, & ideò tunc est propria contrarietas inter tales actus, quomodo dixit Aristoteles, opiniones de contradictoriis, esse inter se contrarias.

XXIII. Quæstium. Sed quæret hic obiter aliquis, an sicut idem iudicium diuersis temporibus potest esse verum & falsũ, respectu obiecti aliter se habentis, ita possit esse simul verum & falsum respectu diuersorum. Quidam enim affirmant, quia videtur esse similis ratio in prędictis casibus, & quia quamuis verum & falsum non sint in rigore relatiua, tamen illa imitantur: in relatiuis autem contingit, simul esse idem simile & dissimile respectu diuersorum, & citatur pro hac sententia D. Thom. 1. part. quæst. 17. artic. 3. Sed neque D. Thomas ibi hoc docet, nec verum est. vt patet ex incommodo suprà illato, quod omnis fere cognitio esset simul falsa & vera, sicut eadem qualitas semper fere est similis & dissimilis respectu diuersorũ. Item aliàs propositio subcontraria esset simul vera & falsa respectu diuersorum. Ratio verò est, quia veritas iudicii non est penlanda penes vnam, vel alterã partem obiecti sed penes totum obiectum adæquatum. Et si respectu illius conformitatem habet, est simpliciter verum, & nullo modo falsum, sin autem prędicta conformitate careat, erit falsum, & nullo modo verum: fieri autem non potest, vt respectu adæquati obiecti simul habeat conformitatem & difformitatem. & ideò non potest simul veritas & falsitas in eodem actu reperiri respectu sui obiecti. Responsio.

Dices, ergo in veritate & falsitate propositionum XXIIII. non datur magis aut minus, quia si omnis veritas est sincera veritas, omnemque falsitatem excludit, nulla potest esse maior, non erit igitur vna enunciatio verior alia, idemq; erit de falsitate. Consequens autem est contra Arist. 4. Metaph. cap. 4. in fine, & contra omnium sensum, & loquendi modum. Respondetur simpliciter negando sequelam, quia non semper vnum oppositorum dicitur maius, aut minus propter admistionem contrarii maiorem & minorem. Nã vna propositio est certior alia, licet neutra quippiã habeat dubitationis, aut formidinis, vt suprà disput. 1. sect. 1. actum est. Fateor ergo omnes propositiones veras, quoad carentiam falsitatis esse æquales, item verum est habere quandam æqualitatẽ in proportionali conformitate ad sua obiecta, quia illa consistit (vt ita dicam) in indiuisibili, & ideò in hoc nõ recipit magis aut minus. Nihilominus tamẽ dicitur vna propositio verior alia, quia immutabilior habensque cum suo obiecto magis infallibilem conformitatem. Item ratione fundamenti dici potest verior, quia fundatur in esse veriori: e contrario vero dicitur magis falsa propositio, quia impossibilior & quia magis recedit à vero. sic magis falsum esse dicitur quòd mille sint æqualia duob. quàm quod quatuor, licet in carentia veritatis æqualia sint.

SECTIO II.

Quæ sit falsitatis origo.

SVppono inprimis, sermonem esse de falsitate propriè dicta, quę vt diximus, in compositione & diuisione reperitur: nam de falsitate prout aliis rebus tribuitur, vel nulla est difficultas quia vel solùm est extrinseca aut Metaphorica denominatio, quæ si sit in ratione signi vt in verbis, oritur ex prauo eorum vsu, si verò sit in ratione causæ vel

Universidad de Deusto
Biblioteca

occasionis falsitatis, oritur ex aliqua similitudine, A vel proportione, quę diuersis rebus, pro earum veritate & natura, diuersa etiam erit, vt inductione facta facilè considerari potest, vel certè si illa falsitas consistat in aliqua imperfectione, cùm à nobis potiùs censeatur habere rationem malitiæ quam falsitatis, non est, quòd hoc loco illius radicem declaremus, quanquam paucis verbis insinuari possit, & ad propria loca remitti. Nam si illa falsitas sit in rebus naturalibus, vt in monstris naturę, radix illius communiter est ex parte materiæ, vel ex defectu virtutis proximi agentis, ad quam reducitur etiam concursus contrariorum agentium se se impedientium, vt latiùs tractatur in secundo Physic. Si verò falsitas illa sit in rebus artificialibus ex eisdem causis, seruata proportione, prouenit, scilicet ex defectu materiæ, vel ex defectu virtutis exequentis, vel certe ex defectu ipsiusmet artis, seu directionis eius, vt per se constat, & in eodem lib. 2. Physic. tractatur. Si verò falsitas hęc attribuatur humanis actibus moralibus, proxima radix eius est libertas voluntatis, quæ non habet intrinsecam aut necessariam conformitatem B cum sua regula, cõcurrente simul aliquo defectu intellectus. De quo quid sit, & quomodo sit necessarius, attingemus infrà, inter disputandum de causis efficientibus liberis, & latiùs disputant Philosophi morales, & Theologi. Si deniq; hęc falsitas attribuatur sensibus, vel aliis simplicibus cognitionib. proximè videtur prouenire ex aliquo defectu speciei intentionalis sensibus exterioribus impressæ, vt significat D. Tho. 1. part. q. 17. art. 2. & 3. Nam cùm omnis interior apprehensio ex exteriori nascatur defectus in simplici apprehensione interiori per se loquẽdo oritur ex defectu exterioris sensationis: cùm autem facultas ipsa sentiendi de se sit eadem & indifferens, cõstituatur autem in actu ac proximè determinetur per speciem, ex imperfectione speciei oritur sensationis defectus. Hic autẽ defectus speciei consistere potest, vel in aliqua imperfectione entitatis eius, vel in modo quo imprimit, aut in permistione cum aliis speciebus. Vnde interdum prouenit ex imperfectione, vel distantia obiecti, interdum ex aliqua indispositione medii, nonnunquam verò ex læsione organi, vt latiùs in secundo de anima disputatur. Vnde hæc sunt satis de hac falsitate.

II. Secundò suppono, quod ad nos attinet, solùm habere quæstionem hanc locum in humana cognitione: nam in diuinam certum est nullo modo posse cadere falsitatem, nõ solùm, quia illa cognitio est simplicissima, sed maximè, quia est perfectissima, infinita, & prorsus immutabilis ac æterna. De cognitione autẽ angelica non pertinet ad nos disputare, an possint intelligentiæ in aliquibus rebus, quas non perfectè cognoscunt ex natura sua, vt sunt supernaturales, vel contingentes, componere & diuidere, & hoc modo in errorem incurrere, vel an etiam sine compositione formali possint interdum propriè decipi circa aliqua obiecta: hæc enim disputatio propria est Theologorum & ideò ad illos etiam spectat, radicẽ illius falsitatis declarare, si fortè potest in angelis ex natura sua, vel nunc in malis reperiri: loquimur ergo tantùm de falsitate in humana cognitione.

III. Tertiò suppono, posse huius falsitatis radicem, & Theologicè & Philosophicè inuestigari. Priori enim modo dicet Theologus, radicem omnis erroris & falsitatis in hominibus esse originale pecatum, nam si illud non interuenisset, homines per originalem iustitiam ab omni errore seruarentur immunes. Verumtamen hãc causam omittamus, tum quia ad nos nunc non spectat, tum etiam quia illa non est causa propriè inducens in falsitatem, sed remouens prohibens. Vt. n. magis probata est ac fere certa Theologorũ sententia, peccatum originale non induxit in homines aliquam entitatem positiuam, quæ aut eos ad deceptionem inducat, aut tenebras eorum sensibus, vel intellectibus infundat. Solùm ergo eos priuauit iustitia, qũę omnem falsitatem depelleret. Vnde hoc ipsum supponit esse in natura humana, si extrinseco dono non præueniatur, seu custodiatur, sufficiens principium vel occasionem falsitatis, & hoc est quod philosophicè inquiri potest, siue illud sit aliquod internum principium in ipso homine existens, siue aliquod externum, quod possit hominem in falsitatem inducere.

IIII. Quartò considerandum est, compositionem, & diuisionem reperiri posse aut in sola apprehensiua conceptione præscindente à iudicio, aut in conceptione, quæ simul sit iudicatiua: diximus autẽ in superioribus, veritatem complexam propriè reperiri in compositione iudicatiua: vnde fit, idem dicendum esse de falsitate: nam contraria sunt eiusdem generis. Vnde nemo cẽsetur decipi seu errare donec iudicet, quantumuis falsas cõpositiones apprehendat. Quoniam autem apprehensio illa quę fit sine iudicio, regulariter fit per conceptus vocum potiùs quàm rerum, vt suprà dixi, sicut in compositione vocum est falsitas sicut in signo, ita admitti potest in illa apprehensione, quamuis in ea sit quasi materialiter, id est, non tanquam in affirmante vel proferente falsum, sed tanquam in signo, quod secundum se falsum significat. Sicut est falsitas in hac propositione, *Non est Deus*, vel scripta, vel materialiter prolata ab eo, qui refert, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*: & ideò de huiusmodi falsitate eadem ratio est, quæ de falsitate quæ est in compositione vocali, vt in signo. Si autem apprehensio fiat per conceptus rerum, vix potest intelligi, quomodo fiat propria compositio apprehẽsiua absque aliquo iudicio: quia talis compositio includit cognitionem, non tantùm extremorum, sed etiam coniunctionis eorum inter se: imò in hoc vltimo compositio consummatur, quandiu autem nõ est iudicium, non est cognitio talis coniunctionis: ergo neque esse potest vera compositio per conceptus rerum in sola apprehensione sistendo, sed erit C tantùm aut conceptio per modum simplicis apprehensionis, non solùm de extremis, sed etiam de vnione eorum, aut complexio quædam per modum quæstionis potiùs quã per modum enunciationis, & ita nõ poterit ibi esse falsitas de qua agimus, nisi admisceatur ibi aliqua compositio iudicatiua, qua illa propositio apprehensa iudicatur, vel possibilis, vel incerta. Quomodo dicunt Theologi, dubium in fide esse hæreticum, quia licet non habeat compositionem iudicatiuam, quòd aliqua propositio fidei falsa sit, tamen dum apprehendit rem vt dubiam, iudicat esse rem incertam, & hoc ipsum contra fidem est, & hæreticum. Solùm ergo restat dicendum de falsitate iudicii.

Quæstionis resolutio.

V. Est itaque animaduertendum quintò, duplici via posse hominem cognitionem acquirere, seu de reb. iudicare, scilicet, inuentione, & doctrina seu disciplina, & vtraque via peruenire potest ad verum & falsum iudicium. Sed est diuersitas, nam iudicium, quod sola inuentione acquiritur, semper fundatur in rebus

in rebus ipsis prout cognoscenti repræsentantur, A iudicium autem per disciplinam, interdum hoc modo fit, interdum verò nititur in sola authoritate dicentis, seu docentis, ita vt aliquando doctrina solùm se habeat vt proponens & applicans obiecta, & media iudicandi, interdum verò sit tota ratio iudicij. Quando ergo iudicium est huius posterioris modi, ita vt nitatur sola authoritate dicentis, facile est radicem falsitatis in eo reperire, nam quoad specificationem (vt sic dicã) prouenit ex imperfectione dicentis, seu docentis, quia nimirum vel falli pòtest, vel mentiri, & ideò huiusmodi origo semper est aliqua authoritas humana, vel potiùs creata, vt angelicam etiam includamus, quæ si aliunde non sit per veritatem increatam confirmata, etiam esse potest falsitatis causa. Quoad exercitium verò propria causa est voluntas ipsius hominis iudicantis, quod vniuersale est in omni iudicio falso, etiamsi per inuentionem acquiratur.

VI. Quod prouenit ex differentia notanda inter veritatem & falsitatem, nam ad veritatem potest intellectus necessitari, ad falsitatem autem non potest B simpliciter & absolutè loquendo, & ideò quoad exercitium nunquam potest in falsum iudicium incurrere nisi per liberam motionem voluntatis, nam secluså necessitate, non potest determinari intellectus ad iudicium nisi per voluntatem, cùm ipse liber non sit. Ratio autem illius differẽtiæ est, quia intellectus non determinatur ex necessitate ad iudicium nisi media euidentia rei cognitæ, vt experientia ipsa docet & ratio, quia absq; euidentia obiectum non perfectè applicatur potentiæ, vt eam ad se ex necessitate trahat ac determinet, euidentia autem non potest falsum iudicium parere, quia fundatur in re ipsa cognita prout est in se, vel necessariò resolui debet in aliqua principia per se nota, & manifesta. Et hinc etiam fit, vt veritas sit longè immutabilior, quàm falsitas: iudicium enim falsum ex se mutabile est, vel potiùs intellectus quoties profert iudicium falsum, potest mutari, & verum ferre iudicium: iudicium autem verum, si perfectum sit, est ex se quodammodo immutabile etiam in creaturis, nam licet simpliciter mutari possit, quia potest desinere esse, tamen quantum est ex se nõ permittit mutationem C in iudicium falsum, ratione euidentiæ: de hoc enim iudicio loquimur. nam si iudicium sit liberum, quãtumuis verum sit, potest intellectus ex illo in falsum iudicium mutari, quantum est ex vi illius, ex efficacia voluntatis.

VII. Dices, Interdum potest intellectus necessitari ab extrinseca causa, vt à Deo, vel ab angelo, qui, si malus sit, potest ita proponere aliquid falsum, vt intellectus dissentire non possit. Et confirmatur, nam ipsa euidentia interdum est apparens tantùm: ergo tunc potest circa falsum versari, & tamen non minus necessitat intellectũ, quàm si esset vera. Respondetur, posse quidem Deum necessitatem inferre intellectui, etiam in his, quæ euidentia non sunt: hic autem modus operandi est præter vel supra naturam intellectus, secundum quam nunc tantùm loquimur. Posito autem illo miraculo vera & sana doctrina Theologorum docet, non posse Deum inducere intellectum ad falsum, quia non minùs hoc eius bonitati repugnat, quàm mentiri. Vnde fieri nullo modo potest, vt prima falsitatis origo in Deum speciali modo ad illã inducentẽ seu operantem referatur. Quod verò ad angelum spectat, dicendum est, non posse angelum naturali virtute immediatè immutare intellectum ad iudicium seu actum secundum, hoc est enim propriũ Dei, authoris eius. Vnde multò minus potest angelus malus necessitare intellectũ ad falsum assensum, sed ad summũ põt suggestione & psuasione inducere ad assensum falsum per modum disciplinæ, semper tamen põt homo illi dissentire, aut saltem non assentire, si velit.

VIII. Ad illud deniq; de apparenti euidentia respondetur, dupliciter dici posse euidẽtiam apparentem. Primò, quia in nullo ordine verè talis est, sed ex aliquo errore aut præcipitatione intellectus existimatur esse talis. Secundò, quia in ordine naturali est re vera sufficiens euidentia, nihilominus tamen interueniente aliquo opere supernaturali potest deficere à veritate. Hoc posteriori modo fatemur, esse posse aliquam apparentem euidentiã, præsertim quando abstractiua est, vt in intellectu humano: qualis videri potest ethnico, quando iudicat hostiam consecratam esse panem. Tamen hæc euidentia quantum est de se non inclinat ad falsum, sed ad verum, & quando versatur circa actualem existentiam alicuius rei, quæ non in se videtur, sed ex alia colligitur semper habet subintellectam conditionem, scilicet, hoc ita esse quantum est ex virtute naturæ, seu ex naturalibus causis, seu nisi Deus aliquam supernaturalem mutationem in rebus faciat. Et ita non simpliciter necessitat intellectum, sed ex suppositione, quòd constet, nullam huiusmodi mutationem à Deo factam esse: quapropter hæc euidentia per se nunquam est origo falsitatis, sed ratione alicuius defectus, quem habet adiunctum, cuiusmodi est incredulitas, vel saltem ignorantia supernaturalis operis. Priori autem modo nulla est apparens euidentia, quæ simpliciter necessitet intellectum: quia planè repugnãt illa duo inter se. Sed interdum ita vocatur per exaggerationem, & præcipitationẽ, quæ magis est in verbis, quàm in interiori iudicio. Aliquando autem appellatur hæc euidentia ex suppositione aliqua, quæ est euidentia consequentiæ, non consequentis, & ideò non repugnat hoc modo intellectum necessitari ad falsum, quia illa non est necessitas simpliciter, sed ex suppositione, nec falsitas oritur ex euidentia, sed ex aliquo alio priori error, quem oportet voluntarium ac liberum esse quoad exercitium in ipso iudicio.

IX. Semper ergo falsitas actualis seu exercita per actuale iudicium, habet proximam originem in humana voluntate, quamuis quoad specificationem (vt sic dicam) seu quoad motiuũ oriatur ex authoritate creata seu ex imperfectione eius in prædicto iudicandi modo. Quòd si vlteriùs inquiratur vnde proueniat falsitas in eo, qui illã testificatur: Respondetur, dupliciter posse illum testificari falsitatem, primò absq; proprio errore, sed cognoscentem esse falsum, quod testificatur, quod est proprium & formale mendacium, & tunc origo eius est malitia seu libertas voluntatis. Alio modo potest id prouenire ex priori errore ipsius loquentis seu magistri docẽtis, cuius error prouenire vlteriùs potuit ex alterius doctrina & falsa testificatione, ne tamen in hoc genere in infinitum procedatur, sistendum necessariò est in aliquo errore commisso seu acquisito via inuentionis ab aliquo, qui veritatem inquirens in errorem lapsus est, putans se verum inuenisse. Et hoc ferè modo magna ex parte falsæ opiniones permistæ sunt veris in humanis disciplinis.

X. Sextò tandem dicendum est, originem huius falsitatis, quæ in ipsarũ rerũ cognitione miscetur absq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

extrinseca authoritate, radicaliter oriri ex eo quòd homo non concipit res per proprias earum species, & prout in se sunt: hoc autem ex eo prouenit, quod non immediatè, sed per species ministerio sensuum acceptas res concipit & apprehendit: nam hinc fit, vt sæpè ex imperfecta apprehensione sensus oriatur imperfecta apprehensio intellectus, & ex imperfecta apprehensione falsum iudicium: hoc enim modo interdum iudicamus aliquid esse animal, q̃ non est. Aliquando verò existente perfecta apprehensione in sensu, & in intellectu, circa obiectum per se sensibile, potest in intellectu accidere falsitas ex incepta compositione conceptum simplicium: quia ipsa coniunctio eorum inter se non semper per propriam speciem cognoscitur, aut sufficienter repræsentatur: idemque contingit ex mala illatione. Ac denique tota ratio huius defectus est, quia homo non assequitur euidentem veritatis cognitionem: nam omnis cognitio quæ huiusmodi non est, & ex rebus ipsis sumitur, de se est exposita falsitati. Quòd autem actu sit falsa, quasi contingenter & per accidens prouenit ex eo, quod res aliter se habeat, quàm iudicatur: per se enim nunquam hoc prouenire potest ex intentione assentientis, quia non potest tendere in falsum qua falsum est.

SECTIO III.

Vnde oriatur difficultas veritatem assequendi.

I. HOc dubium annexum est præcedenti, & ideò expediendum hoc loco est, tetigitque illud Arist. lib. 2. Metaph. cap. 1. & lib. 4. cap. 5. & sequẽtibus fusè disputat contra eos, qui non solùm difficile sed & impossibile putant synceram assequi veritatem. Quod si intelligerent collectiuè, vt Theologi aiunt, & per naturales vires, non essent improbandi, tamen quia sentiebant, in nulla omnino re assequi posse hominem veritatem prout in re se habet, ideoque non esse apud homines aliquid verum, nisi quod apparet: ideò valde errebant, vt latè ibi Aristoteles demonstrat. Igitur illo errore prætermisso de difficultate, quæ nobis est in rerum cognitione, breuiter dicendum est.

Variæ sententiæ.

II. TRes ergo sunt de hac re sententiæ. Prima refert totam hanc difficultatem assequendi veritatem in imperfectionem nostri intellectus. Hanc tenent Scotus, Maior, Anton. Andreas, & alij citato loco. Eisque multùm videtur fauere Arist. cit. loco dicens. *Cum difficultas duobus modis accidat, non in rebus, sed in nobis illius causa sita est.* Ratio verò est, quia res omnes de se sunt cognoscibiles, neque in eis est vlla difficultas, si in cognoscente sit virtus. Et ita à Deo æquali facilitate omnia cognoscũtur: quia ad omnia est ex parte illius sufficientissima virtus: Angeli etiam facillimè cognoscunt ea omnia ad quæ perfectio intellectualis virtutis eorum extendi potest. Quòd si aliqua vel non possunt, vel difficile intelligere possunt, solùm est, quia virtus intellectiua eorum est illis rebus inferior: ergo & in nobis tota difficultas prouenit ex imperfectione nostra.

Scotus. Maior. Antonius. Andreas.

III. Secunda econtrario censet, totam hanc difficultatem sitam esse in rebus ipsis, quam ex Heraclito refert Fonseca. Et potest ita declarari & suaderi, quia ideò intellectus noster difficultatem patitur in veritatibus assequendis, quia non habet proprias species rerum, per quas illas cognoscat: sed quod has non habeat non ex ipso prouenit, qui quantum est de se in potentia est ad omnes, sed prouenit ex rebus ipsis, quæ non sunt productiuæ specierum propriarum in intellectu nostro: ergo ex parte ipsarum rerum prouenit hæc difficultas. Exemplis res patet, nam substantia materialis, ideò non potest à nobis cognosci, quia non potest speciem sui imprimere, neq; in sensu, neq; in intellectu, quod non prouenit ex parte nostra, sed ex parte ipsius substantiæ, & idem est de partibus substantiæ, & in accidentibus, quæ per se sensibilia non sunt. Idem autem etiam est in spiritualibus substantijs, saltem creatis, vt Deum omittamus: non enim habent efficaciam ad immutandum intellectum nostrum, suiq; speciem illi imprimendam: ergo ex inefficacia ipsarum rerum prouenit hæc difficultas.

IIII. Tertia sententia media est, quasdam esse res perfectas & superiores homine, alias verò imperfectas & inferiores, & in omnibus cognoscendis difficultatem pati hominem, sed diuersa ex causa. Respectu itaque superiorum (ait hæc opinio) tota difficultas oritur ex nostra imperfectione, & non ex rebus, nam illæ, quantum est ex se, maximè intelligibiles sunt. Et de his videtur maximè locutus Aristoteles citato loco, vbi vulgatam illam rationem subdit, *Sicut oculus noctuæ ad lumen solis, ita se habet mens nostra ad manifestissima naturæ.* Ex quo ortum habuit illa vulgaris distinctio veritatum, nam quędam sunt per se notæ in se quæ nobis non sunt, ita notæ, aliæ econtrario. Respectu verò rerum inferiorum difficultas eas cognoscendi oritur ex ipsis: nam in nostro intellectu re vera est sufficiens virtus, tamen quia ipsæ imperfectæ sunt & parum intelligibiles, ideò difficilè illas cognoscimus. Exemplo res declaratur in visu, lumen enim Solis videre non potest, propter imperfectionem suam, non solis, tenuissimam autem lucem, aut minimum aliquod obiectum videre non potest propter imperfectionem ipsius obiecti, quia inefficacissimũ est ad potentiam immutandam. Et hæc est sententia D. Thom. Auert. Alexand. Alberti Magni in cit. loco Metaph. quos cæteri tam Thomistæ, quàm Auerroistæ sequuntur.

V. Quòd si inquiras, in quo ordine illarum rerum collocandæ sint res quædam, quæ videntur esse mediæ, vt elementa, & res aliæ naturales: Respondent aliqui in neutro illorum ordinum comprehendi, neque id esse necessarium, quia ad has res proposita quæstio non pertinet eò quod in illis agnoscendis nullam difficultatem homo patiatur, sed facillimè illas cognoscat. Ita sentit Fonseca lib. 2. Metaph. cap. 1. quæst. 1. sect. 2. Putat enim quæstionem hanc non versari de difficultate, quæ est in exacta & distincta cognitione rerum, nam hoc modo constat difficillimum esse etiam harum rerum sensibilium perfectã cognitionem assequi, sed quæstionem dicit esse de cõfusa & simplici rerum cognitione, quæ respectu nostri ordine prior est, quã distincta. Quia alias (inquit) dicendum esset, species rerum naturalium nobis esse cognitu difficillimas: quia, cùm sint compositæ, distincta earum cognitio pendet ex principiorum cognitione, & ita difficilior est. Vnde infert, motum & tempus non rectè numerari à D. Thoma & alijs inter res secundi ordinis, quæ propter sui imperfectionẽ difficilè cognoscuntur: quia quantum ad an est, & cognitione simplici & confusa nihil facilliùs cognoscitur, quam tempus & motus, quamuis explicare quid sint, sit difficillimum, vt Augustinus dixit 11. confess. cap. 14.

VI. Hæc tamen sententia mihi non probatur, est enim contra mentem omnium authorum huius tertiæ opinionis, vt constat ex hoc ipso exemplo motus & temporis proximè adducto. Deinde, quia nulla ratione probatur, hîc esse sermonẽ de cognitione confusa, & non de distincta, in qua præcipuè inuenitur difficultas assequendi veritatem, & multiplex est errandi occasio, cuius rei causam & radicem potissimè inuestigant Philosophi. Præterea quia, alias non ex perfectione, vel imperfectione rerum eam distinctionem sumpsissent, sed ex eo quòd res sint magis, vel minùs sensibiles, aut magis, vel minus cum sensibilibus coniunctæ, ideò enim faciliùs percipimus confusa & simplici cognitione colores, primas qualitates & similes, quia per se primò sensibiles sunt. Deinde magnitudinem & alia communia sensibilia per se secundò, inter quæ continetur motus, & consequenter tempus. Post hæc, sensibilia per accidens, quæ re ipsa coniuncta sunt cum sensibilibus per se, & ideò inter hæc facilius est totum cognoscere, quàm partes, quia est magis sensibile, & inter tota ipsa, ea quæ sunt propinquiora sensibus. Et simili proportione eo modo, quo res separatæ à sensibili materia cognoscibiles nobis sunt, illæ faciliùs cognoscuntur, quæ maiorem magisq; intrinsecam cum sensibilibus habent coniunctionem. Et ideò facilius Deus cognoscitur, quàm angeli, illo cognitionis genere, & inter angelos, qui motores sunt orbium, quàm alij.

VII. Itaq; non solùm agimus de cognitione confusa, sed simpliciter de veritatis assequendæ difficultate, & errandi facilitate, ideoq; res etiam materiales in secundo ordine comprehendi censentur, vt Iauell. notauit 2. libr. Metaph. q. 2. quia non actu, sed potentia tantùm intelligibiles sunt. Qua ratione etiam ipsæ qualitates per se sensibiles, quantum ad suam essentiam & naturam difficilè cognoscuntur. Imò & anima ipsa rationalis, quę sibi ipsi videtur esse maximè proportionata & adæquata, se ipsam difficillimè cognoscit, quia est forma materialis corporis, in quo aliquo modo deficit à perfectione rerum actu intelligibilium. Neq; contra hoc obstat illa ratio, quod species naturales essent difficillimæ cognitu. Aut enim comparantur ad alias rerum species simplices, aut minus compositas, aut ad principia, quibus constant: priori modo neganda est sequela, quia difficultas cognoscendi neq; secundum se, neque quoad nos oritur ex maiori compositione respectu aliarum rerum, quæ nullo modo intrãt talem compositionem, quia ad eas res omnino per accidens comparantur. Posteriori autem modo cõcedendum est illatum, quod nullum est inconueniens, vt per se constat. Quid enim mirum est, vt rei cognitio ex cognitione principiorum pendeat? Vnde comparatio præsentis quæstionis, vt rectè fiat, non debet fieri inter ea, quorum vnum, alterum includit, sed inter res condistinctas, & ita ferè loquuntur omnes prædicti authores.

VIII. Quarta sententia excogitari potest, quod prædicta difficultas ex vtroq; capite proueniat, scilicet, ex rebus, & ex nobis, quæ vt probabilis sit, de rebus creatis tantùm loqui debet. Nam in Deo nulla ratio ex parte eius potest excogitari, ob quam cognitu difficilis sit: nulla (inquam) quæ ad defectum, vel limitationem pertineat: ita enim loquimur. Quia alioqui certum est, Deum ob suam perfectionem infinitam non posse exactè cognosci ab intellectu creato, nedum ab humano: imò nec prout in se est, videri naturaliter potest: tamen prout hæc impossibilitas ex impotentia prouenit, hoc modo dicimus, non refundi in Deum, sed in defectum virtutis creaturæ. Atque in eodem sensu dicit hæc opinio, in omnibus alijs rebus difficultatem cognoscendi partim ex rebus ipsis, partim ex nobis oriri. Nam, quòd circa res immateriales & perfectas maxima ex parte hoc proueniat ex imperfectione nostra, prima & tertia opiniones citatæ fatentur, & per se notum est. Quòd autem aliqua ex parte tribuendum etiam sit imperfectioni ipsarum rerum, probatur ratione facta in opinione secunda. Quæ præterea declaratur in hunc modum: quia inter qualitates materiales, illæ, quæ non possunt sui speciem suo modo imprimere sensibus, dicuntur insensibiles, nõ tantùm ex defectu sensuum, sed ex natura sua, & simul etiam ex defectu virtutis, quam habent ad speciem sui efficiendam & (vt ita dicam) ad se manifestandum: sed etiam res creatę quantumuis immateriales, sunt ineptæ ad se manifestandum (vt sic dicam) intellectui aliter, & ad producendam sui speciem: ergo ex hac parte etiam ipsis est tribuendus defectus. Confirmatur, nam cognitio ex duobus principijs oritur, potentia nimirum & obiecto: ergo si tam obiectum quàm potentia, sit inefficax cognitionis, difficultas cognoscendi non minus proueniet ex defectu obiecti, quàm ex defectu potentiæ, cum vtriusq; efficacia necessaria sit, sed in præsenti non solùm potentia nostra est inefficax, sed etiam res ipsæ cognoscendæ sunt inefficaces, vel vt communicent sui speciem, vel vt per se ipsas ad sui cognitionem concurrant: ergo.

IX. Dices, his argumentis probaretur, non solùm in nostro intellectu corpori coniuncto, sed etiam separato, imò & in ipsis intelligentijs, esse naturalem difficultatem, seu ineptitudinẽ, vt cognoscantur: quia etiam in aliorum intellectibus separatis nõ possunt speciem sui producere, nec sese vllo modo eis manifestare. Respondetur, inprimis illud incertum esse: probabile namq; est, posse vnam intelligentiam quantum ex se est, sese obiectiuè alijs manifestare, suiq; speciem eis imprimere. Quòd si nunc id non efficiũt, ideò est, quia omnes habẽt à principio species substantiarum omnium per se infusas, respectu autem nostri intellectus, præsertim quando est in corpore, non habent huiusmodi efficaciam. Secundò dicitur, concesso illo antecedente rectè quidem sequi, quantum est ex efficacia talium obiectorum etiam ipsis intelligentijs esse difficilem, imò & impossibilem aliarum intelligentiarum cognitionem: nihilominus tamen, simpliciter & absolutè non esse illis difficilem, quia, licet non possint ab obiectis sumere species, habent tamen aliam naturalem viam qua illas obtineant tanquam sibi debitas.

X. Atq; hinc facilè probatur, etiam circa res inferioris ordinis difficultatem assequendi veritatem oriri non tantùm ex imperfectione rerum, vt secunda & tertia sententia asserebant, sed etiam ex imperfectione nostra, vt prima docet. Nam q̃ imperfectio rerum sit causa, à fortiori probant rationes factæ de rebus immaterialibus, quia multò ineptiores sunt res materiales ad se manifestandũ intellectui, eumq; immutandum, quàm res spirituales, & quo illæ res imperfectiores sunt, minusq; habent de entitate, eò sunt minùs aptæ ad prædictum effectum. Item, quia vt pos-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt possint intelligi, oportet vt eleuentur ad superiorem ordinem, & fiant aliquo modo immateriales, saltem in esse repræsentatiuo, seu virtuali, quod habent in specie intelligibili: ergo signum est, ipsas secundum se esse imperfectas in genere intelligibilium, & consequenter ex parte ipsarum esse magnam difficultatem intelligendi illas, & inueniendi veritatem, tantoque hanc difficultatem esse maiorem, quantò hæ res in suo ordine minus perfectiorem habent entitatem, minusque per propriam speciem repræsentabilem. Quod verò hæc difficultas etiam oriatur ex imperfectione nostra, præter adducta in opinione Scoti, declaratur ex proximè dictis, quia, si intellectus noster esset perfectus, haberet aliquam naturalem viam, qua posset obtinere proprias species harum rerum, etiamsi res ipsæ ineptæ sint ad illas præstandas: ergo, quòd intellectus noster nulla ratione aut naturali via possit illas obtinere, imperfectio eius est: ergo huic etiam tribuenda est illa difficultas. Et confirmatur, quia tota hæc difficultas magna ex parte oritur ex eo, quòd intellectus noster corpori coniunctus pendet in actu suo à phantasmatibus, cuius signum est, quia separatus à corpore plura & facilius poterit cognoscere, etiam de his rebus, quæ imperfectæ sunt, minusq; intelligibiles esse videntur: sed hæc est imperfectio nostri intellectus: ergo illa est semper causa, vel (vt ita dicam) concausa huius difficultatis. Accedit, quod Theologi docent, hominem non posse lumine naturæ omnes veritates inuenire, aut omnes errores euitare, etiam in rebus naturalibus, & speculatiuis, cum Dei autem adiutorio vtrumq; posse: ergo signum est, hanc difficultatem, vel potiùs impossibilitatem, oriri ex limitatione nostri intellectus, & dependentia, quam habet à sensibus.

Quæstionis resolutio.

XI. IN hac re existimo, tertiam sententiam, quæ D. Thomæ est, simpliciter veram esse, dummodò prima non omnino excludatur: secunda enim improbabilis est, quarta verò ex parte minùs probabilis, licet in multis veritatem attingat. Itaq;, quòd hęc difficultas respectu omnium rerum oriatur aliquo modo ex imperfectione nostra, probant rationes adductæ in prima & quarta opinione quæ quoad hoc cõ- C uincunt: neq; existimo, D. Tho. hanc causam excluisse, sed in quibusdam rebus aliam adiunxisse. Vnde vlteriùs verum etiam est, respectu rerũ inferiorum hanc difficultatem augeri seu simul oriri ex imperfectione illarum, quod etiam probant rationes tertiæ & quartæ opinionis, ipsaq; experientia satis docet: quasdam enim res imperfectissimas difficillimè cognoscimus, cùm tamen res aliquas perfectiores faciliùs cognoscamus: signum ergo est, difficultatem hanc oriri ex rerum ipsarum imperfectione. Neq; Scotus, vel alij authores primæ opinionis hoc negare potuerunt, vel, si hoc negent, falsi sunt. Non est verò quoad hoc eadem ratio de rebus perfectis, & immaterialibus, quod D. Thomas etiam intendit & in eo quarta opinio deficit: quia illæ res sunt de se aptissimæ vt intelligantur.

XII. Obiectio autem facta de productione specierum in hunc modum dissoluenda est, nam inprimis, si teneamus, illas substantias esse productiuas specierum se repræsentantium in aliorum intellectibus, consequenter dicendũ est, quòd id non faciant circa intellectum humanum, præsertim corpori coniunctum, nõ prouenire ex inefficacia earũ, sed quia ille non est capax talium specierum, præsertim pro illo statu: nam si in statu separationis illas potest recipere, etiam illa obiecta actu intelligibilia poterũt illas imprimere iuxta passi capacitatem. Si autem teneamus, has substantias non posse imprimere sui species, dicendum inprimis est, id non propriè prouenire ex imperfectione earũ, sed potiùs ex quadã perfectione, quamuis limitata & finita. Sicut, cp vna substantia immaterialis non possit producere sibi similem, non est propriè ex imperfectione, cùm aliquæ res minùs perfectæ id possint, sed ex perfectione, ratione cuius habent, vt nõ possint, nisi per creationem produci: sic ergo in præsenti, quamuis illæ substantiæ actu sint intelligibiles, tamen quia substantiæ sunt finitæ, nõ possunt esse immediata principia ad efficienda accidentia in alijs subiectis. Vel certè, quia per se respiciunt intellectus omninò abstractos à materia, qui natura sua postulãt, vt à principio sint in actu primo, ideò tales substantiæ ex se quidem sunt actu intelligibiles tanquam proportionata obiecta terminatiua intellectionis, quæ supponunt in intelligente actum primum, non verò illum conferunt. Vnde si aliquis intellectus respectu illarũ rerũ est in pura potentia, illius imperfectioni attribuendum est, cp actu primo careat, non autem imperfectioni obiecti. Vel secũdò dici potest, quòd sicut his substantijs quatenus intelligentes sunt debetur actus primus, seu species qua intelligere valeant ita eisdem quatenus intelligibiles sunt debitum est, vt earum species cæteris substantijs eiusdem ordinis communicentur. Vnde quod intellectus noster, dum est corpori coniunctus, non possit illarum species obtinere, non est propriè ex impotentia earum: sed est ex eius imperfectione, quia in eo statu non potest talibus speciebus vti. Vnde statim ac separatur à corpore, illas recipit suę capacitati accommodatas, quibus deinceps vti potest.

XIII. Relinquitur ergo, difficultatem hanc oriri ex improportione quæ est inter intellectum nostrum & obiecta intelligibilia: improportio autem hæc in vtroq; extremo, intellectu scilicet & obiecto, fundatur, non tamen eodem modo: nam respectu rerum inferiorum fundatur in imperfectione earum, iuncta imperfectione intellectus non habentis vim ad attingendam (vt ita dicam) minimam intelligibilitatem talium rerum: in rebus autem superioribus fundatur in excessu perfectionis, quam imperfectio nostra satis capere non potest, atq; ita fit, vt ferè in rebus omnibus difficile nobis sit veritatem inuenire. Accedit etiam, quod in singulis rebus & questionibus veritas vna est, falsitas autem multiplex: quia multis modis à veritate recedi potest, multaq; possunt habere apparentem similitudinem alicuius rei, quæ re vera non sunt. Et inde etiam fit, vt veritatis inuentio difficilis sit, lapsus autem in falsitatem facilior, atque frequentior.

DISPVTATIO X.

De bono, seu bonitate transcendentali.

I. HÆc est vltima proprietas simplex, quæ enti attribuitur, de qua inprimis supponimus bonitatem esse: id enim tam certum & per se notum est, vt non indigeat probatione: nam & Scriptura dicit, vidisse Deum bonitatem in creaturis à se productis, Genesis primo, & Aristoteles dixit, bonum esse, quod omnia appetunt, 1. Ethic. cap. 1. Vnde, quam de, quam est certum & experimento cognitum, esse A in rebus naturalem inclinationem seu appetitum ad aliquid, tam est etiam notum, esse bonum, seu bonitatem in rebus. Hoc ergo posito explicandum est, quidnam bonitas sit, & quotuplex, & quænam illarum sit passio entis, & quomodo ad ipsum ens comparetur.

SECTIO I.

Quid bonum, seu bonitas sit.

I. QVm bonum nomen sit connotatiuum seu denominatiuum, hic non inquirimus, quid illud sit, quod bonũ denominatur: nam certum est, illud, in communi loquendo, esse ens, quod natura seu ratione bonum antecedit, vt in superioribus dictum est, & ex sequentibus magis constabit, sed inquirimus, quæ nam sit illa forma seu ratio, à qua res bona denominatur. In qua explicanda eadẽ est varietas opinionum, quæ in cæteris passionibus entis.

II. Prima opinio ait, bonitatem non dicere aliquam B rationem realem, sed solùm relationem rationis conuenientiæ vnius ad alterum. Quæ opinio indicatur à Caprecol. 2. d. 34. quæst. 1. & in hunc modum explicatur. Nam bonitas, vt ex ipsa voce & ex communi modo concipiendi constat, nõ addit enti aliquam rationem priuatiuam, quia priuatio potiùs dicit carentiam perfectionis seu bonitatis: dicit ergo positiuam rationem. Rursus, non dicit formaliter ipsam rationem entitatis, tum quia hæc duo diuersis conceptibus ac definitionibus à nobis concipiuntur & explicantur, tum etiam, quia aliàs bonitas non esset proprietas entis, sed potiùs voces illæ essent synonimæ. Neque etiam bonitas potest in suo conceptu includere entitatem, & aliquid illi addere, quia proprietas non includit intrinsecè in conceptu suo naturam seu essentiam sui subiecti. Necesse est ergo vt bonitas dicat aliquid superadditum enti: sed hoc non potest esse aliquid reale: quia vt suprà latè ostensum est de passionibus entis in communi, enti reali vt sic non potest addi aliqua C ratio realis non solùm ex natura rei, verum nec ratione distincta, quæ sit passio eius. Item quia nec talis ratio potest esse absoluta, nec relatio realis, vt infrà probabimus: ergo solùm addere potest bonum supra ens, aliquid rationis, quod non potest esse, nisi prædicta relatio conuenientiæ. Qui discursus videtur esse D. Thom. q. 1. de verit. art. 1. & q. 21. art. 1. Et confirmari potest quia bonum & appetibile in re idem sunt, quamuis his nominibus non idem respectus significetur: nam appetibile dicit formalem denominationem ab appetitu, vel respectum ad illum: bonum autem non id dicit formaliter, sed id, quod ex parte obiecti est fundamentum talis denominationis, seu habitudinis: propter quod hæc causalis vera est, quia bonum est, est appetibile. Sed omnis res appetitur, propter conuenientiam, quam habet cum appetente: amat enim vnusquisq;, quod conueniens est: ergo ratio boni in hac ratione conuenientiæ consistit: hæc autem ratio conuenientiæ non est nisi relatio, vt ipsa vox præ se fert: & explicari potest, quia res eadẽ, quoad omnia absoluta huic est conueniens, illi disconueniens, vt calor est conueniens igni, & disconueniens aquæ: ergo consistit conuenientia in relatione, & non reali, vt ostendemus: ergo rationis.

Bonitas non est relatio rationis.

III. SEd nihilominus hæc opinio virtute improbata est in superioribus, quoad duo. Primùm quod neget, has passiones entis includere in conceptu suo formali & intrinseco entitatem, quod tam in communi, quam in singulis suprà tractatis ostendimus esse falsum, & in præsenti videtur manifestius: nam quod entitatem non includit, nihil est: quis autem concipiat bonitatem esse nihil, cùm illa trahat appetitum, & rationem causæ finalis habere dicatur, & sit ipsa perfectio rei, vel integra, vel ex parte vt explicabimus? Vnde D. Thom. 1. par. quæst. 48. artic. 5. dicit, bonum per se & principaliter consistere in perfectione: perfectio autem sine entitate, neque intelligi potest. Vnde August. libr. 1. de doct. Christiana. cap. 32. ait, quod, *in quantum sumus, boni sumus.* Secundum est, relationem rationis esse passionem entis, nam loquendo propriè de relatione rationis, prout dicit aliquid mente confictum, & quasi additum rebus, ostendimus id esse falsum, & in præsenti euidenter etiam constat. Primò quia, vt Aristot. docet 6. Metaphysic. in fine, Bonum est in rebus, & in hoc distinguit illud à vero, non est ergo formaliter sola relatio rationis. Deinde, quia vt ex Augustino libr. de natura boni. cap. 3. tractat. 13. August. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 5. *Bonum consistit in modo, specie & ordine*, quod etiam infrà exponemus: hæc autem non sunt conficta per intellectum, sed in rebus ipsis existunt: ergo neque ratio boni. Item, quia hæc est differentia inter verum bonum, & apparens, quod apparens solo intellectu fingitur, & apprehenditur, verum autem bonum in re ipsa subsistit, & ante omnem fictionem intellectus supponitur: vnde de Deo dicitur; *vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona*, at non vidit in eis relationem rationis, non ergo consistit bonitas in ficta relatione, neq; hæc ad illam requiritur.

IIII. Sunt verò, qui dicant, quamuis aliquæ relationes rationis tales sint, quæ à fictione & cogitatione intellectus pendeant, vt relationes generis vel speciei, aliàs verò esse quæ sunt in rebus ipsis absq; cogitatione intellectus, vt relatio creatoris vel domini in Deo. Sed hi vel æquiuocè loquuntur de relationibus, vel in verbis inuoluunt repugnantiam. Quomodo enim in rebus ipsis sunt ante opus rationis, si relationes rationis esse dicuntur? Aut in quo differunt à relationibus realibus, si sunt subiectiuè in rebus, & non tantùm obiectiuè in intellectu? Nec illæ denominationes creatoris aut domini prout intelliguntur antecedere cogitationem intellectus sumũtur à relationibus rationis, de quo alias. Adde, qualiscunq; hæc relatio fingatur, non posse in ea rationem bonitatis consistere, quod magis constabit ex his, quæ de relatione reali dicemus. Fundamentum autem huius sententiæ ad summum probat, bonum præter totam intrinsecam rei entitatem connotare aliquid aliud extrinsecum, seu denominationem sumptam ex consortio plurium, præsertim, quando vna res dicitur bona alteri, vt infrà declarabimus.

Bonitas non est relatio realis.

V. SEcunda sententia ponit, rationem bonitatis in aliqua relatione reali superaddita enti consistere. Quæ opinio fundanda ac declaranda est, sumpto principio contra præcedentem sententiã, probato bonitatẽ cõsistere debere in ratione aliqua reali: nã illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud non potest esse merè absolutum, vt probat sa- A tis argumentum factum, quod eadem res respectu vnius sit bona, & respectu alterius mala: erit ergo relatio realis. Quæ sententia tribuitur Durando in 2. d.34.q.1. Sed cùm Durandus in alijs etiam rebus neget proprias relationes reales, alia est in præsenti mens eius, vt infrà videbimus. Cuiuscunq; autem sit illa sententia, manifestè falsa est. Quod eisdem argumentis, quibus de veritate id probauimus, cum proportione applicatis hîc ostendi potest. Primò, quia Deus ab æterno bonus est, bonitate transcendentali cõmuni tribus personis, & tamen in eo nulla est relatio realis communis tribus personis. Secundò, quia calor, vbicunq; existat, habet totam suam bonitatem, etiamsi ignis non existat, neq; aliquod aliud subiectum, cui conueniens sit calor: ergo, & tunc non habet relationem realem conuenientiæ: ergo non consistit bonitas in hac relatione. Tertio, etiam quando calor existit in igne, vel iustitia in homine, non est bonum eius propter relationem realem: nam hoc ipso, quod talis forma per suam entitatem absolutam informat tale subiectum, est bo- B num & perfectio eius, præcisa omni insurgente relatione, vel secundum realem durationem, si re vera nulla est talis relatio, vel secundum intellectum, & naturæ ordinem: priùs enim natura sunt talia extrema secundum suas entitates & perfectiones absolutas, quã inter ea insurgat relatio. Quartò, quia, vel relatio illa realis dicit perfectionem, & entitatem realem, vel non. Si non dicit (vt multi existimant) aliquam perfectionem realem, quomodo potest esse bonitas alicuius rei, cùm bonitas perfectionem dicat? Si autẽ dicit perfectionem, ergo & bonitatem: dicet ergo realem relationem conuenientiæ, & illa relatio erit eius bonitas: & sic procedetur in infinitum, quod argumẽtum vulgare est in relationibus. Vel si illa relatio est conueniens & bona absq; tali relatione conuenientiæ, idem facillimè intelligi poterit in quacunq; forma, vel re absoluta.

Bonitas nihil absolutum dicit in re distinctum ab entitate.

VI. TErtia sententia est, bonitatem dicere quandam proprietatem absolutam ac realem superadditam enti, & ex natura rei seu formaliter distinctam ab illo, quæ sententia tribuitur Scot. in 1. d. 3. & alijs locis, quæ suprà tractata sunt, & videre licet in Capreol. 2. d. 34. q. 1. Et potest probari ex dictis à sufficienti enumeratione, quia bonitas oportet vt sit aliquid reale, & non potest esse relatio: ergo debet esse absolutum. Et vt sit proprietas oportet vt in re aliquo modo distinguatur. Sed contra hanc sententiam procedunt omnia, quæ in communi de passionibus entis, & in particulari de vnitate, & veritate dicta sunt. Et præterea, vt clariùs in præsenti falsa esse intelligatur, distinguere possumus, dupliciter ens aliquod dici bonũ, vno modo absolutè & in se, scilicet, quia in se bonum est, quomodo dicitur Deus bonus, aut homo bonus. Alio modo dicitur aliquid bonum, quia alteri bonum est, quomodo virtus dicitur esse bona, quia bonum facit habẽtem, & sic ait D. Thom. q. 21. de verit. art. 1. *bonum dicere rationem perfectiui alterius.* De qua distinctione statim plura dicemus. Res ergo, quæ dicitur bona alteri, non potest denominari bona ab aliquo modo reali & absoluto ex natura rei distincto ab entitate eius: quia huiusmodi res præcisè concepta in sua entitate, ratione illius est conueniens ei, cui bo- C na dicitur, vt sanitas per se ipsam & non rationealiquius modi superadditi, est conueniens animali, & virtus, aut scientia ex eo præcisè quòd virtus & scientia est, est conueniens homini: omnino ergo dictũ est ponere in huiusmodi formis modos superadditos, quibus bonæ sint, præscindamus enim per intellectum talem modum, & consideremus in scientia solam essentiam eius, & inueniemus illam cõuenientem, valdeq; proportionatam humano intellectui. Et similiter forma ex eo præcisè quòd forma est, est bona & cõueniens materiæ, & sic de alijs. Adde, hic etiam habere locum argumentum illud, quod de illo modo superaddito interrogari poterit, an sit conueniens alteri, nẽ ne: nam si conueniens non est, quomodo forma illo modo affecta ratione illius potest esse conueniens? Si autem etiam ille modus conueniens est per se ipsum (ne vlteriùs & in infinitum progrediamur) etiam forma ex vi suæ essentiæ, seu differentiæ vltimæ per se ipsam poterit esse conueniens.

VII. Et hinc facilè intelligitur, in re, quæ bona dicitur in se & absolutè, etiam esse conflictum modum illum. Aut enim res dicitur bona essentialiter, aut accidentaliter, quomodo dicitur bonus, homo studiosus. Hoc posteriori modo est quidem bonitas aliquid distinctum ab ipsa re, quæ denominatur bona, vt sanitas est distincta à sano, & pulchritudo à pulchro: vnde interdum est modus rei sic affectæ, vt figura, interdum verò est entitas addita alteri entiad perficiendum illud, vt scientia additur intellectui. Non tamen est hæc bonitas, quam nunc consideramus, quia talis bonitas respectu illius entis cui accidit, non est intrinseca passio entis, sed est quoddam accidens eius: vnde non est bonitas transcendẽtalis, sed potest dici bonitas formalis, vel materialis, vel obiectiua, vel alia similis iuxta varios respectus cõuenientiæ, quos vna res põt ad alterã habere. Nisi fortè consideretur illa bonitas respectu ipsiusmet rei vel formæ, quæ bona alteri dicitur, de qua iam dictum est: vel respectu totius constituti per illam, quomodo est intrinseca pars entitatis eius, sicut forma est intrinseca pars compositi, & dici põt quoddam bonũ, vel bonitas eius, & sic iam pertinet ad bonitatem essentialem illius constituti vt sic. De hac ergo etiã est euidens non posse addere modum intrinsecum & absolutum ex natura rei distinctum ab entitate rei: quia bonitas totius non est, nisi quæ consurgit ex bonitate partium, sed ostensum est, bonitatem formæ non addere aliquid intrinsecum vltra formã, & consequenter nec bonitatem materiæ supra materiam, nec bonitatem vnionis supra vnionem, ergo nec bonitas compositi addet aliquã proprietatem distinctam supra totam entitatem compositi vt sic. Et declaratur applicando argumentum factum: nam præcisa illa proprietate manent in illo composito tota bonitas materiæ & formæ, inter se vnitæ: ergo & bonitas compositi. Quòd si neque in ente composito bonitas addit illum modum, neque etiam in ente simplici quod ordinatur ad aliud componendum: euidenter infertur, etiam in substantijs simplicibus, bonitatem substantialem seu essentialem vel transcendentalem, nihil intrinsecum addere entitati earum, est enim eadem vel maior ratio: quia hæc entia sunt & simpliciora & perfectiora.

VIII. Et hinc à fortiori impugnatur opinio, quã refert Soncin. 4. Metaph. q. 19. quæ asserebat, bonitatem hanc transcendentalem esse accidens quoddã verè ac pro-

ac propriè pertinens ad prædicamentum qualitatis. A Quod est euidenter falsum, tum quia prædicatum transcendens non potest ad vnum genus limitari, tum etiam quia vnaquæque res per seipsam bona est, quod non solùm in Deo est certissimum, sed etiam in aliis entibus, ex discursu facto. Nam anima, verbi gratia præcisè ratione suæ substantiæ aliquid perfectionis habet, & bona est ac conueniens homini, & appetibilis ab ipso, & idem est in quantitate, & in qualitatibus ipsis: nam in singulis speciebus est propria bonitas ac perfectio, vnde bonitas non constituit proprium qualitatis genus, vel speciem, alioqui vna qualitas per aliam bona esset, quod est ridiculum: maximè cùm eadem qualitas possit esse bona vni, & mala alteri.

Bonitas absolutè non consistit in perfectione reali entis.

IX. ESt ergo quarta sententia, bonitatem nihil aliud dicere, quàm intrinsecam rei perfectionem, quæ absoluta est in absolutis, & relatiua in relatiuis. Vnde fieri videtur consequens, bonum nihil aliud esse B quàm ipsum ens, quatenus in se aliquid perfectionis habet. Hæc opinio tribuitur Heruæo quodl. 3. q. 2. ibi tamen magis sentit bonitatem dicere entitatem, quatenus est perfectiua alterius, seu quatenus ad alterius perfectionem ordinatur, quàm vt in se habet perfectionem aliquam, de quo sensu infrà dicam. Aliter ergo potest explicari hæc opinio, quòd bonitas vniuscuiusque rei sit illa perfectio, qua vnaquæque res in sua entitate perfecta est: vnde si sit ens simpliciter, erit in se habens tantam perfectionem, ratione cuius in se etiam erit quoddam bonum: si verò sit ens secundum quid, seu entis ens, vt pars totius, vel accidens subiecti, sic erit bonum illius, cuius est ens, & ratione perfectionis entitatiuè, quam habet, dicetur in se quoddam bonum: ea verò ratione, qua illa perfectio vel instituta est, vel apta ad perficiẽdum aliud dicetur bonũ alterius. Vnde sicut accidens eadẽ entitate, est in se ens, & ens alterius, ita eadem perfectione est in se, id est, intrinsecè quoddam bonum, & bonum alterius. Sic ergo rectè intelligitur & explicatur, bonitatem in vnaquaque re, nihil esse præter vniuscuiusque perfectionem.

X. Probatio autẽ huius sententiæ sic expositæ inprimis sumi potest ex dictis, à sufficiente enumeratione: quia bonitas non est relatio rationis, nec realis, ne q; absolutum quid additum enti: nihil ergo aliud supereſt, quod esse possit, nisi rei perfectio. Deinde quia bonum & perfectũ idem sunt, vt docet D. Tho. 1. p. q. 5. art. 1. 3. & 5. & infrà declarabimus: ergo & bonitas & perfectio sunt idem: nam bonum & perfectum non materialiter tantùm, sed formaliter idem sunt, quia vnumquodq; in tantùm bonum est, in quantum est perfectum. Denique hoc modo facilè concipi & declarari potest ratio bonitatis, & nulla ratio est, quę cogat ad aliquid aliud addendum, neq; quid illud sit, facilè potest explicari, vel intelligi: ergo signum est in hoc consistere rationem bonitatis.

XI. Sed licet hæc sententia videatur per se facilis ac perspicua, & magna ex parte rem declaret, non tamẽ omnino, & ideò aliquid aliud addere oportet, propter duo. Primò, quia iuxta hanc expositionem, bonum non est passio entis realis, sed essentia eius. Vnde bonum & ens potiùs tanquam synonyma cõuertentur, quàm vt subiectum & passio. Sequela patet, quia nihil est magis essẽtiale enti reali, quàm habere aliquid perfectionis, & donec concipiatur aliquid vt ens alicuius perfectonis, non cõcipitur vt ens reale: vnde in hoc sensu aliqua est differẽtia inter hæc duo nomina, magis erit in etymologia, quàm in re significata: quia ens sumptũ est ab actu essendi, bonũ autem à perfectione, quam formaliter & ex necessitate includit actus essendi. Secundum est, argumentum suprà propositũ, quod eadem res dicitur bona vni & mala alteri, cùm tamen eandem perfectionem includat.

Bonitas addit enti rationem conuenientiæ.

XII. DIcẽdum ergo est, bonum supra ens solùm posse addere rationem conuenientiæ, quæ non est propria relatio, sed solùm connotat in alio talem naturam habentem naturalem inclinationem, capacitatem, vel coniunctionem cum tali perfectione: vnde bonitas dicit ipsam perfectionem rei, connotando prædictam conuenientiam seu denotationem consurgentem ex coexistentia plurium. Hanc conclusionem intendit Durand. cit. loco, & probari potest primò à sufficiente enumeratione ex omnibus dictis contra alias sentẽtias, & quia nihil aliud excogitari potest, illis exclusis. Secundò, quia quæ adducta sunt in fauorem vltimæ sententiæ, probant sine dubio perfectionem includi in conceptu bonitatis, & idem etiam cõfirmant, quæ dicta sunt contra primam sententiã, quia non potest bonitas non includere entitatem, & consequenter perfectionem. Rursus quæ obiecta sunt contra vltimam sententiam, optimè saluantur posita prædicta connotatione: nam illa sufficit, vt sit nonnulla distinctio rationis fundata in rebus inter bonum & ens, vt sic possit bonum attribui enti tanquam proprietas, & non esse synonymũ cum illo, quia formaliter aliud est esse seu habere entitatem: aliud verò ratione entitatis habere semper aliquam conuenientiã, quam ratio boni declarat. Deinde hoc satis est, vt eadem res, retinẽs eandem perfectionem, sit bona vni, & mala alteri: nam cùm dicitur bona vni, præter perfectionem eius, quę bona dicit, cõnotatur in altera cui bona dicitur, inclinatio seu capacitas cõnaturalis alterius, in alia verò cui mala dicitur, connotatur carentia talis capacitatis, seu inclinationis, vel potiùs cõtraria inclinatio: ergo hoc modo saluantur omnia, quæ in bonitate inueniuntur absq; alia relatione adiuncta, vt in simili dictum etiam est de veritate. Tandem hoc potest declarari inductione in omnibus bonis: nam bonum honestum ex omnium sententia dicit bonum quod per se est cõueniens naturæ rationali vt sic, bonum item delectabile nihil aliud est, quàm bonum habens conuenientiã cum natura sensibili, vt Caiet. latè tractat 1. 2. q. 32. ar. 1. explicans quomodo id nõ sit relatio, sed ipsa res, vt accõmodata tali naturæ, quod nihil aliud dicere potest, quàm mutuam rerum connexionẽ, & fundamentalem proportionem, idemq; reperitur suo modo in bono vtili, quod solùm dicit bonum aptum & accommodatum ad finem intentum: Rectè igitur conuenientia, quam dicit bonum, prædicto modo declaratur.

XIII. Vna tantum supereſt difficultas, quia hoc modo non adæquatè, sed tantùm ex parte ratio boni explicatur: nam, vt suprà dicebam, bonum dupliciter de rebus dici solet, scilicet, vel quia res in se bona est, vel quia est bona alteri, quæ diuisio sumpta est ex Aug. 8. de Trini. c. 3. & ex D. Thom. in 2. d. 27. q. 1. a. 2. ad 1. q. 1. de virtut. a. 2. ad 1. & 1. 2. quæst. 26. art. 4. Vbi ẽt addit id quod in se bonum est, esse absolutè & simpli- V citer

obiectio. Augustt. D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

citer bonum: quod autem est bonum alteri, tantùm A est bonum secundum quid. Quo sensu dicere solet idem Diuus Thomas, accidens non esse bonum vt habens bonitatem, sed quia cedit in bonitatem subiecti, vt videre licet in 3.par.quæst.11.art.5.ad 3. Et 1.2. q.55.a.4.ad.1.dicit virtutes, non tam esse bona quædam, quàm bonitates quasdam, quod dictum est, nõ quia in se non habeant perfectionem, sed quia eam habent accommodatam ad perficiendum aliud. Sicut accidentia dicuntur esse entis entia potiùs, quàm entia, quia tantùm habet vnaquæque res de bonitate, quantum habet de esse, vt idem D.Thomas ait.1.2.quæst.18.art.1. Eandem distinctionem boni secundum se, seu respectu alterius habet Scotus quodl.18. At verò prædicta ratio boni, vt à nobis explicata est, solùm conuenit rei, vt dicitur bonum alterius: sub hac enim ratione optimè explicatur, quod rem esse bonam dicat perfectionem talis rei, connotando in altera capacitatem, inclinationem, vel aliam similẽ connexionem: hoc autem non potest conuenire illi bonitati, qua res dicitur in se bona, quia hæc bonitas omnino absolutè dicitur, & absq; vllo respectu ad aliud, ẽt fundamentali seu secundũ dici: ergo illo modo nõ explicatur adequata, nec præcipua ratio boni.

XIV. Ad hanc difficultatem responderi potest primò, 1. Responsio. nos hîc describere bonitatem, quæ est passio entis: bonum autem solùm esse passionem entis prout dicit conuenientiam ad alterum seu prout est bonum alteri: hoc enim modo distinguitur bonum aliquo modo ab ente, & conuenit omni enti, ẽt perfectissimo: Deus enim, qui summè bonus est, etiam est bonum aliorum: nã Deus clarè visus est summum bonũ obiectiuũ creaturæ rationalis, & Verbum Diuinum est maximum humanitatis Christi. Bonum autem absolutè sumptum, scilicet, prout est bonum in se, non videtur pertinere ad passionem entis, sed potiùs ad essentiam seu entitatem eius, vt suprà argumentabar, quia bonũ hoc modo idem est, quòd perfectum, vt Diuus Thomas sæpè dicit 1.part. quæst.5. perfectum autem includitur in essentiali conceptu entis realis, quia non potest concipi ens cum entitate, quin cõcipiatur cum perfectione essentiali. Tum quia ipsum esse est perfectio, tum etiam, quia perfectio essentialis conuenit enti per se primò, & in hoc C differt à perfectione accidentali siue sit extrinseca, siue intrinseca ad modum propriæ passionis: Vnde per hanc perfectionem essentialem vnaquęq; res cõstituitur in certo gradu entis, & per eandem inter se distinguuntur & ordinantur entia. Sic enim (vt suprà dicebamus) primò distinguitur ens in infinitũ & finitum secundum perfectionem essentialem: ergo huiusmodi perfectio essentialis nõ addit aliquid supra ens & essentiam: ergo bonum sub hac ratione non videtur propriè esse passio entis, sed ipsum ens. Et hoc modo dixit Scotus quodl. 6. magnitudinem perfectionis essentialis non esse aliud ab essentia, etiam in creaturis. Quod cęteri omnes docent. Et potest hoc à simili explicari ex his, quæ suprà dicebamus de veritate, scilicet, quod quatenus dicit absolutam rationem veræ entitatis, id est, non fictæ, sed ratę, vt sic non dicit passionem entis, sed declarat solùm ipsam realis entis rationem, ideòque solùm est passio vt connotat aliquo modo conuenientiam ad intellectum: sic ergo videtur dicendum de bono seruata proportione.

XV. Quæ responsio fiet verisimilior, si exactè intelli- Quomodo bonũ & perfectũ differant. gatur, quomodo se habeant ratio boni, & ratio perfecti: dicit enim Arist.5.lib.Metaph.cap.16. *perfectum dici, extra quod non est vllam partem accipere, seu cui nihil deest.* Quo sensu non omne bonum perfectum est, vt per se constat, neq; etiam omne ens est perfectum, licet sit bonum: puer enim ens est & homo, nondum tamen perfectus: & homo habens perfectam quantitatem: non verò qualitates, vel habitus suæ naturæ, consentaneos, licet bonus aliquo modo sit: non tamen perfectus. Hoc ergo sensu perfectũ dicitur, non quodcunque bonum, sed illud quod omni ex parte cõsummatum est, quod est simpliciter bonum. Alio tamen modo potest perfectum dici, quidquid sub aliqua ratione entis, habet perfectionem simpliciter necessariam & essentialẽ, quomodo puer potest dici perfectus homo quoad essentiam, & similiter dicũt Theologi charitatem remissam, licet dicatur imperfecta respectu intensę, tamen simpliciter & quoad essentiam esse perfectam, quomodo ait Ioan. 1. Cano. c.2. *Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Atque hoc modo bonum & perfectum conuertuntur, imò sunt omnino idem, prout bonũ dicit id: quod in se bonum est, seu cp habet bonitatem, id est, perfectionem sibi debitam: hoc autẽ nihil aliud est, B quàm habere essentiam vel entitatem sibi debitam, igitur bonum sub hac ratione nihil aliud essentialiter ac formaliter dicit, quàm ens, esse enim charitatẽ perfectã dicto modo, nihil aliud reuera est, quã esse charitatem, & sic de aliis. Imò ẽt esse perfectũ priori modo, seu bonum simpliciter, nihil aliud est, quàm esse ens habens totam entitatem, quæ ad complementum eius requiritur.

Et hoc modo intelligẽdus est D.Tho. cùm dicere solet (vt videre licet 1. p.q.5.art.1.ad 1.) aliter inter se cõparari in creaturis ens simpliciter & secũdũ quid, quàm bonũ simpliciter & secundũ quid: nam res habet, cp sit ens simpliciter per esse substantiale, secundum quid verò per esse accidentale: habet autẽ quòd sit bona secundũ quid per esse substantiale, simpliciter aũt per esse accidentale. Hoc tamen vltimum intelligendũ est non præcisè de esse accidentali, sed vt coniunctio esse substantiali: non esset .n. bonus homo per accidentales virtutes, nisi supponeretur homo & cõsequẽter substãtialiter & naturaliter bonus. Vnde in illis vocibus *secũdum quid* & *simpliciter*, videtur esse æquiuocatio: nam cùm dicuntur de ente, videntur dici de substantia & accidente precisè comparatis; cùm autem dicuntur de bono, dicuntur de substantia creata aut solitariè sumpta, aut vt affecta dispositionibus & facultatibus sibi connaturalibus. Quo fit, vt licet in modo loquendi sit diuersitas, in re tamen nulla videatur esse differentia, quia etiam bonitas, vel perfectio, quam confert accidens, si precisè comparetur ad eam bonitatem, quam confert substantia, est secundum quid. Sic enim in vniuersum verum est, quod ex D.Tho. suprà retulimus, vnumquodque quantum habet de esse, tantum habere de bonitate, & quod etiam retulimus ex Augustino, quòd in quantum sumus, boni sumus.

Ato; ita tandem fit, quòd bonum absolutè dictũ nihil aliud sit, quam ens ipsum, quomodo dicuntur res naturaliter bonæ, vel perfectæ, si in sua entitate sint consummatæ, & homo dicitur moraliter bonus, si habeat morales virtutes seu perfectiones, quæ nõ sunt, nisi reales quædam formæ & entitates: sic etiam Deus dicitur summè bonus & perfectus ratione suæ entitatis, ẽtsi ad nihil aliud cõparetur: & sic de aliis. Hęc igitur doctrina & responsio hoc modo expositæ probabilis est, & claritatem ac facilitatẽ quandã præ se fert, cãq; indicauit Henricus in loco suprà citato.

Verun-

XVII. Veruntamen propter vsum vocum potest adhi- A beri alia responsio. Nam, licet prior in hoc habeat verum, quod bonum sub ea ratione in re non differt ab ente, nihilominus possũt ratione distingui, quod satis est vt bonum assignetur vt proprietas entis, ad modum aliorum transcendentium. Est itaque quoad impositionem, vel significationem nominis aduertendum, ens solùm dici ab esse aut entitate, vt suprà exposuimus, perfectum autem clariùs exprimere entis perfectionem: in quo negationem quandam includit, vel saltem sine illa non potest à nobis eius significatum explicari, scilicet, quod nihil ei desit secundum eam rationem secundum quam perfectum dicitur. Bonum verò dicere conuenientiam aliquam ratione cuius habet res, quod appetibilis sit; nã bonum per ordinem aliquem aut appetitum dictum est, vt D.Thom. docuit 1.p.quæst.5.art.1.ex illo Arist. 1.Ethic. *Bonum est, quòd omnia appetunt*, & statim magis explicabitur. Vnde necesse est res etiã illas, quæ absolutè & secũdum se dicuntur bonę, sic denominari: quia habent perfectionem sibi conueniẽtem & appetibilem, & ita etiam sit, vt bonum hoc modo, de formali significet perfectionem existẽtem in tali re B cõnotando in eadem re capacitatem, inclinationem seu naturalem connexionem cum tali perfectione. Quod clariùs patet, quando talis perfectio est distincta ab ipsa re, quæ ab illa bona denominatur; nam quãdo homo dicitur bonus ratione virtutis, de formali significatur virtus, non vtcunq;, sed vt bonitas quædam, in quo importatur, non tantùm perfectio virtutis, sed etiam conuenientia, quam habet cum humana natura connotando ex parte ipsius naturæ capacitatem, vel propensionem ad talem perfectionem. In his verò rebus, in quibus non est distinctio inter perfectionẽ, & rem, quę perfecta dicitur, difficilius videtur explicari, hæc conuenientia, vel connotatio: dicendum est tamen, quamuis in re non sit distinctio, à nobis tamẽ concipi ac significari ad modum distinctorum, id est, per modum formæ denominantis, & rei denominatæ, & ideò significari illam formam vt perfectionem accommodatam ei, in quo exiſtit, in quo computatur naturalis connexio eius cum tali forma, & ita distingui tale bonum ab ente, saltem ratione.

C

Bonum & appetibile quomodo comparentur.

XVIII. EX his, quæ de ratione boni dicta sunt, intelligere licet, quomodo se habeant bonum & appetibile. Aliqui enim existimant: idem formaliter & sinonymè his vocibus significari, & consequenter aiunt, bonum supra ens addere respectum ad appetibile, quib. fauere videtur D.Thom. dict.quæst.5.1.p.art.1. dicẽs, *Ratio boni in hoc consistit, quòd aliquid sit appetibile*, & ar.3.ad 1.dicit expresè: *Bonum non addit aliquid supra ens, sed rationem tantùm appetibilis*, & art.4.ad 1. *Bonum* (inquit) *respicit appetitum*. Similia habet 1.part.quæst. 16.art.1.& 3.& lib.1.con.Gent.c.4.rat.3. fauet Arist.1. Ethic.cap.1.definiens, *Bonum esse, quod omnia appetunt*. Et potest confirmari sumpto proportionali argumento ex his, quæ de vero dicta sunt: nam ita comparatur bonum ad appetitum, sicut verum ad intellectum, sed verum non addit supra ens nisi conformitatem ad intellectum: ergo bonum non addit nisi conuenientiam ad appetitum. Alij distinguunt inter bonum & appetibile, vt Caietan.1. par. quæst.5.art. 5.vbi ait appetibile sumi dupliciter, scilicet, fundamẽtaliter & formaliter. Priori modo ait esse idem bonum & appetibile, & ita exponit D.Thomas ibi; nam proxima ratio ob quam res habet, vt possit mouere appetitum, est bonitas eius, quam habet respectu appetentis, in qua includitur non sola entitas & perfectio rei secundum se, sed prout habet aliquam conuenientiam cum appetente. Posteriori autem modo dicit distingui bonum ab appetibili saltem ratione seu denominatione, quia appetibile vt sic importat respectum ad appetitum & denominationem extrinsecam prouenientem ab illo, seu consurgentem ex conuenientia & proportione inter bonum & appetitum: aliquid ergo formaliter explicat appetibile, quod non dicit bonum vt sic, ratione cuius hæc causalis vera est, quia res est bona, ideò est appetibilis, sicut hæc etiam causalis est vera, quia, res est lucida & colorata, ideò est visibilis: ita enim comparatur appetibile ad bonum, sicut visibile ad lucidum. Vnde Diuus Thomas primo Ethicor. cap.1. declarans illam descriptionẽ Aristot: *Bonum est quòd omnia appetunt*, ait sumptam esse à posteriori: quia ratio appetibilis posterior est, quàm ratio boni. Et hæc sententia vera est, quam priùs docuerat Capreolus in 2. distinctio.2.quæst.3. Et posteà Ferrar. 1.contra Gentes.cap.3.

XIX. Discrimẽ inter bonum & verum.

Ex quo intelligitur, aliter comparari bonum ad appetitum, quàm verum ad intellectum; nam verum transcendens (de hoc enim loquimur) includit in sua ratione & denominatione aliquam conformitatem ad intellectum; bonum autem formaliter in ratione & denominatione sua non includit conformitatem ad appetitum, quamuis hæc ad rationem boni consequatur. Vnde ratio veri transcendẽtis non supponitur propriè in obiecto, vt formaliter attingatur ab intellectu, sed est denominatio sumpta ex proportione vel confirmatione inter ipsum obiectum & potentiam seu actum eius, & ideò dici solet illa veritas conditio consequens, vel concomitãs obiectum intellectus potiùs quàm formaliter illud constituens; bonitas autem supponitur in obiecto appetitus, & est ratio formalis attingendi illud: appetibilitas autem dicit denominationem sumptam ex proportione talis obiecti cum tali potentia, vnde non dicit formalem rationem obiecti, sed conditionem concomitantem.

SECTIO II.

Quomodo se habeat bonum ad rationem finis.

Prima diuisio.

EX his etiam constat, quomodo ratio finis ad bonum comparetur. Ait enim D.Thomas 1.par.quæst.5.art.2.ad 1.bonum, cùm habeat rationem appetibilis, importare habitudinem causæ finalis. Et in eodem sensu ait 1.con.Gentes, cap.38. rat.3. Bonum habere rationẽ finis, eo scilicet modo, quo habet rationem appetibilis. Etenim si formaliter sumatur habitudo, ac denominatio finis, illa non est de ratione boni, sed ad illam cõsequi potest, nam finis, vt sic dicit rationem causæ in ordine ad media, vel ad aliquam actionem, quæ propter finem fiat: quam habitudinem non dicit bonum, sed solam rationem conuenientis. Si autem sumatur finis fundamentaliter, sic attribuitur bono, qua ratione bonitatis habet finis vim causandi finaliter. Hoc autem intelligendum est de bono simpliciter, quale est per se bonum, nam si sumatur bonum in tota sua latitudine: non tantùm finem, sed etiam media complectitur, vt ex sequente sectione constabit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quotuplex sit bonum.

I. ANtequam tractemus, quomodo bonũ sit passio entis, declarare oportet nonnullas diuisiones boni, vt sic melius constet, quænam ratio boni enti attribuatur. Et primò quidem diuidi solet bonum in bonum verum, & bonum tantùm apparens. Verum bonum dicitur, quod tale est, quale existimatur & cognoscitur, apparens verò, quod existimatur, non tamen est in re. Sed hæc diuisio eodem modo bono conuenit, quo potest cuilibet enti, seu rationi entis attribui: datur enim aurum verum, & apparens, & sic de aliis rebus. Peculiari autem ratione solet hæc partitio in bono declarari, quia, cùm propria causalitas boni sit, appetitum mouere & allicere, æquè ferè id præstat bonum existimatum, ac verum, quia, cùm ad mouendum appetitum per cognitionem applicetur, tantum mouet, quantum iudicatur seu existimatur, quamuis reipsa tale non sit. De bono igitur tantùm apparente seu existimato nihil est quod dicamus, quia eius ratio solùm in hoc consistit quòd tale existimetur, quale solet esse verum bonum, quamuis reuera tale non sit. Vnde quot sunt vera bona, tot esse possunt existimatione ficta, quia in omni bonorũ genere, error & falsa existimatio reperiri potest.

II. Secunda diuisio. Secundò diuidi potest bonum in illud quod in se bonum est, & quod est alicui alteri bonum. De qua diuisione satis multa dicta sunt sectione præcedente, vbi insinuauimus, quamquam ratio boni, quæ est passio entis, possit accommodari vnicuiq; enti, quatenus perfectionem habet sibi conuenientem, clariùs tamen reperiri in quolibet ente, quatenus alicui alteri conueniens, ac consentaneum est. Accedit etiã quod hæc ratio boni alterius, supponit seu includit rationem boni in se, nihil enim est alteri bonum propriè & in rigore, nisi quod in se est bonum & perfectionem habet alteri conuenientem. Dixi, propriè & in rigore quia interdum carentia alicuius formæ censetur bona alicui, quamuis formaliter nullã perfectionem ei conferat aut in se habeat, veruntamen priuatio non est propriè bona, sed ita interdum denominatur, quia priuat forma discõueniente, & sub ea ratione appetibilis est. Igitur bonum alteri supponit bonũ in se, & ideò aliæ diuisiones boni potissimè videntur dari de eo quod est alteri bonum, & in eo à nobis explicabuntur, simul tamẽ declarabimus illas, quæ ad ens pertinuerint, quatenus in se bonum est.

Exponitur diuisio in bonum honestum, vtile, & iucundum.

III. TErtiò ac præcipiuè diuidi solet bonum in honestum, delectabile, & vtile. Quam diuisionem tradit D.Thom.1.p.q.5.a.6.& 2.2.q.145.a.3.eamq; affert ex Ambros.lib.1. Offi.c.9.& 10. vbi obscurè satis eam insinuat: clariùs eam docuit Arist.2.Ethi.c.3. & lib.8.c.2.vbi honestum appellat absolutè bonum à iucundo, & vtili illud distinguens. Aduertit autem D.Thom.ibi, diuisionem hanc potissimum traditã esse de bono humano, accommodari tamen posse ad bonum in cõmuni seu secundum se. Priùs igitur declarabitur à nobis in bono humano, in quo propriè & absq; metaphora illæ rationes boni reperiuntur, deinde videbimus, quomodo ad bonum vt sic applicari possit. Est autem supponendum sermonem esse de homine, quatenus homo est, id est quatenus ratione vtitur, tũ quia ratio est suprema regula omnis A boni conuenientis homini, ratio (inquam) vel naturalis, si philosophicè tantùm homo consideretur, vel diuino lumine illustrata, si consideretur Theologicè, tum etiam, quia propriæ ac formales rationes horum bonorum, præsertim honesti & vtilis, non possunt nisi per rationem discerni.

Cùm igitur bonum idem sit, quod conueniens, IV. Quot modis quid conueniat homini. dupliciter potest aliquid esse homini cõueniens: vno modo per seipsum, quia nimirum illa perfectio, quã in se habet ex seipsa consentanea est & conueniens homini. Quod adhuc potest duobus modis accidere, primò quòd sit conueniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum affert, & hoc est bonum delectabile. Secundò absque ordine ad delectationẽ, sed solùm quia per se decet, vel conueniens est homini vt sic, & hoc est bonum honestum. Alio verò modo est aliquid cõueniens, non per seipsum, sed solùm ratione alterius boni, quod per illud seu mediante illo obtineri potest, quia nimirum, licet ex se spectatum delectationẽ non afferat, neq; ex se deceat, aut conueniens sit homini, tamen, vt conferre potest ad aliud bonũ obtinendum, conueniens censetur, & hoc est bonum vtile. Atq; ita constat, & illa tria membra sub ratione boni contineri, & esse aliquo modo inter se distincta, saltem ratione formali concepta seu habitudine; nã re seu subiecto nõ semper necesse est distingui: constat enim eandem rem, verbi gratia, amorem aut deuotionem erga Deum, esse, & honestam, & iucundam, & vtilem. B V.

Denique facilè ex dicta declaratione intelligitur membra illa exhaurire diuisum, quia neq; inter bonum per se, aut in ordine ad aliud, reperiri potest medium, cùm hæc immediatè, & quasi per cõtradictionem opponantur, neq; præter bonum conueniens ob delectationem, vel absq; illa, sed solùm propter se ipsum, potest aliud mẽbrum excogitari, cùm hęc etiam membra, quasi per cõtradictionem seu immediatam negationem distinguantur, quia omne bonũ quod per se est conueniens præcisa ratione delectationis, honestum reputatur. Dico autem, præcisa delectatione, quia hæc membra per abstractionẽ præcisiuam potiùs, quàm negatiuam, distinguẽda sunt, si ad rem, quæ bona denominatur, comparẽtur, quia vt res sit honesta, non est necesse, vt sit iucunda, vel C vtilis, sed solùm vt habeat aliquam rationem cõuenientiæ propter quam sit amabilis etiam si nec iucunda, neq; vtilis sit, & sic de reliquis. Vnde formaliter & quasi conditionaliter, possunt hæc membra distingui, etiam per abstractionem negatiuam: nam de ratione honesti, vt honesti, est, vt ad suam rationẽ & conuenientiam sufficientem ad mouendum appetitum rectum delectationem aut vtilitatem non requirit, siue in re illas habeat coniunctas, siue non: nam etiam si illas non haberet, esset sufficienter bonum & conueniens in suo ordine, & idẽ est proportionaliter de reliquis. Atq; in hunc modum videtur satis exposita prædicta diuisio.

Variæ difficultates circa prædictam diuisionem.

VI. Prima difficultas circa bonum honestum. SEd vt exactiùs declaretur, nonnullæ difficultates insurgẽtes breuiter tractandæ sunt. Prima est, quomodo bonum honestum dicatur per se conueniens. Aut enim dicitur per se conueniens, tanquam forma pænè consentiens cum natura hominis vt rationalis est, ad eum modum, quo calor est per se cõueniens igni, & sic sequitur, ipsas potentias intellectus & voluntatis esse bona honesta, quod est contra Augustl.lib.2.de lib.arb.c.19.vbi distinguẽs omnia bona homi-

hominis, in maxima, media & infima, potentias animę in medio ordine collocat, quia eis possumus malè vti, cùm tamen maxima bona illa esse videantur, quæ honesta sunt. Deinde sequitur, Deum non esse bonum honestum hominis, quia non est ei per se cõueniẽs per modum formæ. Sequitur etiam actionem dandi eleemosynam, non esse bonum honestũ, quia non est aliqua forma per se conueniens homini. Vel bonum honestum dicitur per se conueniens non vt forma, sed vt operatio decens hominem, & sic sequitur in primis idem inconueniens de Deo. Et vlteriùs sequitur, virtutes præsertim infusas, non esse bona honesta, quia non sunt operationes hominis, quod est planè falsum, & contra Augustinum citato loco, Vel dicitur bonum honestum per se conueniens obiectiuè: quia scilicet est bonum per se amabile, quæ ratio vniuersalior est; nam & in operationem, tam internam, quàm externam, & in quamcunq; formã & in Deum ipsum conuenire potest. Sed neque hoc modo euitantur omnes difficultates tactæ, quia sequitur potentias animæ computandas esse inter bona honesta: imò & sanitatem, & alia bona corporis, quæ per se amabilia sunt. Et præterea insurgit alia B difficultas, quia hæc ratio, nempe q; obiectũ aliquod sit per se amabile sine ordine ad delectationem, non potest esse prima ratio boni, quæ in tali obiecto reperitur, quia supponit rationem boni, propter quã tale obiectũ per se amabile est. Sicut in sectione præcedente dicebamus, rationem appetibilis supponere rationem boni & conuenientis, propterea enim res appetibilis est, quia bona est & conueniens: idem autem est esse bonum per se amabile, quod esse per se appetibile: non potest ergo hæc esse prima ratio, in qua bonum honestum consistit.

VII. Secunda difficultas circa bonum delectabile. Secunda difficultas est circa bonum delectabile, quo modo habeat peculiarem ac propriã rationem boni in se, ac per se appetibilis: aut enim per bonum delectabile intelligendum est obiectum, circa quod delectatio versatur, aut delectatio, quæ ex tali obiecto nascitur. Si primum dicatur, sequitur, hoc bonũ non magis esse per se & in se bonum, quàm bonum vtile. Probatur, quia non est bonum eò, quòd in se habeat delectationem, quæ est res ab illo distincta, sed quia aptum est ad delectationem generandam, quæ videtur esse vtilitas quædam consistens in habi- C tudine ad delectationem ipsam, ratione cuius tale obiectum amabile est. Sicut cibus verbi gratia, si ametur, quia sanitatem confert, dicitur amari vt bonum vtile ad sanitatem: ergo, si ametur quatenus delectationem affert, amabitur vt vtile ad delectationem: ergo bonum delectabile, hac ratione sumptum, non est per se & in se bonum, nec formaliter differt à bono vtili, sed tantùm materialiter, seu tanquam particulare à communi. Si verò delectatio ipsa dicatur esse bonum delectabile, vt D.Thom.in cit. loco 1. part. indicat, verum quidem est delectationem esse quendam actum per se conuenientem, & consentaneum naturæ, vel appetitui, qui delectatur, tamen nulla apparet ratio, ob quam hæc peculiaris conuenientia talis actus ab aliis distinguatur, & constituat suam peculiarem rationẽ boni, magis quàm conuenientia, quam habet quilibet alius actus cum facultate operãdi, vt intellectio veritatis cum intellectu, & visio obiecti pulchri cum visu. Et præterea non videtur ratio boni delectabilis primariò posse consistere in delectatione ipsa; nam delectatio, circa aliquod bonum vt bonũ versatur, cùm sit quies appetitus, qui non quiescit, nisi in bono adepto: ergo A supponit delectatio in obiecto rationem boni priorem delectationem, & quæ in se talis sit, & non per ordinem ad delectationem: bonũ enim, circa quod delectamur, non ideò bonum est, quia delectat, sed potiùs ideò delectat, quia bonum est, supponit ergo delectatio in obiecto conuenientiam & bonitatem distinctam à delectatione ipsa. De illa ergo inquiro, an constituit bonum delectabile, nec ne: nam, si cõstituit: ergo non est delectatio ipsa primùm delectabile bonum: imò nec videtur habere simile conuenientiam seu rationem boni, quia cùm delectamur, verbi gratia, in visione rei pulchræ, longè alterius rationis est conuenientia visionis à conuenientia delectationis: cùm tũ visio sit illius delectationis obiectum. Si autem bonitas illa seu cõuenientia, quæ est in obiecto delectationis, non constituit bonum delectabile, erit iam aliud bonum distinctum à tribus enumeratis.

VIII. Tertia difficultas circa bonum vtile. Tertia difficultas esse potest de bono vtili, quomodo negetur esse in se bonum, & in hoc à reliquis distinguatur; nam bonum vtile, licet ad aliud à se distinctum vtile sit, tamen in se habet vtilitatem B suam, quæ cõsistit in aliqua virtute vel efficacia præstandi rem illam, ad quam est vtile. Dicetur fortasse, bonitatem rei vtilis non consistere in vtilitate ipsa, sed in conuenientia & appetibilitate, quam habet talis vtilitas respectu hominis, & consequenter dicetur, bonum vtile non habere hanc conuenientiam ex se, sed ex fine, ad quem est vtile. Contra hoc tamẽ est, quia, licet conuenientia boni vtilis supponat cõuenientiam illius rei, ad quam est vtile, & ab illa fortasse deriuetur, tamen illa supposita, reuera ipsum bonum vtile, quatenus habet habitudinem ad talem rem, habet in se propriam conuenientiam, ratione cuius bonum est & amabile: ergo in hoc non est differentia formalis inter bonum vtile & alia bona: nã etiam bonum honestum vel delectabile, potest interdum accipere rationem suam ex habitudine ad aliquod extrinsecum. Imò bonum honestum interdum est tale ex conformitate ad legem extrinsecam, vel saltem ex conuenientia, quæ in eo resultat, supposita tali lege. Vnde etiam fit, vt aliquod bonum vtile non habeat aliam conuenientiam vel bonitatem nisi honestatis, vt verbi gratia corporis afflictio, quatenus vtilis est ad satisfaciendũ Deo, non habet bonitatem aliam, nisi honestam, & eadem ratione medium, quod tantùm est vtile ad delectationem capiendã, non habet conuenientiã aliquam, vel bonitatem, nisi participationẽ quandam illius delectationis: ergo bonum vtile nõ rectè ab aliis distinguitur.

Atque hinc oritur quarta difficultas, cur bonum vtile non distinguatur in duo: nam tale est vtile bonum, quale est illud ad quod ordinatur: ergo sicut IX. Quarta circa idem. bonum per se amabile, aliud est honestum, & aliud delectabile, ita bonum ex vtilitate ad aliud quoddam honestum, aliud verò delectabile.

X. Vltima difficultas circa sufficientiam diuisionis. Vltima difficultas est, quia prædicta diuisio videtur insufficiens; nam præter dictas rationes boni videtur esse alia, quæ ab illis distingui seu præscindi potest: sunt enim quædam bona per se amabilia, non quia delectant, nec quia honesta sunt, sed præcisè, quia naturam perficiunt, vt sanitas, scientia, corporis integritas, & ipsum esse, ac viuere: nam etiãsi mente præscindamus omnẽ delectationẽ, hæc sunt bona & amabilia, vt per se constat; & similiter licet præscindamus omnes rationes virtutis, hæc sunt amabilia, vt connaturalia bona & propter illa possunt amari alia vt vtilia, præcisa honestate. Cuius signum est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia interdum per honesta media, interdũ per turpia inquiruntur, non ob delectationem, sed ob solã naturalem conuenientiam: datur ergo aliqua ratio boni ab illis tribus distincta.

Expeditur prima difficultas.

XI. AD satisfaciendum primæ difficultati, & declarãdum quid propriè sit honestum bonum, aduertẽdum est duobus modis dici vel sumi posse bonum honestum. Vno modo in ordine ad actiones humanas & morales, prout recta & prudenti ratione regulari possunt: & hoc modo bonum honestum dicitur, quod per se & ex se decet hominem vel personam ratione vtentem, vt sumitur ex Diuo Thoma, 2.2. quæstione 145. articulo primo & sequent. In qua conuenientia non consideratur aliqua commoditas quæ per tale bonum accrescat illi personæ, respectu cuius dicitur esse huiusmodi bonum, hæc enim, licet sæpè intercedat, per se tamen ac formaliter non est ad honestatem necessaria, sed sufficit illa decentia, & proportio, quæ reperitur inter tale bonum & naturam, quæ operationes suas recta ratione dirigit. Sicut dare eleemosynam est honestum, quia est per B se consentaneum naturæ rationali, etiamsi per impossibile homo sic operans nullam inde vtilitatem, vel commoditatem caperet, præter ipsum rectè operari. Quomodo etiam respectu Dei dicitur esse conueniens & honestum sese communicare, benefacere ac misereri, non quia illi sit commodum, sed quia est per se decens, ac proportionatum illius bonitati. Bonum ergo honestum hac ratione explicatum dicit peculiarem rãtionem conuenientiæ, & ex parte rei, quæ honesta dicitur, includit perfectionem eius: cum omnibus conditionibus, vel physicis, vel moralibus ad prædictam conuenientiam cum natura rationali necessariis.

XII. Solet autem hoc bonum per conuenientiam ad dictamen rectæ rationis declarari: nam illud bonum est honestum, quod recta ratio dictat esse faciendum, vel amandum, &c. Tamen, si hoc dictum intelligatur de recta ratione, prout dicit iudicium, seu cognitionem eius, quod expedit facere, sic non constituit honestas in cõformitate ad dictamen rationis, neq; est illa prima regula, seu prima ratio talis honestatis. Non enim ideò bonum est honestum, quia re- C cta ratio iudicat esse tale, sed econuerso, quia ipsum bonum verè & in re tale est, ideò recta & vera ratione iudicatur esse tale. Et ideò quoad nos rectum iudicium est regula boni honesti, quia nobis manifestat illud: tamen secundum se supponit illud iudiciũ propriam conuenientiam, ex qua habet bonum honestum quod tale sit: hanc autem dicimus esse ad naturam rationalem, quatenus talis est, & tales habet proprietates seu attributa. Si verò dictamen rationis non formaliter, sed quasi radicaliter sumatur, sic bene & à priori dicitur bonum honestum esse illud, quod est conforme rationi, id est, quod est conformæ naturæ rationali, quæ propterea nata est iudicare, hoc sibi esse faciendum, vel appetendum.

XIII. Bonum autem honestum hoc modo sumptum, distingui potest in actum, habitum, & obiectum honestũ: sunt enim actus formaliter boni & honesti, vt sunt actus virtutum, præsertim volũtatis, & his correspondent habitus virtutum, qui inter maxima bona & honesta meritò computantur, quia maximè decent hominem ratione vtentem: & his actibus vel habitibus supponuntur obiecta honesta; nam ab his sumunt actus, & habitus suam honestatem, vt significat D. Thom. 1.2. quæst. 19. art. 1. ad 3. vbi de hac re latiùs disputatur, & quæst. 20 art. 1. ad 2. & quæst. 2. de malo, art 3. in corp. & ad 8. Actus enim honestus vt sic non versatur nisi circa bonum honestum: vnde necesse est, vt in illo talem bonitatem supponat: nam actus voluntatis non confert obiecto suo bonitatem, sed potiùs in illa fundatur, & ideò Diuus Thomas suprà, hanc honestatem, bonitatem primordialem vocat.

Atque ex his responsum est ad totam illam primam difficultatem, quatenus spectat ad bonum honestum in hoc rigore & proprietate sumptum. Concedimus enim, hoc bonum non limitari ad operationem, vel habitum, vel formam, sed conuenire omni rei, quæ honestè, & secundum rectam rationem est appetibilis ab homine. Concedimus deinde, hoc bonum non ideò tale esse, quia est per se conueniens voluntati seu appetitui hominis in ratione obiecti appetibilis, nam, vt rectè argumentum ibi factum probat hæc ratio per se appetibilis, formaliter sumpta, supponit conuenientiam cum natura rationali, ratione cuius tale bonum illi est per se appetibile.

Alio verò modo sumi potest bonum honestum non in ordine ad mores, sed in ordine ad naturam, & est illud, quod per se perficit naturam, & est commodum illi, etiam secluſa ratione virtutis, vt est sanitas, integritas & vita ipsa, quàm interdum amare vel tueri turpe est, etiamsi ex se maximè conueniens naturæ videatur. Et hoc bonum videntur antiqui Philosophi appellasse *bonum naturæ*, quod distinguebant à bono honesto, quod *per se decens* appellabant, vt colligitur ex Cicerone lib 3. & 4. de finibus. Tamen, quia hoc bonum naturæ per se conueniens est, & amabile, ideò ita censetur comparari appetitus naturæ ad hoc bonum, sicut appetitus rationalis ad bonũ per se decens, atque hac ratione in ordine ad naturam hoc bonum comprehenditur sub bono honesto. Accedit etiam, quod hæc ratio boni sufficiens est vt ipsum honestè appetatur, si aliunde impedimentum aliquod non intercedat, quia cùm recta ratio sit, quá homo regi debet aut gubernari, ad illam pertinet ea, quæ sunt naturæ commoda & consentanea, proponere, nisi aliunde aliquid obstet, vel maius aliquod incommodum subsequatur. Hoc igitur modo loquendi de bono honesto, concedendum est potentias animæ esse quædam honesta bona, non quidem eo modo, quo virtutes, quibus malè vti non possumus, sicut potentiis ipsis, propter quod ait Augustino hæc maxima, illa verò media bona esse dicuntur, sed ea ratione, qua bona pertinentia ad integritatem & complentum naturæ per se conuenientia sunt, & quantùm ex ipsis est, rectè amabilia: Atque hoc modo ipsum esse & viuere, & sapere honesta sunt. Neque solùm inhærentia bona, sed etiam res extrinsecæ, quæ interdum sunt per se conuenientes, saltem vt obiecta vitalium actuum, inter hæc bona honesta computantur: & sic etiam expedita est prima difficultas, quantùm ad hoc bonum pertinere potest, de quo in solutione vltimę difficultatis plura dicemus.

Tractatur secunda difficultas.

XVI. CIrca secundam difficultatem duo sunt distinguenda, quæ ibi attinguntur, scilicet delectato. & delectationis obiectum, & de vtroque dicendum est esse bonum ex se conueniens aliquo modo & per se appetibile. Et quidem de delectatione ipsa, id est per se manifestum: nam est actus, qui ex se valdè

valdè inuitat & trahit appetitum, quod est signum, A ex se se habere cum illo magnam proportionem. De obiecto autem delectationis probatur, quia obiectũ delectationis est bonum: ergo delectatio supponit in obiecto illo bonitatem, quia actus animæ non constituunt obiecta sua, sed supponunt: obiectum ergo delectationis non est bonũ & conueniens, quia est delectationis obiectum, sed econtra, quia bonum est & conueniens, ideò delectationis obiectum esse potest. Est igitur ex se bonum & appetibile, & non per solam denominationem vel habitudinem ad delectationem, quamuis fortasse nominis Etymologia vel impositio inde sumpta sit. Hinc igitur constat, siue delectabile bonum sumatur pro delectatione ipsa, siue pro obiecto seu bono illo quod delectat, siue (quod probabile est) pro vtroque permodũ vnius, scilicet, pro quiete in tali re, sicut beatitudo interdum sumitur pro obiectiua, interdum pro formali, interdum pro tota beatitudine, quæ per modum vnius vtramque complectitur: quocunque (inquam) ex his modis bonum delectabile sumatur, meritò per se bonũ dici, & non tantùm extrinseca habitudine vel denominatione, in quo rectè à bo- B

XVII. no vtili distinguitur.

Rursus facilè distinguitur bonitas vel conueniẽtia ipsius delectationis à bonitate vel conuenientia honestatis, siue moralis, siue naturalis: nam conuenientia delectationis solùm consistit in suauitate illa, & vitali quiete (vt sic dicam) quam appetitus habet in bono adepto, siue habeat conformitatem aliam cum ratione, seu rationali natura, siue non, hęc enim ad rationem delectationis vt sic accidentalia sunt. Atque ob hanc causam meritò delectabile bonum, saltem ratione delectationis à bono honesto, tam morali, quàm naturali distinguitur, tum quia habet peculiarem conuenientiam, vt dixi, tum etiã quia habet peculiarem vim mouendi appetitum, ex qua fit, vt interdum moueat non solùm contra rationem, sed etiam contra commodum naturæ.

XVIII. At verò de bonitate obiecti delectabilis, quæ in eo supponitur, vt delectationem causet, non est facilè ad iudicandum, quænam sit, & quomodo ab honestate vel morali vel naturali distinguatur. Et ratio difficultatis est, quia delectatio est de bono conue-

Aristot. D. Thom. nienti & consecuto seu præsenti, vt sumitur ex Aristotele 1, Rhetor. c. 10. & Diuo Thoma latè 1.2. quæstione 31. articulo 1. & sequentibus. Bonum autem conueniens, cuius consecutio delectationi supponitur, non est aliud nisi bonum naturæ conueniens, vel spirituali naturæ, si delectatio spiritualis sit, vel corporali, si sit sensibilis: bonum autem cũueniens naturæ non est aliud, nisi bonum honestum: vel morale, si sit ita conueniens naturæ rationali vt sic, vt per se deceat, vel naturale, si solùm sit per se commodum naturæ, & ad perfectionem eius spectans: ergo delectatio non supponit bonum delectabile vt delectabile est: imò hæc potiùs videtur denominatio extrinseca ab ipsa delectatione in potentia, sicut visibile à visione, sed supponit tantùm bonum conueniens appetenti, de cuius consecutione delectatur. Et confirmatur hoc exemplis, nam, cùm infirmus delectatur de consecuta sanitate, nullam aliam rationem boni considerat vt delectetur, nisi commoditatem illam, quam naturæ suæ affert sanitas: ergo in sanitate vt est obiectum delectationis, non est alia bonitas, præter naturalem conuenientiam sanitatis cum natura hominis. Simili modo visio beata, seu Deus clarè visus & possessus est obiectũ perfecti gaudij, non alia ratione, nisi quia est bonum maximè proportionatum & conueniens naturæ hominis: ergo, in vniuersum, bonum delectabile fundamentaliter (vt sic dicam) & quatenus intrinsecè supponitur ipsi delectationi ex parte obiecti, nullum aliud est, nisi bonum per se conueniens naturæ, atq; adeò honestum, vel morale, vel naturale.

Ad hoc duobus modis responderi potest. Primò, XIX. concedendo totum discursum factum, & consequẽter dicendo, bonum delectabile non distingui à bono per se conueniente naturæ, nisi prout delectationem includit, quæ in tali bono consideratur vt propria ratio mouens ad appetitionem eius. Quæ videtur esse sententia Diui Thomæ 1. part. quæst. 5. art. 6. D. Thom. & 1.2. quæst. 32. articulo 1. ad tertium, vbi ait, operationes esse delectabiles, in quantum sunt connaturales & proportionatæ operanti, & in tota illa quæstione idem insinuat, & idem significat Caietanus in his, quæ notat circa illum articulum primum. Ex quo vlteriùs dicendum est, consequenter, bonum delectabile, quatenus dicitur per se bonum & amabile, intrinsecè includere delectationem ipsam, siue B sola ipsa delectatio apprehendatur, vt tale bonum per se conueniens propter id quod est, id est, propter suauitatem illam, quam formaliter confert, siue hoc totum, scilicet tale obiectum vt secum habet delectationem adiunctam, apprehendatur per modum vnius obiecti, quod bonum delectabile dicitur, cuius veluti forma est delectatio ipsa. Vnde Aristoteles 10. Ethicor. cap. 2. ait; *Voluptatem esse per se expetibilem, facereq; quoduis bonum magis expetibile, si illi addatur.* In quibus verbis indicat, delectationem quidem supponere bonum: ipsam verò illi additam, facere illud magis appetibile, quia nimirum constituit illud iucundum & delectabile: ergo tale bonum delectatione ipsa completur, & quasi formaliter constituitur. Et hoc ipsum significauit Diuus Thomas 1. p. quæst. 5. art. 6. cùm docet, bonum delectabile terminare appetitum ratione delectationis, quæ est quies in re desiderata.

Additque ibi in solutione ad secundum, *illa propriè* XX. *dici bona delectabilia, quæ nullam aliam habent rationem appetibilitatis, cùm alioqui sint & noxia, & inhonesta.* Quæ verba fauent dictæ sententiæ, quatenus in eis dicitur, C delectationem esse totam rationem appetendi bonũ delectabile vt sic: in eo verò quod in eis dicitur posse dari rem, in qua nulla prorsus sit alia ratio appetibilis præter delectationem, videntur contradicere superiùs dictis: vnde falsa videntur ob rationem suprà factam, quod delectatio resultat ex bono consecuto, & ideò necesse est vt aliam priorem rationem boni supponat, ratione cuius sit appetibilis: non ergo potest dari res, quæ delectationem afferat, & tamẽ nullam habeat aliam rationem appetibilis præter delectationem. Dici verò potest, Diuum Thomam non intendisse excludere ab huiusmodi re omnem rationem conuenientię delectatione priorẽ, in qua delectatio fundetur, sed indicare voluisse, interdum contingere, hanc conuenientiam talem esse, vt, secluſa delectatione, non faciat rem simpliciter appetibilem, quia est noxia vel inhonesta. Iuxta hunc ergo dicendi modum ad secundam difficultatẽ cõcedendum est, rem illam vel operationem, quæ est obiectum delectationis, licet aliam priorem rationẽ boni habeat, tamen non esse bonum delectabile, nisi ea tantùm ratione, qua habet delectationem adiunctã. Neque inde fit, confundi hoc bonum cum bono vtili, aut habere tantùm extrinsecam rationem boni

Universidad de Deusto
Biblioteca

co modo, quo bonum vtile, quia res comparatur ad delectationem, quæ ex illa sequitur, vt obiectum eius, & ideò ex vtraque vnum bonum delectabile, intrinsecè & per se appetibile, constitui censetur.

XX. Alter modus respondendi esse potest, in obiecto delectationis reperiri semper specialem quandam conuenientiam, ratione cuius esse potest delectationis obiectum, & ab illa propriè & intrinsecè denominari bonum delectabile, eamque conuenientiam distinctam esse, ac separari posse seu præscindi à propria conuenientia honestatis, tam moralis, quàm naturalis. Nam, vt bene Caietanus tractat 1.2. quæstione 32. articulo 1. obiectum delectationis est res, vel operatio apprehensa vt conueniens: non est autem necesse, vt hæc conuenientia sit aliquo modo honesta, vel commoda naturæ, sed satis est, vt sit proportionata gustui, verbi gratia, vel alteri sensui, aut potentiæ: Videtur ergo esse in his obiectis delectabilibus, quidam specialis modus conuenientiæ sufficiens ad constituendam specialem rationem boni, quæ sub delectatione comprehendi videtur, quotiescunque delectatio dicitur esse tota ratio appetibilis in bono delectabili vt sic. Et ita fauet huic modo dicendi Diuus Thomas in verbis suprà citatis ex 1. part. quæst. 5. art. 6. ad secundum.

Caietanus.

XXI. Sed (vt verum fatear) hic posterior dicendi modus nec sufficienter fundari potest, nec declarari, quia intelligi non potest, quænam sit illa specialis conuenientia, præter eam, quæ est in bona constitutione naturæ, seu in esse vel operari naturæ proportionato. Quod sumitur ex Aristot. 7. Ethic. cap. 12. & 13. & lib. 10. cap. 4. & 5. & 1. Rhetor. capite 10. in fine, vbi hoc sensu ait, *voluptatem esse affectionem totam simul, & sensibiliter in naturam proficiscentem*, vt exponit & tractat D. Thom. 1.2. quæstione 31. art. 1. & 32. a. 1. & ibi Caietanus. Item, quia delectatio in idem bonum & conueniens tendit, in quod amor vel desiderium: solùm enim differt ab eis, quia tendit in illud bonum, vt præsens & consecutum; sed respectu amoris vel desiderij, secluſa delectatione, non intelligitur alia ratio conuenientiæ præter eam, quę ad honestatem moralem vel naturalem pertinet, vel saltè certissimum est, amorem & desiderium directè ferri posse in huiusmodi conuenientiam seu in bonum sub tali ratione: ergo æquè certum est, delectationem in obiecto suo non requirere aliam conuenientis rationem: ergo illam excogitare vel fingere, vt priorem delectatione ipsa, nec fundamenti habet, nec satis explicari potest. Nam, quòd aliquæ delectationes oriantur ex peculiari conuenientia obiecti cum aliqua facultate, vt cum gustu vel tactu, id non est, nisi vel quia qualitas illa, quæ sensu percipitur & delectationem parit, est obiectum connaturale & per se conueniens tali facultati, vel quia operatio, ad quam talis delectatio consequitur, est similiter naturalis perfectio proportionata potentiæ. Atque ita semper huiusmodi ratio boni, quæ ex parte obiecti ad delectationem supponitur, ad bonum per se naturæ conueniens reuocatur. Prior ergo responsio solidior est, & per eam fit satis secundę difficultati superiùs positæ.

Aristot.

D. Thom.

Tertia difficultas simul cum quarta expeditur.

XXII. AD tertiam difficultatem de bono & vtili nonnulli concedunt habere bonum vtile suâ propriam & intrinsecam bonitatem, ratione cuius est in se appetibile, licet non propter se. Hæc enim duo diuersa sunt: nam medium reuera in se amatur, id est, A in se terminat amoris motum; vnde necesse est, vt in se habeat bonitatem vtilem, distinctam à bonitate finis, ratione cuius possit terminare dilectionis seu electionis affectum: non tamen diligitur propter se, quia illa bonitas non est absoluta, sed respectiua ad finem seu propter finem, & quia finis est prima causa diligendi medium, seu bonum vtile, Quo fit, vt iuxta hanc sententiam bonum vtile non distinguatur à reliquis, eò, quòd solùm sit bonum bonitate extrinseca finis, sed, quia totam bonitatem suam habet in ordine ad finem. Et potest hæc sententia confirmari, quia repugnat esse bonum, & aliena bonitate bonum esse; nam bonum idem est quod perfectum: nulla autem res perficitur sola extrinseca denominatione ab aliena perfectione: sed bonum vtile est verè bonum: ergo non est bonum per solam denominationem à bonitate finis, sed in se habet suam propriam bonitatem. Sed hæc sententia falsa est, vt latiùs dicemus inferiùs de causa finali disputantes. Estque contra Sanctum Thomam 1. part. quæst. 5. a. 6. præsertim in solutione ad secundum, vbi sic ait; *Vtilia dicuntur, quæ non habent in se, vnde desiderentur, sed* B *desiderantur solùm vt sunt ducentia in alterum, sicut sumptio medicinæ amaræ.*

XXIII. Rectè igitur inter proponendam tertiam difficultatem responsum est; aliud esse loqui de vtilitate, prout significat vim, quæ est in bono vtili ad affectum ad quem vtile dicitur: aliud verò esse loqui de illa vtilitate in ordine ad appetentem, cui tale bonum vtile est. Priori modo verum est, vtilitatem esse posse virtutem aliquam & perfectionem intrinsecam ipsi bono vtili, quæ quidem perfectio comparata ad ipsummet bonum quod vtile denominatur, est illi conueniens, non tanquam bonum vtile, sed tanquam bonum per se illi proportionatum & connaturale, vt in medicina, verbi gratia, quæ est vtilis ad sanitatem, quia habet vim expellendi aliquem humorem, clarum est illam vim esse propriatem aliquam intrinsecam tali medicinæ, quæ respectu illius non est vtilis, sed per se conueniens & appetibilis ipsi; respectu verò hominis illa vis dici potest vtilitas, quæ est in tali re in ordine ad talem finem. At verò tota hæc vtilitas comparata ad hominem, & per se tantùm considerata, non inuenietur C illi bona, conueniens, aut appetibilis, sed in tantùm censetur conueniens, in quantum sanitas ipsa, diminutio, aut expulsio talis humoris conueniens est. Vnde, si homo nunc non indiget ad sanitatem tali purgatione, illa virtus medicinæ non est conueniēs homini: si verò indiget censetur conueniens solùm ob sanitatem. Igitur tota virtus, quamuis intrinseca medicinæ, ex se non est conueniens homini, neque appetibilis ipsi, sed solùm quatenus à bonitate finis quodammodo informatur & denominatur: ergo bonitas & conuenientia, quæ est in bono vtili formaliter sumpto, vt vtile est, non est intrinsecè in illo completè ac formaliter, sed est in illo, quasi materialiter, vtilitas ipsa, seu vis actiua alterius rei, formaliter verò conuenientia & tota ratio appetibilitatis est bonitas finis. Cuius etiam argumentum est, quòd bonum vtile, vt vtile, non excitat, neque trahit, aut mouet appetitum ad se, alioqui medium, vt medium haberet causalitatem finis, quod falsum est, sed finis est, qui voluntatem mouet ad appetendum medium seu bonum vtile: vnde licet voluntas tendat in rem vtilem, tanquam in materiale obiectum, & hoc modo dicatur bonum vtile terminare in se motum voluntatis, tamen formaliter, etiam

ille motus terminatur ad' finem, quia est tota ratio tendendi medium, & ideò in bono vtili non requiritur intrinseca & formalis bonitas ad determinandum talem actum.

XXIV. Ad quartam ergo difficultatem respondetur, negando, bonum vtile vt sic ex se habere propriam cōuenientiam respectu appetentis, ratione cuius illi sit bonum & appetibile; sed eam habet ex fine, non solùm vt ex radicali & remota causa, sed vt formali & proxima, quia non solùm habet cōuenientiam suam & bonitatem per habitudinem ad finem, sed habet illam ab ipso fine tanquam ab extrinseca forma, & ratione ob quam est diligibile. Et in hoc differt propriè bonum vtile ab honesto & delectabili. Quocirca, si interdum est aliquod bonum vtile, quod ex se habeat propriam conuenientiam cum natura aut recta ratione, sub ea ratione non est vtile, sed honestum & per se amabile. Vnde, quod inter bona vtilia quædam esse possint honesta, alia verò delectabilia, solùm materialiter contingit, in quantum hæ rationes boni in eadem re coniungi possunt, imò & se inuicem denominare; nam & honestas, & delectatio vtilis esse potest ad salutem, vel animæ vel corporis, B & vtilitas ipsa honesta esse potest. Formaliter tamen hæ rationes sunt diuersæ, & ratio boni vtilis eadem proportione reperitur, siue vtilitas sit ad delectationem, siue ad honestatem, siue ad aliud naturæ commodum, & ideò non oportuit, bonum vtile in varia membra distinguere.

Expeditur quinta difficultas.

XXV. QVinta difficultas ex dictis expedita est. Distinximus enim bonū honestum in ordine ad virtutem seu regulam rectę rationis, quod idem est ac per se decens & consentaneum rectæ rationi, & bonum in ordine ad naturam, quod per se illi conueniens est & commodum. Si ergo priori modo sumatur bonum honestum, fatemur nō esse adæquatum membrum huius diuisionis, non solùm respectu inferiorum rerum, quæ ratione non vtuntur, sed neque respectu ipsiusmet hominis, qui (vt argumentum conuincit) potest diligere aliquod bonum, vt per se cōueniens sibi non propter honestatem, nec propter delectationem, sed solùm propter conseruationem vel commodum suæ naturæ. At verò sumptum honestum bonum posteriori modo, sic est adæquatum membrum illius diuisionis, quam hoc modo declarauit D. Thom. suprà, vbi honestum bonū appellari dicit; *omne illud, quod appetitur vt vltimo terminans motū appetitus, sicut quædam res, in quam per se appetitus tendit.*

D. Thom.

XXVI. Atque hinc intelligitur primò, quo modo hæc diuisio locum habeat in bono in communi, prout abstrahit à bono humano, quomodo item membra eius in aliis rebus ab homine reperiantur. Nam bonum honestum naturale propriè reperitur in inferioribus rebus, non solùm sentientibus, sed etiam inanimatis: nam in omnibus reperitur perfectio aliqua, quæ per se terminat appetitum animalem, vel naturalem, vt est ipsum esse vel conseruari, quod quælibet res appetit. Quo fit, vt in qualibet etiam re propriè inuenire possit bonum vtile per habitudinem ad hoc bonum naturæ: sic enim hirundo congregat paleas ad nidificandum, quæ actio non alia ratione bona est, nisi quia est vtilis, & motus deorsum respectu lapidis comparatur vt bonū vtile, quia per se non pertinet ad perfectionem eius, sed solùm vt in proprio loco constituatur. Bonum autem delectabile propriè reperitur in rebus cognoscentibus, magis quidem perfectè in ratione vtentibus, quàm in sentientibus tantùm; verè tamen ac propriè in vtrisque: rebus autem cognitione carentibus, solùm per metaphoram & analogiam quandam attribui potest: in quantum quietem habet vnaquæque res in proprio bono consecuto, quia tamen illa quies non est per proprium actum, sed per solam carentiam motus, ideò propriam & specialem rationem boni habere non potest. Quapropter, quando hæc diuisio datur de bono in communi non est sensus omnia hæc tria bona in singulis rebus reperiri, sed simpliciter dari in rebus, seu entibus huiusmodi rationis bonorum & econuerso omnes rationes bonorum in quibuscunque entibus inuentas sub tribus prædictis sufficienter comprehendi. An verò hæ tres rationes boni solùm possint per intellectum apprehendi & discerni, vel etiā possint per sensum cognosci, & quomodo, non spectat ad hunc locum, sed in scientia de anima tractandum est. Legatur D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. quæst. 81. art. 2. & Caietan. ibi, & 1.2, quæst. 40. art. 3.

Bonum vtile in omnibus rebus inuenitur.

Delectabilia

boni sola cognoscentia propriè capacia.

Secundò colligitur ex dictis, qualis sit prædicta diuisio; nam Diuus Thomas citato loco ad tertium absolutè dicit, bonum non diuidi in hæc tria vt vniuocum, sed vt analogum, quod priùs dicitur de bono honesto, deinde de delectabili, postremò de vtili. Sed si loquamur de propria & rigorosa analogia, qua vnum dicitur tale per denominationem ab alio, sic vera est analogia inter bonum vtile & reliqua, quia bonum vtile non est bonum, nisi per denominationem ab alio, quod per se bonum est & conueniens. Et hoc probat quoddam argumentum in superioribus tactum, quod nulla res est bona per extrinsecam denominationem: est enim id verum de bono simpliciter, non tamen de bono secundum quid & analogicè: nihil enim vetat, huiusmodi bonum constitui per denominationem ab extrinseca bonitate. Hoc autem modo non videtur esse propria analogia inter bonum delectabile & honestum, nam bonum delectabile ex se & per se est simpliciter bonum, non per denominationem à bono honesto, sed ex sua intrinseca conformitate ac bonitate: cuius signum est, nam oblata omni honestate vera, aut existimata, si manet aliqua delectatio, illa est per se C bona & amabilis: ergo non denominatur bona per analogiam ad honestum.

XXVII. Diuisio boni in prædicta membra an analogica, & qua analogia.

Quapropter dici potest primò, hanc analogiam XXVIII. non esse æqualem in vtroque bono; sed in bono vtili esse propriam, in delectabili verò latiùs sumi, ad indicandum, esse bonum imperfectum comparatione boni honesti, non verò quod absolutè & simpliciter bonum non sit, cùm ex se & sine habitudine ad aliud habeat vnde appetatur: sicut e contrario, dolor qui delectationi opponitur, simpliciter malum est, quamuis non sit maximum malum, atque ita in scriptura malum pœnæ, simpliciter malum dicitur. Vel aliter dici potest, in vtroque bono, vtili & delectabili, esse analogiam, non tamen eiusdem modi, nam in bono vtili est analogia attributionis, sumpta ab extrinseca forma, qualis est in *sano* prout de medicina dicitur: sic enim dicitur medicina bona aut vtilis, sicut dicitur sana. In bono autem delectabili saluari potest analogia, nō quidē per extrinsecam denominationem, vt ratio suprà facta probat, sed per intrinsecam habitudinem vnius ad aliud, qualis reperitur in accidente respectu subſtantiæ. Sic enim delectabile bonum intrinsecè supponit aliud bonum per se conueniens, in quo appetitus quiescat per dele-

Universidad de Deusto
Biblioteca

delectationem,& ex natura sua ad hoc tantùm instituta est delectatio,vt sit veluti quidam decor,& quasi condimentum quoddam alterius superioris boni. Et ideò imperfectus ordo est appetere operationem propter delectationem in ea sistendo, cùm potiùs delectatio sit propter operationem amanda,sicut est instituta. Præsertim verò respectu hominis bonum delectabile, quod non habet honestatem adiunctã, non potest simpliciter bonum existimari, quia & maiori priuat bono,& nõ conducit ad bonum simpliciter hominis, quòd est viuere secnndum rationem, vt in simili dixit Diuus Thomas. Et hoc sensu dicunt aliquando Patres nihil esse bonum, nisi virtutem, vt patet ex Hieronymo Isaiæ 11. & Ambros. 1.Officior.cap.9.

XXIX. Quid bonum naturale & quid morale.

Tertiò intelligitur ex dictis,alia diuisio boni in bonum naturale & bonum morale. quæ,licet de bono incommuni intelligi possit, quia bonum delectabile, & vtile, etiam potest aut naturale esse, aut morale, propriè tamen dari solet de bono honesto, generatim sumpto, quod esse potest terminus vltimus appetitus tanquam per se conueniens. Bonũ ergo morale idem est, quòd bonum honestum magis strictè sumptum, pro illo, quod per se decet, & est cõsentaneum naturæ rationali vt talis est:bonum autem naturale est illud quod per se est conueniens cuicunq; naturæ. Dices, iuxta hanc descriptionem etiam bonum morale esse bonum naturale,quia natura rationalis quædam natura est, & illi consentaneum bonum morale per modum formæ vel operationis. Respondetur primò, naturam sumi posse vt solùm significat essentiam rei, & hoc sensu est verum omne bonum dici posse naturale, in quantum est conueniens alicui naturæ, vel in quantum habet perfectionem,quam natura sua postulat,& hoc modo procedit obiectio facta. Aliter verò sumitur natura,vt dicit non solùm essentiam rei ,sed etiam modum operandi, vel appetendi ex solo impetu naturæ & necessitate quadam, & in ordine ad naturam hoc modo acceptam,solet naturalis operatio à libera,seu morali distingui,& in eodem sensu datur diuisio boni in morale & naturale:nam bonitas & perfectio rei ex operatione potissimum dignoscitur, vel interdum etiam per illam consummatur , & ideò iuxta diuersos modos operandi sumpta est diuisio boni in naurale & morale. Dicitur ergo bonum naturale, quod est consentaneum cuicunque naturæ, secùndum id , quod naturaliter est, vel naturaliter operari potest, bonum autem morale est, quod est consentaneum rei,vt liberè operatur:mos .n. vnde morale dictum est in libera operatione consistit, vt constat.

XXX. Quamuis ergo bonum naturale & morale conueniant in hoc, quod vtrumque est per se conueniens alicui rei, seu naturæ (hæc enim ratio excludi non potest ab eo bono, quod per se & simpliciter tale est) differunt tamen, quia bonum naturale præcisè respicit naturam vt sic, seu vt naturaliter operantem;bonum autem morale respicit illam, vt eleuatur ad modum operandi liberè, quod propiissimè illi competit vt rationalis est, & ideò dicitur bonũ morale consentaneum naturæ rationali, vt talis est, tam in gradu, quàm in modo operandi. Vnde fit, vt bonum morale præcipuè consistat in operatione libera;conuenit autem suo modo etiam proprio obiecto eius, quatenus honestum est,& virtuti, quæ est principium eius.Quomodo dixit Aristoteles 2.Ethicorum cap.6. *Virtutem esse, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* Quid autem in his omnibus sit bonitas moralis, quatenus moralis est, vel quid addat hæc denominatio ipsi bonitati, non ad hunc locum,sed ad philosophiam moralem spectat,& tractatur à Theologis in 1.2.quæst.18.

XXXI.

Quartò possunt facilè ex dictis declarari aliæ diuisiones boni, quæ materiales potiùs sunt ex parte rerum,quæ bonæ denominantur, quàm formales ex parte ipsius bonitatis seu conuenientiæ. Sic diuiditur bonum in bonum transcendens, & bonum de genere qualitatis à Diuo Thoma, quæstione nona, de potentia,art.7.ad 5. Hæc enim diuisio non datur secundum diuersas rationes formales boni , sed secundum eandem magis,vel minus cõtractam. Nam bonum transcendens dicit in communi perfectionem rei conuenientem, præsertim illam quam vnaquæque res habet per entitatem suam, vt sequente sect. declarabitur: Bonum autem de genere qualitatis dicit perfectionem, quam res habet per qualitatem aliquam suæ naturæ conuenientem, quomodo etiam posset distingui bonum de genere quantitatis; magis autem solet attribui qualitati, quia perfectio creaturæ maxima solet qualitatibus cõsummari.

XXXII. Bonum creatum in ratione formæ, & bonum in ratione subiecti.

Rursus diuidi solet bonum,in bonum corporis,& animæ, & extrinsecum , quod fortunæ bonum appellari solet, vt patet ex Arist.1. Ethic. c.8. Qui rursus cap.12.bonum distinguit in laudabile & honorabile. Quæ diuisio à posteriori sumpta videtur ex effectu & quasi præmio bonitatis & non videtur exhaurire omnia bona; nam bonum delectabile ex se neque honorabile est, neque laudabile,nisi in quantum vel vtile est, vel cum honestate est coniunctum, aut illam comitatur & ad illam iuuat. Bonum igitur honestum propriè honorabile est,quatenus propter se est expetibile; laudabile autem , vt Aristot. superiùs vult, dicitur bonum vt ad aliud refertur. Vnde communiter dici solet, vtilia bona esse laudabilia, quod intelligendum videtur cum præcisione quadam:nam illa vt sic sunt laudabilia tantùm : alia verò sunt etiam honorabilia: nam honestum bonum etiam dignum est laude, non tamen sola; verùm etiam honore: vtrumque igitur bonum laudabile est; alterum verò etiam honorabile,atque ita est intelligenda diuisio.

XXXIII. Bonum simpliciter & secundum quid.

Prætereà diuidi solet bonum in bonum simpliciter & bonum secundum quid. Quæ diuisio variis modis intelligi potest;nam primò potest ad tria membra superiùs posita applicari ; ex quibus bonum honestum,vt diximus,est bonum simpliciter ; alia verò tantùm secundũ quid.Secundò potest attribui bono transcendenti, quatenus absolutè dicitur de ente, vt in se bonum est. Idque duobus modis;vnus est,vt alia membra referantur ad totam latitudinem entis & boni vt sic,quo sensu bonum simpliciter dicetur illud,quod totam entis bonitatem & perfectionem in se continet; bonum verò secundum quid est illud quod ex parte tantùm bonum est. Atque hoc modo solus Deus est bonum simpliciter ; omnis verò creatura est bonum tantum secundum quid. Quomodo intelligi potest illud Marci 10. *Nemo bonus, nisi solus Deus*, qui etiam solus hac ratione dicitur esse summum bonum. Atque in hoc sensu coincidit hæc diuisio cum alia , qua vtuntur Theologi ex Dionysio de diuinis nominibus cap.1.& 4.& Augustin.8. de Trinit cap.3. & Boetio lib. de Hebdom.cap.2. diuidentes bonum in bonum per essentiam,& per participationem. Nam bonum per essentiam est bonum simpliciter , est enim ipsa essentia bonitatis, *quæ in cætera*

Marcus 10. Dionysius. Augustin. Boet.

cætera omnia pro viuiscuiusque captu radios bonitatis emittit,vt ait Dionysius : vnde in se essentialiter includit quicquid ad rationẽ boni & perfecti pertinere potest, quod est Dei proprium ; & ideò solus ipse, & est bonum per essentiam,& bonum simpliciter ac summum:alia verò sunt bona secundum quid & per participationem.

XXXIV. Alter sensus illius diuisionis est , vt membra non referantur ad totam latitudinem entis, sed ad determinatum genus vel speciem, & hoc modo ad omnia genera, vel species entium potest diuisio applicari, & bonum simpliciter dicetur,illud ens, quod habet omnem perfectionem sibi debitam in suo ordine;bonum autem secundum quid erit quod aliquid perfectionis debitę habet,& aliquid ei deest.Et hoc modo substantia creata non est bona simpliciter , nisi sit debitis accidentibus affecta; neque accidens est bonum simpliciter, nisi habeat intensionem debitam, vel aliam similem perfectionem. Atque hoc modo dixit Dionys. suprà , *Bonum est ex integra causa,malum autem ex quocunque defectu.*

XXXV. Quæ perfectio simpliciter simplex, quæ secundũ quid.

Tertiò potest intelligi in ea partitione diuidi bonum,prout est alteri conueniens,& potest etiã referri,vel ad ens vt sic, vel ad determinatũ ens. In priori sensu coincidit ferè illa diuisio cũ alia,quam tradunt Theologi,diuidẽtes perfectionẽ in perfectionẽ simpliciter simplicem ,& perfectionem secundum quid, cũ Anselmo in Monolog.c.14. Bonũ ergo seu perfectio simpliciter dicitur illa, *quæ in indiuiduo entis melior est ipsa, quàm non ipsa*,id est, quæ in genere entis talem perfectionem dicit,vt nullam maiorem , vel æqualẽ excludat.Perfectio autem secundũ quid seu in certo genere est , quæ licet bonitatem aliquam afferat, tamen cum alia maiori vel æquali repugnat,vel imperfectionem aliquam habet admistam , vt sunt perfectiones omnes craturarum prout in eis sunt. In posteriori autem sensu eadem ferè proportione applicari poterit diuisio ad quodlibet genus entis; nam vnicuiq; rei illud est bonũ simpliciter,quod bonitatẽ aliquã illi affert,& maiorem, vel æqualem nõ secludit,sic est bonum igni esse calidũ & homini esse temperatum; si verò afferat aliquã bonitatem , excludat tamen maiorem,cuius illa res esset capax nõ erit bonum simpliciter,sed secundum quid,sic esse nigrum quamuis in se aliquod bonum sit homini habenti illud,non est tamen simpliciter bonum, quia excludit esse album,quod est homini melius. Hoc autem sensu *simpliciter* & *secundum quid* solùm distinguuntur tanquam magis & minus perfectum , quo sensu etiã sensibilia bona dicuntur secundum quid respectu spiritualium,& temporalia respectu æternorum.

SECTIO III.

Quodnam bonum sit,quod cum ente conuertitur tãquam passio eius.

I. Dubitãdi rationes.

RAtio difficultatis est, quia aut bonum sumitur pro eo, quod in se bonitatem seu perfectionẽ habet,aut pro eo,quod est conueniẽs alteri;neutro autem modo videtur bonum cum ente conuerti,aut passio eius:ergo.Minor probat quoad priorem partem de bono absolutè sumpto ; primò, quia relationes reales sunt entia, & tamen ex sententia multorum bonæ non sunt, quia nullam perfectionem habẽt.Secundò,quia res Methematicę veræ res sunt, & tamen, teste Aristotele 3. Metaph.non sunt bonæ. Tertiò, quia materia prima est aliquo modo ens, & tamen bona non est, quia, sicut actualitatem non habet,ita nec perfectionem.Quartò, essentiæ rerum creatarum sunt aliquo modo entia realia, cùm non sint nihil, & tamen bonæ non sunt, quia,seclusa existentia perfectionem non habent, vnde nec sunt appetibiles,nisi in ordine ad esse. Quintò addere possumus, multas esse res, quę carent modo & ordine debito naturæ suæ, quæ proinde bonæ dici non poterunt, cùm bonum consistat in modo, specie, & ordine, vt ait Augustinus lib. de nat.boni , cap.3. & 4. August.

Altera verò pars minoris probatur primò ex omnibus adductis,quia, quod in se perfectionem non habet,neque alteri poterit esse bonum, vt relatio, verbi gratia, si in se non dicit perfectionem , nihil conferre poterit ad bonitatem eius, cui inest. Secundò econtrariò obiicere possumus, quia bonum, prout dicitur hoc modo conueniens, non tantùm de entibus, sed etiam de non entibus dici potest,quomodo Matth.26. dicitur de Iuda; *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* : ipsum ergo non esse, vel non nasci, quatenus cõueniens esse potest ad maiora mala impedienda, bonum à Christo appellatur. Et in moralibus non solùm implere præceptum , sed etiam non agere prohibitum , bonum censetur, & conueniens homini: ergo bonum sub hac ratione non potest esse passio entis,cùm latiùs pateat , quàm ens. Et confirmatur tandem : nam bonitas, quæ est passio entis, solùm est vna in vno ente ; at verò conuenientia vnius entis ad aliud non est vna , sed multiplex , & diuersarum rationum : ergo non conuertitur hæc bonitas cum ente tanquam passio eius. Matth.26.

II. Aliquorum sententia.

Supponenda est distinctio superiùs tradita de bono,prout absolutè dicitur de re,quatenus in se bona est, vel quatenus dicitur bona alteri , seu respectu alterius.De his enim variæ sunt opiniones.Quidam enim existimant, bonum transcendens prout est passio entis,sumi posteriori modo sub ratione conuenientis alteri,quod sentiunt Heruæus, Capreolus,& Durandus suprà, non tamen declarant , quomodo bonum vt sic,cum ente conuertatur.Et ideò alij hãc sententiam reiiciunt propter argumenta superiùs insinuata, qui consequenter sentiunt, bonum sub posteriori acceptione esse plusquàm transcendens, eò quòd non solùm entia,sed etiam non entia transcendat. Quo fit, vt iuxta hanc sententiam,duplex sit bonum : aliud quòd sit proprietas entis quarto modo: aliud verò quòd sit proprietas secundo modo, quia conuenit omni enti,sed non soli.

Quæstionis resolutio.

III. Bonum semper in ente fundatur.

DIcendum tamen censeo, bonum propriè dictum semper supponere vel includere ens, seu fundari in ente,ideòque non posse bonum, sub quacunque prædictarum rationum, latiùs patere, quàm ens. Hæc conclusio sumitur ex Aristotele 1.Ethico. cap.6. dicente ; *Bonum diuidi per omnes categorias , sicut ens*,& ex D. Thoma 1.part.quæst.5.art.5.vbi ait;*rationem entis esse priorem ratione boni.* Et hoc ipsum significare voluit quæst.d.21.de verit.art.2.cùm dixit,*bonum transcendens fundari in esse.* Et ratio est, quia bonum, siue significet id,quod in se bonum est, siue quod est bonum alteri, includit intrinsecè in conceptu suo perfectionem,nam bonum & perfectum idem sunt: sed non potest intelligi perfectio vera sine entitate; nam, Aristot. D.Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam, quod entitatem non habet, nihil est. Quod autem est nihil, quomodo dicere potest, vel includere perfectionem? Prætereà de eo, quod est in se bonum, nullus dubitat propter rationem factam, quin debeat esse ens: hinc autem rectè colligitur, etiam illud quod est verum bonum alteri, debere esse ens: ergo bonum sub vtraq; ratione includit rationem entis, & non potest alicui conuenire, quod non sit ens. Minor declaratur primò, quia quod in se perfectionem non habet, non potest esse alicuius perfectio. Secundò, quia bonum vt conueniens dicit ordinem ad existentiam, nihil enim censetur conueniens nisi vt existens, vel in ordine ad existendum; quod autem existit vel existere potest, est ens: ergo bonum, vt cõueniẽs includit vel supponit ens. Tertiò, quia ea, quę reputantur conuenientia alicui, cùm tamen non sint entia, sed potiùs priuationes aut negationes entium, reuera non sunt bona, & eo modo, quo interdum bona appellantur, quatenus appetibilia sunt, etiam dicuntur quodam modo entia: ergo æqua est vtriusq; ratio. Declaratur minor quoad priorẽ partẽ quia id, q̃ dicitur conueniens tanquam priuatio, reuera non est bonum, sed carẽtia alicuius mali, si præcisè in priuatione sistatur: carentia autem mali vt sic non est bonitas, nisi aliud addatur. Sicut etiam in moralibus aliud est declinare à malo, aliud facere bonum, & non agere malum non est virtus aut bonum, nisi includat positiuam voluntatem non agendi malum. Sic ergo est in naturalibus; carere enim calore propriè non est bonum aquæ, sed est carentia mali, seu disconuenientis, & conditio quædam necessaria: vt suam bonitatem ac perfectionem habere possit. Quocirca, si conuenientia in hac amplitudine sumatur, non est idem bonitas & conuenientia, etiam prout bonitas dicitur de eo, quod est bonum alteri; sed bonitas dicit entitatem seu perfectionem vt conuenientem alicui, & ideò, quod est conueniens solùm per modum priuationis, reuera non est bonum. Vel (vt probemus alteram partem minoris) si huiusmodi priuationes conuenientes rebus denominari possunt bonæ, eodem modo vocari possunt entia. Nam, vt in superioribus, ex doctrina Aristotelis, & Diui Thomæ notauimus, ens interdum dicitur, quod reuera habet esse, interdum verò quod per modum entis verè prædicari potest, quomodo dicitur homo esse cæcus, vel cæcitas esse in homine. Propter hanc ergo vmbram entis fit, vt tale ens, si sit conueniens alicui, bonum ei appelletur: semper ergo bonum proportionem seruat ad ens, neque vniuersaliùs, quàm illud extenditur.

IV. Bonũ & ens mutuò se inferunt.

Dico secundò; Omne verum ens in se bonum est, seu bonitatem aliquam habet sibi conuenientem: atque ita fit, vt bonum absolutè dictum cum ente conuertatur. Circa hanc conclusionem referri potest Manichæorum & Priscillianistarum error: illi enim dixerunt, esse quasdam creaturas ex se malas, & à quodam principio summè malo procreatas, vt latè referunt Nicephorus lib. 6. Histor. cap. 31. & Euseb. lib. 7. cap. 28. & fusiùs Augustinus, tomo 6. lib. de hæres. hæresi 46. & innumeris opusculis contra Manichęos, & D. Thom. 1. par. quæst. 48. & 49. & 3. con. Gent. cap. 7. & 8. & Leo Papa ep. 93. ad Thuribium, specialiter contra Priscillianistas definit. Idem Concilium Brachar. I. cap. 7. & 8. Et ex diuina Scriptura facilè conuinci potest: nam Genes. 1. de singulis diuinis operibus dicitur; *Et vidit Deus quod esset bonum*: de omnibus verò simul subiungitur; *Vidit Deus cuncta*

Manichæorũ & Priscillianistarũ error. Nicephor. Euseb. August. D. Thom. Leo Pap. Brachar. I.

A *quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ecclesiastic. 7. *Cuncta fecit bona in tempore suo.* 1. Thimoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* Ratio conclusionis est, quia omne ens reale necessariò habet aliquam perfectionem, qua in suo esse constituitur, quæ in re nihil aliud est, quàm ipsamet entitas, qua perficitur: ipsa n. entitas rei vel forma, materia, aut natura, quib. res in suo esse constituitur, dicuntur perfectiones rei, quia illis perficitur in suo esse. Sicut ergo intelligi nõ potest ens reale, quod sua entitate non constet seu constituatur, ita intelligi non potest sine perfectione reali, qua perficitur; perfectio autem, & bonitas qua res in se bona dicitur, idem sunt.

V.

Potest autem hæc perfectio in creaturis esse, vel essentialis seu intrinseca (sub qua ipsum esse comprehendo) vel accidentalis. Prior est inseparabilis ab vnoquoque ente, si in suo actuali esse conseruetur; Posterior verò sæpè potest separari. Denominatio igitur boni, quæ omni ente necessario conuenit, illa est, quæ à perfectione intrinseca, & essentiali desumitur, prout verò sumi potest à perfectione accidentali (sub hac ratione includendo quicquid ex B natura rei distinguitur ab essentia rei, & entitate actuali) sic non est necesse, omne ens creatum, esse bonum, id est, affectum omni perfectione sibi possibili aut debita. Atque ita fit, bonum priori ratione sumptum conuerti cum ente: ostendimus enim omne ens esse bonum, nihilque esse verè bonum, nisi quod verè est. Sequitur deinde, bonum sub eadem ratione sumptum esse aliquo modo passionem, seu proprietatem entis, quia & cum illo conuertitur, & secundum rationem illud supponit, & ab eo aliquo modo distinguitur secundum formalem rationem à nobis conceptam & significatam. Et ideò dixi, esse aliquo modo passionem, quia non est passio in eo rigore, in quo passio requirit distinctionem aliquam ex natura rei à suo subiecto, sed solùm, vt dicitur de quolibet attributo secundum rationem distincto ab eo cui attribuitur, vt superiùs declaratum est, tractando de passionibus.

VI. Omne ens est bonum alicui.

Dico tertiò; Omne ens etiam est bonum respectu alicuius, id est alicui conueniens, quocirca etiam bonum, sub ratione conuenientis sumptum, cum C ente conuertitur, & est attributum seu passio eius. Prior pars probatur primò inductione: nam in primis omne ens accidentale est bonum alicui subiecto. Quia licet interdum alicui subiecto non sit conueniens, vt calor aquæ; nunquam tamen potest accidens non dicere habitudinem & aptitudinem ad aliquod subiectum, quod bene & conuenienter afficiat secundum aliquam rationem, vel propriam, vel communem: sic enim calor, quamuis non sit bonus aquæ, est tamen bonus igni, &, quamuis non sit bonus aquæ, vt aqua est, est tamen bonus aquæ vt ens naturale, vel materiale est. Et iudicium erroneum intellectus, quamuis vt erroneum est, non sit conueniens intellectui, tamen vt est iudicium seu repræsentatio quædam talis obiecti, est conueniens intellectui, vt est in potentia ad actum secundum, & ad intellectualem repræsentationem, & idem est de actibus voluntatis, quantumuis quidam eorum intrinsecè mali esse videantur. Rursus substantiæ creatæ compositæ ex materia & forma ita se habent, vt & materia sit conueniens formæ & forma materiæ, & vnio earũ similiter sit vtriq; conueniens & cõsequẽter totũ ipsum non solùm sibi ipsi conueniens sit, sed etiã singulis partibus. Vnde fit, vt quælibet pars naturaliter appetat totius conseruationem plusquàm conser-

Inductio in omnib. partibus constat.

conseruationem sui ipsius, vt notauit D. Thom. 2. 2. A quæst. 26. articulo 1. Atque hic modus conuenientiæ, extendi potest ad omnem substantiam creatam, quatenus est aliquo modo composita, vel ex natura & aliquo modo seu termino substantiali, vel ex ipsamet & suis accidentibus, quibus ipsa bona est & cõueniens.

VII. In substantia autem simplicissima, quæ est Deus, non reperitur propriè intrà ipsam hic modus cõuenientiæ, qui intelligitur esse vnius rei ad aliã, aliquo modo in re distinctam, sed per summam identitatẽ & simplicitatem est Deus conueniens sibi ipsi, & natura eius est conueniens suæ personæ, & personalitas ipsi naturæ: sed hæc conuenientia potiùs est secundum eam rationem, qua redditur in se bona & perfecta, quàm secundum eam, qua dicitur esse alicui conueniens. Quamquam dubitare posset Theologus, an, suppositâ in Deo Trinitate personarum cũ vnitate in essentia, possit verè vna persona dici bonum alterius, seu conueniens alteri, non tantùm ratione essentiæ, in qua sunt simplicissimè vnum, sed etiam ratione proprietatum, in quibus distinguuntur. Non enim videtur inconueniens concedere, v- B nam personam esse rem conuenientem alteri, non vt formalem perfectionem eius, sed vt principium principiato, vel vt terminũ dici potest cõueniens relationi, vel existentia vnius relatiui potest dici cõueniens alteri correlatiuo, & societas pluriũ personarũ potest existimari singulis conueniens: in quibus omnibus nulla imperfectio denotatur, nec dependentia, sed solùm necessaria coexistentia trium personarum in vna essentia. Sed hoc Theologis relinquam.

VIII. Respectu verò creaturarum Deus est summum bonum maximè conueniens illis, nõ vt bonitas formalis earum. Quomodo quidam errarunt existimãtes omnes res creatas esse bonas bonitate diuina, quod est manifestè falsum, quia diuina bonitas nõ potest esse forma creaturis inhærens; aut cum eis in compositionem venire, vt eas formaliter bonas cõstituat. Neque etiam creaturæ esse aut dici possunt bonę, per solam denominationem extrinsecam à bonitate Dei, quia, sicut in se habent proprium esse distinctum ab esse Dei, licet ab illo participatum, ita in se habent propriam bonitatem & perfectionem distinctam à bonitate diuina, ab illa verò manantem, & participatam. Est ergo Deus bonum cõueniens omnibus creaturis in genere efficientis & finis: nam ab illo bono omnis creaturæ bonitas profluit ac pendet, & in illius boni consecutione, vel aliquali imitatione summa perfectio creaturæ cõsistit. Et hoc modo dixit Augustinus 8. de Trinit. cap. 3. *Deum esse bonum omnis boni.* At verò econtrario creaturæ non possunt dici conuenientes Deo eo modo, quo ipse est conueniens illis, scilicet tanquã bonum eis commodum, & bonitatem eis communicans; sed tamen dici possunt conuenientes Deo tanquam opera decentia ipsum, & consentanea bonitati & sapientiæ eius: sic enim cœlos dicimus esse opus Deo dignum, eique conueniens, sicut dicimus imaginem rectè depictam, esse opus conueniens tali artifici: Quo sensu posset exponi illud Genes. *Vidit Deus quod esset bonum*, id est, conuenienter dispositum & fabricatum, prout talem opificem decebat.

IX. Atque ad hunc modum intelligi facilè potest, quod vna res vel substantia, etiam suppositâ distincta, sit bonum alteri conueniens, quod in creaturis etiam intueri licet: est enim vna creatura cõueniens alteri, vel quia aliquo modo cõfert ad esse, vel ad perfectionem, aut pulchritudinem eius. Vel ad cõmunicandam bonitatem suam, quam à Deo habet participatam, suaue actiones exercendas. Non potest ergo excogitari ens aliquod verũ & reale, quod non sit aliquo modo cõueniens alicui: Vnde ratio generalis reddi potest, quia omne ens est in se aliquo modo bonum & perfectum: omne autem bonum, non solùm sibi ipsi conueniens est, sed etiam est alicui cõueniens, vel, vt sese illi communicet aliquo modo, vel saltem, vt ab illo fiat, & ad aliorum commodum, vel saltem ad vniuersi pulchritudinem, & aliquale cõplementum ordinetur. Atq; hac ratione nullum est ens, quod nõ possit sub obiectum voluntatis cadere tanquam cõueniens alicui, seu ad aliquem finem. Sic igitur constat, bonum, etiam vt dicit rationem conuenientis, cõuerti cũ ente, quia ostendimus, omne id quod verè ac positiuè conueniẽs est, esse ens, & econtrario omne verum ens esse aliquo modo cõueniens. Atque hinc tandem concluditur, bonum etiã sub hac ratione inter passiones entis posse numerari, quatenus est quoddam generale attributum entis, quod non est omnino synonymum illi, sed aliquid B vltra rei entitatem connotans seu includens, vt sect. 1. declaratum est.

X. Bonitas honesta naturalis, bonum transcendẽs præcipue cõstituit.

Dico quartò. Bonum transcendens potissimè sũptum videtur à bonitate honesta, nõ in genere moris, sed naturæ. Quanuis etiam possit abstractè & generatim dici à bonitate, vt ab omnib. abstrahit. Declaratur, nam, si ens dicatur bonum in se, ea dominatio ex eo sumitur, quod in se habet perfectionem sibi conuenientem: hæc autem conuenientia pertinet ad honestatem naturalem, quatenus omne huiusmodi bonum est per se appetibile, saltem ab eo, cuius est bonum & perfectio. Vnde ortum est illud axioma, *Amabile bonum, vnicuique autem proprium.* Est autem satis verisimile, bonum transcendens primariò sumptum esse ex habitudine seu denominatione, qua vnumquodque ens habet in se aliquam perfectionem sibi cõuenientem. Sic igitur bonitas aliquo modo honesta in ordine naturæ est vniuersalis proprietas entis, à qua bonum transcendens denominatum est. Si verò ens dicatur bonum, quatenus est cõueniens alteri, sic omne ens videtur esse per se cõueniẽs alicui, cum quo habet naturalem aliquam proC portionem, vel vt causa cum effectu, vel vt effectus cum causa, vel vt pars cum toto, aut totum cum parte, aut alio simili modo, & ita in omni ente reperiri potest aliqua conuenientia ob quam sit per se appetibile respectu alicuius, quæ sub ea ratione ad honestatẽ naturæ reuocatur. Et ideò ab hac bonitate denominatio boni & cõuenientis, quatenus communis est omni enti, sumpta videtur, nam est maximè intrinseca & vniuersalis; bonitas autẽ vtilis propriè sumpta est magis intrinseca, & secundum quid tantum, bonitas verò delectabilis non ita communis omni enti: sed particularis esse videtur, si propriè & nõ Metaphoricè de delectatione sit sermo. Ex his ergo satis constat prior pars conclusionis. Posterior verò facillima est, quia, si bonum abstractè sumatur, cùm de omni ente dicitur, non est sensus, omnem rationem boni, scilicet honesti, vtilis, & delectabilis, in quolibet ente reperiri, sed simpliciter rationem boni, quod verum erit, si aliqua saltem ratio boni in vnoquoque ente inueniatur. Potest ergo bonũ transcendens in ea abstractione sumptum vt proprietas entis assignari, quanuis in particulari vnicuiq; enti secundùm proprium modum & determinatam rationem bonitatis & conuenientiæ tribuenda sit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Relatio an dicat perfectionem.

XI. Quorundam opinio.

AD rationem dubitandi in principio positam respondetur, negando, bonum non conuerti cum ente; Ad probationes autem circa priorem partem de bono absolutè dicto sigillatim dicendum est. In prima tangitur vulgaris difficultas de relatione reali an dicat perfectionem, quam solent disputare Theologi occasione mysterij Trinitatis, quoniam, si relatio vt sic dicit perfectionem, etiam relationes diuinæ dicent illam: ex quo fiet, vt aliqua perfectio sit in vna persona, quæ non est in alia, & plures perfectiones in multis personis, quam in vna, & in Trinitate, quam in essentia, quæ omnia repugnant æqualitati diuinarum personarum. Propter hanc ergo causam multi negant, relationem, vt relatio est, dicere perfectionem, vel imperfectionem, sed aiunt neutro modo se habere. Ita tenet Caietanus de ente & essent. cap. 2. circa medium, vbi id supponit tanquam communiter receptum in schola D. Thomæ, & Scoti. Et fauet quidem Diuus Thomas prima Part. quæst. 42. art. 4. ad secundum, vbi sentit, perfectionem vt sic dicere aliquid absolutum. De Scoto dicam inferiùs: idem tenet Caiet. prima part. quæst. 28. artic. secundo circa ad tertium, Capreol. in primo, distinct. 1. quæstione septima ad tertium, Aureol. cont. 1. conclus. Durand. in tertio, dist. 1. quæst. 3. num. 12. & Marsil. in primo, quæst. 23. artic. tertio. Et omissa Theologica ratione, potest fundari hęc sententia, quia incredibile videtur, ex eo solùm, quòd alter fiat albus, aut niger, aut loco mutetur, me acquirere vel amittere perfectionẽ aliquam, quia perdo vel acquiro relationem similitudinis, propinquitatis, & similes. Alij vero distinctione vtuntur, quia relatio considerari potest quoad esse in subiecto, & vt sic aiunt relationem dicere perfectionem: vel secundum esse ad terminum, & quoad hoc negant dicere perfectionem, quia esse ad vt ad nihil ponit in subiecto, vnde ex se relationibus rationis commune est, & hoc significauit Capreolus dicens, relationem in quantum huiusmodi, non dicere perfectionem, quia vt sic nihil ponit in eo cui attribuitur.

Caiet.

Capreol. Durand. Marsil.

Aliorum placitum.

XII. Sed, quia de natura relationis inferiùs in proprio loco disputandum est, nunc breuiter supponendum est, quæstionem hanc procedere de relationibus veris ac realibus, quæ veræ sint res, aut modi reales entium; non disputando modo quænam relationes huiusmodi sint, vel quomodo sint, quod prædicto loco fiet. Hoc ergo supposito, non video quomodo possit iuxta superiores sententias difficultati propositæ satisfieri, nisi limitando conclusionem superius positam, quòd nimirùm bonum conuertatur cum ente absoluto non verò cum ente vt commune est absoluto & respectiuo: vel certè, quòd licet omne ens, vt distinguitur à modo rei, dicat perfectionem, tamen modus rei non addat specialem bonitatem seu perfectionem. At verò hæ limitationes nec fundamentum habere possunt, nec veritatem. Et prior quidem repugnat Aristotelis 1. Ethicorum, capite sexto dicenti, *Bonum æquè diuidi ac ens*, & per omnia prædicamenta vagari, & expressè dicit, *Bonum & in substantia dicitur, & in quali, & in eo quod est ad aliquid, &c.* Vbi Diuus Thomas ait, *bonum conuerti cum ente, quod in decem prædicamenta diuiditur*; & hic est sensus omnium, qui bonum transcendès dicũt esse passionem entis, & cum illo conuerti, illa ergo non est, limitatio, sed destructio receptæ sententiæ.

A Præterea, quod reale ens dicat aliquam perfectionem, non tantùm ei conuenit, quia absolutum ens est, sed simpliciter, quia veram entitatem habet, quę tale constituit ens, quale esse debet, & in hoc constit quòd sit perfectio eius; & ideò dixit Augustinus, libro 83. quæstionum, quæst. 24. *Omne quod est, in quantum est, bonum est*, & lib. 3. de lib. arbit. capit. 15. dixit, *Quicquid est sicut esse debet, bonum est*, & libro 1. de doctrina Christiana capite 32. cùm dixisset, Deum esse, *qui summè est*, ait: *At cætera, quæ sunt, nisi ab illo esse nõ possunt, & in tantum bona sunt, in quantum acceperunt vt sint*, & Boetius libro, de Hebdom. capite secundo, *Quidquid est* (inquit) *in eo quod est, bonum est*: ergo bonitas non consequitur ad hunc vel illum entitatis modũ, sed ad entitatem rei debitam: supponitur autem relatio habere propriam entitatem, per quam tale esse habet, quale habere debet: ergo & bonitatem. XIII. Augustin. Boetius.

Præterea, quomodo intelligi potest ens reale sine aliqua reali perfectione? nam qua ratione aliquis finxerit, posse hoc intelligi in entitate relatiua, quamuis non inueniatur in absoluta, poterit aliquis idem fingere in qualibet entitate accidentali, vel etiam in quolibet modo reali, quòd nimirùm nullam dicat perfectionem, etiamsi aliquid reale sit, quod tamen in vniuersum concedere de omnibus accidentibus aut modis realibus omnino falsum est. Nec potest sufficiens ratio differentiæ assignari inter relationem & alios modos, si supponamus, relationem esse veram rem, seu realem modum: nam, licet relatio dicat ordinem ad terminum, tamen secundum totum id quod est, afficit subiectum, & inest illi. Vnde nihil iuuat illa distinctio de relatione *secundum esse in*, vel *secundum esse ad*; nam, si *esse ad* sit verum ac reale; necesse est vt afficiat subiectum, quod refert ad terminum: vnde, sicut relatio, etiam secundum esse ad, ponit in subiecto aliquid reale, ita etiam ponit aliquid bonitatis vel perfectionis. Neque est verum, relationem secundum esse ad prę scindere ab esse in, sicut non prę scindit ab esse entis vel accidentis, quia illud esse in est transcẽdens ad omnia accidentia, & modus eorum, sicut ipsum esse ad omnia entia, & modos entium: Neque etiam est verum, *esse ad* abstrahere à reali & rationis nisi voce tantum, nam relatio rationis, sicut vera relatio non est, ita nec habet *esse ad*, sed habere fingitur, seu ita concipitur ac si haberet. XIV.

Dicendum ergo est, relationem vt relatio est, sicut propriam dicit entitatem, seu entitatis modum, ita etiam propriam dicere bonitatem seu perfectionem, vt bene docuerunt Ocham & Gabriel in 1. distinctione 19. quæstione 1. & Gregor. quæstione 1. art. 1. & significat Durandus in 2. distinct. 34. quæst. 1. ad 3. nec dissentit Scotus dict. quodlib. 5. nam in vltimis eius verbis rem dubiam & indecisam relinquit, & in 1. dist. 1. quæst. 2. argum. 1. probat ex testimonio Aristotel. ex lib. 1. Eth. suprà adducto, relationem habere propriam bonitatem; & in solutione cõcedit habere bonitatem in communi loquendo, non tamen bonitatem perfectã, quæ cõstituat specialem rationẽ obiecti fruibilis, de quo aliàs. Et sanè, si quis consideret testimonia Scripturæ, & Sanctorũ, quibus probauimus omne ens creatum esse bonum; & rationem ac modum, quo declarauimus, bonitatẽ adęquatè cõuenire enti, planè intelliget ęquè procedere de quolibet ente, quod in se aliquam entitatem habeat, ita vt necesse sit tantũdem perfectionis in se habere, esseque in se aliquod bonum, quidquid sit

Relatio vel & realis vtr bonitatẽ in cludit aliq perfectionẽ. Ocham. Gabriel. Gregor. Scotus.

sit an alicui alteri sit conueniens, præterquàm sibi ipsi, vel constituto per ipsum quatenus tale est. Confirmatur ac declaratur, nam propter easdem generales locutiones, & rationes, excipi non potest entitas actus peccati; neq; aliquis realis modus, aut differẽtia eius, quo minus, quatenus talis est, & à Deo fiat, & bona sit: ergo idem est de quacunq; alia ratione positiua entis, quantumuis respectiua sit.

XVI. Diuinæ relationes an ex proprio conceptu perfectionem dicant. Quorundam sententia refellitur.

Ad difficultatem autem Theologicam respondent aliqui, quamuis relatio creata dicat perfectionem ex proprio conceptu & ratione, nihilominus relationem diuinam ex proprio conceptu nullam dicere perfectionem. Quod præcipuè dicunt vt euitent illud inconueniens, quòd aliqua perfectio sit in vna persona, quæ non est in alia. Rationem verò differentiæ reddunt, quia relatio creata dicit perfectionem finitam: relatio autem increata non potest dicere finitam perfectionem, quia hoc repugnat diuinę perfectioni: neque etiam ex propria ratione dicere potest infinitam perfectionem, quia hæc infinitas solùm potest conuenire ratione essentiæ. Sed mirum est quòd inconueniens censeant, rem aliquam diuinam dicere ex se finitam perfectionem, & non repu- B tent incommodum, eandem rem diuinam nullam ex se dicere perfectionem; cùm tamen ex suo genere melius sit, aliquam perfectionem dicere, quam nullam. Addo, intelligi facilè posse, relationem ex proprio conceptu esse infinitam in genere paternitatis aut filiationis, &c. non esse tamen infinitam in genere entis, nisi ratione essentiæ, quam includit.

XVII. Aliorũ placitum confutatur.

Alij reddunt rationem differentiæ, quia relatio creata distinguitur ex natura rei ab omni re & perfectione absoluta: & ideò oportet, vt secum afferat perfectionem; & hanc responsionem indicat Gregorius suprà. Veruntamen neque illa ratio mihi satisfacit: quamuis enim rectè concludat, relationem diuinam non posse dicere perfectionem ex natura rei distinctam ab essentia, non tamen, quod non dicat perfectionem ratione distinctam, eò scilicet modo quo dicit entitatem. Et quo- C ad hoc nulla potest assignari sufficiens ratio differentiæ, cur de ratione entitatis creatæ sit, vt secundum omnem suam rationem positiuam dicat aliquam perfectionem, & non maiori ratione hoc ipsum conueniat entitati increatæ, cùm hoc ex suo genere melius sit, imò necessarium ex vi communis conceptus entis realis vt sic. Vnde ratio facta de conuertibilitate inter ens & bonum, æquè vrget in relationibus diuinis ac in creatis. Nam, si, vt Aristoteles dixit, bonum æquè diuiditur ac ens, sicut in Deo sunt, ens absolutum, & respectiuum, quamuis non re sed ratione distincta; ita erit bonitas & perfectio absoluta & respectiua, non re sed ratione distinctæ; ergo etiam relatio diuina ex proprio conceptu dicet perfectionem. Et declaratur in hũc modum, nam, si respicere filiũ relatione creata, est formaliter aliqua perfectio, quomodo intelligi potest in æterno Patre nullam esse perfectionem respicere Filium? Quòd si formaliter est perfectio, necesse est vt sit relatiua, quia consistit in habitudine ad terminum: ergo illa vt sic, prouenit formaliter à relatione, & non ab essentia vt essentia, quamuis hæc in re non distinguantur.

XVIII. Concedendum ergo censeo, omnem relationem realem dicere propriam bonitatem seu perfectionẽ. Neque hinc fit personas diuinas esse inæquales in perfectione, neque absolutè loquendo, aliquam perfectionem esse in vna, quæ non sit in aliis, quia in singulis personis est eadem perfectio infinita in genere entis, formaliter vel eminenter includens omnem perfectionem omnium entium tam absolutam, quã respectiuam, tam personalem, quàm essentialem. Sed de hoc latiùs prima Parte quæst. 28. & 42. Ad aliam rationem, quòd incredibile videtur, hominem reddi perfectiorem, quia alter fiat albus; respondeo, in tantùm hoc incredibile esse, in quantum incredibile est, hominem in se acquirere aliquid entitatis, vel aliquem realem modum ex natura rei distinctum ab omnibus, quæ antèà habebat, ex eo solùm quòd alter fiat albus. Qui ergo hoc crediderit de entitate, cur dicet esse incredibile de bonitate vel perfectione? Qui autem dixerit esse nonnullas denominationes relatiuas, quæ præter omnia absoluta, quę sunt in vno termino vel subiecto, nihil intrinsecum & reale illi addunt, sed solùm connotant coexistentiã alterius extremi cum his vel illis conditionibus absolutis; qui sic (inquam) opinatus fuerit, rectè & cõsequẽter dicet, huiusmodi relationes nullã dicere perfectionẽ prẽter absolutas cũ mutua aliqua denominatione. Nos aũt nõ de his relationibus, seu denominationib' loquimur, sed de veris entitatibus, seu modis respectiuis, qui verè & intrinsecè sunt in aliquo subiecto vel supposito, respiciendo alium terminum: & hæc de prima difficultate. Cũ increata relatio perfectionem dicat, qualitet diuinæ personæ æque perfectæ.

Mathematicæ res vt sic an perfectæ.

XIX. D. Thom.

SEcunda & breuior difficultas erat de rebus Mathematicis, quas Aristoteles negat esse bonas. Quam dissoluit D. Thom. 1. parte, quæst. 5. articulo tertio ad quartum, & quæst. 21. de Veritate articulo secundo, ad quartum, asserens, res quidem Mathematicas in se bonitatem habere; per scientiam autẽ Mathematicam non considerari, quatenus bonæ vel conuenientes sunt, sed præcisè & abstractè, quatenus magnitudinem habent, & secundum illam aliquas proprietates sortiuntur. Aristoteles ergo, qui de Mathematicis ait, non esse in eis bonitatem, formaliter ac præcisè loquitur de illis vt sunt sub Mathematica præcisione seu abstractione. Vnde perinde est ac si diceret, Mathematicum non considerare in quantitate rationem boni aut conuenientis, nam quantitas non habet rationem boni vel conuenientis, nisi prout existit, vel existere potest in rerum natura, vel in materia sensibili; & ideò etiam præscindit à ratione boni, & à ratione finis & appetibilis, quod ibi Aristoteles intendit. Et, quamuis Aristoteles non dicit Mathematicas res non esse bonas, sed *in immobilibus, non reperiri boni naturam*; & inde cõcludat, in Mathematicis nihil per causam finalem demonstrari; tamen per immobilia intelligit quæcunque abstrahuntur ab omni motu & actione, qualia sunt entia Mathematica.

XX. Obiectiones aliquot proponuntur.

Sed obiicies, nam magnitudines etiam vt sunt sub abstractione Mathematica sunt entia: non .n. abstrahuntur ab esse, aliàs Mathematici agerent de entibus rationis: ergo etiam vt sic, oportet vt habeant bonitatem. Item, si sola abstractio à materia sensibili satis esset, vt res sic abstractę non dicerentur bonæ: ergo & res vniuersales abstractę à singularibus non essent bonę. Patet consequentia, quia sicut res Mathematicę nõ subsistũt sic abstractę, ita nec cęterę res vniuersales, atq; ita fiet, vt omnes res, quatenus sub

Universidad de Deusto
Biblioteca

scientiam cadunt, non sint bonæ. Item, si res Mathematicę non sunt bonę, quia abstrahuntur à motu, etiam res immateriales, & omnes, quę in Metaphysica considerantur vt sic nō essent bonę, quia multò magis abstrahuntur à motu.

XXI. Obiectionibus propositis satisfit.

Ad primum aliqui respondent, res Mathematicas vt sic, id est, vt in ea scientia considerantur & abstrahuntur, non esse veras entia, quia vt sic esse non possunt. Sed hoc non rectè dicitur, quia quidquid à Mathematico consideratur, est verum & absolutum ens, & vt tale consideratur. Neque oportet vt eo modo esse possit, quo consideratur: alioqui neque vniuersalia essent vera entia. Satis ergo est, vt res, quæ abstractè considerantur, verè esse possint. Præsertim, quia licet naturaliter esse non possit quantitas, nisi in materia sensibili, absolutè tamen non inuoluit contradictionem quòd separata sit: per illam ergo abstractionem non excluditur vera ratio entis, neque à re considerata secundum se, neque vt sub talem considerationem cadit. Secus verò est de ratione boni, nam, licet hęc non excludatur ab ipsis rebus, præscinditur tamen à tali scientia, vel tali consideratione sub tali abstractione. Rectè igitur D. Tho. supra in forma respondet, negando consequentiam, quia ratio entis est prima omnium: ratio verò boni, eo modo quo est distincta, est posterior; & ideò possunt scientię Mathematicę, quamuis non abstrahāt ab entitate, præscindere à bonitate.

XXII. Ad secundum respondetur, non esse parem vel similem rationem de abstractione vniuersalium: Mathematica enim non ideò dicuntur abstrahere à bonitate, quia abstrahuntur ab inferioribus, neq; quia sic abstracta esse non possunt, sed quia præscinduntur ab omni ordine ad motum vel actionem; & consequenter ab omni ratione conuenientis, vel appetibilis; alię verò vniuersales naturę, quamuis considerentur abstractæ à singularibus, nihilominus cōsiderātur cum ordine ad motum, vel actionem, quę primam originem sumit à fine, teste Aristotele. Vnde fit, vt res considerate in aliis scientiis in singularibus habeant omnes conditiones, quæ ad rationem boni pertinent, vel ad rationem finis, quæ quidem à talibus scientiis considerantur, licet nō in singulari, sed in vniuersali. At verò Mathematicæ neq; in vniuersali, neq; in singulari cōsiderant in rebus sibi obiectis eas conditiones, seu habitudines, quæ ad rationem boni seu conuenientis spectant.

XXIII. Ad tertium respondetur primò, licet in rebus aliis ex abstractione à motu Physico non rectè inferatur abstractio à bonitate, tamen in rebus Mathematicis id intulisse Aristotelem, quia, cùm istæ res non sint capaces alterius motus vel actionis, dum ab hoc motu abstrahuntur, ab omni et actione, & à causalitate finis, atque adeò à ratione boni abstrahuntur. Vel dici potest, intelligentias & res alias, quæ in Metaphysica considerantur, licet abstrahantur à motu materiali & Physico, non tamen à motione Metaphorica, qua mouet finis. Vnde inferiùs lib. duodecimo, cap. 7. dixit Aristoteles, primum mouens mouere cæteras intelligentias vt amatum & desideratum, quod pertinet ad rationem finis & boni.

Materia prima an bona.

XXIV. TErtia difficultas erat de materia prima, de qua qui sentiunt, illam non habere proprium esse, nec propriam entitatem actualem, fortasse dicerent non habere propriam bonitatem, vel saltem non habere illam ex se, sed à forma; nam, cùm bonū sequatur esse, & in eo fundetur, vt ex Augustino, Diuo Thoma, & Boetio suprà diximus, si materia non habet esse nisi à forma, nec bonitatem habere poterit, saltem in actu, sed, ad summum, in potentia; & ita loquitur Diuus Thomas prima Parte quæstione quinta, articulo tertio ad tertium, & quæstio. 21. de Verit. articulo secundo ad tertium. Dicendum verò est, materiam ex se & intrinseca ratione sua habere propriam bonitatem & perfectionem, vt etiam Diuus Thomas notauit 3. contra gentes, capite vigesimo, quia suam habet propriam entitatem & naturam distinctam ab entitate formæ. Item, quia inter materias primas vna est perfectior alia; materia enim cœlestium perfectior est; quàm horum inferiorum: est ergo in materia aliqua perfectio. Item, quia materia naturaliter appetit formam tanquam complementum perfectionis suæ; & forma etiam appetit materiam: sed neque appetitur nisi bonum, neque appetit bonum nisi id quod ex aliqua parte bonum est. Tandem, quamuis materia non habeat existentiam, nisi dependentem à forma, habet tamen propriam & inseparabilem existentiam, cum intrinseco ordine & dependentia à forma: sic ergo suam etiam habet bonitatem, vt etiam Dionisius docuit cap. 4. de diuin. nomin. Quia verò materia ex se in genere entis simpliciter imperfecta est, & esse tantùm habet per modum potentiæ receptiuæ formę; ideò comparata ad entia simpliciter, dicitur non esse simpliciter bona, sed in potentia: q intelligendum est, non de potentia ad quamcunque bonitatem, etiam incompletam & potentialem; (vt sic dicam) sed de potentia ad bonitatem actualem seu completam, quæ est per formam: hęc verò potentialitas ad formam, est in latitudine entis aliqua actualitas, & ita est etiam aliqua bonitas, licet imperfecta.

Dionys. Materia prima sensu distincto nō bona simpliciter.

Creatæ essentiæ num perfectæ.

XXV. Essentiæ creatæ non sunt bonæ.

QVarta difficultas erat de essentiis creaturarum de quibus dupliciter loqui possumus. Primò, prout sunt actu in rerum natura. Secundò, prout sunt in potentia antequam existant. Priori modo certum est, huiusmodi essentias esse bonas sua intrinseca & essentiali bonitate: quod præcipuè clarum est, si per suam formalem entitatem sunt actualia entia. Qui verò distinguunt in re ipsa entitatem essentiæ etiam actualem ab entitate existentiæ, dicere consequenter debent, etiam in entitate essentiæ reperiri propriam transcendentalem bonitatem & perfectionem distinctam ab ipso esse existentiæ, & separabilem ab illa, vt de Christi humanitate multi opinantur, de qua re inferiùs dicturi sumus. Posteriori autem modo loquendo de essentiis rerum nondum existentibus, quidam dicunt, quamuis sint entia, non tamen esse bona, quia bonum conuertitur cum ente in actu non cum ente in potentia. Quod significauit D. Thom. prima part. q. 5. artic. 1. dicens, *Bonum idem esse, quod perfectum; perfectum autem esse vnumquodque in quantum est actu; quia esse est actualitas omnis rei.* Idem habet 1. contgent. c. 38. Vbi Ferr. addit seu declarat, nō solùm ens actu existens, sed etiam habens ordinem ad existentiam, esse bonum, sicut etiam est appetibile.

XXVI. Essentiæ creatæ nō existentes vt sic, nō sunt bonæ.

Dicendum ergo est, in hoc etiā æquiparari & reciprocari ens & bonum, nā essentię rerū nō existentiū, sicut nō sunt actu entia, ita neq; sunt actu bona, & sicut sūt in potētia, quatenus possūt recipere esse, ita etiam sunt bona in potētia, quatenus possunt recipere actualem perfectionem ac bonitatem. Quoad vsum autem vocum solet vocari ens, etiam quod non existit, propter obiectiuam capacitatem essendi: non solet autem vocari simpliciter bonum, nisi quod actu existit; & ita etiam nihil appetitur, nisi in ordine ad actualem existentiam, id est, quatenus illā habet, vel saltem quatenus habiturum speratur, vel aliquo modo cum illa apprehenditur, vt sumitur ex D. Thom. 1. part. quæst. 82. artic. 3. & notauit Caiet. 1. part. quæst. 5. art. 3. in fine. Vnde etiam diuina voluntas eas creaturas propriè dicitur amare, quas vult aliquando esse: creaturas autem possibiles, quas decreuit nunquam procedere, non propriè amat, quia nullum bonum in actu eis communicat, illud autem esse in potentia non est nūc in eis aliqua actualis bonitas. Quod si aliquo modo dicitur Deus in eis complacere, id est, vel secundum esse quod habent in ipso Deo, vel secundum quod ab omnipotentia Dei denominantur possibiles, quod potiùs est complacere in sua omnipotentia, à qua habent vt sint possibilia, etiam ea, quæ non sunt.

D. Thom. Caiet.

Modus, species, & ordo an necessaria in vnaquaque ratione boni.

XXVII. QVinta difficultas ex superioribꝰ expedita est: diximus enim, bonum, quatenus à propria entitate & perfectione sumitur, conuerti cum ente; & hoc modo omne ens esse bonum, non tamen prout bonum sumitur in creaturis à perfectione accidentali superaddita essentiæ. Sic igitur, cùm bonum dicitur consistere in modo, specie & ordine, si intelligatur de modo, pulchritudine, & compositione seu ordine accidentali, sic verum est, non omne ens creatum habere debitum modum, speciem, & ordinem; ex quo solùm sequitur non omne ens creatum esse bonum simpliciter, non verò quod non sit aliquo modo bonum. Si verò illa tria sumantur magis intrinsecè & essentialiter, nulla est res, quæ non habeat modum sibi connaturalem, vt, verbi gratia, quod sit substantia, vel accidens; & speciem, id est, formam vel speciem sibi debitam; & ordinem ad proprium finem. Atq; ita bonum etiam, quod hæc tria includit, cum ente cōuertitur. Quocirca, ne sit æquiuocatio in voce, qua aliquid appellatur bonum simpliciter, oportet aduertere, illud *simpliciter* sumi posse, vel tanquā addens aliquid ipsi bono transcendēti, ita vt bonum simpliciter dicatur illud, cui nihil deest ad consummatā perfectionē sibi debitā; & hoc sensu nō est necesse, omne ens creatū esse bonū simpliciter: vel aliter sumi pōt illa vox *simpliciter* ad significandum id, quod absolutè & sine addito potest vocari bonum: & hoc sensu dicimus, vnumquodq; ita esse simpliciter bonum, sicut est simpliciter ens, & eadem proportione habere modum, speciem, & ordinem suæ naturæ debitum, vt latiùs declarat D. Tho. d. quæst. 5. art. 5.

Connexio doctrinæ.

DISPVTATIO XI.

De Malo.

QVONIAM bonum & malum opposita sunt, vt ex vocibus ipsis constat, & testatur Aristotel. in postprædicam. capit. de oppposit. necessarium visum est disputationem hanc præcedenti subiungere, vt vtriusque boni scilicet & mali rationibus inter se collatis, meliùs ac faciliùs vtrum-

A que cognoscatur. Disputant autem Philosophi pauca de malo; plura verò Theologi, præsertim Diuus Thomas, tum in quæstionibus disputatis, tum 1. par. quæstione 48. & 49. tum etiam aliis locis, scilicet, quid malum sit, & quotuplex, quantum, & quomodo opponatur bono, quas causas habeat, vel effectus, quæ nos hic breuiter complectemur, simulque declarabimus, cur malum inter proprietates entis non numeretur.

SECTIO I.

Vtrùm malum sit aliquid in rebus, & quotuplex sit.

I. In rebus est malum.

QVòd malum aliquo modo in rebus sit, easq; malis interdum denominet, cōstat ex communi omnium sensu & sermone, qui etiam in diuinis Scripturis frequens est, Ecclesiastici 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*: & c. 39. *Bona & mala in omnibus rētinuit.* Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum.* Mat. 6. *Libera nos à malo.*

B Quod frustra diceremꝰ de Deo, si nulla esset mala, vt rectè dicit Aug. lib. 1. cont. Iulian. c. 3. Quid aūt sit hoc malum, & quomodo sit in rebus, obscurū est & in controuersia positum. Est autem quæstio de malo quoad formale, à quo malum denominat, nā quoad materiale, seu quoad rem, quæ mala denominatur, constat esse posse quamcunq; rem quæ careat perfectione debita, vt videbimus.

Error vetus de malo confutatur.

II. Manichæi. Priscillian. Pythagor.

FVit ergo antiquus error, malum esse naturam positiuam quarundam rerum, quæ censebantur esse omnino malæ, & à quodam principio summe malo profectæ. Qui fuit error Manichæorum & Priscillianistarum, vt præcedente disputatione, sect. tertia tactum est. Et eundem tribuit Pythagoreis Diuus Thomas 1. part. quæst. 49. articulo 1. ad primum, & sumitur ex Aristotele 1. Metaphysic. capitulo quinto, vbi refert Pythagoricos posuisse bonū & malum inter prima rerum principia. Quoniam verò Scriptura sacra apertè docet, & vnum esse tantùm primum rerum principium summè bonum; & C omnes res ab illo effectas bonas esse, vt constat ex testimoniis præced. sectione citatis; ideò apud Philosophos Christianos certum est, malum non posse esse rem aliquā positiuam, quę ex natura sua ac secundum se totam mala sit, tum quia nō pōt esse bona, & omnino mala simpliciter, ac secundum se: ostensum est aūt, quamlibet rem ex se bonam esse; tum ēt quia res non potest esse mala ob naturalem perfectionem sibi debitam: quidquid autem ei de tali perfectione defuerit, aut quidquid ei aduersum habuerit, non potest ei esse connaturale, cùm supponatur esse debitæ perfectioni oppositum: nulla ergo res esse potest natura sua in se mala.

Quid malum sit, diffinitur.

III. EX hoc autem principio vlteriùs intulerunt Patres, malum pro formali, seu malitiam, à qua res aliqua denominatur mala, non esse rem aliquam seu formam positiuam, neque etiam esse meram negationē, sed esse priuationem perfectionis debitæ in esse. Ratio primæ partis est, nam omnis res positiua est bona, vt dictum est. Ratio autem secundę partis est, quia res non est mala eò quòd non habeat excellentiorem perfectionem, si ei non debeatūr: alio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui omnis creatura mala esset, eò quòd non habeat perfectionem creatoris. Atq; ita relinquitur tertia pars satis confirmata à sufficiente partiũ enumeratione. Eamq; latè confirmat Dionys.c.4.de diuin.nomin.vbi hoc sensu dicit,malum *non esse existens, neque esse aliquid,sed esse perfectionis bonique, proprij & accommodati priuationem*: rursusq; addit,malum esse *imbecillitatem boni*, quod in idem redit:& D.Basil.in Constit. Monast.c.3. *Vitium* (inquit) *non est nisi virtutis defectio*: & homil.Quòd Deus non est author malorum, *Non subsistit* (inquit) *prauitas neque essentiam ipsius substantiẽ*, (id est,realem & positiuam) *producere possumus: priuatio enim boni est malum.* Similiter Greg. Nissen. hom. 2:in Cantica. *Non est* (inquit) *alia mali substantia, quam de bono separatio.* Et similia habet orat.mag.catechc.c. 5.6.& 7.& Damasc.lib.2.de fide. c.4.& lib.4.c.2. *Nihil* (inquit) *est malum,nisi boni priuatio,sicut tenebræ luminis.* Eandem sententiã habet Athan.orat.cont.idola.Nazian.orat.9.circa fin. & orat.38.Epiph. hæres. 24.& 66.Chrysost.ho.2.in Act.circa fin.& Iustin. q. 46.& 73.ad Gentes. *Malum* ait, *nihil esse præter boni corruptionẽ & deprauationem ac priuationẽ.* Et in priori quæstione ex professo probat nõ esse rem positiuã; in posteriori autẽ egregiè cõfirmat, non esse solã negationẽ. Inter Latinos verò Patres præcipuus author & confirmator huius sententiæ est August.lib.11.de Ciuit. c.9. *Mali nulla natura est, sed amissio boni mali nomen accepit*, idem li.12.à principio, & in Enchi.c.11. *Res,in quãtum quædam naturæ sunt, malæ esse non possunt*, & c. 24.agens de peccato ait, *esse primum creaturæ rationalis malum,id est, primam priuationẽ boni*,& lib. 83. quæstionũ, q.7.dicit, *nomen mali sumptum esse ex priuatione speciei.* Idem lib.3.Confess.c.7.& lib.7.à c.5.vsq; ad 16.& lib. 1.contra aduersar.leg. & Prophet.c. 5. lib. 1.de vera relig. cap.40.& lib.de nat.boni cont. Manich.& lib. 2.de Morib.Manich.& lib.de libe. arb.c.vltim.vbi in specie disputat de malo culpæ; & dicit esse nihil, ideoq; non esse à Deo:ad hoc accõmodans illud Ioan.1. *Sine ipso factum est nihil*, id est, *peccatum.* Ambros. lib.de Isaac & anim.c.7. *Quid est* (inquit) *malitia, nisi boni indigentia?* Eandem sententiam habet Hieronymus Matth.27.Isaiæ 18.Amos 3.Gregor.36.Moral.c. 24.alias 32.& lib.1.in 1.Reg.c. 14.circa principiũ, vbi specialiter de malo culpæ loquitur.Item Fulgent.de fid.ad Petr.c.21.Anselm.lib.de Concord.præsc.& li. arb.c. 1.in fine;& lib. 1. de Conceptu Virgin.cap.27. & ex professo lib. de Casu diab.à c.7.Bernard.hom. 6. Aduentus, Ac tandem fauet Leo Papa epist. 93. c. 6. Et hanc doctrinam amplectuntur omnes Theologi,præsertim D.Tho.dicta q. 48.1.p.& 1.2. q.54. artic.3.71.art.1.72.artic.1.& q.2. de malo, art. 2.& 9. & alij in 2. distinct.34.& 35.ac 40.

Dionys.

Basil.

Greg. Niss.

Damasc.

Athan. Nazian. Epiphan. Chrysost. Iustin.

Augustin.

Ambros.

Hieron.

Fulgent. Anselm.

Bernard. Leo Papa. D.Thom.

Difficultates circa superiorem resolutionem.

IIII. An malum culpæ & pœnæ in aliquo positiuo cõsistant.

CIrca hanc verò receptam doctrinam nonnullæ difficultates occurrunt. Prima est,quia omne malum,aut est culpæ, aut pœnæ, sed vtrumque eorum est aliquid positiuum, etiam formaliter quoad malitiam ipsam: ergo. Minor quoad priorem partẽ probatur; tum quia in moralib.malũ contrariè opponitur bono,teste Aristotele in c. de Opposit.& 2. Ethic.cap.8.tum etiam quia in acto,v.g. intemperãtiæ,ipsa positiua conuersio voluntatis ad inordinatũ obiectum est rationi contraria,atq; adeò mala; tum denique quia actus vitij non est malus solùm ob priuationem virtutis oppositæ; aliàs eandem malitiam haberet auaritia, quam prodigalitas, quia priuant eadem virtute liberalitatis: est ergo malus ratione suæ positiuæ entitatis. Quoad alteram verò partem de malo pœnæ, probatur similibus argumentis, nam dolor est malum pœnæ, & tamen est quid positiuum. Neq; dici poterit,dolorem esse malũ, quia priuat opposita voluptate, nam licet priuatio voluptatis nonnullum malũ sit, longè tamen maius,& alterius rationis malum est existentia doloris, non ergo solà illa priuatio, nec positiuum tantùm ratione illius priuationis malum est, sed etiam ipsum positiuum. Vnde etiamsi fingamus, dolorem contrariam delectationem non excludere, nihilominus ipse dolor esset aliquod malũ; sicut ergo bonum delectabile positiuum est,ita malum contristans, seu doloriferum positiuũ est.Item, sicut res, v.g.dulcis, est positiuè conueniens gustui, ita res amara est positiuè disconueniens. Item error in intellectu, est malum quoddam pœnæ,& sine dubio est longè diuersũ malum,quã ignorantia priuationis: est ergo positiuũ malũ ratione positiuæ habitudinis ad tale obiectũ.

V. Secunda difficultas est, quia nulla sufficienti ratione probari videtur, malum pro formali in sola priuatione cõsistere,quia sicut est multiplex bonum, ita & malum bono oppositum: quãuis ergo nullum sit ens positiuum,in quo aliqua ratio boni nõ inueniatur,quod solùm videntur probare rationes superiùs adductæ, nihilominùs poterit aliquod ens esse positiuè malum aliquo genere malitiæ. Nam, sicut in superiorib.dicebamus eandem rem posse esse bonam secundum varias rationes boni, nimirum honestam, & delectabilem, ita fieri poterit, vt eadẽ res sit bona vno titulo,& mala alio,quamuis vtraque ratio positiua sit,vtpote si sit honesta & dolorifera; vel econtrario,si sit delectabilis,& turpis.

VI. Prior difficultatem nõ resolui.

Propter hęc quidam distinguũt malum in genere naturę,& in genere moris; & de priori aiũt cõsistere in priuatione, de posteriori autem cõsistere in positiua forma seu differentia. Hęc fuit sententia aliquorum Theologorum & præcipuus eius autor censetur esse Caieta.1.2.quæst.18.art.5.quæst,71.art. 6.& quæ- Caiet. 27.art.1.qui tamen non distinguit malum naturæ & moris, sed malum simpliciter, & malum moris. Sed quia hæc materia de malo morali,vt tale est,ad Theologum potiùs, vel Philosophum moralem, quam ad Metaphysicũ spectat, non est hoc loco specialiter tractanda. Solùm est breuiter dicendum,distinctiones illas nõ rectè, neque constanter adhiberi. Primò quidẽ, quia sancti Patres locis citatis potissimè loquuntur de malo culpæ, quod est malum morale, maximè D.August.& D. Thomas, quẽ falsò Caieta. in suam sententiam adducit ex 1.part. quæst. 48.art. 1.ad secũdum & tertium, & lib. 3.cont. gent. cap. 19. cùm tamen priori loco dicat, *bonum & malum specificare actus morales,tamen bonum per se,malũ autem in quãtum est remotio debiti finis*: Posteriori autem loco expresse dicat, *malum quod est differentia in moralibus, non esse aliquid quod in se malum sit,sed in quantum priuat ordine rationis,qui est hominis bonũ.* Secundò,quia ratio Sãctorũ, quæ sumitur ex eo, q; Deus est author omnis boni,nihilq; potest ab eo esse,q; bonũ non sit,maximè procedit de malo morali,si enim positiuum est, à Deo est,& consequenter potius esset simpliciter bonum, quam malum. Tertiò, quia, quod ad priorem distinctionem attinet,eadem ratio est de malo naturali,quæ de morali: nã,sicut in homine dantur positiuæ formæ vel qualitates discõuentes rationali naturæ,vt sic,& ideo contrariæ rectæ rationi,quæ est regula eorum, quæ hominem decent: ita in aqua, verbi

Malum morale ex Sanctorum sententia in priuatione sistere.

August. D.Thom.

verbi gratia, dãtur positiua qualitas ei disconueniẽs, & contraria eius naturę: vnde, si aqua esset capax cognitionis, rectè iudicaret, illam sibi esse vitandam: si ergo ob eam causam malum morale dicitur esse positiuum, etiam aliquod malum naturale positiuum erit: vel, si hoc nõ satis est, vt malum naturale sit positiuum, neque in morali erit satis.

VII. Multis simpliciter ac primo loquendo malis.

Quod verò spectat ad verba Caietani, vix intelligitur, quid per malum simpliciter intellexerit, aut quomodo membra illius partitionis opponantur. Si enim malum simpliciter appelletur, quod absolutè, & absq; vllo addito malum est, nullũ magis est simpliciter malum, quam malum morale, imò quodammodo solùm illud meretur nomen mali; cætera, n. comparatione eius, sunt secundum quid mala. Si verò malum simpliciter dicatur malum in communi vt abstrahit ab omnibus malorum differentiis, non rectè, nec sufficienter diuiditur malum in malũ simpliciter, & malum morale, sicut nõ rectè diuideretur animal, in animal simpliciter, & rationale, quia ex vna parte diuisum ipsum coincidit cũ vno mẽbro diuisionis, & ex alia omittuntur alia membra, quę numerari possent. Et præterea non rectè intelligitur, quo modo si malũ in cõmuni in priuatione cõsistit, sub illo directè contineatur malũ positiuũ, cùm priuatio nõ possit esse de essentia positiui. Si verò per malũ simpliciter intelligatur malũ illud, quod purè malum est, nihilq; habet admistũ boni, hoc inprimis dici nõ põt de re, quę denominatur mala, se u de subiecto malitię; sic n. nullum est malũ simpliciter, sed malum semper fundatur in bono, vt D. Tho. ex Dio. & aliis Patribus docet, & infrà declarabimus. Oportet ergo, vt ratione ipsius malitię dicatur purum malum in priuatione consistere. Vnde fit, vt malũ morale solùm propter hanc causam possit dici positiuũ, quod prętet malitiam aliquid boni includit: atq; ita etiam id, quod in eo pertinet formaliter ad rationem mali, erit tantùm priuatio, quandoquidem, quidquid est positiuum, potiùs est admistio boni, quam constituens formaliter malum. Neq; in hoc erit aliquid speciale in malo morali potiùs quàm in naturali; nam etiam calor respectu aquæ non est malũ simpliciter, id est, purum, & nullam habens admistionẽ boni, eò quòd positiua forma sit.

A

B

C

Malum in se, & alteri malum, quidnam sint.

VIII. ALiter ergo distinguere possumus de malo, prout de eo dicitur, quod in se malum est, & quod est malum alteri: his enim duobus modis diximus suprà posse aliquid esse bonum; quot modis autem dicitur vnum oppositorum, potest dici & alterum. Id ergo, quod in se malum dicitur, à sola priuatione malum denominari potest; atque hac ratione verè dicitur, malum formaliter in sola priuatione positum esse. Atque hoc optimè conuincit ratio suprà insinuata, quòd res non potest dici mala à perfectione positiua sibi debita, cùm ratio boni in hoc consistat, quod res habeat perfectionem sibi debitam & conuenientem: ergo oportet vt ex sola priuatione talis perfectionis res in se mala denominetur. Et cõfirmatur, nam vnaquęq; res positiua, habet in se suã essentiam & suum esse positiuum; vtrumq; autem est sibi bonum & cõueniens; & ideò nihil est quod non appetat suũ esse, suamq; essentiã: ergo nihil positiuũ vt sic, potest esse in se malũ. Loquendo autem de eo quod est malũ alteri, sic concedi potest malum cõsistere in positiuo, & opponi bono non priuatiuè, sed contrariè, quomodo dolor opponitur voluptati, vitium virtuti, & sic de aliis. Et ratio est, quia non tantum priuatio, sed etiam forma positiua potest esse disconueniens alicui subiecto; hæc autem ratio mali, eadem est cum ratione disconuenientis alicui: sicut ergo bonum sub ratione conueniẽtis alteri nihil aliud dicit, quam perfectionem vnius rei, connotando in alia conditionem aliquam, ratione cuius sibi debetur aut congruit talis perfectio, ita malũ huic bono oppositũ formaliter ac pręcisè nihil aliud dicit, prętet perfectionem vnius rei, connotando in alia conditionem aliquam, ratione cuius repugnantiam vel disconuenientiam habet cum tali forma: igitur sicut bonum illud in positiuo consistit, ita & hoc malum ei oppositum.

IX. Iuxta hanc ergo distinctionẽ dicendum est Patres superiùs citatos loqui de malo priori modo sumpto, scilicet quod in se malum est: illud enim est propriè & simpliciter malum. Quod autem solùm denominatur malum quia est disconueniẽs alteri, cùm in se sit bonum, non est simpliciter malum, sed tantùm secundum quid, & quali per accidens. Rationes verò; & difficultates in contrarium obiectę, procedunt de posteriori malo seu disconuenienti: sic enim dolor in se quoddam bonum est; est aũt animali disconueniens, & similiter calor est in se bonus simpliciter, licet sit disconueniens aquæ; & in cæteris malis naturalibus, seu disconuenientibus naturæ, idem reperitur; & eadem ratio est de malo morali: nã voluntas mentiendi, vt in se est quoddam ens, aliquod bonum est, est autem disconueniens homini ratione vtenti, & ideò est mala moraliter.

X. Substantiæ nulla positiue mala dicenda.

Hæc quidem distinctio optima est, & quæ in priori eius membro dicuntur, simpliciter probanda sunt, non verò quæ in posteriori. Quod vt declarem, infero primo nullam substantiam posse propriè ac formaliter denominari malam positiuè, sed priuatiuè tantùm: quia substantia non est propriè ac formaliter mala alteri: in se autẽ solum potest denominari mala, ratione alicuius priuationis, ergo. Maior patet, quia substantia est per se, & non est ens alterius. Dices hoc esse verum de substantia integra & completa: respondetur etiam materiam & formam, hoc ipso, quòd vna ad alteram ordinatur, non esse malũ eius, sed bonũ. nam, & materia conueniens est formę cui deseruit, & quælibet forma est conueniens materię, quamuis sit disconueniens oppositę formę, vel eius compositi: partes itẽ integrales ex se etiam conueniẽtes sunt cõposito & reliquis partibus, quomodo aũt ob improportionẽ possit interdũ aliqua pars esse disconueniẽs, infrà dicemus. Dixi autem, *propriè ac formaliter*, quia per denominationem extrinsecam potest substantia denominari mala, quia efficit formam disconuenientẽ alicui, quomodo ẽt Deus, quatenus est author mali pœnæ, in eo genere potest denominari, vel potiùs apprehendi, & existimari malus, id est, disconueniens: sub qua ratione potest etiã odio haberi à voluntate inordinata: hæc tamen non est vera malitia, sed denominatio sumpta ab externa malitia seu disconuenientia existente in alia re.

XI. Accidens quoduis, alicui subiecto bonum.

Secundò infero ex concessis in illo priori mẽbro, omne accidens, ratione suæ pfectionis positiuę, non solùm in se quoddam bonum esse, sed etiam esse bonum & conueniens alicui subiecto. Probatur, quia nullum est accidens, cui non sit connaturale esse in aliquo subiecto, cum quo vel naturalem connexionem habeat, vel saltem ad illud ordinetur, vt pfectio eius: erit ergo bonũ aliq; respectu talis subiecti: ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

nulla est res positiua, quæ ratione sui sit mala vel di- A
sconueniens omnibus.

XII. Nullum ens in se malum ratione alicuius positiui.

Atque hinc videtur tertiò concludi, nulli etiam subiecto posse esse malam rem aliquam ratione positiui præcisè sumpti. Quod potest probari ex doctrina data in priori membro distinctionis positæ. Quia alioqui necesse est dari aliquod ens in se malũ ratione alicuius positiuæ formæ: nam si forma positiua vt sic, est mala alicui subiecto: ergo compositũ ex tali subiecto & tali forma, erit quoddam malum ens, cùm sit compactum ex entibus disconuenientibus, seu non rectè cohærentibus inter se: ergo, vel fatendum est, ens aliquod esse in se malum ratione positiuæ formæ, vel negandum, positiuam formam, vt sic, & ex vi præcisæ perfectionis suæ esse malam. Item subiectum tali forma affectum est malum, seu malè dispositum: ergo, & malitia absolutè loquendo est aliqua forma positiua, & aliqua res est in se mala, nõ quia priuata est aliqua perfectione, sed potiùs quia affecta est aliqua re positiua. Patet consequentia, quia malitia nihil aliud esse videtur, quàm id, quo malè afficitur aliquod subiectum: vnde, sicut
D. Thom. D. Thomas 1. part. quæst. 5. art. 5. ad secundum, & 1. B
2. q. 51. art. 4. ad primum, & 3. part. quæst. 11. art. 5. ad tertium dicit, habitus virtutum non tam esse bona quædam, quàm bonitates quasdam quibus bene afficitur voluntas; quæ illis affecta dicitur in se bona: ita forma illa, quæ ratione sui positiui malè afficit aliquod subiectum, dici posset malitia quædam, & subiectum illa affectum, seu compositum ex illa resultans dicendum esset ens quoddam in se malum ex vi suæ positiuæ affectionis seu compositionis. Præterea est optima ratio, quia forma, quæ in se bona est, & perfectionem dicit, non potest esse mala alicui, ratione suæ bonitatis præcisè sumptæ: ergo, vt censeatur mala & disconueniens alicui, oportet aliquid aliud interuenire, quod non potest esse, nisi priuatio aliqua; nam, si sit aliquid positiuum, illud etiam dicet bonitatem & perfectionem: vnde de illo redibit idẽ argumentum: ergo oportet, vt omnis malitia priuatione aliqua compleatur.

XIII. Quod tandem declaratur ratione, & exemplis sumptis ex Dionysio, & aliis Patribus, nam in eo, quod dicitur malum alteri, considerare possumus, aut illud ens, quod alteri dicitur malum; aut illud C
quod ex vtroque resultat, vt verbi gratia, homini malum est habere sex digitos in manu: si ergo consideretur totum illud compositum, id est, manus sex digitis constans, dici potest malum quoddam, tanquam monstrum seu peccatum naturæ. Ait tamen Dionysius, dicto capite 4. de diuin. nomin. tale malum constitui priuatione, quam ipse vocat *ineptam dissimilium compositionem, & defectum proportionis debitæ, & conuenientis iuxta naturæ institutionẽ.* Sic etiã Augustinus lib. de natura bon. cap. 3. & 4. ait, *malum nihil aliud esse, quàm corruptionem modi, vel speciei, vel ordinis naturalis.* Quod explicans Diuus Thomas 1. part. q. 5. artic. 5. ad quartum ait, modum, speciem, & ordinẽ, quatenus talia sunt, bona esse, vocari autem mala, quatenus, *vel minora sunt, quàm esse debuerunt, vel quia non his rebus accommodantur, quibus accommodanda sunt, vel quia sunt aliena & incongrua.* Sic igitur monstrum illud appellatur malum, in quantũ caret debita specie & conuenienti partium proportione, atque ita non ex vi positiuæ perfectionis malum est. Idemque reperitur in quolibet ente composito ex partibus, quæ inter se non bene conueniunt, quod in vniuersum potest monstrosum appellari.

Atque hinc vlteriùs sit, si consideremus eam par- XIIII. Res quæ alteri inde alicuius priuationis.
tem talis compositi, quæ dicitur alteri disconueniens seu mala, vt est sextus digitus respectu manus humanæ, vel calor respectu aquæ, non habere rationem mali, nisi ratione alicuius priuationis adiunctæ. Nam inprimis, ipsamet disconuenientia ad priuationẽ pertinet, sicut in vniuersum *contrarietas, repugnantia, dissimilitudo,* & *distinctio* in suo intrinseco conceptu negationem includunt. Contrarietas enim includit incompossibilitatem oppositarũ formarum in eodem subiecto, incompossibilitas autem negationem includit: sic ergo disconuenientia dicit improportionem, seu ineptitudinem ad conuenientem vnionem seu compositionem. Deinde in eo subiecto, cui alia res seu forma mala dicitur, connotatur carentia naturalis propensionis, seu connexionis cum tali re. Ac denique in ipsamet re, quæ alteri mala dicitur, denotatur carentia perfectionis tali subiecto conuenientis, quæ, licet respectu ipsius formæ absolutè consideratæ videatur esse negatio quædam, tamen respectu subiecti habet rationem priuationis, quia est carentia perfectionis illi debitæ. Et respectu formæ dici potest priuatio non simpliciter, sed ex hypothesi, seu in ordine ad talem effectum, quia licet absolutè non debeatur tali formæ talis perfectio, tamen vt posset conuenienter informare tale subiectum, indigeret illa.

XV. Et hoc modo in moralibus, actus intemperantiæ dicitur malus homini, quatenus caret rectitudine temperantiæ: & in naturalibus calor est malum aquę, quatenus caret perfectione frigoris; & sic in vniuersum dixit D. Thom. 1. part. quæst. 5. articul. 3. ad se- D. Thom.
cundum, *nullum ens dici malum, in quantum est ens, sed in quantum caret quodam esse,* & idem sentit quæstione 3. de potent. art. 6. ad duodecimum, & clarè ac optimè id explicat quæst. 1. de malo art. 1. ad primum dicẽs, dupliciter dici aliquod malum, scilicet simpliciter, & secundum quid. *Simpliciter* (inquit) *malum est, quod est secundum se malum, hoc autẽ est, quod priuatur aliquo particulari bono, quod est ex debito suæ perfectionis, sicut agritudo est malum animalis; sed secundum quid dicitur esse malũ, quod non est malum secundum se, sed alicuius, quia nõ priuatur aliquo bono, quod sit de debito suæ perfectionis, sed quod est de debito perfectionis alterius rei; sicut in calore est priuatio perfectionis debitæ aquæ; & ideò non est malus in se, sed aquæ.* Sic igitur omne malum priuationem includit, sed proportionatè, nam quod est in se malum, includit carentiam perfectionis sibi debitæ, quod verò est malum alteri, includit carentiam perfectionis debitæ illi cui est malum. XVI.

Quamuis ergo distinctio data de duplici malo; scilicet quod in se malum est, vel quod est malum alteri, bona sit, de neutro tamen malo concedendum est, in sola entitate positiua consistere, sed priuationem includere. Solùm potest constitui differentia, quia, quando res in se mala dicitur, non interuenit nisi res quę denominatur mala, & priuatio à qua sic denominatur, quę sola habet rationem mali formaliter, seu potiùs malitiæ: at verò, quando res dicitur mala alteri, interuenit positiua entitas seu forma, quę, vt subsistat alicui priuationi, dicitur mala alteri rei seu subiecto. Vnde, non sola priuatio, sed ipsa etiã forma, vt illi subsistat, habet rationem mali formaliter respectu alterius subiecti, quia reuera est forma malè afficiens ipsum, nihilominus tamen in ipsamet forma, quatenus est mala alteri, id q̃ est positiuũ, est quasi materiale, priuatio verò est quasi formale, cõstituẽs rationẽ mali respectu alterius, nã, q̃ respectu vnius

vnius est forma, potest respectu alterius comparari, A
vt subiectum seu materia; atque ita fit vt in vniuersum formale constitutiuum mali in priuatione consistat, vt sancti Patres docuerunt.

Satisfit difficultatibus superiùs positis.

XVII. Ad primam ergo difficultatem, & primum eius membrum de malo culpæ, respondetur, malũ culpę propriè esse malum hominis, vt rationalis est & libero arbitrio vtitur; & ideò non semper dici de sola priuatione, sed etiam de actu positiuo, non tamen ratione solius positiui, sed quatenus debita rectitudine caret. Hoc ergo malum ratione actus, quẽ includit, potest cõtrariè opponi actui bono seu virtutis; & idem proportionaliter est de habitibus. Et eodem modo ipsemet actus dicitur contrarius rationi, quia caret debita rectitudine, vnde non tantùm est malus, quia excludit à subiecto contrarium actũ, vel habitum bonum (quod in argumentis supponi videtur) sed quia ipsemet est disconueniens rationali naturæ: est autem disconueniens non ob positiuã entitatem præcisam, sed vt substantem carentiæ rectitudinis debitæ, vt dictum est. Et ita potest in hu- B
iusmodi malo esse diuersitas specifica, etiãsi fortasse nõ excludat à subiecto formã seu virtutem specie diuersam: quia hæc malitia, vt dixi, nõ consistit in priuatione formæ contrariæ, quæ causatur in subiecto, sed in priuatione debitæ rectitudinis, quæ in ipsomet actu intelligitur, quæ pro actuum diuersitate diuersa esse potest.

XVIII. Ad alterum membrũ de malo pœnæ dicendũ similiter est, dolorẽ non esse in se malum, habet enim perfectionem suã, & quidquid in latitudine talis perfectionis sibi debitũ est: est ergo dolor quid malum tanquã disconueniẽs homini, vel animali. Vnde cõcedendum est, non tantùm esse malum causaliter, id est, quia excludit delectationẽ oppositã, sed etiã quia ipsemet est disconueniens & disproportionatus animali, quod rectè argumentũ ibi factum probat. Non tamen est disconueniens ratione solius positiuæ entitatis præcisè sumptæ, sed quia secundum illam intitatis præcisè sumptæ, sed quia secundum illam intitatis præcisè sumptæ, sed quia secundum illam int

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO. II.

Quotuplex sit malum.

I. HÆC quæstio facilè ex dictis definitur, est namque de malo formaliter vt malum est: nam materialis diuisio ex parte rerum non cadit sub scientiam. Sic igitur diuiditur malum in illud quod in se malum est, & quod est malum alteri, quæ Diuus Thomas appellauit malum simpliciter & secundum quid: alij autem vocant malum absolutè vel respectiuè, quorum rationes satis sunt ex dictis expositæ.

Malum in se. & malum alteri.

II. Rursus, quod est malum alteri, diuidi potest in illud quod est disconueniens alteri, quatenus res naturalis est, & illud quod est disconueniés alteri quatenus ens vel agens liberum est: & hoc modo diuiditur malum in naturale & morale. Naturale malum est omnis priuatio naturalis boni naturæ debiti, seu omne id quod natura sua est disconueniens alteri naturæ. Malum verò morale est disconueniens naturæ liberæ, quatenus libera est. Vnde naturale malum inuenitur in omnibus rebus ratione carentibus, & se se etiam extendit ad res intellectuales, quatenus propriam naturam habent, & naturalem aliquam perfectionem requirunt, quæ priuari possunt, sine suo consensu vel cooperatione libera: morale autem malum solùm in natura libera reperitur, vt libera est quia, vt in superioribus diximus, mores propriè cõsistunt in liberis actionibus. Vnde, licet morale malum sit disconueniens naturæ rationali, vt rationalis est, & in hoc possit conuenire cum aliquo naturali malo, est tamen disconueniens tali naturæ, prout habet peculiarem operandi modum, scilicet cum libertate, & in hoc differt à naturali malo.

Alteri malũ vt naturali enti, & vt libero agenti.

Culpæ & pœnæ mala quid sint.

III. ATque hinc vlteriùs orta videtur alia celebris diuisio mali in malum culpæ & pœnæ, quam tradit Diuus Thomas, prima parte quæst. 48. articulo 5. & 6. vbi differentiam inter illa membra constituit, quod malum culpæ dicit defectum in actione seu actu secundo: malum autem pœnæ dicit defectũ in aliqua forma, vel integritate rei, quæ ad actũ primum pertineat. Quæ expositio habet difficultatẽ, quia neque omnis defectus actionis pertinet ad malum culpæ, vt constat de errore, vel de actione malè scribendi aut pingẽdi, neque econuerso omnis culpa est in actu secundo, nam peccatum originale vel habituale est malum culpæ, & non est in actione, & similiter non omnis defectus in actu primo est pœna, nam cæcitas verbi gratia, interdum non est pœna, sed malum merè naturale: neque etiam omnis pœna est in defectu actus primi, nam error etiam est malum pœnæ, imò ipsa culpa potest esse pœna prioris culpæ, vt docet idem Diuus Thomas, 1. 2. quæst. 87. art. 2. ex illo ad Rom. 1. *Propter quod tradidit eos Deus in desideria cordis eorum.*

Malum culpæ, & pœnæ quo differat.

Sed, quia hæc diuisio magis pertinet ad Theologos, & Philosophos morales, dicendum est breuiter, diuisionem hanc propriè dari de malo creaturæ rationalis, quatenus libera est, seu libertatem suam exercet, nam in aliis rebus vel actionibus, nec culpa propriè esse potest, cùm culpa significet moralem actum, & consequenter neque etiam potest esse pœna, quia hæc dicit respectum ad culpam, propter quã A insligitur, vt rectè dixit Augustinus 1. Retract. c. 9. Cùm ergo dicit, malum culpæ consistere in defectu actionis, intelligendum est de actione libera, quatenus libera est: siue hic defectus sit carentia liberæ actionis, debitæ secundũ legẽ, seu rectam rationem, siue sit carentia honestatis vel rectitudinis tali actioni debitæ, id est, siue sit omissio actionis debitæ, siue sit actio carens rectitudine debita. Nam actualis vsus libertatis solùm est in actione vel carentia actionis voluntaria: & ideò hoc malũ culpæ per se primò est in huiusmodi actione, quia est malum creaturæ rationalis vt liberæ, id est, vt vtentis libertate sua. Neq; obstat, quod de culpa originali vel habituali obiiciebatur, quia hæc nõ habẽt rationẽ culpę, nisi per ordinem ad actualẽ culpã, per quam sunt volũtaria. Vnde quasi mediatè tãtum participãt rationẽ mali culpę, quatenus in eis moraliter pmanere cẽsetur defectus liberę actionis, atq; ita fit vt malum culpę, quod per se primò & immediatè tale est, in defectu actus secũdi humani seu liberi vt sic consistat. Malum autem pœnæ dicitur esse in defectu actus primi, non quia in actionibus, etiam reperiri non possit, sed quia in qualibet B carentia perfectionis debitę, etiam per modum actus primi, sufficienter saluari potest, vel certè quia, sicut malum culpę radicaliter & primariò est in actione, ita malum pœnæ radicaliter ac primariò est in actu primo. Nam, licet contingat, actionem naturalem; id est, non liberam, esse defectuosam, tamen ille defectus semper prouenit ex priori aliqua imperfectione & defectu in actu primò, seu in causa proxima. Quòd si defectus actionis non sit naturalis, sed voluntarius, iam vel pertinebit ad malum culpæ, vel nullam habebit rationem mali, quia non erit defectus perfectionis debitæ. Quamuis autem vnũ peccatum dicatur esse pœna alterius, non tamen secundum id quod est formaliter culpa in ipso, sed secũdũ aliquam aliam rationem, & ita etiam illa pœna est primariò in re aliqua, quę se habet ad modum actus primi respectu culpę, qualis est denegatio alicuius auxilij, vel permissio occasionis cadẽdi, quę dici possunt ad actum primum pertinere, quatenus ablatio impedimenti supponitur ad actionem, & est conditio in actu primo requisita.

Sic igitur breuiter ac perspicuè dicere possumus, C malum culpæ esse inordinationem in actione vel omissione libera, seu carẽtiam perfectionis debitæ secundum liberam actionem, malum autem pœnæ esse quamlibet aliam carentiam boni debiti contractam seu inflictam ob culpam. Quo fit, vt hæc diuisio comprehendat omnia mala rationalis naturæ, quia potest facilè ad contradictoria membra reuocari, quia omne malum, quod est extra actionem liberam vt sic, pertinebit ad malum pœnæ. Et quamquã, seclusa diuina prouidẽtia, intelligi posset in creatura rationali aliquod naturale malũ, quod non esset inflictũ propter culpam, quod proinde nõ esset culpa neque pœna, tamẽ ex diuina prouidentia credimus, nullum defectum perfectionis debitæ esse in creatura rationali, qui nõ sit culpa, vel ex culpa originẽ traxerit, & ideò Augustinus in imperf. Genes. ad litterã, c. 1. omne malum dicit esse aut peccatum aut pœnam peccati. Quin potiùs non solùm malum quod in ipso homine formaliter est, sed etiam quod est in rebus irrationalibus, vel inanimatis, si in aliquod nocumentũ ipsius hominis cedat, ad malũ pœnę spectat, non respectu inferiorum rerum, sed ipsius hominis, propter cuius culpam infligitur vel permittitur.

Atque hinc ẽt constat, quomodo hæc duo mala inter

Culpæ & pœnæ mala quid sita.

Augustinus.

Culpa mala.

Mediatio mali pœnę.

se comparentur, nam formaliter loquendo, A malum culpæ est origo mali pœnæ, & causa eius, non physica, sed moralis: nam, sicut meritum est causa præmij, ita culpa est causa pœnæ. Quòd si hæc duo in grauitate seu magnitudine mali comparentur, longè maius est malum culpæ, quàm pœnæ: nam culpa priuat hominem debito ordine ad Deum: vnde cedit in offensionem & iniuriam Dei: pœna autem vt pœna hoc non habet ex ratione sua, sed sistit in detrimento aliquo creaturæ: offensa autem Dei maius malum hominis est, quàm quodlibet aliud detrimentum, & ideò quodlibet malum pœnæ potiùs sustinendum est, quàm malum culpæ admittendum. Et propter eandẽ causam potest Deus esse author mali pœnæ, non autem mali culpæ. Sed hæc Theologis relinquamus.

Culpæ an pœnæ grauius malum.

VII. Tandem iuxta præcedentem diuisionem facile est diuidere malum partitione opposita illi quæ diuiditur bonum in honestum, delectabile, & vtile: sic enim malum aliud est turpe, quod honesto opponitur, & in proprietate ac rigore sumptum idem ferè est, quod malum culpæ. Quamuis culpa in rigore dicatur de actione, vel omissione morali peccaminosa, quę hominem reddit moraliter malum: malum autem turpe prout adæquatè opponitur bono honesto, non solùm dicitur de ipsa culpa actuali, vel habituali, sed etiam de obiecto turpi, & de vitioso habitu, qui est principium actus mali, & propriè non est culpa. Imò, si honestum bonum latius sumatur pro eo, quod est per se amabile & naturæ consentaneum, ac per se conueniens, sic malum illi oppositum, non potest propriè turpe appellari, nisi *turpe* dicatur quidquid deformat (vt ita dicam) naturam, sed dicetur hoc malum per se euitabile, seu odio dignum. Aliud verò malum est delectabili oppositum, quod in communi dici potest iniucundum & contristans, quod eadem proportione declarandum est, qua bonum cui opponitur. Bono autem vtili nullum videtur esse oppositum malum propriè dictum, quia inutilitas, quæ cõsiderari potest in aliqua re in ordine ad aliam, quæ maximè videtur opponi bono vtili, non videtur opposita per modum priuationis, sed puræ negationis, & ideò non habet propriam rationem mali. Quod in hunc modum declarari potest, nam C medium seu res, quæ non est vtilis ad aliquem finẽ, aut ex natura sua caret ea conditione vel proprietate, quæ necessaria est ad talem vtilitatem: & sic esse rem inutilem ad talem finem nõ est priuatio sed negatio tantùm, atque ita non est malum. Vel ex natura sua requirit talem proprietatem, & ex accidenti caret illa, & tunc carentia illa habet rationem mali, respectu illius rei, quæ naturali perfectione priuata est: illud autem malum propriè non est bono vtili oppositum, sed naturali, & per se conuenienti tali rei: inutilitas verò, quæ inde nascitur in ordine ad finem, negatio quædam est. Et propter hanc fortasse causam non solet in malo hæc tripartitio membris diuisio assignari, sed bimembris tantùm, scilicet culpæ & pœnæ, turpe & iniucundum. Quòd si quis velit inuenire in mediis aliquam rationem mali oppositam bono vtili vt sic, non improbabiliter dicere potest, ea peculiari ratione appellari mala inutilia, quæ, cùm ex natura vel institutione sua apta esse debeant ad finem aliquem acquirendũ, ex aliquo accidenti improportionata effecta sunt. Et hæc de diuisionibus mali sufficiant.

Tripe malũ Bonestõ bono oppositũ.

Contristans oppositũ delectabili.

SECTIO III.

Vbi, & vnde sit malum, seu quas causas habeat.

I. MAnichæi, vt suprà retulimus, posuerũt quoddam ens summè malum ex se tale existens, & à nullo alio habens originem, quod sit prima radix & causa malorum omnium, putarunt enim non posse malum ex bono oriri, sed tantùm ex malo. Vnde cùm non possit in infinitum procedi, consequenter censuerunt sistendum esse in aliquo malo, quod ex se sit. Sed hæc hæresis præter quàm quod iam impugnata est, quia nullum ens ex eo quod tale est, malum est, repugnat aliis principiis fidei, & naturali etiam lumine notis, nimirum, sicut non est, nisi vnus Deus, ita non esse nisi vnum primum principium & primam causam rerum, & vnum tantum esse ens increatum, & ex se necessarium: atque adeò omnia entia quæ non sunt Deus, esse ex Deo. Impossibile ergo est, esse aliquod ens summè malum ex se existens & improductum, vt latè confirmat Augustinus contra Manichæos, præsertim lib. de fide cõtra eosdem, à principio, & lib. de nat. bon. contra eosdem, cap. 40. & 41. D. Thom. 1. part. quæst. 49. art. 3. & alibi sæpè.

Manichæorũ definitum.

Augustin.

D. Thom.

II. Ex hoc autem fidei fundamento duæ conclusiones certæ inferuntur. Prima est, omne malum habere aliquam causam. Probatur, quia ostensum est nullum esse ens ex se malum: ergo, si est malum; oportet vt ab aliqua causa tale sit. Deinde, quia res non est mala, nisi in quantum recedit à perfectione sibi debita, sed nunquam res deficit à debita perfectione, nisi ob aliquam causam vel agentem, vel saltem impedientem: ergo. Atque hoc magis constabit explicando in particulari causas mali, vbi etiam explicabimus, quomodo dixerit Dionys. c. 4. de diuin. nomin. malum non habere causam, scilicet per se, seu quæ directè illud intendat.

Culusuis mali causa alia qua.

Secundò infertur ex dicto principio, aliquod bonum esse causam mali: nam omne malum habet causam, vt ostensum est: ergo vel causa illa est aliquod malum, vel bonum: si bonum, habetur intentum: si malum, oportet vt illud etiã causam habeat, de quo eadem interrogatio fieri potest. Cùm ergo neque in infinitum procedi possit; nec sisti in aliquo malo, q causam non habeat, necessariò sistendum erit in aliquo bono, quod sit causa mali.

Mali causa bonum aliquod.

Iam verò explicandũ superest, quomodo bonum sit causa mali, & in quo genere possit malum habere causam vel illam requirere, finalemne, an materialem, formalem, vel efficientem.

Mali quis finis.

III. DIco primò. Malum formaliter vt malum est, nõ requirit causam finalem, illam tamen habere potest ex intentione extrinseca operantis. Prior pars probatur, quia malũ, cùm in priuatione & defectu consistat, non est per se intentum in rebus, vnde est illud axioma, *Nemo intendens ad malum operatur*: ergo, vt sit, finalem causam non requirit, sed consequi potest præter intentionem agentis. Posterior verò pars constat, quia agens, præsertim liberum & à proposito, potest directè intendere aliquod malum propter aliquem finem, nam id quod in vno genere malum est, potest esse vtile, saltem vt remouens impedimentũ ad aliquẽ finẽ obtinendũ. Quod vt clariùs intelligatur, distinguamus inter malũ culpæ & pœnæ: & rursus in malo culpæ distinguamus permissi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

permissionem eius ab effectione seu ab ipsamet culpa. Malum ergo culpæ formaliter, & vt tale est (sic enim loquimur) non solùm finalem causam non requirit, verùm etiam rectè & ordinatè illam habere non potest, quia non potest directè intendi, nisi à deprauata voluntate, quia neque potest intendi vt finis, cum sub ea ratione bonitatem non habeat, neq; vt medium, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona: inordinata autem voluntas potest intendere hoc malum, imò & malitiam ipsam, saltem vt mediũ, & sub aliqua apparenti & falla ratione boni, vt verbi gratia ad vindictam de alio sumendam, vel inferendam iniuriam ei, quem odio habet, vel aliquid simile. Secùs verò est de permissione huiusmodi mali culpæ; hæc enim ordinatè & rectè intendi potest, & habere bonum finem, quia ex se mala nõ est, sed potest esse bona. Atque hoc modo Deus permittit malum propter aliquod bonum, tum quia talis permissio ad pulchritudinem & varietatem vniuersi spectat, vt Dionys. dixit c. 4. de diuin. nomin. tum etiam quia nouit Deus ex malis permissis, si fiant, multa elicere bona, vt latè differit Aug. in Enchir. c. 27. Malum autem pœnæ, non solùm quoad permissionem, B sed etiam quoad effectionem potest per se ac rectè intendi propter honestum finem, iustã scilicet culpę vindictam: & hoc modo hoc malũ, vt tale est, potest habere finalem causam, atque ita Deus intendit mala pœnæ, quorum est author. Huc etiam reuocari potest malum, quod medicinale dici potest, quod interdum infertur ad impediendum maius malum, vt cùm brachium abscinditur ad conseruandam vitam: illud enim malum tunc directè intenditur, non tamen vt finis, sed vt medium, & ita habet tunc suam causam finalem ex intentione operantis. Sic igitur potest bonum non tantùm apparens, sed etiam verum, esse causa finalis alicuius mali.

Dionys.

Auguſt.

Malum medicinale electioni ordinatæ subiacet.

Mali causa subiectiua quæ.

IIII. DIco secundò. Malum quatenus malum est, habet materialẽ causam, quæ semper est aliquod bonum: quod aliis verbis dici solet, malum vt malum esse in bono, tanquam in subiecto. Sic loquitur Augustinus in Enchirid. cap. 13. & 14. vbi inter alia dicit, non posse esse malum nisi in bono, quia si esset purum malum, se ipsum destrueret, quod etiam docet Diuus Thom. 1. par. q. 48. artic. 3. Et ratio est, C quia malum pro formali, nec res purè positiua est, nec pura negatio: est ergo priuatio debitæ perfectionis: ergo requirit subiectum, cui talis perfectio debeatur: ergo illud subiectum necessariò esse debet aliquod bonum, in quo malum seu malitia inesse intelligatur. Probatur hæc vltima consequentia, tum quia subiectum illud necessariò esse debet aliquod ens positiuum, & consequenter aliquod bonum, tum etiam quia hoc ipsum, scilicet, quòd tali subiecto debeatur perfectio, qua malum priuat, est sufficiens signum & testimonium, quòd tale subiectum bonum sit, quia bonitas & perfectio non potest esse debita, nisi illi rei, quæ bona sit. Et hoc modo Augustinus 1. contra Iulian. cap. 3. & in Enchirid. cap. 12. ac sæpè alibi, ex ipso malo, quod interdum naturæ vel voluntati accidit, probat, ipsam naturam, vel voluntatem bonam esse: quia fit mala, dum bonitate debita priuatur, & non omnino destruitur, alioqui iam non mala esset, sed omnino non esset, vt ergo mala fit, oportet vt natura aliqua sit debita perfectione priuata.

Auguſt.

D. Thom.

V. Obiectio aliquot.

Sed obiiciet aliquis, nam malum pro formali non est ens positiuum & reale: ergo nõ requirit, imò nec proprie esse potest in subiecto reali: ens enim rationis nulli subiecto inesti ergo non potest esse in bono tanquam in subiecto, seu causa immateriali. Vnde Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. vers. fin. absolutè dicit, *malum non esse in his quæ sunt*. Secundò, quia malum destruit bonum, cuius est malum: ergo nõ potest esse in illo tanquam in subiecto, nulla enim forma destruit subiectum suum. Tertiò, quia aliàs corruptio & mors non esset malum, quod est contra cõmunem omnium sensum: sequela patet, quia corruptio non est malum illius subiecti, quod sub ipsa corruptione manet, id est, materiæ primæ, cùm illa indifferens sit ad formam geniti vel corrupti: si autẽ dicatur esse malum rei corruptæ: ergo iam non est in eo bono, cuius est malum, ergo necesse non est vt illud bonum maneat sub tali malo. Et confirmatur, nam aliàs annihilatio rei nõ esset malum eius, quod incredibile videtur, cùm sit maximè odio digna, & valdè incommoda & aduersa appetitui, quo res omnes appetunt esse.

VI. Diſtinctio. Ad primam obiectionem respondetur, malũ pro formali seu malitiam, esse in subiecto per modũ prioritionis, de qua Aristoteles dixit esse carentiam in subiecto apto nato, quæ carentia in re ipsa esse dicitur in actu exercito, vt corruptio seu remotio, vt Caietanus bene declarat 1. part. quæst. 48. art. 2. Vbi D. Thomas ad secundum ait, malum, non esse ens vt significat entitatem rei, habere tamen tale esse quale sufficit ad veritatem propositionis, qua dicimus, cæcitatem esse in oculo, quod esse non significat ponere aliquid in oculo, sed potiùs remouere. Hoc ergo modo dicitur malum esse in bono tanquam in subiecto, non tanquam ponens aliquid in illo, sed potiùs vt remouens vlteriorem perfectionem ei debitam. Cùm autem Dionysius ait, malum non esse in rebus, intelligit non esse tanquam verum ens ponens aliquid in ipsis.

Caiet.

VII. Malũ quia non habet esse in bono, libet subiecto destruit.

Ad secundam iam in superioribus dictum est, nõ omne malum esse oppositum cuilibet bono: vnde necesse non est, vt malum destruat omne bonũ, sed illud cui formaliter opponitur: non verò illud quod in subiecto supponit, vt tenebræ destruunt bonitatem luminis, non tamen perfectionem aëris. Dices, sæpè malum minuit bonitatem subiecti, quia nõ solùm tollit oppositã perfectionem, sed etiam minuit habilitatem seu aptitudinem ad talem perfectionẽ, vt peccatum & formaliter excludit actum bonum, & promptitudinem minuit ad similem faciendum: ergo adeò potest malum augeri vel multiplicari, vt omnino destruat bonitatem subiecti: nõ igitur semper supponit illam. Respondetur, duplicem intelligi posse habilitatem subiecti ad bonum. Vna est superaddita ipsi, & distincta ab illo, vt est habitus in potentia, vel conueniens qualitatum temperamentum in organo. Alia est habilitas omnino intrinseca facultati vel subiecto, quæ in re non distinguitur ab entitate eius, sed ratione tantùm. Rursus habilitas ad bonum dupliciter minui potest. Primò per subtractionem & realem diminutionem bonitatis, quo modo minuitur bonum aquæ, quãdo minuitur frigiditas eius. Alio modo per additionem impedimẽtorum, quomodo dici potest minui habilitas materiæ ad formam ignis per nimiam humiditatem. Prior ergo habilitas distincta à potentia potest per subtractionem ac propriè in se minui: vnde etiam potest totaliter auferri per malum contrarium, quod non

non est inconueniens, quia illa habilitas non est A proprium subiectum talis mali, sed potiùs est forma vel dispositio illi opposita. Posterior autem habilitas non minuitur per subtractionem, quia, cùm non sit res à subiecto distincta, sicut illud in entitate sua non minuitur, ita neq; huiusmodi habilitas, sed solùm dicitur minui posteriori modo: & propriùs diceretur impediri, ideoq; nũquam potest absumi, seu penitus auferri. Et quia subiectum mali est bonum, secundum hanc intrinsecam habilitatem ad propriam perfectionem, ideò nunquam potest per malum destrui totum bonum, quod est in subiecto eius. Atque hac ratione, quamuis peccata dicantur minuere habilitatem voluntatis ad bene operandum, nunquã possunt illam penitus absumere, etiamsi in infinitum multiplicentur, vt latiùs D. Thomas tradit 1. 2. quæst. 85. artic. 1. ad 2. Sicut etiam radicalis habilitas materiæ ad vnam formã non potest tolli, etiamsi dispositiones ad oppositam formam infinitè crescant.

VIII. Dices. Interdum forma disconueniens omnino destruit subiectum suum si nimium crescat, vt calor B aquam: ergo & malum poterit destruere omnino bonitatem subiecti sui. Respondetur negando antecedens in rigore, nam forma nũquam corrumpit propriũ subiectum cui inhæret, licet possit esse dispositio ad corruptionẽ subiecti quod denominat. Quæ responsio procedit iuxta sententiam asserentem, calorem inhærere materiæ primæ. Iuxta oppositam verò sententiam dicendum est, calorem qui reuera aquæ inhæret, non destruere illam formaliter, quamuis per accidens disponat ad illius corruptionem, non proximè, sed remotè: nam in instanti in quo aqua corrumpitur, nouus calor iuxta hanc sententiam introducitur, qui iam non inhæret aquæ sed igni, & ab illo, seu potiùs à forma ignis formaliter corrumpitur aqua. Sic ergo malũ nunquam destruit subiectum, cui inest: quod si interdum per accidens ad illius corruptionem disponat, consequenter etiam disponit ad destructionem sui ipsius, ita vt nunquam maneat sine subiecto bono.

IX. Mors quomodo malũ & cui subiecto. Annihilatio nullius mali.

Vnde ad tertiam respondeo, mortem, vel corruptionem dupliciter considerari posse. Vno modo prout est in fieri per alterationes & dispositiones, C quæ antecedunt instans mortis, & hoc modo facilè intelligitur habere rationem mali respectu subiecti quod paulatim corrumpitur, contra quod nõ procedit argumentum. Alio modo considerari potest mors vt est in instanti quo res destruitur: & sic concedo (quidquid alij sentiant) mortem propriè & in rigore non esse malum illius rei, quæ per illam destruitur, propter argumentum factum. Vnde D. Thom. quæst. 5. de potentia, artic. 3. ad 14. concedit, annihilationem non esse malum, quia non relinquit bonum in quo fundetur, quod etiam sentit Augustinus in Enchirid. cap. 12. & 13. vbi latè probat, destructa omnino natura, non manere malum. Solet autem latè loquendo, hæc corruptio vel destructio rei malum appellari: quia est totalis ablatio boni, quæ sufficiens ratio est vt odio habeatur, vel fugiatur.

Mali an detur formalis causa.

X. DIco tertiò. Malum non habet propriam & intrinsecam causam formalem, præter se ipsum, seu suam malitiam: habere autem potest causam formalem quodammodo remotam & extrinsecam. Declaratur & probatur, quia, cùm malum formaliter consistat in priuatione, ipsa priuatio est forma eius; priuationis autem ipsius non est alia forma qua ipsa cõstituatur, vt per se constat. Contingit autem sæpè, priuationem vnius formæ consequi ad aliam formam positiuam, non per effectionem, sed ex vi solius causalitatis formalis: quomodo priuatio frigoris sequitur ad informationẽ caloris producti in aqua; & ita calor inhærens aquæ iuxta veram philosophiam non effectiuè sed formaliter expellit frigus; atq; ita ille calor rectè dici potest causa formalis priuationis frigoris, quæ priuatio est malum aquæ. Hoc ergo modo dari potest causa formalis mali, quam voco extrinsecam & remotam, quia non est propriè & intrinsecè constituens ipsum malum, sed solùm est forma, ad quam consequitur tale malum.

Mali efficiens quod.

XI. DIco quartò. Malum semper habet aliquam causam efficientem, non tamen per se, sed per accidens & præter intentionem primariam & intrinsecam agenti. Prior pars nota est ex his, quæ in principio sectionis diximus: nam ratio mali non conuenit enti per se & ab intrinseco: ergo ab extrinsecõ: ergo per aliquam efficientiam, seu efficientem causam: nihil enim potest ab extrinseco aduenire, quod non ab alio efficienter proueniat. Vt verò posterior pars declaretur, aduertendum est, tribus modis posse malum accidere rebus. Primo modo per efficientiam perfectam causæ agentis, vt quando causa efficiens perfecta virtute introducit formam; ad eam verò consequitur priuatio alterius formæ, quæ habet rationem mali; & hoc modo ignis est causa efficiens malum in aqua, scilicet priuationem frigoris, & Deus est causa omnis mali naturalis, aut pœnæ, quod hoc modo consequitur seu fit, quia & instituit causas effectrices huius mali, & cum eis operatur. Constat autem, hanc efficientiam non esse per se, sed per accidens, quia institutum agentis non est destruere aliud, sed suum esse communicare; accidit verò vt inde sequatur non esse alterius, quia est incompatibile cum alio. Quòd si quis dicere velit, hoc malum, licet non sit propter se intentum, tamen propter aliud aliquo modo intendi, id est, vt medium & dispositionem necessariam ad aliud bonum introducendum; qui hoc (inquam) dixerit, non multum aberrabit. Et ideò dixi, hanc mali effectionem esse præter primariam intentionem agẽtis, quæ per se non est ad malum, sed ad bonum. Addidi verò, sermonem esse de intrinseca intentione agentis, id est, de illa, quam habet ex vi actionis suæ: nam, si sit agens liberum, potest directè ac per se intendere malum alterius, propter alium finem, vt suprà dicebamus de malo pœnæ, quod Deus directè intendit supposito malo culpæ: hæc verò intentio extrinseca est illi actioni per quam fit tale malum.

Quod malũ ad causalitatem perfecti agentis consequatur.

Secundo modo contigit malum consequi ad- XII. actionem causæ efficientis ex imperfectione, vel defectu talis causę. Et hoc contigit quando ipsum malum admiscetur ipsi actioni, vel effectui, seu formæ introductæ & intentæ ab ipsa causa efficiente: sic claudicatio est quoddam malum in ratione progressui motus, quod consequitur in actione ex defectu virtutis motiuæ principalis vel instrumentalis; & tunc etiam constat, malum esse præter intentionem agentis: imò non consequi ad illud vt agens est, sed vt deficiens est. Dices, quamuis, comparando illam

Malum aliquod oritur ex imperfectione causæ.

Occurritur obiectioni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

malitiam actionis ad positiuam virtutem & effici- A entiam causæ, sit per accidens, tamen comparando illam ad imperfectionem causæ, erit per se ab illa, iuxta illam regulam, *Sicut affirmatio est causa per se affirmationis, ita negatio negationis.* Respondetur, hinc ad summum concludi, malum vt malũ habere causam per se deficientem, quæ vt sic potiùs est causa non efficiens, quam efficiens, quod in idem redit: nam illa malitia per accidens coniungitur cum efficientia, vt sic, licet per se sequatur ex defectu, & imperfectione causæ. Quæ consecutio dicitur per se, vel in ordine ad moralem rationem, vt statim explicabo, vel certè secundum quandam accommodationem & attributionem, supposita necessaria consecutione vnius ex alio: nam propriè ac physicè priuatio nõ influit in priuationem, nec defectus in defectum, sed quia ex causa defectiua sequitur defectuosa actio, ideò perfectio effectus per se tribuitur perfectioni causæ, defectus autem imperfectioni.

XII. Dicet rursus aliquis. Ergo hoc malum in actione seu in effectu, semper supponit malum in causa. Consequens autem videtur falsum, nam de illa ma- B litia causæ inquiro an habeat aliam causam, nécne: si non habet, ergo datur malum quod nullam habeat causam, quòd suprà ostendimus fieri non posse: si verò habet causam, vel illa habebit etiam defectum; & ita de illa redibit eadem interrogatio, & sic in infinitum procedetur: vel sistẽdum erit in causa, quæ, cùm nullam habeat malitiam, seu defectum, sit causa defectuosæ actionis, & effectus. Consequens est contra dicta & contra rationem: cùm enim quælibet causa agat sibi simile, vel proportionatum, cur causa bona, nullamque habens malitiam, producet effectum malum & defectuosum? Respondetur negando absolutè primam sequelam, non enim oportet vt malitia effectus supponat semper malitiam in causa, quia, quacunque ratione causa impediatur ne agat secũdum totam perfectionem debitam actioni vel effectui, poterit actio esse defectuosa & mala in suo genere. Potest autem causa sic operari vel impediri, etiamsi nulla malitia propriè sumpta in ea supponatur. Quanquam hic modus agendi semper supponit aliquam imperfectionem, quæ non semper est propria malitia, aut priuatio perfectionis debitæ, sed tantùm negatio maioris perfectionis, naturaliter consequens limitatam perfectionem talis causæ.

Malitia effectus non necessario malitiam suppo nit in causa.

XIII. Hoc vt clariùs intelligatur, distinguamus inter causas naturaliter agentes, & liberas, nam causa, quę naturaliter agit, si in se perfecta sit, & non sit impedita, aget quantum potest, & ideò nunquam committet defectum in actione, qui habeat rationem mali naturalis; & hoc rectè conuincit ratio facta, quia à causa bona & agente quantum potest, & non impedita, non est vnde possit malitia in actionem resultare. Ex duplici ergo causa accidere potest talis defectus in actione. Primò ex eo quòd causa ipsa in se est malè affecta, vt si oculus, v. g. sit prauè dispositus; & tunc verum est, malitiam actionis supponere malitiam in causa, non tamen necesse est procedere in infinitum, quia illa malitia causæ prouenire potest ex actione alterius causæ perfectæ in suo genere, quæ dum intendit effectum suum perfectum producere, ex consequenti introducit in oculo aliquam dispositionem disconuenientem illi, iuxta primum modum superiùs positum: vel potuit in ipsa formatione prouenire ex aliquo naturali impedimento, vt iam dicam. Secundò igitur hoc proue-

Effectus causarum necessario agentium vnde cõtrahant malitiam.

nire potest ex aliqua extrinseca causa impediente, siue hæc sit materialis, siue efficiens, siue sit in ipso passo, siue in medio: nam ex concursu huiusmodi causarum sibi resistentium, & sese impedientium, contingit, actionẽ vnius causæ defectuosam, & mõstrosam prodire, etiamsi in ipsa causa, nullum naturale malum propriè sumptum præcedat.

XV. Effectus causarum non necessario sequitur in causa defectum supponit.

Neq; contra hoc procedit ratio facta, quia licet à causa bona, qua bona est, non procedat nisi bonum & perfectio, quia tamen illa causa impediri potest, ne secundum totam suam perfectionem agat, inde accidere potest, vt effectus non recipiat totam perfectionem sibi debitam, vel vt illam non recipiat cũ modo, specie, & ordine naturæ ipsius accommodato, in qua carentia ratio mali consistit. Quamuis autem tunc malitia effectus non proueniat ex malitia causæ, semper tamen supponit in illa imperfectionem aliquam, saltem negatiuam, scilicet, defectum virtutis ad vincendam causam se impedientem, vel materiæ indispositionem aut resistentiam. Atq; ita facilè intelligitur, vnde hoc malum in naturalibus effectibus euenire possit, ita vt necesse non sit, vel in infinitũ procedere, vel sistere in aliquo malo quod nullam habeat causam: sistendum est enim in naturali imperfectione vnius causæ, adiuncto impedimento alterius: hoc autem impedimentum prouenire potest ex naturali cursu & ordine ac virtute naturalium causarum. Imperfectio autem illa seu impotentia ad vincendum impedimentum nõ requirit aliquam causam, quia est mera negatio intrinsecè & necessariò coniuncta cum tali rei natura ad talem gradum & perfectionem entis ex se limitata. Neq; est inconueniens vt imperfectio, quæ in causa est merè negatiua, & non habet rationem mali, sit radix & origo imperfectionis priuatiuæ, & habentis rationem mali in actione vel effectu, quia ratione interuenientis impedimenti per accidens euenire potest, vt effectus priuetur perfectione sibi debita, quia causa impeditur ne agere possit secundum totam perfectionem suam.

XVI. Liberæ causæ dominium ad æquam origo mali tribuitur & defectus in illius actione.

In causa verò liberè agente, est alius proprius modus deficiendi in actione sua, nimirum ex dominio, quod habet in suum actũ absq; alio extrinseco im- C pedimẽto. Nam hoc ipso quod libera est, non semper agit quantùm potest, & debet: & ideò ex eadem radice potest actionẽ peccaminosam efficere absq; alio impedimento. Et hinc etiam fit, vt malum proueniens à causa libera, quod est propriè malum morale seu culpæ, non necessariò supponat in causa aliud simile malum: alioqui non possemus sistere in primo malo culpę prouenìente à tali causa, quod est impossibile. Imò nec necesse est vt hoc primum malum culpæ supponat in causa aliquod prius malum, quod non sit culpæ, sed alterius generis, scilicet naturæ: nam, vt dixi, ex sola libertate creaturæ potest prouenire, libertas autem non est malum, sed potiùs bonum. Præsertim, quia iuxta doctrinam superiùs traditam ex Augustino, omne malum creaturæ rationalis est aut culpæ aut pœnæ: malum autem pœnæ secundum se totum, supponit aliquod malum culpæ: ergo malum culpæ, si sit primum, nõ potest supponere aliud malum. Supponit tamen imperfectionem aliquam intrinsecam & connaturalem creaturæ, quæ est esse mutabilem, & defectiuam, quam, formaliter loquendo, non habet ab alia causa, sed ex se, eò quòd sit ex nihilo, & limitatæ ac finitę perfectionis in suo ordine: ex hac. n. limitatione habet, tum quòd non sit sibi regula suarum operationum, sed superiori regula indigeat: tum etiam A quòd non sit per se & infallibiliter coniuncta suæ regulæ, sed possit ab illa deficere. Hæc autem naturalis imperfectio, quamuis mala non sit (non est enim priuatio, sed mera negatio) potest tamen esse origo mali moralis, quia adiuncta libertate, ex vi illius absq; alio extrinseco impedimento, potest voluntas mutabilis non agere totum quod potest & debet, vel agere, non sicut potest, & debet, sed alio imperfectiori modo.

XVII. Malum in effectu ipsi debitum ex defectu in causa sequitur.

Tertio modo contingit malum sequi sine vlla positiua efficientia ex sola subtractione efficientiæ seu influxus bonitatis debitæ. Cùm enim malum in priuatione consistat, per se non requirit positiuum influxum vt suo modo sit, nam omnis positiuus influxus ad positiuam formam seu rem, per se primò terminatur: hoc autem per se loquendo, necessariũ non est ad priuationem: igitur, vt malum sequatur, satis est, quod bonum alicui subiecto debitum non fiat, vel non conseruetur conseruato subiecto cum eadem aptitudine, ac (vt sic dicam) iure ad tale bonum. Atq; in moralibus quidem hoc potest accidere ex solo dominio potentiæ liberæ in actionem suam. Quanquam quæstio sit controuersa, an possit dari purum malum morale sine vlla actione, quod appellari solet pura omissio, de qua re nobis non est disserendum: satis est enim ad rem de qua agimus, quòd hoc malum ex vi sui esse non requirat actionem, quidquid sit an ob rationem voluntarij necessarius sit actus. At verò in naturalibus, quia causa non potest suspendere actionem ex se, sed solùm, quia vel passum remouetur, vel ipsa est distans, vel aliquod aliud impedimentum intercedit, quod non fit sine aliqua actione positiua, ideò, quamuis malum proueniens à causa naturali, per se ac formaliter sæpè proueniat ex sola carentia actionis, tamen illa semper consequitur ad aliquam aliam actionem seu mutationem, vt, licet tenebræ sequantur in aere ex sola non illuminatione Solis, tamen hæc carentia illuminationis sequitur ad motum illuminantis, vel alterius corporis. Ad hunc ergo modum accidere potest priuatio, in qua malum consistit: & tunc idem fere iudicium est de hoc modo efficiendi malum quod de primo: sequitur enim hoc malum per accidens ex actione alteriùs causæ, non quia actio ipsa defectuosa sit, sed quia terminus talis actionis incompossibilis est cum actione alterius causæ, seu cum aliqua conditione ad illam requisita.

XVIII. Hinc verò infertur, cùm dicitur habere malum causam efficientem, vel intelligendum esse de causa aut positiua, aut priuatiua, quia priuatio ad positiuum reuocatur, vt in simili dixit D. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. ad 1. vel certè, si intelligatur de causa positiuè agente, cum proportione verificandum est, nam in naturalibus semper antecedit aliqua actio naturalis, ad quam consequitur, vel cui adiungitur priuatio, quæ est malum: in moralibus autem, si moraliter loquamur, semper etiam intercedit actio voluntatis, quam malitia comitatur, vel saltem necessaria est illa actio seu voluntas virtualis, quamuis fortasse Metaphysicè loquendo, non repugnet esse tale malum sine formali actione.

Quomodo malum sit à prima causa.

XIX. Atque ex his satis constat quæ sit causa efficiens mali proxima & particularis: quo modo autem malum sit etiam à causa prima & vniuersalissima, quæ est Deus, breuiter superest explicandum.

Tribuuntur autem Deo effectus causarum secundarum dupliciter, scilicet vel mediatè, quia dedit virtutẽ agendi causis secundis, vel immediatè, quia cum eis concurrit & in earũ actiones & effectus proximè influit. Rursus habemus ex dictis, malum dupliciter sequi ex causa proxima, scilicet, vel ex via actiuitatis & positiuæ perfectionis eius, vel ex via carentia perfectionis vel actionis. Dicendum ergo est, Deum prædictis duobus modis esse causam illius mali, quod sequitur ex vi actiuitatis perfectæ alicuius causæ. Patet, quia Deus, & dedit illam virtutem seu actiuitatem, & cum ea concurrit ad illam actionem perfectam, ad quam sequitur alterius malum. Ita verò efficit Deus hoc malum, sicut causa proxima quantum ad hoc, quod non per se & directè, sed consequenter & per accidens illud causat: quia ipsum malum, cùm sit priuatiuum, non est aliter factibile. Quod intelligendum est quantum ad actionem physicam, nam quantum ad intentionem agentis, cùm Deus sit agens per intellectum, potest directè intendere malum ipsum propter aliquod B bonum. Atq; hoc modo est Deus causa cuiuscunq; mali merè naturalis, iuxta illud, *Deus mortificat & viuificat* 1. Reg. 1. Est item ac maximè causa mali pœnæ, quomodo dicitur: *Nullum est malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus*, Amos 3. Quod autem interdum dicitur *Deus non fecisse mortem*. Sap. 2. intelligitur, eam non intendisse nec voluisse ex primaria intentione sua, sed quodammodo coactũ hominum culpa, qua supposita verè facit mortem, eamq; vult in pœnam culpæ. Qua propter non solùm per causas secundas, sed etiam immediatè per se ipsum, potest Deus hoc malum efficere, quia nullum requirit defectum in causa immediata, sed ex sola efficacia perfecta prouenire potest.

XX. At verò malum illud, quod consequitur ex carentia perfectionis, vel actionis causæ proximæ, per se non requirit Dei influxum, neque est necessariò coniunctum cum actione Dei vt sic, & ideò necesse non est vt Deo tribuatur. Probatur, quia hoc malum non sequitur ex perfectione vel actiuitate causæ proximæ, sed ex imperfectione & carentia: ergo non sequitur ex eo quod causa habet à Deo, sed ex eo potiùs quod ex se habet, vel potiùs quia ex se ca- C ret perfectione sibi non debita. Rursus, causa secunda non indiget concursu Dei in quantùm non agit, sed in quantum agit aliquid: ergo hoc malum per se non habet vnde tribuatur Deo, neque mediatè neq; immediatè. Et hac ratione malum culpæ in Deum non refunditur: nam secundum fidem Deus author peccati non est. Imò neq; vlla malitia actionis prouenìens ex defectu virtutis proximæ Deo tribui potest, vt est v. g. claudicatio, quod docet D. Thom. 1. p. q. 49. art. 2.

XXI. Sed in hoc est notanda differentia inter malum culpæ & alia, quod in malo culpæ imperfectio, quæ necessariò supponitur in causa, ex se illi conuenit, & nullo modo ab extrinseco, & ob specialem cõditionem & libertatem talis causæ potest esse origo mali culpæ absq; extrinseco impedimento. Vnde fit, vt prima & sufficiens radix talis mali, vt sic sit ipsa causa proxima sine interuentu primæ. At verò in alijs malis naturalium actionum imperfectio quæ supponitur in causa, si sit merè naturalis ac negatiua, nõ potest esse radix defectuosæ actionis nisi interueniente aliquo extrinseco impedimento, vt suprà dictum est, quod impedimentum semper prouenit ab aliquo motu, vel effectu positiuo cuius Deus potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse causa, & ex hac parte potest radix talis mali in Deum reuocari. Rursus, si imperfectio causæ sit præternaturalis illi, & consequenter habens rationem alicuius mali in illa, talis defectus semper prouenit ex aliqua alia actione vel motione naturali, quam necessarium est à Deo esse. Atq; in hunc modum omne naturale malum in Deum tandem refundi potest, non quatenus prouenit ex defectu, qui non sit à Deo, sed quatenus prouenit ex aliquo effectu vel actione quæ sit à Deo. Vt in dicto exemplo claudicationis, quamuis defectus illius motus non sit in illa actione ex vi dimanationis quam habet à Deo, sed à tibia debili seu defectuosa, quia tamen hic defectus tibiæ potest esse factus à Deo, vel à causa secunda perfectè operante, vel intendente suum effectum, ideò claudicatio ipsa potest tandem in primam causam reduci, quod in malo culpæ locum habere non potest.

XXII. Accedit etiam alia differentia, quod malum culpæ propter suam turpitudinē non potest esse à Deo intentū seu volitum, sed tantùm permissum: reliqua aūt mala, vndecunq; proueniant, si culpā nō includant, possunt à Deo esse directè volita & intēta, quia non habent turpitudinem repugnantem summæ bonitati eius: & ideò solius mali culpæ non pōt Deus esse causa, aliorum verò pōt. Et hinc ēt est vt malum prouenies ex sola carentia actionis, si morale sit, non possit esse vel à solo Deo, vel ab eo vt primaria causa & radice, sed à libertate defectibili creaturæ. Si autem tale malum merè naturale sit, potest esse vel à solo Deo suspendente totam actionem, qua se solo conseruet bonum, vel à Deo vt prima causa & radice, vt si causa secunda agere omittat, solùm quia Deus suspendat concursum suum.

SECTIO IIII.

Cur malum inter attributa entis non numeretur.

I. Ratio diff. cultatis. RAtio dubitandi esse potest, quia malum, vt ex hactenus dictis constat, ratione distinguitur ab ente, eiq; tribuitur, ipsumq; denominat: cur ergo inter proprietates entis nō numeratur? Quòd enim bonum sit etiā eius proprietas, nō obstat, cùm possit ens diuersis rationibus bonum & malum esse. Neq; etiā obstat quòd priuationem dicat, nam etiam vnum de formali dicit negationem, & nihilominus est vna ex præcipuis proprietatibus entis. Deniq; non obstat, quòd non omne ens videatur esse malum, quia licet nullum ens sit in se absolutè malum, id est, defectuosum, tamen omne ens, etiam Deus ipse, est alicui malum, id est, disconueniens: ergo hoc satis est, vt malum in communi debuerit inter proprietates entis numerari.

II. Conclusio qua dubium expeditur. Dicendum nihilominus est, meritò non numerari malum inter attributa entis. Cuius rei rationes plures reddi possunt, sed quæ inter arguendum tactæ sunt, possunt sufficere. Primùm enim, malum vt malum nō dicit de formali aliquid pertinens ad rationem entis, sed potiùs tendentiam (vt sic dicam) ad non ens, seu defectum & imbecillitatem entis: ergo non potest huiusmodi ratio constituere peculiare attributum entis vt ens est, sed potiùs posset attribui alicui enti vt defectibile est. Vnde non est similis ratio de vnitate, tum quia vnitas non dicit solam negationem, sed entitatem sub negatione, malitia autem in sola priuatione sufficienter saluatur, A tum etiam, quia per illam negationem, quam vnum includit, circumscribimus integritatem, quā ens in se habet, & consequenter entitatem eius: per priuationem aūt, quam malū dicit, non declaramus entitatem, nec circūscribimus aliquid pertinens ad cōstitutionē ipsius entis, sed explicamus potiùs defectum entitatis, qui in aliquo ente interdū esse pōt.

Secundò hinc fit, vt malum non sit reciprocum enti, vt vel ob eam causam non possit esse attributum eius. Non est autem reciprocum, tum ex parte ipsius mali, quod latiùs patet, quam ens, tum ex parte ipsius entis, quod aliunde latiùs patet, quàm malum. Primum patet, quia, cùm malitia non includat in suo conceptu entitatem, sed efficienter saluetur in priuatione entitatis, non requirit reale ens ad propriam mali denominationem: ipsa enim priuatio perfectionis debitæ nō solùm est malitia, sed verè ac propriè dicitur malum quoddam, nam eo modo, quo concipitur per modum entis (quamuis verum ens non sit) concipitur etiam & denominatur malum quoddam, quamuis non concipiatur vt ens B in se malum, sed vt malum eius cuius est priuatio. Quomodo etiam in moralibus pura omissio, si esset verè ac propriè peccatum, esset & malum hominis. Secundum patet, quia nō omne ens est verè ac propriè malum, quod quidem de Deo est certissimum, nam nec ipse in se habet defectum aliquem, vnde malus dici possit, neq; alicui enti est verè & absolutè disconueniens, sed maximè conueniens, imò simpliciter necessarium ad cuiuslibet alterius entis bonum & perfectionem. Quòd si aliquando apprehenditur vt disconueniens, illud vel falsò apprehenditur, vel solùm secūdum quid, & per quandam denominationem extrinsecam id Deo tribui potest ratione alicuius effectus disconuenientis homini, quem in ipso causat: hæc autem denominatio extrinseca nec propriè malum constituit, nec ad proprietates entis pertinere potest. Neq; solùm in Deo, sed etiam in multis entibus creatis reperiri potest integra bonitas sine vlla malitia. Quanquam enim extra Deum nullum sit ens creatum, quòd non possit alicui malo subiacere: malo (inquam) vel morali, si sit creatum & intellectuale suppositum, vel naturali saltem, aut pœnali: tamen multis entibus creatis communicari potest, vt nullam propriè habeant C malitiam, sed totam perfectionem sibi debitam, vt in beatis angelis contingit, quib. hoc peculiare est, vt nulli malo subditi vnquā fuerint, nec futuri vnquam sint. Homines enim etiā beati, licet iam careant omni malo in perpetuum, aliquando tamen alicui malo subiacuerunt, si non culpæ, quod rarū est, saltem pœnæ, quod nullus euasit. In reliquis autem entibus sola cœlestia corpora videntur libera omni malo naturali, quatenus incorruptibilia sunt, & à peregrinis impressionibus omnino libera. Est autem considerandum, hæc omnia esse intelligenda de malo propriè sumpto, quatenus de formali dicit propriam priuationem bonitatis debitæ: nam, si generaliùs loquamur de malo, vt dicat negationem solam alicuius bonitatis, & perfectionis simpliciter sic quidem omne ens extra Deū potest dici aliquo modo malum: quo sensu posset illud intelligi, *Nemo bonus nisi solus Deus.* Veruntamen illa acceptio mali impropriissima est, vt ex suprà dictis patet; nā propter solam negationem perfectionis non debitę, dici potest ens aut imperfectum negatiuè, aut minùs perfectum, non tamen malum. Neque Deus solus dicitur bonus, quia omnia alia sint mala, sed quia solus

solus ipse est bonus per essentiam, aut per antonomasiam, vel analogiam. Addo præterea eo modo quo ens creatum, malum in ea improprietate, seu potiùs imperfectum dicitur, non id habere ex ratione entis, sed quia ex nihilo est.

IIII. Ens nihil bono impropriè. Tertia ratio ex dictis sumi potest, quia proprietates entis debent per se & ab intrinseco consequi ipsum ens: malum autem nō ita comparatur ad ens, sed omnino per accidens, & ab extrinseco illi conuenit. Qua ratione superiùs probabamus, malum non esse sine aliqua causa, quia dicit defectum contra naturæ debitum, qui non contingit, absque ex- III. Ens bonum creatum à quo causatur. A trinseca causa. Prouenit ergo malum illi enti cui inest, non ex se, sed ab extrinseco & ex accidenti, non ergo potest ad entis proprietates pertinere. Et quāuis interdum contingat ex intrinseca natura duorum entium consequi, vt vnum sit alteri disconueniens, & consequenter malum eius, quomodo in moralibus dicuntur esse aliqui actus intrinsecè mali, tamen hoc ipsum est valde per accidens ad rationem entis, & peculiare quorundam entium habentium inter se repugnantiam, vel improportionem aliquam. Ob has ergo causas non debuit malum inter rationes entis recenseri. Malum ens non nisi accidentario inest.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De causis entis in communi.

SECTIO I.

Vtrum causa & principium, idem omnino sint.

POstquam dictum est de essentiali B ratione, & proprietatibus entis in quantum ens est, priusquam ad diuisiones eius descendamus, oportet de causis eius exactè disputare. Nam licet Physicus de causis disputet, id tamen est nimis contractè & imperfectè, quatenus ratio causæ in Physica materia, vel cum aliquo motu aut Physica mutatione exercetur: ratio autem causæ vniuersalior est & abstractior: nam secundum se abstrahit à materia, tam sensibili, quàm intelligibili: & ideò propria eius consideratio ad Metaphysicum pertinet. Primò quidem quatenus ipsamet ratio causæ, seu causalitas (vt aiunt) aliquem gradum entis participat: de quo oportet declarare quid, & quo modo sit. Secundò, quia ipsa causalitas est veluti proprietas quædam entis vt sic: nullum est enim ens quod aliquam rationem causæ non participet. Tertiò, quia ad scientiam pertinet considerare causas sui obiecti. Quamuis autem non omne ens comprehensum sub obiecto huius scientiæ, habeat veram ac propriam causam, nam Deus causam non C habet: tamen omnia alia præter ipsum, causam habent: & in eius non solùm determinatæ seu particulares rationes entis, sed etiam ipsa entis ratio per se ac propriè causatur, ita vt verum sit dicere, ens in quantum ens specificatiuè, etsi non reduplicatiuè, habere causam. Eò vel maximè quòd eiusdem doctrinæ est rationem causæ & effectus contemplari: nullum autem est ens quod non sit vel effectus, vel causa. Accedit quòd, licet Deus non habeat veram & realem causam: quædam tamen rationes eius concipiuntur à nobis ac si essent causæ aliarum, ad quas meliùs declarandas vtile etiam erit veras rationes causandi prænoscere. Ob has ergo rationes ad Metaphysicum pertinet causarum consideratio. De quibus pauca priùs in communi dicemus de ratione causæ & membris eius: deinde fusiùs de singulis: postremò eas inter se, & cum effectibus varijs modis conferemus.

I. Causam esse est longè notissimum. NOn inquirimus an causa sit, quia nihil est per se notius: ad inuestigandum autem quid sit, commodè à ratione principij initium sumimus, quoniam omnis causa principium est, & per illud tanquam per genus, vel loco generis definiri potest, & debet. Ratio igitur dubitandi in proposita quæstione ex varijs dictis Aristotelis sumitur, nam interdum significat, causam & principium, idem omnino esse, & reciprocè dici. Nam in 4. Metaphysic. capit. 2. ait, *ita comparari inter se causam & principium, sicut ens, & vnum*: ens autem & vnum conuertuntur inter se, vt suprà dictum est. Item 5. Metaphysic. cap. 1. vbi varios modos principij enumerat, in fine ita concludit: *Totidem autem modis & causa dicuntur, omnes enim causæ, principia sunt.* Rursus cùm 1. Physic. priuationem inter principia rei naturalis numerasset, in 12. Metaphysic. cap. 2. eam causam vocat: sentit ergo causam & principium esse idem. Et huic sententiæ fauet modus loquendi aliquorum Patrum Græcorum, qui etiam in diuinis personis Patrem vocant causam Filij, eò quòd sit principium eius: & similiter Patrem & Filium causam Spiritus sancti: quod est indicium, apud Græcos idem esse *causam* quod *principium*. Quod significauit, illos Patres exponens Concilium Florentinum sess. vlt. Ratio verò esse potest, quia principium relationem dicit ad principiatum, sicut causa ad effectum: principiatum autem idem esse videtur quod effectum. Ex modo loquendi Patrum Græcorum. Damasc. lib. 1. de fid. c. 8. & 9. ac 11. Athanas. in Actis Nicenæ synodi. Nazian. orat. 29. de deitate, & cōsubstantione Episcop. & orat. 35. quæ est 1. de Filio & 3. de Theologia.

II. Aliquando verò significare videtur Aristoteles causam latiùs patere quàm principium: ait enim lib. 5. de Gener. animal. cap. 7. de ratione principij esse, *vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa*, non est autem de ratione causæ vt non habeat superiorem causam: ergo iuxta Aristotelis sententiam, principium quid contractius est quàm causa. Vnde etiam 1. Physic. cap. 5. de ratione principiorum ait esse, *vt non sint ex sese, nec ex alijs, sed alia ex ipsis*, de ratione autem causæ non est vt non sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex principiis & causis: latiùs ergo patet causa quàm A principium. Deniq; aliunde apparet manifestum, principiũ generalius quid esse, quam causam: nam omnis causa principium est, vt ex Aristotele retulimus: non tamen omne principium potest dici causa: priuatio enim, teste Aristotele, est principium generationis, non tamen causa, & aurora est principium diei & non causa. Et apud Theologos sana & recepta doctrina est, in diuinis personis vnum esse principium alterius, non tamen causam, vt patet ex D. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 1.

Varij principiorum modi, & illorum ordo.

III. AD explicandam hanc quæstionem incipiendum est à nomine & ratione principij: quoniam verò, vt Damasc. ait Dialog. cont. Manic. in initio, principij vocabulum, æquiuocum, id est analogum, est, meliùs erit varias eius significationnes enumerare, quas ibi recenset Damascen. & priùs Aristoteles 5. Metaphysic. cap. 1. Vt vero aliqua certa methodo à nobis tradantur, primò distinguere B possumus duplex principium, aliud rei, aliud cognitionis seu scientiæ, quod alio modo solet distingui in principia incomplexa, & complexa: nam principium rei incomplexum est, cognitionis autem complexum. Quanquam enim principia cognoscendi frequenter desumantur ex principiis rei, proximè tamen non sunt principia scientiæ nisi prout ex eis fiunt principia complexa. Et hoc modo, ait Aristoteles suprà, *suppositiones demonstrationum vocantur principia*: & 2. Elench. cap. vltim. in principiis cognoscendis ait præcipuè insistendum esse, quia illis cognitis, facile est cognoscere ea quæ sequuntur. De his autem principiis complexis nihil amplius à nobis dicendum est, nam quæ ad hanc doctrinam necessaria sunt, disputat. 1. & 3. sufficienter sunt tradita: reliqua verò ad libros Posterior. spectant. Denominatio autem principij quæ his tribuitur, ad aliquod genus causalitatis pertinet, vel ad aliquam habitudinem ex his quæ statim numerabimus: nam quia cognitio res quædam est, principium cognitionis secundum aliquam habitudinem dicitur, in qua conuenit cum aliis principiis rerum.

Principium complexum seu cognitionis quid.

IIII. Principium igitur rei dici potest aut solùm ratione ordinis, & cuiuscunque connexionis, aut ratione alicuius intrinsecæ habitudinis. Priori modo dixisse videtur Aristoteles in Poetica, aliquantulum à principio: *Principium illud esse dicimus quod non necessario post aliud est, & post ipsum aliquid esse, vel fieri natum est.* Hæc autẽ appellatio sub hac ratione multiplex est. Primò enim in omni actione aut negotio illud vnde inchoatur, principium dicitur, quod aliquando est arbitrarium, seu casuale, aliquando est debitum ipsi rei, vel saltem magis consentaneum, vt conuenienter fiat, vel spectata natura rei quæ fit, vel interdum considerata conditione operantis. Atque hoc modo in ordine traditæ scientiæ ait suprà Aristoteles, id quod est notius nobis, appellari posse principium doctrinæ, quia inde conuenienter inchoatur scientia. Secundò in successione seu ordine temporis aurora dicitur principium diei, quia inde incipit dies. Tertiò in ordine loci qui primus sedet, dicitur principium cæterorum, & locus etiam ille ex quo fons oritur, dici solet principium eius. Quartò addit Damascenus etiam solere dici propter ordinem dignitatis, vt *Rex* (ait) *est principium eorum quibus præest*: quamuis hoc possit ad causalitatem pertinere, vt Aristoteles significat. Deniq; quidquid alteri præsupponitur, potest dici principium eius, vt fundamentum dicitur principium domus, & vnitas principium numeri. Et in omni re quę extensionem habet vel latitudinem, prima pars aut primum extremum, quod aliis supponitur, dici potest principium totius, vel reliquarum partium. Vnde hæc acceptio vel denominatio principij latissima est, & variis modis potest multiplicari, ita vt non possit ad certam & scientificam rationem reuocari, quia est ferè æquiuoca denominatio.

V. Stultitia in cognoscendo principium quod significat.

Alio igitur modo, & magis philosophico, dicitur principium ratione alicuius habitudinis per se inter ipsum, & id cuius est principium, ita vt ex illo aliquo modo per se oriatur. Quod duobus modis accidere potest. Primò per positiuum influxum & communicationem sui esse: qui modus respectu rerum creatarum semper est cum dependentia & causalitate, vt explicabimus: quare huiusmodi principium, philosophicè loquendo, semper induit rationem causæ. Solùm in diuinis personis inuenitur principium cum vero influxu, & communicatione proprij esse sine causalitate: cur autem hoc ita sit, sectione sequente explicare tentabimus. Vnde hoc genus principij quatenus rationem causæ includit, in tot membra diuidi potest, quot causa. Sunt enim quędam principia intrinsecè constituentia rem: alia verò sunt extrinseca, quæ esse influunt in rem, & extra illam manent, vt finis, & efficiens, de quibus posteà dicendum est.

VI. Priuationes licet dicant principium rei naturalis.

Secundò potest aliquid ex alio per se oriri, vt ex principio, non per positiuum influxum, sed solùm propter necessariam & per se habitudinem ad aliud. Quo modo priuatio inter principia rei naturalis numeratur ab Aristotele, quæ mediam quandam rationem habere videtur inter duos modos principiorum declaratos. Nam ille prior latissimus est, & solùm fundatur in quolibet ordine prioritatis, nec requirit habitudinem per se, sed in quolibet genere compositionis, aut successionis inueniri potest: priuatio autem perfectiori modo, & magis intrinseco dicitur principium generationis naturalis. Alter verò modus principij per influxum, perfectior est C quàm vt possit priuationi conuenire, quia priuatio cùm, non sit vera res, non potest habere proprium influxum in rem quæ fit, seu eius generationem: & multò minùs potest intrinsecè componere rem genitam. Dicitur ergo principium propter intrinsecam habitudinem generationis ad ipsam: nam quia generatio essentialiter est, transitus de non esse ad esse, ideò per se supponit priuationem, & ex illa tanquam ex necessario termino per se fit: hac ergo ratione dicitur priuatio esse principium rei naturalis, non quidem constitutionis eius in facto esse, sed generationis.

VII. Forma aliter generationis aliter rei genitæ principium.

Imò (vt hoc obiter dicam) etiam forma, vt est principium generationis, longè aliter est principium, quàm vt est principium rei genitæ & constitutionis eius: ipsius enim rei est principium per influxum & causalitatem formalem, vt infrà declarabimus: generationis autem non potest esse principium hoc modo, quia ipsa non potest esse causa propria eius generationis per quam fit, ita vt in eam verè influat, nisi fortè reducatur ad causam finalem: nam finis generationis est formæ introductio: vel etiam ad formalem extrinsecam, in quantùm generatio speciem sumit à forma ad quam tendit: quæ causa-

causalitates Physicè sunt valde impropriæ respectu A citur principium diuinitatis, id est omnis communicationis diuinitatis. Filius autem, quia principiũ habet, non potest absolutè vocari principium diuinitatis: dicitur autem verè principium Spiritus sancti, seu communicationis diuinitatis per modum spirationis, quia sub ea ratione non habet principium. Sic igitur de ratione omnis principij est vt sit prius eo cuius est principium, quòd si absolutè & simpliciter in aliquo ordine principium sit, erit etiam primum in illo ordine.

Materia qua sunt principium generationis.

talis formæ, vt posteà patebit. Et ideò hæc ratio Principij qua forma dicitur principium generationis, propriè pertinet ad hunc postremum modum: nam generatio per se & intrinsecè intendit formam, vt formalem terminum ad quem tendit: quod satis est vt dicatur generationis principium. Secus verò est de materia: quia hæc etiam respectu generationis habet aliquem influxum & causalitatem, licet diuersam ab ea quam habet circa constitutionem rei naturalis, in hanc enim rem naturalem influit materia intrinsecè constituendo illam per se ipsam: in generationem verò non ita, sed solùm sustentando, & recipiendo illam. Et hæc sunt per occasionem dicta de his principiis quia illis solet quasi per Antonomasiã nomen principij rei naturalis accõmodari. Deniq; ad hanc vltimam principij denominationẽ possunt reduci aliqua exempla posita in prima & generali denominatione, quatenus in eis reperiri potest ordo per se, & ab intrinseco necessarius: sic enim punctus dici potest per se principium lineæ, & primus gradus, totius qualitatis, & fundamentum, domus: quãquam in his talis modus principij per se semper reducitur ad aliquod genus influxus seu causalitatis.

Esse prius, omni principio qualiter commune.

VIII. EX hac principiorum enumeratione colligi potest primò commune esse omni principio vt sit aliquo modo prius principiato: hoc enim præ se fert ipsum principij nomen. Imò Aristoteles citato loco 5. Metaphysicæ colligit, *commune omni principio esse vt sit primum*: quòd aliquid maius est quam esse priùs: nam hoc solùm dicit antecessionem ad principiatum: illud verò dicit negationem prioris. Sed consideranda est, principium simpliciter in aliquo genere, vel sub aliqua ratione dici, quod ita est principium vt non sit principiatum sub illa ratione, nam si sit principiatum ab alio in ea serie, non erit principium simpliciter in illo ordine, sed tantùm secundum quid respectu alicuius: verbi gratia punctus tunc est propriè principium lineæ, quando anctus est propriè principium lineæ, quando anctus tunc est propriè principium lineæ, quando anctus tunc est propriè principium lineæ, quando anctus tunc

Universidad de Deusto
Biblioteca

tis probabilis, moduſque ille loquendi cautus eſt, A & ſecurus: iuxta quam opinionem aſſertio noſtra limitari poterit, vt Metaphyſicè intelligatur, non Theologicè, id eſt, de principio, quod lumen naturæ cognoſcit, non quod ſola fides reuelat. Nihilominus Scotus in 1. diſtinct. 12. quæſtion. 2. & diſtinct. 28. quæſtion. vltima, quem ſequitur Gabri. in 1. diſtinctione 9. quæſtion. 3. concedit, ſicut in diuinis perſonis vna eſt principium alterius, ita eſſe priorem, non duratione, perfectione aut natura, ſed origine tantùm. Nam hæc prioritas imperfectionem non includit, & in ipſa ratione principii producentis neceſſariò includitur. Vtrumque patet, quia ſolùm importat in perſona producente, quòd habeat eſſe abſque tali origine, ſecundùm quam alia perſona ab illa procedit: vt Pater habet eſſe abſque generatione, Filius verò non niſi per generationem: & vterque habet eſſe abſque ſpiratione, ſanctus verò Spiritus non niſi per illam. Quod genus prioritatis inter correlatiua non poteſt in creatis rebus inueniri, quia vnum relatiuum vt tale eſt non procedit ab alio: in Diuinis autem reperitur B proceſſio vnius correlatiui ab alio, quatenus talia ſunt. Et iuxta hanc ſententiam, aſſertio noſtra vniuerſaliter verum habet: nam ſi in Diuinis perſonis vera inuenitur, multò magis in creatis. Non eſt autem mirum, quod ſicut ratio principii in illis perſonis ſingularis eſt, ita etiam modus prioritatis ſit peculiaris, & longè alterius rationis ab omnibus, qui in creaturis inueniantur. Eſtque hic modus loquendi etiam probabilis, & in re (vt opinor) non contradicit Diuus Thomas, quia ipſe nunquam expreſſe negauit hoc prioritatis genus in Diuinis perſonis, ſed alia, quæ in creaturis inueniuntur. Tacuit tamen, nunquamque vſus eſt illa locutione, ſed ordinem originis appellauit non prioritatem. Et ſanè non ſine cauſa, tum quia in rebus Diuinis modus loquendi Patrum imitandus eſt, apud quos illa locutio non reperitur: tum etiam, quia prioritas originis non eſt abſolutè prioritas, prout in Diuinis perſonis reperitur: quia prioritas ſimpliciter & ſine addito aſſerta, imperfectionem aliquam in re, quæ poſterior dicitur, indicare videtur. Item, quia illud dicitur abſolutè prius, quod poteſt aut eſſe, aut ſaltem exactè intelligi ſine alio, vna vero perſona diuina neutro modo ad aliam comparatur. Quod vero addunt aliqui, vnam C perſonam diuinam eſſe priorem alia in ordine naturalis enumerationis, quomodo, primam, ſecundam, & tertiam perſonam numeramus: hoc (inquam) non eſt diuerſum à præcedenti, nam hic modus enumerandi non fundatur niſi in prioritate originis, vnde in re ipſa non indicat aliud prioritatis genus, declarat autem optimè ille numerandi modus hunc modum prioritatis originis, ſi congruis verbis, & ſano ſenſu declaretur, non eſſe omnino alienum à modo loquendi Eccleſiæ, & Doctorum. Vnde cum illo addito acceptari poteſt, ſufficienſque eſt vt in vniuerſum verum ſit, omne principium eſſe aliquo modo prius eo, cuius eſt principium: quamuis hoc ſemper maneat ſingulare in Trinitate, quòd cùm ratio principii abſolutè, & ſimpliciter conueniat vni perſonæ reſpectu alterius, ratio autem prioris ſolùm cum addito, & limitatione tribuatur, nam illud abſolutè dictum nullam imperfectionem in altero extremo, hoc vero aliquam, indicare videtur. Prioritas ergo originis dicto modo explicata, ſatis eſt vt vera ratio principii in diuinis inueniatur: vnde quod Diuus Thomas ait, nomen principii ſumptum eſſe à prioritate, non verò ſignificare illam, ſi per prioritatem, intelligat abſolutam & poſitiuam prioritatem, quæ imperfectionem connotet in principiato, verum eſt: ſi tamen ſit ſermo de pura anteceſſione quaſi negatiua, ſub ea ratione ſub qua principium dicitur, ſic non ſolùm nomen principii ſumptum eſt à prioritate, ſed etiam illam ſignificat, & requirit cum proportione debita, vt declaratum eſt, & conſtat ex definitione Ariſtotelis, & ex omnibus adductis.

Deſcriptio principij in communi conſummatur.

XI. Inter principium & principiatum, cui neceſſario ſita.

SEcundò infertur ex dictis, ad rationem principii non ſatis eſſe vt ſit prius alio, ſed neceſſarium eſſe vt inter illa ſit aliqua connexio, vel conſecutio vnius ab alio, quod principium denominatur. Hoc patet ex communi modo concipiendi hominum, & inductione facilè declaratur. Nam homo heri natus non eſt principium eius qui hodie naſcitur, licet ſit prior illo, & in dininis, ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, Filius non poſſet dici principium eius, etiamſi cogitari aliquo modo poſſet ratione prior, eo ſcilicet modo quo actus intellectus dicitur prior actu voluntatis. Eſt ergo neceſſaria aliqua connexio, vel conſecutio: & ideò iuxta varios modos talis conſecutionis, varia etiam, eſt denominatio principii: interdum enim oritur ex ſitu: interdum ex ſucceſſione intrinſeca: aliquando ex dimanatione, & ſic de aliis ſuperiùs enumeratis. Atque hoc totum ſingnificauit Ariſtoteles dicto loco 5. Metaphyſic. cum dixit, *Principium eſſe primum, vnde aliquid eſt*, &c. nam illa dictio *vnde*, prædictam connexionem vel conſecutionem indicat. Eſt autem hoc cum proportione intelligendum, nam eſſe poteſt principium in actu & in potentia, & vtroque modo requirit habitudinem ad alterum, quod ad illud conſequitur, vel actu vel potentia. Ariſtotel.

XII. D. Thom.

Atq; ita concluditur deſcriptio principii in communi & confuſiſsimè ſumpti, quam ſub his terminis Diuus Thomas tradit 1. part. quæſt. 33. articul. 1. *Principium eſt id à quo aliquid procedit quocunque modo:* vbi verbum illud *procedit*, non eſt ſumendum ſtrictè pro vera origine, ſed pro quacunque conſecutione, vel connexione, vt hactenus locuti ſumus: & ad hoc ſignificandum addidit fortaſſe Diuus Thomas illam particulam *quocunque modo*. Atque hoc ſenſu ſumpta eſt de illa definitio ex prædicto loco Ariſtotelis, dicentis principium eſſe, *Id vnde aliquid eſt*. Conſultò enim videtur abſtinuiſſe à peculiari verbo ſignificante originem, vel alium modum emanationis, vt per illam particulam *vnde*, omnem modum coniunctionis ſeu conſecutionis complecteretur. Addidit verò ad maiorem explicationem principium eſſe, *Id vnde aliquid eſt, aut fit, aut cognoſcitur*, vt ſimul cum deſcriptione generalem quandam diuiſionem principiorum explicaret: ad illa enim tria membra modò commemorata poſſunt omnia principia reuocari, præſertim ea quę ſunt per ſe: nam quæ ſunt per accidens, vix poſſunt ad certam methodũ reuocari, niſi quatenus reducuntur ad ea quæ ſunt per ſe. Sic igitur principia omnia aut ſunt principia rei in fieri, aut principia rei in eſſe: & ad hæc duo membra reducuntur omnia principia rerum, quia Principij generalis quædam diuiſio.

quia non poteſt intelligi in rebus alius ſtatus niſi in A fieri, vel in eſſe: & non ſemper principium effectionis, eſt principium conſtitutionis rei, vt patet in priuatione. Sub principio autem eius quod fit, comprehenditur omne principium motus vel operationis, vt ſic, vel cuiuſlibet rei ſucceſſiuæ: nam iſta omnia habent ſuum eſſe in fieri: ſub principio vero eius quòd eſt, includuntur omnia principia rerum, quæ aliquo modo habent eſſe (vt aiunt) in facto eſſe. Quia verò etiam res ſucceſſiuæ, & actiones ipſæ aliquo modo ſunt, ideò generaliùs ſumendo verbum *eſt*, dici ſolet à Theologis *Principium eſſe id, vnde aliquid eſt*. Atque eodem modo poſſet ſub his verbis comprehendi principium cognitionis, & re vera comprehenditur, ſi cognitio conſideretur quatenus quædam res eſt, quæ fit vel eſt: meritò tamen Ariſtoteles tertium membrum adiunxit de principiis cognitionis, vt ſignificaret non ſemper principium cognitionis eſſe principium rei cognitæ, ſed ſæpè alia eſſe principia rei in eſſe cognito, à principiis eiuſdem rei in eſſe aut fieri. Non addidit autem in ſpeciali principium amandi, quia hoc nullum eſt niſi vel principium eſſendi: vel cognoſcendi. Atque ex his ſatis conſtat tum deſcriptio, tum etiam diuiſio ab Ariſtotele tradita: diuiſio (inquam) dicta, quæ eſt trimembris. Poſt illam verò ſubiungit Ariſtoteles aliam bimembrem, dicens, *aliud eſſe principium intrinſecum, aliud extrinſecum*, quæ eſt ſubdiuiſio priorum membrorum, vt ipſemet ſatis clarè indicat. Atque ad illam trimembrem diuiſionem reuocat omnes acceptiones principii quas ſuprà numerauerat: & omnes alias quæ excogitari poſſunt. Non enim ſolicitus fuit in enumerandis omnibus ſignificationibus ipſius vocis, quod prolixum eſſet & minimè neceſſarium, ſed eas quæ vel erant magis vſitatæ, vel ex quibus aliæ facilè poterant cognoſci. Et ideò ſuperuacaneum cenſeo ſcrupulosè inquirere aliam ſufficientiam illius enumerationis. Quòd ſi quis copioſam de illa re diſputationem requirat, legat Fonſecam lib. 5. Metaph. cap. 1. per quæſtiones ſeptem, præſertim in quarta.

Intrinſecum principium, quod: quod vero extrinſecum.

Analogia principij declaratur.

XIII. TErtiò ex dictis infertur, Principium non dici merè æquiuocè de omnibus membris quæ ſub illo continentur, ſuperiuſque numerata ſunt, quando quidem non tantùm nomen, ſed etiam aliqua ratio nominis eſt illis communis. Dubitari verò ſolet an ſit vniuoca, vel analoga. Ad quod breuiter dicendum eſt non poſſe eſſe vniuocam. Tria enim poſſunt in principio conſiderari, vnum eſt res ipſa quæ denominatur principium: aliud propria relatio ſecundum eſſe, quæ principii ad principiatum concipitur: tertium eſt id quod intelligitur tanquam proxima ratio fundandi illam relationem, quæ eſt conſecutio illa ſeu dimanatio principiati à principio. In nullo autem ex his conueniunt vniuocè ea omnia quæ principia dicuntur. Primum patet, quia principium denominatur non tantùm ens increatum, ſed etiam creatum, nec ſolùm ens reale, ſed etiam rationis: ſed hæc non conueniunt vniuocè in aliqua ratione propria & intrinſeca: ergo. Atque eadem ratio fieri poteſt de ſecundo, nam etiam relatio principii communis eſt ad creatam & increatam, quamuis hanc poſteriorem Philoſophia non agnoſcat. Item ad re- B laliones reales & rationis. Et ex his idem concludi poteſt de tertio: primò quidem, quia tanta eſt varietas in illis rationibus ſeu connexionibus principiatorum cum principiis, vt vix inter ſe conueniant niſi in nomine & proportionalitate aliqua. Secundò, quia quando id quod denominatur principium, eſt ens rationis tantùm, ratio fundandi relationem principii non poteſt eſſe realis: in aliis verò rebus ſæpè eſt vera dimanatio & proceſſio realis. Rurſus hæc interdum eſt creata, interdum increata: eſt ergo in his eadem ratio analogiæ. Tandem, quia principia quæ ſolùm ob ſucceſſionem temporis aut ordinem ſitus, vel aliam ſimilem accidentalem connexionem ſic denominantur, longè diſtant à principiis per ſe, & maximè ab illis, quæ per verum influxum & cauſalitatem talia ſunt. Neque huic analogię obſtat vnitas deſcriptionis datæ: nam termini quibus illa conſtat, adeò ſunt tranſcendentales, vt analogiam in ſe inuoluant. Neque etiam obſtat quòd ferè ſemper abſolutè & ſine addito *principium* dicatur de quocunque ſignificato ſuprà poſito: nam hoc accidere poteſt vel propter B proportionalitatem claram & notam, vel quia ex ſubiecta materia conſtat in qua ſignificatione ſumatur vox: vel certè propter aliquam propriam & intrinſecam rationem principii, iuxta ea quæ inferiùs dicemus de analogia entis.

XIIII. Idē reſpectu diuerſorum & attributionis & proportionalitatis analogam.

Quæret autem fortaſſe aliquis qualis ſit hæc analogia, & de quibus ſignificatis *principium* primariò dicatur. De qua re multa dicunt interpretes dicto libr. 5. Metaphyſic. capitul. 1. Ego tamen breuiter cenſeo hanc analogiam non eſſe vnam ſed multiplicem reſpectu diuerſorum ſignificatorum: non enim repugnat idem nomen primariò ſignificans rem aliquam ad quaſdam alias transferri per attributionem, ad alias verò per proportionalitatem. Vt ſanum primariò ſignificans animal, per attributionem ſignificat medicinam, per proportionalitatem verò pomum integrum & incorruptum. Sic igitur dicendum cenſeo de principii nomine reſpectu ſuorum ſignificatorum. Eſt autem conſiderandum, aliud eſſe loqui de prima impoſitione huius vocis prout ab hominibus facta eſt, aliud de re ſignificata per illam, vt in ſimili diſtinguit Diuus Thomas prima parte, quæſtion. 13. artic. 6. Priori modo exiſtimo hanc vocem impoſitam eſſe ad ſignificandum principium motus, vel temporis, nam quia priores Philoſophi non cognoſcebant niſi res corporales, in eis primum diſtinxerant principium, medium, & finem: hæc autem videntur primùm cognita ex motu ſeu actione aliqua: & ideò verisimile eſt nomen principii, primùm fuiſſe impoſitum ad ſignificandum principium motus vel actionis, vel partem illam magnitudinis à qua incipit motus. Et fortaſſe hoc ſignificauit Ariſtoteles primo loco hanc acceptationem enumerans. Hinc verò deriuata eſt hæc vox per proportionem vel proportionalitatem ad alia ſignificata. C Ordo impoſitionis vocis principium ad ſua ſignificata.

XV. Quid primario, ſecundario quid ſignificet principium.

At vero quantum ad rem ſignificatam principaliùs ſignificat hæc vox principia per ſe quàm per accidens: & ea præſertim quæ ſunt principia per verum & realem influxum, quia in his eſt multò verior & proprior dimanatio vnius ab alio & origo, quam nomen principii præ ſe fert. Hæc autem ratio principii cum cauſalitate coniuncta eſt reſpectu creaturarum, & conuenit tum Deo, tum etiam creaturis. Et hac ratione poteſt de Deo, & creaturis dici ſecun-

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundum analogiam attributionis: verbi gratia esse principium efficiens analogicè dicitur de Deo & creaturis, non secundum proportionalitatem tantùm, sed propter veram & realem conuenientiam, analogam tamen & includentem attributionem, vt inferiùs generaliter explicabimus in analogia entis ad Deum & creaturas. Et idem dici potest de principio finali, vel exemplari. Quomodo verò ratio principii, communis sit principio efficienti, finali, & exemplari, pertinet ad diuisionem de causa in hæc & alia membra, de qua infrà dicemus. In solo autem Deo ad intra (quod Philosophia non agnouit) reperitur vera ratio principii positiui ac per se cum vero influxu seu productione absque causalitate, quæ est altior & mirabilior ratio principii.

XVI. De Deo, vt Dei, & vt creaturarum principium est, qualiter dicatur principium.

Vnde meritò solet à Theologis inquiriri principium in communi, etiam dictum de ipso Deo, vt est principium creaturarum, vel vt vna persona diuina est principium alterius, sit vniuocum, vel analogum. Quidam putât esse analogum, & per prius dici de Deo secundùm emanationes ad extra, quàm ad intra, quia creatura procedit à Deo, non tantùm secundum personam, sed etiam secundùm naturam, & essentiam: & ideò maior ratio principii videtur esse in Deo respectu creaturarum, quàm sit in Patre æterno respectu Filii, cuius personam producit, non naturam. Et confirmatur, quia ratio principii respectu creaturarum est absoluta & essentialis: alia verò relativa & notionalis: ea verò quæ sunt essentialia, ex propriis conceptibus videntur potiora, & priora notionabilibus. Confirmatur secundò, quia potentia simpliciter in Deo prius dicitur de potentia producendi ad extra, quàm ad intra: vnde Deus simpliciter est omnipotens per potentiam operandi ad extra, non verò ad intra, aliàs Spiritus sanctus non esset omnipotens eo quòd ad intra producere non possit. At verò eadem est ratio de principio quæ de potentia, cùm principium sit ratione potentiæ. Atque ita sentit Durand. in 1. distinct. 29. quæst. 1.

Dutan.

XVII.

Aliis verò placet esse analogum, per prius dictum de principio ad intra quàm ad extra, tum quia relatio principij ad creaturas est rationis: inter personas verò diuinas est realis, tum etiam quia principium est vnde aliquid est: sed creatura analogicè est respectu diuinæ personæ procedentis, quia hęc procedit in esse increato, illa in creato: ergo illa processio est longè nobilior, etiam secundùm analogiam: ergo etiam ratio principij quæ illi respondet, per prius dicitur secundum emanationem ad intra quàm ad extra. Atq; huius sententiæ videtur esse D. Thom. 1. part. quæst. 33. art. 1. ad 4. & art. 3. Sed illis locis non agit de nomine principij, sed de nomine *patris*, de quo est longè diuersa ratio. Sed sub nomine principij id expresse affirmat in 1. distinct. 29. quæst. 1. artic. 2. vbi Capreolus, Albertus, Richardus, & alij idem sentiunt.

D. Thom.

Capreol. Richard. Albertus.

XVIII.

Tertia verò sententia esse potest hoc nomen *principium* esse vniuocum ad illas duas rationes: non enim repugnat idem nomen quod est analogum respectu plurium, esse vniuocum respectu aliquorum, vt per se constat, & infrà tractando de communitate entis & accidentis latiùs dicemus. Quòd autem ita sit in præsente quoad hanc partem de qua agimus, probatur quia hic non interuenit analogia proportionalitatis, nec attributionis. Prior pars probatur, tum quia aliàs solùm per translationem diceretur A Deus principium creaturarum, non per proprietatem, tum etiam quia Diuus Thomas suprà expresse fatetur dari vnam rationem communem originis processioni creaturarum à Deo, vel vnius personæ diuinæ ab alia, quæ est, *aliquid ab aliquo esse*: & sic etiam dari vnam communem rationem principii: in analogia autem proportionalitatis, non est vna communis ratio. Secunda autem pars probatur, quia Deus vt dicitur primum principium creaturarum, non refertur ad se vt est principium personarum: ergo nulla potest ibi esse analogia attributionis. Item, quia aliàs Spiritus sanctus diceretur principium creaturarum per attributionem ad Patrem, vel ad Filium, quod videtur satis absurdum. Item quia hîc cessat ratio analogiæ attributionis, quæ esse solet inter Deum & creaturas, nimirum quòd omne esse seu omnis perfectio creaturæ primariò est in Deo, & ab illo pendet: hîc autem vna ratio principii non causatur ab alia, neque ab illa pendet: imò nec emanatio creaturarum per se pendet ex dimanationibus diuinarum personarum: quia multitudo personarum B non erat per se necessaria ad productionem ad extra: cessat ergo in præsenti omnis ratio analogiæ attributionis.

XIX.

In hac re distinguenda videntur illa tria, quæ suprà in omni principio distinximus, scilicet relatio principii, proxima ratio talis relationis, & id quod principium nominatur. Quoad primum non est dubium quin hîc sit analogia, quia relatio principii Dei ad creaturas est rationis: personæ autem diuinæ producentis ad productam est realis. Et hunc sensum declarauit expresse Scotus distinction. 29. quæstion. 1. Imò hæc analogia, vel non est attributionis, sed proportionis tantùm: vel saltem si est attributionis, non est secundum communem conceptum: quia hic nullus est ad ens rationis, & reale.

XX.

Quoad secundum etiam existimo probabiliùs rationem principii actualis dici analogicè, & principaliùs de Deo secundum processiones ad intra, quàm ad extra, propter rationes adductas. Est autem hæc analogia attributionis, & non solùm proportionis, sicut est analogia entis, & C aliorum attributorum quæ de Deo & creaturis propriè dicuntur. Nam hæc analogia principii fundatur in analogia quæ est inter creationem, & processiones diuinarum personarum in ratione originis seu emanationis. Quia si productiones non conueniunt vniuocè in communi ratione productionis, nec ratio principii potest esse vniuoca, præsertim cùm esse hoc modo actuale principium creaturarum non conueniat, Deo nisi per denominationem extrinsecam ab emanatione creaturæ ab ipso. Quod autem ratio processionis analoga sit respectu creatæ, & increatæ, quodque per prius dicatur de processione increata, probatur primò ex generali regula diuinorum attributorum, quæ propriè semperque per prius de Deo dicuntur: vt infrà probaturi sumus. Habet autem verum non tantùm in essentialibus, sed etiam in personalibus: nam persona analogicè dicitur de creata & increata: & Pater, aut Filius, dicuntur analogicè de diuinis personis & humanis.

XXI.

Secundò, quia etiam in hac ratione est aliquo modo necessaria dependentia, & anteceſſio naturalis inter origines ad extra, & ad intra. Nam licet creatio ex parte sua per se non requirat Trinitatem

nitatem personarum, & consequenter nec processiones ad intra: ex parte tamen Dei per se ac necessariò illas requirit, & ab eis suo modo pendet. Tum quia omnis effectio per se pendet à persona agente: in Deo autem non potest esse persona sine productione, vel processione ad intra. Tum etiam, quia creaturarũ productio ex se pendet ex intelligentia & amore: non potest aũt esse in Deo intelligentia sine Verbo, nec amor sine Spiritu sancto. Et iuxta hanc considerationem dixit D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 6. *Processiones personarum esse rationes productionis creaturarum*, & in respons. ad primum addit quòd *processiones diuinarum personarum sunt causa creationis*. Atque ita solutum manet fundamentum, quod referendo tertiã sententiam attulimus contra hanc partem. Fundamentum autem Durandi nil obstat, imò declarat, processiones diuinarum personarum, cùm sine vlla dependentia vel imperfectione, esse adeò eminẽtis rationis, vt non possint cum creatis productionibus vniuocè conuenire. Quòd ergo in persona producta, essentia non producatur sed communicetur tantùm; nõ minuit veritatem productionis, sed potiùs pertinet ad infinitam perfectionem eius. Sicut B quòd Pater æternus producat Filium, non tantùm similem in natura specifica, sed etiam eiusdem numero naturæ, non minuit veritatem generationis, sed pertinet ad infinitam perfectionem eius, vt optimè annotauit D. Tho. 1. part. quæst. 41. art. 5. ad 1.

D. Thom.

XXII.

Quod verò ad tertiam attinet, id est, ad id quod principiũ denominatur, si omnino materialiter (vt ita dicam) sumatur, clarum est non posse intercedere analogiam, neq; esse aliquid prius quam id quod primum principium creaturarum denominatur. Neq; etiam esse potest aliquid perfectius, quàm id quod ex parte talis principii est radix & origo talis denominationis; est enim infinita perfectio eius. Imo etiã si nõ adeò materialiter de illo principio loquamur, sed formaliter quatenus est (vt sic dicam) principiũ in potentia, sic etiam existimo rationẽ principii non posse dici minùs propriè aut per posterius de Deo vt est principium creaturarum: & hoc persuadent nõ nulla argumenta facta in prima & tertia opinione. Et maximè quod hæc denominatio est absoluta, æterna, & essentialis: sumitur enim ex attributo omnipotentiæ, potentia autem Dei in ratione potentię, C actiuæ, vel productiuæ non est analogicè potentia, sed primariò ac principaliter. Ratio ergo principii prout ab illa præcisè sumitur, nõ potest esse analoga.

XXIII. Diuisio obiectionis.

Dices. Ergo potẽtia non dicitur analogicè de potentia creandi, & generandi, vel spirandi: consequẽs autem videtur falsum, nã talis est potentia, qualis est actio vel productio, sed productio est analoga, ergo & potentia. Respondeo primũ concedendo non esse talem analogiam, quæ posterius dicatur de potentia creandi: quia, vt dixi, potentia effectiua Dei non potest esse analogicè potentia: quia per nullũ proportionem aut attributionem ita nominatur; & quia est prima ac perfectissima potẽtia. Vnde addo vel quoad hoc esse vniuocationem, vel si est aliqua analogia vt fortasse est, per prius potentiam productiuam dici de potentia creãdi, &c. quàm generandi, &c. Ratio est, quia formalis ratio potentiæ, quæ actum primum ad producendum significat, cũ omni proprietate & perfectione reperitur in Deo respectu creaturarum: respectu autem internarum originũ, vel diuinarum personarũ procedentium, magis est secundum modum concipiendi nostrum, quàm secũdum rem. Quia in re non tam est actus primus quàm vlti- A mus respectu internarum processionũ, vt latiùs infrà constabit tractando de scientia, voluntate, & potentia Dei. Ratio autem est, quia potentia Dei respectu creaturarum est ad emanationem transeũtem re ipsa distinctam, & non necessariò fluentem à tali potentia: & ideò illa est propriissimè potentia & actus primus respectu talis emanationis: at verò potentia generandi vel spirandi est secundùm processionem immanentem, quæ in re non potest esse tantùm in potentia, sed semper in actu, nec potest esse in re distincta ab eo quod à nobis concipitur per modũ potentiæ, quantum ad absolutam perfectionem eius, vt constat ex D. Thom. 1. par. quæstion. 41. artic. 5. & ideò secundum rem & veritatem propriùs dicitur potentia de creatiua, quàm de generatiua, &c.

Neque obstat quòd origo, vel productio sit a- XXIIII. naloga: tum quia potentia Dei non sumit rationem suam ex habitudine ad extrinsecum, sed ex sua essentiali & absolutissima perfectione: tum etiam quia ad excellentiam diuinæ potentiæ absolutè sumptæ pertinet vt neque ex necessitate sit coniuncta suæ actioni, nec etiam possit habere actionem sibi adæquatam seu eiusdem ordinis: atque ita fit vt imperfectio quam essentialiter includit productio seu dependentia creaturæ, non solùm non diminuat perfectionem, & proprietatem potentiæ Dei ad agendum extra se, sed etiam sit manifestum indicium infinitæ perfectionis eius. Econtrario verò excellentia internarum originum indicat summam & infinitam perfectionem & proprietatem actuum immanentium Dei, & consequenter aliquo modo minuit proprietatem potentiæ in actu primo, vt declaratum est. Atque hæc sint obiter dicta propter declarandam exactè analogiam principii. Illud vero magis Theologicum est quod quæri solet an principium dictum intra Deum de generante, & spirante sit vniuocum, vel analogum: in quo ego censeo cum Scoto loco suprà citato esse vniuocum, sicut est relatio vel persona, neque in his quę cum omni proprietate dicuntur de diuinis personis intelligo analogiam, vel attributionem, cum ibi nulla sit dependentia, aut imperfectio, vel prioritas naturæ. Rursus quæri solet vtrum principium ad extra dictum de Deo vt creante, vel operante ex præsuppositа materia, sit analogum: quod aliqui sentire videntur: ego verò censeo esse vniuocum: quia effectio vniuocè dicitur de creatione, & eductione, præsertim quæ à Deo fit vt à primo agente, sed de his hæc sunt satis.

Principium generatiuũ, & spiratiuũ an dicantur vniuocè.

Principium de Deo creãte, & operãte ex subiecto qualiter dicatur.

Principalis quæstionis resolutio.

XXV. Principium latius patet, quam causa. D. Thom.

VLtimò ex dictis colligitur respõsio ad quæstionem propositam, propter quam tam multa de principio diximus, scilicet, principiũ & causam non esse omnino idẽ, nec reciprocè dici, sed principium cõmunius esse q̃ causam. Ita docet expresse D. Tho. 1. p. q. 33. art. 1. ad 1. inde rationẽ sumens cur in Deo vna persona dicatur principiũ alterius, & non causa. Idẽ habet in 1. dist. 29. ar. 1. in corp. & ad 2. & de potẽt. quæst. 10. art. 1. ad 9. & est cõmunis sententia. Quam rectè probãt rationes dubitandi positæ in principio in tertio loco, & ex omnib. dictis de principio manifestè cõstat. Nã *Principium* dicitur etiã de eo qui propriè non influit in alium, causa verò minimè. Item hinc fit vt principium non tantùm entib. realib. sed etiam entib. rationis seu priuationi conueniat: causa verò non itẽ. Est ergo hęc conclusio manifesta cõparãdo causam ad principium in tota sua generalitate: si verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

si verò comparetur ad principium verè ac per se influens aliquod esse in eo cuius est principium, est etiam vera conclusio, tamen ita difficilis, vt non possit cognosci lumine naturæ, quia in solo Trinitatis mysterio reperitur talis principii modus, & ideò difficilè est discrimen & rationem assignare, de quo dicemus sectione sequenti.

Soluuntur argumenta.

XXVI. An principiũ & causam idem Aristoteles reputauerit.

AD primum testimonium Aristotelis initio positum multi respondent per illam regulã dialecticam, exemplorum non requiri veritatem: in eo enim loco obiter & gratia exempli posuit Aristoteles principium & causam. Sed hæc dura interpretatio est, vel modesta potiùs concessio Aristotelici lapsus. Alii exponunt nomen causæ ibi nõ accipi propriè, sed vulgari modo, prout de quacunq; occasione vel conditione necessaria dicitur. Sed hæc etiam expositio habet difficultatẽ infrà attingendam, nam nomen causæ etiam vulgariter sumptum nunquam tam latè patet sicut *principium*. Dici ergo potest, Aristotelem duo ibi dicere de ente & vno. Primum est, esse idem. Secundum est, conuerti inter se: cùm ergo Aristoteles ait, *sicut principium & causa*, non comparat ea in secundo, sed in primo; intendit enim docere ens & vnum esse idem re, non tamen ratione: & ad hoc inducit exemplum dicens quòd se habent sicut principium & causa, non sicut tunica & vestis: vnde immediatè post illa verba *principium & causa* subdit, *sed non vt quæ vna ratione dicuntur*. Vel si in vtroque fiat comparatio, non oportet vniuersaliter intelligi de principio & causa, sed indefinitè: quod aliquando principium & causa, licet mutuò consequantur, ratione differant, verbi gratia principium & causa efficiens.

Varij Aristotelis loci ad id expendun tur.

XXVII. Ad secundum testimonium ex quinto Metaphysicæ respondent aliqui etiam ibi sumi nomen causæ lato & vulgari modo. Sed hoc apertè est contra mẽtem Aristotelis, cùm distinctè tractet de principio & causa: & vtriusque significata Philosophicè & propriè exponat. Alia expositio est, cùm Aristoteles ait, tot modis dici causam, quot principium, non esse intelligendum positiuè, sed negatiuè, id est causam non dici aliis modis, quàm his quibus dicitur principium, licet non necesse sit dici omnibus illis modis. Et quidem licet proprietas illius vocis *tot modis* refragari huic expositioni videatur, tamen ratio quam Aristoteles subiungit, videtur cogere ad illam admittendam: subdit enim: *Quoniam omnes causæ principia sunt*. Ex qua ratione ineptissimè inferretur, causam dici omnibus modis quib. dicitur principium: esset enim argumentari à superiori ad inferius affirmatiuè: vt si quis colligeret, *Omnis substantia est ens: ergo quot modis dicitur ens, totidem dicitur substantia*.

XXVIII. Alens.

Aliam verò expositionem indicat Alexand. Alens. scilicet tot modis dici principium quot dicitur causa, quia omnis causa est principium. Ita vt post enumeratas significationes principii subiunxerit Aristoteles quasi generalem regulam, quòd principium etiam dicitur omnibus modis quibus dicitur causa, quamuis non illis solis. Et iuxta hunc sensum optimè quadrat ratio Aristotelis: tamen vix potest accommodari ad priora verba. Alia expositio indicatur à Diuo Thoma, scilicet, principii acceptiones ibi numeratas tot conuenire causæ, quamuis non sub eadem ratione: nam ex causa incipit motus, & sic de aliis. Iuxta quam expositionem probatio Aristotelis aliter est inducenda, scilicet, vt inde confirmet, illas acceptiones habere locum in principio, quia etiam habent locum in causa, quia omnis causa principium est: inde tamen non sequitur causam & principium reciprocè dici, quia licet acceptiones ibi numeratæ secundum alias rationes possint causæ accommodari, tamen principium latiùs patet, quia dicitur omnibus illis modis quibus dicitur causa, & secundum propriam rationem causæ: & præterea dicitur aliis modis secundum generalem principii rationem.

A

Ad tertium testimonium ex 12. Metaphysicæ, vbi Aristoteles priuationem vocat causam, communis omnium & necessaria expositio est ibi fuisse vsum nomine causæ vulgari modo, prout causa dicitur quidquid ad aliud quouis modo requiritur. XXIX.

Sed dicet aliquis; Ergo si verè, & cum proportione loquamur, fatendum est, principium & causam reciprocè dici, nam si vtrumque in tota sua amplitudine, & analogia, & vulgari vsu sumatur, conuertuntur: si autẽ strictè & cum omni proprietate causa sumatur, etiam conuertitur cum principio eodem modo sumpto. Si verò causa sumatur propriè, & principium latè; & ideò dicatur principium generalius esse quàm causa, impropria sit comparatio: & eadem ratione dici posset causa latiùs patere quàm principium, quia si causa largè sumatur & principium propriè, latiùs patebit. Respondeo negando vtramque partem assumptionis: nam comparando principium proprium ac per se ad propriam & per se causam, communis est principium, vt patet Theologicè in principiis diuinarum processionum, & Physicè in priuatione. Et sumendo vtrumq; in sua latissima significatione, etiam existimo principium esse quid communius. Nam licet causa sic sumpta plura comprehendat quæ non sunt propriè, verè, ac per se causæ; tamen nihil comprehendit quod sub generali significatione principii non contineatur: principiũ verò aliqua complectitur quæ nullo modo dicuntur causæ, etiam vulgari sermone: primogenitus enim vocatur principium filiorum, non tamen causa vllo modo.

B

Ad modum loquendi Patrum Græcorum respõdetur vsurpasse nomen causæ latiùs, quàm in Latina proprietate possit aut debeat vsurpari: re tamen ipsa non attribuisse nomen causę personis diuinis ad intrà quatenus propriè dicit relationem ad effectum, & in eo indicat aliquam imperfectionem: sed solùm vt dicit originem vnius ab alia. XXX. Græci Patres causæ nomen nego personis diuinis attribuisse.

C

Ad rationem, Theologi negãt Principiatum esse correlatiuum Principium Filii, negant tamen Filium esse principiatum à Patre. Ita D. Thomas 1. part. quæst. 33. art. 1. ad secũdum, & alii communiter. Iuxta quem loquendi modum, correlatiuum principii erit, id quod est ab alio. Quæ sententia meritò approbata est à Theologis Latinis ob reuerentiam mysterii Trinitatis, & ad tollendam occasionem erroris: nam principiatum videtur signicare aliquid factũ, vt suprà argumentabamur, vel etiam indicat idem, quod initiatum, & consequenter indicat initium essendi. Omisso verò illo mysterio, & ablata vocis inuidia, si nomine principiati solùm significetur id quod est correlatiuum principii, sic negatur idem esse principiatum quod causatum, vel effectum: sed significare tantùm id quod ab alio est, vel quod habet principium, non durationis (hæc enim æquiuocatio etiam tollenda est) sed vel originis, vel cuiusuis alterius modi. Atque in hoc sensu sunt expli- XXXI. Principiatum an aliquid diuinis, & quod pro- pri conue- nium.

candi Græci, qui, vt D. Thomas suprà refert, admittunt Filium principiari à Patre.

XXXIII. Soluuntur quæ probant eandem principio latiore.

Ad argumenta secundò loco facta, quibus probatur causam latiùs patere quàm principium, respondetur Aristotelem in primo testimonio non loqui generatim de principio, sed de primo principio in aliquo ordine; quod habeat influentiam & causalitatem. De quo principio ibidem dixerat, *licet magnitudine paruum sit, facultate esse magnum*. Et de hoc primo principio negat habere causam superiorem, scilicet in illo ordine. Nam solùm primum principium absolutè & in tota latitudine entis nullam habet causam. Et eodem sensu in 1. Physic. ponit in definitione principiorum entis naturalis quod *non sint ex aliis*: eo scilicet modo, quo ens naturale est ex ipsis, quia illa sunt prima principia in illo ordine. De quibus principiis vt principia sunt, & eorũ propria definitione in Philosophia disputandum est: vt verò aliqua eorum sunt causæ, de illis dicetur inferiùs.

SECTIO II.

Verùm sit aliqua communis ratio causæ, & quænam & qualis.

I.

EX Aristotele nullam causæ in communi definitionem habemus: posteriorisverò Philosophi in ea assignanda laborarunt, vtà communi ad proprias rationes singularum causarum explicandas meliùs procedatur, simulq; declaretur qualis sit conuenientia causarum inter se. Supponendũ autem est sermonem esse de causa in actu formaliter vt causa est: sicut enim suprà de principio dicebamus, ita etiam in causa tria considerari possunt, scilicet res quæ causat; causatio ipsa (vt sic dicam) & relatio quæ vel consequitur, vel cogitatur. De hoc tertio membro nihil in tota materia tractandũ est: habet enim inferiùs suum proprium locum in materia de relatione. De aliis verò duobus dicturi sumus: primò autem de causatione ipsa, per quam formaliter constituitur causa in actu, & ex qua nobis innotescit causa ipsa, seu virtus causandi.

II. Prima causæ definitio reprobatur.

Prima igitur definitio hæc tradi solet, *Causa est id per quod satisfit interrogationi, qua inquiritur propter quid aliquid sit, seu fiat*. Quæ sumi potest ex Aristotele 2. Physic. cap. 7. vbi sufficientiam causarum probat ex eo quòd per illas satisfit omnibus modis quib. quæri solet propter quid res sit: significat ergo causam esse id per quod satisfit quæstioni propter quid. Vnde constat dictionem *propter quid* non sumi illo speciali modo quo solet dici de causa finali, sed generaliùs, vt comprehendat omnes causas. Hæc verò definitio nihil ferè rem declarat; nam æquè obscurum est quid significet illud verbum *propter quid*: nam si rectè sumatur, solùm significat habitudinem causæ finalis, & illam ipsam non satis declarat, vt posteà videbimus. Si verò sumatur fusiùs, comprehendit varios modos qui illis vocibus significantur, *ex quo, per quid, à quo aliquid est*: vnde solùm imponitur nomen commune, non tamen explicatur communis ratio. Addo illam vocem in ea generalitate etiam posse comprehendere principia quæ non sunt causæ, sicut Christus dixit Ioann. 6. *Ego viuo propter Patrem*: vbi non habitudo causæ, sed principij tantùm significatur.

B

C

III. Secunda cau. definitio refutatur.

Secunda definitio, & valde communis est, *Causa est id ad quod aliud sequitur*. Quæ referri solet ex libr. de Causis, vbi non reperitur; & potiùs videtur sumpta ex definitione principij suprà declarata ex Aristotele 5. Metaphysic. Nam quod Aristoteles posuit *primum* loco generis, in illa definitione causæ ponitur per terminum magis transcendentalem, scilicet *id*: reliquæ verò particulæ, scilicet *ad quod aliud*, manifestè æquiualent illis verbis Aristotelis, *vnde aliquid*. Denique quod Aristoteles sub disiunctione dixit, *est, aut fit, aut cognoscitur*, satis confusè comprehenditur sub vnico verbo *sequitur*: in hoc enim verbo non potest significari sola consecutio per illationem, alioqui conueniret definitio etiam effectibus, ex quibus inferuntur causæ: oportet ergo, vt generatim quamcunque connexionem vel consecutionem significet. Atque ex hac ipsa expositione sumitur potissimum argumentum contra ipsam definitionem: quia illa definitio non tam est causæ, quàm principii: vnde etiam conuenit priuationi: nam ex illa sequitur mutatio, nisi fortè dicatur, verbum *sequitur* intelligendum esse per influxum & dependentiam: quo sensu constabit quidem, definitio erit tamen valde obscura.

Quæstionis resolutio.

IIII. Causæ germana quæ- quaque de scriptio.

TErtia definitio est, quam potissimè afferunt aliqui moderni *Causa est id à quo aliquid per se pendet*. Quæ quidem, quod ad rem spectat, mihi probatur: libentiùs tamen eam sic describerem, Causa est *Principium per se influens esse in aliud*. Nam loco generis existimo conuenientiùs poni illud nomen commune, quod propinquiùs, & immediatiùs conuenit definito: hoc autem modo comparatur principium ad causam: nam ens, & illud relatiuum *id*, quod absolutè positum illi æquiualet, remotissimum est. Per illam autem particulam, *per se influens*, excluditur priuatio, & omnis causa per accidens; quæ per se non conferunt, aut influunt esse in aliud. Sumendum est autem verbum illud *influit*, non strictè, vt attribui specialiter solet causæ efficienti, sed generaliùs, prout æquiualet verbo dandi, vel communicandi esse alteri. Obiiciunt autem quidam contra hãc partem quòd causa materialis non dat esse, sed formalis; inter extrinsecas verò finalis non dat esse, sed efficiens. Sed, licet speciali modo attribuatur illis duabus causis dare esse, formæ vt complenti proprium & specificum esse, efficienti verò vt realiter influenti, tamen absolutè, & sub communi ratione, etiam materia in suo genere dat esse, quia ab illa depẽdet esse effectus; & ipsa dat suam entitatem, qua constituatur esse effectus: causa etiam finalis eo modo quo mouet, influit etiam in esse, vt posteà declarabitur.

V.

Ad declarandam verò amplius hanc partem definitionis, aduertẽdum est si Philosophicè ageremus de solis causis & principiis naturalibus, seu quæ naturali lumine cognosci possunt, sufficienter videri causam definitam illis verbis, & distinctam ab omnibus principiis, quæ veræ causæ non sunt: quia tamen nostra Physica & Metaphysica deseruire debẽt Theologiæ, talem oportet causæ definitionem tradere, quæ Patri æterno vt est principium Filij, vel Patri & Filio vt sunt vnum principium Spiritus sancti, non conueniat: & hoc est quod facessit nobis negotium, nam persona producẽs videtur principium per se influens esse in aliam personam, atque ita videtur illi conuenire tota definitio causæ, cùm tamen causa non sit, vt ex recepta sententia Theologorum constat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Difficultas ex mysterio Trinitatis sumpta.

V. AD excludendum ergo huiusmodi principium per se dans esse sine causalitate: vsi sunt authores moderni verbo, *dependendi*, quia vna persona diuina ita recipit esse ab alia, vt ab illa non pendeat, quia id quod ab alio pẽdet, oportet vt habeat essentiam saltem numero diuersam ab eo à quo pendet. Sed inprimis explicare oportet quid sit propriè vnum pendere ab alio, aut cur ad dependendum requiratur diuersitas essentiæ, & non sufficiat distinctio rerum, quę necessariò intercedit inter rem producentem & productam; quia non apparet ratio cur maiorem distinctionem requirat verbum dependendi, quàm procedendi. Item vnum relatiuum propriè dicitur pẽdere ab alio, quia illo posito ponitur, & ablato aufertur, & tamen non est de necessitate relatiuorum vt sic habere distinctam numero essentiam: nam personæ diuinę sunt correlatiuæ, cùm tamen sint eiusdem essentiæ. Quòd si dicantur esse eiusdem essentiæ absolutæ, distingui tamen in rationibus respectiuis, idq; satis esse ad correlatiuam dependentiam: cur non idem sufficiet ad depẽdentiam producti à producente: non enim producitur quatenus est idem cum producente, sed quatenus ab eo distinguitur: vt sic autem habet distinctam entitatẽ respectiuam receptam ab alio: ergo secundum illam verè pendet ab alio. Adde quòd secundum propriam rationem respectiuam habet persona producta distinctum esse personale ac respectiuum à persona producente: & illud habere non potest nisi ab alio datum: ergo in illo verè pendet ab alio. Quid est enim pendere ab alio in aliquo esse, nisi non habere illud à se, sed datum & communicatum ab alio, à quo semper dari debeat vt semper haberi possit?

VI. Quid sit propriè ab alio pendere.

Ad hoc ergo explicandum dixi, causam esse quæ influit esse in aliud: his enim verbis eadem res declaratur quæ importatur in verbo *dependendi*: significatur autem per illa, ad causalitatem necessarium esse vt illud esse quod causa per se primò influit in effectum, sit causatum ab ipsa causa; & consequenter quòd sit esse distinctum à proprio esse quod causa in se habet. Vnde hoc est propriè pendere in suo esse ab alio, habere scilicet esse distinctum ab illo, & participatum seu aliquo modo fluens ab esse illius. Hũc autem modum dependentiæ inueniri in omnibus causis, quas nos experimur, ostendi breuiter potest in omni causarum genere. Nam materia & forma influunt esse in composito, communicando quidem se ipsas, & suas entitates: esse tamen compositi quod inde cõsurgit, distinctum est ab esse, tum materiæ, tum formæ: & ideò ab illis propriè pendet, quia ad illud constituendum vnaquæque confert suum esse: & inde consurgit esse à qualibet earum distinctum, quod sine illis esse non potest. Idem constat in causa efficiente (omissa pro nunc finali: quæ obscuriorem habet influxum, de quo infrà videbimus) omnis enim res, quæ influit esse in aliud per modum principij per se & extrinseci, extra mysterium Trinitatis, dat illud efficiendo ipsummet esse, quod communicat: & ideò semper dat esse distinctũ ab esse proprio quod in se habet: & hoc est propriè causare & efficere: Et ecõuerso tum propriè res producta pendet in eo genere efficientis causæ, quando ipsum esse, quod ab alio habet per se primò receptum, manat ab esse alterius, & sine tali influxu esse non potest. In processionibus autem diuinarum personarum, non ita contingit, quia illud esse quod

Diuinæ personæ productæ quare à producente non pendeãt.

A per se primò per illas productiones communicatur, non est aliud ab ipso esse personæ producentis, sed est ipsummet numero quod est in persona producente: & hoc est singulare & admirabile in illis diuinis processionibus: & ideò ita vna persona procedit ab alia, vt tamen ab illa recipiat esse omnino independens, quia recipit ipsummet esse numero quod est in persona producente.

VII. Occurritur obiectioni.

Neq; obstat quòd relationes ipsæ distinctæ sunt, & habent proprium esse relatiuum distinctum, quia nõ esse relatiuum vt sic, sed esse absolutum, & essentiale, per se primo communicatur per illas processiones. Procedit enim Deus de Deo, & Pater, generãdo Filium, primariò communicat ipsi suam naturã, relatio verò requiritur tanquã proprietas necessaria ad constituẽdam distinctam personã; quod est quasi materiale (vt sic dicam) in omni productione. Sicut in generatione humana quòd per se primò ac formaliter intenditur, est communicatio humanæ naturæ, & humani esse: consequenter verò est requisita personalitas. Ratio ergo productionis principaliter pẽsanda est ex formali esse per se primò communicato. Vnde generatio Christi vt hominis fuit verè B humana propter verum esse humanę naturę, etiamsi personalitas fuerit alterius rationis. Sic igitur, quia generatio diuina talis est, vt esse quod per se primò per illam communicatur, non sit manãs ab alio esse, & ideò nec pendens nec causatum, sed communicatum tantùm à persona producente, ideò generatio illa non est effectio neq; causatio (vt sic dicam) sed productio longè superioris rationis. Accedit quòd ipsummet esse relatiuum illarum personarum tale est, vt essentialiter includat totũ esse diuinum, quòd essentialiter est independens, & ideò neq; ipsum esse relatiuum potest dici dependens.

VIII. Vnum relatiuum creatum, quia prius ab alio non pendet.

In relationibus verò creatis dicitur interdum vna relatio pendere ab alia, quatenus sine illa esse nõ potest. Sed est impropria & lata locutio, quia vbi est dependentia prout nunc propriè loquimur, est prioritas naturę, relationes autem mutuæ sunt omnino similes, minusque improprię diceretur relatio creata pẽdere à suo termino, si supponatur esse aliquid absolutum, quia posito fundamento & termino resultat relatio. Ex quo fit vt in creatis multo minùs dici C possit vna relatio influere in aliam, quoniã vna non est causa, imò nec principium alterius, sed solùm habẽt necessariam simultatem seu concomitantiam. In diuinis verò licet vnum relatiuum procedat ab alio, non tamen per dependentiam, nec per influxum diuersi esse essentialis, quod per se primo per talem productionem communicetur.

IX.

Ad declarandam ergo hanc proprietatem causæ, diximus esse *principium quod influit esse*, quia oportet vt ipsummet esse sit causatum, & consequenter essentialiter distinctum ab esse ipsius causæ. Ad quod etiam indicandum consultò addidi particulam *in aliud*, & non, in aliquẽ vel in alium, nam *aliud* absolutè & propriè non dicitur nisi de eo quod est in essentia diuersum. Quòd autem causa includat hanc proprietatem & requirat talem modum influxus, non aliter probari potest, quàm ex communi notione & vsu huius vocis, maximè apud Latinos. Item ex correlatiuo, quod communiter censetur esse effectus, quę vox apertè indicat imperfectionem & dependentiam in eo rigore quem declarauimus; quare certum est personam diuinam productam non posse dici effectum, alioqui diceretur etiam facta, quod est contra fidem, vt constat ex Symbolo. Tandem, quia ex re ipsa

Modi terminates, quam. respectu terminatorum, causalitatem excedant.

A tia aliquod compositum, vt est punctum respectu lineæ, & subsistentia creata respectu suppositi, &c. De quibus omnibus dicendum est rectè probare reduci quidẽ ad aliquod genus causæ intrinsecæ, id est formalis vel materialis, quomodo autem, & in quo, aliquando deficiant à proprietate talium causarum, & præsertim in dicto mysterio, pendet ex his quæ de his causis in particulari dicenda sunt.

Causalitas quid.

XII. EX his quæ de ratione causæ in cõmuni diximus, colligitur primò, quid sit id quo causa in actu formaliter & proximè constituitur in esse causæ: quod solet vocari *causatio* vel *causalitas* in communi; hoc autem nil aliud est quàm influxus ille, seu concursus, quo vnaquæq; causa in suo genere actui influit esse in effectum: hic verò concursus necessariò oportet vt sit aliquid distinctum in re seu ex natura rei à relatione ipsius causæ, cùm possit res illa quæ causa denominatur, in re manere sine hoc actuali influxu: quod est certum signum distinctionis ex natura rei, vt in superioribus visum est. Non potest autem hic influxus esse sola ratio prędicamentalis causæ ad effectum: nam hæc, qualiscunq; illa sit, resultat ex ipso influxu causæ vt terminato ad effectum, eo scilicet modo quo dici solet, posito fundamento & termino, cõsurgere relationem; est ergo ille influxus aliquid prius relatione: & secundum illum etiã causa est prior natura suo effectu, cùm tamen secundum relationem sint simul natura. Est igitur ille influxus aliquid medium inter entitatem, & relationem causæ: quid autem illud sit & an sit aliquid in ipsa causa vel in effectu, & an sit aliquis modus distinctus ab illis, vel tantùm denominatio ex vtroq; desumpta, nõ potest hic distinctiùs explicari, donec ad singula causarum genera declaranda veniamus. Et idem est de quibusdam proprietatibus vel conditionibus, quæ communem rationem causæ comitari videntur, & in diuersis causis diuersimodè reperiuntur, vt esse priùs natura, distingui realiter, vel essentialiter ab effectu, &c.

Causæ vnicus obiectiuus conceptus.

XIII. SEcundò colligi potest ex dictis, nomen causæ non esse mere æquiuocum, cùm non tantũ nomen, sed etiam aliqua ratio nominis communis sit. An verò huic nomini secũdum illam definitionem correspondeat vnus conceptus tam formalis quàm obiectiuus causæ in communi; in controuersia est: nam quidam existimant non correspondere huiusmodi conceptum vnum, quia modi quibus effectus pendent à causis in diuersis generibus causarum, ita sunt primò diuersi, vt ab eis vna communis ratio dependentiæ abstrahi non possit. Sed hoc neq; ab ipsis probatur, neq; mihi videtur admodum verisimile, nã ex omni reali conuenientia potest abstrahi conceptus communis, inter causas autem nõ solùm est proportionalitas aliqua Metaphorica, alioqui non de omnibus illis causa cum proprietate diceretur, sed est vera & realis conuenientia, vt ex definitione data, & expositione eius confirmari etiam potest; & ex his quæ de conceptu entis diximus, multa hic applicari possunt. Non est ergo cur negetur vnus cõmunis conceptus causæ. An verò secundum illum sit vniuocatio vel aliqua Analogia, constabit melius post traditã diuisionem causæ, & explicata singula membra, ac modos causandi: & ideò illud omittemus, donec causas ipsas inter se conferamus.

Vide dicta in 2. to. 3. p. di. sput. 1. sect. 3.

Divinũ Verbum cum humanitate qualiter ad Christi constitutionem concurrat.

XI. Lege quæ diximus 1. to. disp. 2. sect. 1.

Y 2 SE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO III.

Quotuplex sit causa.

I. Aristoteles.

CElebris est illa diuisio causæ in quatuor causarum genera, scilicet materialis, formalis, efficientis, & finalis: quam tradit Aristotel. 5. Metaphys. cap. 2. & libr. 2. Physic. cap. 3. & sequentibus: cuius diuisionis expositio omnino pendet ex singulorum membrorum exacta intelligentia, quàm in toto hoc tractatu latè prosequemur: & ideò nunc in communi solùm proponemus ea quæ circa hanc diuisionem dubitari possunt, & ea breuiter expediemus. Primùm est an omnia illa membra verè ac propriè sub diuiso contineantur. Secundum, an inter se distinguantur, & opponantur. Tertium, an sufficienter comprehendant totum diuisum. Quartum an proximè & immediatè causa in illa membra diuidatur, vel possit aliqua diuisio media excogitari. Quintum, an illa diuisio sit infima seu atoma, an possint singula membra in alia diuidi. Sextum, an sit vniuoca, vel analoga.

Quatuor propria causarum genera.

II. Ab experimẽto probatur assertio.

AD primam dubitationem dicendum est omnia illa verè ac propriè rationem causæ participare: & ideò meritò causam in illa quatuor membra diuidi. Hęc assertio præter communem omnium consensum post Aristotelem, sic probatur. Nam quòd illa quatuor in rebus, seu effectibus quos experimur, inueniantur, facilè declarari potest, supponendo, aliquid nouum in rerum natura fieri: quod est tam euidens ex perpetua rerum vicissitudine, alteratione, generatione, ac corruptione, vt illud argumentis probare, superuacaneum sit. Si ergo fit aliquid de nouo, necessaria est aliqua alia res à qua fiat, quia non potest idem facere seipsum: & hanc vocamus efficientem causam. Quæ vel producit suum effectum ex nihilo; vel ex aliqua re quam ad suam actionem præsupponat: primum non potest in vniuersum dici, nam experimento constat, neque artificem facere statuam nisi ex ligno aut ære, neque ignem calefacere nisi aliquid ei supponatur quod calorem suscipiat, neque efficere ignem nisi ex ligno, stupa aut alia re simili. Imò hic modus agẽdi tam est proprius naturalium causarum, vt Philosophi qui ad illas tantùm attenderunt, inde sumpserint axioma illud, *Ex nihilo nihil fit*. Illud ergo subiectum quod ad actionem efficientis causæ supponitur, materialem causam vocamus. Necesse est autẽ vt causa efficiens tale subiectum aliquam rem introducat: aliàs nihil nouum efficeret, contra positam hypothesim. Illud ergo vocamus formam, qualiscunque illa sit, de quo posteà videbimus. Tandem cùm causæ per se agentes non temerè & casu agant, vt ipso rerum experimento constat: & præcipuè in actionibus humanis, vt res sit extra controuersiam, necesse est vt præter illa tria detur etiam finis, propter quem causa efficiens operatur. Reperiuntur ergo hæc quatuor membra in rebus: siue omnia illa in singulis effectibus inueniantur, siue non, hoc enim posteà erit inquirendum, nam ad præsens sat est quòd in rerum vniuersitate hæc inueniantur.

III. Materia vtcunque.

Quòd autem quælibet ex his vera sit causa, de materiali quidẽ, formali, & efficiente, facilè probari potest, nam quælibet ex his manifestè influit aliquod esse, materia enim ab Aristotele definitur esse, *id ex*

A *quo insito fit aliquid.* Vbi per particulam *ex* cùm proprietate sumptam distinguitur materia ab aliis causis; per particulam autem, *insito*, separatur à priuatione, & declaratur propriùs influxus, quo materia, & in vniuersum subiectum exhibet se, vt ex eo consurgat esse totius. Similiter forma se ipsam exhibet, vt illa tanquam actu compositum constituatur: imò frequenter definiri solet forma, quòd sit *causa intrinseca quæ dat esse rei*: materia enim est quasi inchoatio quædam, vel fundamentum ipsius esse, forma verò illud consummat, & complet; propter quod *ratio quidditatis* appellatur ab Aristotele citatis locis. Item hæc numerantur inter principia intrinseca rei naturalis: vel potiùs illa duo tantùm, sunt principia constituentia rem naturalem: sunt autem principia per se, cũ sint maximè necessaria & essentialia, & dant esse eo modo quo explicatum est, sunt ergo propriæ causæ. De efficiente etiam patet, quia sua actione efficit vt res habeat esse quod anteà nõ habebat; & ad hoc per se ac directè tendit actio eius: ergo efficiens est quasi fons & principium per se influens esse in effectum; quod esse effectus distinctum est
B ab esse efficientis: ergo tota definitio causæ propriissimè conuenit efficienti. De fine verò potest esse nonnulla dubitandi ratio, quia nullũ esse reale in eo præsupponitur, quo causare possit; sed, quia de hoc latiùs in propria disputatione dicendum est, nunc breuiter declaratur, quia licet finis sit postremũ in executione, tamen est primum in intentione: & sub ea ratione veram habet rationem principij: nam est primum quod excitat, seu mouet agens ad agẽdum: est autem principium nõ fictum, sed verum & reale, quia verè excitat & mouet. Vnde sicut habet sufficiens esse quo possit talem rationem principij exercere, ita etiam rationem causæ: illud autem esse quamuis in mente sit, non est extra latitudinem entis realis, & ideò sufficiens esse potest ad talem rationẽ causæ. Rursus huiusmodi principium non est per accidens, sed per se: imò ab illo habet causalitas agentis quòd per se, & ordinatè tendat in effectum: atq; hoc hac ratione per se influit esse in illum, ergo etiam fini verè ac propriè conuenit definitio causæ.

IIII. Prima obiectio Augustini.

Contra hanc verò sententiam obiicere quis potest Augustinum lib. 83. quæstionum in 28. dicẽtem,
C *Omnis causa efficiens est.* Quam sententiam videtur sumpsisse ex Platone in Dialogo de pulchro, seu qui inscribitur Hyppias maior, vbi significat causam, & efficientem idem esse, & finẽ non posse dici causam, quod confirmat, tum quia est effectus, tum quia ipsius causæ efficientis non potest esse causa. Eandem fuisse communem sententiam Stoicorum, scilicet quòd sola causa efficiens sit vera causa, refert Seneca libr. 8. epistol. 66. vbi etiam ipse eam probat: *Quoniam si omnia* (inquit) *sine quibus effectus fieri non potest, ponenda sunt in causarum numero, plures essent numerandæ, nimirum tempus, locus, motus, &c. sine quibus nullus sit effectus, in vna ergo causa efficiente sistendum est, reliqua verò sunt veluti adiumenta huius causæ, aut conditiones necessariæ.* Aliter obiici posset in alio extremo ex Socrate apud Platonem in Phædone, quòd solus finis nomen causæ mereatur, nã tota causa rei est id propter quod fit; reliqua verò omnia solùm sunt conditiones requisitæ vt res fiat, vnde interrogationi propter quid res est, aut fit, sola responsio per finalem causam satisfacit.

V. Prima obiectio cum sol.

Ad priorem obiectionem locus Augustini difficilis est, negat enim ibi quærendum esse quare Deus voluerit creare mundum, quia hoc est quærere causam vo-

Sub hoc loco difficilia enodantur.

sam voluntatis Dei: omnis autem causa efficiens est, A quæ in diuina voluntate locum habere non potest: vbi videtur planè Augustinus confundere causam finalem cum efficiente: nam qui quærit, quarè Deus voluerit creare mundum, non quærit causam efficientem, sed finalem. Dicendum verò est, sensum Augustini esse, non esse quærendam causam cur voluerit creare mundum; ita vt ipsius voluntatis Dei propria aliqua causa esse putetur, quia si diuina voluntas aliquã causam huiusmodi haberet, haberet causam efficientem: non quia finis & efficiens formaliter sint idem; sed quia nihil potest habere propriam causam extrinsecam finalem, quin habeat efficientem, vel quia finis ipse non causæ sine efficientia, vt multi volunt: vel quia finis proximè mouet efficiens ad efficiẽdum. Cum ergo dicit Augustinus, omnem causam esse efficientem: loquitur de causalitate extrinseca, quæ nunquam est sine interuentu efficientis causæ: non tamen intendit Augustinus excludere quin cum illa causa possit coniungi aliud causandi genus. Alij breuiùs respondent Augustinum locutum esse strictè de causa, prout dicit relationem ad B effectum strictè etiam sumptum, & denominatum à verbo efficiendi. Sed hoc vix potest accommodari discursui Augustini: nam qui quærit quare Deus voluit, &c. non quærit causam ita strictè sumptam.

VI. Quot Aristoteles, tot cum illis genera adducit Plato.

Ad Platonem, certum est illum posuisse omnia genera causarum, quæ Aristoteles posuit: & fortasse plura, vt posteà videbimus. Et in citato loco non dicit causam, & efficiẽs, idem esse, vt ei tribuitur: sed econtrario ait: *Efficiens nihil aliud est quam causa.* Quæ propositio non potest simpliciter conuerti, vt per se constat. Inde autem non infert finem non esse causam, sed infert, id quod fit ab efficiente causa, esse distinctum ab ipsa, quia non potest causa efficere ab ipsam. De aliis verò Philosophis existimo, verbis potiùs quàm re ab Aristotele dissentire. Nam ipsi non negant necessitatem & concursum materiæ, aut formæ, vel finis: sed in nominibus differunt, nam materiam vocant quid prærequisitum, formam verò potiùs appellandam censent effectum quàm causam, quia ad ipsam tota causalitas terminatur, vel ad summum vocant partem causæ; vt loquitur Seneca summa: finem verò appellant aliquo modo causam seu potius concausam cum efficiẽte, seu esse quid superueniens efficienti medio proposito, seu intentioni finis, vt causare possit. Præterea causa efficiens habet C influentiam, & magis realem, & quodammodo immediatiorem ipsi effectui, quàm finis; & notiorem, & quodammodo magis propriam, quam materia & forma, & priorem etiam illis & ideò causæ nomẽ interdum per Antonomasiam, vel etiã ratione primæ impositionis, pro causa efficiente sumi solet. Nihilominùs tamen rem ipsam Physicè considerando, nõ est dubium quin singulæ ex dictis causis veram & propriam rationem causæ habeant, & in suo genere totalem, ac planè diuersam, vt in secundo puncto dicemus: & ideò multò meliùs Aristoteles hæc distinctè numerauit sub communi notione causæ.

Veteres Philosophorum in hoc error.

Causæ nouem cur efficiens per antonomasiam vocetur.

Stoici efficiens tm causam, cæteras agnouere Seneca.

VII. Locus, tempus, & similia cur non causæ.

Nec ratio ex Seneca adducta quidquam obstat: non enim in causis numerantur omnia, sine quibus effectus non fit, sed ea tantùm quæ per se influunt in effectum. Quòd non habet locus, quia est quid extrinsecum; vel si sit sermo de vbi intrinseco, illud nõ præsupponitur, sed consequitur in effectu vt quoddam accidens eius. Et idem est de tempore: nam prout est cõmunis mensura, extrinsecum est, prout verò esse potest intrinsecum, solùm est duratio ipsius mo-

Secunda obiectio.

VIII. Finis in moralibus causa præstantior.

tus quo fit res, quando successiuè fit: ille autem motus non est causa, sed est potiùs ipse actualis influxus causæ efficientis successiuè, vt infrà declarabitur. At verò materia, quam sit quid prærequisitum ad actionem agentis; tamen in ipso instante, vel tempore quo agens agit, etiam materia per se influit in effectum, imò & in ipsam actionem agentis, si ex illa operetur, vt posteà videbimus. Forma verò, licet sit effectus agentis, vel etiam materiæ, est tamen causa totius compositi, complens essentiam eius. Et, quãuis sit pars compositi, est tamen in suo genere totalis causa eius, nec est cur pars causæ appelletur, quia neq; est pars agentis, neq; materiæ. Quòd si appelletur pars causæ respectu totius causalitatis necessariæ in omni genere ad effectum, hoc modo etiam materia, & efficiens dici potest pars causæ, est tamen impropria locutio, quia omnes illæ non componunt vnam causam, sed aggregatum, vel requisitũ numerum causarum. Atq; idem est proportionaliter de fine, nam licet requiratur ex parte agentis, vt actio eius non temerè fiat, sed ex instituto, habet tamen influxum proprium ac per se, & diuersum ab influxu agentis, qualis verò ille sit, & an semper sit necessarius, infrà dicemus.

Vnde ad alteram partem obiectionis respondetur, Platonem & Socratem illo loco moraliter potiùs quàm Physicè loqui. In moralibus enim finis est quodammodo tota causa actionum seu effectuum, non quòd aliæ causæ excludantur, quatenus Physicè necessariæ sunt, sed quod omnes aliæ ex fine sumant quasi primam rationem causandi. Vnde finis potest quodammodo dici sola causa, quia ita est causa vt non habeat priorem causam vel rationem: omnes autem aliæ ita sunt causæ vt habeant aliquam priorem causam, vel saltem priorem rationem causandi: quod dico propter primam efficientem causam, quæ est Deus, quod inferiùs declarabimus. Si autem vis fiat in voce *propter quid*, dicendum est strictè sumptam, solùm accommodari fini: latiùs verò solere etiam ad omnes causas extendi. Imò Aristoteles suprà inde probat prædicta causarum genera, quia per omnia illa satisfieri solet quæstioni propter quid: dicimus enim hominem esse mortalem propter materiam, & viuere propter animam, &c.

Quatuor causarum mutua distinctio.

IX. EX his facilè est expedire punctum secundum de distinctione harum causarum. Potest autem esse sermo de distinctione formaliter ac præcisè in ratione causæ; vel de distinctione quasi materiali seu reali in esse entis. Prior distinctio est quæ ad præsens spectat, quam certum est inter hæc membra reperiri. Primò ex Aristotelis testimonio, quia aliàs esset vitiosa diuisio. Secundò ratione, quia causa vt causa in actu, formaliter constituitur per actualem influxum in effectum: sed in quatuor illis membris sunt influxus diuersarum rationum: ergo. Probatur minor, quia influxus causæ materialis & formalis est intrinsecus per internam compositionem: influxus autem causæ efficientis & finalis est extrinsecus. Rursus influxus materiæ est per modum potentiæ, formę autem per modum actus. Influxus item efficientis est per actionem seu mutationem realem: influxus autem finis est per mutationem intentionalem, aut Metaphoricam: sunt ergo omnes hę causalitates formaliter distinctę: constituunt igitur causas in actu formaliter distinctas. Vnde etiã

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationes seu virtutes causandi harum causarum distinctæ sunt, nam materia causat, quatenus est passiua potentia: efficiens verò quatenus habet potentiã actiuam in aliud, forma verò quatenus vim habet actuandi per se ipsam: finis tamẽ, quatenus bonus est, & per bonitatem habet vim alliciendi affectum: quę omnia in sequentibus exponentur latiùs: neque hic occurrit specialis difficultas circa hanc partem.

X. Eadem res diuersarum munera causarum potest exercere respectu effectuum diuersorum,

Circa distinctionem autem realem seu materialem harum causarum dubitari potest an semper intercedat, vel fieri possit vt eadem omnino res habeat plures rationes causandi ex numeratis. Potest autem hoc quæri, vel in ordine ad diuersos effectus, vel ad eundem. Priori modo dicendum est non esse necessariam distinctionem realem seu materialem inter dictas causas: quia non repugnat eandem omnino rem in ordine ad diuersos effectus habere plures causalitates diuersarum rationum. Eadem enim forma est finis respectu generationis, seu alterationis per quam fit, & est forma respectu materiæ & compositi: & est principium efficiens respectu actionis in aliud: & potest esse materialis causa suarum proprietatum, vt est anima rationalis, quatenus est subiectum intellectus vel voluntatis. Hi namque influxus seu causalitates, quantumuis diuersæ rationis sint respectu diuersorum effectuum, non habent inter se repugnantiam, neque etiam repugnat quòd ab eadem re prodeant: quia sicut eadem res est capax diuersorum respectuum in ordine ad diuersa: est enim vni similis, & alteri dissimilis, principium vnius, & finis alterius, ita potest in ordine ad diuersos effectus participare diuersos respectus causandi. Ratio deniq; à priori est, quia eadem res creata potest in sua entitate includere actum potentiæ admistum: & ideò potest ad vnam rem comparari per modum actus formalis, ad aliam verò per modum subiecti: actus autem formalis cùm det esse rei, simul esse solet principium agendi aliud, quia operatio consequitur esse: ac deniq; quia talis actus aliquod bonum est etiam potest esse principium Metaphoricæ motionis. Sic igitur non repugnat omnia hæc genera causarum in eandem rem conuenire respectu diuersorum.

XI. Quòd si interdum in aliqua re non coniunguntur, non est ex formali repugnantia talium causalitatum in ordine ad diuersa, sed ex peculiari conditione. Et interdum prouenit ex perfectione; interdum verò ex imperfectione; verbi gratia, Deus potest esse causa efficiens & finalis, non tamen materialis respectu alicuius, quia est purus actus, & nullam habet potentiam passiuam: neque etiam exercere potest causalitatem formalem: quia hæc requirit entitatem incompletam & imperfectam. Et ob eandem rationem angelicæ substantiæ non possunt exercere causalitatem formalem; quia verò non sunt puri actus, possunt aliqua ex parte exercere materialem saltem respectu aliquorum accidentium: & quia non sunt pura potentia, possunt habere rationem aliquam efficiendi, & multò magis finalizandi. E contrario verò materia prima, cùm causalitatem materialem exercere possit, tamẽ quia est pura potentia nec causalitatem formalem, nec propriè effectiuam participat: tamen quia non est ita pura potẽtia quin aliquam entitatem & actualitatem habeat, aliquam causalitatem finalem habere potest: ratione cuius anima appetit corpus suum, & quælibet forma materiam. At verò forma substantialis, cùm causalitatem formalem, efficientem, & finalem exercere possit, non tamen materialem substantialem (vt sic dicam) quia non est potentia passiua in genere substantiæ. Respectu verò accidentium potest interdum exercere hanc causalitatem; quod propriè conuenit formæ subsistenti, nam illa forma quæ ob imperfectionem suam ex se subsistere non potest, neque etiam est potens per se ipsam ad sustentanda accidentia. Et ad hunc modum facile discurri potest per entitates accidentales, quatenus prædictas causandi rationes participare possunt.

XII. Respondetur eadem res simul non posse habere plures rationes causandi,

At verò, si hæ causæ comparentur ad vnum & eundem effectum, nonnulla maior difficultas est. Et quidem in quibusdam est clara repugnantia, in aliis verò econtrario est manifesta possibilitas, in quibusdam autem res est controuersa & dubia. Itaque eandem rem in ordine ad idem simul esse causam materialem & formalem, planè repugnat: quia hæ causalitates requirunt conditiones formaliter oppositas, quales sunt esse in potentia, & in actu formali: vnde si sit sermo de propria forma substantiali, semper requirit distinctionem realem à sua causa materiali; & idem est in forma accidentali, quæ suam propriã habeat entitatem. Quia verò sunt aliquæ formæ accidentales, quę tantùm sunt modi substantiæ, vt præsentia localis, vel si quid aliud est huiusmodi: in illis, sicut ratio formæ est imperfecta, ita sufficit distinctio modalis. Semper tamen necesse est, vt formalis & materialis causa respectu eiusdem compositi distinguantur realiter, vel ex natura rei. Deinde etiam constat formalem & efficientem causam non posse in eadem re cõiungi respectu eiusdem effectus: quia forma exercet causalitatem formalem in eo in quo est, efficientem verò respectu alterius formæ, vel cõpositi: & ideò forma vt informans, vel supponitur ad actionem vt principium agendi, vel consequitur vt effectus, seu terminus formalis actionis: & ideò fieri non potest vt causalitas formalis & effectiua, eidem formæ conueniant respectu eiusdem: nam includunt habitudines repugnantes.

Forma & efficiens respectu eiusdem non possunt in eadem re coniungi.

XIII. Forma esse non potest in eadem entitate cum esse.

Rursus etiam est clarum, finalẽ & formalem causalitatem quodammodo conuenire posse in eãdem formam respectu eiusdem: quodammodo autem nõ posse. Si enim comparentur ad idem subiectum, vel suppositum, optimè possunt in eandem rem conuenire: eadem enim forma, & est finis materiæ, & eam informat: eademq; visio beata est forma intellectus, & finis ac beatitudo eius. Et ratio est, quia ipsamet forma vt informãs, & informatio eius est bonum ac perfectio subiecti quod informat: & ideò potest ad illud cõparari simul in ratione formæ & finis. At verò si comparatio fiat ad ipsum cõpositum quod per formã constituitur, sic non potest eadem esse forma & finis respectu eiusdem: quia non est forma finis cõpositi, sed potiùs forma est propter compositum vt propter finem suum. Quod si comparentur ad actionem seu generationem, etiam respectu illius eadem est forma & finis. Quo sensu videtur dixisse Aristoteles infrà citandus, finem & formam coincidere in eandem rem numero; sub eo tamen respectu, licet forma propriè sit finis generationis, nõ tamen propriè est causa formalis eius, sed tantùm principium, vt sectione præced. dicebam.

XIV. An conueniant in eadem re finis & forma.

Præterea eadem fere proportione loquendum est de fine, & efficiente: nam secundum quandam rationem finis conuenire possunt eidem rei, non verò secundum aliam. Duplex enim finis, vt infrà videbimus, distingui solet, scilicet finis cuius gratia actio fit, vel cui, seu in cuius gratiam & cõmodum fit, vt in curatione

curatione finis cuius gratia, est sanitas: cui verò, est ipse homo, cui sanitas procuratur. Prior ergo finis non potest esse eadem res cum causa efficiente, quia est effectus eius: posterior autem finis optimè potest esse eadem res cum causa efficiente: nam sæpè efficiens operatur propter se ipsum: & hoc modo Deus est simul primum efficiens, & vltimus finis suorum operum. Et iuxta hæc intelligitur facilè vulgare dictum Aristotelis 2. Physic. cap. 7. *Finis & forma coincidunt in idem numero: finis autem & efficiens in idem non numero, sed specie*: loquitur enim de fine cuius gratia, seu qui per actionem formaliter intenditur, & fit: de quo iam diximus, distingui ab agente tanquam effectum eius; & ideò non posse esse idem numero cum illo. Quòd verò sit idem specie, contingit in agentibus vniuocis, non in omnibus, vt ipsemet Aristoteles indicauit. Quomodo autem causa formalis & finalis in eandem rem numero coniungi possint, iam declaratum est. Addo verò etiam posse aliquam rationem finis in eandem numero rem cum causa materiali coniungi: nam subiectum accidentium & est causa materialis eorum, & finis: vt enim dicebam, finis proximus sanitatis procurandæ est homo, & inter alios fines forma inducitur in materiam propter ipsam materiam conseruandam: nam quia ratio finis fundatur in bonitate, quæ transcendentalis est, & in omni entitate ex parte reperitur, ideò coniungi potest aliqua ratio finis cum qualibet alia causa.

An materia rationem finis in eadem re participet.

XV. Efficiens an idem subiectum materia.

Solum supererat comparanda causa efficiens cum materiali, an possit vtraq; ratio coniungi in eadem re respectu eiusdem effectuum. Et quidem loquendo de causa materiali substantiarum naturaliũ, certum est non posse materialem & efficientem causam coniungi in eadem re in ordine ad talem effectum, quia materia non potest esse principium efficiens formæ ex illa educendæ, & consequenter nec totius compositi. At verò loquendo de causa materiali accidentium, maius dubium est, an eadem causa materialis possit esse efficiens eorundem. Potest autem hæc efficientia intelligi duplex: vna per naturalem resultantiam, & de hac loquendo, non est dubium quin possint illæ causalitates coniungi, & ità dici solet passim, animam, verbi gratia, habere triplicem causalitatem in suas naturales potentias, nempe finalem, materialem & efficientem: & multi censent hoc genus actiuitatis, nec materiæ primæ repugnare in suam propriam passionem quæ est quantitas. Altera efficientia est per se & per propriam actionem, & de hac est maior difficultas: coincidit tamen cum illa quæstione, an omne quod mouetur, ab alio moueatur, seu (quod idem est) an agens & patiens semper distinguantur, saltem secundum proxima principia agendi, & recipiendi, quam posteà tractabimus, disputando de causa efficiente.

Causæ in quatuor genera diuisio an adæquata.

XVI. Instrumenta sub efficiente, non sub materiali causa collocanda.

CIrca tertium punctum, an hæc quatuor genera sufficienter diuidant causam, solent variæ difficultates proponi de causis instrumentariis, dispositiuis & obiectiuis. Sed hæc & similia difficultatem non habent, nam causa instrumentalis, quædam species est causæ efficientis, vt posteà videbimus. Nec potest cum aliquo fundamento reduci ad materialem causam, vt falsò excogitauit Philoponus 2. Physic. text. 27. nisi fortasse loquatur de dispositionibus materiæ, quæ solent etiam instrumenta appellari: sed illæ nisi efficientiam habeant, re vera non sunt instrumenta: si verò efficientiam habent, vt sic non sunt dispositiones, neq; ad causam materialem vllo modo pertinent, sed ad efficientem, quam vel adiuuant, vel eius vicem gerunt. Dispositiua autem causa communiter reducitur ad materialem, quia præparat materiam ad formam. Sed hæc denominatio solùm esse videtur per quandam attributionem: nam si loquamur cum proprietate, vera dispositio quædam causa formalis est; non enim disponit nisi informando subiectum: calor enim qui est in ligno, non disponit ad formam ignis, nisi formaliter calefaciendo lignum: loquor autem de vera ac propria dispositione Physica, & positiua: nam vulgari modo solet dispositio vocari, quæcunque remotio impedimenti, vel quæuis conditio necessaria, vt applicatio ad agendum, vel quid simile, & in his nulla est vera causalitas, sed tantùm per accidens.

XVII. Obiectum cuiusgeneris circa potentiam & actũ eius exercet causalitatem.

Causam obiectiuam appello obiectum respectu potentiæ vel actus. In quo obiecto duplex potest habitudo considerari; vna est mouentis, altera terminantis. Prior respectu potentiæ cognoscitiuæ est causalitas efficiens; siue cõsideretur obiectum quatenus mouet imprimendo speciem, siue quatenus per speciem concurrit ad actum, respectu verò potentiæ appetitiuæ est causalitas finalis, vel propria & formalis, vt in appetitu rationali, vel materialis & imperfecta, vt in sensitiuo, quod posteà videbimus. Sub posteriori autem respectu aliqui reducunt obiectum ad causam finalem, quia potentia & actus in illud vt in finẽ tendunt. Neq; obstat cp hæc habitudo sit essentialis, quia non repugnat quòd aliqua res essentialiter sit ordinata ad suum finem. Alij ad formalem causam reuocant, quatenus obiectum dat speciem actui: quidquid enim dat speciem, habet rationem formæ, dicunt autem esse non intrinsecam, sed extrinsecam formam. Ego verò libentiùs negarem obiectum sub hac ratione exercere aliquod verum genus causalitatis, sed puri termini specificantis, non per verum aliquem influxum, qui causam constituat, sed per solam habitudinem alterius ad ipsum. Neq; Aristoteles vnquam illius causæ formalis extrinsecę meminit, nec terminum motus appellauit causam motus, quamuis dixerit ab illo sumere speciem; & idem est de vno relatiuo respectu alterius seu de termino relationis vt sic. Nec D. Thom. aliter loquitur, vt videre licet 1. 2. q. 1. artic. 3. Sed hæc facilia sunt, ac fere de modo loquendi.

XVIII. Exemplar an distinctũ causæ genus à numeratis. Plato.

Potissima difficultas est in hoc puncto de causa exemplari, quam Plato addit quatuor ab Aristotele numeratis, vt constat ex Timæo & Phædone, & refert Seneca cit. epist. 66. Sed de hac materia propter grauitatem eius propriam disputationem instituemus. Nunc breuiter concedimus Platoni exemplar veram causalitatem exercere, quòd Aristoteles non ignorauit, nam hìc numerando formam, addit & exemplar: & ideò fortasse non est necesse propter eam causam augere numerum, quod dicto loco examinabimus.

Diuisio causæ prædictæ, sitne immediata.

XIX. Causæ interna & externa diuisio altior quam prædicta.

CIrca quartum videri potest diuisio illa immediata, eò quòd Aristoteles proximè diuiserit causam in quatuor illa membra. Sed nihilominùs dicen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicendum est illam diuisionem non esse immediatam: possunt enim facilè conuenientiæ inter quædam ex his membris excogitari, ratione quarum aliæ priores diuisiones causæ, & in pauciora membra constituantur. Sic ergo potest primò causa diuidi in internam, & externam: interna rursus in materiam & formam: de quibus dubitari non potest, quin peculiariter conueniant in modo causandi: dant enim esse effectui conferendo illi suammet numero entitatem; & internè componendo illum: efficiens autè & finis, longè aliter causant, & in hoc conueniunt, quod non componunt intrinsecè effectum: & ideò causæ extrinsecæ communiter appellantur. Igitur in ratione causæ abstrahi potest ratio cõmunis materiæ & formæ, quæ non sit communis aliis causis; & è conuerso: ergo rectè diuiditur causa immediatè in intrinsecam & extrinsecam; & deinde illa in materialem & formalem: hæc verò in efficientem & finalem. Alio item modo posset alia diuisio causę immediatior excogitari: nam tres aliæ causæ præter finalem, cõueniunt in hoc, quòd conferunt ad esse effectus per realem influxum, ideoq; requirũt existentiam realem ad suas causalitates, vt posteà videbimus: causa autem finalis influit intentionaliter: ideoq; causare potest antequam in se realiter existat. Rectè igitur diuidi potest causa immediatè in realem, & intentionalem, strictè sumendo in priori membro illum terminum *realem*: nam si sumatur in tota sua latitudine & transcendentia, etiam causæ finali cõuenit. Et rursus causa realis diuiditur in intrinsecam, quæ in materiam & formam, & extrinsecam, quæ est efficiens, & peculiari ratione, & quasi per antonomasiam dici potest extrinseca: nam licet finalis causa comparata ad formalem & materialem, extrinseca etiam sit, comparata tamen ad efficientem, est quodammodo intrinseca: nam habitudo ad finem est magis intrinseca vnicuiq; rei, & in quibusdam est etiam essentialis.

Causæ in realem rigide, & intentionalem immediatissima diuisio.

Quatuor causæ membra, an atoma.

XX. DE quinto puncto pauca hoc loco dici possunt, donec de singulis causis tractem°: & ideò breuiter dicendum est hanc non esse diuisionem in vltimas rationes causæ: nam sub quocunq; illorum membrorum dari possunt variæ diuisiones. Causa enim materialis quædam est pura potentia, alia verò est tantùm potentia secundum quid. Quæ non est diuisio tantum materialis (vt ita dicam) secundum entitatem quæ est causa, sed etiam est formalis in ratione causæ materialis. Nam de ratione formali illius est vt sit potentia, & ideò secundum diuersam rationem potentiæ receptiuæ, erit diuersa ratio causæ materialis, quæ diuersitas attendi etiam potest ex effectibus: nam illa prior est causa materialis substantiæ, posterior verò accidentium. Vnde prior dici potest causa materialis simpliciter, posterior verò secundum quid, sumendo has voces non ex entitatibus talium causarum, sed ex habitudine ad effectus: nam quoad entitatem materialis causa accidentium esse potest ens simpliciter, seu substantia integra: materialis autem causa substantiæ tantùm esse potest ens secundum quid, tamen quoad causationem seu habitudinem causæ hæc causat ens simpliciter, illa secundum quid. Rursus materialis causa substantiæ diuiditur in materiam corruptibilium vel incorruptibilium substantiarum: causa verò materialis accidentium diuidi potest, vel in corporalẽ & in spiritualem, vel in proximam, aut remotam; vel in eam, quæ in se sit accidẽs, vel quæ sit substãtia, aut partialis, aut integra: de quibus omnibus in proximis disputationibus dicam. Atq; proportionali modo diuidi potest forma in substantialem & accidentalem, & vtrumq; membrum subdiuiditur in varias formas, iuxta varietatem substantiarum compositarum, & accidentium. Causæ item efficientis, & finalis quàm plures sunt diuisiones; quæ non possunt hìc breuiter recenseri, sed in propriis disputationibus.

Cur nec ab æternum, nec in instanti, nec causa prius, nec posterius producatur.

XXI. Dices, si causa potest immediatè diuidi in pauciora membra, & remotè in plura, cur Aristoteles potiùs quadrimembrem illam diuisionem, quàm alias tradidit? Respondetur, hoc ipso quod illa diuisio est media inter illa extrema, fuisse aptiorem ad doctrinalem diuisionem tradendam. Maximè, quia membra illa habent rationes, & modos causandi magis distinctos & notiores. Adde, Aristotelem non omnino omisisse, sed insinuasse satis, tam conuenientias harum causarum inter se, quàm diuisiones earum, vt ex citatis locis constat.

Qualis sit data diuisio.

XXII. IN sexto puncto authores omnes, supponendo potiùs, quàm probando, vel disputando, docent, illam diuisionem causæ esse Analogam, & propter eam causam dicunt non fuisse causam in communi ab Aristotele definitam. Non tamen declarant satis modum, aut rationem huius Analogiæ: neq; à nobis declarari potest, donec rationes singularũ causarum exactè tractentur. Et ideò nũc supponamus, sententiam illam veram esse ex communis sententiæ authoritate: & ex hac generali ratione, quod illi modi causarum communes sunt causis accidentiũ, & substantiarum, quæ non possunt esse vniuocè causæ, quia non dant vniuocè esse, vnde nec ratio effectus vniuoca esse potest in accidente & substantia: exactiorem verò huius Analogiæ declarationem in prædictum locum remitto.

DISPVTATIO XIII.

De materiali causa substantiæ.

PRætermitto disputationem in communi de causa materiali, vt abstrahit à causa substantiæ, vel accidentis: quoniam potissima ratio huius causę cernitur in materia prima: &, si in illa declaretur, facilè erit reliqua cum proportione intelligere. Neque timenda est aliquorum censura, qui existimant tractationem de materia prima nullo modo ad Metaphysicum pertinere, sed ad solum Physicum, iam enim in superioribus, præsertim in proœmiali disputatione, declaratum est, multis titulis negotium hoc ad Metaphysicũ spectare. Quoniam licet Physicus sub propria & speciali ratione agat de materia, vt est principium generationis naturalis, & vt est causa, vel pars entis naturalis: nihilominus Metaphysicus, cõsiderando communem rationem causę materialis, quod illius propriũ est, necessariò agit de prima causa illius generis, quę est materia prima. Item agens de essentia substantiæ, necessariò tractat de materia, quatenus est pars essentiæ, vt infrà videbimus, tractando de substantia materiali. Hoc ergo loco sub hac cõsideratione de materia tractamus. Et quia ratio causandi intelligi nõ potest,

potest, non intellecta entitate materiæ, inuestigabimus priùs, an sit materia; deinde qualis sit entitas, & essentia eius; posteà de proprietatibus; ac tandem de causalitate eius.

SECTIO I.

An sit euidens ratione naturali dari in entibus causam materialem substantiarum, quam materiam primam nominamus.

I. Varia materiæ partitio.

QVoniam materia prima duo includit, oportet ante omnia exponere significationem vocis quoad vtramque partem. Materia ergo diuidi solet in materiam ex qua, in qua, & circa quam. Quæ diuisio variis modis explicari potest: primò vt non sit diuisio rerum seu materiarum, sed respectuum ac officiorum eiusdem materiæ. Eadem enim materia dicitur *ex qua*, vel respectu compositi quod ex illa constat, vel respectu formæ quæ ex illa educitur. Vnde priori respectu corpus hominis est materia ex qua, non tamen posteriori consideratione, quia forma hominis non educitur ex potentia materiæ. Vnde respectu talis formæ dicetur materia in qua introducitur forma: ita vt illud *in qua*, dicat respectum vnionis, non eductionis. Potest etiam illud *in qua* abstractè sumi, vt includat habitudinem ad formam vt inhærentem materiæ. Respectu verò agentis dicitur eadem materia, circa quam agens operatur. Iuxta hanc ergo interpretationem terminorum nullum membrum ex dictis à præsenti consideratione excluditur, agimus enim de materia secundum se, vel prout in suo conceptu adæquato omnes illas habitudines includit: an verò illæ pertineant ad varias causalitates, & ex natura rei distinctas, posteà videbimus. Aliter sumi solet materia ex qua quam, prout distinguitur à materia ex qua, & in qua secundũ realem vnionem & inhærentiam: & sic propriè dicit respectũ ad agens actione immanente; & nihil aliud est quã obiectum, circa quod tale agẽs versatur. Quæ significatio materię Metaphorica est, & nihil ad præsens refert, quia illa vt sic non exercet causalitatem materialem, sed vel efficientem, vel finalem, vt suprà tetigimus: non est ergo hìc sermo de materia obiectiua, sed de subiectiua.

II. Rursus solet materia ex qua diuidi in transeuntem & manentem. Priori modo dicetur lignum, v.g. materia ex qua fit ignis, & in ea significatione illud, *ex quo* non designat tantùm habitudinem causę materialis, sed includit etiam habitudinem termini à quo: & ex hac parte non pertinet illa significatio ad præsentem disputationem. Materia autem manens, est propria & interna causa materialis, quæ manet in composito, seu in termino generationis, conferens suo modo ad constitutionem illius. Deniq; diuidi solet materia in Metaphysicam, & Physicam: Metaphysica est genus respectu differentiæ: illa verò appellatio solùm est per Analogiam & proportionem ad materiam Physicam, quæ est propriè, & simpliciter materia, de qua hìc agimus: de Metaphysica verò præter ea, quæ diximus suprà agentes de vnitate vniuersali, addemus aliqua disput. 15. sect. vlt. agentes de forma Metaphysica.

III. Prima verò dici potest materia, & per negationem prioris, & per respectum ad secundam: quia ergo materia dicit rationem subiecti, illa dicetur prima, quæ nullum prius subiectum supponit: & ita Aristoteles 1. Physicorum, c. 9. definiuit materiam esse *primum subiectum ex quo fit aliquid*. Materia autem secunda dicetur quæ prius subiectum supponit. Atq; ita multi vocant substantiale compositum materiam secundam respectu accidentium, quia ita est subiectum accidentium, vt ex priori subiecto constet: & simili ratione qui plures formas substantiales in eodem supposito admittunt, compositum, verbi gratia, ex materia & forma corporeitatis vocant materiam secundam respectu animæ. Sæpè etiam vocatur materia secunda, materia disposita seu affecta dispositionibus accidentalibus, non quia compositum ipsum ex materia & accidentibus, sit subiectum in quo recipitur forma, sed solùm, quia receptio talium dispositionum antecedit ordine naturæ, & constituit materiam proximè capacem talis formæ, vnde propriè vocatur talis materia, proxima: Aristoteles verò 8. Metaphysic. text. 11. materiam propriam seu proximam vocauit materiam transeuntem accommodatam ad rei generationem, vt vinum est materia aceti; de qua materia ait Commentator 2. Physic. comm. 31. esse materiam alterationis. non compositionis. Omnis itaq; materia secunda supponit primam, & addit aliquam formam vel dispositionem.

Quæstionis resolutio.

IIII. ATque hinc constat, si in communi, & quasi formaliter loquamur de materia prima, id est, de primo subiecto mutationum, vel formarum abstrahẽdo à quæstione quale sit tale subiectum, qualisúe forma quæ in eo recipitur, sic tam euidens esse dari materiam primam, quàm est euidens, dari in rebus mutationes ad varias formas, quia omni mutationi aliquod subiectum supponitur, vt suprà probatum est, & experimento constat. Igitur vel illud subiectum supponit aliud, vel non, si non supponit, illud est primum, & habetur intentum. Si verò supponit aliud, queram de illo: est autem euidens non posse procedi in infinitum: ergo necessariò sistendum est in aliquo primo subiecto, seu materia prima. Minor propositio vltimò assumpta demonstratur ab Aristotele de omnibus causis in libr. 2. est tamen quodammodo euidentior in causa materiali, quia est intrinsecum totius compositi fundamẽtum, non potest autem intellectu percipi compositum per se stans, cuius vna pars nitatur in alia, & alia rursus in alia, quin tandem sistatur in aliqua, quæ cæteris subsitet. Cùm ergo omne naturale compositum ita per se sit, vt secundum se totum nõ pendeat in genere causæ materialis ab aliquo subiecto, quod extra ipsum sit: necesse est vt intrà se habeat aliquod subiectum, quod sit primum respectu omnium aliarum entitatum ex quibus constat, & in subiecto sunt. Sic igitur euidens est dari materiam primam, seu subiectum primum in rebus naturalibus.

Ex necessitate primi subiecti in qualibet mutatione materia prima colligitur.

V. Secundò principaliter probatur, nam est euidens res generabiles & corruptibiles ita transmutari, vt aliæ ex aliis vicissim ac mutuò generẽtur, saltem mediatè: ergo necesse est vt in aliquo communi subiecto conueniant, quod in omnibus ipsis maneat, ratione cuius sint capaces illius mutuæ transmutationis: ergo illud subiectum est primum, atque adeò prima materialis causa huiusmodi rerum. Antecedens est euidens experientia; nam elementa mutuò inter se agunt, & vnum in aliud conuertitur, siue mediatè, siue immediatè, & mista etiam ex eis generantur; & consequenter in ea etiam resoluitur: atq; ita fit,

Ex rerum continuata vicissitudine materia colligitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita sit, vt omnia sublunaria, quantùm est ex vi suæ naturæ, & compositionis, mutuò sint transmutabilia. Dico, *quantum est ex vi naturæ suæ*, quia fieri potest, vt aliquæ partes elemẽtorum nunquam transmutentur, eò quòd sint in abditis, & remotissimis locis, ad quæ actiones contrariorum agentium non perueniant. A

VI. Prima consequentia probatur primò, quia nulla transmutatio naturalis fieri potest, nisi manente communi subiecto sub vtroq; termino; tum quia aliàs res quæ corrumpitur, omnino secundum se totam periret, & alia, quæ incipit esse, secundùm se totam fieret: atq; ita altera transiret in nihilum, altera ex nihilo fieret, nulla communi re sub vtraq; manẽte: annihilaretur ergo vna, & crearetur alia, quod naturaliter est impossibile. Tum etiam, quia aliàs tota actio agentis naturalis esset vel impossibilis, vel impertinens ad rerum generationem. Sequela declaratur, quia loqui possumus vel de accidentali alteratione, quam experimur: quã euidens est nõ fieri, nisi in subiecto, & ex subiecto communi, quod manet sub vtroque termino: quia experimento cõstat, hanc actionem non fieri nisi subiectum supponatur: accidens enim quod per illam fit, non potest naturaliter esse nisi in subiecto, quod sustentet tam actionem, quàm formalem terminum eius, à quo subiecto expellitur forma, vel priuatio opposita: datur ergo commune subiectum in huiusmodi actione; vel loquimur de actione illa, seu transmutatione substantiali, quæ fit in termino alterationis, in quo res quæ petit, amittit esse simpliciter, quod anteà habebat, & res alia simpliciter incipit, vt cùm ex stupa fit ignis. Et ibi etiam necesse est subiectum commune manere, alioqui tota præcedens alteratio, seu calefactio stupæ, esset impertinẽs ad procreationem ignis, quia nullo modo conferret ad illam, si omnino periret ipsa, & totum subiectum eius: sed ad summum posset deseruire ad euacuãdum locum seu spatium, in quod posset res procreãda introduci: ad hoc autem impertinens esset destructio rei: sufficeret enim localis expulsio, quæ fieri posset per introductionem alterius rei in illud spatium, vt in motu locali fit. B

VII. Esset etiam impossibilis talis destructio rei per alterationem, quia accidens non potest, per se loquendo, destruere subiectum suum, cùm ab illo sustentetur, & accipiat esse. Vel ergo subiectum illud est simplex, vel compositum: si est simplex, nullo modo potest per actionem, vel per accidens, quod in ipso fiat, destrui, quia illud esse est necessarium, vt talis actio, vel tale accidens esse possit. Si verò subiectum illud est compositum ex priori subiecto, & alia forma, poterit quidem destrui ratione alterationis, & accidentis in illud introducti, non tamen per se, sed per accidens rationis alterius actionis & formæ consecutæ ad priorem alterationem: hæc autem consecutio intelligi nõ potest, nisi subsequens forma introducatur in idem subiectum, in quo erat prior: quia aliàs nulla esset causa cur dissolueretur vnio inter prius subiectum & formam eius: ergo tota hæc naturalis transmutatio necessariò fundari debet in aliquo communi subiecto, quod sub vtroque termino maneat. C

VIII. Ex specialibus aliquibus mutationibus. Potestq; hoc ipsum declarari inductione facta in aliquibus transmutationibus: cùm animal, verbi gratia, alitur ex cibo, vel aliquid cibi manet in fine nutritionis, & coniungitur substantiæ viuenti: vel omnino destruitur cibus, & totum quod in illo est, per actionem viuentis. Si nihil cibi manet, superflua est tota actio viuentis, nihilq; ex cibo iuuari potest, vt inde vel crescat, vel confortetur, quia ex eo quod perit in cibo, nihil confortatur, vel crescit. Si verò aliquid cibi manet, illud esse non potest, nisi communis materia vel subiectum. Idem argumentum sumi potest ex visibili, & impropria nutritione ignis, non enim crescit, nisi supponantur ligna, vel aliquid simile, nec conseruatur, nisi nutriatur oleo, aut simili materia: hæc ergo materia non potest esse transiens secũdum se totam, aliàs esset inutilis, nullaq; ratio reddi posset cur sit necessaria ad tales effectus, neq; declarari, quid ad illos conferat: est ergo illa materia aliquo modo manens sub forma rei genitæ seu nutritæ: manet ergo secundum aliquod subiectum commune.

IX. Quod tandem confirmatur, quia aliàs rerum transmutatio non esset corruptio & generatio, sed transubstantiatio quædam, quia tota substantia vnius rei periret; & tota alia inciperet. Imò plus esset, quàm transubstantiatio: quia non solùm in totalibus substantiis, sed etiam in omnibus earum accidentibus esset in illa successio: quia si nullum subiectum commune maneret, multò minùs manere posset naturaliter idem accidens, quod à suo subiecto pendet in esse & conseruari. Hoc autem genus transmutationis alienum est ab omni Philosophia, & ab omni actione naturali: & præter rationem annihilationis, & creationis, quam includit, vt suprà dicebam, non potest cogitari ratio, cur illa duo sint ita connexa in rerum natura, vt ad vnius productionem necessaria sit destructio alterius, & econuerso: non est ergo transmutatio naturalis per totalem destructionem, & inceptionem, sed per transformationem ex aliquo communi subiecto. Et ad hoc ferè tendit demonstratio Aristotelis, quòd hæc transmutatio semper fit e contrario in contrarium (sub contrariis includendo priuatiuè opposita) quæ subiectum habent commune. Est ergo euidens dari subiectum seu materialem causam communem. 1. Physic. cõ. & 2. Metaphys. cap. 2.

X. Ex relatione ad vltimum subiectum materia reprobatur. Supereſt probandi secunda consequentia principalis rationis, qua inferebamus, hanc materiam esse primam causam in suo ordine, eoq; sensu verissimè appellari primam materiam: hoc autem nullo euidentiori modo ostendi potest (quidquid aliqui velint) quàm suprà tacto, scilicet, quia non potest procedi in infinitum in subiectis proximis & remotis, seu in subiectis, & subiectatis (vt ita dicam) sed sistendum necessariò est in aliquo subiecto, quod non subiectetur, neque etiam componatur ex parte, quæ in subiecto sit, quia omne tale compositum resolui tandem potest in simplicia, in quibus aliquod esse oportet, quod omnino in subiecto non sit. Neque supponit hic discursus, quod in formis substantialibus eiusdem compositi non sit processus in infinitum: nam, etsi hoc etiam euidens sit, tamen si per impossibile fingerentur infinitæ formæ in eodem composito, ex parte potentiæ recipientis eas necessariò sistendum erit in aliquo subiecto simplici, quod non sit in subiecto, quia tota collectio talium formarum est in aliquo subiecto, ergo illud est simplex, vt magis statim demonstrabimus, hoc ergo vocamus materiam primam. Præter hoc autem potest etiam illa conlequentia probari ex communitate huius subiecti; cùm enim omnia hæc inferiora mutuò transmutentur immediatè, vel saltem mediatè, vt dictum est, necesse est, vt subie-

subiectum illud quod his transmutationibus supponitur, sit primum in ratione subiecti seu materię: nam si esset ex alio priori subiecto vel materia constans, vel illud esset etiam transmutabile; & sic non esset commune subiectum omnium transmutationum, sed illud quod maneret post resolutionem eius; vel non esset transmutabile; & sic non omne corporeum ens esset transmutabile in quodlibet aliud: cuius oppositum supponebamus, sed de hoc latiùs sect. 3. A

XI. Materia ex omnibus paritibilis. Ex dictis ergo omnibus generatim probatum relinquitur in omni transmutationum ordine dandam esse primam aliquam causam materialem: non potest autem ex dictis concludi dari veram materiam primam, quę sit causa materialis alicuius substãtiæ, nisi aliquid adiungatur. Vnde discursus factiformaliter sumpti, æquè probant dari in vnoquoq; corpore cœlesti aliquod primum subiectum earum mutationum quæ in ipso fiunt: imò etiam cum eadem proportione idem probant de quauis substantia spirituali quatenus est capax realis mutationis, vel localis, vel intellectualis, aut affectiuæ; nam licet illa mutatio non sit corruptiua, sed perfectiua, necessariò tamen supponit aliquod subiectum: & ideò necesse est, vt reducatur ad aliquod subiectum primum in suo ordine, quod etiam appellari potest prima causa materialis illius mutationis, quamuis non vocetur materia prima iuxta communem vsum huius vocis: proprie enim significat materiale principium substantialis transmutationis, vel constitutionis. Ex quo etiam fit, vt licet res quæ aliquo modo transiuntantur, habeant materialem causam suæ transmutationis sibi proportionatã, tamen si transmutatio non sit vnius rei in aliam, ex vi transmutationis non poterit concludi dari aliquam primam causam materialem communem huiusmodi rebus, vt licet Angeli habeant primum subiectum suarum mutationum, & res corporales similiter, tamen quia neq; hæ possunt in Angelos transmutari, neque econuerso, non potest ex transmutatione concludi, dari aliquod primum subiectum commune omnibus illis. Eademque ratio est de corporibus cœlestibus, & sublunaribus, quia neque hęc in illa transire possunt, neque econuerso: imò idem est de cœlis ipsis inter se, quia non sunt mutuò transmutabiles, sed vnumquodque in se tantùm potest accidentaliter mutari. Quod ipsum à fortiori verum est in spiritualibus substantiis creatis. In his ergo omnibus solùm concluditur, dari vnum commune subiectum accidentium, inter quæ fit mutatio. In his autem inferioribus substantiis & corporibus, quoniam mutuò transmutabilia sunt, rectè concluditur aliquod commune & primum subiectum. Vt autem cõcludatur hoc subiectum esse materialem causam ipsiusmet substantiæ talium rerum, necesse est addere illam mutuam transmutationem earum inter se esse secundum substantiam, & non tantùm secundum accidentia, quia si in solis accidentibus transmutarẽtur, satis esset in eis dari primum subiectum talium accidentium, siue illud esset substantia simplex, siue composita, & siue esset vnius rationis in omnibus, siue diuersæ. B

XII. Non accidentalis modo, sed substantialis etiam in reb. transmutatio. Ad concludendum ergo dari materiam primam, qualem Aristoteles posuit, restabat probandum, transmutationem horum corporum inferiorum quam experimur, non solùm esse accidentalem, sed etiam substantialem. Hoc autem præter experientiam, quæ per se videtur satis euidens, non solùm in elementis, & in mixtis inanimatis, sed multò magis in viuentibus, animalibus, & in nobis ipsis cùm generamur, & morimur: præter hanc (inquam) experientiam, ratione probandum est ex necessitate formarum substantialium ab accidentibus distinctarum; nam si dantur hæ formæ, necesse est dari materiam primam, quæ sit subiectum earum, & cum eis componat vnam substantiam integram, quod est esse causam materialem substantiæ. Dari autem formas substantiales, probandum est infrà disputat. 15. & ideò nunc supponatur: & tantùm ex ea hypothesi demonstratum habeatur dari veram ac propriam materiam primam in his rebus quæ generantur & corrumpuntur: est enim consecutio euidens, & omni carens difficultate: antecedens verò dicto loco probandum est. C

SECTIO II.

Vtrum materialis causa substantiarum generabilium, & corruptibilium sit vna vel multiplex.

IN hac sectione & sequenti breuiter attingendæ sunt opiniones veterũ Philosophorum, quas Aristoteles variis in locis latè pertractauit, atque impugnauit, præsertim 1. Metaphysicæ, cap. 3. & sequentibus, & 1. Physic. à cap. 2. & 1. de Generat. cap. 1. & sequentib. & 3. de cœlo c. 7. & apud Diogenem Laertium in vitis horum Philosoph. eadem leguntur: & apud Platonem in Theeteto & Sophista, & Plotinum lib. 9. Æneid. 2. & Theophrastum in sua Meraphys. cap. 3. & Plutarch. lib. 1. de placitis, ca. 3. & ex Patribus attigit Augustinus libr. 8. de Ciuit. à principio, & Epiphan. lib. 3. cont. hæres. in 80. & Irenæus lib. 2. cont. hæres. c. 19. & Clem. Rom. libr. Recognitionum, & Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Et Eusebius 14. de præparat. Euangel. à principio, & Ambrosius libr. 1. Exam. ca. secundo. Horum itaque Philosophorum sententias ad duo capita reuocamus: vnum eorum qui posuerunt plura materialia prima principia, de quibus hîc agemus: aliud eorum qui vnum tantùm posuerunt, sed in eo assignando errarunt, de quibus dicemus sectione sequente. I. Aristoteles.

Sententia infinita principia materialia constituentium.

II. Leucippus. Democrit. Epicur. Methrodor. Anaxag. PRima igitur sententia fuit materialem causam rerum omnium conflari ex corpusculis indiuisibilibus, seu atomis, quæ posuerunt esse infinita Leucippus, Democritus, Epicurus, Metrodorus, & Anaxagoras. Qui ferè omnes censuerunt hæc corpuscula esse similia inter se, & eiusdem rationis, solumq; pro varietate situs, figuræ, & ordinis varia entia componere: & rerum corruptionem nihil aliud esse quã dissipationem seu inordinationem atomorũ: generationem verò esse nouã compositionem earum. Anaxagoras verò posuit atomos partim similes, partim dissimiles, vt ex similib. res homogeneæ fierent, ex dissimilibus verò res dissimiles, vt in corpore organico partes heterogeneæ, v.g. caro ex atomis carneis, os verò ex osseis, & sic de aliis. Rursus videntur quidã eorum, posuisse has atomos omnino indiuisibiles; & ideò vt possent corpus componere, aiebant non solũ ex ipsis, sed etiã ex aliquo vacuo, seu inani corpus coalescere: nam si illæ omnes immediatè & solidè cõiungerentur, nunquã moles accre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

accresceret, vt sumitur ex Aristot. 1. Metaph. 4. Alij verò non videntur illas posuisse Mathematicè indiuisibiles, sed Physicè tantùm, iuxta quam interpretationem non est necessarium interponere aliquod inane inter ipsas atomos, vt ex eis corporis magnitudo excresceret. Rursus ex his Philosophis quidam nullam efficientem causam rerum præter has atomos posuisse, neq; etiam finalem, sed ex earum vario concursu, & perpetua agitatione res quasdam dissolui, & aliàs casu consurgere: & ideò, vt Aristoteles refert, Epicurus dixit habere hæc corpuscula naturale pondus, quo semper ferrentur. Alij verò, vt Anaxagoras, posuerunt efficientem causam intellectu & voluntate operantem, & ex his corpusculis varia componentem.

Citatis locis & 4 Metaphy. c. 1.

III. Refutatur proposita sententia.

Sed hæc pars spectat ad disputationes de causis efficiente, & finali. Nunc, quod ad rem præsentem spectat, hi Philosophi inprimis non cognouerunt veram materialem causam, quæ sit potentia Physicè receptiua alicuius actus: nam illæ atomi non sunt in potentia ad recipiendam aliquam formam Physicam; nec possunt dici materia totius compositi, nisi eo modo, quo partes integrales dicuntur materia totius, & lapides ac ligna materia domus. Vnde vlterius fit, vt iuxta illum philosophandi modum formę naturalium entium, quasi artificiales tantùm sint, nimirum figuræ quædam consurgentes ex vario situ, & ordine atomorum. Atq; ita nulla erit vera substantialis generatio, & corruptio, sed tantùm varia coordinatio, aut deordinatio atomorum. Et quanquam Anaxagoras ponat atomos diuersarum rationum, tamen necesse est vt omnes ponat confusas, & permistas in singulis rebus, vt per eductionem earum possit ex vna re, alia generari. Atq; ita res omnes solùm in hoc different, quòd quædam habent quasdam atomos magis patentes seu in exterioribus partibus, aliàs verò magis latentes, & in partibus secretioribus: quæ tota diuersitas solùm est in situ, & coordinatione atomorum. Adde intelligi non posse quomodo tam varia corpuscula habentia repugnantes conditiones, in singulis rebus intimè coniungantur. Nec minùs est inexplicabile, quomodo ex qualibet re hæc corpuscula latentia in lucem proferatur, vt res aliæ gigni, vel potiùs componi videantur.

Absurda secuta ex sententia asserente atomos materiales causam.

IIII. Illud etiam est absurdum in his omnibus Philosophis, quòd infinitam multitudinem ponant horum corpusculorum: nam vel intelligunt in singulis entibus naturalib. esse infinitam multitudinem harum atomorum, vel solùm in toto vniuerso; in singulis verò corporibus aut partibus eius esse finitam multitudinem. Priori sensu est sententia prorsus absurda: non enim possent infinitæ atomi componere aliquod corpus, quin illud excresceret in infinitam magnitudinem: nam si atomi nõ fingantur indiuisibiles Mathematicè, sed Physicè, habebunt singulæ aliquam magnitudinem, in qua vel omnes erunt æquales, quia nulla est inæqualitatis ratio, vel saltem assignari poterit minima atomus, cui aliæ sint vel æquales, vel maiores: ergo ex huiusmodi atomis infinitis necessariò componetur magnitudo actu infinita. Si verò atomi sint indiuisibiles Mathematicè, non possunt magnitudinem componere, nisi interponatur spatium inane, quod spatiũ erit diuisibile & alicuius magnitudinis, ex quo similiter concluditur infinitas atomos sic inter se distãtes necessariò efficere infinitũ corpus, occupans seu includens infinitum spatium, partim inane, partim repletum atomis. Nec potest afferri instantia de infinitis punctis existentibus in linea, nam ibi nulla sunt puncta immediata, quia tota linea est cõtinua: in atomis autem necesse esset, signata qualibet atomo esse aliquam proximè distantem ab illa, per certam aliquam & definitam distantiam, & sic de reliquis: necessarium ergo esset vt infinita illa corpuscula, infinitum spatium illo modo occuparent.

V. Posteriori autem sensu est etiam illa sententia improbabilis: & inprimis contra illũ procedũt omnia, quę aduersus infinitam mundi magnitudinem scripsit Aristot. 3. Physic. & 1. de Cœlo. Deinde euidens est totam sphæram rerum generabilium & corruptibilium esse finitam, cùm ad sphæram lunę terminetur: attribuere autem etiam cœlis cõpositionem ex atomis, illosq; extendere in infinitum, nõ potest esse Philosophicum, quia neq; experientia, neq; ratio nos ducit ad ita existimãdum. Tandem si quodlibet corpus finitæ magnitudinis constat tantùm finitis atomis, non põt sufficere hæc atomorũ fictio ad generationes & corruptiones rerum: tum quia ex eadem re possunt res variæ ferè in infinitum generari: tum ẽt quia oporteret semper corporis magnitudinem multùm diminui in qualibet generatione & corruptione per dissipationẽ atomorum, cùm tamen constet experientia nõ semper id accidere. Nisi fortè dicatur semper fieri veluti quandam circuitionem atomorũ, dum interiores ad externas partes educũtur, exteriores verò ad intimas partes impelluntur: ideoq; nõ minui rei magnitudinem. Sed hoc nihil potest esse absurdiùs: inde enim fit, re ipsa nihil mutari nisi secundum locũ aut apparentiam. Estq; illa inductio, & eductio atomorum contra experientiam: quando enim ex stupa generatur ignis, non tantùm in exterioribus partibus, sed intimè & in tota magnitudine fit generatio: & cùm homo moritur, in omnibus partibus tam internis, quàm externis fit corruptio. Est ergo hæc sententia prorsus absurda, neq; habet fundamentum, cui satisfacere necesse sit. Illud enim principium, in quo tam citati Philosophi, quàm alij fundati sunt: *Ex nihilo nihil fit*, quem verum sensum habeat, inferiùs declarabimus.

Opinio ponentium plura principia materialia finita.

VI. Empedocles.

Secunda sententia ponit etiam plura principia, seu plures primas causas materiales rerum generabilium, in numero tamen finito. Ita sensit Empedocles, qui quatuor elementa, ignem, aerem, aquam & terram, dixit esse quatuor primas causas materiales ex quibus mista generantur, ipsa vero non habere priorem causam, aut principium materiale. Veruntamen hæc sententia falsa est, & euidenter refutari potest: nam inprimis quamuis attigerit compositionem seu generationem misti ex elementis, non tamen cõsiderauit transmutationem elementorum inter sese, cùm tamen constet, & aerem conuerti in ignem, & aquam in terram, & econuerso. Huiusmodi autem transmutationis non possunt elementa esse principia materialia, sed aliquod subiectum commune omnibus illis. Quòd si fortè existimauit Empedocles elementa non transmutari substantialiter, ideoq; non constare materia, & substantiali forma, sed esse quædam entia omnino simplicia, accidentibus subiecta: contra hoc inprimis ostendemus inferiùs, non minùs esse certum dari formas substantiales elementorũ, quàm aliorũ entium.

Referuntur præcedentia sententiæ.

entium naturalium, & consequenter verè ac substãtialiter inter se transmutari. Deinde licet id admitteremus, nullũ esset fundamentum ad multiplicandas materias, seu prima subiecta substantialia, sed dicendum potiùs esset in omnibus elementis esse idem substantiale subiectum, quod diuersis accidentibus affectum, distinctum appellatur elementum. Cumque illud etiam subiectum sit principium materiale mistorum, fit, vt re ipsa & substantialiter tantùm sit vna prima causa materialis omnium rerum.

VII. Quòd si fortasse diceret Empedocles illam naturalium accidentium diuersitatem, quæ in elementis conspicitur, indicare satis essentialem distinctionem substantialium subiectorum: ex hoc ipso sumitur efficax argumentum ad hominem, quando aer ita ab igne transmutatur vt propriis accidentibus ignis maneat affectus, non solùm fieri mutationem in accidentibus, sed etiam in ipsa substantia: non potest autem fieri in tota entitate substantiali propter rationes factas in superiori sectione de annihilatione, & creatione: ergo necesse est fateri, etiam in ipsis elemẽtis esse aliquod subiectum priùs ipsis: & commune illis, ratione cuius possint mutuò transmutari: ergo non sunt illa causæ primæ materiales, sed datur alia prior quibus illa constant. Atque hinc etiam cõcluditur non esse hæc elementa primas causas materiales mistorũ, quia in ipsismet datur materia prior ipsis. & hæc est etiam causa materialis mistorum, quę in illis manet, & eorum formis informatur. illa est ergo causa prima in illo ordine etiam mistorum, eò vel maximè, quòd iuxta veram sententiam elementa non manent formaliter in misto, id est, secundum proprias formas substantiales, quia non potest forma substantialis misti cadere (vt sic dicam) supra formam elementi, seu informare materiam vt iam informatam forma elementi: ergo elementa secundum proprias substantias non sunt causa materialis permanens, & propria mistorum, sed eadem materia, quæ est prima causa materialis ipsorum elementorum, est etiam mistorum.

Quæstionis resolutio.

VIII. Dicendum ergo est primam materiam, seu materialem causam omnium rerum sublunarium esse tantùm vnam. Quæ est communis sententia omnium Philosophorum, quos in sequentibus referemus. Et sufficienter probatur ratione nunc facta contra Empedoclem, & posteriori discursu facto sectione præced. Vbi ex communi & mutua transmutatione rerum sublunarium, ostendimus dari communem materiam: illa enim ratio æquè probat primum subiectum, quod sub his omnibus transmutationibus manet, esse vnum tantùm. Tum quia contraria principia, ex quibus fiunt generationes & corruptiones, versari debent circa idem. Tum etiã, quia illud subiectum est ex se indifferens ad quaslibet formas rerum corruptibilium, & dispositiones earũ: non ergo requirit in se distinctionem seu multiplicationem, imò non est vnde illam habeat. Et econuerso omnis forma rei generabilis cuiuscunq; speciei, potest introduci in quamcunque partem huius materiæ, si commodè disponatur: ergo signum est materiam hanc secundum se esse vnam, & eiusdem rationis, & sufficientem in suo genere ad causandos omnes effectus, qui in his rebus possunt materialiter causari, si aliæ causæ in aliis generibus necessariæ applicentur seu concurrant.

IX. Obiectio. Satisfit.

Solùm potest obiici, quia causa materialis est intrinseca & essentialis: hæ autẽ res generabiles & corruptibiles sunt essentialiter diuersæ: ergo non potest vna & eadem materia esse in omnibus illis. Sed hæc obiectio tangit quęstionem illam, an materia sit pars quidditatis substantiarum materialium, quam inferiùs commodiori loco tractabimus, nunc breuiter respondetur essentias harum rerum materialium esse diuersas ac similes quoad formas: similes verò quoad primam materiam. Neque hoc quicquam obstat essentiali diuersitati: hæc enim non excludit conuenientiam & similitudinem in aliqua parte. Disputa. 19. sect. 2.

SECTIO III.

Vtrùm prima & vnica causa materialis generabilium substantiarum, sit aliquod corpus simplex, vel substantia integra.

I. Antiqui Philosophi (vt Aristoteles & alij authores præcedente sectione citati referunt) qui vnum tantùm materiale principium naturalium rerum posuerunt, ferè omnes putarunt esse aliquam substantiam integram, seu corpus simplex, quale Auerroes existimat esse cœleste corpus. De illo autem corpore seu materiali causa, fuit inter eos multiplex opinio.

Opiniones Philosophorum de vno materiali principio.

II. Prima asseruit hoc principium esse aquam, cuius author fuit Thales Milesius: alij verò, vt Plutarchus, putant antiquiorem esse, & ab Orpheo duxisse originem. Secunda opinio hoc munus tribuit aeri, quam docuêre Anaximenes, & Diogenes Apolloniades, vt Aristoteles refert 1. Physicæ cap. 3. & ibidem Simplicius declarat. Tertia opinio fuit, ignem esse huiusmodi causam, quam docuêre Hippasus, & Heraclitus: & eandem secuti sunt Stoici, vt est apud Ciceronem 3. de Natura Deorum. Quarta sententia potuit ad hoc officium terram eligere, eò, quòd omnibus subsit, & sit veluti cõmunis omnium mater. Aristoteles tamen 1. Metaphysicæ capite 7. ait, hanc fuisse vulgi opinionem: nullum autem Philosophorum in eam inclinasse, eò, quòd terra propter nimiam densitatem & siccitatem ad recipiendas aliarum rerum formas, vel figuras inepta esse videatur. Hesiodus tamen in sua Theogonia absolutè vocat terram omnium rerum materiale principium: idemque sensisse Pherecidem refert Theodoretus in libro de Materia & mundo. Quinta opinio nulli ex quatuor elementis hoc munus tribuit, sed cuidam corpori insensibili medio, vel inter aquam & aerem, vt Aristoteles refert primo Metaphysicæ capite septimo, vel inter aerem, & ignem, vt Anaximander, qui addidit hoc medium corpus esse infinitum, ne vnquam generatio deficeret: contra quam infinitatem alibi disputat Aristoteles. Videtur autem inde colligi, Philosophum hunc non posuisse hoc corpus incorruptibile, alioqui non esset cur timeret successione generationum posse consumi, si finitum esset, quamquam vix possit intelligi quomodo fecerit illud corruptibile, si existimauit illud esse simplex, & commune subiectum generationis.

Anaximen. Diogen. Aristot. Simplic. Hippasus. Heraclitus. Hesiodus. Pherecides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

III. Indicit fert. tyt de præcitis sententiis.

Prolixum esset ac superfluú propria motiua horum omnium Philosophorum referre, eò, quòd & incerta sint, & nullam præ se ferant probabilitatem, aut verisimilitudinem, vt ex dicendis obiter constabit. Illud verò commune omnibus fuisse videtur, quod nihil de nouo simpliciter fieri putarunt, quoniam ex nihilo nihil fieri potest, ideoque nec substantiales formas agnouisse videntur, nec generationem, corruptionemue substantialem. Imò multi eorum indicant nullas esse accidentales formas, quæ vera entia sint, quia non intelligebant aliquam veram rem posse de nouo fieri, sed omnem mutationem quam experimur, putabant consistere in variis modis se habendi illius rei quam putabant esse communem materiam. Ex quo aliqui eò vlteriùs progressi sunt, vt non dicerent causam materialem omnium entium esse vnam, sed omnia entia esse vnũ, non numero, sed substantia & essentia, qui licet rem falsam & improbabilem dicerent, consequenter tamen loquebantur, si de solis corporibus generabilibus agebant. Nam, si hæc non transmutantur substantialiter, nec differunt per substantiales formas, sed per accidentia, aut diuersos modos se habẽdi, re vera nulla datur materialis causa substantiæ, sed datur tantùm substantia simplex, quæ non est alia, & alia essentialiter, sed vna aliter, & aliter se habens sub diuersis accidentibus.

Xenophan. Parmenid., Meliss. Atqui hæc fuit opinio Xenophanis, Parmenidis, & Melissi, qui hoc sensu dixerunt omnia esse vnum ens, & quidquid est præter illud, esse non ens: nam accidentia vel modos illius entis inter entia non numerabant. Et consequenter omnem generationem, aut mutationem simpliciter è medio tollebant, eò quòd illud ens facerent ingenerabile, & incorruptibile & mutationes accidentales, quia non dant esse simpliciter, non censebant dignas absoluta appellatione mutationum. Sunt qui horum Philosophorum sententiam aliis modis interpretentur, scilicet, quod per vnum ens intellexerint vnum vniuersum quod omnia complectitur, vt innuit Aristoteles 1. de Gener. capite 8. & Simplicius 1. Physicæ capite secundo, vel per vnum ens intellexerint Deum, qui solus verè est. Refert enim Aristoteles 1. Metaphysicæ capite quinto, & Cicero libro 2. Academic. quæstionum, Xenophanem illud vnum ens, Deum appellasse. Atque ita multi & graues authores hos Philosophos per ænigmata locutos fuisse, & figuratis locutionibus veritatem occultasse existimant: Aristotelem verò impugnasse eorum sententias quatenus in ipsa verborum specie & superficie proferri videbantur. De qua re legi possunt D. Thom. 3. Metaphys. textu 15. Philopon. & Simplicius 1. Physicæ cap. 2. Eugubinus libro 3. de peren. Philosop. à capite quinto. Mirandus libro sexto de examin. vanit. capite primo, & Bessario, libris contra Calumniat. Platonis. Nostra parum refert quid isti Philosophi senserint, aut quæ mysteria suis verbis occultauerint. Non est tamen dubium, quin si formas substantiales ignorarunt, vt ignorasse videtur, cùm de eis nullam mentionem fecerint, facilè, satisque consequenter potuerint in eam sententiam incidere prout à nobis explicata est. Vnde sola substantialium formarũ probatione, & confirmatione, tam hæc sententia, quàm cæteræ refutantur.

D. Thom. Philop. Simplic. Eugub. Mirand. Bessario.

IV. Opinio asserẽs corporeitatis formam

Potest tamen hoc loco referri alia opinio, quam multi ex modernis Philosophis secuti sunt, ponentes in materia primà formam corporeitatis illi coæquam, & ab illa inseparabilem. Nam licet respectu talis formæ materialis, causa eius sit simplex, id est, absque essentiali & Physica compositione, tamen illud commune subiectum, quod sub omni transmutatione manet, & est vniuersalis causa materialis omnis generationis, & omnis formæ substantialis, quæ per eductionem fit, & omnis compositi quod generatur, illud (inquam) subiectum iuxta prædictam opinionem non est simplex, sed essentialiter compositum, & corpus aliquod non mistum, neque etiam aliquod ex elementis, neque medium inter illa per eorum participationem, sed absolutè corpus per præcisionem omnium inferiorum formarũ. Quam opinionem tenuit Auicenna libro 1. Sufficient. cap. 2. Cuius fundamentum est, quia subiectum generationis debet esse corporeum & extensum, & consequenter quantum: non potest autem esse huiusmodi nisi aliquam formam substantialem habeat. Et hanc opinionem ex parte secuti sunt Scotus & Henricus: ille enim in 4. distinct. 11. quæst. 3. art. 2. in omnibus & solis viuentibus putat esse necessariam huiusmodi formam corporeitatis seu mistionis (vt ipse loquitur) hic verò quodlib. 1. quæst. 2. & 3. & quodlib. 3. quæst. 13. & 14. in solo homine illam admittendam censet propter diuisibilitatem animæ rationalis. Vterque hi duo authores non ponunt hanc formam inseparabilem à materia, neque vt per se necessariam ad primam causalitatem materialem subiecti generationis, sed propter alias speciales causas: & ideò eorũ opinio ad præsentem locum non spectat.

Auicenna. Scotus. Henric.

Quæstionis resolutio.

V. Prima conclus.

Dicendum igitur est primò, causam materialem in suo ordine vniuersalem & primam non esse aliquod ex sensibilibus corporibus seu elementis, quæ contrariis qualitatibus afficiuntur. Hæc assertio est contra quatuor opiniones, & est euidens ex dictis in sectione præcedenti: nam, si hæc elementa & omnia corpora sensibilia inuicem transmutantur substantialiter, nullum eorum potest esse primum subiectum transmutationis: nam primum subiectum, quod est prima causa materialis quam inquirimus, non transmutatur, nec recedit à sua substantia: alioqui resolueretur in aliud prius subiectũ & ita ipsum non esset primum. Præterea cùm generatio fiat inter contraria, necesse est vt commune generationis subiectum, nullum habeat contrariorum sibi naturaliter innatum, alioqui vel nunquam erit capax alterius contrarij, vel corrumpetur per abiectionem eius, quod sibi est connaturale: sicut destruitur elementum ablata qualitate sibi necessaria. Cùm ergo singula elementa sint affecta propriis qualitatibus habentibus contrarium, nullum eorum esse potest aptum generationis subiectum. ergo neq; esse potest prima causa materialis entium naturalium.

VI.

Atque hinc consurgit tertia ratio, quia non est cur hæc causalitas potiùs attribuatur vni elemento, quàm alij, neque etiã est cur magis repugnet omnibus simul, quam alicui eorum: sed ostensum est non posse omnibus conuenire: ergo nulli verè attribuitur. Prior pars maioris propositionis declaratur, quia singula elementa sunt simplicia corpora, & vnumquodque est aptum & institutum ad mistorum generationem, & nullum eorum ex aliis potest vllo modo constare: singula enim proprias habent qualitates repugnantes aliis: ergo in omnibus est æqualis ratio, vel repugnantia, ne esse possint communis materia

materia rerum omnium generabilium. Quod enim in quibusdam sint quædam conditiones accommodatæ ad officium materiæ communis, vt est, verbi gratia, in igne subtilitas, ratione cuius facile potest omnia penetrare: in aere quòd ferè sit cõmunis locus rerum omnium, & facile externas impressiones recipiat, in aqua humiditas cum ea densitate cõiuncta, quæ ad constituendum nutrimentum rerum omnium proportionata videatur: hæ (inquam) cõditiones nil referunt, tum quia magis iuuant, vel ad rationem efficiendi, vel ad rationẽ materiæ transeuntis, quam ad propriam & intrinsecam rationem causæ materialis: tum etiam, quia illæ conditiones sicut sunt accommodatæ quibusdam rebus, ita sunt repugnantes aliis: subtilitas enim ignis habet proportionem cum materia rerum subtilium non verò cum materia rerum densarum: & sic de aliis. Prima verò materialis causa cùm sit communis omnibus, ex se debet esse indifferens ad omnia.

VII.

Altera pars maioris propositionis probatur, quia omnia elementa simul non possunt esse materia cõmunis, quia transmutantur ad inuicem substantialiter: imò nec mistum componere possunt nisi substantialiter transmutata: sed hæc ratio æquè probat de vnoquoque elemento per se sumpto: ergo. Vnde confirmatur tandem, quia nullum elementum potest esse materia aliorum elementorum, vt per se notum videtur, cùm sibi repugnent. Nec in sua natura manens potest esse materia alicuius misti, cùm etiam forma misti pugnet cum forma elementi: ergo nullum elemẽtum esse potest communis materia rerum omnium naturalium. Et hæ rationes à fortiori conuincunt de omnibus mistis, maximè cum illa ex elementis constent: & ideò nullus hactenus hanc causalitatem alicui misto attribuit.

VIII. 2. Conclusio.

Dico secundò; Materia prima non est aliquod corpus, seu substantia completa, & integra in essentia, & specie substantiæ. Duobus modis intelligi potest materiam esse huiusmodi substantiam. Primò, vt ipsa sola sit substantia omnium rerum generabilium, solúmque formetur distinctis accidentibus eorum: & in hoc sensu probanda est assertio ex eo, quòd res naturales non tantùm differunt accidentibus, sed etiam substantia, & essentia, vt superiori sectione contra Epicurum, & alios argumentabamur. Item reiicienda est (& ferè in idem redit) ex veritate formarum substantialium, quam demonstraturi sumus disputatione decimaquinta. Illa enim veritate suppositа, euidenter sequitur materiam nõ esse tam rerum materialium substantiam, & has res non tantùm accidentibus, sed essentia etiam, & substantia differre, nec secundum sola accidentia, sed etiam secundum substantiam transmutari. Quod etiam ipsa experientia satis est euidens: nam quando res mutatur in solis accidentibus, permanent in illa aliquod vestigium proprietatum, & operationum eius, vel saltem remotis agentibus cõtrariis ad suum statum & naturam reducitur; videmus autem res aliquas ita mutari & destrui, vt priores proprietates & operationes prorsus admittant, neque ad illas redeant, vnquam, etiam si omnis actio contraria cesset, & econuerso res aliæ ita producuntur & generantur, vt in illo esse quod acquirunt, tanquam in proprio & connaturali constanter permaneant, & secundum illud habeant proprias & connaturales operationes ac dispositiones, quas conseruant, quoad possunt, & si aliquando ab aliquo contrario labefactentur, vel minuantur, statim ac contraria eas recuperant ex propria & intrinseca natura: signum ergo est corrumpi res & generari, non tantùm in accidentibus sensibilibus, sed etiam in propria substantia. Atque his modis impugnatur tam quinta opinio suprà recitata, quàm ea, quæ asserebat omnia esse vnum in sensu declarato.

Alio ergo modo posset quis fingere materiam esse substantiam integram, & completam in aliqua specie substantiæ, & nihilominus esse aptam ad recipiendas vlteriores formas substantiales, & componendas cum eis varias substantias & essentias materialium rerum. Et hic etiam sensus improbabilis est: aut enim materia esset completa substantia omnino simplex, aut esset composita ex aliqua potentia, & actu substantiali, hoc posterius dici non potest; primò, quia iam non totum illud compositum, sed potentia ex qua constat, esset prima causa materialis. Dicetur fortasse id esse verum respectu illius compositi, quod ingenerabile fingitur, & incorruptibile: respectu tamen omnium entium generabilium, seu generationis ipsorum primam causam materialem esse totum compositum. Sed contra hoc obiicitur secundò, quia sine vllo fundamento fingitur tale compositum: nullum enim est indicium, aut sensibile signum illius formæ interiectæ inter puram materiam, & alias formas, quæ per generationem inducuntur. Quia illa forma nullam habet sensibilem proprietatem qua dignoscatur: nam primæ qualitates per se consequuntur ad formas elementorum, & temperamenta ex illis qualitatibus composita ad formas mistorum: reliquæ autem qualitates omnes vel proprietates quas experimur, supponunt saltem in genere causæ materialis & dispositiuæ priores qualitates: nullum ergo est sensibile, aut materiale indicium talis formæ. Vndè fit tertiò, vt sit omnino superflua, quia nullus est Physicus effectus propter quem sit necessaria, quia non propter efficiendum, cùm non habeat vllam qualitatem per quam efficiat: aliunde vnicuique qualitati sufficiat propria forma, cui est connaturalis. Neque etiam propter recipiendum: nam ad hoc sufficit illa potentia, quæ tali formæ substare dicitur: cur enim non poterit etiam illa immediatè subiici formæ, quę per generationem inducitur? Et propter eandem causam non est necessaria talis forma ad conseruandam illam potentiam cuius actus esse dicitur, quia ad hoc etiam satis est forma, quæ per generationem inducitur. Igitur superfluè & sine fundamento fingitur talis forma.

IX.

X.

Quartò accedit impossibilitas coniungendi duas illas formas in eadem potentia seu materia: nam, licet in quæstione sit, an forma quasi generica, & specifica, possint simul actuare materiam, quod paulò inferùs attingemus, tamen quod duæ formæ specificæ simul coniungantur ad actuandam eandem potentiam substantialem, planè est impossibile naturaliter: & in hoc ferè omnes authores conueniunt. Quia vel duæ illæ formæ immediatè actuarent materiam, vel vna esset actus alterius, seu materię, vt informatæ per illam. Primum dici non potest, præsertim iuxta illam sententiam, quia aliàs prior forma non necessariò supponeretur ad posteriorem, neque compositum ex materia & tali forma, esset proxima potentia & materialis causa subsequentis formæ. Secundum enim dici non potest, quia forma substantialis, constituens integram & completam substantiam habet rationem actus vltimi in ratione actus substantialis, & essentialis, quia constituit vltimam

Universidad de Deusto
Biblioteca

timam quandam speciem substantiæ: ergo non potest comparari per modum substantialis potentiæ ad vlteriorem formam. Deniq; ratio generalis est, quia non potest vna & eadem substantia essentialiter ac per se constitui in duabus speciebus vltimis, sed per quamcumque formam ex illis constituitur in propria & completa specie substantiæ: ergo non possunt simul coniungi illæ duæ formæ in eadem materia. Aliàs quælibet substantia quantumuis completa, posset actuari per vlteriorem formã substantialem, quia non potest maior ratio reddi de vna, quàm de alia. Et huc etiam spectat illa communis ratio, quòd forma adueniens enti iam in actu constituto non facit vnum per se, sed per accidens ex Aristotele 7. Metaphys. text. 49. & 2. de anim. text. 7. & ideò non potest esse forma substantialis, sed accidentalis, quia forma substantialis constituit per se vnum, non per accidens. Et ratio est, quia forma substantialis dat esse simpliciter & essentiale, & ideò non potest supponere rem constitutam in esse simpliciter, & in essentia completa & consummata. Forma verò accidentalis dat esse secundum quid, quod per accidens adiungitur essentiæ consummatæ. Igitur impossibile est subiectum, quod est causa materialis rerum generabililium, & generationis substantialis, esse substantiam completam, & per formam propriam ac specificam, constitutam.

XI. Atque hæ rationes æquè efficaciter probant non posse illud subiectum esse simplicem substantiam integram & completam in ratione, & specie substãtiæ: quia impossibile esset talem substantiam vlteriùs actuari & compleri per substantialem formam. Si enim hoc repugnat substantię compositæ, multò magis simplici, quæ per seipsam sit in actu completo, & perfecto. Illa enim repugnantia non prouenit ex cõpositione, sed ex actualitate completa in ratione & essentia substantiæ, quæ non potest intra illud genus vlteriùs actuari substantialiter & essentialiter: hæc autem ratio repugnantiæ eadem vel maiori ratione locum habet in substantia simplici, si in genere substantiæ integra & cõpleta esse supponatur. Atq; hac ratione substantia immaterialis non potest habere rationem substantialis potentiæ ad vlteriorẽ formã, quia est substantia simplex completa, & idem est de substantia cœli si est simplex physicè, vt multi volunt: nam est completa in quadam specie substantiæ: & ideò non potest vlteriùs substantialiter actuari: materia ergo prima, quæ actuari potest substantialiter, & ens per se vnum componere cum substantiali forma, non potest esse talis substantia simplex, quæ sit integra, & completa in genere substantiæ.

XII. 1. Conclusio. Dico tertiò. Causa materialis rerum generabiliũ non est substantia composita ex substantiali potentia, & aliqua forma substantiali incompleta, & quasi generica. Hanc assertionem communiter approbant ferè omnes authores contra Auicennam, præsertim, qui negant esse plures formas substantiales in eodem composito, vt Diuus Thomas prima parte quæstione 76. articulo 3. & 4. libro 2. contra Gentes capite 58. & libro 7. Metaphysicæ lectione 12. quem sequuntur Thomistæ, Capreolus in 2. distinctione 15. quęstione prima. Caietanus dicto loco prima parte & 2. de anima capite 1. Ferrarius citato loco contra Gentes, Soncin. 8. Metaphysicæ, quæstione 8. Iauell. quæstione 4. Soto 1. Physi. quæst. 7. Astudillo 1. de Gener. quæst. 1. & ibid. Marsil. quæst. 6. & Albert. de Saxonia, quæst. 5. & latè Ægid. tractatu de pluralitat. formar. & 2. de anim. dubio 6. Idem docuere Philopon. 1. de Gener. in principio. Themist. 5. Phys. text. 7. & Cõment. lib. de substan. orbis, & 1. Metaph. text. 17. & 1. Phys. text. 65. & 69. Imò & Auicen. 1. de ani. par. 1. cap. 3. significat in corruptione manere solam materiam, & lib. 1. sufficient. cap. 3. dubitat, an in corruptione pereat corporeitas, vt ipse loquitur. Aristotel. etiam 1. de Gener. tex. 12. & aliis locis suprà citatis apertè indicat eandem sententiam. Rationes afferunt variæ à Doctoribus: duæ tamen sufficere videntur, quæ cum proportione sumi possunt ex probationibus præcedentis assertionis.

D. Thom. Capreol. Ferrar. Caietan. Soncin. Iauel. Soto. Marsil. Astudill. Albertus. Auicen.

XIII. Prima ratio est, quia in natura nullum est indiciũ talis formæ perpetuò coæuæ & inseperabilis à materia, neque effectus aliquis propter quem sit necessaria; ergo sine fundamento, vel necessitate fingitur talis forma. Antecedens probatur, quia illa forma nullam habet qualitatem sibi propriam per quam cognoscatur, neque ex transmutatione substantiali colligi potest, quia ex huiusmodi transmutatione solùm colligitur dari aliquod subsstãtiale subiectum eius. Quod autem sit compositum, neque ad rationem subiecti necessarium est, nec ex alio indicio inferri potest. Dices ad rationem subiecti mutationis Physicæ requiri, vt sit extensum, & diuisum ab aliis: & ad hoc necessarium est, vt habeat aliquam formam, quia sola materia per se ipsam non est capax extensionis & diuisionis; nam actus est, qui distinguit: hoc enim fuit fundamentum contrarię sententię. Sed hæc ratio nullius momenti est, quia siue opinemur quantitatem & extensionem ordine naturæ præcedere simpliciter in materia prima ad substantialem generationẽ, siue opinemur subsequi ad formam per generationem introductam, & afficere totum compositum, neutro modo est necessarium, vt subiectum generationis sit compositum ex materia, & aliqua forma. Declaratur vtraque pars, nam si quantitas supponitur ad formam per generationem inducendam, facilè intelligi potest inhærens ipsi entitati materiæ: nam, vt infrà ostendemus, veram & substantialem entitatem habet.

XIV. Et confirmatur, nam illud cõpositum quod fingitur ex materia & forma corporeitatis, incompletũ quid est, & ita potentiale, vt naturaliter appetat vlteriorem formam, sine qua vel omnino, vel saltem cõnaturali modo esse non potest. Et nihilominus dicitur illud compositũ esse sufficiens subiectum quãtitatis priùs natura, quàm recipiat vlteriorem formam: ergo multò meliùs & faciliùs attribuetur tota illa capacitas simplici entitati materiæ, quia nulla maior repugnantia fingi potest quoad hoc in entitate simplici, quàm in illo composito, neque actualitas talis entitatis, qualiscunque illa sit, magis repugnabit cum vnione ac compositione per se vltimæ formæ substantialis, quàm actualitas illius compositi ex materia & forma corporeitatis: ergo iuxta hanc opinandi rationem non est necessaria illa forma. Minùs autem necessaria est, si opinemur, quantitatem consequi formam, quæ per generationem introducitur: nam iuxta hanc sententiã supponit quãtitas ordine naturę substantiam compositam ex materia & propria forma. Vnde dicendum consequenter erit iuxta illam opinionem ante instans intrinsecum generationi, toto tempore quo fit alteratio præuia, supponi materiam in se extensam & diuisam ab aliis per quantitatem & formam rei corrumpendæ: in instanti verò generationis conseruari extensam & diuisam per formam introductam, & quantitatem comitantem illam in eodem instanti: nullus ergo

ergo est naturalis effectus, nullumue signum rationę cuius talis forma vel compositio ex parte materiæ admittenda sit.

XV. Secunda ratio est, huiusmodi formam esse incõpossibilẽ, in materia cũ subsequentibus formis. Hoc autem communiter probari solet ex illa maxima, quod ex duobus entibus in actu non fit vnum per se: nam prima forma substantialis constituit ens in actu absolutè & simpliciter, quia dat esse simpliciter: ergo nulla forma superueniens potest ens per se vnum ac simpliciter constituere. Ad hanc verò rationem responderi potest, solùm procedere de forma substantiali dante esse specificum & vltimum: nam illa, quæ dat præcisè esse genericum, licet habeat rationem actus respectu materiæ, comparatur tamen vt potentia ad inferiorem formam, & quia est eiusdem generis, constituere poterit vnum per se cum suo actu. Ita enim philosophantur hi authores in physicis formis, sicut omnes ratiocinamur in Metapysicis differentiis, in quibus differentia subalterna est actus, superius genus actuans, & propriam speciem constituens: quæ tamen est potentia ad inferiorem differẽtiam, cum qua ens per se vnum Metaphysicè componit. Sic ergo dicendum est iuxta prędictam sententiam de Physicis formis. Vnde cùm dicitur, omnem formam substantialem constituere ens actu simpliciter: respõdebitur id esse verum seruata proportione: nam forma generica constituit ens actu in gradu generico: forma verò specifica in gradu specifico. Et simili proportione distinguetur illa maxima; *quod aduenit enti in actu, aduenit accidentaliter.*

XVI. Nulla forma perfectibilium generico gradu dare potest. Quocirca, vt radicitus impugnetur illa sententia, probandum nobis est nullam esse posse formam, quę præcisè det esse genericum, quin det etiam aliquod esse specificum in illo genere: nam hoc probato, optimè procedit discursus factus, quia omnis forma substantialis constituit ens actu simpliciter, & in aliqua specie vltima substantiæ, & ideò impossibile est, vt compositum constitutum per talem formam sit vlteriùs actuabile per substantialem formam. Illud autem assumptum probat primò inductione, tum in formis accidẽtalibus, tum etiam in formis separatis. Qualitates enim etiam concipiuntur dare esse specificum, vt esse album, & genericum, vt esse coloratum &c. & tamen nulla est accidentalis forma, quæ in re præcisè det esse genericum, & non aliquod specificum. Similiter in Angelis datur generica ratio spiritus, & propria differentia specifica: non potest autem esse, imò nec concipi aliqua forma separata, quæ sit substantia spiritualis, & quod in reipsa sistat in hac præcisa & generica ratione: ergo eadem ratione in formis substantialibus, quæ sunt quasi mediæ, non potest dari forma, quæ in re præcisè det gradum generieum: nulla enim assignari poterit diuersitatis ratio. Vnde argumentor secundò ex propria ratione ipsius formæ, quia non potest intelligi forma in re ipsa existens, quæ essentialiter non sit constituta in aliqua vltima specie formæ substantialis, sed omnis forma communicat composito totum esse, totamq; essentiam suam: ergo constituit illud in aliqua vltima specie substantiæ compositæ. Consequentia cum minori sunt euidentes, & declarari possunt optimè inductione facta in prima ratione. Maior verò etiam videtur certissima, quia omnis forma substantialis habet propriam entitatem distinctam in re ipsa à materia, vel aliis formis: ergo necesse est in illa entitate intelligere vltimam & propriam differentiam seu rationem, per quam distinguitur essentialiter ab aliis formis habentibus diuersam essentiã, cum quibus conuenit in communi ratione formæ substantialis: ergo omnis forma substantialis est necessariò constituta secundum suam entitatem in aliqua vltima specie substantialis formæ.

XVII. Dices etiam materia prima habet suam propriam entitatem substantialem, & tamen secundum se non est constituta in aliqua vltima specie, sed tantùm reducitur ad genus substantiæ materialis, donec per formam determinetur ad aliquam particularem rationem: ergo idem dici poterit de forma communi coæua materiæ. Respondeo falsum esse assumptum; nam materia prima rerum generabilium, de qua nũc agimus, essentialiter est constituta in aliqua vltima specie materiæ, quam retinet sub omni forma, nec variare illam potest, sed ad summum per accidentia superaddita potest ad hãc vel illam formam accommodari. Quia verò illa essentia materiæ, quamuis in se specifica & vltima talis est vt reipsa communicari possit pluribus substantiis essentialiter diuersis, ideò secundum se spectata dicitur ad substantiam materialem generabilium vt sic, & non ad aliquam speciem eius. Vnde obiter colligitur, conceptum substantię generabilis, vt sic non esse genericum ratione materiæ, sed ratione communis gradus seu conuenientiæ in forma.

Materia prima generabilis stabilẽ atomãq; speciem sibi vẽdicat.

XVIII. Vrgebis; Materia etiamsi in essentia sua habeat vltimam specificationem materiæ, nihilominus est communis multis substantiis essentialiter diuersis: ergo pari ratione licet forma corporeitatis in sua entitate & essentiali cõceptu habeat aliquam vltimam specificationem, nihilominus esse poterit communis multis substantiis habentibus vlteriores rationes essentiales diuersas. Respondeo esse disparem rationẽ, nam essentia materię est esse quasi fundamentum integræ naturæ substantialis, & compositæ, & ideò solùm est quædam essentia inchoata (vt sic dicam) per modum potentiæ: & propterea de se est indifferens, vt per varios actus compleatur: at verò forma est complementum naturæ & essentiæ substantialis, & ideò hoc ipso quòd habet determinatam & specificam rationem formæ, adiuncta materiæ complet cum illa integram substantialem naturã, & in aliqua vltima specie substantiali cõstitutam: & ideò non relinquit illam naturam indifferentem ad vlteriorem speciem. Quapropter omnes qui ponunt formam corporeitatis in omnibus, vel in aliquibus entibus naturalibus, consequenter aiunt illam formam præcisè constitui in gradu subalterno corporeitatis absq; vlla cõtractione essentiali, quod re vera est intelligibile.

XIX. Et consequenter etiam admittent compositũ ex materia & tali forma, si in reipsa conseruetur absq; vlteriori forma: esse indiuiduũ generis corporis corruptibilis, & in nulla vltima eius specie constituti: Quod autẽ possit ita conseruari de potentia absoluta videtur euidens, consequenter loquendo, cùm inferiores formæ realiter ab illo cõposito distinguantur, & à fortiori patebit ex his, quæ inferiùs de materia dicemus. Scotus vero etiam naturaliter putat id esse possibile, vt, v. g. in morte hominis vel alia simili: admittit enim ibi corruptionem substãtialem sine generatione, & cadauer nihil aliud esse, quàm hoc indiuiduum corpus his accidẽtibus affectum, & in nulla inferiori specie substantiali cõstitutum. Hoc autem consequẽs per se se mihi videtur absurdum & incredibile: nõ enim magis potest concipi hoc indiuiduũ corpus per se existens sine vlla specificatione, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic spiritus extra omnem speciem, vel hoc coloratũ A re ipsa affectũ hoc colore, & nulla specie coloris. Et ratio est suprà tacta, quia individua entitas necessariò differt essentialiter ab aliis, & ideò necessarium est, vt in se sit constituta in propria essentia nõ communi aliis. Vnde confirmatur, nam ex dicta positione sequitur, rationem genericam & specificam distingui realiter in vna & eadem re, quia sumuntur ex formis realiter distinctis: consequens autem falsum esse constat ex dictis suprà de vniuersalibus, & declarabitur etiam in sequentibus rationibus.

XX. Tertia ratio sumitur ex differentiâ inter essentialem compositionem Physicam, ac Metaphysicam, quas velle in hoc æquiparare, causa est erroris, cùm altera in rebus, altera in conceptibus existat. Argumentor igitur, nam si dari potest forma Physica, quę solùm conferat gradum genericum: ergo quot sunt gradus generici & specifici subsłantiarum materialium, tot erunt multiplicandæ formæ subsłantiales realiter distinctæ, consequẽs est falsum: ergo. Sequela probatur à paritate rationis: quę enim ratio offerri potest ob quam quidam gradus genericus datur per propriam formam realiter distinctam, & non alij? B Maximè quòd iuxta sentẽtiam quam impugnamus, non solùm in rebus, quæ videtur eleuari ad altiorem gradum corporum, vt sunt viuentia, sed etiam in infimis, & inanimatis corporibus distinguitur forma dans esse corporis, à forma dante esse ignis, aut lapidis, vel aliud simile: quæ contractio est cum minima diuersitate, quæ esse potest inter aliquod genus, & differentiam subsłãtialem: si ergo illa sufficit ad realem distinctionem formarum, quælibet sufficiet: vnde non defuerunt Philosophi qui consequens illud admitterent, est tamen non solùm falsum, sed etiam ridiculum. Primò, quia constat euidenter inductione superiùs facta ad abstrahendos conceptus generis differentiæ, & speciei, non esse necessariam illam distinctionem realem formarum, vt patet in angelis, & accidentibus. Secundò, quia sequitur multiplicandas esse in homine tres animas, quę est sententia omnino falsa, vt ex scientia de anima suppono. Imò plures etiam multiplicandæ crũnt, nam in gradu sentiendi potest aliqua conuenientia essentialis abstrahi inter hominem & aliqua animalia perfecta, quæ non sit communis omnibus animalibus, & in C ratione intelligendi potest abstrahi ratio generica communis homini & angelis, quę per propriam differentiam ad hominem contrahatur. Vnde vlteriùs sequitur innumeras formas realiter distinctas esse asserendas in singulis compositis, quia differentiæ genericæ & specificæ possunt variis modis multiplicari, iuxta varias conuenientias & differentias, quæ facile possunt in rebus considerari & secundum eas possunt varij conceptus communes vel particulares abstrahi. Est ergo magnus error in Metaphysica & Philosophia propter modum nostrum concipiendi confusum vel distinctum, ex quo sæpe oritur generum & differentiarum multiplicatio, reales ac Physicas formas distinguere. Alioqui non vnam tantùm, sed duas vel tres corporeitatis formas ponere oporteret: vnam corporis in cõmuni vt est genus ad corruptibile & incorruptibile, simplex vel mistum: aliã corporis corruptibilis aut misti vt sic. Quæ omnia ridicula sunt. Vnde non solùm necessarium non est propter has mentis operationes formas ipsas multiplicare: verùm etiam illis repugnat, quia de ratione proprij generis, & proprię differentiæ est, vt eandem rei essentiam dicant diuersimodè conceptam.

Absurda ex opinione ponẽte formã corporeitatis.

Notatu dignum.

Quod tandem confirmatur, quia impossibile est dari formam substantialem dantem specificum gradum substantiæ, quæ non det etiam illum gradum genericum, & effectum formalem, quem dare fingitur forma corporeitatis distincta: ergo & superflua, & impossibilis est talis forma. Consequentia est cuidẽs, quia idem essentiale prædicatũ, idemq; effectus formalis nõ potest eidẽ rei cõuenire per duas formas realiter distinctas. Antecedens verò probatur, quia non potest dari forma substantialis, quæ conferat specificum gradum, quæ essentialiter non includat comunem ac genericam rationem formæ substantialis informantis materiam, sed hæc præcisa ratio sufficit ad constituendam formam corporeitatis: ergo forma corporeitatis non est specialis forma, sed est quælibet forma substantialis considerata secundum cõmunem rationem formę substantialis informantis. Minor probatur (reliqua enim clara sunt) nam ex hoc præcisè, quod aliqua substantia intelligatur composita ex materia, & forma substantiali, essentialiter est substantia corporea, seu corpus de prædicamento substantiæ: nam ex vi talis compositionis, & est essentialiter distincta à substantia incorporea & est capax quantitatis seu trinę dimensionis, in quo consistit ratio substantiæ corporeę. Vnde forma corporeitatis vt sic, non dicit, nec requirit, quòd ipsa corporea sit seu extensa, sed solùm, quòd informet materiam: ratione cuius cõpositũ inde resultans, sit capax trinæ dimensionis: nulla est ergo necessaria aut possibilis forma media, quæ det esse genericum corporis, sed quælibet forma substantialis ex vi suæ genericæ rationis illud confert.

XXI. Ex omnibus dictis infertur conclusio. Relinquitur ergo ex omnibus dictis, primam causam materialem substantiarum generabilium non esse aliquam substantiam integram: neque vllum corpus aut compositum ex materia & formaręde inde ad substantiarum generationem non supponi per modum subiecti, in quo generatio recipiatur, aliquod corpus ingenerabile & incorruptibile, sed solam materiam primam, solam (inquam) quoad substantiam: nam quoad accidentia quid dicendum sit, postèa videbimus.

SECTIO IIII.

Vtrùm materia prima habeat aliquam entitatem actualem ingenerabilem & incorruptibilem.

I. HActenus explicuimus potiùs quid non sit materia, quàm quid sit: nunc hoc secundum inquirendũ est, quia non possumus causalitatem materiæ, & rationem causandi declarare, nisi priùs sciamus quid entitatis habeat ipsa materia.

Certa aliquot stabiliuntur.

II. VT ergo ab his quæ certa videntur, incipiamus, primò indubitatum esse videtur materiam quę actu est sub forma, & cum illa componit substãtiam corpoream, habere aliquid entitatis realis & substantialis, & realiter distinctę ab entitate formæ. Tota hæc assertio sumitur ex Aristotele 8. Metaphys. Aristot. textu 3. & 12. Metaphysicæ textu 14. & 2. de anima. textu 2. & aliis locis, in quibus diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum. Quia verò materia non est substantia completa, ideò 1. Physicæ textu 66. & 69. ait materiam esse ens, non vt hoc aliquid, sed vt subiectum, cuiusque entitatem explicat per analogiam ad materiam artificialium, & tex. 79. & se-

quẽtibus ait propiùs accedere ad rationem substantię, & lib. 2. Phys. tex. 10. materiam dicit quandam naturam. Similitur Plato in Timæo materiam sub ente constituit, cuiusque naturam latè & optimè declarat: interdum tamen vocat materiam non ens, in quo reprehenditur ab Aristot. quia esse non ens, magis conuenit priuationi quàm materiæ. Sed est dissensio in voce tantùm: appellatur enim nõ ens, sumpto ente per antonomasiam pro ente cõpleto, quod est ens simpliciter: conueniunt etiam in hac assertione omnes interpretes Aristotelis, Auerroes 1. Phys. tex. 66. & de substantia orbis c. 1. Simplic. 1. Phys. tex. 69. Philop. tex. 60. Themist. tex. 61. & D. Thom. quęst. de spirit. creatur. art. 1. ait, materiam primam esse in genere substãtiæ, & ex aliis locis, quæ statim referam idem colligitur.

Plato.

Auer. Simplic. Themistius. D. Thom.

III. Et probantur breuiter singulæ partes. Prima quidem, quia materia nõ est omnino nihil; alioqui nullum verum ac reale munus exerceret in natura, & dũ res, quæ corrumpuntur, in materiam resolui dicuntur, in nihilum redigerẽtur, & dum ex materia producuntur, ex nihilo fierent, atque ita nihil materia deseruiret ad generationes & corruptiones, neq; ad B euitandam perpetuam rerum creationem & annihilationem: est ergo materia aliquid rei: ergo maximè id habet, cùm est coniuncta formę & componit cõpositum. Vnde Augustin. 12. Confess. c. 7. & 8. ait materiam esse creatam à Deo, non quæ sit nihil, sed *propè nihil*, nec nulla res, sed *panè nulla res*. Estque de fide certum, & infrà etiam ratione probabitur materiam esse creatam à Deo, vt constat ex 1. par. quæst. 44. art. 2. & quęst. 46. art. 1. ad 3. quod autem creatur, aliquid entitatis realis accipit; alioqui tam maneret infectum sicut antèà.

Augustin.

IV. Entitas prima materiæ substantialis. Secunda pars ex eo euidenter probatur, quòd materia prima essentialiter componit substantiam. 8. Metap. text. 15. 16. & 36. & lib. 9. in fine, & infrà latiùs tractabitur. Substantia autem non componitur, nisi ex substantiis saltem incompletis. Item substantia composita aliquid rei addit præter formam, & illud non est accidens; est ergo aliquid substantiale. Denique materia prima eo modo, quo est ens, non est in subiecto; nam hoc maximè repugnat illi, cùm sit primum subiectum.

V. Vltima pars etiam est clara, quia materia est entitas realiter separabilis à qualibet forma particulari determinata, quod satis est vt à forma sit in reipsa distincta: non distinguuntur autem solùm modaliter: nam forma substantialis non est modus, sed res vera habẽs propriam entitatem; vnde interdum naturaliter etiam conseruari potest separata à materia, vt anima rationalis, & per potentiam absolutã quælibet forma potest separata conseruari. Distinguitur ergo materia à forma tanquam res à re. Et confirmatur; nam compositio substantiæ ex materia & forma est realis & Physica, & non ex re & modo; ergo ex duabus rebus. Denique cùm materia sit perpetua, & ante formam, euidens est distingui realiter à forma, supponendo formam non esse tantùm aliquem modum, sed verum actum, & propriam entitatem, quod etiam est certum, cùm sit res perfectior, quàm materia, de quo infrà latiùs dicetur. Soncinas verò 7. Metaphysicæ, quæstione 19. quamuis hanc partem veram esse concedat, addit tamẽ posse aliquem defendere, materiam non esse actu distinctam à forma, quia non habet esse distinctum. Sed quidquid sit de esse existentiæ, de quo statim dicetur; nemo tamen negare potest quin secundum entitatem essentię alia sit entitas materiæ ab entitate formæ, vt rationes factæ demonstrant.

Difficultatis punctus, & quorundam placitum.

VI. HIs ergo positis extra controuersam, difficultas huius quæstionis est, an materia ex se habeat aliquam entitatem actualem. Potest autem illa particula *ex se* dicere negationem, vel causæ formalis, vel efficientis, & in vtroque sensu tractanda est quęstio, sed præsertim in priori. Nam de posteriori nulla est controuersia inter Philosophos catholicos, licet nonnulli ethnici in eo errauerint. In priori verò sensu multi existimant materiã ex se nullam entitatẽ actualem habere, sed omnino à forma. Quæ sentẽtia videtur esse Diui Thomæ 1. part. quæst. 44. art 2. ad 3. vbi ait materiam ex se esse tantùm in potentia: & ideò non posse creari nisi sub forma, & idem significat quæst. 45. art. 4. & quæst. 66. art. 1. vbi ex eo principio concludit materiam non posse esse sine forma; idem quæstione 4. de potent. articulo 1. & quodlibeto 3. quæstione 1. & sæpè aliàs, & ita opinantur Thomistæ. Caietan. de ente & essentia, cap. 5. quæst. 8. & 1. part. quæst. 76. art. 1. Ferrar. 2. cont. Gen. cap. 68. Soncin. 7. Metaph. quæst. 17. Iauel. quęst. 5. & idem tenet Durand. in 2. dist. 12. quæst. 2. & in 4. dist. 44. quæst. 1. Fundamentum huius sententiæ est, quia materia est pura potentia; ergo non potest ex se habere aliquem actum; ergo neque entitatem actualem. Prima consequentia probatur, quia actus opponitur potentiæ, & cùm dicitur pura potentia, illud additum includit negationem omnis actus. Secunda etiam consequẽtia probatur, quia actualis entitas est aliquis actus; nam est ens actu. Antecedens verò est veluti cõmune axioma Philosophorum omnium, sumiturq; ex Aristot. 1. Phys. tex. 69. vbi ait ita se habere materiam ex se ad res naturales, sicut res naturales ex se ad artificiales, ad quas tantùm sunt in potentia, & 7 Metaph. cap. 3. ait, materiam per se neque quid, neque aliud huiusmodi esse. Et 1. de Gener. cap. 3. dicit essentiam materię consistere in ipso posse, & 8. Metap. tex. 3. & 11. cap. 2. & 5. Phys. textu 8. sentit materiam esse non ens actu, sed potentia tantùm. Idem quoque docet Commentator eisdem locis, & ideò lib. de substantia orbis in principio, & 2. Phys. com. 12. ait, *materiam substantiari per posse*. In eadem sententia videtur fuisse Plato in Timæo, idque probat ex eo, quod receptiuum debet esse expers eorum omnium, quæ recipere potest.

Caietan. Ferrar. Soucin. Iauel. Durand.

Aristot.

Plato.

VII. Deinde probatur ratione idem antecedens, quia si materia non est pura potentia: ergo vel est composita ex potentia & actu, vel est aliquis actus. Primum dici non potest, vt constat ex sect. præced. & quia aliàs daretur alia potentia prior ipsa materia. Rursus si est actus, vel actus informans, vel actus subsistens. Non primum, vt per se notum est, aliàs esset actus alterius subiecti & consequenter daretur aliud subiectum priùs materia, quod repugnat rationi materiæ. Neq; etiam dici potest secundum; primò quia actus subsistens est perfectior actu informante: vnde si ita sit subsistens vt informare nõ possit, semper est substantia completa; hac enim ratione angelicę substantiæ sunt perfectæ & completæ, quia sunt actus subsistentes, & qui ponunt substantiam cœli esse simplicem, dicunt esse completam, quia est actus per se subsistens. Denique Deus ipse, qui est perfectissimus actus, est actus subsistens, & non informans: ergo signum est actum subsistentem ex sua ratione esse perfectiorem informante. At materia prima est

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperfectissima, atque adeò minùs perfecta, quàm A quælibet forma substantialis, quæ est actus informans, & non subsistens. Et confirmatur; nam omnis actus siue informans, siue per se subsistens, habet aliquam operationẽ, vt patet discurrendo per omnes huiusmodi actus: materia aũt prima non habet propriã actionem: non ergo est actus, sed pura potentia.

Quæstionis resolutio.

VIII. VT quæstioni respondeamus secluſa omni ambiguitate terminorũ, distinguamus quæstionẽ de entitate essentiæ & de entitate existẽtiæ: nã est valdè controuersũ quomodo hęc duo distinguãt in creaturis, & ideò certior est resolutio de vna, quã de altera. Rursus cùm inquiritur an materia habeat ex se entitatem, & non à forma, dupliciter intelligi potest illa negatio: vno modo quod non habeat à forma intrinsecè, seu vt ab actu informante, & dante esse materiæ per suam intrinsecam informationem: alio modo quod nulla ratione habeat suum esse per formam, seu per habitudinem ad formam, aut per dependentiam ab illa.

IX. Materia actualẽ essentiam distinctam à forma habet ab illa dependentem. Dico ergo primò; Materia prima ex se & non intrinsecè à forma habet suam entitatem actualem essentiæ, quamuis non habeat illam, nisi cum intrinseca habitudine ad formam. Loquor in hac assertione de actuali esse essentiæ, vt in nominibus & modo loquendi conueniam cum authoribus contrariæ opinionis: quamquam in hoc sensu, & quoad hanc partem non video quomodo possit esse opinionum diuersitas: nam materia creata à Deo, & in composito existens, habet aliquam essentiam realem, alioqui non esset ens reale, sed essentiam materiæ non constituitur intrinsecè in suo esse essentiæ per formam: ergo per se ipsam habet suam qualemcunque entitatẽ essentię. Minor probatur, quia forma non constituit: intrinsecè aliquam naturam in suo esse essentiæ, nisi componendo illam per modum actus: forma aũtem non componit essentiã materię, vt per se constat, quia materia essentialiter est entitas simplex, sicut & forma & ex vtraque consurgit compositum. Vnde sumitur secunda ratio: nam omnis entitas simplex necessariò habet per se ipsam intrinsecè & non per aliam entitatem, suam essentiã, quia in hoc consistit ipsamet ratio entitatis seu essentiæ simplicis: sed materia est essentia simplex: ergo. Tertiò materia essentialiter est entitas incompleta: ergo intrinsecè non constituitur per formam. Patet consequentia, quia si formam includeret, nihil illi deesset ad rationem completæ essentiæ. Tandem ex ipsa ratione puræ potentiæ hoc ipsum colligitur: nam si materia haberet suum esse essentiæ intrinsecè per formam, in suo essentiali cõceptu includeret actum formæ, non vt extrinsecum terminum, seu additũ, sed vt intrinsecum actũ formalem constituentẽ, atq; ita nõ esset pura potentia.

X. Dices, hęc argumenta rectè probare de esse essentiæ potentiali: non verò actuali. Respondetur, Si sit sermo de esse in potẽtia obiectiua, seu in virtute causę, & de esse in actu oppositio huic potentię, sic nõ solùm procedent rationes factæ de esse potentiali, sed maximè de actuali, quia siue materia existat per entitatem à se distinctam, siue non, tamen certum est, quòd cum actu est coniuncta formæ, habet suam actualem essentiam, de qua (quidquid sit de existentia) procedunt omnia dicta, quod essentialiter est entitas simplex, actuabilis quidem per formam, non tamen includens in sua essentia intrinsecè formam. Et ideò, conseruata eadem numero entitate essentię, potest abiiecre vnam formam & aliam acquirere: ergo per illam simplicem entitatem suam habet propriam perfectionem essentialem distinctam ab illa, quam forma confert: & similiter secundum illam habet actuale esse essentiæ; nam omnis essentia includit aliquod esse, saltem essentiale. Si verò sit sermo de esse potentiali, vt dicitur à potentia receptiua, & distinguitur ab actu actuante: sic verum est materiã solùm dicere entitatem potentialem, tamen hoc nõ excludit, quin in illa qualicunque essentia se ipsa sit intrinsecè constituta, & non per formam. B

XI. Quòd verò materia non habet suãmet entitatem essentiæ sine transcendentali habitudine ad formam, probatur, quia essentialiter est potentia, vt infrà ostendetur, & patet ex definitione Aristot. dicentis materiam esse *primum subiectum*, &c. omnis aũt potẽtia dicit intrinsecam habitudinẽ ad suum actũ: proprius autem actus materiæ est forma: habet ergo materia suam propriam essentiam per se ipsam cum habitudine ad formam. Hæc autem habitudo non est per se primò ad hanc vel illam formam, sed ad formam absolutè; & consequenter ad quamcunque formam generabilem, seu quæ per generationem vniri possit: & ideò, quamuis in materia varientur formæ, non variatur essentialis ratio, vel habitudo materiæ. Quod etiam est clarum argumentũ materiam non habere entitatem essentiæ ab informatione formæ.

XII. Obiectio & solutio. Sed obiiciunt aliqui, nam omne esse essentiæ debet esse constitutum in aliqua certa specie, sed omnis species est per formam: ergo nullum esse essentiæ potest esse plenè constitutum, nisi per formam. Vnde D. Thom. 1.p.q.44.art.2. dicit, materiam contrahi per formam ad determinatam speciem. Ad hoc in superioribus ferè responsum est, materiam rerum generabilium constitutam esse in vltima specie materiæ, in qua specie non cõstituitur per eam formam, qua informatur; nam eãdem semper habet sub quacunq; forma. Cùm autem dicitur, formam esse, quæ dat speciem, intelligitur de specie completa, & perfecta. Et eodem sensu intelligit D. Thom. materiam contrahi per formam ad determinatam speciem, vt apertè declarat sequentibus verbis dicens: *Sicut substantia alicuius speciei per accidens illi adueniens contrahitur ad determinatum modum essendi, vt homo contrahitur per album.* Quod exemplũ solùm adducitur ad declarandum hanc determinationem materiæ per formã non esse, quoad intrinsecam essentiam ipsius materiæ, sed quoad essentiam compositi, quæ quodammodo accidit ipsi materiæ secundum se, quatenus modus existendi materiæ sub hac, vel illa forma, non est de essentia materiæ, sed variabilis in ipsa. Vnde D. Thom. in illo eodem articulo apertè supponit, materiam ex se habere aliquod esse præter illud quod dat forma: inde enim concludit, Deũ esse causam materiæ, quia est causa rerum, non solùm secundum, quòd sunt tales per formas accidentales, vel substantiales, sed etiam secundum omne illud, quod pertinet ad esse illarum quocunque modo. Et eadem 1.p.q.14.art.11.ad 3.ait; *licet materia recedat à similitudine Dei secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet similitudinem quandam habere diuini esse*: & quæst.3.de verit.art.5.ad 1.ait; *licet materia prima sit informis, tamen ineſt ei imitatio primæ formæ, quantũcunq; enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.*

XIII. Dico secundò; Materia prima etiam habet in se & per se entitatem, seu actualitatem existentiæ distinctam

D. Thom.

Plato.

Iustinus. Ambros. Athanas. Vide Alsinoũ lib. de God. Plat. c. 5. Bef. fer. lib. cont. Calium. Plat. cap. 5.

stinctam ab existentia formę, quamuis illam habeat A dependenter à forma. Priorem partẽ tenet Henricus quodlib. 1. quæstione 10. & quodlib. 4. quæst. 16. Scotus in 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. & ibidem Gregor. quæst. 1. Gabriel & alij ibidem. Fundamentum huius conclusionis suppositа præcedenti, est, quia esse existentiæ nullam rem vel modum realem addit supra entitatem essentiæ, vt actualem, & extra causas positam, quia hoc ipso, quod entitas concipitur actualis extra causas, concipitur existens. Quod principium infrà disputatione 34. ex professo probandum est. Ex illo autem euidenter sequitur materiam, sicut habet entitatem essentiæ actualem, distinctam à forma, ita habere suum proprium esse existentiæ, quod retinet sub quacunque forma. Vnde confirmatur; nam materia eandem numero entititatem actualem habet sub forma geniti, quam habet sub forma corruptı: ergo etiam habet idem numero esse, quo constituitur in tali entitate actuali. Illud autem esse, est esse existentię, vt dicto loco probatur. Confirmatur secundò; nam materia, vt prę supponitur formæ, & est subiectum generationis non est omnino nihil, aliàs generatio fieret ex nihilo, est ergo aliqua entitas creata: ergo entitas actualis & existens, quia creatio non nisi ad actualem entitatem, & existentem terminatur. Nec subiectum reale esse potest, nisi sit in rerum natura existens. Demum talis est existentia rei, qualis essentia actualis: sicut ergo essentia substantię corporeæ componitur ex partialibus essentiis materiæ & formæ, ita etiam integra existentia eiusdem substantiæ componitur ex partialibus existentiis materię & formę. Quod in citato loco latiùs probandũ est sequitur enim manifestè ex dicto principio, quod existentia, & essentia actualis non re, sed ratione distinguuntur: ergo materia, vt est actualis entitas realiter distincta à forma, in sua entitate includit propriam partialem existentiam, in re etiam distinctam ab existentia partiali formæ.

Scotus. Gregorius. Gabriel.

XIV. Quod autem hæc existentia materiæ pendeat aliquo modo à forma, & ab informatione eius videtur negare Scotus, Henricus, & Gregorius locis suprà citatis: contraria verò sententia, quam in 2. par. assercitatis: contraria verò sententia, quam in 2. par. assercitatis: contraria verò sententia, quam in 2. par. assercit

Universidad de Deusto
Biblioteca

dispositiuè: atque hunc modum generationis & corruptionis postulat ipse naturalis ordo rerum. Quæ omnia in sequentibus ex professo declaranda sunt. Inde verò fit, non posse materiam naturaliter corrumpi, aut destrui secundum esse propriũ, sed solùm secundum vnionem ad hanc vel illam formam, vel secundum priuationem alicuius formę, vt Aristoteles dixit loco citato: Deus autem per suam potentiã posset materiam destruere: non corrumpendo, sed annihilando, suspendendo influxum, quo illam cõseruat, & concursum, quo in illa formam introducit: hoc autem solùm est per potentiam extrinsecã Dei: vnde non impedit, quo minùs materia de se perpetua & incorruptibilis sit.

SECTIO V.

Vtrùm materia sit pura potentia, & quo sensu id accipiendum sit.

I. SOlutio argumentorum, quæ contra nostram sententiam in præcedente sectione posita sunt, ex resolutione præsentis quæstionis pendet: non est enim nobis negandum, quin materia sit pura potentia, cùm in ea assertione Philosophi omnes conuenire videantur: sed verus sensus illius locutionis explicandus.

Variæ opiniones.

II. DIscipuli ergo D. Thomæ communiter interpretantur materiam dici puram potentiam, quia neque ex se, neq; in se habet vllam existentiam nisi per formam. At verò Scotus, Henricus & alij suprà citati, distinguunt duplicem actum, formalem, scilicet, & entitatiuum, & materiam docent ex se habere actum entitatiuum non tamen formalẽ, & consequenter aiunt materiam vocari puram potentiam in ordine ad actum formalem, non verò in ordine ad actum entitatiuum.

Capreol. in 1. d. 3. q. 3. ar. 2. & in 2. d. 12. art. 3. Soncin. & Ianel. 9. Metaph. q. 2. & locis suprà citatis.

Fonsec. lib. 1 Metaph. c. 7. q. 3. sc. 7. & 8. Conimbricẽses lib. 1. Phy. c. 9. q. 3. a. 1.

Quidam autem moderni authores, cùm in re ab Scoto non dissentiant, modum tamen loquendi nõ probant: fatentur enim illi materiam habere propriã existentiam, distinctam ab existentia formæ, & consequenter docent materiam actu esse extra nihil: negant tamen dicendam esse actum entitatiuum: tum propter rationẽ superiùs factã, quod neq; est actus informans, nec subsistens: tum etiam, quia licet materia habet actum existentiæ sibi proprium, non tamen est sua existentia, quia in omni creatura, existẽtia distinguitur saltem ex natura rei ab essentia.

III. Veruntamen, si res, quam illi authores docent, nõ displiceat, non video, cur modus loquendi displicere possit, quia neque Aristoteli talis loquendi modus repugnat, vt ostendemus, neque à communi & recepto viu terminorum discrepat. Nam quot modis dicitur potentia, tot potest dici & actus: dicitur autem res esse in potentia, vel passiua, quia potest recipere actum, vel actiua, quia potest efficere, vel obiectiua seu logica, quia, quamuis non sit, illi non repugnat esse: hic ergo res dici potest esse actus, seu in actu, vel respectu potentiæ receptiuæ, vel potentiæ obiectiuæ omissa pro nunc potentia actiua, quæ nihil ad præsens refert. Materia ergo prima, quamuis sit pura potentia receptiua: atque ita in sua essentia nullum includat actum formalem, quod significatur per illam particulam, *pura*, nihilominus postquam creata est, non potest dici esse in pura potentia A obiectiua: ergo hac ratione rectè dicitur esse vel habere actum entitatiuum.

IV. Neque quidquam ad hoc refert, quòd sit, vel non sit sua existentia. Primò quidem, quia cùm materia dicitur pura potentia, non solùm negatur, quòd sit actus, sed etiam quòd constet ex actu & potentia: si autem materia habet propriam existentiam, licet demus non esse suam existentiam, negare tamen non possumus, quin constat ex sua essentia & existentia: ergo includit actum; nam existentia actualis actus est essentiæ secundum omnes, & maximè in illa opinione: ergo non potest materia dici pura potentia in ordine ad actum entitatiuum. Deinde iuxta illam sententiam non diuiditur sufficienter actus in formalem & subsistentẽ: nã præter eos datur actus existentię, qui non est subsistens, cùm in essentia recipiatur, nec est formalis propriè, cùm non sit forma, sed dici potest actus terminatiuus essentiæ: ergo, cũ materia, prout in re distinguitur à forma, includat hunc actum, non potest dici pura potentia in ordine ad actum entitatiuum. Præterea, iuxta illam sententiam de distinctione reali, vel ex natura rei existentiæ ab B essentia actuali, negari non potest, quin essentia actualis, vt condistinguitur ab existentia, habeat aliquam actualitatem, quam non habet essentia concepta in sola potẽtia obiectiua: ergo essentia ipsa actualis, esto non sit sua existentia, est aliquis actus entitatiuus, id est, aliquid aliud præter puram potentiã obiectiuam: imò, nisi ita concipiatur essentia actualis, non potest intelligi illa opinio, quæ distinguit illam ab existentia, tanquam rem à re, vel à modo reali.

V. Quicquid ergo opinemur de distinctione essentię & existentiæ, certè materia vt est in re distincta à forma est aliquis actus entitatiuus, tamen diuerso modo: nam qui non distinguunt existentiam ab essentia ex natura rei, sed tantùm ratione, dicent materiam, vt est entitas actualis, esse suam esse existentiam, & actualem essentiam, quę in re idem sunt. Et quia iuxta hanc opinionem, actus entitatiuus rei nihil aliud est, quàm existentia, vel actualis entitas eius, ideò rectè concluditur materiam esse aliquem actum entitatiuum, iuxta aliam verò materiam distinguentem ex natura rei existentiam ab essentia actuali, & nihilominus admittentem, materiam primam habere C suam propriam existentiam, quam retinet sub quacunq; forma, dicendum est materiam præter actum formæ, & esse suã essentiam actualem, & habere præterea proprium actũ existentię. Qui verò ita ponunt distinctionem realem inter essentiam & existẽtiam, vt negẽt materiam habere propriam existentiã, præter existentiam, quam affert forma, consequẽter dicent materiam esse puram potentiam in ordine ad actum, tam formalem, quàm entitatiuum, seu existẽtię: non tamen possunt negare, quin sit aliqua entitas actualis in esse essentiæ. Quamuis, quia ipsi sentiunt actualitatem essentię omnino pendere ab existentia distincta, ea ratione dicere possint materiam, etsi in re habeat entitatem essentia, tamen illam esse ita potentialem, vt non sit capax existentiæ, nisi mediante forma: atque hoc sensu possunt illam vocare puram potentiam, etiam in ordine ad actum entitatiuum.

VI. Cùm igitur nos opinemur habere materiam suã partialem existentiam, & existentiam non distingui a parte rei ab actuali essentia, sed tantùm modo cõcipiendi nostro, verissimum etiam cẽsemus materiã vt in re est actualis entitas, esse etiam in re aliquem actum entitatiuum, & secundum rationem seu modo nostro concipiendi, componi ex esse & essentia, tanquam

Materia non existit sine actu entitatiuo.

tanquam ex actu terminante, & potentia quasi obA iectiua. Et vtrumque constat satis ex proximè dictis contra superiorem sententiam. Loquor autem semper de materia vt est actualis entitas, quia si concipiatur secundum id tantùm, quod ex se habet secluſa omni efficientia, si nullam habet actualitatem in se, sed tantùm est in virtute causæ, & ex se solùm habet non repugnantiam essendi: veruntamen hoc non est proprium materiæ; nam etiam forma, imò & omnis creatura secundum se spectata, est hoc modo in pura potentia: oportet ergo loqui de materia vt est actualis entitas, vel quod idem est, quatenus secundum se habet proprium actum existendi distinctum ab actu formæ.

VII. Vt autem soluantur difficultates tactæ superiori sectione, & explicetur modus loquendi Philosophorum, & omnis ambiguitas terminorum auferatur, aduerto nomen *actus* multipliciter sumi posse, nam interdum absolutè, interdum respectiuè dicitur: aliquando enim dicitur actus, quia actuat aliquid, quomodo forma est actus materiæ. Et hunc voco actum respectiuum; quia est actus alterius. Aliquando verò dicitur, quia in se est actuale quid, & B non potentiale, quamuis nihil aliud actuet, quo modo Deus dicitur actus: & hunc voco actum absolutè dictum. Rursus vterque istorum actuum subdistingui potest: nam actus actuans alius est Physicus & formalis, vt est forma Physica: alius verò est actus Metaphysicus: qui est multiplex: alius enim est actus essentiæ, vt differentia, alius existentiæ, vt existentia, & addi etiam potest actus seu modus subsistentiæ. Actus verò absolutè dictus, alius est actus simpliciter, alius secundum quid. Prior est ille actus, qui in genere entis simpliciter, seu substantiæ, ita est completus, vt nec constituatur per actum Physicum à se distinctum, neque per illum actuetur, aut illo indigeat ad existendum. Vel aliter explicari potest, illud ens dici actum simpliciter, quod ex vi suæ actualitatis solius includit perfectionem formalẽ, quàm alia entia composita habere solent per substantialem actum informantem. Vnde licet huiusmodi actus absolutus, non sit actus actuans, vel informans, dici tamen potest esse actus formalis eminenti modo, id est, per se habens complementum illud perfectionis, quod per actum informantem conferri solet his C entibus, quæ per compositionem complẽtur. Actus autem secundum quid dicetur ens illud, quod habet aliquam actualitatem, in quantum actu est extra nihil: illam tamen habet incompletam, & imperfectã, quia non est ita sufficiens, quin indigeat alio actu, tum vt compleatur in ratione entis simpliciter, tum etiam vt existat.

Quæstionis resolutio.

VIII. DIcendum est ergo primò, materiam non vocari puram potentiam respectu omnis actus Metaphysici, id est, quia nullum actum Metaphysicum includat: hoc enim verum esse non potest. Primò, quia materia prima in suo conceptu essentiali potest intelligi ex genere & differentia composita, vt, verbi gratia, si materia cœli, & horum inferiorum distinguuntur specie, hæc materia generabilium, de qua nunc agimus, constat genere materiæ in communi, & propria differentia, quæ sumi potest ex ordine ad formam entis generabilis: habet ergo hæc materia suum actum formalem Metaphysicum, quo in sua essentia constituitur. Et confirmatur, nam materia natura sua aliquam perfectionem & bonitatẽ transcendentalem habet, vt etiam docuit Diuus Thomas 3. cont. Gent. cap. 20. Certum est enim, compositum ex materia & forma, perfectiùs quid esse, quàm sit sola forma: ergo aliquid perfectionis habet materia, quam addit composito. Item ipsa materia est appetibilis, & conueniens, non tantùm vt medium, sed per se, quia ratione suæ perfectionis est conueniens huic formæ, vel composito: ergo habet materia ex natura sua aliquam propriam perfectionem: sed non potest intelligi perfectio sine actualitate aliqua, saltem transcendentali. Præterea, habet materia actum existentiæ proprium, vt ostensum est. Tandem habet actum subsistentiæ partialem, & proportionatum: illo enim omnino indiget, vt possit esse primũ subiectum: primum enim subiectum substat omnibus: prius autem est in se subsistere, quàm substare aliis. De qua re dicemus plura infrà tractando de subsistentia. Igitur non potest materia prima ita esse pura potentia, vt excludat omnem actum Metaphysicum actuantem.

D. Thom.

IX. Dico secundò; Materia non est ita pura potentia, quin sit aliquis actus entitatiuus secundum quid. B Hæc assertio satis declarata est, & probata ex dictis circa opinionem Scoti. Et ex ratione primi subiecti sufficienter colligitur: nam in primo subiecto necessaria est realis potentia passiua, vel potiùs ipsummet essentialiter est potentia passiua, non potest autem intelligi potentia passiua realis, sine aliqua actualitate entitatiua. Qualiter enim potest intelligi, quod aliquid sit verè ac realiter receptiuum alterius, nisi in se aliquid sit? Vnde rectè Commentator 3. de Cœlo, comment. 29. ait, omnem potentialitatem passiuam in aliqua actualitate fundari. Et Diuus Thomas 1. parte quæstione 46. articulo 1. ad primum ait, materiam non dici ens in potentia eo modo, quo dicitur esse in potentia ens possibile: ex sola non repugnantia terminorum: supponit ergo esse aliquod ens actu fundans realem potentiam passiuam, vel quod potiùs sit realis potentia passiua in genere substantiæ.

Quem actum admittat materia.

Cõmẽtator.

X. Dico tertio; Materia dicitur esse pura potentia respectu actus informantis seu actuantis, & respectu actus absolutè & simpliciter dicti. Declaratur; nam inprimis materia non est actus actuans, neque C informans, vt per se constat ex ratione primi subiecti. Deinde in suo intrinseco conceptu & essentiali non includit actum Physicum informantem: ostendimus enim esse entitatem simplicem, quod etiam ex ratione primi subiecti colligitur. Præterea materia talis est entitas, vt per se sola sufficiens non sit ad existendum sine substantiali actu ipsam perficiente, & actuante, vnde ex vi suæ præcisæ entitatis nullum formalem actum includit formaliter aut eminenter, & ideò non est actus absolutè & simpliciter. Denique, quidquid est entitatis in materia prima, totum est ad exercendum munus potentiæ receptiuæ formæ substantialis: ad hoc enim est primariò ac per se instituta, & ideò vt suprà dicebamus, in sua essentiali ratione includit transcendentalem habitudinem ad formam. Ex his ergo constat, meritò dici puram potentiam in genere substantiæ, optimeque prædicto modo explicari; nam, cùm materia sit entitas simplex, & tota ipsa sit potentia receptiua, optimè appellatur pura potentia. Sicut autem dici solet, dictionem excluſiuam non excludere concomitantia, ita illa dictio *pura* non excludit entitatem & actualitatem secũdum quid, necessariã ad rationem potentiæ realis, sed

Materia qualiter pura potentia.

Materia non excludit omnem actum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed excludit inprimis omne aliud munus præter- A quam potentiæ passiuæ, & deinde excludit rationem actus completi, seu simpliciter, & absolutè dicti, & (quod in idem redit) excludit omnem actum formalem, tam propriè informantem, quàm simpliciter constituentem actum perfectum & completum.

XI. Esse potētiæ, & esse in potētia, in quo differant.

Est autem propter vsum verborum considerandum, aliud in rigore significari, cùm dicitur materia pura potentia, aliud, si dicatur esse in pura potentia. Primùm enim simpliciter verum est, & habet legitimum sensum expositum; secundum verò, vt minimum est ambiguum; nam esse in pura potentia in rigore significat priuationem actualis existentiæ: vnde solùm dicitur de eo, quod actu nihil est, esse tamen potest, quod dici non potest de materia, postquam creata, vel concreata est. Nam, licet sit propè nihil, non tamen nihil, sed vera res, vt suprà cum Augustino dicebamus. Et simili modo distinguere possumus has locutiones, *Esse in actu*, vel *esse actum: materiam enim esse in actu*, simpliciter verum est, quia hoc nihil aliud significat, quàm materiam esse in rerum natura, & existere, quod verum est: sicut est verum, materiam esse creatam, recipere formam, & componere compositum, quæ omnia includunt existere; *Materiam verò esse actum*, vt minimum est ambiguum; nam absolutè significare videtur esse actum actuantem, aut certè esse actum simpliciter: & ideò absolutè id admittendum non est, sed cum aliquo addito diminuente, scilicet, esse actum entitatiuum imperfectum, & secundum quid.

Differunt esse actum & esse in actu.

B

XII. Explicatio præmissa de potentia materiæ Aristoteli consentanea.

Quod autem hæc explicatio materiæ in ratione puræ potentiæ, sit consentanea dictis Aristotelis, & aliorum Philosophorum, patet. Nam primo Physicę text. 69. comparans materiam primam ad materiam artefactorum, dicit, ita se habere ad formam & essentiam simpliciter, sicut lignum ad statuam, vel formam statuæ. Vnde concludit materiam esse quid informe: per hæc autem & similia dicta solùm excluditur à materia omnis actus formalis, & completus: non verò actus entitatiuus, incompletus, & quasi inchoatus, sine quo realis potentia receptiua esse non potest. Deinde id constat ex definitione materiæ, quam tradit 1. Phys. c. 9. tex. 82. dicens materiam esse *primum subiectum, ex quo per se fit aliquid, cùm insit.* Dicitur enim materia inesse rei genitæ, quia per suā entitatem manet in re genita, per se componendo illam, & secundum eam entitatem ait Aristoteles ibidem, materiam esse priorem re genita, & esse ingenerabilem & incorruptibilem. Ac tādem ait, materiam per se esse ens; per accidens autem non ens ratione priuationis: non ergo excludit à materia omnem actualitatem entitatiuam, sed formalem, ad quam est in potentia. Denique 7. Metaphys. & aliis locis, cùm ait, materiam non esse quantum, neque quale, neque hoc aliquid, solùm excludit ab entitate materiæ compositionem ex actu informante, & omnem actum formalem. Neque ad munus & officium materiæ, re vera aliquid necessarium est, vt patet ex illa ratione, quam affert etiam Plato in Timęo & ex illo Aristoteles 3. de Cœlo cap. 8. scilicet, quia hoc receptiuum est aliorum, oportet non habere actu ea quorum est susceptiuum, sed potētia tantùm: materia aūt est susceptiua actus formalis, & esse cōpleti: ergo respectu horum dicitur esse pura potentia, non respectu propriæ entitatis. Prætereà in eodem sensu dixit Auerroes materiam substantiari per

Plato. Aristot.

Auerroes.

posse, quia talis substantia est, vt tota sit ordinata ad recipiendum, & ideò essentialiter sit incompleta, & potentialis. Et eodem modo declarat potentialitatem materiæ Diuus Thomas quæstione de spiritualibus creat. artic. 1. citans Augustinum lib. 1. Geneſis ad litteram, cap. 14. & 15. D. Thom.

Soluuntur argumenta ex præcedente sectione relicta.

XIII. Materia respectiuè ad posteriora & potentia non pura.

PEr hæc ergo satis responsum est ad omnia testimonia, quæ in præcedente sectione contra nostram sententiam afferebantur. Imò & rationes etiā ferè solutæ sunt; probant enim optimè materiam esse puram potentiam, non tamen in alio sensu ab eo, quem nos explicuimus, quod patebit clariùs, respōdendo in forma ad rationem ibi factam. Cùm enim dicitur, materiam non esse cōpositam ex actu & potentia, id verum esse concedimus de proprio actu, & potentia Physicis: Metaphysicè verò concedi debet, materiam componi ex actu & potentia sibi proportionatis, id est, ex genere & differentia, essentia & existentia, natura & subsistētia incompletis. Cùm verò infertur, quòd daretur potentia prior materia: respondetur de Physica potentia, id est, inconueniens, & planè repugnans, non tamen sequi ex dictis, cùm non dicamus materiam esse compositam ex potentia & actu Physico. Si verò sit sermo de potentia Metaphysica, sic verum est materiam in communi concipi vt priorem, quàm hāc speciem materiæ, & essentiam materiæ, vt priorem sua existentia, non quatenus est ens actu, sed absolutè, & similiter naturam materiæ in aliquo genere esse priorem sua subsistentia partiali. Nec tamen in rigore sequitur dari in re ipsa aliquam potentiam priorem materia, sed in ipsa materia dari vnam rationem priorem alia: semper tamen in illa ratione, quæ, vt prior concipitur, includitur ipsa potētia materię vel in confuso, vt in cōceptu materiæ in cōmuni, vel vt possibilis, vt in præciso cōceptu essentię materię, vel per modū partialis naturæ tantùm, præciso partiali modo subsistendi.

XIV.

Ad alteram verò partem, qua probatur materiam nullo modo esse actum, concedimus non esse actum actuantem seu informantem, neque etiam esse actū simpliciter in se cōsummatum & perfectum. Quod ad summum ostēdunt rationes quibus ibi probatur, materiam non esse actum subsistentem, non tamen probatur, non esse actum incompletum, & entitatiuum. Vnde in hoc sensu nego, non posse dari actum subsistentem incompletum, nam ipsamet essentia materiæ subsistens est propria subsistentia partiali, & cum illo addito potest appellari actus secundum quid, id est secundum suam entitatem, qua separatur à nihilo, & ab ente possibili. Reliqua verò omnia, quæ ibi adducuntur, procedunt de actu completè subsistente & includente actum formalem per simplicem modum & excellentiorem. Et in eodem sensu est verum, quod in quadam confirmatione ibidem subditur, omnem actum esse principium alicuius operationis; est enim id verum de actu formali, siue informante, siue completè subsistente: non tamen oportet, vt sit in vniuersum verum de omni actu partiali, & entitatiuo: quia non est necesse omnem entitatem esse principium alicuius operationis propriè & in genere causæ efficientis; nam potest ad aliud

An omnis actus aliquam operationem producat.

aliud genus causæ exercendum instituj, & ita entitas A materiæ est ad recipiendum, non ad agendum.

Obiectiones contra superiorem resolutionem.

XV. SED adhuc supersunt soluendæ nōnullæ aliæ obiectiones, quæ contra vltimam assertionem huius sectionis fieri solent. Prima, quia absq; esse nullus est actus, quia nihil habet actualitatē, nisi in quātum est: & ideò ipsum esse est actualitas omnium rerum, vt ait Diuus Thomas prima parte, quæstione 4. art. 1. ad tertium, sed materia non habet esse nisi per formam, vt ait Auicenna lib. 2. suæ Metaph. cap. 2. & Boetius lib. de Vnitate & vno, ait omne esse in rebus creatis esse à forma: ergo. Secunda, quia aliàs ex materia & forma non fieret per se vnum: quia ex duobus entibus in actu non fit vnum per se: ideò enim ex subiecto & accidente non fit per se vnum, quia aliud est esse subiecti, aliud accidentis. Tertia. Materia physicè est omnino simplex: ergo, vel tota est actus, vel tota potentia, quia simplex entitas non potest constare ex actu & potentia physicis. Sed nō pōt dici, quod tota sit actus, cùm sit essentialiter potentia: ergo est omnino potentia nihil includens actus. Quarta, quia purus actus ita est actus, vt nihil habeat admistum potentialitatis, seu potentię receptiuę: ergo econtrariò pura potentia ita est potentia, vt nihil habeat actualitatis admistum: nam oppositorum eadem est ratio: & quia pura potentia debet summè distare à puro actu: non distaret autem summè, si aliquid actualitatis includeret. Quinta, quia si materia aliquid est actu: ergo vel substātia, vel accidens: non secundum, vt per se constat: neque etiam primum, quia est potentia ad substantiam: quod autem est potentia ad aliquid, non est actu illudmet, nā hæc duo repugnāt. Vltima, quia aliàs posset materia cognosci per se, & directè, ac propria cognitione, quod videtur Philosophi communiter negare cum Aristot. & Platone locis citatis.

XVI. Omne esse qualiterēsit à forma.

Prima & secunda obiectio ex professo tractandæ sunt infrà in disputatione de essentia, & esse creaturarum: nunc breuiter principium illud: *Omne esse est à forma*, duobus modis exponi potest. Primò de esse specifico, & completo. Secundò, quòd omne esse est à forma, vel intrinsecè dante, & componente illud: vel saltem terminante aliquo modo dependentiam eius: & hoc modo ipsum esse materiæ potest dici esse à forma, quatenus ab illa pendet, vt dictum est. Aliud verò axioma. *Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*, non potest intelligi de quibuscunque entitatibus actualibus: nā potiùs impossibile est ens per se ac cōpletum actu componi nisi ex entibus actualibus incompletis: nam quod nihil est, vt sæpè diximus, non potest realiter componere, & præsertim ens per se vnum. Debet ergo intelligi de entib⁹ in actu cōpletis in suis generib⁹: illa. n. nec per se ordinantur, nec recte cohærent ad componendū vnū per se. Nō dicim' aūt materiā esse hoc modo ens actu, sed potiùs dicimus esse veluti quandā inchoationem entis, quæ naturaliter inclinatur, & per se coniungitur formæ vt cōpleti integrū ens; vt latiùs posteà explicabimus.

Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, quatenus ab illa pendet, quatenus intelligēdum.

Vide Disp. 4. de vno per se.

XVII.

Ad tertium respondetur, materiam totā esse potentiam, & totam esse actum, qualem nos explicuimus, non per compositionem actus cum potentia, sed per identitatem, & (vt ita dicam) per intimam, & transcendentalem inclusionem: non enim omnis potentia opponitur omni actui, sed cum proportione: potentia igitur receptiua non opponitur actui entitatiuo incompleto, sed potiùs illum essentialiter includit.

XVIII. Pura potētia quomodo æquiparetur actui puro.

Ad quartam dicitur primò, sicut purus actus nullam includit potentiam receptiuam alterius actus: ita puram potentiam nullum includere actum actuantem aliud: & quoad hoc tenet proportio, non verò quoad actum entitatiuum. Vnde, si de hoc sit sermo, negatur consequentia, quia inuoluit repugnantiam, quòd sit potentia realis receptiua, quantumuis pura, quin intimè includat actualitatem entis. E contrario verò non repugnat ita includere actualitatem entis, vt nullam potentialitatem inuoluat. Potentialitas enim dicit imperfectionem: non repugnat autem dari perfectionem ita puram, vt omnem imperfectionem excludat: repugnat verò dari imperfectionem realem puram sine vlla perfectione: nam potiùs esset nihil, & pura negatio omnis perfectionis. Vnde, sicut Theologi dicunt dari summum bonum, quod nihil mali includat; non tamen dari summum malum, quod tale sit, vt nullam bonitatem habeat, vel in ea fundetur: ita licet detur actus purus, qui omnem excludat potentiam; non tamen potest dari pura potentia, quæ omnem excludat actualitatem, etiam entitatiuam & incompletam. Quod autem obiiciebatur de summa distantia inter puram potentiam & purum actum, primò expediri potest, negando esse de ratione puræ potentiæ, vt summè distet à puro actu; nam materia cœli est pura potentia, & tamen non summè distat à puro actu; plus enim distat materia horū inferiorū, cùm sit imperfectior; & incertum adhuc est, an possit fieri alia materia minùs perfecta, quàm hæc inferior, & consequēter magis distans à perfectione Dei. Accidētia item magis distant à perfectione Diuina, quàm materia prima. Distingui item potest duplex distantia; vna dici pōt negatiua, qualis est inter ens & nihil; alia positiua ex parte vtriusque extremi. Non est ergo de ratione puræ potētiæ vt distet à Deo priori modo, sed posteriori: & ideò quamuis admittamus puram potentiam summè distare à puro actu, non sequitur debere puram potentiam, nullam includere actualitatem; quia illa distantia nō est summa comparata ad negatiuam, sed inter positiuas; & ideò requirit aliquam conuenientiam inter extrema in entitate, esto illa conuenientia minima sit.

C

XIX.

Ad quintam respondetur, materiam esse substantiam, vt expresè docet Aristotel. 8. Metaphys. à principio, & sæpè aliàs. Vnde materia non est potentia ad totam latitudinem substantiæ, sed ad formam, & ad esse compositi; ad substantialem autem entitatem materiæ non est in potentia, sed actu est talis entitas. Repugnat enim dari potentiam realem, & receptiuam respectu totius generis & latitudinis substantiæ, vt completam & incompletam comprehendit, quia substantia prior est accidente; & ideò talis potentia, cùm sit primum subiectum, non potest esse accidens, sed substantia; neque etiam potest esse in potentia ad se ipsam; ergo nec potest esse in potentia ad totam latitudinem substantiæ. In quo est magna differentia inter formam substantialem, & accidentalem: nam accidentalis supponit ens nobilioris generis, scilicet substantiam, & ideò fieri potest vt subiectum vel potentia ad accidens non sit accidens vllo modo, id est, neque completum, neq; incompletum: forma verò substantialis non supponit ens nobilioris generis: & ideò potentia ad talem formam nō potest non esse aliqualis substātia, saltem incompleta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SECTIO VI.

Quomodo possit materia cognosci.

I. Materia ex se directam cognitionē terminare potest.

VLtima obiectio postulat, vt de cognitione, seu cognoscibilitate materiæ pauca dicamus. De qua multa dicuntur ab authoribus: breuiter tamen dicendum est, aliud esse loqui absolutè de cognitione materiæ secundum se: aliud verò de modo quo à nobis cognosci potest. Priori considerationecōcedo materiā posse cognosci directa & propria cognitione: sic enim & à Deo, & ab Angelis cognoscitur per propriam speciem, vel conceptum. D. Thom. 1. p. q. 15. a. 3. ad 3. Quamquam enim Theologi disputent an Deus habeat propriam ideam materiæ, & quidam negare videantur cum Platone in Timæo: tamen re vera id negare non possunt, nisi fortasse quoad modum loquendi. Plato enim negauit materiam esse creatam à Deo: & ideò mirum non est quod Deo negarit ideam materiæ: quamuis verisimile non sit negasse Deo propriam cognitionem saltem speculatiuam materię. Materiæ ideam Deus habet. Cùm autem secundum veram doctrinam Deus B sit materię creator, non pōt omnino carere idea materię, cùm omnia per intellectum & voluntatem operetur. Solet autem illa idea dici nō esse propria, id est adæquata ipsi materiæ, quia Deus non habet aliā ideam totius, & partium, sed per ideā compositi repræsentat materiam, vt ait D. Tho. 1. p. q. 15. art. 3. ad tertium. D. Thom. Caiet. Albert. Hoc tamen non impedit quo minus exactè, directè, & prout in se est, materiam repræsentet, vnde Caiet. ibi speculatiuam rationem materiæ admittit, quamuis non ideam. Albert. verò 1. d. 35. art. 10. non dubitauit etiam ideam materiæ cōcedere. Simili modo Angelus dici potest cognoscere materiam directè & per propriam speciem, non quia illa species nihil aliud repræsentet: fortasse enim eadem species quæ totum compositum repræsentat, est principiū cognoscendi materiam, sed quia talis species repræsentat materiam secundum propriā rationem eius, & directè, & absq; vlla Metaphora vel Analogia in eius cognitionem ducit.

II. Dices, Materia non potest sine forma cognosci, cū à Deo vel Angelo: ergo nunquam potest propria cognitione cognosci. Aliqui respondent negando antecedens: cùm enim materia suam entitatem absolutam habeat distinctam à forma, secundùm illam potest præcisè concipi, vel conceptu realiter distincto ab aliis, vt in Angelo, qui volūtariè potest solam materiam contemplari, vel saltem ratione distincto, vt in Deo, quod sentit Scotus in Prolog. quæst. 1. & in 2. dist. 12. quæst. 1. & inclinat Themistius 1. Physicor. text. 61. qui loquuntur absolutè de cognitione materiæ. Scotus. Themist. Materia cōprehendi nō potest, nō cognita forma. Aristotel. Probabilius autem videtur materiam non posse prout in se est essentialiter & comprehensiuè concipi sine forma, saltem vt termino aptitudinis essentialis, quam materia habet ad formam, vt frequentiùs authores docent: & sumitur ex Aristot. 2. Physicor. cap. 2. vbi ait materiam esse eorum quæ sunt ad aliquid, habitudine scilicet transcendentali, vt suprà declarauimus: quę autem huiusmodi sunt, nō possunt cognosci sine suis terminis. Vnde admisso antecedente negatur cōsequentia, quia cōceptus proprius est vnicuiq; rei accommodatus: & ideò si res sit respectiua, tūc proprio conceptu intelligitur, quando concipitur per respectum ad aliud. Neq; inde sequitur, quòd materia nō habeat in se & ex se, ꝓpriam actualitatem suę entitatis, sed solùm quod nō habeat illam sine habitudine transcendentali ad formam: nam etiam econuerso forma vt informans, seu vt informatiua est, non potest concipi sine respectu ad materiam cuius est actus.

III. Si verò loquamur de cognitione materiæ quoad nos, in ea cognitione cōsiderare possumus, vel modum inquirendi, & inueniendi cognitionem materiæ: vel terminum huius inquisitionis, seu conceptū vltimū, quem de materia formare possumus. Quoad primum, verum est quod Aristotel. ait 1. Physicor. cap. 7. text. 69. & ex illo Damascen. in sua Physica capite 3. materiam cognosci à nobis per proportionem seu Analogiam ad materiam rerum artificialium, vel ad subiectum mutationum accidentalium: nam nos non peruenimus in materiæ cognitionem nisi per viam mutationis, vt suprà declaratū est. Hoc aūt non prouenit ex eo quod materia non habeat aliquam entitatē & actualitatem, sed ex eo quod substantialis mutatio occultior est, & sentiri per se non potest: & ideò à nobis non percipitur nisi per ordinem ad accidentales, & sensibiles mutationes. Imò inde etiam fit vt forma substantialis non cognoscat B à nobis directè, sed per indicia sensibilia, vt mox videbimus. Et hac ratione dixit etiam Plato in Timæo materiam cognosci *adulterina cognitione*, vt notauit Simplicius 1. Phys. text. 69. Plato. IIII. Quoad secundum autem dicendum est peruenire quidem nos in aliquem proprium conceptū materię primę, nō tamen omnino distinctum & proprię in se est, sed negatiuū partim, partim confusum. Tota hęc assertio constat ex definitione materiæ tradita ab Arist. scilicet esse *Primum subiectum*, &c. nam per illam descriptionem aliquem conceptum obiectiuū explicamus: ille autem est proprius materię, sicut & ipsa definitio. In ea verò definitione *subiectum* quid confusum est & cōmune: additur verò quod sit primum, vt ad materiam limitetur: *primum* autē negationē importat prioris subiecti. Perinde est quod cōmuniter naturam materię declaramus per rationem purę potentię: nam ratio potētię confusa est, & cōmunis: at verò dictio *puræ* negationē dicit omnis formę cōponentis vel cōstituentis ipsam materiam. Ratio verò est, quia nos vix cognoscimus simplicia ꝓpriis conceptibus nisi adiungēdo aliquā negationē. C quare hic est frequentior modus declarandi naturā materię per carentiā formę, & completę actualitatis, &c. Et ita describit illā Arist. 7. Met. tex. 8. dicēs materiā *non esse quantum, neq; quale*, &c. & ideò fortasse dixit in eodē lib. tex. 35. materiā esse per se ipsam incognitam. Interdum verò, vt notauit D. Bonauent. in 2. distinctione tertia, artic. 1. quæstione secunda, videmur declarare naturam materiæ per cōceptus purè positiuos, vt si dicamus esse substantiam incōpletam receptiuam formę substantialis: sed quod dicitur *incompleta*, negationem importat. Ac demiq; nūquam satis materię naturam declaramus, nisi adiungamus negationem omnis actus formalis constitutiuę ipsam. Et ideò dixit Aug. lib. de Natura boni, cap. 18. *materiam per nullam speciem, sed per priuationem omnis speciei cogitari vix posse*. Et lib. 12. Confess. c. 5. ait; *Conari nos materiam cognoscere ignorando, vel ignorare noscendo.* Sicut enim tenebræ videntur à nobis, dum nō videtur lumen: ita dum intelligimus quid informe, quod est ignorare formā, cognoscim⁹ aliquo modo materiā. Et econuerso cùm cognoscimus aliquid formatum, seu compositum ex forma, ignoramus materiam, seu potiùs cognoscimus illud nō esse materiā, & aliquid remouemus, vt solam materiam concipiam⁹.

Hoc

Hoc autem non prouenit ex eo quòd materia nullā A habeat entitatem, sed ex eo quòd habet illā ita simplicem & potentialem, & latentem sub formis substantialibus, & accidentalibus, vt à nobis non possit alio modo inuestigari aut concipi.

SECTIO VII.

Quid causet materia.

I. EXplicuimus naturam materiæ primæ, & obiter attigimus omnes causas eius, scilicet efficientem, quæ est Deus, & finalem, quæ est forma vel compositum: & aliquo modo formalem, quæ etiam est formā, de quā infrà plura dicturi sumus. Materialem autem non habet præter se ipsam, vel partes suas integrantes, cùm sit simplex, & primum subiectum. Reliquum ergo est vt causalitatem eius (quod in hac sectione præcipuè est intentum) declaremus. Quatuor verò in hac causalitate, sicut in cæteris, desiderari possunt: primum quid causet materia: secundum quo causet, seu quę sit ex parte illius principalis & proxima ratio causandi, tertium quæ B sit necessaria conditio: quartum quid sit causalitas ipsa, per quam causa in actu constituitur.

Variæ opiniones.

II. CIRCA primam partem, quidam aiunt proprium & vnicum effectum materiæ esse ipsum cōpositum; quod potest sumi ex definitione materiæ, scilicet, *Primum subiectum ex quo fit aliquid*, &c. Propriè enim solùm compositum fit. Item materia est causa intrinseca: solùm autem ad compositum comparatur vt intrinseca causa. Item materia non est causa formæ: ergo solius compositi: antecedens patet, quia materia non est principium formæ: ait enim Aristoteles 1. Physicorum, vnum principium non esse ex alio. Denique quia materia vnicam causalitatem habet: ergo & vnum causatum seu adæquatum effectū. Milor. Albert. ita sentit Maior in 2. distinct. 12. quæstione 2. citans Auicen. 6. suæ Metaphysic. tract. 2. capit. 4. itē Albertus 2. Physicorum, tract. 2. capit. 1. Qui tamen videtur æquiuocè loqui: ait enim materiam non esse causam formæ nisi per accidens, quia forma non fit, sed compositum: vnde non videtur negare formam C hoc est quasi per accidens ad propriam rationem & eo modo quo fit, causari à materia. III.

Alij autem volunt formam etiam esse proprium effectum materiæ: non verò omnem, sed illam quæ de potentia materiæ educitur. Quæ sententia videtur communis. Nullus enim, quem ego viderim, excludit compositum à causalitate materiæ. Quamquā enim Auerroes & alij dicant materiam non esse de essentia compositi, quod infrà in proprio loco disputabimus: non tamen negant materiam esse causam compositi: nec negare possunt, cùm sit euidens ex ea constare. Hæc ergo secunda opinio quoad hoc non differt à prima, sed addit causalitatem materiæ in formam, quæ de eius potentia educitur. Et probatur quoad hāc partem, quia huiusmodi forma pēdet à materia: ergo est effectus eius. Item hęc forma educitur de potentia materiæ: ergo materia conducit in suo genere ad eductionem illius: ergo est causa illius. Ex quibus rationib⁹ videtur econtrario concludi, materiam nō esse causam formę rationalis: quia hęc nec pendet à materia, nec educitur de potentia illius. IIII. Fonseca. Conimbric.

Hanc verò sententiam etiam iudicat insufficientem Fonseca lib. 5. metaph. capite secundo, quæst. 1. sect. 2. quem imitantur Conimbricenses 2. Physic. c. 7. quæst. 8. art. 1. & ideò addit materiam esse causam omnis formæ etiam rationalis, scilicet vt informātis: & hanc dicit esse generalem causalitatem materiæ. Quæ sententia hac sola ratione conuinci videtur, quòd licet substantia vel exīstentia formæ interdum non pendeat à materia, informatio tamen formæ semper pendet à materia, tanquam à propria potentia & subiecto: ergo forma vt informans pēdet à materia vt à materiali causa: est ergo effectus eius. Confirmari hoc potest, quia anima pendet à materia, vt à termino sui esse, ad quem habet essentialem habitudinem, vt loquitur D. Tho. q. de Anim. a. 1. ad 12. Habet etiam rationalis anima quodammodo dependere à materia quoad initium sui esse, quia naturaliter non debetur illi esse, nisi in tali materia, à qua pendet in vnione: ergo.

V. Præter hæc verò addere possumus, materiam etiam esse generationis ipsius materialem causam; quæ ex natura rei distincta est à forma, & à composito. Et probatur, quia materia est principium generationis, teste Aristotele, & est principium per se, & à quo essentialiter pendet generatio: est ergo vera & propria causa generationis: nam in illam suo modo propriissimè influit.

VI. Ex his ergo videtur colligi quatuor effectus materiæ ex natura rei distincti, scilicet, compositū, forma, quæ materialis est, vnio formæ cum materia, & generatio totius compositi. Quòd enim hæc omnia causentur à materia, satis probatum videtur. Quòd autem illa omnia sint distincta, saltem ex natura rei, facilè ostendi potest. Nam forma distinguitur à composito vt pars à toto. Vnio verò distinguitur à forma, saltem vt modus ex natura rei distinctus, & separabilis ab ipsa, vt in anima rationali patet &, idem fieri posset in aliis formis saltem de potentia absoluta, sicut factum est in quantitate Eucharistiæ, de quo plura infrà, tractando de causa formali. Generatio verò differt ab omnibus dictis, sicut fieri à re facta: vnde in re ipsa est separabilis ab illis; nam transacta generatione & cessante actione agentis, manet forma vnita materiæ & constituens compositum in facto esse. Nec refert quòd cessante generatione maneat loco eius conseruatio, qua effectus saltem à prima causa conseruatur, tum quia hoc est quasi per accidens ad propriam rationem & distinctionem generationis. Nam licet per impossibile intelligeremus rem genitam non pendere in conseruari ab alia causa, sed solùm in fieri à generante, manerent vnio, forma, & compositum cessante generatione. Tum etiam, quia licet post generationem quæ est à causa proxima, succedat conseruatio quæ est à sola causa prima, tamen, vnio formæ cum materia eadem numero perseuerat, sicut est etiam eadem numero forma, & compositum idem: & hoc satis est vt generatio intelligatur esse modus ex natura rei distinctus ab illis omnibus: ergo quatuor illa quæ à materia causari ostendimus, ex natura rei distincta sunt. Quot, & qui materię effectus.

Quæstionis resolutio.

VII. SED quamquam hæc in re sint vera, nihilominus adæquatus effectus materiæ in ipso composito continetur. Quod duplici modo causatur à materia, scilicet in fieri, & in facto esse: in fieri quidem quatenus materia est causa generationis: non enim causat illam nisi quatenus est via ad compositum, seu quatenus per illam pendet compositum in fieri ab ipsa materia. Vnde licet generatio causetur à

Universidad de Deusto
Biblioteca

Generatio via potius ad effectum materiæ quam vnius ex illis.

materia, tamen non tam causatur vt effectus, quam A vt via ad effectum: & ideò licet ex natura rei distinguatur, non censetur augere numerum effectuum: quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantũ. Sicut respectu efficientis causæ actio est quid distinctum ex natura rei à termino, vt calefactio à calore, & vtrumque est ab agente: nam calefactio manat & fit à calefaciente, non tamen propriè, vt effectus, sed vt via ad effectum, & ideò nõ censetur ponere in numerum cum effectu. At verò in facto esse materia ex causa compositi quatenus componit illud: non cõponit autem illud nisi quatenus ipsi materiæ vnitur forma, & sustentando ipsam formam sit talis sit vt eo fundamento indigeat. Igitur in hoc effectu adæquato, qui est componere compositum, includitur causalitas materiæ respectu formæ, vel vt informantis, vel etiam vt existentis iuxta exigentiam formæ. Imò adeò sunt isti effectus coniuncti, & quasi ordinati ad componendum vnum adæquatũ, vt causalitas materiæ circa illos non videatur ex natura rei distincta, sed solùm habitudine, seu præcisione aut inadæquata conceptione intellectus nostri, ratione cuius diuersis loquendi formulis hanc causalitatem explicamus. Dicimus enim formam pendere à materia vt à recipiente, vel vt à comparte: compositum verò vt à parte componente: quibus verbis explicamus aliam esse habitudinem materiæ ad formã, & aliam materiæ ad compositum: cum hoc tamẽ stat vt modus causalitatis in quo hæ habitudines fundãtur, in re sit idem. Quod ita esse, paulò inferiùs ostẽdemus: & consequenter etiam declarabimus, loquẽdo de actuali causalitate, magis distingui inter se causalitatem materiæ respectu compositi in fieri, à causalitate eiusdem compositi in facto esse, quàm differat causalitas respectu compositi, & formæ, sumpta vtraque in fieri, vel vtraque in facto esse.

Iudicium de aliis opinionibus.

VIII. EX quo tandem facile est opiniones omnes adductas ad veritatem reuocare. Nam prima cõsiderauit adæquatum & per se primo intentum effectum materiæ: & ideò dixit esse ipsum compositum. Non tamen negauit, aut negare potuit, vel duplicem rationem, & quasi statum eiusdem compositi, scilicet, C in fieri & in facto esse: vel materiam esse vtroque modo causam eius: vel esse veram causam generationis, & eductionis, sicut in vniuersum mobile est causa materialis motus. Neque etiam negat illa opinio, quin materia componendo compositum, influat in suo genere in formam, saltem vt informantem. Imò dicendum videtur ordine naturæ, & quasi via originis, hinc proximè inchoari causalitatem materiæ, quia materia recipiendo actum, componit compositum. Ordine verò intentionis primariò tendere in compositum, & ad illud vltimatè terminari: & ideò illud propriè designari, & nominari effectum materiæ. Sicut agens dicitur propriè efficere compositum, cùm tamen causalitas eius proximè etiam versetur circa formam, eam educendo, & veniendo materiæ. Qua intelligentia supposita, solum videtur dissensio de nomine, an materia sit dicenda causare formam, nec ne, vt etiam fatetur Maior loco citato, significans in re non dissentire: non est tamen cur in illa locutione dubitemus, quia verbum *causandi* amplissimum est, quod nõ solum attribui solet vltimo termino generationis, vel compositionis, sed etiam actioni, & cuicunq; rei, quæ ab alia verè pẽdet.

In executione ptior materiæ effectus est forma materialis, in intẽtione totũ compositum.

Neq; aliud probant argumenta illius opinionis: IX. nam duo priora solùm probant materiam primò ac per se esse causam compositi. Ad tertium verò respondetur, idem esse dicendum de principio, quod de causa: nam materia etiam dici potest principium formæ, vel quia ex eius potentia educitur, vel quia ei vnitur. Quod autem Aristoteles ait, vnum principium non esse ex alio, intelligendum est, vel quoad compositionem, quia vnum non componitur ex alio: vel quoad effectionem simpliciter, & primariò intentam à natura: sic enim non fit principium vnum ex alio, sed quod ex eis constat. Argumenta verò aliarum opinionum soluenda non sunt, nam rectè probant aliquam causalitatem materiæ in illa omnia, non tamen excludunt, quin omnis illa causalitas in causalitate compositi includatur, & ad illã ordinetur. Solùm posset quis specialiter dubitare de vnione animæ rationalis, quomodo pendeat à materia, cùm in se spiritualis sit, sed de hac vnione quæ & qualis sit, inferiùs ex professo tractabitur: nũc breuiter dicitur, vnionẽ non solùm ex materiali (vt ita dicam) entitate, sed ex formali ratione vnionis B habere talem modum essendi, vt essentialiter pendeat ab altero extremo ad quod fit vnio, & in eo genere & modo quo ad illud fit vnio. Vnde si fiat ad subiectum, pendet ab illo in genere causæ materialis, si ad formam, in genere causæ formalis, si ad subsistentiam, vt à puro termino: quo modo vnio humanitatis, quamuis creata sit, essentialiter pendet à Verbo increato: sic igitur vnio animæ rationalis, quamuis in se spiritualis sit, pendere potest à materia vt à subiecto cui forma illa vnitur.

SECTIO VIII.

Per quid causet materia.

I. SICVT in causa efficiente creata distinguere solẽt principium principale agendi, & principium proximum, & conditiones necessariæ ad agendum: ita existimant aliqui hæc omnia distingui posse, & debere in causalitate materiæ. Nã principalis ratio causandi materialiter (inquiunt) est ipsa essentia materiæ: illa enim est primum fundamẽtum & basis totius materialis causalitatis & sustentationis, & ex illa vt sic, essentialiter constat compositum. Principium autem proximum huius causalitatis dicunt esse potentiam materiæ: per eam enim proximè recipit formam: omnis enim actus proximè recipitur in potentia sibi proportionata: est autem illa potentia proprietas ipsius materiæ data illi à natura ad suum effectum causandum, vt sensit Cõment. de substantia orbis capit. 1. & 1. Physicorum text. 70. & ibi Themist. text. 69. Quorum ratio est, quia omnis potentia fundatur in aliqua entitate, & essentia. Aliqui verò addunt hanc potentiam, per quam materia proximè causat, esse quantitatem ei, quia materia prima præcisè considerata absque quãtitate non est apta vt fit subiectũ generationis, quia non est extensa, neq; habet partes: per quantitatem autem fit apta, quia fit extensa.

II. Inter conditiones autem requisitas ad hanc causalitatem quidam ponunt existentiam materiæ, quæ ad causalitatem & cõpositionem realem existentia realis videtur necessaria. Alij, nec existentiam requirendam putant, quia sufficit materiæ, vt causet, suum esse essentiæ; existentia verò non habet vt prærequisitam, sed solum vt consequentẽ formã. Rursus alij

Materia potest causare sine existentia.

Quæ requisita ad causalitatem materiæ.

alij requirunt vt conditionem necessariam quanti- A tialiter institutæ, vt per suas essentiales entitates immediatè coniungantur: & inde est quod vnam essentiã per se & essentialiter cõponant: componunt aũt vt actus & potentia inter se vnita: est ergo materia essentialiter potentia, sicut forma est essentialiter actus. Tertiò ad hoc confirmandum adduci possũt omnia quibus probauimus materiam esse puram potentiam; non enim tantùm dicunt Philosophi materiam habere potentiã, sed totam ipsam nihil aliud esse quàm potentiam: & hoc ipsum est quod Aristoteles dixit, materiam esse primum subiectum. Augustinus etiam libro de natura boni contra Manichæos, c. 18. materiam ait Græcè appellari *siluam* quod operantibus apta sit, non vt aliquid ipsa faciat, sed vnde aliquid fiat. Damascenus etiam in sua Phys. c. 3. ait materiam, quantum ad id quod potentia est, substantia præditam esse.

Aristotel. August. Damascen.

Vltimò declaratur in hunc modum, nam vel potentia materiæ est ipsamet substantia, & essentia materiæ, vel est aliquod accidens realiter ab illa distinctum, vel modus aliquis saltem ex natura rei diuersus: præter hæc enim nihil aliud excogitari potest: sed non potest secundum, aut tertium dici: ergo primum verum est. Minor quoad priorem partem probatur primò, quia potentia est proportionata actui, ergo ad actum substantialem, potentia esse debet substantialis. Secundò, quia aliàs forma vniretur materiæ mediante aliquo accidente: & ita non componeret cum illa vnum per se, quia earum vnio non esset substantialis, sed accidentalis. Vnde Aristoteles 8. Metaphysicæ, text. 15. docet materiam & formam substantiales, per se immediatè vniri, vt vnum per se componant. Tertiò, quia si esset aliquod accidens, maximè quantitas: sed hoc non: ergo. Maior patet, quia nullum est accidens materiæ propinquius, quam quantitas. Minor verò probatur, quia quantitas non ordinatur per se ad recipiendam formam substantialem, sed potiùs est vel proprietas cõsequens illam, vel ad summum est dispositio præparans subiectum ad receptionem eius. Et confirmatur, nam aliàs sicut albedo verbi gratia, recipitur in quantitate, ita etiam forma substantialis reciperetur in illa, & communicaret illi suum esse substantiale: & consequenter sicut ablata substantia & conseruata per se quantitate sine nouo miraculo permanet illa quantitas alba, ita ablata materia, & conseruata quantitate sine nouo miraculo maneret informata forma substantiali: quæ omnia sunt absurda. Tandẽ, quodcunque sit illud accidẽs quod per modum potentiæ interponitur inter substantiam materiæ, & formam, necesse est illud recipi in materia, quia recipi debet in aliquo subiecto, & ibi non est aliud, cùm talis potentia supponatur formæ, & consequenter etiam composito; ergo est in materia potentia ad recipiendum in se tale accidens, cùm subiectetur in materia: inquiro ergo an illa potentia materiæ sit ipsamet substantia materiæ, vel aliud accidens: hoc posterius dici non potest, aliàs procedetur in infinitum: si verò dicatur illud prius: ergo aliqua potentia receptiua materiæ est ipsa substantia eius: ergo hæc potiùs est ad actum substantialem, quam ad accidentalem, vel saltem primariò ad illum actũ ordinatur: est ergo per se & immediatè receptiua illius.

V.

Atque hinc facilè probatur altera pars minoris, VI. scilicet, hanc potentiam non esse modum ex natura rei distinctũ à substantia materiæ. Primò quidẽ, quia nulla est necessitas, nec vestigium talis distinctionis.

Materiæ potentia ab ipsa indistincta ratio est causandi ipsi.

III. DIcendum verò in primis est materiam primam nõ habere duas rationes causandi: alterã principalem, alteram proximam, sed per se ipsam & per entitatem suam, & principaliter & proximè causare effectum suum in suo genere. Hæc sententia sumitur ex Diuo Thoma 1. Physicorum text. 79. vbi ait potentiam materiæ non esse aliquid materiæ additum, præter substantiam & essentiam eius: & idem habet prima parte, quæstione quinta, articulo tertio ad tertium, & quæstione 77. articulo 1. ad secũdum, & 1. contra Gent. cap. 43. & in 1. distinctione tertia, quæstione 4. articulo primo, idemque sentiunt cõmuniter Thomistę, Heruęus de vnit. formar. q. 16. Caprcol. in prima distinctione 42. quæstione prima ad argumenta Aureoli cont. 4. conclus. Soncin. 8. Metaphysic. quæstione sexta, Henric. in Summ. art. 35. quæstione octaua, & hoc ipsum significauit Auerroes de substant. orbis, cùm dixit, *Materiam substantiari per posse*. Ex hoc ergo principio probatur cõclusio in hunc modum. Materia primò ac principaliter causat per essentiam suam, proximè verò & immediatè per suam potentiam: sed potentia materiæ nõ est aliud ab eius essentia, neq; realiter neq; ex natura rei; ergo in materia non est aliud proxima ratio C causandi à ratione principali, sed sunt omnino idẽ. Consequentia est euidens: & maior etiam est extra cõtrouersiam, nam, quod attinet ad priorẽ partem eius, nihil prius vel principalius excogitari potest in materia, quod sit prima radix & quasi origo causalitatis eius, quàm ipsius essentia. Quoad secundam verò partem, cum causalitas materiæ sit causalitas subiecti & recipientis, etiam constat, potentiam receptiuam seu capacitatem materiæ esse proximam rationem causandi. Item quia materia causat recipiendo actum, actus autem proximè recipitur in potentia: ergo materia per potentiam suam proximè respicit actum, suumque effectum causat.

B. Thom. Heruæus. Caprcol. Soncin. Henric. Auerroes.

IIII. Minor verò asseritur à dictis authoribus. Et ratione probatur primò, quia materia essentialiter ordinatur ad formam, vt suprà dictum est cum Aristotel. 2. Physic. text. 26. sed non ordinatur nisi vt potentia receptiua: ergo materia essentialiter est huiusmodi potentia. Secundò, forma per essentiam suam est actus materię; vnde anima definitur quòd sit actus corporis physici, &c. ergo econuerso materia essentialiter est potentia ad formam; habent enim inter se proportionalem correlationem, & ita sunt essen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam talis potentia connaturalis est materię, & ab illa omnino inseparabilis, etiam per potentiam Dei absolutam, imò ēt per intellectum concipi non pōt materia completa in essentia materiæ, quin cōcipiatur capax formæ: ergo illa capacitas non est modus in re distinctus à materia, sed est veluti differentia essentialis eius; nam materia essentialiter est entitas substantialis, non completa sed partialis, non per modum actus, sed per modum potentiæ: est ergo ipsa materia per essentiam suam & principalis, & proxima ratio recipiēdi formā, & causandi materialiter.

VII. Existentiam essentialiter requirit materia vt causet.

Dico secundo. Existentia materiæ etiā est necessaria ad causalitatem materiæ, non tamen propriè vt conditio tantum, quæ sit extra rationem principij per se in genere causæ materialis, sed vt in illo intimè & formaliter inclusa. Prior pars probatur, quia materia nō potest esse reale subiectum, vel actu exercere munus eius, prout est in sola potētia obiectiua, vel in virtute primæ causæ: quia secundum priorem cōsiderationem nihil est, sed solùm concipitur vt non repugnans esse: secundum posteriorem verò non est aliud, quàm ipsa creatrix essentia, ergo vt actu exerceat munus realis subiecti, necesse est vt in se sit actu extra causam suam, & extra potentiam obiectiuam: sed hoc ipsum est existere: ergo vt materia materialiter causet, necesse est quòd actu existat. Et confirmatur, nam ideò res naturales non creantur quia fiunt ex materia, sed non ideò non creantur quia fiunt ex materia possibili: ergo quia fiunt ex materia actu existente: & consequenter ipsa materia non causat materialiter nisi quatenus actu existens. Minor probatur, nam ipsa materia dum fit à Deo, fit ex materia possibili, & nihilominus creatur, quia fieri ex materia possibili, est fieri ex nihilo: cò quòd materia possibilis vt sic, nihil sit. Vnde dictio *ex* in illa locutione non dicit habitudinem causæ materialis, sed termini à quo. Quando ergo dicit habitudinem causæ materialis, necesse est vt designet rem quæ non tantùm possibilis sit, sed etiam actu, & extra causas. Tandem materia non potest materialiter causare nisi sit creata à Deo, sed creario terminatur ad rem existentem: ergo materia non potest materialiter causare nisi existens. Quæ rationes formaliter & immediatè probant materiam non causare materialiter nisi vt est extra causas suas tanquam actualis entitas in suo esse essentiæ: consequenter verò probāt de esse existentiæ, quia omnis actualis entitas extra causas formaliter constituitur per existentiam, vt infrà suo loco probabimus.

VIII. Atque hinc etiam probatur facilè posterior assertionis pars: nam quòd materia sit entitas actualis nō est quasi extrinseca conditio necessaria ad causandum, sed est intrinseca, & propria ratio causandi: nā materia per suam entitatem actualem recipit formam: sed per existentiam constituitur in esse entitatis actualis: ergo existentia materiæ non vtcunque est cōditio necessaria, sed vt per se ac formaliter pertinens ad principium causandi. Quæ res constabit latiùs ex dicendis infrà de existentia. Solùm potest obiici, quia materia pendet in sua existentia à forma, ergo non potest prius etiam ordine naturæ existere, quam formam recipiat, ergo existentia non potest illi esse necessaria ad causandum. Patet consequentia, quia conditio necessaria ad causandum supponitur ad effectum. Nec intelligi potest quod causa in suo esse necessario ad causandum pendeat à suo effectu. Respondetur exactam huius obiectionis responsionem dari non posse donec explicemus

A causalitatem formæ erga materiam, & illam propositionem Aristot. *Causa sunt sibi inuicē causæ*: ideò breuiter dicitur, probabile esse materiam non dependere propriè à forma vt à causa sua, quę potest dici dependentia antecedens, sed solùm, vt à connaturali actu, & quasi dispositione & conditione necessaria, quæ potest dici dependentia consequens, secundum quam non est inconueniens causam materialem pēdere à suo effectu. An verò dici possit pendere etiam à priori materiam à forma, infrà videbimus.

Materia prior à forma dependens.

IX. Dico tertiò. Conditio necessaria ad causandum in materia est propinquitas intima, seu indistantia à forma. Itaq; sicut in causa efficiēte applicatio ad passum dicitur conditio necessaria ad agendum, ita in materiali causa applicatio ad formam: nam respectu illius, vel cum illa exercet causalitatem suā. Hæc aūt applicatio est per intimam propinquitatem, & indistantiam: quia non possunt materia & forma vniri nisi sint indistantes & quasi penetratę intimè per entitates suas. Dices hanc non esse conditionem necessariā, sed ipsammet cō:uctionē materię & formę. Respondetur non ita esse, quia intima præsentia aliquid B distinctum est ex natura rei ab vnione: cùm enim anima creatur in corpore, non vnitur corpori ex vi creationis in tali loco, sed per aliam actionem, & tamen creatur intimè indistans à corpore. Vnde etiam re ipsa est separabilis illa intima præsentia ab vnione. Sicut enim Angelus pōt esse intimè præsens materię, & non informans illam, ita etiam potest esse anima rationalis, imò & quælibet alia forma, saltem per potentiam Dei absolutam: est ergo illa intima præsentia quid distinctum ab vnione, & conditio necessaria ad illam, & ad materiæ causalitatem. Hæc autem cōditio in hominis generatione manifestè est prior natura, quia ibi supponitur forma creata absque causalitate materiæ circa illam: in aliis verò formis non tā videtur conditio prior natura, quàm concomitans, quia aliæ formę absolutè & simpliciter, & secundum ordinem causalitatis, non prius natura sunt, aut fiūt, quàm vniantur, vt posteà videbimus. Intercedit aūt ibi alia naturæ prioritas quæ dicitur in subsistēdi cōsequentia: nam intima præsentia talis est, vt possit saltem per diuinam potentiam conseruari sine vnione, & consequenter sine causalitate materiali: ecōtrario verò nullo modo potest materialis causalitas actu conseruari sine intima propinquitate, vt per se constat.

Proximitas cū forma est conditio sine qua non materia causet.

X. Dico quartò præter hanc conditionem nullam aliā esse simpliciter necessariam ad causalitatem materiæ, quantum est ex parte eius. Explicatur breuiter, nam quod attinet ad quantitatem satis controuersa res est an illa sit in materia, vel in composito, & quomodo. Et quamuis sit probabile esse in materia & naturaliter non separari ab illa: id tamen non ideò est, quia quantitas est conditio necessaria ad causalitatem materialem formaliter loquendo, sed quia materia est talis entitas, quæ natura sua talem proprietatem postulat; ita vt quantitas potius sit proprietas consequens talem causam materialem, quàm conditio antecedenter necessaria ad causalitatem eius. Vnde sit vt vel forma, si materialis etiam sit, vel saltem suo modo informatio formæ, participent effectum seu modum quantitatis, non quia per se sit necessarius ille modus ad vnionem cum materia, sed quia forma sese accommodat materiæ, quatenus omne quod recipitur, ad modum recipientis recipit. Et simili modo materiale agens indiget extensione quantitatis in passo, vt in illud agere possit, id tamen

Quantitas non requiritur ex parte materiæ vt cōditio necessaria ad causandū.

pro-

prouenit ex eo, quòd ipsum agens ratione talis proprietatis consequentis materiam, habet modum existendi & agendi illi accommodatum secundum omnes facultates, quæ à materia pendent. Itaq; (quidquid sit de illa quæstione, de qua modo nihil definimus) nunc solùm dicimus quantitatem per se ac formaliter non esse necessariam propter causalitatem materialem. Vnde si per potentiam Dei conseruetur materia sine quantitate, quantum est ex parte sua poterit exercere suum munus sustentandi formam vel informationem eius.

XI. Rursus sigillatio materiæ, quæ sit aliquid distinctum à quantitate & qualitatibus disponentib⁹ materiam, prorsus est quid fictum & commentitium, vt loco suprà citato monstratum est. Qualitates autem si fortasse non manent eædem in genito, & corrupto: non aliter sigillant materiam, nisi quia hæ qualitates quæ præcedunt instans generationis, denudant materiam, & relinquunt illam liberam & expeditam vt agens in eam introducat suam formam: qualitates verò quæ in eo instante introducuntur, solùm consequuntur formam, & quasi fouent, ac eam retinent in materia. Si autem eædem numero dispositiones, B quæ fuerunt inchoatæ in corrupto, manent consummatæ in genito, sic faciliùs dici possunt determinare materiam ad talem formam: illud tamen non est quia materia ex se illis indigeat ad suam causalitatē, sed vel ob naturalem modum & ordinem agendi mediis accidentibus, necessariò ita præmittuntur, vel quia forma ipsa tales postulat dispositiones. Materia autem quamuis ex se sit indifferens ad plures effectus seu formas, non est ex se insufficiens, aut incompleta ad singulos effectus suos, sed potiùs in suo genere est quasi vniuersalis causa, sufficiens ad singulos effectus; causa autem sic indifferens, bene potest determinatum effectum causare, si aliunde concurrant aliæ causæ, ad eam determinationem necessarię, vt sunt in proposito agens, vel dispositiones. Igitur per se & intrinsecè ex vi causalitatis materialis, nulla sigillatio ad illam requiritur vt necessaria conditio. Præter has autem conditiones nullæ aliæ hactenus excogitatæ sunt, neq; fingi facilè possunt, cùm nulla appareat ratio vel fundamentum talis necessitatis. Omitto enim conditionem generalem & quasi trā- C scendentalem respectu omnis causæ creatæ, scilicet quòd conseruetur à Deo, nam hoc & commune est, & sub existentia comprehenditur. Omitto etiam necessariam habitudinem seu relationem ad formam: & (vt ita dicam) concausalitatem formæ, nam hoc potiùs est quid necessariò consequens, quàm requisita cōditio ad causandū. Nihil ergo aliud ad causalitatem materię ex parte illius necessarium est. Et hæc satis sint de hoc puncto, nam fundamenta aliarū opinionum, quæ inter illas referendas insinuata sunt, ex dictis sufficienter soluta & expedita sunt.

SECTIO IX.

Quid sit causalitas materiæ.

I. MARIÆ sunt hac de re opiniones. Dicunt enim aliqui causalitatem materiæ nihil aliud esse quàm ipsammet materiam, quæ se ipsam exhibet composito, & per se ipsam sustentat formam, quia eius causalitas non consistit in productione alicuius rei à se distinctæ, sicut causalitas efficientis, sed in hoc solùm quòd se ipsam præbet suo effectui. Sed hæc sententia vera esse non potest: nam licet ve-

Causalitas materiæ non est ipsa entitas materiæ.

A rum sit materiam non aliter causare quàm sustentādo, aut componendo id quod causat: nihilominus hoc quod est sustētare, aut cōponere, aliquid est in re ipsa distinctū ab ipsa materia, nam potest materia esse in rerum natura, & non causare hāc formam, vel hoc compositum: & successiuè variare causalitatem suam circa varios effectus, manente inuariata entitate eius: ergo causatio ipsa aliud est ab eius entitate. Imò de potentia absoluta potest conseruari materia sine vlla forma, vt infrà ostendemus, & tunc nihil actu causaret, sed solùm ex se esset potens ad causandum: ergo aliud est id quo constituitur actu causans ab eo quo constituitur potens ad causandum: hac enim sola ratione probamus in causa agēte aliud esse actionem à potentia agentis. Quod si quis fortè dicat, materiam causare non addere aliquid ipsi materiæ, sed connotare existentiam formæ in illa, non satisfaciet. Nam, quidquid sit de illo addito, quod posteà videbimus, formam existere in materia, formaliter ac præcisè loquendo, non est materiam causare, sed potiùs causari, vel informari: oportet autem aliquid designare à quo formaliter sumatur illa denominatio causandi, & declarare an illud sit intrinsecum, vel extrinsecum materiæ.

II. Secundò dicunt alij causalitatem actualem nihil addere materiæ præter relationem causæ ad effectū. Sed si sit sermo de propria relatione prædicamentali, non potest hæc sententia vera esse, quia hæc relatio consequitur causato iam effectu, & positis fundamento & termino: ergo supponit causalitatem vt rationem proximam ad quam consequitur: ergo non potest causalitas in hac ratione consistere. Quod & suprà de causa in communi dictum est, & pro omnibus causis dictum intelligatur, ne id amplius repetere necesse sit. Si verò sit sermo de aliqua relatione transcendentali, coincidit hæc opinio cum quarta statim referenda.

Causalitas materiæ nequit esse prædicamētalis relatio.

III. Potest ergo tertia sententia esse asserens hāc causalitatem materiæ esse ipsummet effectum eius, diuerso modo significatum & conceptum: quia hoc sufficit ad explicandam hanc causalitatem, & vix pōt alia inueniri, aut cogitari. Sed licet de aliquo effectu hoc fortasse verum sit, vt de generatione & vnione statim declarabo (nam hæc ita se habent sicut actio ad causam agentē, quę etiā dici potest effectus eius) C non tamen potest id esse in vniuersum verum, tum quia causalitas in omnibus causis est aliquid mediū inter causam & effectum, tum etiā, quia forma materialis est effectus materię, & non potest esse causalitas eius. Nam anima equi, verbi gratia, quæ nunc causatur materialiter à sua materia, potest in re conseruari sine tali causalitate: ergo illa causalitas aliud est in re ab illa anima, & ab entitate eius. Sicut quantitas Eucharistiæ quæ anteà conseruabatur media causalitate materiali substantiæ panis, posteà conseruatur cessante illa causalitate, quod est signū causalitatem illam esse quid diuersum à realitate quantitatis. Quòd si forma secundum suam absolutā entitatem non est causalitas materię, nec totum compositum esse potest: maximè quia in composito includitur ipsa materia, quæ à se ipsa non causatur: & in aliquo composito, nempe homine, includitur etiam forma, quę à materia non causatur: quo modo ergo totum compositum esse poterit causalitas materiæ?

Causalitas materiæ non est idem cum omni effectu ipsius.

IIII. Quarta opinio esse potest, causalitatem materiæ esse modum quendam ipsius materiæ realem, & ex natura rei distinctum. Nam considerata absoluta entitate materiæ, hic modus solùm in potentia

Quorundam opinio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab ea continetur: oblata autem occasione agêtis inducentis formam, materia etiam actu exhibet hunc modum, quo in se recipit, & fouet formam, & consequenter componit compositum. Si autem talis forma recedat, adueniente alia forma, materia etiã amittit priorem modum, & alium exhibet circa aduenientem formam. Ita sentiunt Conimbricenses 2. Physic. q. 6. & 8. Fundamentum sumitur tum à sufficienti partium enumeratione, tum etiam quia talis modus necessarius est, cùm ostensum sit hanc causalitatem esse aliquid, & non sit necesse, vt sit entitas distincta, cùm materia per se ipsam immediatè vniatur formæ: ergo oportet vt sit aliquis modus realiter quidem identificatus materiæ, modaliter autem & ex natura rei distinctus, cùm sit separabilis ab ipsa.

Conimbricens.

Quæstionis resolutio.

V. VEruntamen hęc sententia partim falsa videtur, partim dubia. Quod vt declarem, & meam sententiam aperiam, distinguo illa quatuor, quæ suprà dixi causari ex materia, generationem, vnionẽ formæ, entitatem formæ, & compositum ipsum. Quoad generationem ergo existimo per se ipsam causari à materia nulla alia re vel modo addito materiæ præter ipsam generationem illi inhærentem: atq; adeò causalitatem ipsius generationis à materia nihil aliud esse, quam ipsammet generationem, vt est eductio ex materia. Sicut enim actio est ab agente non per aliam actionem, sed per se ipsam, & habet rationem actionis, vt est ipsa emanatio à causa agente, & vt sic est ipsa causalitas agentis, vt infrà dicam; ita eductio, seu passiua generatio quatenus essentialiter pendet à subiecto, & per se ipsam necessariò illi coniungitur, ab illo causatur materialiter non per aliam causalitatem, sed per se ipsam. Hoc inprimis probatur ex ipsamet rei declaratione: nam hoc modo optimè intelligitur causalitas materię circa generationem, & nihil aliud est necessarium: ergo superfluum est aliquid aliud fingere. Secundò id declaratur ex accidentalibus mutationibus & vnionibus; quando enim lignũ calefit, calefactio fit in tali subiecto, & ex subiecto; non fiunt autem tunc duæ mutationes in illo subiecto, vna quæ fit ipsa calefactio passiua, alia quæ fit modus aliquis, quo tale subiectum causat materialiter calefactionem, illiúe vnitur; superfluum enim est has multiplicare mutationes, nam hoc ipso quòd calefactio talis est, vt intrinsecè dicat habitudinem actualis vnionis, & dependentiæ à tali subiecto in genere causæ materialis, & ipsa causatur à subiecto, & subiectum causat ipsam, & ipsa vnitur subiecto, & subiectum manet illi vnitum: superfluum ergo est aliam mutationem in subiecto addere; idem ergo est in causalitate materiali substantialis generationis. Vnde confirmatur tertiò, quia per idem seu per eundem modum quo effectus causatur, causa causat, quia causatio ipsa vt sic, duplicem illam habitudinem essentialiter includit, ad causam vt ad principiũ, & ad effectum vt ad terminum: & ideò vtrumque denominat, alterum causans, alterum causatũ; sed generatio hoc ipso quòd intrinsecè & essentialiter est pendens à materia, per se ipsam causatur ab illa: ergo ab eadẽ, vt est ex materia, denominatur materia causans illam: ergo nulla alia res, aut modus necessarius est, vt materia denominetur actu causans generationem. Imò neque intelligi potest quomodo materia per alium modũ causet generationem. Quod quartò declaratur, nam materiã causare generationem, nihil aliud est quàm sustentare illam vt subiectum; sustentat autem illam immediatè in entitate & per entitatem suam hoc ipso quòd generatio in ipsa fit: ergo omnis alius modus est impertinens ad hanc causalitatem, nec conferre quidquam potest ad hanc sustentationem.

Causalitas materiæ respectu generationis, est ipsamet generatio.

VI. Vltimò argumentor, quia si præter generationẽ ipsam, causalitas materiæ esset modus realis distinctus, oporteret fieri ab aliquo agente; omnis enim modus realis nouus à noua causa fieri debet, sed nullum est agens à quo fiat talis modus: ergo. Probatur minor, quia agens sicut solùm agit per suam formam substantialem vel accidentalem, ita non concurrit effectiuè nisi ad eductionem formæ, quæ est calefactio, verbi gratia, vel generatio: ergo præter illam non facit aliquem alium modum. Dices, Quamuis per se primò ille alius modus non fiat, resultat tamẽ, nam hoc ipso quòd hæc res vnitur illi, resultat vnio illius ad hanc. Sed contra primò, quia ostensum est nullam esse necessitatem talis resultantiæ ad causalitatem, neque videtur etiam necessaria ad vnionem: quia potest alia res denominari vnita per vnionem alterius ad ipsam, sine nouo modo vnionis in ipsa, vt in mysterio Incarnationis dicunt Theologi; & in naturalibus cùm homo sedet, verbi gratia, sessio vnita est homini, & homo sessioni: quis autem fingat hominem denominari vnitum sessioni per nouum modum distinctum à sessione; & non potiùs per ipsam sessionem, quæ per se ipsam vnitur subiecto? alioqui procedendum esset in infinitum. Sic ergo materia denominatur vnita generationi, quia generatio in ea fit, neque est necessarius alius modus, qui in materia resultet. Deinde inquiram qualis sit, & à quo illa resultantia: duobus enim modis intelligi potest, primò quod posita in materia actione agentis educentis formam, resultet à materia ille modus; atque ita materia effectiuè faceret suam causalitatem materialem; quod dici non potest etiam si dicatur esse illa efficientia per resultantiam naturalem. Secundò potest excogitari illa resultantia, quod fiat ab agente extrinseco media forma quam inducit in materiam; & sic forma inducta efficeret causalitatẽ materialem per quam ipsa causatur, & priùs natura esset in materia, quàm ille modus resultaret; ex quo facilè conuincitur talem modum esse impertinentem ad materiæ causalitatem.

Obiectioni respondetur.

VII. Ex his ergo (vt existimo) satis constat in materiali causalitate generationis non distingui huiusmodi causalitatem ab ipsa generatione, prout est in materia, à qua denominatur materia actu causans, quatenus ab illa est; sicut ab eadem denominatur generãs actu agens, quatenus ab illo est. Vnde sicut denominatio agentis non est ab aliquo modo qui sit in ipso agente, sed extrinsecus ab actione; ita denominatio causantis actu in ipsa materia non est ab aliquo modo, qui sit illi ita intrinsecus, vt sit in re idem cum ipsa; sed ab ipsamet generatione, quatenus est ex ipsa; & hac ratione poterit dici talis denominatio extrinseca, quamuis, quia generatio est in ipsa materia, ea ratione possit dici intrinseca, in quo differt à denominatione agentis. Dices, posse Deum eandem numero generationem cõseruare separatam à materia; tunc autem non causaretur à materia, & consequẽter non denominaret illam actu causantem: ergo nõ denominatur actu causans præcisè à generatione vt sic: oportet ergo adiungere aliquem alium modum. Respondetur inprimis falsam esse assumptionem, nam implicat esse, aut conseruari actionem generationis

Generatio nequit etiã fieri extra naturaliter extra subiectũ cõseruati.

tionis extra subiectum, & absque causalitate materiæ; tum quia generatio essentialiter est mutatio; mutatio autem nec intelligi potest sine subiecto. Tum etiam, quia generatio in omnibus aliis extra hominem essentialiter est eductio de potentia materiæ: in homine verò est vnitio formæ cum materia: vtroque autem modo repugnat intelligi sine concursu materiæ. Tum denique, quia actio sine concursu subiecti est creatio, vel productiua, si sit noua: vel conseruatiua, si sit circa rem præexistentẽ: ergo hoc ipso quòd forma, quæ erat in subiecto, & à subiecto pẽdebat, extra subiectum conseruatur, necessariò variatur actio. Vnde concluditur, mutationem illã, quæ est generatio, essentialiter includere vnionem ad materiam, & causalitatẽ materiæ; & ideò ab illa precisè sumpta, denominari materiam causãtem. Adde, quòd licet gratis daremus id quod assumitur, non inde inferretur, ad illam denominationẽ esse necessarium in ipsa materia specialem modum, sed ipsa generatione distingui entitatem, & formalitatem generationis ab vnione eius cum materia, sicut inferius dicemus de ipsa forma; sed quia in mutatione quæ est generatio, id verum non est, in hoc nunc non immorabimur.

VIII. Materia in formam, & compositum generatione vt causalitate instruit.

Ex his vlteriùs concluditur, causalitatem materię, quatenus est causa in fieri, vel formæ, vel compositi, non esse aliud, quàm ipsammet generationem vt essentialiter pendentem à materia; nam, mediante illa, concurrit materia ad eductionem formæ, vel compositionem compositi; causalitas autem causæ nihil aliud est, quàm concursus eius. Item quia causare aliquam rem in fieri, nihil aliud est, quàm quòd fieri talis rei sit à tali causa: ergo per eandem causalitatem causatur res in fieri, per quã causatur ipsummet fieri rei. Quod patet à simili ex causa agente; nam ipsamet actio, quæ est per se ipsam ab agente, est causalitas actiua eius respectu termini seu rei in fieri: eadem ergo proportio seruanda est in causalitate materiali. Tandem applicari ad hoc possunt multa ex argumentis factis, præsertim illud, quòd hæc ratio causandi sufficit ad eam denominationem, qua materia dicitur causare rem quæ generatur; & posita illa ratione causandi, & præciso per intellectũ quocunque alio modo, sequitur necessariò illa denominatio: ergo, quidquid aliud fingatur, est superuacaneum, & sine fundamento. Solùm videtur notanda differentia in hac causalitate respectu formæ, & respectu compositi, quòd respectu formæ materia quodammodo extrinsecus manet, quatenus sustentat formam in se velut informantem, non verò intrinsecè componit illam, & ideò manifestissimum videtur causalitatem materiæ respectu formæ in fieri nihil aliud esse quàm eductionem, vel vnitionem eius, prout est à materia, quam ostendimus in re nõ esse aliud præter ipsam generationem. At verò respectu compositi, materia comparatur magis intrinsecè, quia per se ipsam illud componit: & ideò respectu compositi necessarium videtur, vt ipsamet materia intrinsecus includatur. Sed hoc est quidem verum quoad inclusionem in effectu causato, non tamen quoad viam, seu fieri quo tenditur ad talem effectum in hoc genere causæ materialis; nam materia non ita est causa in fieri rei genitę, vt ipsa etiam fiat; nam illa semper præsupponitur facta, & solùm se communicat composito quod generatur in suo genere causæ, & quatenus hæc communicatio est in fieri, & materia est causa eius, dicitur esse causa rei genitæ in fieri; non est autem hæc communicatio in fieri; nisi media eductione vel generatione: & ideò tota hæc causalitas, quatenus intelligitur esse quid mediũ inter materiã & effectum, seu compositum, in re, non est aliud ab ipsa generatione, vt est ex materia.

Quæ materiæ causalitas post motum perseuerans.

IX. SVpereſt dicendum de causalitate materiæ in facto esse; ad quam explicandam incipiendum est à causalitate vnionis formæ cum materia; nam etiam hanc diximus causari à materia; nunc verò addimus non causari per aliquam causalitatem distinctam à tali vnione, sed per ipsammet. Quod facilè demonstrari potest ex dictis de ipsa generatione; est enim eadem proportionalis ratio. Quod sic ostendo; nam etiam hæc vnio formæ cum materia, per se ipsam est coniuncta materiæ eo modo quo esse potest: ergo per se ipsam est pendens à materia eo modo, quo pendere potest: ergo per se ipsam causatur; eatenus enim causatur, quatenus pendet: ergo econuerso, materia causat illam vnionem per ipsammet; nam, vt dixi, eadem est causalitas à qua & effectus denominatur causari, & causa causare. Omnes consequentiæ probatæ sunt in superioribus; antecedẽs verò patet primò à posteriori; quia impossibile est, illam vnionem conseruari sine concursu materiæ, seu quin sit in materia eo modo quo esse potest: ergo signum est per se ipsam immediatè ac essentialiter pendere à materia; nam si penderet mediante aliquo modo ex natura rei distincto, posset Deus, auferendo modum illum, conseruare vnionem illam sine materia; hac enim ratione potest cõseruare formam, vt infrà dicam. Antecedens patet, quia nõ potest vnio manere, quin actu vniat; non potest autẽ actu vnire, quin coniungat extrema, & vtrumque attingat eo modo quo potest, & debet. Et hęc est ratio à priori, propter quã illa vnio per se ipsam pẽdet essentialiter, tum à forma, tum à materia, à singulis in suo genere, quia est veluti actuale vinculũ illarũ, & nõ indiget alio interiecto vinculo, aut modo, quo ipsas attingat, seu illis coniungatur, ne procedatur in infinitũ. Tandẽ confirmat ratione suprà facta, quia hoc sufficit ad hanc causalitatem, & sine illo poni nõ potest: ac, illo posito, & præciso omni alio modo, sufficiẽter intelligitur talis causalitas materiæ; ergo omne aliud est fictum, & sine fundamento, neque in hoc est vlla difficultas præter statim attingendam.

Vnio formæ ad materiam per se ipsam à materia causatur, & pendet.

X. Hinc vlteriùs addo, causalitatem materiæ in ipsa formam (quando forma talis est, vt à materia causetur, & pendeat) non esse aliud à propria vnione talis formæ cum materia, quatenus ipsamet vnio materialiter causatur à materia, & mediante illa forma ipsa pendet etiam à materia. Dixi, non esse aliud à propria vnione talis formæ, quia non quælibet vnio sufficit ad hanc causalitatem; anima enim rationalis habet propriam vnionem cum materia, quæ vnio etiam causatur materialiter à materia, & tamen ipsa anima non causatur; non ergo quælibet vnio est causalitas ipsiusmet formæ, sed illa quæ est per eductionem formæ. Ex quo obiter intelligimus vnionem animæ rationalis cum materia esse singularem, & diuersæ rationis essentialis ab omni vnione materialis formæ, quam substantialem inhæsionem appellare possumus: & hanc dicimus esse causalitatem, per quã materia causat talem formam.

Permanens causalitas materiæ in formam materialem est vnio.

Qualis sit rationalis animæ cũ materia nexus.

XI. Dices, Cur non possumus in forma materiali distinguere duos modos, quorum vnus sit mera vnio formæ cum materia, qualis est in anima rationali; & per

Obiectioni occurritur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& per illum non pendeat illa forma à materia, sed solùm vniatur ad componendum compositum: alius verò modus sit dependentia talis formæ à materia? Respondeo, quia vel planè impossibile, vel omnino superfluum est tales modos distinguere & multiplicare. Primò, quia in accidente non distinguimus duos modos, quorum vnus sit vnio, alius inhærentia, seu dependentia accidentis à subiecto, sed eadem inhærentia vnitur & pendet: ergo & similiter, &c. Secundò, quia propria dependentia à causa materiali intrinsecè & essentialiter includit vnionem, ita vt neque fieri, neque intelligi possit quin illam intimè includat: ergo inhæsio, quæ idem est quod dependẽtia materialis, non est modus ex natura rei distinctus ab vnione formæ inhærentis, sed est veluti species vnionis in communi; nam alia est inhæsiua, alia verò non; sicut ergo genus & species non sunt modi ex natura rei diuersi in eodem indiuiduo, ita vnio & inhæsio seu dependentia materialis, non sunt modi distincti in eadem forma. Ex his ergo facilè probata relinquitur assertio posita, quia hæc forma per suam vnionem pendet à materia: ergo mediante illa causatur à materia in suo genere: ergo etiã materia causat formam mediante illa, iuxta principium suprà positum, quòd causari & causare dicunt eãdem causationem sub diuerso respectu: ergo hæc ipsa vnio est causalitas materiæ circa talem formam. Secundò, quia causalitas causæ mediat quodammodo inter ipsam, & effectum: sed inter materiam, & formam nõ mediat nisi hæc vnio, & quasi inhæsio: ergo illa est causalitas materiæ in formam. Tertiò, quia hæc sufficit ad hoc genus causalitatis, præciso quocunq; alio etiam per intellectum.

XII. Dices, neque hoc videri necessarium, quia forma & materia immediatè vniuntur, vt suprà dictum est. Respondetur immediatam vnionem non excludere modum vnionis realiter, vel ex natura rei distinctũ ab extremis: sed excludere formam mediam quæ intercedat tanquam communis terminus, in quo coniungantur extrema; modus autem vnionis excludi non potest, quando extrema talia sunt, quæ possint esse separata: quia, nisi vel vtrumque, vel alterum illorum aliter se habeat, quàm cùm sunt seiuncta, non poterunt esse realiter vnita, & ideò etiam in mysterio Incarnationis ponunt Theologi hunc modum vnionis ex parte humanitatis.

Quotuplex vnio in materiali composito.

XIII. Sed hinc oritur alia difficultas, quæ sola videtur esse alicuius momenti in hac sententia, & propter quam diximus quartam opinionem ex parte esse dubiam, nimirũ, quia si forma vnitur materiæ per proprium modum vnionis: ergo etiam materia vnitur formæ per proprium modum vnionis: ergo materia non tantùm causat per vnionem, vel inhæsionem formæ, sed multò magis per propriam vnionem, qua ipsa coniungitur formæ: atque ita causalitas materiæ erit potius proprius modus ipsius materiæ, quã formæ. Ad hanc difficultatem fateor, rem esse dubiam, an in compositione materiæ & formæ habeat materia proprium vnionis modum, distinctum ab vnione formæ. Dico tamen duo. Vnum est, esse valde probabilem partem negantem, quia ad vnionem duorum extremorum, quæ inter se immediatè vniuntur, sufficit vnus simplex modus vnionis; & assignari potest specialis ratio, ob quã talis modus magis ad formam pertineat, & cum illa realiter idem sit, quàm cum materia: ergo non oportet plures modos huiusmodi multiplicare. Maior probatur, quia omnis modus vnionis est vinculum duorũ extremorum, vnde ad vtrumque dicit habitudinem, sine qua esse nõ potest: ergo quilibet modus vnionis vnit duo extrema, quorum est vnio: ergo vnus sufficit ad huiusmodi extrema coniungenda. Et ideò suprà dicebamus, vnionem formæ ad materiam non posse esse, aut intelligi in rerum natura sine coniunctione, & dependentia, non solùm à forma, sed etiã à materia; & ideò, si per intellectum præscindamus omnem alium modum identificatum materiæ, per solam vnionem formæ ad materiam, intelligemus materiam & formam esse perfectè vnitas inter se, & materiam exercere in formam totam causalitatem quam habet: ergo non est necessarius duplex modus vnionis, sed vnus sufficit. Minor autem, scilicet, hũc modum potiùs pertinere ad formam, quam ad materiam, probatur, quia tota efficientia agentis naturalis terminatur formaliter & proximè ad formã, educendò illam, vel vniẽdo materiæ: ergo quidquid de nouo facit, est in forma tanquam in formali termino actionis, in materia autem solùm vt in subiecto, & ideò non vnit materiam formæ, directè efficiendo in materia specialem modum, sed solùm vniendo formã ipsi materiæ, & efficiẽdo in eã informationem, & vnionem, vel inhærentiam. Estque hoc consentaneum modo se habendi & concurrẽdi materiæ & formæ; nam materia subsistat actioni agentis, & aduentui ac recessui formarum. Vnde, quantum ad suam entitatem, omnemque suum intrinsecum modum inuariata manet, solùmque variatur, vel mutatur ratione priuationis, aut formæ recedentis, aut denuo aduenientis. Quod his verbis dixisse videtur Damascenus in sua Physica, cap. 3. vbi de materia ait; *Vt quæ subiecti rationem obtineat, & quantum ad id, quod potentia est, attinet, substantia præditam esse, & cum priuatione esse, ac forma actu præsente, manere, atque illud suum*, hoc est, potentia, *ab omni mutatione liberum conseruare, hinc q, fieri, vt nec ab hoc, quod potentia est, in actum migret, verum in suo statu manens formam suscipiat, ac forma recedente, rursus priorem statum retineat.* At verò forma est, quæ aduenit materiæ; & abilla recedit; & ideò omnis mutatio, quæ fit in materia, est ratione formæ, & similiter omnis vnio est per coniunctionem formæ ad illam. Quod præterea materiali exemplo declarari potest; nam basis, quæ supponitur columnæ, in se non variatur, nec mutat locum, aut aliquem alium modum, ex hoc quòd columna ei superponatur, vel auferatur, aut varietur, sed tota mutatio fit in colũna, quę superponitur, à qua prouenit omnis denominatio in basim, quę dicitur sustentare columnam. Et similiter in accidentalibus mutationibus, quando lignum v. g. calefit, non fit duplex mutatio in ligno. Vna in adhæsione caloris, altera in vnione ligni ad calorem, sed vna tantùm, quæ consistit in introductione caloris.

Damasc.

XIIII. Addo secundò, quamuis gratis admitteremus esse in materia proprium modum vnionis, distinctum ab vnione formæ, nihilominus non posse illi tribui, quòd sit causalitas, per quam materia causat formã, quia nec materia per talem modum sustentat formam, neque forma per illum modum pendet à materia. Prior pars constat, quia materia non per modum, sed per suam entitatem sustentat formam. Posterior probatur, quia forma per suam inhæsionem pendet à materia, vnde, si in materia est talis modus vnionis, potiùs erit vt effectus consequens ex informatione, &, quãtum est ex se, eiusdem rationis erit, siue

siue forma pẽdeat à materia, siue non. De qua vnione materiæ iterum occurret sermo, tractãdo de causa formali.

XV. Materia qua causalitate compositum constituat.

Ex his vlteriùs concluditur, causalitatem materię circa compositum, nihil omnino addere ipsi materię præter vnionem formæ, atque ita non esse aliã causalitatem compositi, nisi ipsammet causalitatem formę, vel vnionis, solùmq; addere respectu compositi, quòd materia, media vnione, se ipsam exhibet ad cõponendum intrinsecè compositum; vnde ipsa entitas materiæ magis intimè ingreditur causalitatẽ cõpositi, quàm formę vel vnionis, in re tamen nihil aliud interuenit, nisi entitas materiæ, & vnio seu causalitas formæ.

XVI. Duplici distincta causalitate fungitur materia.

Vltimò intelligitur ex dictis, quòd suprà etiã insinuatum est, duas tantùm esse causalitates materiæ ex natura rei distinctas, licet ratione possint plures distingui. Causalitas enim materialis respectu rei in fieri, vel in facto esse ex natura rei distinctæ sunt; sicut generatio ex natura rei distinguitur à forma, seu à re genita, & vnitio in fieri ab vnione vt facta; ostẽdimus autem, causalitatem rei in fieri non distingui in re ab ipsa generatione, vel vnitione, causalitatem verò rei in facto esse similiter non distingui ab vnione vt facta, & formaliter terminante vnitionem: ergo necesse est huiusmodi causalitates inter se esse distinctas ex natura rei. Dices, posse has duas causalitates ad vnam reuocari, quia res in facto esse non causatur, nisi mediante actione: ergo causalitas tota consistit in actione, & generatione ipsa, prout est à materia, reliqua enim omnia potiùs sunt quid causatum, quàm causalitates, sicut respectu agentis tota causalitas consistit in actione vel vnitione, & vnio in facto esse non est causalitas agentis, sed quid causatum. Respondetur, non esse parem rationem, quia causa materialis per se est causa rei in facto esse, etiamsi cesset omnis actio, ita vt si per impossibile compositum materiale non penderet ab aliquo agente in fieri, vel in conseruari, nihilominus haberet materia suam causalitatem circa tale compositum, vel circa formam eius: est igitur in materia propria quędam causalitas, quæ non versatur circa actionem vel mutationem, neque per illam fit, sed immediatè est circa ipsum esse totius compositi, quatenus includit vnionem materiæ cum forma: & ex sectione sequenti constabit, interdum esse materiam causam rei, & non productionis rei: sunt ergo hæ causalitates ex natura rei distinctæ. Vnaquęque verò earum potest comparari, & præcisè concipi in ordine ad res diuersas, & secundum varias habitudines explicari, in ordine ad formam, vel compositum: tota tamen illa distinctio est per rationẽ, seu per conceptus nostros inadæquatos, vt ex superioribus constat.

Obiectioni tacitæ.

SECTIO X.

Vtrùm materialis causa substantialis in corporibus incorruptibilibus inueniatur.

I. Hactenus solùm explicuimus materialem causam in substantiis generabilibus & corruptibilibus, in quibus notior est ob continuam transmutationem; nunc videndum superest, an sit etiam hoc genus causæ in corporibus incorruptibilib. In qua re multæ continentur quæstiones. Prima, vtrùm in cęlis (hos. n. nomine corporũ incorruptibilium intelligimus) sit materia. Secunda, qualis sit, & quo cum materia generabiliũ conueniat, aut differat. Tertia, quomodo materialem causalitatem cũ illis corporibus exerceat: &, quãuis duæ primę quæstiones Physicæ sint, & in libris de Cœlo tractari soleant, tamen ad explicandam tertiam, quæ propria est huius loci, aliæ necessariò præmittendæ sunt.

Prima Commentatoris opinio.

II. Circa propositam ergo quæstionem fuit opinio Commentatoris negantis, esse in cœlo compositionem materiæ & formæ. Ita habet 8. Met. comm. 12. & libro 12. comm. 20. & 1. de Cœlo, com. 20. & libro de substant. orbis, capit. 1. & 2. Eumque sequuntur omnes sectatores eius, Iandun. de substant. orb. quæstione prima, Zimara, theorem. 107. Caietan. de Thienis, 1. Physic. quæst. 21. & ex Scholasticis Durand. & Gabr. & alij in 2. distinct. 12. vbi etiam D. Thomas in eandem sententiam inclinauit q. 1. art. 1. & in quæst. disputat. de spiritualibus creatur. art. 6. ad 2. & 8. Metaph. capit. 14. Fundatur præcipuè hæc sententia in variis Aristotelis testimoniis, propter quæ Scotus in 2. distinct. 14. quæstione prima, fatetur esse sententiam Aristotelis, licet eam non approbet. Primum est 8. Metaph. text. 14. vbi ait: *Neque omnium materia est, sed quorumcunque generatio & transmutatio inuicem sunt: quæcunque verò, absque eo quod transmutentur, sunt, aut non, horum materia non est*; & text. 4. eiusdem libri ait; *Non est necesse, si quid materiam habet localem, etiam habere materiam generabilem, & corruptibilem*, id est, quæ sit fundamentum generationis & corruptionis, quæ apud ipsum idem esse videtur, quod materia componens substantiam, vt statim ostendam. Et eodem sensu subdere videtur text. 12. substantias perpetuas aut non habere materiam, aut non talem, sed solùm quę secundum locum mobilis est, & libro nono text. 17. ait, in rebus perpetuis non esse potentiam ad esse simpliciter, sed tantùm ad vbi: *Alioqui* (inquit) *etiam esset potentia ad non esse: nam omnis potentia est potentia contradictionis.* Demum 12. Metaph. text. 10. eandem sententiam repetens, ait: *Quæcunque mutantur, materiam habent, sed diuersam, nam & ipsorum sempiternorum quæcunque non sunt generabilia, sed latione mobilia, attamen non generabilem, sed vnde quo.*

Iandun. Zimara. Thienens. Durand. Gabr. D. Thom. Scotus.

III. Ratio huius sententiæ est, quia Philosophi non peruenerunt in cognitionem materiæ, nisi per viam transmutationis, sumpta proportione à transmutatione artificiali, vel accidentali ad substantialem: ergo in his substantiis, vbi nullum est vestigium transmutationis substantialis, non est necessaria materia: nec potest esse vllum fundamentum ad eam assẽrendam. Secundò declaratur ampliùs hæc ratio: quia *natura nihil facit frustra*, sed in cœlis non est ad vllum finem necessaria hęc compositio ex materia: in his enim rebus inferioribus, quia futuræ erant continuæ generationes & corruptiones ob earum contrarietatem, necessaria erat materia quæ esset primum subiectum & fundamentum earum: at verò cùm cœli instituerentur vt essent perpetui, sicut conditi sunt sine contrarietate, ita etiam sine illa compositione, quæ est propria earum rerum, quæ sicut componuntur, ita dissolui possunt: aptior enim est simplex entitas ad perpetuitatem, quàm cõposita. Tertiò, quia si aliquod esset signum materię in cœlo, maximè quia quantitatem habet, at hoc non est sufficiens signum, quia non repugnat fieri integram substantiam physicè simplicem & capacem quantitatis: ergo quantitas non est sufficiens signum materialis com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

compositionis. Nam si illa substantia est possibilis, A faciat illam Deus: ergo tunc extensio quantitatis nõ esset sufficiens indicium materialis compositionis in tali substantia: ergo neque nunc est in cœlo. Cur enim non dicemus talem esse substantiã cœli? Etenim, si huiusmodi substantia quanta possibilis est, melior est & perfectior si sit simplex, quàm si composita, cæteris paribus. Rursus ad decorem & perfectionem vniuersi pertinebit talis substantia, sunt enim in vniuerso quædam substantiæ simplices non quantæ, & alia substantiæ cõpositæ & corporeæ: ergo vt in vniuerso sit omnium rerum vel graduũ varietas, optimè quadrat vt sit aliqua substãtia simplex quoad compositionem physicam & essentialẽ, quãta verò & composita ex partibus integrantibus; ergo huiusmodi sunt illa corpora æterna, quæ ex hac parte propinquiùs videtur accedere ad modum existẽdi substantiarum simplicium.

IIII. Quòd verò non repugnet id, quod in hac ratione assumitur, scilicet, dari substantiam non compositam ex actu & potentia physicis & substantialibus, & capacem quantitatis, probatur: quia nulla repugnãtia inuoluitur in his terminis, vel conditionibus, ne- B que fieri potest vlla ratio, ob quam tale ens non cõprehendatur sub latitudine entis creabilis. Dices, omnem substantiam esse aut formam, aut materiam, aut compositum: substantia ergo, quæ neque est cõposita, neque capax materiæ, erit forma subsistens: ergo intellectualis: ergo incorporea: ergo repugnat esse substantiam simplicem & corpoream: vnde perinde est dicere substantiam immaterialem & corpoream, ac dicere substantiam immaterialem & materialem. Et confirmatur (ac ferè in idem redit) nam omnis substantia vel est potentia, vel actus, vel composita ex potentia & actu: sed illa substantia non esset potentia substantialis ac receptiua, alioqui esset materia: neque etiam esset composita ex actu & potentia: ergo esset actus subsistens, sed huiusmodi actus non est capax quãtitatis, alioqui occluditur via ad probandum Angelicas substantias non esse capaces quantitatis. Sed hæ rationes non satis videntur ostendere repugnantiam, nam prior diuisio substãtiæ in materiam, formam, & compositum non, est adæquata substantiæ in cõmuni, nam Aristoteles cũ eam diuisionem tradit in 2. de Anima in princip. & C 7. Metaph. text. 7. planè loquitur de forma informãte: sic autem Angelica substantia nec est forma, nec materia, nec compositum: diuiditur ergo ibi substãtia inferior, seu aliquo modo generationi & corruptioni obnoxia. Alioqui, vt diuisio sit adæquata omni substantiæ, loco illius membri, scilicet substantiæ cõpositæ, ponenda esset completa, omnis enim substantia aut est completa, aut incompleta per modum potentiæ, vt materia: aut per modum actus, vt forma. Substantia verò completa rursus diuidenda est in compositam ex materia & forma, & simplicem secundùm negationem talis compositionis: hæc vero vlteriùs potest subdiuidi in incorpoream, quę est ita simplex, vt compositionem etiam partium integrantium excludat: & corpoream, quę habeat compositionẽ ex his partibus sine compositione ex principiis essentialibus materiæ & formę: nulla enim affertur ratio, ob quam repugnet, eandem substantiam completam habere vnam compositionem sine alia.

V. Quapropter repugnantia illa, quod talis substãtia esset materialis & immaterialis, solùm in vocibus cõsistere videtur. Vnde distingui potest illa vox *materialis*: propriè enim significat rem compositam ex materia quę sit pura potentia & forma: & in hoc sensu illa substantia simplex nõ esset materialis, sed potiùs immaterialis; sumpta hac priuatiua voce in contraria & proportionata significatione: sic autem nõ cõuertentur immateriale & incorporeũ, iuxta prędictam sententiam. Quia verò partes integrantes ad materialem causam reducuntur ab Aristotele, ideò latiùs potest sumi illa vox; & omnis substantia, quæ partes habet integrantes, appellari potest, & materialis, & composita aliquo modo ex materia. Et hoc sensu illa substantia, de qua agimus, non diceretur immaterialis, sed materialis: nam immateriale sumptum in proportionata significatione reciprocè dicetur cum incorporeo. Nec sunt inusitatæ hæ significationes, nam forma ligni dicitur materialis, quãuis materia non constet, quia est extensa: forma verò hominis contraria ratione immaterialis est. Altera vero diuisio actus & potentiæ etiã patitur æquiuocationem, nam, si nomine actus subsistentis intelligatur substantia integra, quę non indiget alio actu substantiali & intrinseco, vt actu sit, sic concedimus illam substantiam simplicem, de qua agimus, fore actum subsistentẽ: negamus tamen, huiusmodi actũ subsistentem non posse esse capacẽ quantitatis: neque propterea occluditur via ad probandum substãtias Angelicas esse incapaces quantitatis, id enim nõ est probandum ex communi ratione actus subsistẽti in ea significatione, sed aliunde, scilicet, quia sunt actus perfectiores & indiuisibiles & intelligẽtes. Vnde, si nomine actus subsistentis intelligatur substantia ità perfecta, vt omnino recedat à conditionib. materię, & à compositione ex partibus integrantib. sic negamus diuisionem illam esse adæquatam, aut illam substantiam simplicem & corpoream esse actũ subsistentem. Atque hęc est tota probabilitas huius sententiæ, iuxta quam negandum est propriam causam materialem & substantialem, de qua agimus, reperiri in cœlestibus vel incorruptibilib. corporibus, sed solùm reductiuè, quatenus partes integrantes, vt dixi, ad materialem causam reducũtur. Negari enim non potest, quia substantia corporea necessariò habeat hanc compositionem, contrarium enim claram repugnantiam inuoluit.

Secunda D. Thomæ sententia.

VI. Secunda sententia principalis est, omnia corpora, etiam, incorruptibilia, componi ex vera & propria materia, quę sit substantialis potentia physica ad formam. Hęc est opinio Diui Thomæ, & discipulorum eius 1. par. quęst. 66. art. 2. & 1. de Cælo, lect. 6. & 8. Physic. lect. 20. Capreol. in 2. dist. 12. q. 1. Soncin. 12. Metaph: quęst. 7. Iauel. lib. 8. q. 12. Soto. Physic. q. 1. Tenet etiam Scotus loco cit. & Aegid in 2. dist. 2. & 1. par. Hexamer. cap. 4. & sequentibus. Ocham in 2. quęst. 22. D. Bonauent. in 2. distin. 12. art. 2. quęst. 1. Tenuit etiam Auicenna lib. 1. Sufficiet. cap. 6. Paulus Venet. in summa de Cęlo, capit. 2. vbi refert Themistium, Theophrastum, & alios. Et pro hac etiam parte afferuntur varia Aristotelis testimonia, ita vt, quę fuerit eius in hac parte sententia, satis obscurum esse videatur. Nam 1. de Cælo cap. 9. tex. 93. 94. & 95. expressè dicit, cælum ex materia constare, & inde probat, nõ posse esse aliud cœlum, quia ex vniuersa materia constat. Præterea 12. Metaph. text. 22. ait, omnium sensibilium corporũ eadem esse principia, materiam, scilicet, & formã, & 2. de generat. cap. 9. tex. 51.

D. Thom. Capreol. Soncin. Iauel. Soto. Scotus. Ocham. D. Bonau. Auicenna. Paul. Vene.

Cælum ex materia & forma compositum.

51. ait, duo principia materiam, scilicet, & formam, A etiam rebus æternis, primasq; tenentibus tribui: in his verò inferioribus addi tertium, nempe priuationem ad generationem constituendam. Denique 8. Metaph. tex. 10. ait, omnem substantiam sensibilem materia constare. Ratione fundatur hæc sententia, duobus principiis superiori oppositis. Vnum est, ad incorruptibilitatem cælorum seu corporum non esse necessariam carẽtiam materiæ: quod principium declarabitur fusiùs in puncto sequente. Nunc breuiter probatur, quia quamuis res constet materia & forma, potest vnio earum esse indissolubilis, quod satis est ad incorruptibilitatem. Alterum principium est, quantitatem molis, quam habent omnia corpora etiam incorruptibilia, esse necessariò coniunctam cum materia, ita vt sit proprietas tam propria materiæ, seu rei compositæ ex materia, vt sit certum indicium illius. Quod his verbis scripsit Plotinus Æneade 2. lib. 4. cap. 6. *Quidquid habet molem, habet materiam.*

Collatio superiorum opinionum.

VII. EX his sententiis neutra potest euidenter probari, quia nullus est effectus, qui euidenter nobis ostendat esse, vel non esse materiam in huiusmodi corporibus, quod satis declaratum est, referendo ipsas sententias. Nam prior ex incorruptibilitate infert carentiam materiæ, quam illationem posterior sententia euidenter ostendit non esse bonam: nam, licet res immaterialis necessario sit incorruptibilis, non tamen conuertitur: atque ita, licet in re incorruptibili, vt sic non sit necessaria compositio ex materia: ad incorruptibilitatem tamen potest esse necessaria propter alias causas, non impediente incorruptibilitate. Quja, licet hæc sępè oriatur ex simplicitate rei, interdum tamen potest oriri ex indissolubili nexu formæ & materiæ, vt posterior opinio rectè dicebat. Neque enim rationabiliter dici potest, repugnare vnioni materiæ & formæ, quòd sit indissolubilis: quæ est enim hæc repugnantia? Non enim omnis compositio postulat, vt dissolui possit etiam in naturalibus, vt patet in compositione ex accidente & subiecto. Si ergo datur forma accidentalis inseparabilis à subiecto, cur non poterit C etiam dari forma substantialis inseparabilis à materia? Item compositio ex partibus integrantibus potest esse naturaliter indiuisibilis, vt est in cœlo: ergo etiam alia compositio ex materia & forma poterit esse naturaliter indissolubilis: inefficax ergo est illatio, quæ fit ex incorruptibilitate ad carentiam materiæ.

VIII. Posterior verò sententia ex quantitate molis infert compositionem ex materia, quæ consectio etiam videtur incerta, ob argumentum vltimum prioris sententiæ. Propter quod non est mihi euidens, implicare contradictionem, fieri substantiam simplicem & completam quãtitatis capacem: quòd si hoc non implicat, eneruatur omnino illa consecutio, cùm non sit formalis, neq; absolutè necessaria. Nihilominus tamen, quantum ex signis & effectibus nos iudicare possumus, verisimilis est, cœlum esse compositum ex materia & forma. Primò quidem, quia in illo sunt omnia accidentia, quę materiam consequuntur, excepta corruptibilitate, vt sunt quantitas, quæ eiusdem rationis est in omnibus corporibus. Deinde est in cœlis rarum & densum, quæ per materiam definiuntur: est enim densum, quod sub parua quantitate multum habet materiæ, vt constat ex 2. de generatione. Ad hæc in cœlis sunt quædam accidentia, quæ videntur ordinata tantùm ad recipiendum, vt quantitas, secundum quam sunt Physicè mobiles; alia verò ad agendum, vt lumen, & si quæ sunt aliæ facultates, per quas influunt: ergo, sicut hæc indicant formam, ita illa indicant materiam. Deniq; omnia corpora Physicè mobilia, sunt entia naturalia; ideò enim sub obiecto Philosophiæ comprehenduntur: vnde Aristoteles Aristoteles. 1. de Cœlo capit. 2. cœlestia corpora ponit inter naturalia entia, quæ natura constant: sed iuxta eiusdem doctrinam 2. Physicorum cap. 1. & 2. natura nõ est nisi vel materia, vel forma; neq; nos aliam Physicam naturam cognoscimus: ergo omnia corpora etiam incorruptibilia huiusmodi natura constant. Quæ ratio saltem probat, esse hanc sententiam magis consentaneam doctrinæ Aristotelis. Quid verò ad priora testimonia respondendum sit, videbimus sequente sectione. Atq; hæc resolutio magis ex sequentibus responsionibus persuadebitur.

Argumentorum solutiones.

IX. AD primam ergo rationem prioris opinionis respondetur, quòd, licet prima cognitio materiæ primæ inuenta fuerit per viam motus & transmutationis, tamen, semel cognita hac compositione ex materia in inferioribus corporibus, inde ratiocinatum est ad superiora, & ex aliis similitudinibus & accidentibus talium corporum intellectum est, hanc compositionem communem esse omnibus corporibus. Vnde ad secundam respondetur, non oportere vt compositio ex materia & forma sit propter aliũ finem extrinsecum, sed propter ipsam substantiam componendam, quæ ex eis constat: &, quia natura talis substantiæ huiusmodi compositionem postulat, vt habeat omnia quæ sibi connaturalia sunt, scilicet, materiam, vt possit subsistere, occupare locum, moueri, & similia: formam verò, vt sit in actu, & vt agere possit. Quocirca falsò videtur in eo argumento supponi, materiam in his rebus inferioribus solùm esse propter generationes & corruptiones: est enim hæc vna ex proprietatibus huius materiæ, non tamen adæquata ratio materiæ vt sic.

Ad tertiam respondetur primò, probabile esse, X. quantitatem & materiam ex natura sua ita esse adæquatè connexas, vt repugnet quantitatem esse connaturalem alicui enti, quod materiam non habeat, hoc enim magis indicant ea quæ de corporibus experimur, & nullum est prorsus fundamentum sufficiens ad fingendum aliud genus naturalium entium possibilium. Neq; hoc repugnat infinitati Diuinæ potentiæ, vt per se satis patet, quia potẽtiæ Diuinæ infinitas, non immutat rerum naturas: &, quãuis possit supra illas operari, non tamen facit vt sit connaturale, quod ordini naturę cõgruum vel consentaneum non est. Vnde inferiùs ostendimus, è conuerso fieri non posse, vt sit substantia ex materia & forma composita, cui naturale non sit habere quantitatem: quid ergo mirũ videri debet, vt econuerso etiam repugnet dari substantiam omnino completam & quantam, quæ non sit composita ex materia & forma tanquam ex suis partibus? Concipiendi ergo sunt duo ordines substantiarum à Deo creabilium, scilicet, compositarum ex materia & forma, & simplicium. Prioribus omnibus communis est hæc imperfectio, quòd sunt capaces quan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

titatis, posteriores verò omnes substantiæ adeò perfectæ sunt (agimus de substantiis completis) vt eis quantitas repugnet, & ideò tales substantiæ dicuntur ab Aristotele separatæ, & actus simplices ac intellectuales. Repugnat autem naturis rerum: vt hi duo ordines inter se confundantur, ideoq; non potest vna & eadem res habere imperfectionem vnius ordinis coniunctam cum perfectione alterius.

IX. Addo deinde quamuis hoc admitteremus, scilicet posse dari substantiam simplicem & integram, ac subiectam quantitati molis, non posse conuenienter attribui cœlo talem substantiæ modum, quia esset valdè imperfecta: quia non esset actus perfectissimus, vt per se constat, quia esset imperfectior substantiis intellectualibus, imò & multis substantiis compositis ex materia & forma, præsertim homine, & aliunde etiam careret actu substantiali, qui est maximè perfectus inter actus informantes. Sicut ergo substantia creata carens omni pulchritudine formæ accidentalis, esset valdè imperfecta, ita substantia corporea, carens pulchritudine formæ substantialis, esset valdè imperfecta, & quasi monstrosa. Et fortasse hinc sumitur non leue argumẽtum proportionale, nec parui (vt ita dicam) ponderis, sicut non potest dari substantia creata incapax accidentis, ita non posse dari substantiam corpoream incapacem substantialis formæ, seu nõ constitutam per actualitatem illius, si integra & completa sit: si verò sit simplex, & sub quantitate subsistens, non esse integram, sed potentialem partem indigentem actualitate formæ. Et confirmatur, nam talis substantia non posset esse secũdum se totam actiua vllo actionis genere: non enim actione immanente, cùm esset res inanimis, nec verò transeunte, quia hoc excedit limites naturalium agentium, qualia sunt corpora cœlestia: & ita potiùs esset nullius actiuitatis, aut efficaciæ. Sicut ergo corpora cœlestia nõ agunt, nisi inducendo formam in materiam, ita etiam non sunt nisi per existentiam propriæ formæ in propria materia. Quocirca quamuis simplicitas, cæteris paribus, sit indicium & argumentum perfectionis, tamen illa simplicitas in substantia corporea non esset indicium perfectionis, sed potiùs imperfectionis: nec enim semper entia, quò simpliciora, eò perfectiora sunt.

SECTIO XI.

An materia incorruptibilium corporum sit eiusdem rationis cum elementari.

I. Opinio Auicennæ. Ægid.

IN hac re fuit sententia Auicennæ, eandem secundum speciem esse materiam omnium corporum, tam cœlestium, quàm terrestriũ, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium, quàm opinionem multi ex Theologis secuti sunt, præsertim Ægidius locis citatis, & in eandem inclinat Scotus, & alij. Potest autem hæc sententia duobus modis defendi. Primò, asserendo cœlum esse corpus corruptibile, & elementalis naturæ, & hoc modo eam docuit Plato, vt etiam D. Thomas infrà citandus meminit: & Nemesius libr. de natura hominis, c. 5. refert, Platonem posuisse cœlum ex igne & terra. Secundò potest illa sententia defendi simul cum cœli incorruptibilitate, & vtroq; modo à nobis tractabitur, quamuis in præsenti nos potiùs supponamus incorruptibilitatem aliquorum superiorum corporum, & ea incorruptibilitate suppositA ta, materialem causam eorum inquiramus. Fundari autem potest prædicta opinio partim in naturali ratione, partim Theologica.

II. Prima ratio Metaphysica est, quia impossibilis videtur distinctio specifica inter materias, quia teste Aristot. 7. Metaphysicæ tex. 49. *actus est qui distinguit*, præsertim specificè & essentialiter. sed quælibet materia est pura potentia: ergo non potest in ea reperiri distinctio specifica. Et confirmatur, quia materia prima est infimum ens substãtiale, quod esse potest, & ideò ab Augustino dicitur esse prope nihil: ergo intra latitudinem materię non potest dari specifica distinctio: aliàs, cùm duæ res specie diuersæ necessariò sint inæqualis perfectionis, esset vna materia essentialiter perfectior alia, atque ita aliqua materia non esset infimum ens, nec summè distans à Deo, quod repugnat imperfectioni materiæ. Nam pura potentia extremè opponitur puro actui, videnturq́ue esse quasi duo extrema totius latitudinis substantiarum, vnde, sicut in puro actu non potest esse specifica distinctio, ita nec videtur possibilis in B pura potentia.

III. Secunda prædictæ opinionis ratio sit, quia talis distinctio necessaria non est. Si quid enim cogeret ad illam introducendam, maximè incorruptio cœlorum, sed hoc non. Primò quidem, quia licet cœli nunquam actu corrumpantur, non inde sit ab intrinseco esse incorruptibiles, fieri enim potest, vt licet ex vi suæ compositionis substantialis cœlum corruptibile sit, de facto tamen nunquam corrumpatur, quia in suo loco naturali existens, & distans ab omnibus agentibus contrariis, est ita dispositum vt omnibus resistere possit. Vel secundò, quia licet cœlum constet ex hac materia, potest esse naturaliter incorruptibile ab intrinseco. Quia sola materia prima non est sufficiens principium corruptibilitatis, nisi etiam forma talis sit, vt vnio eius sit separabilis à materia, quod duplici ex capite prouenire solet: scilicet, vel quia forma talis est, vt non repleat totam capacitatem materiæ: vel quia vnitur materiæ, mediis dispositionibus habentibus cõtrarium: quæ duæ rationes inueniuntur in formis rerum generabilium, non autem in formis cœlorum, nam C forma cœli propter suam eminentem perfectionem virtute continet inferiora, & ita per sese replet totam materiæ capacitatem, & propterea vnitur materiæ per dispositiones non habentes contrarium, vnde Aristoteles inde solùm probauit, cœlum esse incorruptibile quia non habet contrarium. Sic ergo conficitur ratio, nam vt cœlum sit incorruptibile, satis est, quòd vnio eius cum materia sit naturaliter indissolubilis, sed hoc esse potest absq; diuersitate materiæ propter modum informationis & dispositionum: ergo propter hanc causam non oportet illam materiarum distinctionem introducere. Quod põt declarari exemplo Theologico, nam vnio humanitatis Christi ad Verbum indissolubilis est quanquam illa humanitas ex se sit capax propriæ subsistentiæ & illa careat, quia subsistentia Verbi talis est, vt repleat capacitatem humanitatis & contrarium non habeat: sic ergo in præsenti intelligi potest de informatione formæ cœli, etiamsi sit in materia rerum generabilium. Et confirmatur, quia aliàs, si propter incorruptibilitatem cœlorum oporteret materiam eorum distingui à materia inferiori; eadem ratione distinguenda esset materia vniuscuiusq; cœli à materia aliorũ, quod videtur valdè absurdum: sequela autem patet à paritate rationis.

Tertiò

IIII. Theologico argumento probatur præcedens opinio. Genes. 1.

Tertiò addunt Theologi fundamentum sumA ptum ex prima rerum creatione, quod hic prætermittere non possumus vt declaremus Metaphysicam non repugnare Theologiæ. Aiunt ergo ex historia Geneseos constare, Deum ex eadem materia cœlos & elementa condidisse, ideoq; nulla esse corpora, quæ ex distinctis materiis constent. Antecedens probatur ex illis verbis Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem Abyssi.* Vbi Augustinus 12. Confess. c. 7. intelligit, per cœlum significari naturam angelicam, nomine autem terræ materiam primam, ex qua omnia corpora formata sunt. Alij verò, quia illa interpretatio illius vocis *cœlum*, nimis videtur Metaphorica, nomine cœli significari dicunt cœlum Empyreum, quod est sedes Beatorum, de quo multa in antiquis Patribus leguntur, vt videre licet apud Damascen. lib. 2. fidei. cap. 6. & Theodoretum Quæstionum super Genes. quæst. 11. & 14. & Basilium, homil. 2. & 3. in Genesim, & Bedam in suo Hexamer. in principio, & Chrysostomum exponentem verba illa ad Hebræos 8. *Sanctorum minister & tabernaculi Dei, quod fixit Deus & non homo*, & Hilarium in illa verba Psalmi 122. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cœlis:* & Diodorum apud Lippomanum in Catena super Genesim. Nomine autem terræ significari dicunt materiam primam, seu corpulentam massam ex qua Deus omnia corpora formauit, in quo cum Augustino conueniunt. Quam opinionem sequitur Abulensis in Genesim, & tribui solet Bedæ, Straboni & Hugoni Victori, & eandem insinuat Theophil. Antiochenus lib. 2. ad Autolicum, aliquantulũ à principio: & Philastro libro de hæresibus inter ignorantias quorundam hæreticorum refert, quòd duplicem terræ acceptionem ignorauerint. Vna, qua significat hoc elementum, quod inhabitamus. Altera, qua significat Hyle, id est, materiam inuisibilem & incompositam, quæ veluti matrix est omnium rerum. Quæ sententia confirmari potest difficili loco Sapientiæ 11. *Omnipotens manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa*: hæc ergo materia nomine terræ significata est, & ex illa, tanquam ex materia, constat totus terrarum orbis.

Damasc. Theodoret. Basilius. Bed. Chrysost.

B

V. Alij verò, quoniam hæc etiam interpretatio nominis terræ valde Metaphorica est, & aliena ab historica narratione, propriè intelligunt ea voce significari elementum terræ, quod Deus primo die simul cum cœlo Empyreo creauit. Addunt tamen simul cum eis creatam fuisse aquam, quæ totum illud spatium replebat, quod inter terram & cœlum Empyreum interiectum est, ex qua posteà Deus omnes cœlos & elementum ignis & aeris creauit: atque ita concludunt, hæc omnia corpora ex eadem materia constare. Assumptum verò probant ex illis verbis proximè sequentibus: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*: abyssus enim est copiosa aqua, ad cuius fundum non facilè penetrari potest, vt Basilius declarat super Genesim, & Augustinus in Psalmo 14. Vnde statim subditur; *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Fuerunt ergo aquæ simùl cum terra & cœlo, & inter terram & cœlum procreatæ: & cùm verisimile non sit aliquod spatium interpositum inter cœlum & terram mansisse vacuum, constat totum repletum fuisse aquis, quia Scriptura non facit mentionem alterius corporis tunc procreati, quo repleri posset. Atque ita concluditur, cœlum productum esse ex aqua. Cui sententiæ fauent verba illa Petri 2. Epist. capit. vlt. *Latet hoc volentes, quòd cœli erant priùs, & terra de aqua & per aquam consistens verbo Dei.* Idemque dixisse eundem Petrum cum Simone Mago disputantem refertur in lib. 1. Recognition. Clementis circa principium. Deniq; vox etiam Hebræa, qua cœli Samaim appellantur, huic sententiæ fauet, nam (vt ait Hieron. Epist. 83. ad Oceanum) illud nomen ex aquis sumptum est. Aliqui verò addunt, corpus illud quo spatium inter terram & cœlum replebatur, non fuisse proprium elementum aquæ, sed aqueam materiam, quasi vaporem quendam aut nebulam, iuxta illud Ecclesiastici 24. *Sicut nebula, texi omnem terram*: & illud Iob. 38. *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud, quasi pannis infantiæ, obuoluerem?* Et ex hac materia nebulosa aiunt creatos esse cœlos omnes præter Empyreum; atque ita fit, vt eadem materia constent.

VI. Et confirmatur hæc opinio, alia duplici sententia Scripturę. Vna est, quòd sunt veræ aquæ super firmamentum, id est, super octauam & stellatam sphæram, vt constat ex eodem Genes. 1. *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitq́; aquas, quæ erant sub firmamento ab iis, quæ erant super firmamẽtum*: & in aliis Scripturæ locis sæpè fit mentio aquarum suprà cœlos existentium, vt Psalm. 103. & 148. & apud Danielem in Cantico trium puerorum. Ex hac ergo Scripturę sententia colligitur, cœlum non esse alterius materię, quàm elementum aquę, fuisseque ex aqua formatum, partemq́; aquarum super ipsum fuisse relictam. Altera sententia Scripturę est, cœlos aliquando fore corrumpendos, & igne comburendos, & in meliorem substantiam transformandos. vt videtur expresse prędicere Isaias c. 51. & 65. & clariùs D. Petrus 2. Canonic. c. vlt. & indicatur multis aliis locis. Hinc ergo rectè colligitur, constare cœlum materia capaci substantialis mutationis, & consequenter habere materiam eiusdem rationis cum materia horum inferiorum.

Posterior sententia priori contraria.

VII. C SEcunda sententia docet, materiam cœli esse diuersę rationis à materia horum inferiorum, vel, vt vniuersaliùs, magisque Metaphysicè loquamur, materiam corporum incorruptibilium necessariò esse diuersę rationis à materia corruptibilium corporum. Ita docet D. Thom. 1. par. q. 66. artic. 2. & 1. 2. q. 49. art. 4. & 2. cont. Gent. cap. 16. & eam sequuntur authores citati in superiori sectione. Imò etiam Comment. 8. Metaph. com. 12. licet absolutè neget, cœlum habere materiam, sub conditione tamen ait, si illam habet, eam esse diuersę rationis. Atq; hęc est sine dubio sententia Aristotelis locis citatis pro opinione Commentatoris in superiori pũcto: nam in eis planè negat, cœlum habere talem materiam qualem habent hęc inferiora: vnde cùm aliis locis dixerit habere materiam, necesse est, vt illam asserat esse diuersę rationis. Id quod disertis ferè verbis affirmat 12. Metaph. tex. 11. & in hoc sensu communiter exponitur, quod lib. 10. Metaphysic. c. 5. ait, corruptibile & incorruptibile differre genere, non est enim hoc verum de genere logico, cùm corpora corruptibilia & incorruptibilia in genere substantię & corporis conueniant, oportet ergo intelligi de genere physico, quod omnes materiã esse intelligunt, quę ita appellatur, quia eam proportionem

D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

seruat ad formam, quam genus ad differentiam. Vnde 1. de generat. cap. 6. apertiùs dicit, ea quæ non possunt mutuò agere & pati, nõ habere eandem materiam. Est ergo hæc sententia magis consentanea Philosophicæ doctrinæ: vt verò simpliciter veriorem esse ostendamus, paulatim procedendum est, iuxta tria fundamenta prioris sententiæ.

Materiarum specifica diuersitas non repugnat.

VIII. Dico primò, nihil repugnare naturis rerum quòd in substantialibus potentiis & materiis detur specifica & essentialis diuersitas. Probatur primò ostensiuè ex iis, quæ in superioribus dicta sunt de natura materiæ primæ. Ostendimus enim habere veram essentiam, realem, & substantialem, & in genere entis habere suam actualitatẽ entitatiuam, quamuis incompletam, & cum habitudine ad formam: ergo in illo gradu & modo essentiæ partialis potest esse diuersitas, & maior & minor essentialis perfectio. Patet consequentia, quia nec ex parte Dei est impotentia, nec ex parte rei est repugnantia. Sicut enim potentia passiua, accidentalis potest esse diuersa specie, quia ad actum specie & genere diuersum ordinatur: eodem modo possunt distingui potentiæ substantiales. Quod declaratur ampliùs, nam formæ substantiales quædam sunt, quæ vniuntur materiæ per generationem totius, quæ lato modo dici possunt formæ generabiles: aliæ verò sunt formæ, quæ non possunt fieri aut vniri per generationem, sed per creationem vel concreationem tantùm: ergo si instituatur materia apta ad recipiendas solas formas prioris generis, & incapax aliarum, erit planè diuersæ naturæ à materia capaci ingenerabilium formarum: non autem repugnat, vt huiusmodi materia cum tali natura & capacitate instituatur: ergo non repugnat fieri materies diuersarum naturarum & essentiarum.

IX. Secundò potest hoc probari, soluendo fundamentum primæ sententiæ, & omnes rationes quib. probare conantur eius defensores hoc esse impossibile. Cùm enim ex Aristotele adducitur illud principium: *Actus est qui distinguit*, si nomine actus in tota sua latitudine vtamur, facilè respondebimus, materiam vnam distingui specie ab alia per intrinsecam differentiam essentialem, quæ ad genus materiæ comparatur vt actus Metaphysicus: iam enim suprà ostendimus, non repugnare puræ potẽtialitati materiæ in genere Physico, constitui ex potentia & actu Metaphysicis. Neq; enim necesse est recurrere ad Analogiam materiæ in communi respectu materiarum diuersarum rationum, quam constituit Caieta. 1. p. q. 66. art. 2. Talis enim Analogia nulla probabili ratione fundatur, cùm essentialis ratio potẽtiæ substantialis propriissimè cõueniat cuilibet materiæ & sine vlla habitudine vnius ad aliam. Itaq;, si de actu Metaphysico loquamur, quælibet materia in se habet intrinsecum actum, quo ab alia distinguatur, quod manifestè conuincitur ex distinctione essentiali materiæ à forma, nam si actus est qui distinguit, necesse est vt materia in se habeat actum, quo à forma distinguatur. Eò vel maximè, q; valdè probabile est, dari conceptum communem vniuocum & genericum ad materiam & formam, co scilicet modo, quo in partib. potest genus reperiri, iuxta suprà dicta de vniuersalibus: huiusmodi namque esse videtur conceptus naturæ aut principij vel causæ intrinsecæ & essentialis: hoc ergo genus per differentias oppositas diuiditur tanquam per actus: ita ergo potest communis ratio materiæ per varias differẽtias distingui. Quòd si sit sermo de actu Physico seu reali, adhuc distinguere possumus de actu entitatiuo vel formali, & priori modo non oportet, vt quælibet simplex entitas distinguatur ab alia dissimilis naturæ per alium actum, præter ipsiusmet rei entitatem. Quia entitas simplex non potest in re distingui ab alia, nisi se ipsa: nam eodem distinguitur, quo est. Loquendo autem de posteriori actu, scilicet formali, sic etiam illi attribui potest omnis distinctio, quatenus vel per ipsum, vel per habitudinem ad ipsum fit: sic enim compositum distinguitur per formam, vt per actum constituentem: vna verò materia distinguitur ab alia per habitudinem ad diuersam formam generabilem vel ingenerabilem, vt declarauimus.

X. Et declaratur ampliùs conclusio, quia materiæ primæ non repugnat vnitas specifica cum distinctione numerica: ergo nec repugnabit distinctio specifica cum vnitate numerica. Consequentia inde probatur, quia sicut actus est qui distinguit, ita etiã actus est qui dat vnitatem, & qui constituit specificam naturam: priùs enim secundum rationẽ est cõstituere, quàm distinguere. Item, quia sicut genus comparatur vt potentia ad differentiam specificam, ita species ad differentiam indiuidualem. Ac deniq; quia etiam numerica distinctio, cùm sit actualis & realis, debet fieri per actum, vt constat ex superiùs dictis de principio indiuiduationis. Primum verò antecedens quoad vtramq; partem manifestum est. Nam quoad priorem, omnes fatentur materias omnes rerum generabilium esse eiusdem speciei. Primò quidem, quia sunt omnino similes in essentia, vnde & eandem habent definitionem. Secundò, quia quælibet portio materiæ est capax omnium formarum, quarum est alia, nam quælibet est commune subiectum harum transmutationum, & ideò rectè dixit Aristoteles, eas res vnam habere materiam, quæ sunt inuicem transmutabiles, quod de vnitate specifica necessariò intelligendum est. Deniq; suprà latè probauimus, primam causam materialem rerum generabilium non posse esse nisi vnam, vtiq; secundum speciem, id quod docet Aristoteles toto primo lib. Physicorum, præsertim tex. 69. & Comment. ibi, & 12. Metaph. Comment. 14. & D. Tho. 1. par. quæst. 66. artic. 2. Nec probandus est modus loquendi quorundam dicentium, materiam generabilium esse vnam specie negatiuè, non positiuè, volunt enim vnitatem specificam positiuam esse per formam. Est tamen inepta distinctio, nam si loquantur de vnitate pro formali, omnis vnitas negatiua est, si autem pro fundamento vnitatis, hoc tam positiuum in multis materiis, sicut in multis formis vel compositis, nam verè habet positiuam essentiam, & positiuam similitudinem, seu conuenientiam in tota sua essentiali natura. Quoad alteram etiam partem de distinctione numerica, res est clarissima: corpora enim duorum hominum numero differunt: ergo & materiæ eorum, quam distinctionem retinent, etiamsi priuentur suis formis. Quin etiam materiæ, quæ sunt sub formis specie diuersis, quamuis quoad dispositiones proximas dicantur differre aliquo modo specie, vt sumitur ex Aristotele 8. Metaph. tex. 11. tamen materiæ primæ quoad entitates suas solùm sunt numero diuersæ, cum qua distinctione conseruari possent absq; vlla forma actu informãte. Nec refert, q; tota hæc materia ge-

Actum distinguere, qualiter intelligẽdum.

Materia primo habet esse potentiale.

ria generabilium posset sub forma eiusdem rationis constitui, & sub eadem quantitate continua, & ita esse vno numero, nam hæc vnitas vel distinctio in materia talis est, qualis esse solet in rebus homogeneis, quarum partes integrantes, si sint actu diuisæ, sunt etiam plura indiuidua simpliciter, & actu distincta numero, si verò non sint diuisæ, sed continuæ, actu sunt vnum numero; & plura in potentia. Sic igitur constat, vnitatem vel distinctionem, tam specificam, quàm genericam, vel numericam non repugnare cum natura vel essentia materiæ.

XI. Materiam esse ens potentiale imperfectissimum.

Ad confirmationem, quæ fundabatur in imperfectione materiæ, respondetur primò, probabile esse materiam vt sic secundum suum commune genus tam esse imperfectum ens, vt nullum possit esse in genere substantiæ magis infimum & imperfectum, non solùm comparando genus ad genus, quod clarissimum est, sed etiam comparando omnia & singula contenta sub genere materiæ ad alia omnia, quæ sub aliis generibus, vel rationibus substantiæ continentur. Declaratur hoc, nam materia vt sic distinguitur intra latitudinem substantiæ, tum à forma, tum à substantia completa, siue composita, siue simplici, atq; hoc modo clarum est, genus materiæ, vt sic minùs perfectum esse, quàm genus formæ, & à fortiori quàm substantiam compositam vel completam. Possumus tamẽ vlteriùs comparare quamlibet formam cum qualibet materia, & sic non est tam euidens, omnem materiam esse inferiorẽ qualibet forma. Quid enim, si quis dicat, materiam cœli Empyrei esse perfectius ens, quàm sit forma terræ? qua enim euidenti ratione demonstrabitur, id esse falsum? Nam quòd forma illa plus habeat de ratione actus actuantis, non videtur satis conuincere, quia etiam accidentia habent plus de ratione actus actuantis, quàm materia, & nihilominus in sua entitate actuali simpliciter sunt minùs perfecta, quia absolutè minorem perfectionem conferunt in genere entis. Sic ergo dicere quis posset, meliorem esse materiam, quæ veluti inchoat perfectissimum corpus, quale est cœlum Empyreum, quàm sit forma, quæ veluti consummat & complet corpus imperfectissimum, quod est terra. Nec etiam obstat, quod illa materia sub genere minùs perfecto contineatur, nam sæpè accidit, perfectam speciem sub genere minus perfecto esse simpliciter nobiliorem, quàm sit aliqua species infima sub meliori genere, sicut volũtas est absolutè perfectior potentia, quam visus, licet hic contineatur sub genere potentiæ cognoscẽtis, quod nobilius est. Nobilitas enim generis non est sumenda ex comparatione omnium & singularum specierum, sed vel secundum se & comparando præcisas rationes, vel certè conferendo suprema speciem vnius generis ad suprema alterius. Quanquã verò hoc ita disputari possit, nihilominus tanquam probabilius admittimus, quælibet materiam esse inferiorem qualibet forma, quia est pura potẽtia in genere substantiæ, sub quo genere parum perfectionis participare potest. Item, quia aliàs facilè posset quis dicere, aliquam materiam esse perfectiorem aliqua substantia completa & integra, quia cùm ponatur esse perfectior quàm forma, & alioqui includat totam materiæ perfectionem, facilè fieri potest, vt, saltem intensiuè, excedat in perfectione aliquam substantiam integram, & compositam, quod verisimile non est. Hoc igitur modo optimè explicatur materiam primam esse infimum ens, non solùm ratione huius inferioris materiæ rerum generabilium, de qua potissimum locutus est Augustinus, cùm dixit, *materiam esse propè nihil*: sed etiam ratione totius generis, seu totius latitudinis materiæ, nam tota pertinet ad infimum gradum substantialis entis.

XII. Non verò spectat ad hanc infimam materiæ perfectionem, vt in eius latitudine non possit esse gradus, vel maior & minor essentialis perfectio, quia non oportet, vt illa perfectio materiæ sit omninò indiuisibilis essentialiter: nam, vt declaraui, per varias differentias diuidi ac contrahi potest. Neque quoad hoc comparanda est pura potentia cum puro actu, cuius signum manifestum est, quia purus actus essentialiter est vnus numero & singularis, non autem pura potentia. Ratio autem est, quia purus actus in se constituitur per infinitam perfectionem simpliciter, in se includentem omnem aliam perfectionem, cui infinitati & continentiæ repugnat multiplicatio tam essentialis, quàm numerica, vt posteà videbimus. Pura autem potentia nõ constituitur per infinitam perfectionem, vt per se constat, cùm sit infimæ perfectionis: neque etiam constituetur per carentiam omnis perfectionis, nec per inclusionem (vt sic dicam) omnis imperfectionis, nec deniq; de ratione materiæ vt sic, est quòd habeat infimam & indiuisibilem perfectionem Physicam, nam ratio puræ potentiæ hoc non postulat, & aliunde id non habet. Sed hîc statim occurrebat quærendum, quænam harum materiarum, sit minùs perfecta, non enim sunt æquales, vt iam concessimus, & ratio specificæ distinctionis postulare videtur. Rursus quæri potest, an possit fieri alia materia minùs perfecta essentialiter, quàm sit quælibet materia creata, & consequenter an in eis materiis possit procedi in infinitum. Sed hæc declarabuntur commodiùs sectione sequente.

Assertio secunda.

XIII. Dico secundò, si solam rationem spectemus, probabilius est, materiã cœlorum esse diuersæ rationis à materia rerum generabilium. Ad probandam hanc conclusionem, supponimus cœlum esse ingenerabile & incorruptibile. Quanquam, vt dixi, nos hoc loco non agimus de cœlo, quasi materialiter (vt sic dicam) sed formaliter de corpore incorruptibili. Est autem certum, non repugnare dari aliquod corpus incorruptibile, de quo procedit quæstio proposita, siue illud de facto detur, siue nõ. Rursus de aliquo corpore cœlesti, saltem de Empyreo cœlo, Theologi pro comperto habent, esse corpus incorruptibile, vt ex authoribus superiùs citatis constat. Deniq;, quanquam de inferioribus orbibus multi existiment eos esse corruptibiles, & nonnulli ex antiquis Patribus id interdum significent, & moderni etiam Astrologi ex quibusdam apparitionibus cometarum, id se demonstrare existiment, nobis tamen verisimilior est Aristotelis sententia, illa omnia corpora vsque ad cœlum Lunæ esse natura sua incorruptibilia: tum propter experientiam, videmus enim corruptibilia corpora, vel secũdum se tota, vel secundum partes, aut corrumpi, aut alterari, peregrinas impressiones recipiendo, aut à naturali statu interdum cadere: at verò vetustissimo experimento constat, cœlos, tam secundum se totos, quàm secundum omnes partes suas, integros à creatione mundi permansisse, & inuariabili vniformitate eodem modo moueri, nec alterari, aut

Cœlestes orbes omnes incorruptibiles.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deiici à statu connaturali, ex qua experientia ortus est communis omnium gentium consensus, existimantium cœlum ex se perpetuum esse, vt Aristoteles lib. de Mundo ad Alexãdrum, & secundo de cœlo c. 1. adnotauit. Tum etiam quia hoc est magis cõsentaneum fini, propter quem corpora illa creata sunt, nimirum vt sint quædã causæ vniuersales, quæ suo motu & influxu vniformiter variabili adiuuent hæc omnia inferiora, vt per continuã successionem & generationem conseruentur: ad hunc autem finẽ necessarium fuit, vt cœli essent perpetui, & eodem modo inuariabili mouerentur. Tum deniq;, quia nõ repugnat cœlos esse creatos naturæ incorruptibilis, vt ex dictis constat, & magis patebit ex dicẽdis: ergo verisimilius est, tales creatos esse: nam, vt dixi, hoc est magis consentaneũ fini eorum, & magis etiã pertinet ad perfectionẽ & pulchritudinem vniuersi, neq; in Scriptura diuina est aliquid, cui huic Philosophicæ rationi repugnet, vt sequenti assertione ostendã. Imò sunt multæ locutiones, quæ illi fauent, vt quod cœli firmissimi 2. Paralipomenon, 6. & solidissimi, Iob. 37. & æterni, scilicet in posterum, Psal. 148. & 2. ad Corinth. 5. dicuntur.

XIIII. Probatio cõclusionis. Hoc ergo supposito, probatur conclusio posita, quia, si cœlum esset compositũ ex materia elementorum, tam esset ex se corruptibile, quam sunt ipsa elementa. Probatur sequela, quia materia cœli esset capax aliarum formarum, v.g. elementorum, & careret illis: ergo esset subiecta propriæ priuationi talium formarum, & cõsequenter, quantum est ex se, illas appeteret, sed hæc est tota radix corruptibilitatis elementorum: ergo. Respondent aliqui, negando Maiorem, quia materia dum est sub vna forma, nõ est capax alterius, quia nõ potest habere vtramq; simul, & ideò non habet propriè priuationem, neq; appetitum alterius, quia ea forma, quam habet, cõtẽta est. Sed hoc friuolum est, nam capacitas ad plures formas non est in sensu composito (vt aiunt) sed diuisim declaranda, est enim idem subiectum capax contrariarum formarum, non quia possit simul vtramq; recipere, sed quia de se indifferens est, vt vnã vel aliam suscipiat, atq; hoc satis est, vt, quãdo vnam habet, verè sit altera priuatum, quia verè caret forma, cuius est capax. Aliàs neq; materia generabilium rerum esset subiecta priuationi, neque in aliquo subiecto, in quo est forma, vel qualitas positiua, esset vnquã priuatio formæ oppositæ, quod est contra communem omnium sensum, & loquendi modum. Denique, materia generabilium non alia ratione est principium corruptionis, nisi quia hoc modo est capax aliarum formarum, quibus caret, & ea ratione dicitur eas appetere, secundum Metaphoram, nam hic appetitus non est aliud à naturali capacitate, vt in prima Disputatione procœminali declaratum est.

Quorundam responsio refutatur.

XV. Alij respondent, formam cœli explere capacitatem materiæ propter suam eminentiã & virtualem cõtinentiam, & ob hanc peculiarem rationem, materiam existentem sub tali forma nõ appetere alias, nec propriè esse capacem illarũ. Sed hoc etiã est falsum, nam forma cœli non cõtinet eminenter ac virtute omnes alias formas, non enim continet animã rationalem, neq; alias formas perfectorum viuentium, neq; forma vnius cœli eminenter aut virtute continet formas aliorum cœlorum, supposito quod specie differant. Vnde, cùm dicitur forma cœli explere capacitatem materiæ, intelligi põt intensiuè, & hoc neq; est verũ, nec satis est, nam anima rationalis perfectiùs actuat materiam, & cùm illa sit perfectissima, illa sola dici potest explere intensiuè capacitatem materiæ, & nihilominus relinquit illam ita capacem aliarum, vt sit sufficiens principiũ corruptionis. Respondeti põt animã rationalem excedere formam cœli in gradu formæ, excedi tamen in modo informandi. Nos verò dicimus, ex hoc excessu & informãdi modo colligi sufficienter diuersitatem materiæ, & aliàs explicari nõ posse, qualis sit ille excessus, vt ex sequentib. magis constabit. Vel ergo intelligitur forma cœli explere capacitatem materiæ extensiuè, & hoc est impossibile, si illa materia est eiusdem omnino rationis & capacitatis cum hac nostra materia, quia de se est planè indifferẽs ad omnes formas quarum perfectiones nec formaliter continet forma cœli, nec eminenter. Quapropter fieri nõ potest vt per se sola & per suum informandi modum repleat capacitatem talis materiæ.

XVI. Alia responsio est, capacitatem materiæ dupliciter posse considerari: vno modo secundũ se & quasi remotè, alio modo proximè, & vt est reducibilis ad actum. Priori modo concedunt materiam cœli esse capacem aliarum formarum, vt argumentũ factum probat, & similiter habere priuationem, & quasi radicalem appetitum: proximè verò negant habere capacitatem, quia iam illa materia ita est affecta, disposita & actuata, vt nõ sit reducibilis ad aliũ actum, eò quòd non sit separabilis ab illo quem nunc habet. Hoc autem prouenit partim ex dispositionibus, quæ non habent cõtrarium, partim ex ipsamet informatione seu modo informandi, qui talis est, vt inseparabiliter coniungat talem formam huic materiæ. Materia autem est principium corruptibilitatis, non prout consideratur secundum remotam capacitatem, sed prout est proximè disposita & affecta. Hæc quidem responsio est probabilis, non tamen ita satisfacit, quin contraria opinio probabilior relinquatur. Primò quidem, quia vt agens possit alterare passum, non oporret vt supponat in illo dispositionem positiuè contrariam, sed satis est vt supponat capacitatem cum priuatione, nam hæc, adiuncta forma, quam agens introducit, sunt sufficientia principia naturalis mutationis: ergo licet in cœlo non sint dispositiones directè & positiuè contrariæ qualitatibus elementorum, si tamen in eo est materia capax talium qualitatum, & carens illis, hoc satis est vt possit cœlum ab elementis alterari, & peregrinas impressiones recipere. Dices, habere cœlum nobiles aliquas qualitates formaliter repugnãtes, & resistentes omnibus his inferioribus qualitatibus. Sed hoc inprimis dicitur voluntariè & sine probatione, ac deinde ex illa responsione ad summum habetur, cœlos non posse corrumpi, quia non est inferiori agente, virtus quæ possit vincere resistentiam passi, si ergo virtus actiua augeretur, aut fortior redderetur, posset cœlum alterare & ad corruptionem disponere.

XVII. Ac deniq;, licet daremus esse possibilem illum incorruptionis modum, tamen negari nõ potest quin facilior & nobilior modus sit, si cœlum non per resistentiam qualitatum, sed per intrinsecã & substantialem compositionem sit incapax peregrinarũ impressionũ & formarum. Cùm ergo cœlũ factum sit, vt ab his omnibus impressionibus & alterationibus sit abstractum, & vt materia eius nunquã mutet formam, verisimilius est factã esse de se incapacem omnium harum formarum & qualitatum, atq; adeò non solùm quoad formam, sed etiam quoad materiam

fiam esse cœlum alterius rationis & ordinis ab omnibus inferioribus corporibus. Quòd si quis dicat, hanc incapacitatem peregrinarum impressionum corrumpentium non esse tribuendam aut incapacitati materiæ, aut qualitatibus resistentibus, sed modo informandi formæ: Contra hoc est, quia, si materia habet eandem capacitatem, vix potest intelligi, quomodo per solum modum informationis reddatur ipsum compositum incapax inferiorum qualitatum. Maximè eum passiua potentia ad recipiendas has qualitates conueniat corporibus ratione materiæ. Et propter hanc causam Aristoteles locis suprà citatis meritò existimauit, sicut ea quæ mutuò transmutantur, communem habent materiam, ita etiam econuerso, quę transmutari non possunt, non habere materiam communẽ, quia sola diuersitas in forma nõ potest ad id sufficere. Accedit, quòd licet forma cœli habeat talem informandi modum, vt natura sua postulet inseparabilitatẽ à subiecto quod informat: tamen per hoc ipsum sufficienter indicatur, materiam illi formæ subiectam debere esse diuersæ rationis. Quia potentiæ distinguuntur per actus, sed forma illo modo informans, est actus longè diuersæ rationis à forma generabili, & postulat in subiecto conditiones longè diuersas, nempe inseparabilitatem & plenam satietatem & (vt ita dicã) perpetuam quietem sub tali actu: ergo potentiæ seu materiæ ordinatæ ad huiusmodi actus distinctæ sunt.

XVIII. Coniectes orbem omnes ingenerabiles. Vltimò possunt rationes non minùs efficaces sumi ex eo quòd cœlum est ingenerabile naturali generatione, hactenus enim solùm incorruptibilitatẽ eius põderauimus. Si ergo materia aeris & Solis verbi gratia essent eiusdem rationis, esset nunc materia aeris capax formæ Solis, & carens illa, & appetens illam, non enim est minor ratio de illa, quam de aliis formis quarum est actus. Ergo quantum est ex parte causæ materialis, cœlum re vera est generabile ex aere, ergo simpliciter est generabile. Patet consequẽtia, tum quia hæc denominatio maximè sumitur ex parte materiæ, tum etiam, quia potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis, aliàs superflua esset & otiosa talis potentia in rerũ natura. Vel certè quamuis de facto nõ daretur talis vis actiua, non tamen repugnaret dari intra ordinem agẽtium naturalium. Atq; ita quantum est de se cœlum esset naturaliter generabile. Quin potiùs nulla ratio reddi posset, cur cœlum ipsum aut Sol non possit ex materia sibi applicata generare sibi simile, quia datur in natura subiectum continens in potentia illam formam & carens illa: ergo illa forma factibilis est per eductionem de potentia talis subiecti: ergo & in suo esse & gradu finita est, & in modo quo fieri potest: ergo per virtutem finitam agentis naturalis educi potest: cur ergo non est in cœlo aut in Sole talis virtus ad generandum sibi simile? certè non potest vlla ratio Philosophica assignari. Cùm ergo cœlum sit ingenerabile, forma eius talis est, vt nec possit educi de potentia materiæ, neq; illi vniri per generationem: ergo non continetur in potentia illius materiæ quæ est subiectum generationis, neq; illam respicit, aut actuare potest: ergo ecõtrario materia, quæ subiicit tali formę, natura sua est subiectũ incapax generationis, & consequẽter est diuersæ naturæ ab alia materia, quę est generationis subiectũ. Atq; hæ rationes, quamuis exẽpli causa de materia cœli factæ sint, tamẽ vniuersè & formaliter procedunt de corpore ab intrinseco incorruptibili, quę magis confirmabũtur soluendo secundum fundamentũ prioris sententiæ.

Ex opposito quot oriantur absurda.

XIX. Fundamentum ergo secundum prioris sententię ex confirmatione præcedentis assertionis solutum est, iam enim satis ostẽdimus, quomodo ex corporis incorruptibilitate, si omnino naturalis & intrinseca sit, inferatur diuersitas materiæ: & omnia, quę in discursu illius fundamenti attinguntur, sigillatim sunt à nobis tractata & expedita. Exemplum autem quod ibi adducitur de indissolubili vnione humanitatis Christi, nihil ad rem præsentem refert: non enim negamus aliquam vnionem posse esse indissolubilem natura sua, sed dicimus, huiusmodi vnionem formæ cum materia esse indicium diuersitatis non solùm in forma, sed etiam in materia: tum quia potentia proportionatur actui, tum etiam, quia talis vnio postulat materiam incapacem peregrinarum impressionum.

Comparantur materiæ cœlorum inter se.

XX. IN confirmatione verò illius fundamenti petitur specialis difficultas de materiis cœlorum, an inter se etiam differant specie, in qua loqui possumus, vel supponendo cœlestia corpora esse eiusdem speciei, vel ex hypothesi, quod differant specie: &, vt sæpe dixi, nihil ad præsentem quæstionem refert, quid de facto in hoc verius sit, nam satis est loqui de possibili, in quo non est dubium, quin possint dari corpora incorruptibilia & eiusdem & diuersæ speciei. Si ergo loquamur de corporib. habentibus formas eiusdem rationis, nulla superest quæstio, quin materiæ debeant etiam esse eiusdem rationis essentialis, quia non habent, vnde distinguantur. Neque talis conuenientia in materia potest obstare incorruptibilitati talium corporum, quia simile non patitur à simili, vnde inter talia corpora non potest esse naturalis actio & transmutatio, nec materia vnius appetit formam alterius, cùm sint eiusdem speciei. Et quoad hoc eadem est ratio de diuersis corporibus, quæ de diuersis partib. homogeneis eiusdem corporis: partes autem eiusdem corporis homogenei distinctas habẽt portiones materiæ, eiusdem tamen rationis, sicut sunt formæ. Non est autem improbabile, hanc singularem materiam talis speciei esse naturaliter coaptatam & proportionatã huic singulari formæ, & cum ea habere peculiare vinculum, & propriam indiuidualem habitudinem, quanquam id incertum sit, parumq; ad rem præsentem referat.

XXI. Difficultas ergo in prædicta confirmatione tacta procedit supponendo distinctionem specificam inter huiusmodi corpora, siue illa intercedat inter corpora integra, qualia sunt, verbi gratia cœlum Empyreum & cœlum Lunæ, quæ specie differre longè verisimilius est, siue se habeant vt partes eiusdem corporis, vt sunt astra respectu aliarum partium corporum cœlestium. De his ergo omnibus est difficultas, quia si ratio facta est efficax, æquè probat, materias omnium corporũ incorruptibiliũ specie differentiũ esse etiam specie differentes, qp videtur incredibile.

XXII. Quorundam in hoc sententia Capreol. Soncin. In hac re diuisi sunt discipuli D. Thomę, nam Capreolus quem Soncinas & alii sequuntur, nõ existimat esse admittendũ illud consequens, quia vt materię sint specie diuersę, non satis est formas esse specie distinctas, cùm constet in his rebus inferiorib. candẽ materiam recipere varias formas: oportet ergo vt sit diuersitas in modo informandi, omnes autẽ formæ cœlorum conueniunt in eodem modo informandi inseparabiliter, & explendo appetitũ materiæ: ergo, quamuis in gradu essentiali illæ formę differant, nihilominùs materia omniũ est vna, quia respicit eas veluti

Universidad de Deusto
Biblioteca

veluti sub vna ratione formali, quæ sumitur ex modo informandi, sicut materia inferiorum corporum est vna, quia respicit plures formas, quatenus conueniunt in alio modo informandi, scilicet separabiliter. Vnde Aristoteles quamuis dixerit corruptibile & incorruptibile differre genere, nunquam tamen dixit incorruptibilia inter se differre etiam genere physico: non ergo differunt in materia. Tandem illa omnia corpora, sicut sunt incapacia alterationum corrumpentium, ita sunt capacia earum mutationum, quæ corruptionem non afferunt, vt motus locális, & passiuæ illuminationis: ergo signum est habere materiam eiusdem rationis.

XXIII. Materiæ cœlestium orbium inter se specie diuersæ. Caietan.

At verò Caietanus concedit sequelam argumenti, & docet omnia corpora incorruptibilia specie diuersa habere non solùm formas, sed etiam materias specie diuersas. Et in ea sententia magis consequenter loquitur, quia rationes factæ eandem efficacitatem in præsenti habent. Nam si materia cœli crystallini, verbi gratia, est eiusdem rationis cum materia cœli Empyrei: ergo est naturaliter capax formę eius, & dispositionum omnium, quæ ad illam requirun- B tur: ergo forma cœli Empyrei, quantum est ex se, & ex parte talis subiecti, educi potest de potentia eius: ergo cœlum Empyreum naturaliter est generabile, & econtrariò crystallinum cœlum erit naturaliter corruptibile & transmutabile in aliud. Patet consequentia, quia materia dicitur esse de se indifferens ad omnes illas formas, & per proprias vniuscuiusq; dispositiones determinari ad illas: ergo erit tanta repugnantia inter dispositiones, sicut inter formas: ergo per illas dispositiones poterit materia illa præparari ad abiiciendam vnam formã, & recipiendam aliam. Neq; ad hanc transmutationẽ videtur necessaria cõtrarietas positiua & perfecta, sed sufficiet propria oppositio priuatiua cum naturali repugnantia & incõpossibilitate formarum, & propriarũ qualitatum, vel dispositionum. Quod si ex parte potentię passiuæ naturalis, hoc totum verum est, nulla ratio afferri potest, cur potentia actiua naturalis, illi potẽtiæ passiuæ correspondens sit impossibilis: imò nec reddi potest ratio, cur de facto non reperiatur in cœlis. Igitur, quòd talia corpora sint ad inuicem impassibilia tali passione, quæ ad corruptionem vel generationẽ disponat, prouenit ex eo, quòd vnumquodque habet propriam materiam ita accommodatam & commensuratam propriæ formæ, & dispositionibus illius, vt sit prorsus incapax aliarum, vnde necessariò sit, tam esse diuersas specie materias horum corporum, quàm formas eorundem.

XXIIII. Quocirca quamuis verum sit, omnes materias cœlorum in hoc cõuenire, quòd ordinentur ad formam inseparabiliter informantem, tamen hæc conuenientia non potest esse in eis specifica, sed generica, & ex illa infertur diuersitas specifica. Nam vt vnaquæque materia inseparabiliter coniungatur propriæ formæ, necesse est, vt ex vi suæ entitatis & essentiæ cũ sola illa possit naturale vinculum contrahere: nam si esset indifferens, hoc ipso posset suam formam dimittere, & alteri repugnanti cohærere. Igitur respicere formam inseparabiliter informantem, nihil aliud est, quàm determinatè respicere propriam & vnicam formam, & econtrariò, quòd forma inseparabiliter informet, ideò est, quia talem respicit potentiam, quę illo actu contenta est, neq; alium appetit, quia alterius non est capax. Neq; alia ratione intelligi potest, quòd vnaquæq; forma cœli sentiet appetitũ propriæ materiæ. Est ergo in hoc magna dissimilitudo inter materiam rerum corruptibilium & incorruptibilium, nam illa ideò respicit formam separabilem, quia ex se indifferenter respicit plures formas inter se repugnantes, vnde ipsamet separabilitas formarum requirit vnitatem in materia, & talem capacitatem, quæ non omnino expleatur vna vel alia forma. At verò materia vniuscuiusque cœli ideò respicit formam inseparabilem, quia nõ respicit aliam, nisi suam, & ideò illa satiatur, quia non est capax aliarum, neq; indifferens, sed ex vi suæ essentiæ est determinata ad talem formam. Neq; Aristoteles huic sententiæ repugnare potest, cùm ille generatim dixerit, illa differre materia, quæ nõ sunt inuicem transmutabilia. Quòd verò 10. Metaphys. dixerit corruptibile & incorruptibile differre genere, non impedit, quò minùs ipsa etiam incorruptibilia possint dici inter se genere Physico differre, si hoc nihil aliud sit, quàm differre materia: si verò illa locutione plus indicetur, sic speciali ratione dicentur differre genere corruptibilia corpora ab incorruptibilibus, potiùs quam incorruptibilia inter se, quia nimirùm illa sunt diuersorum ordinum, hæc verò vnum gradum constituũt. Item materiæ cœlorum, & elementorũ differunt quodammodo genere Physico, quia vna materia est subiectũ generationis, tota verò alia materia est incapax generationis, & ita est etiam maior similitudo specifica & subalterna inter materias cœlorum inter se, quàm cum materia horum inferiorum. Et illa conuenientia satis est, vt in aliquibus mutationibus localibus aut perfectiuis conuenire possint, vt per se constat. Atque ita sufficienter satisfactum est fundamentis aliorum, & nostra sententia confirmata.

Tertia assertio, qua Diuinæ Scripturæ testimoniis satisfit.

XXV. Dico tertiò. Ex diuinis scripturis colligi non potest cœlos esse factos ex materia elementorum, & consequenter nihil est in Scriptura sacra, q̃ propositæ Philosophicæ veritati repugnet. Hæc assertio excedit quidem limites Metaphysicæ, non possumus tamen eam prætermittere, tum vt satisfaciamus fundamentis oppositæ sententiæ, tum etiam vt breuiter attingamus materialem causam totius vniuersi corporei, & conditionis eius, in quo non C solùm Theologi, sed etiam Philosophi à principio laborarunt. Primùm ergo, quod attinet ad cœlum Empyreum, conclusio est extra controuersiam: nam Theologi, qui cœlum illud admittunt, in primo momento creationis rerum docent fuisse creatum simul cum terra: illudque aut significari, aut saltem comprehendi in verbis illis: *In principio creauit Deus cœlum.* Vnde, saltem quantum ad hoc corpus, sine vlla difficultate Theologica procedũt omnia dicta de materia cœli. Propter quod etiam Theologi docẽt, illud cœlum in fine mundi, neque esse igne comburendum, neq; innouandum, quia semper est purissimum, & clarissimum, prout sedem Beatorũm decet. Philosophi verò nihil de illius cœli existẽtia cognoscere potuerunt; quia nec motum habet, nec illuminationem, aut manifestam influentiam, qua possit à mortalibus humano discursu inuestigari.

Cœlum Empyreum ab omnibus ponitur.

XXVI. De aliis autem cœlis probatur conclusio, quia nulla ratio cogit, vt nomine cœli in citatis verbis vnum tantùm corpus cœleste, illudq; supremum & Empyreum intelligatur, nã frequens & vsitatus modus loquendi habet, vt nomine cœli simpliciter dicti totus ordo

Inferiores orbes non esse Empyreum nihil cogit.

ordo cœlestium corporum comprehendatur. Qui A prehẽduntur media, vel certè sub terra & aqua comprehenduntur aer & ignis, quæ in qualitatibus primis extremè illis opponuntur. Addo denique, si ex eo, quòd in verbis illis: *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* solum elementum terrę expresè nominatũ est, rectè colligitur aerem & ignem non fuisse tũc creatos; pari ratione colligi posse neque aquam tunc fuisse creatam, quia neque hoc de illa narratur, sed statim subditur; *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi &c.* Vnde aliqui hæretici sumpserunt occasionem dicendi Deum non creasse abyssum illam, de qua ibi fit mentio, neq; terram illam inuisam & incompositam, quia de his non dicitur, quòd creata sunt, sed quòd erant: vtique antequàm creatio rerum fieret. Aiebantque illis verbis significari illud antiquum chaos, quod Philosophi, vel Poetæ excogitarunt; vel materiam primam, quam Plato increatam existimauit, ex qua dicebant Deum creasse cœlum & terram elementarem. Quæ expositio hæretica est. Necesse est ergo, vt sub cœlo & terra aquam etiam intelligamus: vnde sicut proximè sequentia verba: *Terra autem erat inanis & vacua,* B non intelliguntur de alia terra, quàm de illa, quæ creata est in principio: ita abyssus aquarum, de qua in eisdem verbis fit mentio, in eodem principio simul cum terra creata intelligitur: ergo necesse est sub illis verbis: *In principio creauit Deus cœlum & terram,* aliquid aliud comprehendere, præter id quod expresè verba significant: ergo qua ratione comprehenditur aqua, comprehendentur etiam alia elementa.

Gen. 1.

Et quidem si nomine cœli significari intelligamus totum corpus cœleste vsque ad cœlum aereum, optimè nomine terræ significantur terra & aqua, quæ ita sunt coniuncta, vt vnum corpus, & inferiorem mundum quodammodo componant. Nec refert, quòd in eo principio, in quo creata sunt, non erant ita disposita, nec habebant omnino eum situm, quem nũc habent; nam satis est, quòd quando Moyses scripsit, iam ita essent constituta, vt de eis per modum vnius loquerctur. Si verò nomine cœli solùm intelliguntur proprij orbes cœlestes; sub terræ nomine comprehendentur reliqua elementa ratione iam dicta. Itaq; vtroq; modo concluditur, nomine C cœli & terræ ibi comprehendi totum vniuersum ex simplicibus corporibus quoad eorum substantiam constans, sine ornatu tamen & dispositione, quam nunc habet. Et hæc est magis recepta expositio Græcorum & Latinorum super Genesim: nec displicet Augustino 11. de Ciuit. cap. 33. & lib. 2. con. Maximin. cap. 3. li. et aliquid amplius interdum addat, quod ad præsentem disputationem non spectat.

Græcorum & Latinorũ recepta expositio. August.

Hieronym.

Basilius.

Ps. 103.

XXVIII. Et quidem si nomine cœli significari intelligamus totum corpus cœleste vsque ad cœlum aereum, optimè nomine terræ significantur terra & aqua, quæ ita sunt coniuncta, vt vnum corpus, & inferiorem mundum quodammodo componant. Nec refert, quòd in eo principio, in quo creata sunt, non erant ita disposita, nec habebant omnino eum situm, quem nũc habent; nam satis est, quòd quando Moyses scripsit, iam ita essent constituta, vt de eis per modum vnius loquerctur. Si verò nomine cœli solùm intelliguntur proprij orbes cœlestes; sub terræ nomine comprehendentur reliqua elementa ratione iam dicta. Itaq; vtroq; modo concluditur, nomine C cœli & terræ ibi comprehendi totum vniuersum ex simplicibus corporibus quoad eorum substantiam constans, sine ornatu tamen & dispositione, quam nunc habet. Et hæc est magis recepta expositio Græcorum & Latinorum super Genesim: nec displicet Augustino 11. de Ciuit. cap. 33. & lib. 2. con. Maximin. cap. 3. li. et aliquid amplius interdum addat, quod ad præsentem disputationem non spectat.

XXIX. Ex his constat, nullum posse argumentum colligi ex historia creationis mundi, quo suadeatur cœlos & elementa ex eadẽ materia fuisse conditа: quòd si inde non habetur, ex nullo alio Scripturę testimonio id colligi potest: vtrumque autem manifestiùs fiet, respondendo ad tertium fundamentum prioris sententiæ. Expositio igitur illa, quæ nomine terræ materiam primam intelligit, & ex ea omnia corpora, præter cœlum Empyreum, formata dicit, quoad priorem quidem partem est Augustini, nõ verò quoad posteriorem. Quamuis enim nomine terræ intelligat materiam primam, nõ inde fit intellexisse vnam esse & eandem materiã, ex qua formata sunt corpora cœlestia, & terrestria, sed solũ quòd vtraq; ex aliqua materia informi creata sunt. Eò vel maximè, quòd idem Augustinus lib. de Genes. cont. Manich. cap. 7. arbitra-

August.

XXVII. Atque hinc vlteriùs colligitur, nullum esse argumentum, cœlum fuisse creatum ex aqua, aut totum spatium à superficie terræ vsque ad cœlum Empyreum plenum fuisse aquis, eò quòd in illa prima narratione tantùm cœli, terræ, & aquarum Moyses mẽtionem fecerit. Hoc (inquam) argumentum efficax nõ est. Primò, quia declaratum iam est, nomine cœli comprehendisse omnia corpora superiora vsque ad aerem. Secundò etiam quia probabilis est expositio multorum Patrum, qui nomine *spiritus* intelligunt aerem significari, cùm ibidem dicitur: *Et spiritus Domini ferebatur super aquas,* vt videre licet in Theodoreto, quæst. 8. super Genes. & aliis, quos in catena Genesis refert Lippomanus. Tertiò, quia valde etiam probabilis est multorum expositio, qui putant nomine terræ complexum esse Moysem quatuor elementa suis sitibus naturalibus, & proprio ordine disposita. Quæ est sententia Basilij, & Bedæ in Examer. & Damasc. lib. 2. de Fid. cap. 5. & communior Theologorum; nam sicut nomine cœli totum superiorem orbem, ita terræ nomine totum inferiorem mundum comprehẽdere potuit, ex extremis media subintelligendo. Præsertim, quia (vt Philosophi aiunt) posito vno contrariorum in rerum natura, necesse est aliud etiã existere: vnde facta mentione creationis terræ, ignis etiam illi extremè contrarius in situ & leuitate, creatus subintelligitur. & in eis com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

arbitratur nomine cœli & terræ significari materiam informem, ex qua cœlum & terra formata sunt, quã dicit sic appellari, non quia iam hoc erat, sed quia esse poterat: ergo eadem ratione intelligi potest, sensisse Augustinum aliquam diuersitatem in ipsa materia informi præcessisse, ob quam distinctis illis nominibus appellata est. Sed (quod ad rem spectat) tota illa expositio Augustini est valde Metaphorica, & aliena à sensu historico, qui esse debet proprius, & non diuertere ad Metaphoras, præsertim obscuras, & inusitatas. Vnde aliud est dicere nomine cœli cõprehendi angelos, non excludendo proprium sensum vocis, sed addendo contentum comprehendi in continenti, seu locatum in loco; aliud verò est dicere nomine cœli significari solam naturam angelicam, quod est incredibile, quia illa Metaphora est valde obscura & inusitata, maximè cùm eodem capite sæpè significet visibile corpus: multò verò incredibilius est nomine cœli significari materiam informem.

Atque idem ferè est de nomine terræ, quod in toto illo capite elementum terræ significat, & hæc sola est propria significatio eius, quæ excludi non debet, quamuis sub illa aqua etiam vel alia elementa comprehendantur, vt explicuimus. Et hic est, vt dixi, cõmunis sensus Patrum: imò Tertullianus lib. contra Hermogen. cap. 21. vehementer in illum inuehitur, eò quòd nomine terræ materiam informem interpretaretur. Item aliàs etiã nomen abyssi, & nomen aquarum significaret materiam informem, quòd valde repugnat certitudini, & veritati historiæ. Tertullian.

XXIX. Locus Sapientiæ 11. exponitur.

Ad locum autem Sapientiæ 11. *Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, duobus modis respondeti potest; primo, vt verba illa, *ex materia inuisa*, non significẽt materialem causam ordine temporis præexistentem creationi orbis terrarum, sed tantùm ordine naturæ, ita vt non propriè significent materialem causam ipsius creationis, sed rerum creatarum, vt sensus sit: Manus tua creauit orbem terrarum cõstantem ex informi materia, quam eadem manus tua condidit, vt ex ea totum orbem formaret. Quæ expositio est consentanea doctrinæ Augustini, qui aliis locis ait informitatem materiæ non tempore, sed natura, corporum creationẽ præcessisse, vt infrà videbimus. Iuxta hanc verò interpretationem, non oportet vt verbum illud *ex materia inuisa*, seu *informi* (vt ad literam habent Græca) significet aliquam speciem vltimam materiæ, sed absolutè materiam, siue sit vnius generis, siue speciei. Secundò, & magis ad literam, respondetur non loqui ibi Sapientem de prima rerum creatione, quæ non ex materia, sed ex nihilo facta est, sed de ornatu, dispositione, ac rerum distinctione, qua hic mundus conditus est, & in eo statu & pulchritudine, quam nunc habet, constitutus. Quamuis enim Vulgata Latina vertat *creauit*, non tamen sumit verbum illud in eo rigore, quo significat productionem ex nihilo, sed prout significare etiam solet quamcunque effectionem; atque ita verbum Græcum κτίζω quod ibi respondet, fabricare & condere generatim significat. Vnde per materiam inuisam non intelligitur ibi materia prima (de qua nunquam expressam mentionem fecit diuina Scriptura) sed significantur omnia corpora simplicia, ex quibus Deus hunc modum cõstituit & ornauit, eo modo quo lapides, & ligna dici solent materia domus, & in vniuersum res quæ supponitur ad actionem vel fabricationem dici solet materia actionis. Dicitur autem illa materia informis, non informitate substantiali absolutè & simpliciter, sed vel accidentali propter carentiam lucis, motus, &c. vel aliqua etiam informitate substantiali, quia formæ mistorum nondum erant in materiam introductæ: & peculiari ratione dici potuit materia inuisa propter tenebras, quæ erant super faciem abyssi. Potest autem hæc expositio declarari ex Paulo, qui ad prædicta verba sapientis videtur allusisse, cùm scripsit ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, vbi rectè Caietanus aduertit, Paulum loqui de opere distinctionis & ornatus, & ideò non dicere creata esse omnia, sed *aptata esse secula*, quia sex diebus Deus aptauit & disposuit hunc modum, *vt ex inuisibilibus*, id est, ex latentibus & inornatis corporibus, tum propter tenebras, tum quia terra sub aquis delitescebat, *visibilia fierent*, id est in eo statu constituerentur, in quo videri possent; & tam simplicia corpora, quàm mista, & præsertim animantia, possent hoc visibili mundo frui. Hebr. 11.

XXX. Illustranda.

Præterea ex dictis etiam constat, non colligi ex historia Geneseos, totum illud spatium, quod inter cœlum Empyreum & terram iacet, priùs fuisse aquis aquis plenum, vt ex eis cœli procrearentur. Abyssus enim sufficienter dicitur de toto elemento aquæ, quod tunc circundabat terram, & tenebris erat circunfusum: super illud autem erat aer, & alia corpora cœlestia. Verba autem illa D. Petri, *Cœli erant priùs & terra de aqua, & per aquam consistens*, nihil ad rem faciunt; tum quia ibi non est sermo de cœlo æthereo; sed aereo; tum etiam quia non cœlum, sed terra dicitur consistere Dei verbo de aqua; & per aquam, non quidam quoad substantiam suam, sed quoad statum quẽ nunc habet, vt habitabilis sit, & fructifera esse possit, vt latiùs exposui in 2. tom. 3. par. disp. 57. sect. 2. Quòd deniq; Hebraicum nomen, quo cœli nominantur, ex aquis sumptum sit, non ideò est, quia cœlum cõditum sit ex aqua, sed quia cœlum interpositum est inter aquas, vt diuideret aquas ab aquis.

XXXI. Vapores aqueus non fuisse materiam ex qua corporum Empyrei & reliquorum.

Nec probabilior est alia sententia, quæ omnia, præter cœlum Empyreum & terram, factat esse dicit ex aqueo vapore; nam si ille vapor aqueus distinctum quid est ab aqua, repugnat id Scripturæ, quę aquam dicit fuisse creatam super terram, nõ aqueum vaporem. Repugnat etiam rationi, quia ille vapor non potest esse nisi aliquod mistum imperfectũ: est autem contra rationem, dicere quòd mista fuerint facta ante corpora simplicia. Vnde etiam repugnat omnibus antiquis expositoribus, quia nullam mentionem fecerunt illius vaporis aquei in primo instãte cum cœlo & terra creati. Neque testimonia Scripturæ, quæ ad id confirmandum afferũtur, quidquã efficiunt; nam quod Eccl. 1. stici 24. Sapientia de se dicit, *Sicut nebula texi omnem terram*; duobus modis ad literam exponitur. Primò, vt non significetur aliquod opus peculiare diuinæ sapientiæ, sed eius præsentia & manifestas, qua repletur omnem terram: quę per similitudinem & Metaphoram nebulę declaratur: quemadmodum re ipsa interdum Deus exhibebat præsentiam suam in specie nebulę in tabernacula: & iuxta hunc sensum *nebula* in dicto testimonio nõ est ablatiui casus, sed nominatiui. Alter sensus est. vt nõ formaliter (vt ita dicam) sed effectiuè dicatur Sapientia obtexisse terram nebula; & sic referri potest ad primam creationem mundi, quando tenebræ erant super faciem abyssi; vel referri potest ad continuam successionem tenebrarum & noctis post illuminationem Solis, quod indicare videntur proximè antecedentia verba: *Ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram.* Ecclesiastici locus exponitur.

Alia

XXXII. Iob locus explicatur.

Alia autem verba Iob 38. *Quis conclusit ostijs mare? &c.* solùm commendant diuinam omnipotentiam, qua in tertio die creationis mundi congregauit aquam in locum vnum, quæ primo die quasi erumpebat, vt vniuersam terram circundaret. Cùm verò subditur; *Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine obuoluerem*, nihil aliud significatur nisi quod Genes. 1. dicitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Potest autem aliquis ex eo loco ansam sumere opinandi fuisse tunc aquam circundatam densissima aliqua nube, quæ erat causa illarũ tenebrarum: & ideò dici, fuisse nubem quasi vestimentum aquæ, &c. Quę opinio licet vera esse admittatur, non oportet fingere nubem illam repleuisse omnia superiora loca vsq; ad cœlum empyreum, sed tãtùm fuisse iuxta aquam in ea dẽsitate & magnitudine, quæ sufficeret vt aquam caligine obuolueret. Quòd si ita fortasse factũ est facilè ratio redditur tenebrarum, quæ tunc erãt super faciem abyssi, non tamen facile redditur ratio, cur Deus voluerit in primo instãti illam nubem creare, & aquam illa tegere. Nec verba illa cogunt, vt nubẽ propriè intelligamus: nam aer caliginosus & tenebrosus qui aquam circundabat, potuit per Metaphoram nubes appellari. Quòd si hoc ita est, causa tenebrarum esse potuit, vel quia Deus non indidit lucem Soli in primo instanti, vel quia non concurrit cum illo ad illuminandum. Vtcunque tamen id sit (hoc enim ad rem præsentem non spectat) nulla potest assignari materia, neque vllum corpus, ex quo corpora cœlestia, & elementa condita fuerint.

XXXIII. Veritas aquarum supra firmamentum.

Ad aliam confirmationem de aquis supra firmamentum, omissis multis quæ de illa quæstione disputari possunt, & eruditè tractantur à Benedicto Pererio lib. 1. in Genes. in opere secundi diei, ea mihi sententia placuit semper quæ negat esse supra cœlos æthereos veras & elementares aquas, quia oppositum non habet in Scriptura sufficiens fundamentũ, quo sublato constat, sententiam illam esse ab omni ratione Philosophica alienam. Maior nunc solùm ostenditur, declarãdo locum Geneseos: constat enim ex omni interpretum sententia, & ex proprietate vocabuli רקיע firmamentum non significare vnum tantùm corpus, sed totam hanc expansionem cœli tam aeri quàm ætherei, de quo toto dictum est, *Extendens cœlum sicut pellem*. Quoniam verò in illa expansione variæ sunt partes, aliquid interdum ei tribuitur secũdum partem supremam, vt cùm dicitur Deus posuisse stellas in firmamento cœli, interdum verò secundum partem infimam: & sic dicitur Deus posuisse firmamentum, id est hãc infimam regionem aeris, in medio aquarum, scilicet pluuialium & terrestrium. Et eodem modo additur in citato loco. *Qui tegis aquis superiora eius*: superiora enim vocat respectu nostri, non respectu supremorum corporum: & de his aquis ac cœlo aereo, facillimo negotio exponi possunt omnia Scripturæ loca in quibus fit mentio aquarum supra cœlos existentium. Atq; hanc interpretationem satis indicat Hieremias cap. 10. dicens: *Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudẽtia sua extendit cælos: Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ*, & cap. 51. *Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo, qui leuat nubes ab extremo terræ*. Obiiciunt aliqui quod cap. 2. Genes. condito iam paradyso dicitur, *Nondum pluerat Dominus super terram*: vnde colligunt pluuiales aquas non potuisse eleuari, & diuidi ab inferioribus secunda die. Propter quod aliqui cõcedunt non fuisse secunda die sublatos vapores & nubes vsque ad mediam regionem aeris, sed solùm fuisse delignatum aerem vt diuideret aquas ab aquis. Sed non placet, tum quia Scriptura dicit eo die factam esse diuisionem aquarum: tum etiam quia seclusa hac diuisione & subleuatione aquarum, illa delignatio aeris nihil est nisi fortasse aliqua denominatio extrinseca. Nec video vim collectionis illius argumenti, non enim statim ac vapores aquei ascendunt ad mediam regionem aeris, ita disponuntur vt subito pluat; maximè cùm Iob 26. scriptum sit, *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter desuper eum*.

XXXIIII. Qualis in die iudicij terrã omnium immutatio.

Vltima confirmatio illius sententiæ sumebatur ex innouatione mundi futura in die iudicii, in qua cœlum comburendum est iuxta Scripturam, de qua re disputaui latè in 2. tom. 3. part. disput. 58. sect. 2. vbi ostendi, in die iudicii non esse cœlestia corpora secundum substantias immutanda, sed solùm secundum aliqua accidentia pertinentia ad perfectionem status gloriæ ignemq; conflagrationis non ascensurum supra cœlum aereum: vbi & locum Petri, & alia Scripturæ testimonia fusè exposuimus, quæ hic repetere non est necesse.

SECTIO XII.

Vtra materia, cœlestium an elementaris perfectior sit.

I. QVm ex dictis constet nihil in Scripturis reperiri quod cœlorum incorruptibilitati, & creationi ex nihilo repugnet: consequens sit eam sentẽtiam quæ affirmat cœlum habere materiam diuersæ rationis à materia generabilium, Philosophicæ doctrinæ magis esse consentaneam, & Catholicæ nihil repugnare. Quæri verò subinde potest, quænam istarum materiarum perfectior sit: non enim sunt æquè perfectè, cùm specie differant, vt in superioribus dictum est.

II. Et quidem, comparãdo materias cœlorum inter se, certum est illam esse perfectiorem materiam, quę natura sua destinatur ad nobiliorem formam recipiendam. Probatur, quia illa est potentia nobilior quæ ad nobiliorem actum natura sua ordinatur: sed quælibet materia cœli ordinatur ad suam formam vt ad actum sibi adæquatũ: ergo illa est nobilior quæ est ad nobiliorem formam. Neq; in hoc occurrit aliqua probabilis ratio dubitandi.

III. Difficultas verò est comparãdo materiam rerum generabilium ad materiam incorruptibilium vt sic, quæ nam illarum minùs perfecta sit. Et ratio dubitandi est, quia se habent vt excedens & excessum, nã materia cœli est determinata ad formam quandam perfectissimam; materia verò inferiorum corporum est indifferens ad formas etiã imperfectissimas. Item materia cœli est semper ac necessariò coniuncta suo actui: quo fit vt tam secundùm entitatem suam, quã secundum vnionem ad suum actum sit omnino incorruptibilis: alia verò materia licet secundũ entitatẽ sit incorruptibilis, tamẽ secundum vnionem mutatur. Tertiò, prior materia nõ est subiecta priuationi: vnde nec secundum eam rationem corrumpi potest: posterior verò semper est subiecta alicui priuationi, imò infinitis priuationibus, secundum quas corrumpi potest, vt Aristoteles dixit 1. Physic. Quartò, prior materia semper est plenè satiata, quia semp est plenè actuata: vnde aliam formam non appetit,

præter

Universidad de Deusto
Biblioteca

præter eam quam habet: quare nõ habet appetitum per modum desiderij, sed solùm per modum amoris & quietis: altera verò appetit & quasi desiderat alias formas quas non habet: & ideò & turpis, & malefica ab Aristotele primo Physicor. text. 81. appellatur, & principium corruptionis dicitur 7. Metaphysic. text. 22.

IIII. At verò materia rerum corruptibilium cœlestem superat in hoc, quod simpliciter est capax nobilioris formæ quàm illa: imò videtur esse capax nobilissimę formæ omnium quæ esse possunt, scilicet animæ rationalis: sola autem hæc excellentia videtur maioris momenti, magisque pertinere ad absolutam perfectionem materiæ quàm omnes aliæ enumeratæ. Nam perfectio potentiæ non ex quocunque, sed ex nobilissimo actu pensanda est: ergo quamuis materia generabilium sit capax plurium formarum, inter quas quædam sunt ignobiliores formis cœlestibus, tamen quia in toto illo ordine formarum sunt aliæ, vel saltem aliqua nobilior omnibus cœlestibus formis, hoc satis est vt hæc materia absolutè nobilior iudicetur. Et confirmatur, quia etiam materia generabiliũ excedit in amplitudine & capacitate suę B potentiæ, quæ etiam per se confert ad perfectionem potentiæ passiuæ, vt intellectus, quia in genere potentiæ cognoscitiuæ potentia perfectissima est, plures potest recipere formas: ergo si aliunde adiungatur quòd illa amplitudo materiæ sub se complectitur nobilissimam formam, erit absolutè talis materia nobilior.

V. Cœlestis materia longe præstãtior inferiori. Nihilominùs omnes authores qui distinguunt has materias, cẽsent cœlestem esse nobiliorem, imò communiter materia hæc generabilium reputatur infima rerum omnium, quæ esse possunt, etiam per potentiam Dei absolutam, intra genus substantiæ. Quod sentit Richard. quodlib. 2. q. 5. & Ægidius quodlib. 3. quæstione 5. Durand. in 2. distinct. 12. q. 1. & ibidem Richard. quæst. 2. & inclinat Scotus quæst. 2. ad argumenta, quamuis dubius sit: idem tenet Thomas de Argentina in 1, distinct. 44. quæst. 1. artic. 2. Abulens. in cap. 22. Matthæi, q. 222. Et ratio est, quia in genere loquendo, maxima imperfectio est potentiæ passiuæ, si cum perfectione actus eiusdem generis conferatur: ergo inter potentias passiuas substantiales illa est imperfectissima, quæ de se C est maximè passiua, atq; adeò maximè indifferens ad recipiendum quemlibet actum, siue perfectum, siue imperfectum. Et confirmatur, ac declaratur in hunc modum; nam materia generabiliũ sub minima forma conseruari potest: ergo signum est, illam esse minimę perfectionis & entitatis. Tandem, materia cœlestium corporum est incapax omnis alterationis, & peregrinæ impressionis: ergo signum est esse in altiori ordine constitutam. Vnde licet in potentiis actiuis perfectio attendatur penes actum perfectissimum; non autem in passiuis, nisi cætera paria sint; sed considerandus est proprius & adæquatus actus earum, & præcipuè modus actuandi. In quo etiam excedit materia cœlestis, quia respicit actum inseparabiliter informantem: materia autem corruptibilium respicit formam informantem separabiliter: & ideò quælibet materia cœlestis perfectior est materia elementari.

VI. Nam infima hac materia alia queat esse inferior. Quòd verò de potentia absoluta nulla possit creari materia inferior hac, non est adeò cõstans & certum; nam si concipiamus materiam capacem formæ lapidis, verbi gratia, & ad illam ita determinatam, vt sit incapax omniũ perfectionũ, illa sine dubio esset A minùs perfecta, quàm materia generabilium, quæ nunc est. Nihilominùs probabilior videtur cõmunis sententia; quia, vt dixi, hæc materia videtur esse summæ potentialitatis, & propè nihil, vt Augustinus dixit. Nec videtur possibilis materia capax vnius formæ corruptibilis, quæ ex se non sit etiam capax aliarum: tum quia omnes formæ corruptibiles conueniunt in hac ratione separabiliter informãdi, quæ est sufficiens ad constituendam vltimam quandam speciem materiæ, sub qua non potest essentialis diuisio intelligi: tum etiam quia hoc ipso quòd materia coniungitur formæ corruptibili, est subiecta priuationi, & consequenter capax diuersarum formarum, & contrariarum dispositionum: & ideò nõ potest talis materia esse determinata ad formam, neq; esse capax vnius, quin sit etiam omnium repugnantium, quæ illam esse pellere possunt ab eodem subiecto. Et ideò materia corruptibilium non solùm, minùs perfecta est, quàm cœlestium, sed etiam infima omnium quæ esse possunt.

SECTIO XIII.

Qualis causalitas materiæ incorruptibilium corporum.

I. Materia incorrupta habet causalitatem & concurrum & formam extrinsecam. VTrum est dicendum de causalitate materiali, quàm exercet materia corporis incorruptibilis. Duas autem causalitates materiæ circa substantiam suprà distinximus: vnam quoad constitutionem: alteram quoad effectionem. De priori est certum exerceri à materia cœlesti circa suum compositum, & consequẽter etiam circa formam eius. Nam illud compositum tale est, vt essentialiter constet ex sua materia & forma: ergo ab illa essentialiter pendet, tanquam ab intrinseco & essentiali principio, & materiali causa componente. Forma item cœli talis est, vt extra suam materiam conseruari nõ possit: pendet ergo ab illo esse tanquam à subiecto, in quo sustẽtatur, exercet ergo illa materia circa talem formam causalitatem suam. Ex quo etiam fit, materiam illam exercere hanc causalitatem media vnione formæ cœli cum illa materia, nam illa etiam vnio pendet essentialiter à tali materia, & mediante illa forma, & totum compositum ab eadem materia, neque præter illam est necessarius alius modus, qui sit causalitas talis materiæ, vt ex superioribus facilè probari potest; nam quoad hoc eadem ratio corporis incorruptibilis, & corruptibilis.

II. An in cœli effectione materia aliquam qualitatem concurrat. De altera verò causalitate quoad effectionem potest esse difficultas, an in aliquo vero sensu dici possit, materiam cœli in suo genere materialis causæ concurrere ad effectionem cœli. Et ratio difficultatis est, quia cœlum, & in vniuersum corpus incorruptibile, fit tantùm per creationem: ergo effectio illius est ex nihilo, ergo nulla potest dari materialis causa illius effectionis, repugnant enim illa duo. Et confirmatur, nam effectio cœli est (vt ita dicam) totalis effectio substãtiæ cœli, etiam quoad materiam, sed non potest materia esse causa materialis effectionis sui ipsius, hoc enim repugnat in omni genere causæ, excepta finali, quia in aliis, causare supponit esse, ergo non potest materia esse causa effectionis cœli. In contrarium verò est, quia cum cœlum fit, forma eius fit dependenter à materia, nam in esse pendet ab illa: ergo & in fieri, ergo effectio totius cœli pendet à materia. Probatur hæc vltima consequentia

quentia, nam ab eadem materiali causa pendet effectio totius compositi, à qua pendet effectio formæ: maximè quando talis est forma, vt non fiat nisi vnita materiæ, sed effectio formæ cœli pendet in genere causę materialis à materia: ergo & effectio totius cõpositi. Minor patet ex dictis, nam si forma pendet in fieri à materia: ergo effectio eius pendet à materia. Item: quia talis est illa forma, vt naturaliter fieri non possit nisi vnita subiecto. Vnde per eandem actionem fit, qua vnitur subiecto, & per eandem actionem vnitur, qua fit: sed actio vnitiua essentialiter pendet à subiecto, ad quod fit vnio: ergo. Maior autem videtur etiam clara, quia compositum non fit nisi per vnionem formæ cum materia: ergo si illa actio pendet à subiecto, etiam effectio compositi pẽdet à subiecto. Item, non alia ratione compositum corruptibile fit per actionem dependentem à materia, nisi quia forma eius fit vel vnitur materiæ per actionem pendentem ab illa: sed ostensum est idem contingere in corpore incorruptibili: suppono enim formam talis corporis non esse subsistentem, sed materialem & pendentem à materia: quæ forma propriè non fit, sed comproducitur compositio: & ideò eadem actione qua illa fit & vnitur, fit etiam compositum.

III. Hæc difficultas non procedit de creatione cœli, quatenus ad materiam eius terminatur, sic enim cõstat non esse materialem causam eius, sed terminum. Procedit de illa cœli productione, quatenus formaliter terminatur ad formam eius, & ad vnionem formæ cum materia, & ad compositum, quatenus ex illa resultat, an, videlicet, illa actio quantum ad illam partem (vt sic loquar) habeat propriam materialem causam: argumenta enim posteriori loco facta videntur affirmantem partem conuincere. Vnde posset quis excogitare, sicut corpus incorruptibile est compositum ex duabus partibus, ita effectionem eius esse compositam ex duabus partibus seu dependentiis partialibus, quarum altera ad materiam absolutè, altera verò ad formam vt informantem materiam, atq; adeò ad compositum vt sic, terminetur. Actio enim proportionata est termino cum quo identificatur: ergo sicut terminus compositus est, ita & actio seu dependentia. Illa ergo actio ratione eius partis quæ ad materiam terminatur, nõ habet causam materialem, vt dictum est: quoad alteram verò partem videtur habere illam, idque satis probari argumentis factis. Sed in hac sententia difficile est ad explicandum, an illæ sint duæ actiones, C vel vna: nam si sunt duæ, altera erit creatio materiæ; altera verò generatio, vel eductio formæ de potentia materiæ: si verò est vna, erit veluti mista & composita ex creatione & eductione, & nõ apparet, quomodo duæ illæ partiales actiones vniantur ad componendam vnam.

IIII. Quapropter dici aliter potest, actionem illam esse vnam & indiuisibilem, qua primò & per se producitur totum corpus incorruptibile, & comproducuntur partes: quæ actio non potest habere causam materialem, eo quòd sit omnino ex nihilo. Atque ita sit, vt materia horum corporum nullo modo concurrat materialiter ad productionem eorum. Sed in hac sententia etiam est creditu difficile, quòd actio terminata ad rem compositam sit in se indiuisibilis. Nam ratio suprà facta videtur probare oppositum, quia actio identificatur cum termino producto: ergo sicut terminus coalescit ex partib. ita necesse est integram actionem productiuam ipsius termini cõ- A surgere ex partialibus actionibus productiuis, seu comproductiuis partium ipsius termini.

V. Quot possit modis actio indiuisibilis esse. Est igitur aduertendum, dupliciter posse actionem aliquam dici indiuisibilem: vno modo, quia nõ est composita ex partibus, sicut est indiuisibilis creatio angeli; & hoc modo non potest dici indiuisibilis productio cœli, vt rectè probat ratio facta. Alio modo dici potest actio natura sua indiuisibilis, quia licet constet ex partibus, non tamen potest nisi indiuisibiliter seu inseparabiliter fieri, neque vna pars fieri aut manere potest sine alia, nec per se sola, sed simul cum tota actione. Atque hoc modo existimo esse vnam & indiuisibilem actionẽ qua creatur cœlum, & concreatur materia & forma eius. Quidquid enim sit de potentia absoluta, quod infrà videbimus, tamen ex natura rei ita pendet creatio materiæ cœli ab actuali informatione seu vnitione formæ, vt non possit naturaliter esse illa effectio materiæ sine consortio alterius partialis actionis, qua in illam introducitur forma; neq; econuerso illa inductio formæ possit per se fieri per modum totalis actionis, sed solùm per modum partis componentis vnam totalem actionem simul cum productione materiæ. In B quo differt effectio incorruptibilis corporis à productione corporis corruptilis, nã in corpore corruptibili actio qua creatur materia, potest eadem manere, variata actione qua inducitur forma, vel secundum numerum, vel etiam secũdum speciem; quamuis oporteat vt aliqua maneat vel succedat: & econtrariò, actio inductiua formæ potest per se fieri per modum totalis actionis, sicut fit generatio, vt infrà latiùs declarabimus, tractando de eductione formæ.

VI. Soluitur prò posita difficultate. Hoc ergo supposito, ad difficultatem propositam dicendum est, actionem illam integram & indiuisibilem absolutè & simpliciter non pendere à materia in genere causę materialis, quia illi actioni vt sic nullum subiectum supponitur, nihilominùs tamen fatendum est illam actionem, quantum ad eam partem qua est comproductiua formæ, pendere à materia vt à subiecto, & causa materiali: hoc enim rectè probat discursus suprà factus. Nec verò inde fit, illã actionem quoad aliquam partem esse generationem, aut propriam eductionem formæ de potentia subiecti, nam hæc ratio solùm conuenit illi actioni quæ per se ac separatim, & per modum totalis actionis fieri potest: illa autem partialis actio concreatio dicenda est, quia natura sua est pars vnius totalis actionis quæ est vera creatio. Nec repugnat concreationi vt sic, pendere à subiecto & materiali causa, quantum ad eam rationem seu partem, secundum quam dicitur concreatio; sicut etiam quatenus est partialis concreatio materiæ, pendet suo modo à forma & vnione eius. Quod nihil aliud est dicere, quàm dari quandam creationem totalem, quæ constat ex partib. materiali & formali proportionatis partibus, quibus constat terminus eius; quod verissimum est. Atque ita satisfactum est omnibus rationibus dubitandi, intelligenturq; meliùs hæc omnia ex dicendis infrà de creatione, & de eductione formæ substantialis, vbi plura de hac difficultate dicam.

SECTIO XIIII.

Vtrùm in rebus incorporeis dari possit causa materialis substantialis, & quomodo quantitas ad hanc materialem causam comparetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. SVpponit hæc quæstio, esse inter substantias creatas quasdam incorporeas, id est carentes hac quantitate molis, quam habent corpora: quod infrà nobis probandum est, tractando de substantiis separatis. Hoc ergo supposito, ad explicandam in vniuersum causalitatē materialem circa substantiam, vel assignandos ei terminos quibus clauditur, vel designandā certam proprietatem qua dignosci possit, necessaria visa est hæc quæstio.

Variæ sententiæ.

II. IN qua nonnulli errarunt, dicentes causalitatem materialem non limitari ad res corporeas, sed in incorporeis etiam reperiri. Quæ sententia duobus modis intelligi potest. Prior est, vt intelligatur de materia eiusdem rationis cum materia rerum corruptibilium. Quo sensu tenuit eam opinionem Auicembron in lib. Fontis vitæ, vt refert & declarat Diuus Thomas 1.par.quæst.50.art. 2. Sed hic sensus facilè reiicitur ex dictis præter aliqua quæ mox subiiciemus. Quia ostendimus, corpora cœlestia propter suam incorruptibilitatem non posse cōstare hac materia; sed substantiæ incorporeæ sunt incorruptibiles, magisq; abstractæ ab huiusmodi peregrinis alterationibus, quàm cœlestia corpora: ergo.

Auicembrō.

III. Alio ergo sensu potest illa sententia intelligi de materia alterius rationis specificè ab hac nostra materia, eiusdem tamen rationis genericæ cùm materia rerum corporalium: ita vt de se illa materia, quæ de facto esse dicitur in rebus incorporeis, capax sit corporeę molis, & quantitatis, si forma illam admittat. Et hoc sensu dicitur illa materia esse eiusdem rationis communis cum materia rerum corporearum, quamuis in statu differat, & actu careat mole corporea ratione formæ. Quod etiam asseruit Auicembrō citato loco. Est autem etiam hic sensus improbabilis, quia materiæ corporali connaturale est esse sub quantitate, & sub illa, vel per illam diuidi in partes; ergo impossibile est vt aliqua substantia natura sua constet huiusmodi materia carente mole corporea. Patet consequentia, tū quia non potest talis materia esse sine quantitate, saltem connaturali modo: non potest autem aliqua substantia naturaliter constare ex materia, & non habere illam in statu connaturali, sed prodigioso, & miraculoso: tum etiam, quia talis substantia incorporea cōstaret ex portione seu parte materiæ distincta, vel à tota materia substantiarum corporalium, vt argumentatur Diuus Thomas loco citato: vel etiam à materiis aliarum substantiarum incorporearum, vt ibidem Caietanus addit. Repugnat autē huic materiæ secundùm communē rationē suam diuidi in partes, nisi media quantitate.

D.Thom.

Caietan.

IIII. Sed dicere potest aliquis, non esse de ratione huius materiæ in communi sumptæ habere quantitatem, neque positiuè (vt ita dicam) postulare illam vt proprietatem sibi necessariam, sed solùm indifferēter se habere vt illam habeat, vel nō habeat iuxta exigentiam formæ. Sed hoc in primis est alienum ab omni ratione Philosophica, quia nos nunquam experti sumus huiusmodi materiā, nisi sub quantitate: ergo non solùm hæc materia est capax quantitatis naturā sua, vel potest admittere illam, si forma non repugnet, sed etiam natura sua postulat esse sub quātitate, imò vix potest intelligi sine illa. Et confirmatur hoc, nam si in materia est capacitas ad quantitatem, non potest naturaliter illa carere propter formam: nam maximè id accideret, quando forma esset spiritualis: vt videmus in homine formam esse spiritualem, & non propterea priuari materiam sua quātitate. Sed præterea argumentor à priori in hunc modum, nam vel illa materia substantiarum incorporearum esset in sua entitate indiuisibilis, & carens partibus entitatiuis integrantibus ipsam: vel haberet partes entitatiuas, sese tamen penetrantes propter carētiam quantitatis. Si primum dicatur, planè sequitur, talem materiam non solùm non habere actu quantitatem, sed etiā esse omnino incapacem illius, quia rei indiuisibili repugnat p quantitatē extendi, vt per se notum est ex ipsis terminis: talis ergo materia non conueniet cum materia substantiarum corporalium etiam in hoc cōmuni genere materiæ corporeæ, seu capacis quantitatis. Si verò dicatur secundum, repugnat (saltem naturaliter) illam materiam esse à quantitate separatam; tum quia materia corporalium non alia ratione postulat quantitatem, nisi quia diuisibilis est in partes: tum etiam quia neque est in natura indicium aliquod, aut vestigium talis materiæ, neque facilè, vt dicebam, concipi potest illo modo existens, præsertim natura sua.

C

V. Posset ergo aliter excogitari (& sit tertius dicendi modus) in re incorporea compositio ex materia prorsus spirituali & indiuisibili, ita vt, sicut datur substātia composita ex materia, & forma corporeis, & substantia composita ex materia corporea & forma incorporea, ita etiam dari possit substantia composita ex materia & forma incorporeis. Quid enim repugnat, quin detur huiusmodi compositio in substantia spirituali? Atque hanc sententiam probabilem reputat Alexander Alens. 2. part. quæst.20.memb.2.in fine, & quæst.44.memb.2. vbi distinguit triplicem materiam, scilicet elemētalem, cœlestem & spiritualem, & Bonauent.in 2.dist.3.art. 1. quæst. 1. & sequent. & re vera loquitur de propria materia, vt est essentialis pars distincta realiter à forma: & idem tenet Richard.eadem dist.art.1. q.2.& in eandem sententiam refertur Aureolus ibi: & idem docuit Plotin.lib.4.Æneadis 2.c.5.vbi ait, *profundum vniuscuiusque rei esse materiam, etiam in mundo intelligibili.* Idem tenuit Proclus in elementario proposit. 210. Citatur pro hac sententia ex Philosophis Aristoteles 2.Metaphys.tex.12. vbi ait omne quod mouetur, habere materiam. Et Commentator 12. Metaphys. tex.20.dicens materiam esse causam potentiæ in rebus, in quibus est potentia, scilicet passiua, significās omnia quæ sunt aliquo modo in potentia, habere materiam; quod etiam habet 8.Physic tex.15.Idemq; habet Auicen.2.Metaphys.c.2. Vnde lib.4.cap.2. ait omne quod habet esse polt non esse, habere materiam. Ex Patribus verò Augustinus lib.1.de Mirab. sacræ Scripturæ cap. 1. ait, Deum ex informi materia, quam priùs ex nihilo condidit, cunctarum visibiliū, & inuisibilium rerum, hoc est sensibilium, & insensibilium, intellectualium, & intellectu carentium, species multiformes diuisisse: & 12.Confess.ca. 20. & 21.inter alias expositiones illorum verborū *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, hanc ponit, id est *fecit Deus informem materiam creaturæ spiritualis & corporalis.* Damascenus etiam lib.2.de Fide, cap. 3. ait, *licet quædam creaturæ respectu nostri, materia vacare dicantur, tamē quidquid est aliud à Deo, crassum esse, & materia constare.* Et Boetius lib.de Vnitate & Vno, ait, Angelum esse vnum coniunctione materiæ & formæ: & libr. 1. de Trinit.c.3.ait, formam quę est sine materia, non posse esse subiectum accidentium.

Alens.

Bonauent.

Richard.

Aureol.

Plotinus.

D. Thom.

Marsil.

Henric.

Heruæus.

D. Dionys.

Damasc.

Aristoteles.

Commentat.

Auicenna.

D. Augustin.

Boetius.

Ex

VI. Ex quibus omnibus colligit hæc opinio non posse dari substantiam creatam, quæ sit pura forma subsistens, quia nulla est substantia creata, quæ licet actu sit ratione formę, non sit in potentia vt possit esse, & non esse, quod conuenit illi ratione materiæ. Item, nulla est substantia creata, quæ non possit agere, & pati, aut moueri: sed primum conuenit ratione formæ: ergo secundum conuenit ratione materiæ, quia non potest eadem potentia secundum eandem rationem simplicem esse actiua, & passiua, quia non potest secundum idem esse in actu, & in potentia. Denique nulla substantia creata potest esse purus actus: ergo nec pura forma, ergo esse debet constans ex materia & forma. Nec verò repugnat hæc compositio rei spirituali, quia non repugnat intelligere entitatem substantialem indiuisibilem, ac incorpoream, quæ in suo genere sit pura potentia, & pendeat ab aliquo actu substantiali informante. Nam sicut substantia spiritualis integra est in potentia ad formas accidentales proportionatas, ita dari potest substantia spiritualis partialis, quæ sit in potentia ad substantialem formam proportionatam. Deniq; sicut in formis sunt gradus, cur non etiam possunt esse in materiis vsq; ad gradum spiritualem?

A

B

VII. Hæc sententia est sine dubio falsa: tamen duas habet partes. Vna est, causalitatem materiæ esse necessariam in omni substantia creata, quantumuis incorporea. Alia est, hanc causalitatem saltem non repugnare illi. Quia ergo prior pars faciliùs impugnatur, quàm posterior, de ipsa est sigillatim dicendum.

Quæstionis resolutio.

VIII. DIco ergo primò. Non est de ratione substantię creatæ & completæ vt habeat causam materialem intrinsecam, ex qua componatur. Hanc conclusionem supponunt omnes authores qui docent dari de facto substantias creatas non compositas ex materia, nimirum angelos. Ita sentiunt ferè omnes Scholastici in 2. distinct. 3. & Diuus Thomas 1. part. quæst.50.art.2.& 2.cont.Gent.cap.50.& 51. & quæst. de spiritualibus creatur. art.2. Marsil. in 2. quæst. 2. Henric. quodlib. 4. quæst. 16. Heruæus quodlib. 11. quæst. 3. & est expressa sententia Dionysij capit. 4. de cœlesti Hierarch. & de diuin. nominib. & sine dubio idem sentit Damascen. lib. 2. cap. 3. Aristotel. etiam 12. Metaphys. cap. 6. clarè docet intelligentias esse abstractas à materia, quamuis in hoc excedere videatur, faciens illas puros actus; de qua re dicemus infrà suo loco. Nunc probatur ratione assertio posita, quia neque ex ratione substantiæ creatæ vt sic, neque ex proprietatibus, vel affectionibus talis substantiæ potest colligi necessitas huius compositionis seu causalitatis materialis: ergo nulla est talis necessitas. Antecedens quoad priorem partem patet, quia de ratione substantiæ vt sic solùm est, quòd sit ens per se subsistens seu natura sua aptum ad subsistendum. Quòd verò talis substantia, creata sit, addit solùm dependentiam ab alio, & consequenter, quòd talis substantia sit finita, & non sit ex se ens necessarium, neq; omnino simplex: sed tota hæc ratio substātię creatę optimè saluatur & intelligitur absq; compositione ex materia & forma, seu ex actu & potentia substantialibus, ac realiter distinctis: ergo. Probatur assumptum, quia vt substantia non sit omnino simplex, sufficit compositio Metaphysica, vel ex natura & supposito, vel ex esse & essentia, de quibus infrà dicemus: præter quas etiam est compositio ex genere & differentia; quę sufficit etiam, vt talis substantia finita esse intelligatur: neq; talis compositio indicat veram compositionem ex materia & forma, quia non oportet genus & differentiam sumi ex partibus substantiæ realiter distinctis, vt in superioribus dictum est. Deniq;, vt talis substantia depēdeat, satis est quòd ex se, & ex sua intrinseca essentia non sit ens actu, sed per efficientiam alterius: hoc autem conuenire potest substantiæ hoc ipso quòd aliquam compositionem habet ex esse & essentia, vel ex modo dependentiæ, & re quæ dependet: ergo ad rationem substantiæ creatæ non est necessaria propria compositio ex materia & forma.

D. Thom. Marsil. Henric. Heruæus. D. Dionys. Damasc. Aristoteles.

C

IX. Altera verò pars antecedentis probatur, quia non repugnat eandem rem esse in actu in genere substātiæ, & esse in potentia ad accidentia, vt sequenti disputatione latiùs dicturi sumus. Et patet breuiter, quia respectu diuersorum non repugnant actus & potentia. Imò hoc ipso, quòd substantia creata non habet per se ipsam omnem perfectionem sequitur vt post perfectionem substantialem, sit perfectibilis per accidentia: & hoc est esse in potentia ad illa. Deinde, si talis substantia sit viuens, & maximè intellectualis, per eādem realem facultatem habere potest vim agendi & recipiendi, vt per eandem voluntatem potest elicere & recipere actum volendi: & eodem modo potest se mouere, non ratione materiæ, sed ratione suæ propriæ substantiæ: ergo hæc non sunt sufficientia indicia compositionis propriæ ex materia & forma, quia non necessariò illam requirūt; sed præter hæc nulla alia sunt indicia talis compositionis, quæ in omni substantia creata necessariò inueniantur: ergo nulla est necessitas attribuendi hanc compositionem omni substantiæ creatæ.

X. Et confirmatur, ac declaratur hic discursus ex anima rationali separata à materia: illa enim est substantia creata dependens, & non omnino simplex, & potens ad intelligendum, volendum, & se mouendum: & horum omnium capax est sine compositione ex materia & forma. Vnde authores contrariæ sententiæ coacti hoc exemplo, indicant etiam in anima reperiri hanc compositionem, veruntamen id est valde alienum non solùm à principiis naturalibus, sed etiam fidei. Nam vel intelligunt, animam etiam dum est in corpore, esse compositam ex materia & forma spiritualibus; at inde sequitur, animam non esse veram formam corporis; tum quia anima per se erit substantia completa & integra, vtpote ex propria materia substantiali, & propria forma composita; tum etiam, quia non poterit informare corpus per suam materiam, quia materia non est actus actuans, sed primum subiectum formæ: neque etiam per suam formam, quia non potest eadem forma simul informare duas materias, neque habere connaturalem & intrinsecam habitudinem transcendentalem ad illas. Vel intelligunt, animam rationalem statim ac separatur à corpore, recipere aliquam spiritualem materiam cui vnitur, & in qua conseruetur: & hoc æquè falsum est, & erroneum. Nam inde fit primò, animam rationalem verè non conseruari separatam. Secundò sequitur, necessariam esse creationem nouæ materiæ, vt anima possit extra corpus manere, quia illa materia non poterat anteà præesse, aliàs oportuisset vel esse sine forma, vel aliquid aliud corrumpi, vt anima rationalis extra corpus manere posset. Quæ omnia sunt absurda. Imò præterea sequitur, non oportere vt talis anima aliquando redeat ad corpus: nam si iam habet pro-

Anima rationalis nullā materiam includit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

priam & perfectiorem materiã quam informet, cur A debet illa priuari, vt ad corpus redeat? Maximè, quia compositum illud ex tali materia & anima, natura sua incorruptibile esset. Igitur nullo modo dici potest rationalem animam constare materia, & forma.

XI. Occurritur obiectioni.

Sed dicet aliquis non esse eandem rationem de anima rationali, & de substantiis completis, de quibus nunc agimus: nam illa cùm sit incompleta, & natura sua instituta ad informandam materiam, nõ est mirum, quòd tota sit forma, & non constet ex materia: secus verò esse potest in substantiis completis, quæ ita per se subsistunt, vt materiam informare non possint. Sed hæc differentia nil obstat, quin potiùs ex eo, quòd anima rationalis, quamuis sit incompleta substantia, quia incorporea est, potest esse per se subsistens sine materia, & in sese operari, ac se mouere: ex hoc (inquam) inferimus non repugnare, quòd dentur completę substantię incorporeæ, quæ materia non constent, & in se operari possint, ac se mouere. Et ratio huius consequentiæ est, quia sicut in anima eadem res potest esse principium efficiendi, & recipiendi motum & actum accidentalem, ita in illis substantiis completis. Et sicut anima separata non indiget materia ad suos actus & B motus, ita nec substantia completa & incorporea indigebit illa. Et aliunde non est materia necessaria ad rationem substantiæ completæ vt sic, nam Deus est completa substantia sine materia: neq; ex eo præcisè, quòd substantia sit creata, postulat vt complementum eius sit ex compositione materiæ, vt demonstratum est: ergo.

XII. Et hinc insurgunt duæ aliæ rationes egregiè confirmantes conclusionem. Vna ratio est Diui Thomę loco citato, quia non repugnat dari substantiam creatam completam, habentem operationem simplicem independentem à materia: ergo non repugnat dari substantiam habentẽ esse completum absq; materia. Consequentia probatur, quia esse est propter operari; vnde est proportionatum operationi, & operatio ipsi esse: si ergo substãtia nullo modo indiget materia ad operationem, neq; ad suum esse cõpletum illa indigebit: Eò vel maximè, quòd talis materia nihil conferre posset ad esse, vel subsistere formæ: quia forma, vt supponitur, esset incorporea: ergo independens in esse à quolibet subiecto, & per se subsistens, sicut est nostra anima: igitur talis forma, neque quoad esse, neque quoad operari, indigebit materia: ergo nõ potest natura sua esse actus materiæ, sed actus per se subsistens, tanquam substantia completa. Antecedens verò probatur, quia non repugnat dari substantiam creatam purè intellectualem: operatio autẽ intellectualis per se & natura sua independens est ab omni materia, vt latè probatur in 3. de Anima: & patet breuiter tum ex obiecto eius, nam sub se complectitur omne ens, quantumuis abstractum à materia; tum ex modo eius, quia ex se abstrahit à tempore, & loco, & ab omni compositione; tum deniq; ex primaria substantia intellectuali, quæ est Deus, in quo nullum est genus materię, & ex infima, quæ est homo, vel anima rationalis. Nam, licet hæc anima sit actus corporis, cuius ministerio vti aliquo modo potest ad suas mentis operationes; tamen per se ac formaliter, non indiget anima rationalis aliqua materia ad intellectuales operationes: vnde separata illas exercet sine vlla materia: si ergo non repugnat dari substantiam creatam totaliter intellectualem, non repugnabit dari substantiam creatam carentem compositione ex materia.

Altera ratio sumitur ex similitudine effectus ad XIV. causam, saltem secundùm communem & analogam rationem: cùm ergo Deus sit substantia completa simplex, non repugnabit dari substantiam similem Deo in hac perfectione, saltem quantum ad carentiã compositionis ex partibus realiter distinctis: omnis enim similitudo ad Deum, quæ non pugnat cum ratione effectus æquiuoci, & dependentis, vel quæ aliundè non pugnat cum ratione entis vt sic, cõmunicari potest à Deo alicui creaturæ de quo discursu dicemus plura infrà, tractãdo de intelligentiis creatis.

XIII. Incorporea substantia repugnat creatura habens veram materialẽ causam substantialem.

Dico secundò. Omnino repugnat fieri incorpoream creaturam habentem veram materialẽ causam substantialem. Hanc conclusionem non inuenio ita expressam in authoribus: solùm enim dicunt angelos carere omni materia: tamen quatenus hoc colligunt ex eo, quòd incorporei sunt, planè supponunt, repugnare substantiæ incorporeę vt sic compositionem ex materia, qualiscunque illa esse fingatur. Potest autem probari assertio primò ab effectu, vel potiùs ex fine: quia compositio ex materia non potest conuenire alicui substantię, nisi quatenus ei est connaturalis: natura autem non postulat compositionem ex materia, nisi ob aliquem vsum, vel finem cõsentaneum & composito, & formæ, nam materia est propter formam, sed materia incorporea nulli vsui esse potest formæ incorporeæ: ergo. Minor probata satis est in præcedente assertione, nam forma incorporea non indiget materia absolutè vt sit, neque etiam vt operetur intellectualiter, vt ibi probatum est, neq; vt moueatur localiter, vt probat etiam exemplum nostræ animæ separatæ. Et ratio est, quia motus localis recipi potest in quacunque re substãtente, habente finitum & limitatum locum siue illa res sit composita, siue simplex. Nec fingi potest aliud genus operationis, ad quam talis materia deseruiat, quia in materia incorporea non possunt esse sensus, neq; aliquis modus cognitionis, qui per solam formam nõ melius exerceatur: neque etiam esse posset actus vitæ vegetatiuæ, cùm substantia incorporea sit incorruptibilis, est ergo talis materiæ modus ineptissimus ad omnem vsum naturæ: ergo non potest esse connaturalis alicui substantiæ: ergo simpliciter impossibilis est: nam materia vel est pars naturæ, vel non est materia. Item, si possibilis est aliqua materia, possibilis etiam est forma, quæ sit naturalis actus eius: ergo cõposito ex vtraq; connaturalis erit talis causa materialis, si ergo nulli formę, vel composito esse potest cõnaturalis huiusmodi materia, neq; absolutè esse potest. Ratio autẽ à priori sumenda videtur ex nobilitate gradus & ordinis substantiæ incorporeæ, nã ille ordo rerum est actualior, quam sit omnis substantia corporea & extẽsa & ideò repugnat dari in illo ordine entitatem substãtialem per modum puræ potentiæ indigentis forma substantiali, ac realiter distincta, vt esse possit.

Materia & quantitas mutuò sese inferunt.

XV. EX his infero materiam & quantitatem se habere inseparabiliter ac reciprocè, ita vt omne cõpositum ex materia, necessariò sit quãtum; & omne etiam corpus quantum, necessariò sit compositum ex materia: hæc enim posterior pars in superiori sectione probata est: prior verò ex proximè dictis constãt. Vnde fit consequens, quantitatem comparari ad materiam vt proprietatem eius, nam cùm inseparabiliter sese comitentur, necesse est vt inter se habeant aliquam naturalem connexionem, cùm autem

autem materia sit substantia, & quantitas accidens non possunt aliter connecti, nisi vt proprietas & essentia radix, seu fundamentum. Imò, si de proprietate reali, & physica loquamur, nullam aliam in materia inueniemus: nam si quid aliud assignari solet, vel non est proprietas, sed essentia; vt esse *potentiam ad formam*: vel non est proprietas positiua, sed quæ per negationem declarat eandem essentiam; vt esse *ingenerabilem, & incorruptibilem*, esse *de se informem, & aliquo modo incognoscibilem, carere vi actiua*, & similes. Vel deniq; solùm per Metaphoram explicat eãdem essentialem capacitatẽ materię, vt *habere appetitum ad formã*. At verò quantitas est vera & realis proprietas, propriam habens entitatem (de qua infrà suo loco dicemus) naturaliter ac necessariò coniunctam cum entitate materiæ. Estque illi valde proportionata, nam est aptissima ad recipiendum & patiendum, & ex se non est ordinata ad aliquid agendum. Statim verò se se offerunt hoc loco quæstiones graues, scilicet, an quantitas ita sit proprietas materiæ, vt sit illi coæua, & an ab illa dimanet, vel mediante forma: & an in illa immediatè subiectetur, vel in toto composito; sed hæ quæstiones non sunt necessariæ ad præ- B sentem disputationem, & in sequenti habebunt commodiorem locum.

XVI. Dubiolum.

Solùm potest in hac assertione dubitari, si quantitas & materia sese consequuntur, quomodo, variata ratione materiæ, non variatur ratio quãtitatis: diximus enim materiam incorruptibilium corporum esse distinctam à materia corruptibilium: nemo autem dicet quantitates esse diuersarum rationum.

Quod si dicatur, quantitatem consequi materiam vt sic secundum genericam rationem suam: restabit inquirendum, quæ proprietas consequatur hãc, quę verò illam materiã, quatenus talis est, vel quomodo ad rationem genericam materiæ sequatur specifica proprietas; & tamen ad specificas rationes materiæ nulla proprietas consequatur. Ad hoc verò dicendũ est breuiter, nullum esse inconueniens quòd duæ naturæ seu materiæ specie distinctæ, quatenus inter se sunt aliquo modo similes, habeant proprietatem communem: id enim frequens est etiam in formis, & substantiis completis. Nam sicut duæ causæ specie distinctæ possunt habere effectum eiusdẽ rationis, quia possunt habere virtutem communem, vel C formalem, vel eminentẽ; ita duæ materię possunt habere proprietatem cõmunem propter conuenientiã in aliqua conditione naturæ, quamuis non cõueniãt simpliciter in tota essentia. Omnes enim materiæ habent integralium partium extensionem & cõpositionem, & in ea sunt omnino similes, & secundũ eam rationem conuenit illis proprietas: habent verò vlteriùs, quòd sint potentiæ ad formam, & secundum hanc rationem differunt per diuersam habitudinem ad formam. Et secundum hanc specificam rationem, & distinctionem, verum est non habere vnam materiam aliquam peculiarem proprietatem accidentalem, distinctam à quantitate, vel à proprietatibus alterius materiæ. Neque hoc est inconueniens, quia materia cùm sit pura potentia, non indiget aliis proprietatibus vel facultatibus.

Responsio.

XVII. *Argumentorum solutiones.*

AD argumenta alterius sententiæ respondetur, Aristotelem, cùm ait omnia quæ mouentur, habere materiam, loqui de motu physico, in quo vna pars mobilis prius pertransit spatium, quam alia. Commentator autem & Auicenna procedunt in eo A errore, quòd intelligentię omnes sunt entia necessaria, & æterna. Ad Aug. In primis opus illud de mirabilib. sacræ Scripturæ incerti est authoris; deinde D. Thom. q. vnica de spiritualib. creat. artic. 1. ad quartum, explicat Augustinum nõ loqui de materia propriè, vt est pars essentiæ, nec de informitate substantiali, sed de materia, vt dicit quamcunq; substãtiam, vel subiectum accidentaliter informe. Vnde per materiam informem in intellectuali natura nihil aliud intelligit, quàm ipsam naturam intellectualem nõdum illuminatam à verbo. Vel fortasse author illius libri existimauit Angelos esse corporeos. Atque hoc modo respondet Capreolus in 2. d. 3. q. 1. ad alium locum Augustini ex libris confessionum, eam expositionem esse iuxta opinionem Platonis existimantis Angelos esse corporeos: præsertim quia Augustinus non approbat, sed refert tantùm illam expositionẽ. Damascenus aũt apertè sentit Angelos esse immateriales, quamuis cõparatione Dei eos appellat crassos ac materiales, non quia materia constent, sed quia aliquo modo sunt compositi, & potentiales. Ita ferè Diuus Thomas q. 50. artic. 1. ad primum. Boetius autem in priori loco, vel existimauit Angelos esse materiales, vel loquitur latè de materia & forma, prout interdum dicuntur de quacunque potentia & actu, siue sint genus & differentia, siue essentia & esse. In posteriori autem loco vel loquitur de forma pura, quæ sit purus actus, vt exponit Capreolus, vel loquitur secundum precisionem formalem, quòd forma vt forma non recipit accidentia, sed quatenus aliquid participat de conditionibus materiæ, seu de potentialitate.

Locus Aug. exponitur.

Damascenus explicatur.

Boetius exponitur.

XVIII. Et ex his vltimis verbis ferè responsum est ad rationem illius sententiæ: negatur enim esse impossibilem substantiam creatam non compositam ex vera materia. Ad primam probationem respondetur, falsum esse omnem substantiam creatam posse non esse per intrinsecam potentiam passiuam, quæ conuenit rebus ratione materiæ, subiectæ priuationi: si verò sit sermo de potentia ad non esse per solam denominationem extrinsecam à causa efficiente, illa non requirit materiam. Ad aliam probationem respondetur, eãdem rem viuentem posse se ipsam mouere accidentaliter, vel in actum reducere, quia ad hoc esse potest per suam substantiã in actu eminenti seu virtuali, & in potentia formali, vt suprà, confirmando veritatem, declaratum est, & tractando de causa efficienti latiùs dicemus.

XIX. Ad vltimam probationem iam declaratum est, vnde repugnet dari substãtiam incorpoream, & puram potentiam in genere substantię, scilicet ex eminentia illius gradus, & ordinis; & ideò non est simile de potentia ad formas accidentales, quia substantia quæ sit simpliciter in actu, potest esse in potentia ad accidentia: quæ non est potentia ad esse simpliciter, sed secundum quid. Est denique diuersa ratio formæ & materiæ, nam forma, cùm sit actus, meritò reperiri potest in gradu incorporeo, itemque gradus corporeus potest participare actualitatem formæ substantialis, quia non est ille ordo adeò imperfectus, quin intra illum reperiatur ens simpliciter in actu per formam constitutum: econtrario verò materia propter suam imperfectionem non potest eleuari ad gradum incorporeum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De causa materiali accidentium.

EXplicata causalitate materiali in prima radice, & causa illius generis, facilè est eam applicare ad omnia subiecta, quæ huiusmodi genus causalitatis exercent circa accidentia; nam circa substantiam sola materia prima veram ac propriam causalitatem materialem habet: quia licet partes integrantes vel dispositiones, soleant ad hoc genus causæ reuocari, id solùm est per quandam reductionem, non per proprietatem. Igitur de materiali causa accidentium primùm videbimus an sit, & qualis, & respectu quorum accidentium. Deinde, quibus rebus conueniat.

SECTIO I.

Vtrùm detur vera causa materialis accidentium.

DVpliciter de accidentibus loqui possumus: vno modo in abstracto, seu de sola forma accidentali: alio modo in concreto, seu de composito ex tali forma, & subiecto. Et iuxta hanc duplicem considerationem dupliciter potest quæri causa materialis accidētis; scilicet, vel componens ipsum, vel sustentans ipsum, aut vnionem ipsius.

Materialis accidentium causa datur.

I. PRimò ergo in genere certum est dari causam materialem accidentium. Hoc patet primò ex Aristotele 12. Metaph. tex. 23. vbi resoluens quæstionem, quam lib. 3. tex. 15. proposuerat, dicit omnium generum eadem esse principia secundum proportionem; nam (vt Commentator exponit) licet alia sit potentia ad esse substantiale, & alia ad esse accidentale, tamen proportionaliter conueniunt in ratione causæ materialis. Vnde hæc causalitas eadem via, & proportione demonstratur, qua causalitas materiæ primę: imò tanquam nobis notior, priùs cognita est, & per proportionem ad illam, ventum est in cognitionem materię primę, vt suprà vidimus. Experimur enim in eodem subiecto mutationem fieri ab vno accidēte in aliud, vt à calido in frigidum: ex quo intelligimus dari subiectum, quod vtriq; accidenti subest, & illud appellamus causam materialem accidentis. Nam re vera est causa, quandoquidem ab illo dependet accidens: & quatenus subiectū est, non participat aliud causalitatis genus, vt per se constat, & magis patebit ex dicendis. Deinde, quia non in omnibus accidentibus fit hæc transmutatio, addenda est ratio vniuersalis, quæ ex natura entitatis accidentalis sumenda est: entitas enim accidentalis, in se subsistere non potest, sed indiget subiecto, in quo sustentetur: & ideò indiget causa materiali tanquam necessaria ex natura rei, vt esse possit. Quæ ratio probat, non solùm dari posse causam materialem accidentium, sed etiam omnia accidentia natura sua necessariò postulare hanc causam; quia *accidentis esse est inesse*, vt posteà suo loco declarabimus: in ipsa autem ratione inhærendi includitur subiectum & consequenter materialis causa.

Aristotel.

A Ex quo colligitur differentia inter substantiam & accidens, quòd substantia etiam creata, nō requirit in vniuersum materialem causam, vt suprà ostensum est; accidens verò omne illam requirit. Et ratio est, quia ratio substantiæ aut formæ creatæ ex hac præcisa, & communi ratione nō requirit materiam, cùm ex vi illarum rationum non repugnet esse rem subsistentem, & simplicem, sed requiritur ex peculiari ratione talis substantię, nimirum corporeæ, vel talis formæ, scilicet materialis. At verò accidens ex præcisa, & communi ratione accidentis postulat materialem causam, quia dicit entitatem ita diminutā, vt natura sua sit inepta ad subsistendum, ac proinde indigentem aliquo subiecto sustentante. Quo fit, vt hæc causalitas materialis, etiam ad incorporalia se extendat, nam etiam spiritualia accidentia indigent materiali causa, extenso nomine *materialis* vltra id à quo sumptum est. Materia enim propriè, & in rigore appellata est materia corporea, & ab ea denominatio *materialis* sumpta est: inde tamen extenditur ad omnem causam, quæ rationem causandi eandem seu proportionalem habet, etiamsi secūdum

B entitatem suam spiritualis sit, & incorporea: atque hoc modo accidentia spiritualia, licet in se sint indiuisibilia, & incapacia extensionis quantitatiuæ, nihilominùs causam materialem habent. Quin potiùs iuxta principia diuinæ Theologiæ, etiam supernaturalia accidentia indigent materiali causa, nam quantumuis sint entia perfectissimi ordinis, tamen hoc ipso quòd accidentia sunt, indigent subiecto, quo fulciantur. Aduertendum est tamen vltimò, in hac conclusione sermonem esse de propria entitate accidentali, nam modus accidentalis, qui ex se non habet propriam entitatem, sed intrinsecè identificatur alicui accidentali entitati, cuius est modus, non semper habet propriam materialem causam, sed illi sufficit ipsa entitas quam proximè modificat, siue illi coniungatur vt subiecto, siue alio modo, & in particulari declarari non potest, nisi explicando varia genera horum modorum accidētalium, quod in discursu huius materiæ præstabimus. Et ideò omitto speciales difficultates, quę hic occurrebant de relatione vt relatio est, & de actione trāseunte vt sic, & de loco, vel aliis formis extrinsecè denominantibus, nam in propriis locis commodiùs tractabuntur.

II. Notanda inter fidelitatem & amorem diuinum.

Accidens in concreto componitur ex materia, non in abstracto.

III. C DIco secundò. Entitas accidentalis in abstracto sumpta, non habet causam materialem, ex qua intrinsecè componatur, sed hoc modo datur causa materialis accidentis in concreto, seu compositi accidentalis. Hanc cōclusionem, præsertim quoad priorem partem, ponunt Soncinas 12. Metaphys. quæstio. 26. & Iauell. quæst. 8. & significant, aliquos sensisse oppositum propter Aristotelem ibi text. 26. dicentem, in omni genere dari propriam potentiam, & actum. Conclusio tamen est certissima, loquendo de propria & reali materia, quia tota entitas accidentalis est quædam forma: non ergo indiget compositione intrinseca & reali ex propria materia, & forma. Antecedens declaratur, qui tota entitas accidentalis est in subiecto tanquam forma: vnde qui in accidente fingunt dictam compositionem ex materia, necesse est fateantur, illam partem, quam materiam appellant alterius partis formalis, respectu subiecti esse actum & formam saltem partialem. Hinc verò probatur prima consequentia, quia forma

Sandus 4. Metaph. q. 1

forma, vt forma, non postulat compositionem ex A potentia & actu realiter distinctis, vt in substantialibus constat, & in speciali de anima rationali superiùs probatum est. Neq; in accidentali forma excogitari potest propria ratio, ob quam illam compositionem requirat: nam licet talis forma constet genere, & differentia, quæ per modum materiæ & formæ Metaphysicè comparantur, tamen neque in re distinguuntur, nec per se requirunt principia seu fundamenta realiter distincta, vt in superioribus probatum est. Nec verò hæ formę accidentales propter suam imperfectionem postulant illam compositionem ex potentia, & actu realiter distinctis, quia res imperfecta, si sit partialis & incompleta, aut forma alterius, potest esse realiter simplex, imò & indiuisibilis, vt punctus, nam simplicitas non semper importat, aut requirit magnam perfectionem, sed tunc solùm est signum maioris perfectionis, quando cætera sunt paria: ergo nulla probabilis ratio excogitari potest ad tribuendum accidentibus hanc compositionem.

IIII. Adde præterea, intelligi non posse qualis sit illa B materia ex qua intrinsecè componatur forma accidentalis; nam vel est talis, vt eadem numero successiuè sit sub diuersis formis accidentalibus; vel semper transmutatur seu perit cum ipsa forma. Primum dici non potest, aliàs non solùm ex calido fieret frigidum, sed etiam ex calore frigus, & ex amore odium, & sic de aliis, quod est apertè falsum. Item, quia calor actiuus est secundum totam entitatem suam: ergo introducit in subiecto calorem secundum totam entitatem eius, quantum ad illum gradum, quem introducit: ergo expellit oppositum gradum frigoris similiter quoad totam entitatem eius: non ergo expellit tantùm partem formalem à materiali, vt in hanc introducat aliam partem formalem oppositam, sed simpliciter expellit totam formam, vel totum gradum contrarium, vt suum introducat. Sicut in mutatione purè priuatiua, vt v. g. in delitione luminis, non perit pars formalis luminis, & manet potentialis, sed absolutè totum lumen. Si autem transmutatio accidentis semper fit in tota entitate formæ: ergo illa materia, ex qua finguntur ac-

C cidentia constare, nihil deseruit ad transmutationes accidentium, neq; etiam deseruit vt informent substantiam, nam ratio materiæ ex se potiùs impedit informationem, quia materia vt sic non est actus actuans, vt suprà diximus. Item non deseruit ad actionem, quin potiùs impedire potest, ne forma secundum se totam sit actiua, nam materia secundum se non est actiua: cùm ergo multæ formæ accidentales sint actiuæ secundum totam suam entitatem, non constant intrinsecè materia & forma. Tandem si accidens ita constat materia & forma, etiam forma ipsius accidentis constabit materia & forma. Atque ita procedetur in infinitum: si ergo in aliqua sistendum est, vt re vera est, sistamus in prima, quæ sit ipsum accidens, quod est tantùm forma, cuius materia est subiectum quod informat. Prima sequela patet, quia non est maior ratio de vna forma, quàm de alia, quia vtraque est entitas imperfecta, & incompleta, & forma alterius, & in vtraque concipi potest ratio generica & specifica: est ergo eadem ratio.

V. Et ex his facilè patet altera pars conclusionis, quia compositum accidentale intrinsecè constat ex subiecto, & accidente, & in ea compositione accidens habet rationem formæ: ergo subiectum habet rationem materialis causæ. Vnde fit, causalitatem hanc respectu compositi eadem proportione explicandam esse in his compositis accidētalibus, qua in substātialibus illam declarauimus. Ipsum enim cōpositum est effectus talis causæ, cùm ex illa constet, & ab illa pendeat. Ratio verò seu principium causandi est prima potentia, vel entitas, per quam subiectum recipit accidens, de qua potentia, & entitate in sequentibus sectionibus ex professo dicemus. Causalitas verò in re non aliud, quàm vnio accidentalis formæ ad subiectum, nam ea mediante fit, vt ex subiecto & accidente vnum compositum coalescat. Loquimur enim de composito, & causalitate eius in facto esse: nam de causalitate in fieri, statim dicetur. Neq; oportet in subiecto accidentis fingere distinctum modum vnionis præter ipsum accidens vt vnitum subiecto, quia cùm accidens sit in subiecto, non fiunt in ipso subiecto duæ mutationes: vna per informationem accidentis, alia per peculiarem modum vnionis identificatum ipsi subiecto, & propter aliàs rationes suprà factas, quæ hic eandem, vel maiorem vim habent. Atq; ita patet tota hæc causalitas respectu accidentalis compositi.

VI. Occurritur obiectioni.

Dices, Hoc compositum accidentale est vnum per accidens: ergo respectu illius non potest intercedere vera causalitas materialis. Aliàs omne compositū per accidens consurgeret ex huiusmodi causalitate; quod patet esse falsum in aceruo lapidū, vel etiam in domo, quatenus constat fundamento, parietibus, & tecto. Respondetur ex suprà dictis de vnitate, in entibus quæ sunt vnum per accidens, esse latitudinem, & quædam habere maiorem vnitatem, quā alia. Compositum ergo ex subiecto & accidente, est vnum per accidens, quia constat ex rebus diuersorū Prædicamentorum, & ex actu & potentia, non per se ordinatis, sed accidētaliter. Nihilominùs tamen illa vnitas quā habet, non est tantùm Metaphorica, aut apparēs, sed vera & Physica, quia est per veram vnionem & realem vnius ad aliud, & ideò tale compositum verè consurgit per realem causalitatem componentium, tum inter se, tum respectu compositi. Aceruus autem lapidum ita est vnū per accidens, vt non habeat verā & physicam vnitatem, C sed solùm Metaphoricam, vel apparentem (vt sic dicam) & ideò, sicut non consurgit ex vera vnione partiū componentium, ita non oportet vt vera causalitas materialis ibi intercedat, sed tantùm secundū proportionem, quatenus in situ & ordine vna pars coniungitur alteri. In compositione autem artificiali solet intercedere quædam maior coniunctio & subordinatio partiū: nō tamen vera & Physica vnio, atq; ita neq; vera causalitas materialis: quod intelligitur, comparando partes integrātes artificium inter se, nam si comparetur totum artificium ad propriam formam artificialem, quæ est figura, respectu illius est magis propria causalitas materialis, quatenus figura cōparatur ad suum subiectum tanquam verum accidens illi realiter vnitum.

Accidens in abstracto educitur, & sustentatur à materia.

VII. DIco tertiò. Accidens quoad suam entitatem accidentalem præcisè & abstractè sumptam, habet materialem causam, non ex qua componatur, sed à qua sustentetur in suo esse: vnde illa non tantùm est materialis causa accidentis quoad vnionem, sed etiam quoad entitatem eius, quam in suo genere causat, mediante vnione: neque etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

est causa solùm in facto esse, sed etiam in fieri. Tota A hæc assertio sequitur ex præcedentibus à sufficiente diuisione. nam ex prima assertione constat accidentia indigere causa materiali ob diminutam entitatem quam habent: & in secunda probatum est entitatem accidentalem non indigere hac causa, vt ex ea intrinsecè componatur: ergo vt ab ea sustentetur. Imò etiam qui fingunt causam materialem intrinsecè componentem accidentia, non excludunt causam materialem sustentantem totum ipsum accidens compositum ex intrinseca materia, & forma: quod est nouum argumentum, falsò confingi illam intrinsecam compositionem accidentis ex materia & forma. Rursus ex eadem diminuta, & imperfecta entitate accidentis, constat pendere à sua causa materiali non solùm in vnione, sed in entitate sua, quia in se subsistere nullo modo potest naturaliter. Item quia non minùs pendet accidens à sua causa materiali, quam forma substantialis materialis à materia; sed hæc pendet non tantùm in vnione, sed etiam in entitate: ergo. Deniq; hinc etiam concluditur pendere non tantùm in facto esse, sed etiam in B fieri, tum quia fieri est proportionatum ipsi esse, tum etiam quia actio per quam accidens naturaliter fit, est etiam quoddam accidens pendens necessariò à subiecto, in quo vel ex quo fit. Est tamen hoc cum proportione intelligendum, nam quædam accidentia fiunt per propriam actionem, alia verò solùm per resultantiam, vel consecutionem ad effectionem aliarum rerum: vnumquodq; ergo accidens eo modo quo fit, pendet ab aliquo subiecto in fieri, atq; ita habet materialem causam suæ effectionis eo modo quo naturaliter fieri potest. Quid autem sit hæc causalitas, non oportet iterum declarare, nam eadem omnino est, quæ in substantiali causalitate, seruata proportione.

Diserimen inter accidentia quoad fieri.

VIII. Qualiter materialis causa de substantiali & accidentali dicatur.

Quærere verò aliquis potest an materialis causa vniuocè dicatur de illa quæ est substantiæ, & de causa materialis accidentis. Et ratio dubij esse potest, quia causa materialis accidentis in se, vel est perfectior, vel est æquè perfecta causa materiali substantiæ, nam vel est integra substantia, vel forma, vel ad minimum ipsa materia: ergo etiam in ratione causæ materialis est vel perfectior, vel saltem æquè perfecta, quia in hac causalitate causa, præbet se ipsam, & C suum esse; ergo si in se est æquè perfecta, etiam erit in ratione causæ. In contrarium verò est, quia esse quod resultat ex hac causalitate, non est esse simpliciter, sed secundum quid, nimirum esse accidentale. Item productio, vel generatio accidentis, solùm est productio, & generatio secundum quid. Vnio item formæ accidentalis cum subiecto, est tantùm secundum quid, vt pote accidentalis: sed actualis causalitas materialis consistit in ipsa actuali vnione, vel vnitione, quatenus à subiecto pendet, ergo causalitas hæc respectu accidentis est tantùm secundum quid. Atq; ita dicendum est, causam materialem formaliter in ratione causæ Analogicè de his causis dici, & principaliùs de causa substantiæ, materialiter verò rem, quæ causat accidentia, posse esse vel æquè, vel magis perfectam. Id verò non satis est, vt in ratione causæ sit perfectior, etiamsi per se ipsam intret compositionem totius compositi accidentalis, quia non est inde ratio causæ sumenda, sed ex actuali causalitate quam exhibet, & ex formali esse, quod inde consurgit.

SECTIO II.

An substantia vt sic esse possit immediata causa materialis accidentium.

I. DE hac causalitate formaliter sumpta, nihil aliud nobis dicendum superest; de fundamento verò talis causalitatis, & de potentia per quam causat, nonnulla dicere necesse est. Cùm enim materialis causalitas consistat in receptione, duo ex parte causæ requiruntur; scilicet res quæ recipit, & potentia per quam recipit, quæ possunt vel re, vel ratione distingui. Supponimus autem vt per se notum ex dictis, substantiam esse quasi primum fundamentum, vel primam rem quæ causat materialiter accidentia, quia totus ordo accidentium imperfectus est. & insufficiens, vt in se subsistat: & ideò primum fundamentum, in quo accidentia nitantur, non potest esse aliquod accidens, sed debet esse substantia. Inquirimus ergo per quam potentiam substantia causet materialiter accidentia, an per potentiam accidentalem realiter, aut ex natura rei distinctam ab ipsa; an verò per se ipsam, seu per potentiam ratione tantùm distinctam.

Tractatur prior opinio.

II. QVidam enim authores sentiunt nullum accidens recipi in substantia, nisi media potentia accidentali pertinente ad idem Prædicamentum. Ita sentiunt Soncinas 12. Metaph. q. 26. & Iauel. q. 8. qui dicunt esse in substantia potentiam receptiuam quantitatis, quæ reducitur ad Prædicamentum quantitatis, & aliam receptiuam qualitatis, ad Prædicamentum qualitatis pertinentem, vel potiùs in superficie ipsa, ait Soncinas, esse aliquid potentiale de genere coloris, ad recipiendum colorem, quidquid illud sit (inquit) putà Diaphaneitas, vel aliquid huiusmodi. Fundamentum eorum est dictum quoddam Aristotelis 12. Metaph. tex. 26. *eadem esse principia omnium generum.* Quod Commentator exponit de identitate secundum Analogiam, nam quælibet res alicuius Prædicamenti, habet illa tria principia, materiam, formam & priuationem, non tamen in omnibus prædicamentis sunt eadem, sed proportionalia. Hinc ergo colligunt, quòd sicut in vnoquoq; Prædicamento est propria forma, & propria priuatio, sic etiam sit propria potentia, constituens proximum materiale principium illius generis. Vnde rectè concluditur, substantiam vt sic non posse esse principium proximum materiale alicuius accidentis.

Soncin. Iauel.

Aristotel.

III. Atq; hinc sumptum est illud axioma; *Potentia & actus sunt in eodem genere.* quod à multis, vt primum in Metaphysica principiū, recipitur, ob dictum testimonium Aristotelis, cui addunt aliud Commentatoris 5. Phys. comm. 9. *Potentiam ad vnumquodq; Prædicamentum esse in illo genere Prædicamenti, in quo est actus:* & 1. ad Anim. Comm. 6. *Potentiam & actum esse differentias, quæ contingunt omnibus Prædicamentis;* & loquitur de potentia receptiua, nam tractat de anima quatenus est actus, & de potentia quæ illi respondet. Eodem principio vtitur Diuus Thomas sæpè, signatim 1. part. quæst. 77. articul. 1. vbi inquit: *Cum potentia & actus diuidant ens, & quodlibet genus entis, oportet, quòd ad idem genus referantur potentia, & actus; & ideò si actus non est in genere substantiæ, potentia quæ dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiæ.*

Commen.

D. Thom.

In qui-

In quibus verbis & principium illud, & conclusio A intenta, & ratio conclusionis contineri videntur. Est autem ratio, quia potentiæ specificantur per actus: ergo potentia ad recipiendam formam accidentalem sumit speciem suam ab actu ad quem ordinatur: ergo illa potentia non potest esse substantia. Simili enim ratione probauimus suprà potentiam materiæ non esse accidens, sed substantiam: & proportionali discursu concludi potest, potentiam ad recipiendam qualitatem esse in genere qualitatis. Ex qua ratione aliqui extendunt illud principium ad potentiam actiuam, & receptiuam: vnde generatim inferunt, potentiam ad actum accidentalem esse accidens, & referri ad idem genus.

Substantia se ipsa immediata causa materialis accidentium.

IIII. HÆc verò sententia, quantum ad rem præsentem attinet, defendi non potest, nisi fortasse in sensu verborum æquiuocatio sit. Dico ergo substantiam per se ipsam absque additione alicuius rei realiter distinctæ, vel alicuius modi ex natura rei di- B uersi, posse esse causam materialem immediatè in se recipientem aliquod accidens. Probatur prior pars, quia si substantia recipit quantitatem, verbi gratia, mediante aliqua re distincta, quæ sit potentia ad recipiendam quantitatem, interrogo, an illa res sit substantia, vel accidens. Substantia esse non potest, tum quia aliàs non esset res vltra totam substantiam rei: tum etiam, quia iam poneretur substantia per se ipsam receptiua accidentis. Si est accidens, ergo est in aliquo subiecto proximo; quæro ergo, an illud sit potentia accidentalis realiter distincta, vel ipsamet substantia: si hoc posterius dicatur, habemus intentum. Si verò dicatur priùs, de illo accidente iterum redibit quæstio, & ita in infinitum procedemus, nisi in ipsa substantia tandem sistamus. Et ita est re vera necessarium, nam licet substantia possit vniri alicui accidenti, medio alio, vt posteà dicemus, tamen comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, non potest illi vniri, media aliqua re, quæ non sit aut substantia, aut accidens: ergo necesse est, vt aliqua substantia, & aliquod accidens immediatè vniantur, id est, nulla mediante re distincta ab extremis vnitis. Ratio C denique à priori ex eo sumi potest, quod accidens adiicitur substantiæ creatæ ad perficiendam illam, & supplendum id, quod talis substantia per se ipsam habere non potest: ergo necesse est, vt in entitate talis substantiæ intimè includatur capacitas ad recipienda accidentia: ergo hæc capacitas substantiæ, quæ est receptiua accidentium, vt sic, non potest esse res distincta ab ipsa substantia: vnde quoad hanc partem conclusio posita euidens videtur.

V. In altera verò parte, de modo ex natura rei distincto, inprimis non agimus de modo vnionis actualis, de quo suprà dictum est, sed de modo (vt ita dicam) potentiali, seu de potentia aliqua ex natura rei distincta à substantia, tanquam modo, & nō tanquam re omnino diuersa. Et sic applicari fere potest discursus factus. nam etiam illa potentia modaliter distincta erit verum accidens, nam si esset substantia, falsò diceretur distincta ex natura rei à tota rei substantia: ergo per se ipsam inest suo modo substantiæ, & ab ea pendet in genere causæ materialis: ergo ab illa recipitur immediatè per propriam entitatem substantialem. Deinde ficta est in præsenti hæc distinctio ex natura rei, secluſa distinctione realí, nam hæc capacitas recipiendi primum accidens, (vt sic dicam) ita est intima substantiæ creatæ, vt inseparabilis ab illa sit, etiam per potentiam absolutam Dei, nam hoc ipso quod substantia angeli, verbi gratia, talis est essentialiter, per se ipsam capax est intellectiuæ potentiæ: & quamuis demus posse Deum separare intellectum Angeli à substantia eius, necessariò intelligimus semper manere illam substantiam capacem intellectus, & quantumuis nudam Deus conseruet illam substantiam, impossibile est, quin maneat capax suæ naturalis facultatis intellectiuæ: & eodem modo intelligimus comparari substantiam compositam ex materia & forma ad quantitatem, nam per se ipsam est capax eius. nec potest hac capacitate priuari, etiamsi à tali substantia separetur omnis res, aut modus, qui ab illa separabilis est: ergo falsò confingitur distinctio ex natura rei inter talem capacitatem & substantiam.

VI. Caietanus restringit nostre oppositam sententiam.

Vnde Caietanus 1. part. q. 54. artic. 3. cùm ex parte adhæreat priori sententiæ citatæ, eam limitat ad ea accidentia quæ media aliqua actione & passione acquiruntur, nam ea quæ sunt congenita substantiæ, non indigent potentia media, sed substantia ipsa per se ipsam est capax illorum: atque hoc modo euitat processum in infinitum. Ratio autem huius distinctionis & limitationis, quæ ex eo colligitur in eadem 1. part. quæstio. 77. articu. 1. est, quia potentia congenita substantiæ est essentialiter potentia, ad hoc principaliter ordinata, vt actum recipiat: quòd verò sit actus substantiæ, solùm habet ex communi ratione accidentis, & ideò non requirit aliam potentiam qua mediante inhæreat substantiæ: alia verò accidentia primò ac per se sunt actus, & ideò proprias requirunt potentias, quibus mediantibus inhæreant substantiæ. Veruntamen ex hac doctri- Improbatur Caietani limitatio.
na inprimis colligo, ex vi causalitatis materialis accidentis, vt sic per se non requiri potentiam mediam, sed substantiam per se ipsam esse sufficientem ad hanc causalitatem. Hoc patet, quia ad recipienda illa accidentia quæ sunt essentialiter potentiæ receptiuæ, non requiritur alia potentia: quia hæ potentiæ non actuant substantiam, secundum aliquam specialem rationem actus, sed ob communem rationem accidentis: ergo ex vi causalitatis accidentis, vt sic non requiritur talis potentia, sed si in aliquibus requiritur, erit propter aliquas speciales rationes. Deinde falsò hoc limitatur ad ea accidentia: quæ per se primò instituta sunt vt sint potentiæ receptiuæ: nam quantitas non requirit in substantia potentiam mediam, per quam recipiatur, vt probatum est, quia substantia per se ipsam est capax quantitatis, & superfluum est ac planè absurdum aliam fingere potentiam mediam, ex natura rei distinctam: & tamen quantitas non est per se primò instituta, vt sit potentia receptiua, vt ipsi etiam fatentur, aliàs quantitas essentialiter esset qualitas. Vnde quantitas per se primò instituta est ad extendendas partes substantiæ, ita vt naturaliter non possint sese loco penetrare. Inde verò consequenter habet, vt sit medium ad recipienda quædam alia accidentia: ergo non solùm illa accidentia, quæ sunt per se primò instituta, vt sint potentiæ receptiuæ; sed etiam alia, quæ ob quamcunque rationem habent immediatam habitudinem ad substantiam, non requirunt potentiam mediam, vt ab ea recipiantur, seu materialiter causentur.

Imò

Universidad de Deusto
Biblioteca

VII. Imo verò addo, nullam fortasse reperiri potentiam accidentalem purè receptiuam re ipsa distinctam à subſtantia: vt potest breuiter inductione ostendi. Nam in subſtantiis corporeis inanimatis, nulla est potentia receptiua accidentiũ præter quãtitatem, vt partim ostensum est, partim ex sequentibus magis constabit: quantitas autem, vt dixi, non est per se primò potentia receptiua, sed est forma dans subſtantiæ materiali hanc corpoream molem, & extensionem, ratione cuius apta est locum occupare. In rebus autem viuentibus vt sic, non agnoscimus potentias aliquas purè passiuas, nam omnes, quæ conueniunt viuentibus vt viuentia sunt, sunt aliquo modo actiuæ: quod etiam in subſtantiis Angelicis considerare licet: ergo præcisè ob recipiendã accidentia, non oportet fingere in subſtantia potentias distinctas, nisi aliunde necessitas oriatur.

VIII. Ex quo vlteriùs concluditur, illam limitationem seu distinctionem de accidentibus congenitis, seu transmutabilibus nõ esse formalem, neq; in vniuersum veram. Primum patet, quia si subſtantia per se ipsam potest esse capax accidentis vt sic, etiam poterit esse capax mutationis ad tale accidens, si fortasse illud separabile sit. Quòd si sit inseparabile, illud est per accidẽs, & materiale quid respectu causalitatis subſtantiæ. Secundum patet, quia quantitas, iuxta cõmunem sententiam, est accidens quod transmutatur, & per proprium motum acquiritur: & nihilominus non requirit in subſtantia potentiam ab illa distinctam. Item, præsentia localis seu vbi est modus accidentalis, qui interdum afficit immediatè ipsam subſtantiam, vt clariùs patet in subſtantia spirituali; & est suo modo verum in materiali, vt infrà suo loco dicemus: & tamen illud accidens potest per propriam mutationem acquiri, & perdi. Item, si verum est relationem similitudinis, vel identitatis specificæ esse aliquid ex natura rei distinctum à subiecto & fundamento, tale accidens non requirit in subſtantia specialem potentiam, & tamen non est cõgenitum, sed amitti potest, vel de nouo resultare. Restat ergo vt absolutè dicamus, ad causalitatem materialem subſtantiæ circa accidens, siue in ea sit per modum potentiæ passiuæ, aut actiuæ, siue per modum simplicis formæ, vel dispositionis, seu quãtitatis, aut alterius modi accidentis, siue congeniti, siue aduentitij, per se, & ex vi harum generalium rationum præcisè sumptarum, non esse necessariam ex parte subſtantiæ specialem potentiam ex natura rei ab illa distinctam.

Improbatur prior sententia.

IX. Inductio probans non correspondere cuiuis actui potentiam eiusdẽ categoriæ.

Atque hinc infero, accidens non semper requirere in subſtantia potentiam receptiuam propriè pertinentem ad suum Prædicamentum, imò rarò id accidere nisi in aliquibus accidentibus propter peculiares rationes. Hoc planè infertur ex præcedenti assertione. Et declaratur ampliùs inductione, nam in subſtantia spirituali tantùm sunt accidentia pertinentia ad intellectum & voluntatem, & quæ locum respiciunt. Loquor naturaliter, vt omittam ea quæ per diuinam gratiam seu virtutem fieri possunt. Quanquam, si aliquod donum gratiæ potest poni in subſtantia spirituali, quod non sit in intellectu, nec in voluntate, vt re vera potest, illud non supponit in subſtantia potentiam eiusdem generis, nam illud donum est qualitas: capacitas autem obedientialis non est qualitas, sed ipsamet subſtantia animæ, vt ex Theologia constat. Accidentiã ergo quæ pertinent ad motum, vel præsentiam localem, non supponunt in subſtantia potentiam pertinentem ad Prædicamentum Vbi, vel Actionis, aut Passionis: qualiter enim concipi, aut quo fundamento fingi potest talis potentia? cùm ratio potentiæ, si propria sit, pertineat ad qualitatem: si verò sumatur latè, sit quasi transcendens, & ratio quædam intimè inclusa in variis rebus diuersorum prædicamentorum, & ita sit in proposito, nam subſtantia spiritualis per se ipsam est capax talis præsentiæ. Intellectus autem & voluntas absque vlla dubitatione non supponunt in subſtantia potentiam aliam de genere qualitatis, vt probatum est. Actus verò harum potentiarum insunt subſtantiæ medijs ipsis potentiis, quamuis de modo sit controuersia infrà tractanda sect. 4. tamen id prouenit ex propria ratione inuenta in talibus actibus, vt ibidem dicemus. Et adhuc est sub iudice lis, an tales actus sint eiusdem prædicamenti cum ipsis potentiis: aliqui enim eos collocant tantùm in genere actionis. Et licet verum sit esse qualitates, & supponere potentiam quæ sit qualitas, tamen id non prouenit ex illa generali ratione, sed ex peculiari causa & natura.

De accidentibus verò subſtantiæ corporeæ, omnes fatentur inter accidentia habentia propriam entitatem re ipsa distinctam à subſtantia, primum accidens talis subſtantiæ esse quantitatem, quæ non supponit in subſtantia aliquam potentiam, quæ ad prædicamentum quantitatis pertineat, vt à fortiori probãt omnia quę hactenus diximus. Ipsa verò quãtitas est medium seu potentia, per quam hæc potentia recipit qualitates corporeas, & similia accidentia: at quantitas non est potentia pertinens ad prædicamentum qualitatis, vt per se notum est. Nec verò inter superficiem, v. g. & albedinem fingi potest mediare aut intercedere potentiam aliquam de genere qualitatis, per quam superficies recipiat albedinem: quod etiam probant argumenta hactenus facta, quia talis potentia, si in re non est distincta à superficie, non potest esse vera qualitas: fingere autem illam esse distinctam, vel vt rem, vel vt modum C ex natura rei diuersum, & superfluũ est, ac fine fundamento; & vel procedendum erit in infinitum, vel si sistendum est in intrinseca capacitate superficiei qua per se ipsam est receptiua illius potentiæ, verius dicetur sistendum esse in eadem intrinseca capacitate superficiei, qua per se ipsam est immediatè receptiua albedinis, & tolletur de medio illa inintelligibilis, & minimè necessaria potentia. Sic igitur cõstat, potentiam per quam subſtantia recipit accidens, non semper pertinere ad idem prædicamentum cum accidente recepto. Et ratio à priori est, quia ex accidente & subiecto non oportet fieri vnũ per se, sed per accidens: & ideò non requiritur, quòd talis potentia, & actus pertineant ad idem genus: vnde nec necesse est, vt talis potentia sit per se instituta, & ordinata ad talem actum.

Dices, his argumentis rectè probari potentiam receptiuam accidentis, non esse semper propriè ac directè in eo prædicamento, in quo est accidens receptum, non verò probari non collocari in illo saltem reductiuè, quod solùm asserunt authores prioris sententiæ; nam cùm accidens dicat intrinsecum ordinẽ ad subiectum, quatenus est capax ipsius accidentis, necesse est, vt subiectum secundum eam capacitatem reducatur ad prædicamẽtum accidentis.

XI. Qualiter ad qui essignant vim præcedentem rationem.

Propter

Propter hanc euasionem insinuaui superius posse A in hac quæstione esse æquiuocationem in ver' is, nã si solùm sit sensus, subſtantiam vel quantitatem cõceptam à nobis sub formalitate capacitatis talis accidentis reduci quodammodo ad prædicamentũ illius accidentis tanquam quoddã additum, per q̃ definitur tale accidens, sic cõtrouersia est de modo loquendi aut concipiendi nostro: nam secundum rem nulla vera potentia additur media inter subſtantiam & quantitatem, vel inter quantitatem & qualitatem, sed solùm quædam denominatio, vel conceptio respectiua. Nos autem loquimur de reali & vera potentia, de qua loquitur D. Thom. cùm ait potentiam & actum reuocari ad idem genus: aliàs non bene inde concluderet, potentias animæ esse res distinctas ab anima, quod illis locis intendit: & eodem sensu loquitur Caietanus, qui propterea adhibuit limitationes, & distinctiones suprà citatas: Commentator item in eodem sensu loqui videtur, cùm dicit potentiam & actum esse differentias oppositas diuidentes singula prædicamenta.

Declaratur axioma: *Actus & potentia sunt in eodem genere.*

XI. QVomodo ergo intelligendum est illud axioma: *Actus & potentia sunt in eodem genere?* reiiciendumne omnino est, ne sententiæ à nobis positæ, & resolutioni datæ obstare videatur? Respondetur inprimis, axioma illud non rectè fundari in Aristotele 12. Metaph. nam ibi solùm asserit res omnium prædicamentorum habere eadem principia secundum proportionem seu Analogiam: nunquam verò ait omnia illa principia in eodem prædicamento collocari, imò ponens exempla ait, in coloribus album esse principium vt formam, nigrum vt priuationem, superficiem vt materiam; & in illuminatione lumen esse formam, tenebras priuationem, aerem subiectum: & in sanatione sanitatem esse formam, morbum priuationem, corpus materiam, in quibus exemplis nunquam assignat potentiam, quę debeat esse eiusdem prædicamenti cum forma: non ergo dixit Aristoteles materiam & formam pertinere semper ad idem genus, quamuis dixerit res omnium generum posse habere aliquo modo prin- C cipium formale & materiale. Vnde ibidem ait, res omnium generum habere causam efficientem seu mouentem, non tamen dicit aut sentit, illam causam pertinere ad idem genus cum re effecta. Neq; obstat Soncinatis replica, quòd causa efficiens est extrinseca, & ideò nõ oportet esse eiusdem generis: materiale autem principium est intrinsecum, quod debet esse eiusdem generis. Respondeo enim materiale principium accidentis, si ad totum compositum comparetur, esse intrinsecum illi, non tamen esse illud compositum vt sic propriè in vno genere, cùm sit vnum per accidens, & constat ex rebus diuersorum generum: si verò comparetur ad formam accidentalem, non esse principium intrinsecum eius, id est, illam intrinsecè componens, sed solùm per modum additi seu subiecti, cui forma accidentalis vnitur. Hoc autem principium non est necessariò eiusdem generis cum forma, in accidentali compositione.

XII. Qualiter Scotus explicet distinctionem.

Hinc Scotus in 2. distinct. 16. q. 1. respondet axioma illud intellectum de potentia receptiua, & actu eius, esse falsum, & affert contra illud instantias à nobis insinuatas de subſtantia & accidente, de superficie & colore, &c. Et similiter docet esse falsum intellectum de potentia actiua & actu eius, nam etiam habet claras instantias, præsertim in potentiis, quæ agunt actione transeunte, siue comparentur ad actionem, vt actio est, quia manifestè pertinent ad diuersa prædicamenta: siue ad rem seu formam factam, nam potentia secundum locum motiua est qualitas: efficit autem vbi seu præsentiam localem, & potentia augmentatiua est qualitas, agit autem quantitatem aut subſtantiam. Dicit ergo axioma illud esse intelligendum de potentia obiectiua. Quam interpretationem multi reiiciunt impugnando acriter hanc potentiam obiectiuam. Sed quoad hoc existimo de nomine, & æquiuocè hos cum Scoto disputare: nam ille non intelligit per potentiam obiectiuam aliquam veram rem, quæ sit actu in rerum natura, quo sensu sola potentia actiua pel passiua est potentia realis, vt infrà dicam latius, tractando de essentia creaturæ, & declarando speciem qualitatis quæ est potentia: sed per potentiam obiectiuam intelligit Scotus, rem in statu possibili antequam actu sit, quomodo dicimus rem esse B in potentia antequam sit: & quia res, vt est possibilis, est obiectum potentiæ actiuæ, ideò dicitur ab Scoto esse in potentia obiectiua. Atq; ita dicit hanc potentiam & actum esse eiusdem generis, quia res possibilis, & res in actu eiusdem generis sunt: imò dicere etiam posset esse eandem rem negatiuè (vt aiunt) quia non sunt duæ res, sed eadem, in diuersis statibus concepta. Quocirca res quam Scotus in ea interpretatione intendit, vera est, non tamen rectè accommodatur illa interpretatione authoribus qui ante Scotum illud axioma docuerunt: Aristoteles enim vt ex dictis patet, nunquam in eo sensu locutus est, nec Auerroes, qui loco citato ait potentiam & actum esse differentias oppositas: & cum 9. Metaphysicæ in principio varias numeret potentiæ acceptiones, nunquam fecit mentionem illius potentiæ obiectiuæ.

Quid obiectiua potentia apud Scotum.

XIII. Dicendum ergo est axioma illud communiter intelligi de propria potentia receptiua, vel actiua. Vt autem verum sit, intelligendum inprimis est de potentia per se primò instituta & ordinata ad talem actum: non verò de potentia vel capacitate intrinsecè inclusa & quasi concomitante aliquam entitatem absolutam. Declaratur hoc, nam duobus modis intelligi potest, quod aliqua virtus tam actiua, quàm receptiua, comparetur ad actum. Vno modo, quia ex primaria ratione & essentia sua ordinata est ad talem actum: sic materia est potentia ad formam, vt suprà declaratum est: sic grauitas est virtus actiua ad efficiendum motum deorsum, vel permanentiam in ipsomet loco deorsum: sic denique intellectus est virtus actiua, & receptiua intellectionis. Huiusmodi ergo potentia dicitur per se primò instituta propter actum, & ideò ab illo sumit speciem; & de illa ad summum potest axioma illud verificari modo statim declarando. Alio verò modo potest aliqua entitas habere vim vel capacitatem ad aliquam actionem vel actum, non quia propter illum primariò sit instituta, sed quia vel ob eminentiam naturæ suæ, vel ob naturalem conditionem, aut modum essendi quem habet, quasi concomitanter, vel potiùs connaturaliter habet per se ipsam talem vim, vel aptitudinem. Sic Deus habet omnipotentiam agendi: sic etiam creatura intellectualis habet & capacitatem, & vim actiuam obedientialem supernaturalium actuum, vel donorum: sic denique subſtantia materialis est capax quantitatis:

Universidad de Deusto
Biblioteca

titatis: & quantitas ipsa est capax qualitatum. Et in hoc posteriori genere potentiæ vel capacitatis non est necesse potentiam seu capacitatem & actum esse in eodem genere: quia cùm talis potentia nõ sit ordinata per se primò ad actum, nec sumat ab illo speciem suam, nec componat cum ipso actu vnum per se, non est cur talis potentia & actus in eodem genere collocanda sint. Nec D. Thom. vnquam de hoc posteriori genere potentię sed de priori locutus est: & de eodem exponendus est Auerroes, si eius dicta defendere necesse sit: Nec ratio in contrarium facta plus probat: vnde per hæc sufficienter respõsum est fundamentis contrariæ sententiæ.

XIIII. Vt verò principium illud exactè maneat declaratum, addere oportet duobus modis intelligi posse, potentiam prioris ordinis & actum esse eiusdem generis. Primò, vt genus latè sumatur pro generalibus rationibus substantiæ, & accidentis, ita vt potentia per se ordinata ad actum substantialem, sit substantialis, ad accidentalem accidentalis: non verò quòd in rigore necesse sit potẽtiam & actum esse eiusdem prædicamenti accidentis, quamuis in substantia id verum sit, eò quòd substantiæ tantùm est vnicum prædicamentum. Et hæc expositio multis placet, quia euitat difficultates. Alij verò etiam in accidentibus volunt potentiam huiusmodi, & actum eius ad idem prædicamentum in rigore pertinere, quia aliàs non est in rigore verum, potentiam & actum esse eiusdem generis. Sed hoc in vniuersum defendere difficile est, præsertim in potentiis actiuis. Quapropter probabiliter dici potest potẽtiam passiuam accidentalem (nam de substantiali iam satis dictum est) quando ex primaria institutione vi suæ essentiæ ordinata est ad actum, sub eodem genere & prædicamento cum suo actu contineri. Et de hac potentia videtur loqui Diuus Thomas, & Commentator citatis locis: sub potentiis autem passiuis potentias animæ comprehendimus, quæ licet actiuæ etiam sint, simul tamen sunt passiuæ, & in passione ac receptione seu informatione habent consummatam perfectionem suam. Hoc autem modo explicata hæc assertio probari potest inductione in omnibus his potentiis, nam habitus, & actus earum in eodem genere in rigore collocantur: licet enim actio vt actio pertineat ad prædicamentum actionis, tamen vt actus vitalis habens esse consummatum & perfectum in suo genere, collocatur in prædicamento qualitatis: quãdo autem potentia comparatur ad actum, & ad idem genus pertinere dicitur, non est comparanda ad actum in fieri, sed ad actum perfectum & consummatum: ad illum enim per se primò ordinatur, & ab illa speciem recipit. Et ita nullum inuenio exemplum, in quo hæc regula deficiat. Ratio autem reddi potest, quia quando potẽtia receptiua per se est ordinata ad actum, & comparatur ad illum vt imperfectum ad perfectum in suo genere, & quodammodo per se vnum videtur in illo ordine constituere cum suo actu, vt potentia intellectiua cum actu intelligendi per se coniungitur, & sic de aliis; & ideò oportet vt talis potentia & actus sub eodem genere collocentur, vt ita etiam inter se maiorem proportionem seruent.

D. Thom. & Comment. qualiter intelligant Axioma.

XV. At verò in potentiis actiuis, etiam si sint per se primò ordinatæ ad agendum, non videtur necessarium quòd potentia & actus sub eodem genere in rigore contineantur. Nam si per actum huius potentiæ intelligamus actionem vt actio est, constat potentiam & actionem ad diuersa prædicamenta pertinere. Neq; vllius momẽti est quod quidam aiunt, potentiam & actionem, directè quidem & per se, ad diuersa prædicamenta pertinere, tamen per reductionem, & potentiam collocari in genere actionis, & actionem in genere potentiæ: quia habent inter se mutuam habitudinem transcendentalem; terminus autem habitudinis reducitur ad prædicamentũ relati. Hoc (inquam) nil refert, quia hæc reductio solùm est secũdum extrinsecam denominationem, quam includit terminus vt terminus est: nos autem loquimur de collocatione sub vno genere secundum propriam naturam & essentiam eius. Hoc enim sensu necesse est, loquantur authores cùm dicunt potentiam & actum esse sub eodem genere: aliàs non rectè inde concluderent materiam v.g. esse intrinsecè substantiam, quia est potentia ad substãtiam & intellectum esse qualitatem, quia est potentia ad actum accidentalem & vitalem, &c. Potentia ergo actiua comparata ad actionem suam, vt actio est: non constituitur sub eodem genere, si autem per actum huius potentiæ intelligamus terminum formalem actionis eius, non est necesse collocari in eodem prædicamento, vt probat exemplum suprà adductum de grauitate, quod in vniuersum adduci põt de potentia secundum locũ motiua, siue sit progressiua, siue attractiua, siue expulsiua, aut impulsiua, vel impulsus ipse, quẽ multi existimant esse qualitatem, & tamen nõ ordinatur ad faciendam qualitatem, sed motũ, vel vbi. Et ratio reddi põt, quia potentia actiua vt sic nõ ordinatur ad actũ, vt imperfectũ ad perfectum, neq; vt cum illo cõponat aliquid per se vnum, sed vt causa extrinseca ad effectum: fieri aũt potest, vt causa actiua nõ sit eiusdem rationis aut generis cum effectu, sed eminentioris: & ideò nõ est necesse vt in eodem prædicamento cum suo actu collocetur. Quanquam necessarium videatur, si actus maximè proprius talis potentiæ sit accidentalis, etiam potentiam ipsam esse accidentalem, quia substãtia vt sic non ordinatur per se primo ad accidentalem actũ: erit ergo talis potẽtia accidens, quãuis sub nobiliori genere accidentis collocetur.

XVI. Obiectio dilatatur.

Dices, interdum potentiam accidentalem ordinari per se primò ad producendam substantiam, vt potentia nutritiua & generatiua. Respondeo primò nondum esse exploratum, neq; à nobis tractatum quomodo accidentia attingant productionem substantiæ: nam si solùm attingunt disponendo materiam, cessat difficultas: si verò immediatè etiam efficiunt, & introducunt formam substantialem, dicẽdum est non attingere substantiam nisi instrumentaliter. Non attingunt autem instrumentalem actionem nisi præuia alia actione connaturali, & maximè propria, quæ semper est accidentalis, & respectu illius verificandum est talem potentiã & actum esse eiusdem generis, nam altera actio instrumentalis, licet fortasse sit à natura principaliùs intenta, respectu tamen talis potentiæ nõ est ita propria & accommodata vt ei cõmensuretur natura talis potentię seu qualitatis. Imò hinc obiter colligere licet extra potentias loco motiuas omnem aliã potentiam per se primò ordinatam ad agendum, collocari in eodem prædicamento cum suo actu proprio seu termino actionis suæ: nam talis potentia semper est qualitas, nihilq; efficit nisi præuia aliqua propria actione tendente ad qualitatem, nam, vt dixi, licet efficiat instrumentaliter substantiam, vel etiam quãtitatem, semper id efficit præuia aliqua actione propria tendente ad qualitatem: ad alia autem prædicamenta præter vbi, non est per se actio, sed semper resultant ex termino alterius actionis. Atq; ita fit vt omnis potentia actiua accidentalis præter motiuam ordinetur ad qualitatem aliquam efficiendam, per actionem maximè propriam, licet fortasse mediante illa possit ad res aliorum prædicamentorum ordinari, saltem vt instrumentum. Atq; hæc dicta sint in explicationem illius axiomatis; *Potẽtia & actus sunt sub eodem genere.*

Notabile

SECTIO III.

Quænam substantia possit esse causa materialis accidentium.

I. VNdictum sit primariam causam materialem accidẽtis esse substantiam, ad perfectam huius causæ expositionem, necessarium est declarare, quænã substantia possit hanc causalitatem exercere. Suppono autem hìc non esse quæstionem de substantia increata, quam constat non esse capacem accidentis, & discurrendum breuiter erit per omnes creatas. Inter quas quædam sunt simplices, aliæ compositæ: de quibus, & de partibus componentibus ipsas, esse potest controuersia. Vt ergo quæ dubitationem habent tractemus, ea quæ certa sunt breuiter præmittamus.

II. Substantiæ simplices subsistentes se ipsis materialis causæ.

Primò ergo certum est substantias simplices per se subsistentes esse sufficientes ad recipienda seu materialiter causanda accidẽtia sibi proportionata. Hoc constat in omnibus substantiis spiritualibus creatis; de his enim est sermo. Omnis enim substantia creata, quia potentialis est, & imperfecta, capax est accidentium: & ad ea sustentanda sufficit ei, habere per se subsistentiam, si alioqui sit capacitas. Cùm autem dicimus has substãtias esse per se sufficientes ad hoc, non excludimus quin possint causare materialiter vnum accidens mediante alio, vt sequente sectione dicemus, sed respectu collectionis omnium suorum accidentium dicimus per se sufficere, & non indigere alio adminiculo præter suam substantiam, & subsistentiam propriam.

III. Substantialis forma subsistẽs efficiẽs materia accidentium.

Hinc secundò est etiam certum formam subsistẽtem, etiam si sit incompleta substantia, & actus corporis, esse sufficientem causam materialem aliquorum accidentium, quæ illi proportionata sunt. Hoc constat in anima rationali non solùm à corpore separata, sed etiam coniuncta: & ratio est eadem fere quæ de substantiis angelicis. Nam quòd substantia animæ incompleta sit, non impedit quò minùs sustentare possit aliqua accidentia, cùm per se esse possit, & à subiecto ipsa non pendeat. Ex quo à contrario sumpto argumento constat, & est etiam certum, formas substantiales quæ naturaliter subsistere non possunt, ineptas esse ad causanda materialiter accidentia per se solas: quia quod in se non subsistit, non potest aliud sustentare; formę autem hæ non sunt capaces propriæ subsistentiæ, etiam partialis, vt postea dicemus. An verò simul cum materia substent accidentibus, paulò post videbimus. Solùm posset quis dubitare de nõnullis relationibus, verbi gratia, vnionis, aut similitudinis, &c. quæ videntur subiectari in his formis. Veruntamen probabilius est has relationes non addere rem distinctam à substantia, vel modis substantialibus formæ. Item probabile est entitatem talis formæ, vt sustentatam suo modo in materia, esse capacem alicuius formæ aut modi accidentalis, eò modo quo de ipsis accidentibus in sequenti sect. explicabimus.

IIII. Partes integrales, accidentiũ subiectiua.

Hinc etiam obiter constat, quid dicendum sit de partibus integralibus substantiæ; non est enim dubium quin eo modo quo sunt, & subsistunt, possint materialiter concurrere ad esse accidentium; nam possunt illa in se recipere & sustentare, vt inductione constat. Et quidem si partes istæ sint actu diuisæ à toto, & solùm dicantur partes propter habitudinem ad illud, constat in re esse veras substantias subsistẽtes, ideoq; posse accidentia sustentare, vt de sanguine ferè omnes censent. Si verò sint propriè continuatæ aliis partibus, propriè non dicuntur subsistere in se, sed in toto; & hac ratione ab accidentibus quæ in eis insunt, solet interdum denominari totum, vt homo dicitur crispus, nihilominus tamen tota causalitas materialis quę ibi interuenit, exercetur per eam partem in qua accidens inhæret: & eadem durabit, si talis pars secundum totam suam substantiam separata conseruetur.

Quantitas an insit materiæ.

V. SOlùm ergo supereſt quæstio de materia prima, & de integra substantia composita ex materia & forma: nam de materia quæstio est an per se ipsam possit materialiter & immediatè causare aliquã formã accidentalem; quæ ferè coincidit cum communi quæstione, an & quomodo possit materia esse subiectum accidentiũ. Quæ vt breuiùs & distinctiùs tractetur, tota est reuocanda ad quantitatem, nam nũc non agimus de relationibus vel modis accidentalib. de quibus postea obiter dicemus, quia nihil ferè habent dubitationis, sed agimus de propriis formis accidentalib' realiter distinctis à substantia; inter quas primum locum obtinet quantitas, & aliæ insunt mediantè illa, vt dicemus sect. sequẽti. Vnde in quo subiecto fuerit quantitas, erunt reliquæ corporeæ qualitates.

Sententia negans quantitatem inesse materiæ.

VI. SVnt ergo in hac re duæ oppositæ sententiæ valde communes. Prima est dicentium, materiam per se non habere entitatem sufficientem ad causandum materialiter aliquod accidens, sed indigere priùs cõiunctione ad formam substantialem, vt ex vtraque resultet compositum, quod possit accidentia recipere. Hæc est opinio D. Thom. 1. p. quæst. 76. art. 6. & q. vnic. de spiritualib. creatur. art. 3. ad 18. & Alberti in summa de homine, 2. p. quæst. an nutritio fiat ex simili, art. 1. Durand. 1. distinct. 8. 2. p. quæst. 4. Capreol. in 2. distinct. 13. quæst. 1. conclus. 2. & 3. & distinct. 18. q. 1. conclus. 6. Caiet. de ente & essent. cap. 7. q. 16. Soncin. 8. Metaph. q. 7. & 15. 17. & 18. Ferr. 4. Contra Gentes cap. 81. q. 2. & 3. Soto 1. Physic. q. 7. Astudill. 1. de generat. Tribuiturque Aristoteli; quia 1. de generat. text. 23. dixit, generationem fieri ex materia, nullo sensibili manente: ex quo loco, & ex his, quæ Aristoteles subdit text 24. sumunt omnes huius sententiæ authores, in transmutatione substantiali nullum accidens manere in materia prima. Quod si ita fit, ob id vtique euenit, quòd materia non sufficiat sustentare accidentia, sed solùm compositum: & ideò pereunt corrupto composito: quod nulla ratione fieri posset, si materię primæ inhærerent. Secundò hoc confirmat, quod Arist. 1. Physic. text. 81. & 82. ait, materiam primam respicere per se primò substantialẽ formam. Tertiò, lib. 5. text. 8. & lib. 1. de gen. text. 24. differentiam constituit inter generationem, & alte-

D. Thom. Albert. Capreol. Heruæus. quodlib. 2. 4. to Iauel. 8. Metaph. Caiet. Soncin. Soto. Astudill. Testimonia Aristotelis pro relata sententia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rationem, vel augmẽtationem, quòd subiectum generationis est sola materia, quam dicit esse materiã simpliciter, alterationis verò, & augmẽtationis subiectum dicit esse substantiam integram, quam vocat materiam secundum quid. Quartò, 7. Metaph. tex. 8. ait materiam non esse quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid huiusmodi. Quintò 7. Metaph. tex. 4. & 12. Metaph. tex. 43. ait substantiam esse priorem natura accidente. Sextò in Prædicam. c. de substantia, dicit destructis primis substantiis, impossibile esse aliquid remanere: primæ autem substantiæ sunt substantiæ integræ simplices, aut compositæ.

VII. Rationes pro hac sententia adducuntur plures. Prima, quia materia est pura potentia, ita vt neque esse habeat, nisi illud mendicet à forma: ergo ex se est impotens ad sustentanda accidentia, nisi prius, saltẽ natura, coniungatur formæ, & ab illa esse recipiat. Probatur consequentia, tum quia esse secundũ quid, quod dat accidens, supponit esse simpliciter; tum etiam, quia nihil potest aliud sustentare, nisi prius in se subsistat; nihil autem subsistit in se, nisi quod habet esse actuale, & simpliciter. Secunda ratio, qua D. Thom. vtitur, quia materia est potentiã ad omnes B actus ordine quodam: ergo respicit substantialem formam, vt primum actum suum, ad quem per se primò ordinatur: accidentia verò vt actus secundarios consequentes primum. Probatur antecedens, quia non potest materia æquè primò respicere actus adeò diuersos; aliàs diuersas etiam species ab eis sumeret, esset{que} simul potentia substantialis, & accidentalis. Consequentia autem probatur, tum quia potentia substantialis primariò debet respicere substantialem actum, cùm ad illum per se primò ordinetur, & ab illo speciem sumat: ergo illum etiam debet priùs recipere: tum etiam, quia forma accidentalis comparatur ad substantialem, vt actus secũdus ad primum: actus autem secũdus semper supponit primum.

VIII. Tertia ratio est, nam si quod accidens esset in materia prima, maximè quantitas: sed hæc non: ergo. Maior recepta est ab omnibus, & constat ex dictis in principio. Minor probatur, quia quantitas est proprietas substantiæ corporeæ necessariò concomitans illam: non potest autem esse proprietas consequens materiam vt sic, sed formam: ergo non po- C test recipi in materia secundum se, sed vt informata forma, seu in composito. Probatur Minor, quia proprietas manat actiuè ab essentia, cuius est proprietas; non potest autem quantitas manare ab essentia materiæ vt sic: quia hæc dimanatio est aliqua efficientia; materia autem secundum se, nullam efficientiam habet, vt constat ex Aristotele 1. de Gener. text. 55. & libro secundo, text. 53. non ergo manat quantitas à materia, sed à substantia corporea, ratione formæ substantialis, vt est forma corporeitatis. Quod habet etiam optimam proportionem, tũ quia forma accidentalis, cùm sit actus informans, esse debet participatio formę substãtialis, potiùs quàm materiæ: tum etiam, quia forma substantialis, vt est forma corporeitatis, nullam aliam proprietatem habet, quæ ad illam consequatur, præter quantitatem. Et confirmatur, quia si quantitas priùs materiæ inesset, quàm substantialis forma, reciperetur forma substantialis in materia, media quantitate: propterea enim qualitates corporeæ insunt substantię, media quãtitate, quia supponũt illã in substantia. Consequens aũt est falsum, tum quia aliàs intimior, magisque proprius actus materię esset quantitas, quàm forma substantialis. Tum etiam, quia non posset fieri vnum per se ex materia & forma substantiali: vnirentur enim medio accidente: vnde potiùs ex materia & quantitate deberet fieri per se vnum: nam potẽtia potiùs facit vnum per se cum suo primo & immediato actu, quàm cum secundario, quem mediatè recipit: nec potest intelligi, quòd compositio entis per se fundetur in ente per accidens. Tum denique, quia aliàs non solùm materia, sed etiam quantitas esset principium materiale generationis substantialis. Secundò confirmatur eadem ratio, quia si quantitas esset in sola materia, esset ingenerabilis & incorruptibilis, sicut ipsa est, quod repugnat Aristoteli ponenti motum per se ad quantitatem. Sequela verò patet, quia non posset quantitas corrumpi ad corruptionem subiecti, quia materia est incorruptibilis: neq; etiam posset corrumpi à contrario, quia illud verè non habet, vt constat ex Aristotele in Prædicamentis, neq; etiam pẽdet ab alia causa, per cuius absentiam possit naturaliter desinere esse: ergo nullo modo posset quantitas corrumpi, & consequenter neque generari.

IX. Quarta ratio sit, quia non repugnat quantitatem & accidentia omnia corporalia recipi in toto composito, mediante forma: & hoc est magis consentaneum naturis rerum; ergo. Maior declaratur, quia non repugnat vnũ accidens recipi in substantia mediãte alio, vt cõstat de qualitate corporea, & de quãtitate, & inter qualitates ipsas reperitur interdũ hic ordo, vt patebit sect. sequenti; ergo multò magis reperiri potest inter substantialem actum, & accidentalem. Minor verò probatur, quia potentia ad recipiendum accidens est tantùm secundum quid; potentia autem materiæ ad recipiendam formam substantialem est potentia simpliciter: ergo est maximè consentaneum naturis rerum, vt hęc potentia materię priùs reducatur in actum simpliciter, qui solùm relinquat potentiam secundum quid; & illo mediante recipiat accidentia, quibus compositum actuetur quoad potentiam secundũ quid, quę in illo manet. Sic ergo videtur sufficienter probari, solam materiam non posse esse causam materialem alicuius entitatis accidentalis.

Sententia affirmans quantitatem inesse materiæ.

X. SEcunda sententia est, materiam primam ex vi suæ entitatis esse sufficientem causam materialem formarum accidentalium sibi proportionatarum; primò quidem & immediatè quantitatis, &, ea Auerroes. mediante, cæterarum. Hanc sententiam docuit Auerroes in libro, de substantia orbis, & 1. Physicor. comment. 63. & in epitome Metaph. tract. 2. cap. vltimo, qui dicit esse in materia dimensiones interminatas illi coæuas, & in re ipsa ingenerabiles & incorruptibiles, solùmque accidentaliter mutabiles. Per dimensiones autem interminatas nil aliud intelligit, quàm ipsam quantitatem, quę, quantum est ex parte materię, nec certam aliquam densitatem, nec raritatem, nec definitum terminũ magnitudinis, vel paruitatis, nec peculiarem aliquam figuram postulat; & ideò sicut materia de se informis dicitur, ita quantitas vt illi coęua, dicitur interminata, quamquam re ipsa semper habeat aliquem terminũ, iuxta exigentiam formę, vel actionem agentis; & iuxta hanc varietatem terminorum, figurarum, vel dispositionũ accidentaliter mutatur, quamuis in entitate sua eadẽ semper perseueret. Hanc etiam sententiã, quantum ad

Simplicius. Philopon. ad inhærentiam quantitatis in materia, tenuit Simplicius in 1. Physicor. text. 69. tribuitque Aristoteli, & Platoni; tenet etiam Philoponus 1. libro de generat. text. 33. & 46. vbi ait materiam dimensionibus affectam, esse generationis subiectum. Et Ammo- A quemcunque effectum proportionatum. Estque ad hominem optimum & valdè accommodatum exemplum, nem substantiale compositum pendet à suis naturalibus dispositionibus, nam, illis ablatis, dissoluitur; & tamen hoc non obstat, quin ipsum compositum secundum se sit materialis causa aliorũ accidentium. Imò, quod magis est, etiam ipsarum dispositionum est materialis causa ipsum compositũ, licet aliàs ab eis pẽdeat; quid ergo mirum, quòd materia, quamuis pendeat à forma, possit esse materialis causa accidentium? Accedit quòd, licet materia pendeat à forma, potest esse causa materialis eiusdem formæ; ergo quamuis pendeat à forma, poterit esse causa materialis quantitatis. Patet consequẽtia, quia maior videtur esse repugnantia inter illas duas habitudines dependentiæ & causalitatis respectu eiusdẽ, quàm respectu diuersorum.

Ammonius. & Thom.

Ex quo tandem roboratur ratio facta, nam materia prima habet in se sufficientem entitatem existentem & subsistentem, qua in se sustineat formas substantiales materiales: ergo etiam vt sustentet, seu materialiter causet quãtitatem. Probatur cõsequentia, tum quia non minùs, imò plus esse videtur sustẽtare formam substantialem; neq; ad id est minùs necessaria subsistentia, & existentia, vel actualis entitas: tum etiam, quia sicut materia dicitur pendere à forma, ita potest dici pendere à quantitate: ergo sicut hoc non obstat, quò minùs materia sustentet formã, ita etiam non obstabit, quò minùs sustentet quantitatem. Consequentia tenet à paritate rationis; & antecedens probatur, quia sicut non potest materia cõseruari sine forma, ita nec sine quantitate, adeò vt etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam faciliùs intelligi valeat materia sine forma, quàm sine quantitate, vt inferiùs ostendam. XIII.

Dices, materiam non posse simul esse materialem causam formæ substantialis, & quantitatis, imò hoc ipso quòd est substantialis potentia ad formam, esse improportionatam, vt simul sit potentia, seu materialis causa quantitatis. Sed hoc nullam ingerit difficultatem; quia sæpè accidit, vt vna causa plures habeat effectus, quorum vnus sit nobilior alio, vt eadẽ forma est principium dispositionum, vel proprietatum, quæ ab ea manant: & simul est principium generandi sibi simile: & in genere causæ formalis simul est causa sui compositi. Sic igitur nõ repugnabit materiam simul esse causam quantitatis vt proprietatis sibi connaturalis, & formæ vt principalis actus, ad quem natura sua ordinatur. Atque hoc faciliùs contingit, quando huiusmodi effectus sunt inter se ordinati, vt in præsenti sunt quantitas & forma: est enim quantitas veluti dispositio quædam materiæ, per quam fit aptum subiectum alterationis, & dispositionum, quibus accommodatur ad recipiendam formam substantialem. Vnde omnes authores, etiam qui priorem sententiam defendunt, fatentur materiam esse causam materialem formæ, & quantitatis, quamuis quidã dicant respectu formæ esse causam totalem in suo genere; respectu verò quantitatis solùm partialem, quia totum compositum est causa totalis. Alij verò etiam iuxta priorem sententiã concedunt materiam esse causam totalem in suo genere tam quantitatis, quàm formæ: hoc tamen ordine, vt priùs natura sit causa formæ, quàm quantitatis; non ergo est inconueniens, vt eadem materia sit causa materialis vtriusque. Et, quod ad ordinem attinet, magis consentaneum videtur, vt licet secundum ordinem perfectionis, & finis materia priùs respiciat XIIII. Diluitur obiectio.

Ec 2 formam

Scot. Aureol. Marsil. Ferrar. Argyrius. Zimara.

XI. Et huic sententiæ fauet Aristotel. multis in locis, B nam 7. Metaphys. text. 8. significat quantitatem primò inesse materiæ, & in 3. Physic. sentit, quantitatẽ esse proprietatem ipsius materiæ, & lib. 2. de generat. text. 6. sentit, dispositiones ad formas substantiales, & alterationem, quæ ad eas fit, proximè versari circa materiam; & lib. 1. de generat. & lib. 2. text. 27. ait accidentia, in quibus res genita conuenit cum corrupta, manere eadem. Potest etiam in hanc sententiam Plato adduci, qui in Timæo materiam, *magnum* & *paruum* appellauit, quòd ex se quantitatem habeat, indifferentem tamen ad magnitudinem, vel paruitatem. Rationes pro hac sententia partim Metaphysicæ sunt, partim Physicæ; ex vtrisque tamen integer discursus conflari debet, nam rationes Metaphysicæ probare videntur non repugnare ex parte materiæ, seu esse in ea sufficiens fundamentum entitatis, vt sustentet materialiter accidentia; Physicę autem rationes ostendunt id esse magis consentaneum tam fini seu muneri ad quod materia instituta est, quàm sensibilibus effectibus, quos experimur.

Loci Arist. proximè præcedente opinione.

XII. Primò igitur probatur, hanc causalitatem posse C conuenire materiæ, quia materia habet propriam entitatem actualem cum sua propria existentia, vt suprà dictum est, & propriam etiam subsistentiam partialem, vt infrà ostendetur; ergo ex hac parte habet sufficientem entitatem, vt sustẽtet aliquod accidens. Patet consequentia, quia quod in se subsistit, licet alioqui partialis entitas sit, potest sustentare accidentia sibi proportionata, vt paulò anteà de anima rationali dicebamus. Dicetur fortasse materiam dependere in suo esse à forma; & ex hac parte esse inferioris conditionis, quàm sit anima rationalis comparata ad materiam. Sed hoc non obstat, etiam si illã dependentiam admittamus, quam nõnulli negant, quia illa dependentia materiæ à forma non est, vt à vera & propria causa ipsius materiæ, sed vt à conditione quadam naturaliter necessaria, vt materia cõseruetur in esse: huiusmodi autem genus dependentiæ, quod est extrinsecum entitati materiæ, id est, superueniens illi, & non intrinsecè componens illam, nihil obstare potest, quò minùs entitas materię secundum se sit sufficiens ad sustentanda accidentia in genere causæ materialis; dependentia enim vnius causæ ab alia extrinseca in suo esse, nihil impedit quò minùs ipsa in suo genere sit sufficiens ad causandum

Universidad de Deusto
Biblioteca

formam,quàm quantitatem,tamen ordine executionis & generationis, priùs recipiat quãtitatẽ, quàm formam. Solet enim ordo executionis esse oppositus ordini intentionis. Quod etiam in præsenti necessarium est, cùm materia per quantitatem præparetur,& coaptetur ad formam. Et ideò etiam nõ impedit quòd materia sit potentia substantialis; nã sicut substantia potest esse capax accidẽtis; nõ per potentiam accidentalẽ,sed per se ipsam,quia concomitanter habet illam capacitatem ex vi suæ entitatis; ita potentia substãtialis, quæ talis est,quia per se primò est instituta ad recipiendum actum substantialẽ, potest concomitanter per se ipsam habere capacitatem ad recipiendam proprietatem, vel dispositionẽ accidentalem naturæ suæ consentaneam, & fini, ad quem instituta est,accommodatam.

XV. Ex his ergo satis demonstratum esse videtur ex parte materiæ non esse repugnantiam, neq; improportionem vllã, quin possit esse sufficiens causa materialis quantitatis. Quòd verò ita sit, inprimis videtur conuincere exemplum de humano corpore, in quo suppono non esse aliam substantialem formam, præter rationalem animam, quod in sequente B disputatione generaliter ôstendam,& in præcedenti ex parte probatum est. Suppono deinde, animam hominis esse spiritualem, & omnino indiuisibilem. Hinc ergo concluditur ratio, nam quantitas humani corporis nõ potest esse in eo, ratione totius compositi ex materia & forma; ergo est in sola materia: nam constat nõ esse in sola forma. Antecedens probatur,quia accidens quod est in toto composito, attingit simul sua vnione formam & materiã per modum vnius; at verò quantitas non potest vllo modo attingere rationalem animam, cùm hæc spiritualis sit: ergo non potest esse in toto composito humano, sed in sola materia.

XVI. Dicetur fortasse, non repugnare vt accidens materiale attingat sua vnione immaterialem formam vt informantem materiam, nam forma immaterialis attingit sua vnione ipsam materiam: cur ergo non poterit materiale accidens attingere huiusmodi formam? Item in vnione Verbi incarnati videmus corpus crassum & materiale habere vnionem terminatam ad supremum spirituale suppositum, quale est Verbum Dei:quid ergo mirum,quod quantitas ter- C minet vnionem suam ad infimum spiritum vt corpori vnitum?. Sed nihilominus hoc dici non potest, quia quantitas vnitur subiecto suo vt forma & actus eius:& idcò illi tantùm rei vniri potest, quæ est capax effectus formalis eius; anima autem rationalis nullo modo est capax effectus formalis quantitatis, quia non est capax extensionis quantitatiuæ, etiam dum informat corpus, non ergo potest vllo modo in se susc ipere nec totaliter,neq; partialiter quantitatem; neq; etiam potest vnio quãtitatis ad illam terminari, quia illa vnio non est nisi informatio; informatio autem terminari non potest nisi ad rem capacem effectus formalis. Vnde nulla est proportio in exemplis adductis, vt ex dictis constat.

Quantitas in nullo spiritu recipi potest.

XVII. Aliter responderi potest,hoc quidem argumento conuinci, quantitatem hominis recipi inhæsiuè in sola materia, non tamen probari,quod in tali materia non supponatur informatio humanæ formæ dãtis esse materiæ, & constituentis compositum,quod dicatur recipere & causare quantitatem, quamuis non per se primò, & secundum se totum illam recipiat, sed ratione alterius partis. Sed inprimis ex hac responsione sumo, solam materiam esse subiectum, A cui quantitas hominis inhæret, & consequenter illam solam esse causam materialem quantitatis; illa enim est causa materialis, ad quam terminatur vnio seu inhæsio formæ, quæ materialiter causatur; sed vnio, & inhæsio quantitatis corporis humani ad solam materiam terminatur, vt argumentum factũ probat, & in responsione conceditur: ergo materia per suam entitatẽ est sufficiens ad causandam materialiter quantitatem: vnde consequenter fit, in qualibet re habere eandem sufficientiam,& vim,quantũ est ex se. Et confirmari hoc, ac declarari potest ampliùs,nam cùm in homine sint materia & anima, inter materiam & animam est immediata vnio substãtialis: & inter quantitatem & materiam est etiã immediata vnio, licet accidentalis: inter quantitatẽ verò & animam nulla est immediata vnio, qua inter se vniantur,sed solùm per accidens vniũtur in vno tertio, scilicet materia: ergo sola materia est,quæ exercet munus causæ materialis respectu quãtitatis; quia hæc exercetur per immediatam vnionem ipsarum, vt suprà declaratum est.

Quamuis autem hoc satis esse videatur ad id quod XVIII. nunc intendimus, hinc tamen vlteriùs concludi potest, sine causa vel fundamento dici, vnionem materiæ ad animam esse priorem natura vnione eiusdem materiæ ad quantitatem: priorem (inquam) ordine generationis,nam de ordine perfectionis & finis,verissimum id est, nil tamen ad rem præsentem refert. Quòd autem altera prioritas nulla sit,probatur, quia inprimis anima nõ dat materiæ intrinsecum & proprium esse illius, sed supponit illud,vt materiæ vniri possit, vt sæpè dictum est: ergo ex hac parte non supponitur necessariò ordine naturæ vnio materiæ ad animam. Rursus neque sub aliqua alia ratione vnio ad animam, est causa vnionis ad quantitatem: ergo nullo modo est prior naturæ. Antecedens patet, quia non est causa in genere causæ materialis:ostensum est enim materiam per solam entitatem suam causare materialiter, seu recipere quantitatem. Neq; etiam est causa in genere causæ efficientis,quia neque altera vnio sit ab altera, vt per se notum videtur; neq; etiam ipsa anima quæ vnitur,est principium efficiens quantitatem sui corporis, quia nullum est indicium,nec sufficiens ratio huius efficientiæ, vt infrà generaliùs ostendam: & specialiter forma incorporea videtur valde improportionata, vt per se sit principium effectiuum corporeæ molis, & quantitatis. Nullo ergo modo antecedit vnio materiæ ad animam, vnionem materiæ ad quantitatẽ. Imò hæc videtur ordine naturæ supponi in genere causæ materialis, saltem tanquam conditio ex parte materiæ necessaria,vt possit materia esse subiectum aptum,tũ ad actionem, qua anima vnitur materiæ, tum etiam vt ipsa anima possit informare, & subire vicem formæ corporeitatis, extenso quodam modo informãs materiam, cùm ipsa in se maneat inextensa.

XIX. Atque hinc vlteriùs fit,vnionem materiæ ad quãtitatem etiam esse priorem natura, prout dicitur, in subsistendi consequentia: nam inprimis extra controuersiam est, vnionem materiæ ad animam non posse naturaliter esse, aut conseruari sine vnione ad quantitatem, non solùm, quia non potest naturaliter esse anima in materia carente omni quantitate, quod est euidentissimum: sed etiam, quia, perseuerante hac vnione huius materiæ ad hanc animam, non potest variari hæc quantitas in hac materia: nam quantitas nõ potest expelli directè ab alia quãtitate, quia omnes sunt similes, neq; vna quantitas habet

habet aliam contrariam,vel ita repugnantem,vt ex- A pellat eam ab eodem subiecto:ergo,manente eadem materia, & eodem cõposito totali vel partiali per vnionem ad eandem animam, non potest quantitas variari. Econuerso autem, etiamsi anima recedat,& alia forma adueniat,põt eadem quantitas in materia perseuerare: ergo vnio ad quantitatem est simpliciter priòr in subsistendi consequentia, atque ita sola materia erit propria causa materialis quantitatis. Consequentia est clara ex dictis, nec de illa est vlla controuersia: Antecedens verò à priori probari põt ex dictis, quia vnio ad quantitatem in nullo genere causæ pendet ab anima, vel ab informatione eius; & aliũde potest anima directè expelli à materia per introductionem alterius formæ repugnantis, & per mutationem aliarum dispositionum, quas necessariò postulat talis forma in materia quam informat: ergo nulla ratio reddi potest, cur recedente anima à materia,recedat quantitas, aut dissoluatur vnio eius cum materia: solùm enim corrũpitur vna res ad desitionem alterius,quando ab illa pendet. Et quamuis dici possit quantitas mediatè pẽdere ab anima, quatenus materia pendet ab illa, hæc tamen dependen- B tia sufficienter suppletur per subsequentem formã, quæ informando, & suo proprio esse actuando eandem numero materiam, sufficienter terminat depẽdentiam eius à forma: ergo nulla causa est,ob quam, recedente anima, recedat quantitas humani corporis. Quæ ratio eodem modo probat de omnibus accidentibus,quæ insunt corpori,media quantitate,& ab anima effectiuè non pendent.

XX. A posteriori verò idem probari potest,nam experimur in cadauere hominis statim post mortem eius manere eadem accidentia corporalia, quæ erant in homine viuo, exceptis illis facultatibus quæ sunt propriæ viuentium,ac propterea effectiuè ab anima pendent. Ad quam experientiam communiter responderi solet, illa accidentia videri eadem, non tamen esse, sed similia in specie, gradu, & modo,numero tamen diuersa. Quæ responsio admitti quidẽ posset,si & intercederet ratio,quę nos efficaciter cogeret ad sensum corrigendum, & reddi etiam posset sufficiens causa talium accidentium:neutrum autem hîc interuenit. Primum ostensum satis est ratione Metaphysica, qua tacitè euertimus fundamenta cõ- C trariæ sententiæ, quibus distinctiùs inferiùs satisfaciemus. Secundum autem probatur, quia si accidentia, quæ insunt cadaueri in instanti mortis, sunt numero distincta ab iis quæ erant in homine, necessaria erit aliqua causa efficiẽs, quæ illa de nouo producat in illo instante; hęc autem sæpè nulla interuenit; ergo. Minor inprimis probatur ab aliquibus de quantitate ipsa, quia non potest fieri ab alia quantitate,cùm quantitas non sit actiua; neq; etiam à qualitate,quia quãtitas est prior qualitate corporea;vnde non potest ab illa fieri,neq; etiam à forma substãtiali, tum quia hæc non est immediatè actiua,tum etiam quia nulla est forma substantialis communis omnibus rebus corporeis, cùm tamen quantitas omnibus sit communis. Accedit,quòd si quãtitas de nouo fieret in materia cadaueris, fieret in illa, vt priùs natura est non quanta, & indiuisibilis; quod inuoluit repugnantiam. Verùm hæ rationes non sunt efficaces, nam responderi potest quantitatem produci, vel comproduci potiùs ab agẽte extrinseco inducẽte formam; proximè verò esse ab ipsa forma introducta, per naturalem resultantiam,hoc enim modo non est inconueniens, formam immediatè efficere aliquod accidens, vt à forma aquæ emanat intensio frigoris, cùm se reducit ad pristinam frigiditatem. Neq; ad hoc esset necessariũ, vt omnia corpora haberent aliquã formã substantialẽ cõmunem, sed sufficere posset conuenientia omnium formarũ in ratione cõmuni formę substantialis. Neq; etiam est inconueniens,quòd quantitas comproducatur in materia, & ex materia priùs natura non quanta, nam in omni opinione necesse est fateri quantitatẽ aliquando fuisse productã,vel comproductam; & quacunq; ratione facta sit modo consentaneo suę naturę, necesse est factam esse in materia,& ex materia;ergo facta est ex materia vt priùs natura de se non quanta actu, quanta autem in potentia; & de se actu indiuisibili quantitatiuè, diuisibili autem in potentia. Hoc ergo non includit repugnantiam, quia illa indiuisibilitas quantitatiua non intelligitur actu, & quasi positiuè præcedere in materia, sed solùm quasi negatiuè, scilicet quia materia de se non habet actu illã diuisibilitatem,nisi per quantitatem conferatur; habet autem aptitudinem, quia habet entitatem aptã ad talem formam recipiendam, ad quod necesse est B vt ipsa materia ex se habeat quandam diuisibilitatẽ entitatiuã, quam infrà explicabo, tractando de quãtitate. Ad eundem ergo modum posset quantitas resultare ex forma cadaueris, & fieri ex materia sine repugnantia. De quantitate igitur nõ potest, vt existimo, efficaciter probari assumpta propositio,nisi aliunde supponatur,agentia naturalia nihil posse agere nisi in subiecto quantitatiuè extenso,& diuisibili;de qua ratione dicemus paulò inferiùs.

Igitur minor propositio superiùs assumpta præci- XXI. puè probatur de qualitatibus, quæ sæpè non habent causam efficientem à qua fiant, si eædem numero non manent; non enim fiunt per naturalem resultantiam à forma cadaueris, qui non sunt connaturales illi,imò sunt peregrinæ & extraneæ; vnde fit,vt breui tempore, paulatim amittantur, vt patet de calore, & similibus. Neque etiam fiunt ab extrinseco agente, quia interdum nullum est circumstans aut proximum agens, quod possit inducere tantum calorem, aut tale temperamentum, quale manet aliquo tempore in cadauere hominis, maximè quando mors est violenta per suffocationem, iugulationem, &c. in quo genere mortis vix inuenitur causa particularis quæ possit formam cadaueris inducere; & ad vniuersales interdum confugimus, quæ illam efficiant ob rationem vniuersalem, scilicet,ne materia maneat sine forma; de qualitatibus aũt similibus, cùm per se necessariæ non sint ad introductionem talis formæ, cui non sunt connaturales, non est cur à causis vniuersalibus per se,& propria actione fiant; proprię autem & particulares causæ sæpè nullæ sunt, vt inductione, & experientia constat. Nec denique dici potest, huiusmodi calorem, & alias qualitates fieri in eo instante ab spiritibus vitalibus, qui aliquo tempore manent, aut ab humoribus, præsertim sanguine; quia inprimis etiam de sanguine & spiritibus dubium est, an eadem anima informentur; vel saltem,an eorum formæ, quæ sunt quasi partiales,pendeant ex coniunctione ad animam, ita vt statim pereant, illa recedente, vnde multi existimant,sanguinem statim ac effluit à venis, & separatur à reliquo sanguine, qui manet in corpore, mutare formã substantialem, etiamsi retineat aliquo tempore calorẽ,& similia accidentia. Deinde, tempus quo durare posſũt huiusmodi spiritus,aut humores,est breuissimum, accidentia verò similia diutiùs permanẽt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ac deniq; non solùm in homine aut aliis animalib⁹, sed etiam in aliis rebus, manent similia accidentia, vt suprà ex Aristotele referebamus, etiamsi non sint intrinseca & connaturalia rei genitę, vt possint à forma eius dimanare, vt, v.g. si ex vapore humido, & nõ sũmè frigido, sed habente aliqualem calorem, per condensationem fiat aqua, non semper fit summè frigida & pura, sed retinet eundem calorem, non tamen est noua causa extrinseca à qua fiat, sed permanet idē calor, quia non potest tam citò expelli à forma aquę.

XXII. Et hinc sumitur etiam optimum ac generale argumentum, quia hæ qualitates intẽsibiles, & remissibiles, & habentes contrarium, si non manant ab intrinseca forma, sed per extrinsecam alterationem fiunt, non fiunt subitò in gradu intenso, sed paulatim, quia & intrinseca forma, & alia corpora circumstantia resistunt: sed videmus has qualitates manere in instanti mortis in magna intensione: ergo non est verisimile tunc subitò per se fieri per actionem extrinseci agentis; cùm ergo non fiant per intrinsecam dimanationem à forma cadaueris, signum est non tunc fieri, sed easdem numero manere. Dicunt aliqui non esse necessariam aliquam causam efficientem harum qualitatum, quia naturali sequela succedunt pereuntibus similibus qualitatibus. Sed in his verbis inuoluitur repugnantia: quid enim significatur nomine naturalis sequelæ? Aut enim successio necessaria vnius post aliud, aut naturalis dimanatio vnius ab alio. Si hoc posterius significetur, illamet dimanatio est quædam efficientia, & ideò repugnantia inuoluitur: & præterea ostensum est, nullũ esse principium vel formam, à qua fit talis dimanatio. Si verò dicatur priùs, oportet inprimis reddere rationem illius necessariæ successionis; nã quòd precesserit similis qualitas, non est ratio sufficiẽs vt necessariò similis succedat, si subiectum omnino mutatur, & quod succedit priori subiecto, non petit similem qualitatem. Et præterea omnis necessaria successio requirit causam efficientẽ: nam quod succedit alteri, fit de nouo: ergo ab aliquo fit: ergo vel per intrinsecam resultantiam, vel per extrinsecam efficientiã, nec potest aliter intelligi naturalis sequela. Cùm ergo interdum ac sæpè non intercedat talis causa intrinseca, vel extrinseca, signum est non esse ibi naturalem sequelam, sed durationem eiusdẽ numero dispositionis seu qualitatis. Quòd si eadẽ qualitas manet: ergo & quantitas, nam cùm talis qualitas insit, media quantitate, non posset eadem qualitas manere, si quantitas mutaretur.

XXIII. Præter hæc argumenta Physica, quæ ex corpore humano peculiariter sumpta sunt, quamuis nõnulla possint ad alias res extendi, sunt alia communia omnibus rebus generabilibus, quæ ex modo & ordine generationis naturalis desumuntur. Primùm enim materia de se est sufficiens subiectum generationis naturalis, quatenus esse potest per actionem agentis corporei, & naturalis: & aliunde est de se indifferens ad quamcunque formam, quæ per generationem induci possit: ex vtraque autem conditione intelligi potest, materiam habere ex se quantitatem coæuam, & non mutare, vel aliquo modo acquirere illam per generationem. Ex priori quidem, quia vt materia sit aptum subiectum respectu agentis corporei & extensi, necesse est vt ipsa præintelligatur corporata & extensa, quia agens corporeum prærequirit passum, extensum & corporeum, & localem ac quantitatiuam applicationem eius; imò & contactum, vt Philosophi communiter dicunt. Nec A satis est, quod in toto tempore alterationis præuiæ ad generationem, alteratio fiat circa subiectum quãtum, sed necesse etiam est vt idem contingat in instante intrinseco generationis, in quo est noua actio procedens etiam ab agente corporeo, & quanto: ergo subiectum quod supponitur illi actioni, etiam supponitur corporeum & quantum; non ergo fit quantum per illam actionẽ, nec immediate, nec mediatè: nam conditio necessaria ex parte subiecti vt possit officium subiecti exercere, non potest fieri ab agente supponente necessariò subiectum iam aptũ vt agere possit.

Responderi potest, ad actionem corporei agentis XXIII. satis esse, quòd toto tempore alterationis præcedentis supponat subiectum quantum, & in instante generationis ipsummet agens inducat formam talem, ad quam consequatur subiecti quantitas. Iuxta quam responsionem negandum est, extensionem aut contactum quantitatiuum esse in rigore conditionem præuiam, aut necessariò prærequisitam ad omnem actionem agentis naturalis: sed vel prærequisitam, vel concomitantem: ad actionem enim accidentalem & alterationem est prærequisita, quia B per alterationem non fit talis forma, ad quam consequatur quantitas, sed quæ potiùs quantitatẽ supponat: ad actionem autem substantialem negabitur esse conditionem prærequisitam in illomet instante, sed consequentem ordine naturæ, quia per illam actionem talis inducitur forma, quæ possit secum adducere quantitatem, & corporationem materiæ. Atque hoc modo solui potest argumentum Commentatoris, nimirum, materiã habere ex se quantitatem, qua in diuersas partes diuidatur, quia ordinata est vt sit subiectum diuersarum formarũ, quas non potest nisi in diuersis partibus recipere, quàm partiũ diuersitatem nõ habent nisi media quantitate. Vt enim omittam responderi posse, ad hoc satis esse entitatiuã partium distinctionem, quam materia ex se habet, & non formaliter per quãtitatem: ẽt dici potest, materiam à principio diuisã esse in varias partes, quia sub diuersis formis, & cõsequenter sub diuersis partibus quantitatis condita est. Postea verò in singulis generationibus, & corruptionibus hanc materiam conseruari distinctam ab aliis toto tempore præcedentis C alterationis, per quantitatem quam habet sub forma rei quæ corrumpitur: in instanti verò generationis per quantitatem, quam in eodem instante obtinet, mediante forma geniti.

XXIV. Sed licet hæc responsio apparens sit; tamen magis Philosophicum, magisque consentaneum corporalibus agentibus videtur, quòd in omni actione sua supponant subiectum quantum & diuisibile, & distinctum ab aliis, non solùm entitatiuè, sed etiam quantitatiuè, sibique propinquum seu applicatum propria & locali applicatione, quæ non sit nisi media quantitate. Et hoc maximè cõfirmatur ex altera cõditione materiæ, quæ est indifferentia ad plures formas: cùm enim ex se talis sit, vt determinatam formã recipiat, oportet vt ab agente priùs accommodetur & proximè disponatur ad talem formam: hæc autem accommodatio, & dispositio non fit nisi præuiis dispositionibus accidentalibus, quas necesse est in materia recipi, tum quia antecedunt formam ad quam disponunt: tum etiam quia Physica & naturalis dispositio proximè & immediatè esse debet in eo subiecto, quod disponit ac præparat: hæ autem dispositiones insunt subiecto, media quãtitate; ergo & quãtitas inest eidem materiæ.

Forma

Forma substantialis & dispositiones ad illam, quem ordinem in materia seruent.

XXVI. Prima responsio reiicitur. AD hanc rationem variæ dantur responsiones, quas necesse est proponere & examinare, vt simul hæc sententia confirmetur, &, si quæ est probabilis via, defendendi priorem sententiam, innotescat. Prima ergo responsio est, materiam sufficienter aptari & accommodari ad formam per dispositiones, quæ tempore, vel momento præcedunt introductionem substantialis formæ; nam licet in eo instanti in quo forma introducitur, omnes præcedentes dispositiones desinant esse, ita vt in eo momento iam non sint, nihilominus relinquunt materiam accommodatam, & sigillatam (vt aiunt) vt sit proximè capax talis formæ in specie & indiuiduo, potiùs quàm alterius. Hæc tamen responsio suprà, tractando de principio indiuiduationis, reiecta est, eò quòd illa sigillatio materię nihil esse possit in materia, si materia prorsus manet denudata priori quantitate, & qualitatib⁹ omnibus. Quòd autem immediatè antea tales qualitates in materia præcesserint, est sola denominatio extrinseca, quia in B materia nullam rem, nec realem modum relinquũt, iuxta hanc sententiam: non potest autem intelligi, quòd materia, quæ erat ex se indifferens, maneat dispositа per solam extrinsecam denominationem.

XXVII. Secunda responsio improbatur. Secunda responsio est, in eodem instanti generationis disponi materiam per vltimas dispositiones, & per eas præparari, & accommodari ad formam, & nihilominus non esse subiectiuè in materia, neque introduci in illam, nisi vt iam informatam substantiali forma, imò & consequi ex forma ipsa per naturalem dimanationem. Modus autem, quo hoc intelligi, aut fieri potest, declaratur ex illo principio Aristotelis: *Causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere.* Vnde fit, vt forma & vltima dispositio possint sibi inuicem esse causæ; nam calor vt octo, verbi gratia, est causa formæ ignis in genere dispositionis, quæ ad materialem causam reducitur: forma verò ignis est causa caloris vt octo in genere principij actiui, vel formalis. Quo fit, vt calor in suo genere sit prior natura, quàm forma, & vt sic intelligatur præcedere, disponendo & coaptando materiam ad for- C mam, quamuis in alio genere sit natura posterior, & vt sic, intelligatur subsequi formam, & subiectari in toto composito.

XXVIII. Contra hanc verò responsionem multa occurrunt, quibus (vt existimo) satisfacere difficile est. Primùm non intelligo, quo modo aliqua qualitas sit verè præparans & adaptans subiectum ad formã, & quòd effectiuè consequatur ipsam formam. Dico autem, *verè præparans & adaptans*, nam si esset tantùm dispositio ornans & perficiens, facilè intelligi posset consequens formam, & necessaria etiam ad naturalem conseruationem formæ: hic tamen agimus de dispositione præparante, quæ determinat, & quasi proximè limitat capacitatem subiecti: & consequenter etiam determinat agens ad talem formam introducendam: ergo fieri non potest, vt talis forma effectiuè sequatur ex forma introducta. Probatur consequentia, quia si dispositio fluit à forma immediatè, & forma ab agente: ergo agens simpliciter inchoat actionem suam ab introductione formæ, & non attingit actiuè dispositionem nisi per formam: ergo talis dispositio nullo modo determinat agens ad talem introductionem formæ, sed potiùs, mediante forma, determinatur agens ad A talem vltimam dispositionem efficiendam. Item, dispositio illa nullam causalitatem realem habere potest, nisi quatenus facta est: fit autem mediante forma: ergo non potest intelligi vt habens causalitatem realem circa ipsammet actionem, qua fit forma. Præterea, causa dispositiua non disponit, nisi informando, vt suprà declarauimus: vnde licet respectu termini, ad quem disponit, dicatur reduci ad causam materialem, tamen respectu subiecti quod disponit, re vera est causa formalis: si ergo hæc accidentia non informant materiam, quomodo disponunt illam? Item, si in genere causæ materialis dispositio illa est prior: ergo in eodem genere inest priùs, tum quia eius esse est inesse; tum etiam, quia non disponit, nisi inhærendo, & informando; si autem priùs natura inest, cui, quæso, inest? Non materię; quia si in reali durationе nõ inest materię, nullum genus causalitatis exercere potest, mediante tali inhærentia: ergo secundũ nullam prioritatem naturæ vel causalitatis potest verè concipi vt sic inhærens. Neq; etiam potest inhærere composito, prout exercet talem causalitatem, quia præparat ad compositum, & quia non disponit compositum, sed materiã, B quia illud disponit, cui inhæret.

XXIX. Præterea, si dispositio inhæret composito, necesse est formam substantialem antecedere in genere causæ materialis, & in genere præparationis & dispositionis ad ipsam formam accidentalem: ergo impossibile est, vt in eodem genere forma accidentalis antecedat. Consequentia patet, quia non potest circulus committi inter causas in eodem genere causalitatis. Et antecedens probatur, quia vel accidens inhæret toti composito per se primò: & sic partialiter inhæret formę substantiali; ergo antecedit forma substantialis in genere causæ materialis; vel accidens inhæret materię vt priùs informatæ forma substãtiali, & sic forma substãtialis saltem est medium, quo materia recipit quantitatem, & subsequentes dispositiones; ergo multò magis dici potest forma substantialis dispositio materiæ ad recipiendam quantitatem, & cæteras dispositiones, quàm econtrariò.

Ad hoc responderi solet, in forma substantiali esse gradus, & prout forma confert superiorem, & genericum gradum, complere subiectum dispositio- num subsequentis gradus: & ita non committi circulum in eodem genere causę inter eadem, secundũ eandem rationem: vt, verbi gratia, anima vt dat esse corporeum, complet subiectum receptiuum quantitatis, in quo subinde recipi possunt dispositiones ad gradum viuentis: & sic de subsequẽtibus. Sed hęc responsio mihi nunquam placere aut satisfacere potuit: tum quia illa distinctio formę secundum diuersos gradus est distinctio rationis per nostros conceptus præcisos aut confusos: ergo nihil referre potest ad realem causalitatem & inhæsionem accidentium in materia, vel composito; tum etiam, quia etiamsi loquamur de forma secundum primum gradũ formę substantialis dantis esse corporeum, introducit in materiam determinata forma & distincta à reliquis: non enim introducitur forma in communi: ergo antecedit dispositio præparans materiam: tũ præterea, quia forma quę corrumpitur, nõ priùs expellit sub gradu generico, quam specifico, nam est impossibile intelligere gradũ specificũ sine generico, quia hoc est quasi fundamentum illius: vnde si aliquis ordo deberet intercedere, inchoandum esset ab inferiorib⁹ gradibus: ergo nec forma opposita introducit priùs secundũ gradũ genericum, &c. Deniq; falsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est agens priùs disponere materiam ad gradũ generi- A cum: nam ignis v.g. non disponit ad formã elemẽti, nisi disponendo ad formam ignis, & sic de aliis.

XXX. Corrupta dispositio non potest instrumentaliter Physice inducere formam,

Vltimò solet fieri argumentum de ratione causæ efficientis, nam dispositio vltima effectiuè attingit eductionem seu introductionem formę, nam accidens in virtute substantiæ attingit effectionem eius: ergo non potest eadem dispositio effectiuè manare à forma, quam efficit. Respondent aliqui non dispositionem vltimam, quæ manet cum forma in instanti generationis, sed quæ immediatè antè præcessit, attingere effectiuè introductionem formæ, vt instrumentum eius. Sed hoc improbabile est, quia quod non est, non potest esse instrumentum agendi: illa autem dispositio in illo instanti iam non est, iuxta hanc sententiam. Quòd verò proximè præcesserit, non satis est, quia solum est extrinseca denominatio. Et licet sit naturalis sequela inter illam dispositionẽ & formam, necesse est vt illamet sequela sit ex vi alterius causæ efficientis: nam illa sequela non est dimanatio formæ à dispositione, cùm res non dimanet ab eo, quod iam non est, sed est solùm necessaria & immediata successio post talem dispositionẽ, quæ successio fundari necessariò debet in efficientia alicuius causæ, quæ vnum efficit immediatè post aliud. Melior responsio est nullam dispositionem receptam in passo, attingere effectiuè introductionẽ formę: quãdo autem dicitur accidens in virtute substantiæ attingere effectiuè substantiam, non esse intelligendũ de accidente quod recipitur in passo, vel effectũ, sed de facultate accidentali, quæ est in ipso agente, vt v.g. de calore qui est in igne, vel de virtute seminali, quæ est in semine. Sed licet hoc admittamus, inde sumitur non leue argumentum, nam instrumentũ naturale non attingit superiorem actionem principalis agentis, nisi prævia propria, & connaturali actione iuxta doctrinam D. Tho. 1. parte, quæst. 45. art. 5. infrà tractandam: ergo si ignis per calorẽ quem in se habet, attingit formam substantialem in instãti generationis, calor eiusdem ignis in eodem instãti agit prævia calefactione: ergo calor qui recipitur in passo tanquam vltima dispositio ad formam ignis, non manat effectiuè ab ipsa forma geniti, sed per ꝓpriam actionem fit à calore qui est in igne generante: aliàs potiùs actio qua educitur substantialis forma, esset prævia ad emanationem caloris qui est vltima dispositio, quàm econuerso. Nec verò dici potest quòd illa vltima dispositio simul fiat duobus modis, scilicet directè & immediatè à calore ignis per actionem prævium in genere causæ materialis, & rursus à forma ignis geniti per dimanationem naturalem, quia non potest naturaliter idem effectus simul fieri à pluribus causis, & actionibus totalibus ac per se sufficientibus: & quia secũdum alteram actionem prævium deberet dispositio illa fieri in materia, licet per aliam dimanationem dicatur fieri in cõposito.

XXXI. De tertia responsione fertur iudicium.

Tertia responsio ad principalem rationem, & probabilior est, in materia nullam per se, requiri dispositionem prævium: sed solùm per accidens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias. Vnde tota alteratio quæ antecedit instans generationis solùm ad hoc ordinatur vt in instante generationis materia maneat sine vlla repugnantia ad recipiendã actionem agentis perfectam, in materia autem sic relicta agens statim introducit suam formam substantialem absq; dispositione prævia, cum omnibus dispositionibus concomitantibus ipsam. Nec enim quia materia ex se est indifferẽs, necessaria illi est vltima dispositio prævia, quæ determinetur ad talem formam, quia est indifferens per vniuersalitatem seu integrã capacitatem cuiuscunq; formę: agens verò ex sua forma determinatur ad introducendam hanc formam in specie potiùs quàm aliam: & ex circumstantiis, vel concursu primę causę determinatur ad introducendam hanc numero formam. Quod à simili declaratur ex accidentali actione, nam lignum de se indifferens est ad calorem & frigus: si verò applicetur ignis, recipit calorem potiùs quàm frigus, non propter prævium dispositionẽ, sed propter determinationem & naturam agentis.

XXXII. Hæc responsio est quidem apparens: sed videtur parum consentanea communi doctrinæ Philosophorum, apud quos receptissima est distinctio materię in primam, & proximam, id est, pręparatam & vltimò dispositam ad determinatam formam: & econtrario dicere solent iidem, formam vnamquamque secundum propriam speciem, non respicere tantum materiam nudam, sed præparatam, & sibi accommodatam per connaturales dispositiones. Vnde & anima definitur, *quod sit actus corporis Physici, organici, &c.* Deinde nõ possunt omnes Physici effectus illo modo commodè saluari. Primò, quia iuxta illam sententiam agens perfectum semper efficeret ex quacunque materia effectum sibi perfectè similem in omnibus qualitatibus sibi connaturalibus, quia si priùs omnino denudat materiam, & relinquit illam sine vlla repugnantia, & in illa primò introducit suam formam perfectè sibi similem in natura specifica, necesse est vt ad illam formam necessariò consequãtur omnes qualitates & dispositiones ei connaturales, quia nihil est quod resistat formaliter in ipsa materia: videmus autem non ita accidere in naturalibus generationibus, sed multa substantialiter generari cum admistione peregrinarum qualitatum ob dispositionem vel impuritatem materiæ ex qua generatur. Secundò in agentibus æquiuocis non potest reddi sufficiens ratio ob quam determinentur ad introducendam vnam formam substantialẽ potiùs quàm aliam, vt, verbi gratia, quando Sol generat aurum, si in instanti quo introducit formam auri, reperit materiam nudam, & de se prorsus indifferentem, non potest ab illa determinari, nec verò ex se est determinatus, aliàs semper induceret talem formam in materiam indifferentem. Et in generatione hominis optimè etiam declaratur hæc difficultas, nam si in instanti in quo anima rationalis inducitur in corpus, tota materia corporis præintelligitur nuda omnibus dispositionibus, æquè indifferens est secũdum omnes partes suas vt anima eas informet hoc vel illo modo, & vt ex illa sequãtur hæ vel illæ dispositiones in hac vel illa parte materiæ; vnde ergo determinatur vt in hac parte potiùs vniatur hoc modo, quàm alio?

XXXIII. Solùm video posse responderi, esse hanc naturalem successionem rerum, vt post talem alterationem præcedentem sequatur talis forma, vel vnio formæ etiamsi materia de se sit indifferens, & virtus agentis eminentior. Ratio autem huius successionis necessariæ, solùm reddi potest, vel quia agens natura sua est determinatum ad agendum tali modo, vel quia res ipsæ sunt ita ex se coordinatæ. Veruntamen hæc responsio solùm est apta ad fugiendam difficultatem, nõ verò ad rem declarandam, & rationem eius reddendam. Maximè, quia tota alteratio quæ præcedit, iuxta hanc sententiam per accidens est ad tollen-

tollenda solùm impedimenta, quæ sunt ex parte pas- A si: ergo ordo & successio inter illam alterationem, & sequentem actionem non potest esse per se; neq; indesumi potest sufficiens ratio determinationis. Tertiò vrget ratio superiùs facta, saltem ad hominẽ, quia ignis vel Sol introducit formam medio calore, aut lumine, vt instrumẽto: ergo agit prævia calefactione, &c. Responderi verò similiter potest, agere prævia calefactione non in eodem instanti, sed prævia calefactione, quæ præcedit toto tempore ante instãs generationis. Quæ responsio eadem ratione non satisfacit, quia illa calefactio durationè anterior, solũ per accidens est prævia iuxta hanc sententiam, propter expellendam formam repugnantem. Vnde si fingeremus non esse necessariam calefactionem ad corrumpẽdum priùs subiectũ, sed alia via posse corrumpi, nihilominus in instãti generationis, ignis generaret ignem medio calore suo: ordo autẽ instrumenti in agendo prævia actione propriaest, per se, & non per accidens: ergo non debet esse solùm in actione quæ antecedit durationẽ, sed etiam in ipsomet instanti generationis.

In quatuor membra præsens quæstio diuiditur.

XXXIIII. FVndamenta posterioris sententiæ videntur sanè valde vrgentia, & aliquid conuincere, quod ad præsentem quæstionem maximè pertinet, aliquid verò satis probabiliter persuadere: quæ vt declarem, & sententiã meam aperiam, distinguo varias quæstiones quæ hìc inuoluuntur. Prima & in præsenti pręcipuè intenta est, an ratione proprij subiecti, & causæ materialis sola materia possit terminare dependẽtiam formæ accidentalis, ita vt proximè & adæquatè accidens inhæreat soli materiæ, etiamsi aliàs debeat esse informata forma substantiali, tanquam necessaria ad esse materiæ, non tamen vt concurrente simul in ratione subiecti, vel causę materialis ad esse formę accidentalis. Secunda quæstio est, si quantitas & alia accidentia quæ illi insunt, inhærent materiæ prædicto modo, an inde sequatur quantitatem esse coęuã materiæ, & manere eandem numero cum aliis accidentibus in genito & corrupto. Tertia quæstio est an in aliquo genere causæ dici possit formam priùs vniri materiæ, quam accidentia: & quomodo in variis opinionibus loquendum sit. Quarta quæstio esse potest, esto, inhærere possit quãtitas soli materię, an quando substantialis forma materialis est & extensa sicut materia, tunc quantitas immediatè etiam inhęreat toti composito per se primò, ita vt vtramque eius partem essentialem proximè attingat.

Quantitas interdum soli materiæ inhæret.

XXXV. DIco ergo primò, rationibus posteriori loco factis sufficienter conuinci, materiam esse posse, & de facto aliquando esse proprium subiectum, cui soli quantitas inhæret, quamuis non extra compositum substantiale: quod ab aliis dici solet materiam esse subiectum inhæsionis, quamuis totum cõpositum sit subiectũ denominationis: vel aliter, cõpositum esse quod recipit quantitatem, rationẽ verò recipiendi esse solam materiã: sicut totus homo denominatur intellectualis, & habere seu recipere intellectum, quamuis ratio recipiendi, seu subiectum inhæsionis sit sola anima. Et hæc cõclusio est authorum secundæ sententię, & non est contraria authoribus primę. Vnum excipio Durandum, qui diserte Durand. declarat contrarium sensum: solùm propter illã rationem quod materia est potentia pura, & ideò non pòt recipere actũ accidentalẽ sine substantiali. Quæ ratio solùm probat, actum substantialem exigi, vel ad summum præexigi ante actũ accidentalẽ: non verò quod ipsemet actus substantialis necessariò debeat concurrere materialiter ad recipiendũ accidens. Nec video quomodo Durãdus se expediat ab argumento facto de quantitate corporis humani: concedit enim ẽt animam rationalem concurrere proximè & immediatè cum materia ad recipiendam quãtitatem: negat tamen inde sequi animam participare effectum formalem quantitatis: quia pòt (inquit) forma recipi per se primò in composito ratione vtriusq; partis immediatè recipientis partialiter formam accidentalem; & nihilominus non cõferre suũ effectum formalem nisi alteri parti compositi. Quæ sanè est clara repugnantia, & implicatio in adiecto, vt variis modis superiùs declaratum, & probatũ est; nam recipere materialiter accidens, idem est quod informari accidẽte: ergo si partialiter recipit, partialiter informatur: implicat autem informari, & non B recipere informationem, iuxta modum informationis, scilicet vel totalis, vel partialis. Et confirmatur ac declaratur, nam reliquæ formæ substantiales hoc ipso, quòd informantur partialiter quantitate, recipiunt formalem effectum eius: ergo si rationalis anima etiam informatur partialiter, participabit cũdem effectum. Quòd si dicatur alias formas participare illum effectum, quia sunt capaces eius: nostram verò animam esse incapacem: hæc ipsa responsio cõuincit humanam animam non esse capacem proximè & immediatè receptionis partialis quantitatis, sicut sunt aliæ formæ substantiales. Hæc ergo ratio videtur conuincere assertionem positam.

XXXVI. Cui proximo subiecta actus inhærentes immanentes. Solùm potest obiici de actibus immanẽtibus sentiendi & amandi sensibiliter: qui sunt extensi, & cõsequenter immediatè in quantitate recepti: & tamen necesse est, vt immediatè informent, saltem partialiter, ipsam animam, aliàs quomodo constituerent animam videntem? nam homo certè non videt per corpus, sed per animam. Sed hæc obiectio longiorem postulat disputationem, pertinentem ad libros de Anima: nã multi propter eam causam putant, potentias etiam sensitiuas non distingui realiter ab anima, & actus ipsos sentiendi esse spirituales. & recipi immediatè in sola anima, quibus difficile est, vel colligere immortalitatem animæ ex operatione, vel euitare quò minùs idem sequatur in animabus brutorum. Alij dicunt, cognoscere & amare pręcipuè consistere in efficiendo actus illos: & ideò satis esse, quod anima actualiter immediatè in illos influat, quamuis eis proximè non informetur. Alij denique aiunt necessariam quidem esse efficientiam & receptionem, satis verò esse, quòd actus recipiantur in potentia & corpore, cui anima intimè ac formaliter coniuncta sit. Et ideò non tam propriè dicitur anima videre, sicut intelligere: sed homo totus est, qui per se primò videt, principaliter quidem per animam, instrumentaliter autem per corpus. Quid autem horũ verius sit, in proprio loco tractãdũ erit.

Quæ accidentia corrupti eadem numero maneant ingenito.

XXXVII. Quot modis possit accidẽs perire DIco secundò. Quamuis probabile sit naturaliter non manere eadem accidentia numero in re genita, quæ erant in corrupta, probabilius tamen videtur oppositum quoad quantitatem, & dispositio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sitiones, quæ vel ordinantur ad formam geniti, vel illi non repugnant, præsertim quando in sola materia priùs inhærebant. Cur addam hanc limitationem, constabit ex resolutione quartæ quæstionis propositæ. Hanc conclusionem (vt existimo) satis probant multa ex argumentis factis in secunda opinione. Et declaratur breuiter, supponendo, quod Caiet. notauit de ente & essent. c. 7. q. 17. quatuor tãtùm modis posse desinere accidens, scilicet vel ad corruptionem subiecti, vel per introductionem cõtrarij, vel per desitionem termini, vel per absentiam alterius causæ conseruantis. In præsenti ergo talia accidentia nõ possunt desinere ex defectu proprij subiecti cui inhærent: nam supponimus esse inhæsiuè in sola materia, quę non perit. Item, secundus modus corruptionis hic non habet locum, quia quantitas non habet contrarium, & licet qualitas illud habeat, supponimus tamen in casu, de quo loquimur, non introduci. De tertio etiam modo constat, nõ esse ad rem, quia est proprius relatiuorum. Superest ergo dicendum de quarto: nam si per absentiam formæ substantialis pereunt omnia accidentia compositi, & non ex defectu causæ materialis, quia supponimus, formam per se non immediatè concurrere, etiã partialiter, ad recipiendam quantitatem, necesse est vt forma habeat respectu accidentium aliquod aliud genus causalitatis, ratione cuius ex absentia talis causæ sequatur corruptio talium accidentium. Nam si accidentia non pendent à forma in aliquo genere causæ, non est cur pereant, recedente forma. Duob⁹ autem modis intelligi possunt pendere, scilicet in genere causæ formalis, vel efficientis.

XXXVIII. Accidẽtia in genere causæ formalis quomodo à forma substantiali pendeant.

Prior dependentia non potest esse immediata, sed mediata: forma enim substantialis non informat quantitatem vel alia accidentia, neque intelligi potest, quo alio modo immediatè circa illa exerceat munus causæ formalis: ergo non possunt accidentia pendere à forma immediatè in eo genere causæ. Mediata verò dependentia vera est, & facilè intelligitur, nam, quia accidentia proximè pendent à materia vt à subiecto, & materia pendet à forma in genere causæ formalis, fit, vt saltem mediatè quantitas pendeat à forma in genere causæ formalis. Hæc autem dependentia non satis est, vt, recedente forma, pereat quantitas, quia formæ quæ recedit, succedit C alia, quæ idem numero subiectum conseruat. Etenim sub hac ratione quantitas non alia de causa pẽdet à forma, nisi quia materia pendet: ergo si circa materiam illa dependentia satis suppletur per subsequentem formam, multò magis circa quantitatem. Et declaratur à simili, nam si materia effectiuè conseruaretur ab vno agente, & posteà desineret conseruari ab illo, & conseruaretur ab alio, nihilominus haberet eandem formam substantialem, & eadem accidentia in eo manerent, quia formæ & accidentibus impertinens est, quod materia conseruetur ab hoc, vel illo agente, aut hac vel illa actione: sed per se solùm est necessarium, vt eadem numero conseruetur: idem ergo est in præsenti. Imo, si Deus per absolutam potentiam conseruaret materiam sine forma, supplendo effectiuè formalem concursum formæ (quod infrà ostendemus fieri posse) quantum est ex vi huius dependentiæ manerent in materia omnia accidentia quæ in illa inhærent, quia ad illa solùm requiritur, quod materia conseruetur: quòd verò hac via, id est, mediante forma, vel per solam efficientiam superioris causæ, parum interest. Sicut in mysterio Eucharistiæ dicunt Theologi, conseruata quantitate absque substantia, sine nouo miraculo, in ea conseruari accidentia quæ illi inhærent: quia supponendo, quòd illi inhereant, solùm pendent à substantia mediatè, vt à sustentante quantitatem: vnde hocipso quod Deus supplet effectiuè sustentationẽ illam materialem, possunt eadem accidentia in quãtitate inhærere & conseruari. Propter hanc ergo solam mediatam dependentiam non destruentur accidentia, recedente forma.

Alius modus dependentiæ esse potest in genere causæ efficientis, qui est probabilis: omnino tamen incertus, nec vlla sufficienti ratione hactenus probatus, vt suprà ostendi, & ex solutionibus argumentorum ampliùs patebit. Nunc verò addo, etiam admissa illa dependentia effectiua immediata, non sequi, recedente forma substantiali, perire quãtitatem, Propter causam paulò antèà insinuatam, videlicet, quia illi causæ quæ recedit, alia similis succedit, sufficiens ad conseruandum eundem numero effectum absq; interruptione: quando autem causæ efficiẽtes ita sibi succedunt, non mutatur effectus, sed idem numero conseruatur. Hęc posterior propositio supponit B ex dicendis infrà de causa efficienti. Prior autem propositio probatur, quia licet forma substantialis, q̃ succedit alteri, sit specie diuersa, tamen in ratione causandi effectiuè quantitatem, in qualibet est sufficiens vis. Vnde etiam qui dicunt mutari quantitatem, fatentur ex forma succedente, quantumuis imperfecta, manere quantitatem omnino similem priori, & æquè perfectam: ergo multò maiori ratione habebit illa forma vim ad influendum in præexistentem quantitatem & conseruandam illam, nec potest reddi sufficiens ratio, cur in hoc effectu hoc magis repugnet, quàm in aliis. Nam licet posset aliquis dicere, eam efficientiam quæ est per naturalem resultantiam, esse adeò intrinsecam, vt non possit per successionem similis aut æqualis causæ cõtinuari (vt ita dicam) circa eandem proprietatem vel effectum: id tamen dicetur merè gratis ad effugiendam vim rationis; tum quia illa dimanatio quantumuis intrinseca dicatur, non transcendit causalitatem effectiuam; tum etiam quia qualiscunq; sit illa efficientia, alia similis succedit, & ibi non adiungitur alia connexio formalis, aut materialis, neque indiuidua- C tio quantitatis est per hanc formam: nihil ergo obstare potest, quò minùs per influxum similis formæ eadem quantitas conseruetur; ergo siue quantitas effectiuè dependeat à forma substantiali, vt est forma corporeitatis, siue non, hinc inferri non potest, mutari accidentia in alia similia numero distincta, mutata forma. Quòd si nulla causa sufficiens corruptionis assignatur, superfluè multiplicantur res, & introducitur tanta mutatio, vbi etiam sensus ipsi repugnare videntur. Omitto, hunc dicendi modũ fauorabiliorem (vt sic loquar) esse ad res aliquas Theologicas explicandas, vt est mysterium Eucharistiæ, & effectus, qui ex illo consequuntur, & veneratio reliquiarum, nam cùm contingamus quantitatem, & extrinseca accidentia, maior deuotio conciliatur circa corpora Sanctorum, si intelligamus, hanc eandẽ quantitatem, quam nos contingimus, fuisse in corpore viuo eiusdem Sancti.

Explicatur mutua dependentia, & prioritas inter quantitatem, & formam substantialem.

XL

Dico tertiò. In aliquo genere causæ verum est, compositum substantiale, ac vnionem formæ cum

XXXIX. Accidentia in genere efficientis pro substantiali forma pendeant.

cum materia esse priùs natura quantitate, & aliis accidentibus: licet in alio genere sint posteriùs. Hæc assertio in primis põt probari hac generali ratione, quod forma substantialis quantitatem requirit in materia: & econtrario, accidentia habent aliquam dependentiam à composito, & à forma: sed omnis dependentia secum affert aliquam prioritatem naturæ: ergo. Maior patet ex dictis, nam saltem oportet esse dependentiam mediatam, quatenus materia pẽdet à composito & à forma. Modus autẽ in particulari declarandi, & defendendi hoc genus causalitatis varius esse potest, iuxta varios modos attribuendi formæ causalitatem in quantitatem. Ex quibus ille facilior est & clarior, & in rigore sufficiens, iuxta quẽ forma dicitur supponere quantitatem vt præparationem materiæ: eiusq; prioritatem reduci ad genus causæ materialis: quantitatem verò pendere à forma solùm mediatè in genere causæ formalis. Vnde, sicut materia & forma ad inuicem pendent, & sunt priùs, & posteriùs in suis generibus sine repugnantia; ita similiter se habere possunt quantitas & forma substantialis: & eadem ratione, sicut materia licet pẽdeat à forma, & sub ea ratione dicatur posterior illa, nihilominus potest manere sub forma distincta: ita idem proportionaliter est in quantitate.

XLI. Res aliqua prior natura esse potest quam ea, qua est posterior duratione.

Ex quo etiam obiter intelligitur non repugnare eandem rem esse priorem duratione quàm aliam, & posteriorem natura in aliquo genere causæ: loquor de eadem re materialiter (vt ita dicam) & non formaliter, quatenus effectus est alterius: sic. n. materia huius ligni, v. g. absolutè prior duratione est, quam forma ligni, fuit enim creata à principio mũdi, & ex tunc habet esse; nunc autem quatenus pẽdet ab hac forma, est natura posterior illa. Similiter, si vnum lumen priùs productum à præcedente luminoso, conseruetur ab alio posteà creato, tale lumen est priùs tempore sua causa conseruante; quamdiu verò ab ea conseruatur, sub hac ratione est natura posterius: & vt tempore antecessit: non fuit effectus talis causæ: & ideò illa temporalis antecessio per accidens se habet ad causalitatem vel ordinem naturæ posteà subsecutum: & propterea non repugnat eandem rem quę nũc est natura posterior, tempore antecessisse: nam per se solùm necessarium est vt effectus natura posterior, ex quo cœpit esse effectus seu quaten⁹ effectus est, nõ sit tempore prior sua causa à qua pẽdet per influxũ realem: quod addo, vt finalem causam excludam. Ad hũc ergo modũ Philosophãdũ est de quãtitate, & forma substantiali: põt enim quantitas dici posterior natura substãciali forma, quatenus ab ea pendet modo suprà dicto, & nihilominus esse tẽpore anterior hac vel illa forma. Quapropter nullã vim habet illa ratiocinatio: compositum substantiale est priùs natura quàm accidentale, & forma substantialis, quàm quantitas: ergo quantitas nõ inhæret materiæ: ergo recedẽte hac forma, perit hęc quãtitas. Negatur enim vtraq; illatio, quia cum posteritate naturæ potest esse prioritas temporis: & quia quod vna ratione est prius, potest alia esse posterius.

XLII. Atque hic modus est facilis, vt dixi, & in rigore sufficiens: potest autem alius excogitari ad explicãdum hunc mutuum ordinem inter quantitatem & formam, vt nimirum altera respectu alterius sit conditio necessaria vt materia illas possit recipere; nam materia non potest recipere naturaliter formam nisi sit extensa, neque quantitatem nisi sit terminata per formam: atque hac de causa possunt ad inuicem dependere quantitas & forma sub diuersis rationib. A materialibus. Nam licet forma respectu materiæ sit causa formalis, respectu tamen quantitatis reducit ad materialem, iuxta hunc dicendi modum, quia est veluti dispositio materiæ, vt possit quantitatem sustentare. Nec est inconueniens quod dispositiones diuersarum rationum habeant inter se hanc mutuã dependentiã, tum quia ordinantur ad diuersos effectus formales, qui ex diuersis capitibus sunt necessarij subiecto, tum præcipuè, quia non habent illum mutuũ ordinẽ inter se immediatè, sed respectu subiecti, ad cuius esse sunt necessariæ. Exemplũ esse põt in calore, & siccitate ignis: vtraq; .n. qualitas est necessaria dispositio ad conseruationem ignis: vnde & calor dici põt necessaria dispositio ad siccitatem, & siccitas ad calorem ignis: quia illa necessitas nõ orit ex ipsis qualitatibus secundum se, sed quatenus vtraq; necessaria est ad conseruationem talis subiecti. Hæc tamen mutua dependentia quantitatis & formę, non impedit quò minùs quãtitas & possit inhærere materiæ, & possit manere mutata forma: quia per se non requirit hanc vel illam formam, sed absolutè substantialem formam. Addo etiam, in huiusB modi mutua dependentia prioritatem ipsam naturę, esse diuersę rationis in vtroq; extremo: nam in quantitate est via originis & executionis, ac præparationis materiæ, in forma verò est via perfectionis, intentionis, & vltimæ terminationis materiæ. Et hac etiam ratione faciliùs intelligitur posse mutari formam, manente eadem quantitate in materia. Atque ita posset etiã hæc mutua prioritas explicari per habitudinem causæ finalis & materialis, vt ex dictis facilè constat. Denique à multis explicatur per habitudinem causæ materialis & efficientis, quia quantitas materialiter comparatur ad formam per modum dispositionis: forma verò ad quantitatem efficiẽter. Hic verò modus in se est difficilior propter ea quæ dixi inter arguendum pro secunda sententia: erit tamen intelligibilior, si quantitas non ponatur vt dispositio præparans, sed tantùm vt conseruans & fouens. Et, hoc etiam posito, non obstat, quòd minùs quantitas inhæreat materiæ, & in ea manere possit, mutata forma, quia potest quantitas manare à forma in materiam, & per varias formas eadem conseruari, vt suprà explicatum est. Mihi tamẽ priores modi probabiliores videntur, & omnibus difficultatib⁹ C sufficienter satisfacere.

Probabilius est quantitatem semper inhærere soli materiæ.

XLIII. Dico quartò. In compositis substantialibus ex materia & forma extensa, probabile est habere quantitatem peculiarem vnionem cum forma, seu in illa immediatè recipi partialiter simul cum materia: probabilius tamen est oppositum, id est, eodem modo Philosophandum esse de omnibus substantiis materialibus. Est in his formis specialis ratio dubitandi, quia hæ formæ extensæ participant effectum formalem quantitatis: nam coextenduntur illi, & partes earum non possunt naturaliter se se loco penetrare propter quantitatem: ergo necessarium videtur, vt quantitas longè aliter eis vniatur, quam animæ rationali: ergo vnitur eis proximè & immediatè: vnitur autem per modum accidentalis formæ, & dando suum effectum formalem iuxta capacitatem passi: ergo inhæret illis, & recipitur in illis partialiter. Et cõfirmatur, nã ex negatione formalis effectus quãtitatis in anima rationali, inferebamus negationem proximæ vnionis, & partialis inhærẽtię: ergo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ergo ex opposita affirmatione, contraria etiam affirmatio recte colligitur; ideò enim ad negationem sequitur negatio, quia ad affirmationem requiritur affirmatio. Tandem confirmatur, quia duob⁹ tantùm modis potest aliqua res participare effectum quantitatis, scilicet, vel quia recipit quantitatem, vel quia recipitur in quantitate, vt calor vel color: sed forma substantialis non participat effectũ quantitatis hoc posteriori modo, quia non potest ipsa recipi in quãtitate: ergo oportet vt fiat priori modo. Maior patet, quia nisi altero ex illis duobus modis coniungãtur quantitas & res quæ quantificatur (vt sic dicam) nõ vnientur per se & immediatè, sed tantũ per accidẽs, quatenus vniuntur eidem subiecto; hoc autem non satis est, vt vna participet effectum alterius, vt patet in anima rationali, & in accidentibus: nam licet albedo, & dulcedo in eodem subiecto vniantur, albedo non fit dulcis, nec dulcedo alba. Propter has ergo rationes videtur probabile, esse singulare in homine, quod quantitas in sola materia inhæreat, quod licet verum esset, non repugnaret his quę hactenus diximus de causalitate materię respectu accidentium: solùm enim dictum est materiam ex se posse per suã entitatem solam exercere hanc causalitatem sine adminiculo formę (vt sic dicam) conrecipientis accidens: nunc verò probabiliter addimus, compositum posse per se primò & adæquatè exercere hanc causalitatem immediatè circa quãtitatem, & mediatè circa accidentia, quæ insunt quantitati: vnde concluditur, materiam interdum per se solam, interdũ simul cum forma exercere hanc causalitatem.

XLIV. Ad persuadendam autem alteram assertionis partem, quã dicimus oppositum esse probabilius, interrogandum occurrit inxta dictam sententiam, si quãtitas inest immediatè alicui composito materiali, ita vt proximè vniatur formę & materiæ partialiter, an in quantitate sit vna indiuisibilis vnio ad materiam & formam, an verò sit vna composita ex duabus partialibus. Nam, quod sit indiuisibilis, videtur ex eo probari, quòd res quæ vnitur, indiuisibilis est: non enim nunc consideramus in quantitate diuisibilitatẽ partium integrantium, sed indiuisibilitatem quam habet in ratione formæ: nam comparando totã quãtitatem, & singulas partes eius ad subiectum, eadem entitas quantitatis quæ vnitur materiæ, vnitur formæ, & econtrario: & hoc sensu dicimus illam esse indiuisibilem in ratione formæ: ergo vnio est indiuisibilis, licet res ad quam terminatur vnio, composita sit. Patet consequentia, tum quia vnio, cum sit mod⁹ formæ quæ vnitur, debet esse illi proportionata & accommodata, tum etiam quia per eam vnionem indiuisibiliter vnitur quantitas composito, & vtriq; parti eius. Et confirmatur, nam in causalitate effectiua, quando effectus procedit à duabus causis per se, vel partialibus in vno ordine, vel totalibus in diuersis, vnica indiuisibili actione manat effectus ab vtraque causa: ergo in genere causæ materialis quantitas, quæ est adequatè in toto composito, & partialiter in materia & forma, eadem indiuisibili vnione ab vtraque pendet.

XLV. In contrarium verò est, quia illa vnio quantitatis ad materiam potest conseruari, etiamsi dissoluatur vnio ad hanc formam: ergo nõ est vna & indiuisibilis vnio; nam quod indiuisibile est, non potest ex parte manere, & ex parte corrumpi: pugnat enim hoc cum indiuisibilitate. Vnde, quando effectus per eandem actionem indiuisibilem pendet à duabus causis, nõ potest illa actio conseruari respectu vnius causæ, & cessare respectu alterius: quomodo enim diuidetur, quod indiuisibile est. Primum verò antecedens probatur, quia materia de se sufficiens est ad sustinendã quantitatẽ, vt suprà est ostensum: ergo de se est sufficiens terminus vnionis quantitatis ad ipsam: ergo quamuis dissoluatur vnio ad formam, si materia in rerum natura manet, conseruabitur vnio ad ipsam: vt, verbi gratia, si Deus, ablata forma, conseruaret materiam, supplendo effectiuè concursum formæ, sine nouo miraculo conseruaretur vnio quantitatis ad materiam; propter dictam rationem, & tamẽ, ablata forma, necesse est auferri vnionem ad ipsam: ergo necesse est illas vniones esse saltem partialiter distinctas. Item, de facto in homine conseruatur vnio quantitatis ad materiã sine immediata vnione eiusdem quantitatis ad formã: ergo pari ratione in quolibet alio corpore potest manere eadem vnio quantitatis ad materiam, dissoluta vel mutata vnione ad formam. Neque enim verisimile est, vnionẽ quantitatis ad materiam esse maiorem, vel alterius rationis in homine, quàm in aliis substantiis: quia nõ habet maiorem, vel diuersum effectum formalem in corpore hominis, quàm in aliis corporibus: ergo nõ magis inhæret illi, aut diuerso modo. Denique aliàs necesse esset, mutata forma, mutari totam vnionem quantitatis ad subiectum suum, quia si est indiuisibilis, non potest minui aut augeri, aut in vna parte mutari, & in alia manere: sed aut tota manere debet, aut tota mutari: non potest autem tota manere, si est indiuisibilis, & peculiari modo, ac immediatè ad formam materialem terminatur, quia si forma quæ recedit, est materialis, iam tollitur vnio ad ipsam: si verò forma quæ recedit, est immaterialis, necesse est vt illi succedat materialis forma, cui quantitas peculiariter vnietur, quod non posset fieri per augmentũ vnionis, si vnio est indiuisibilis: ergo erit per mutationem totius vnionis: ergo quoties forma mutatur, necessariò mutanda est tota vnio quantitatis: ergo & quantitas ipsa, quia non potest quantitas mutari de subiecto in subiectum, nec conseruari eadem, mutatã inhæsione: ostendimus autem probabilius esse, non necessariò mutari quantitatem, mutata forma: ergo.

XLVI. Quantitas materię & formæ non simpliciter vnoeadem. Propter hæc ergo probabiliùs videtur, non vniri quantitatem materiæ & formæ vna & indiuisibili vnione. Neque enim verisimile est, vnionem quantitatis ad materiam esse diuersæ rationis in homine, ac in aliis rebus: quia de vnione non possumus iudicare, nisi ex termino & effectu ipsius: hic autẽ est eiusdem rationis in materia hominis, & aliarum rerum: si ergo illa vnio in homine non dicit habitudinẽ essentialiter & indiuisibiliter ad duas res, neque etiam in aliis rebus illam includet. Quapropter si in aliis rebus quantitas peculiari modo vnitur formis, id fit per augmentum vnionis, addendo scilicet peculiarẽ seu partialem vnionem ad formam.

XLVII. Forma substantialis & quantitas non immediatè vniuntur. Formæ inhærentes subiecto quanto, qualiter extendantur. Ex hoc verò vlteriùs infero probationem posterioris partis conclusionis, scilicet probabilius esse etiam in rebus omnino materialibus non intercedere specialem vnionem partialem inter formã, & quantitatem. Probatur primò, quia in omnibus reb⁹ quãtitas vnitur materiæ vt causæ totali, & sufficienti in genere causæ materialis: ergo non vnitur alteri rei in eodem genere causæ. Antecedens probatur quia in homine vnitur quantitas materiæ vt causæ totali in illo genere; sed illa vnio est eiusdem rationis & perfectionis in aliis rebus: ergo. Item, quia materia de se est sufficiẽs vt sit totalis causa, & in suo genere necessãrio & naturaliter causat, quantum potest: ergo in qualibet re ita causat, & vnitur quãtitati per modum sufficientis, & totalis causæ. Tandẽ, quia quando materia transmutatur à forma hominis ad formam cadaueris, non est verisimile diminui in illa causalitatem circa quantitatem: &, vt dicebam, non posset satis intelligi illa diminutio sine transmutatione ipsiusmet quantitatis. Prima verò consequentia probatur, quia vnius effectus tantùm potest dari vna causa totalis in quolibet genere & ordine: si ergo materia est sufficiens, & totalis causa per modum subiecti inhæsionis quantitatis, superfluum est fingere; quod aliquid aliud concurrat proximè in eodem genere causæ. Item, quia vnio quantitatis ad materiam est in sua specie integra & totalis, vt patet in homine: ergo non potest coniungi cum alia vnione partiali ad componendam vnam integram vnionem. Tandem, quia quantitas est proprietas intrinseca substantiæ corporeæ: ergo natura sua dicit definitam habitudinem ad aliquod subiectum inhæsionis sibi connaturale & proportionatum: ergo vel illud semper est materia, vel semper compositum: neque enim intelligi potest, quod indifferenter, & quasi sub distinctione respiciat vtrumque, cùm habitudo eius sit simplex & vnius rationis, & determinet subiectum seu terminum sibi proportionatum. Si ergo hoc subiectum sit totum compositum, erit quantitas in homine præternaturali modo, & quasi inadæquato: si verò habitudo transcendentalis quantitatis est ad materiam, vt ad proprium & adæquatum subiectum inhæsionis, semper & vbique quantitas est in sola materia, vt in tali subiecto.

XLVIII. Et confirmatur, soluendo rationem in oppositum; quia, vt forma materialis sit suo modo extensa, & quanta, non est necesse vt quantitati subiiciatur, sed satis est, quod rei quantæ inhæreat, non inhærendo ipsi quæntitati, sed rei per se primò quantificatæ per quantitatem se illi coaptando, & coextendendo: quod est manifestum in aliquib. formis, aut modis accidentalibus, vt sect. sequen. tractabimus. Et à priori declaratur breuiter, supponendo, quòd distinctio partium quoad entitatem, neq; in materia, neq; in forma, prouenit formaliter à quantitate, sed supponitur potiùs in vnaquaq; entitate ex sua intrinseca natura, & gradu perfectionis, & in materia est veluti primum fundamentum, & aptitudo ad quantitatem. Formæ igitur materiales natura sua habent cõstare ex partibus entitatiuis (in quo differunt ab anima rationali) quod non habent à quantitate, sed ex sua specifica & essentiali ratione, quia non transcendunt talem gradum perfectionis & quia sunt educibiles de potentia materiæ, à qua in esse & fieri pendent. Ex hac verò natura in eis consequitur, vt quando vniuntur materiæ, coextendãtur illi extensione entitatiua (vt ita dicam) id est, quòd vniantur vni parti materiæ per vnam partem suam, & alteri per aliam, &c. quã extensionem non habent formaliter per quantitatem, sed per entitatem suam. Vnde, si Deus conseruaret substantiam materialem sine quantitate, manerent forma & materia vnitæ cum prædicta extensione, seu entitatiua partium distinctione. Ex hoc autem vlterius prouenit, quod cùm materia est affecta quantitate, & ratione illius, partes eius sunt impenetrabiles in ordine ad locum, materialis forma, quæ tali materiæ coextenditur, hoc ipso participet illam conditionem quantitatis, non ratione sui, sed ratione subiecti: nam, quia partes formę inseparabiliter adhærent partibus materiæ quantæ, necesse est, vt sint impenetrabiles inter se, vel cum alia simili forma, sicut sunt partes ipsius materiæ: ergo propter hunc modum essendi talium formarum non est necesse quãtitatem immediatè inhærere tali formæ, vt partiali subiecto. Vnde ad argumentum in forma respondetur, esse quantum per accidens, non esse effectum formalem qaantitatis, sed solùm esse quantũ per se primò, nam etiam motus & tempus sunt quanta per accidens, ratione subiecti, vel spatij, idq; magis patebit ex solutione secundæ confirmationis.

Ad primam ergo respondetur, si sit sermo de proprio & rigoroso effectu formali quantitatis, neq; in formis materialibus, neq; in accidentalibus habere quantitatem hunc effectum; si verò latiùs dicatur effectus quantitatis quælibet extensio corporalis, sic negatur consequentia. Nam licet ex eo, quod anima rationalis non habet extensionem per se, vel per accidens, rectè inferatur non vniri immediatè quantitati per modum subiecti, tamen illa negatio non est adæquata ratio, & ideò ex opposita affirmatione, quantum ad extensionem per accidens, non rectè infertur, formas materiales habere prædictam vnionem ad quantitatem. XLIX.

L. Vt ad secundam confirmationem respondeam, in primis ex ea sumo, quantificationẽ (vt ita loquar) formarum, vel qualitatum corporalium non pertinere ad effectum formalem quantitatis, nam interdum resultat hic effectus, seu conditio ex quantitate, non vt ex forma, sed vt ex subiecto: quantitas autem non dat suum effectum formalem, vt exercet munus subiecti, sed vt est forma inhærens: nam priori ratione potiùs ipsa recipit formalem effectum, dum fit alba, &c. Igitur, quòd albedo quantitati inhærens, suo modo quantificetur, non est per informationem seu causalitatem formalem quantitatis, sed est conditio & denominatio, quam participat à subiecto suo, in quo inhærendo, ei coextenditur; nam inde fit, vt partes formæ ita inter se distent, vel impenetrabiles sint, sicut partes subiecti. Hinc ergo vlteriùs dicitur, illis duobus membris in argumento positis addendum esse tertium, vel potiùs secundum subdiuidendum esse, nam potest forma extendi ad extensionem subiecti, vel quia recipitur in quantitate, vel quia recipitur in re extensa per quãtitatem, vt declaratum est, & magis constabit ex dicendis sectione sequenti.

Soluuntur argumenta prioris sententiæ.

LI. Quid Aristoteles de hoc senserit. SVpereſt respondeamus argumentis prioris sententiæ: & primùm ad Aristotelem respondetur generaliter, quamuis sæpè dixerit substantiam seu ens actu esse subiectum accidentium, nunquam tamen explicuisse, quòd per se primò sit subiectum ratione totius compositi. Potest autem simpliciter tribui composito quod recipiat accidentia, quamuis non per se ipsum, sed per partem illa recipiat. Neque etiam vnquam dixit apertè, perire omnia accidentia corrupta substantia, quin potiùs sæpè significat, aliquando manere eandem affectionem in re genita, quæ fuit in corrupta; quamuis (vt verum fatear) etiam non dixit expresè esse eandem numero, & potest exponi de eadem in specie, ipse verò absolutè de identitate loquitur, vt patet primo de Generat. textu vigesimo quarto, & certè in qualitatibus non dicitur eadem, quæ est numero

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuersa, sed similis. Deinde respondetur ad singula testimonia.

LII. Aristotelis testimonia in oppositũ inducta explicantur.

Primum erat ex 1. de Generat. vbi constituens differentiam inter generationem & alterationem, ait in generatione non manere subiectum sensibile: & inferiùs ait tunc esse generationem substantialem quando nullum sensibile manet vt subiectum. Respondetur tamen per *subiectum sensibile* intelligere Aristotelem substantiale compositum, quod solet communiter appellari substantia sensibilis. Vnde idem est dicere *subiectum sensibile*, quod suppositum sensibile: illud enim est in quo principaliter sunt accidentia, & de quo prædicantur: quando ergo in transmutatione manet huiusmodi subiectum secũdum idem nomen, & eandem rationem, solùm facta est alteratio: quando verò tale subiectum non manet, fit substantialis corruptio, & generatio. Malè ergo quidam exponunt, *nullo sensibili manente*, id est, nulla qualitate, vel accidente sensibili manente, cùm idem Aristoteles expresè addiderit, *Nullo sensibili manente vt subiecto*, scilicet integro & completo. In text. autem 24. non dicit Aristoteles, in substantiali B corruptione mutari omnia accidentia: sed potiùs ait; quando in genito & corrupto manet integra eadem affectio, vt eadem frigiditas, vel perspicuitas in aqua, & aere ex illa generato, non esse existimandum frigidum, aut perspicuum esse aliquod commune subiectum, cuius affectiones sint esse aquam, aut esse aerem, alioqui (inquit) solùm facta esset alteratio: fit enim alteratio, quotiescunq; quod transmutatur, est passio eius quod permanet. Atque ita exponit illum locum Diuus Thomas. Ex qua expositione potiùs habetur posse fieri transmutationem substantialem in subiecto, quamuis maneat eadem affectio.

LIII. Secundum testimonium ex 1. Physic. nil obstat, fatemur enim materiam respicere per se primò substantialem formam, quia hoc non impedit, quò minùs quantitatem & accidentia recipiat, quatenus ad illam disponunt. Ad tertium ex 5. Physicorum respondetur, differentiam inter substantialem generationem, & alios motus accidentales esse, quòd materia vt est subiectum generationis, non supponitur informata aliqua forma substantiali: vnde tam adequatum, quàm proprium & principale subiectum C generationis est ipsa materia, vt est in potẽtia ad esse simpliciter: at verò ad mutationem accidentalem semper supponitur constitutum ens simpliciter, seu substantiale suppositum, quod absolutè denominatur subiectum quod, seu principale talis mutationis: & eodem sensu dicitur, subiectum mutationis accidentalis esse ens actu, & simpliciter: non est tamen necesse vt secundum se totum, ac per se primò recipiat talem mutationem, sed potest ipsam recipere per partem. Dices: In instanti, quo fit generatio substantialis, alteratio præcedit in sola materia. Respondetur, si sit sermo de motu alterationis, non præcedere in sola materia secundum sensum prædictum, sed præcedere in ligno, v.g. aut aqua (si ex ea fiat generatio) tanquam in supposito seu subiecto principali, quod solùm est de ratione motus propriè dicti, quamuis sit in materia, vt in proprio subiecto inhæsionis, quod non repugnat rationi motus. Si verò sit sermo de alteratione quoad vltimum & momentaneum terminum eius, sic verum est ordine naturæ fieri in materia priusquam intelligatur substantialiter informata, sed tamen illa terminatio non est motus propriè dictus, sed mutatio quædam A instantanea, vel potiùs quoddam mutatum esse extrinsecè terminans motum. Addo etiam, ex accidente contingere, vt illa mutatio fiat in materia prima, quia coniungitur generationi substantiali, & corruptioni prioris subiecti, quod toto tempore præcedente illo motu mouebatur.

Quartum testimonium ex 7. Metaphys. non habet difficultatem: ita enim dicitur materia ex se neq; qualis, neq; quanta, sicut dicitur informis: dicitur autem informis, non quia non formetur, sed quia ex se, & in entitate sua nullam includit formam: sic igitur dicitur non esse qualis, non quia nulla qualitate afficiatur, sed quia ex se nullam habet qualitatem, nec in entitate sua illam includit. Dices. Saltem dicetur quanta, quia ex natura sua habet quantitatem. Respondeo primùm dici posse ex se non quantam, quia in entitate sua non includit quantitatem, quamuis illam postulet: sed hoc modo etiam substantia corporea integra posset dici non quanta. Aliter ergo potest dici materia non quanta de se, quia nullum certum terminum quantitatis postulat: & ideò de se neq; est magna, nec parua, &c. Item, quia licet sit subiectum cui inhæret quantitas, quia tamen solum suppositum est, id quod simpliciter est, ideò illi soli huiusmodi denominationes simpliciter tribuuntur. Si tamen rem ipsam solùm spectemus, nõ est dubium quin sicut materia dicitur corporea, ita etiam possit dici quanta.

LV. Ad quintum testimonium ex 7. & 12. Metaphysicæ respondetur substantiam esse priorem natura accidente absolutè & simpliciter, si ea etiam absolutè & simpliciter comparentur: si verò vnaquæq; substantia ad sua accidentia comparetur, est etiam prior simpliciter & in omni genere, aut secundum totum, aut secundum partem: comparando verò substantiam compositam ad eius quantitatem, est quidem prior perfectione, & prior natura in ratione finis, & suo modo etiam in genere causæ formalis: tamen in aliquo genere causæ, scilicet materialis, non repugnat aliquod accidens esse prius natura aliqua substãtia, quod in omni sententia ferè omnes authores concedunt: & ita nos dicimus via generationis, priùs natura quantitatem inesse materiæ, quam formam. Ad sextum testimonium ex capit. de substantia, respondetur non dicere Aristotelem destructa, hac vel illa substantia destrui omnia accidentia, quæ sunt in ipsa, sed destructis primis substantiis, quod est verissimum, quia nisi substantiæ corruptæ succederet alia, non manerent accidentia. Deinde etiam si de particulari substantia loquamur, intelligendum est destructa substantia omnino, id est, secundum totum, & secundum partem, non posse quod in ipsa est manere: nam si tota substantia destruatur, & pars maneat, non repugnabit aliquid in illa manere: sic enim destructo homine manet intellectus in anima: quæ manet: cùm ergo materia permaneat, poterit in illa quantitas conseruari.

LVI. Rationes primæ sententiæ. Prima.

Rationes illius sententiæ expeditæ ferè sunt ex probationibus secundæ. Ad primam enim iam sæpè dictum est materiam habere suum esse proprium, quod, licet in genere substantiæ sit incompletum, tamen comparatione accidentis est esse simpliciter, ac per se subsistens partialiter: & licet pendeat à forma in aliquo genere, & ideò in illo dici possit materia prius natura coniungi formæ substantiali quam accidentali: hoc tamen non obstat quo minus materia, & per suam entitatem sit capax sustentandi acci-

Secunda. accidentia, & sub alia ratione, & in alio genere causæ priùs natura coniungatur illis. Ad secundam concedimus materiam primariò respicere substantialem formam, & ideò ordine intentionis seu finis priùs illi coniungi, non tamen ordine executionis: nam potiùs sub hac ratione priùs natura coniungitur accidentali formæ, vt medio seu dispositioni ad formam substantialem. Sæpè enim potentia quæ primariò ordinatur ad aliquem actum, in executione priùs recipit alium quo ad alterum disponitur, vt visus primariò ordinatur ad visionem, priùs tamen respicit lumen, speciem, &c. & in vniuersum est hic ordo naturæ consentaneus vt priora intentione sint posteriora executione, & econuerso, vt quæ imperfectiora sunt, via originis antecedant. Quod autem ibi dicitur, formam accidentalem comparari ad substantialem, vt actum secundum ad primum, non est in vniuersum necessarium: nam quantitas non videtur hoc modo comparari, sed tantùm vt connaturalis dispositio substantiæ ratione materię. Et similiter accidentia extrinseca, quæ non manant A forma, neq; in illa recipiuntur, non comparantur B ad illam, vt actus secundi ad primum. Addo verò deinde, etiamsi gratis demus totum quod in illo argumento sumitur, nihil inferri contra nostram sententiam: ostendimus enim quòd, licet admittamus formam esse primum actum materiæ, ordine perfectionis, intentionis, & primæ originis, atque etiam ordine causalitatis effectiuæ, nihilominus optimè consistit, & est verissimum quantitatem in sola materia recipi, vt in proprio subiecto inhęsionis, & materiali causa; quod à nobis hoc loco præcipuè intenditur. Quòd verò, non obstante ea prioritate formæ, possit quantitas manere in materia, & esse prior tempore in illa, quàm quælibet determinata forma præter primam, quæ cum materia concreta est, satis probabiliter (vt existimo) est à nobis declaratum in secunda assertione.

LVII. Tertia. Hinc facilè respondetur ad tertiam rationem, primò gratis concedendo quantitatem consequi actiuè formam substantialem, vt est forma corporeitatis, & negando consequentiam, quia (vt sæpè dixi) potest manare à forma in materiam, & per successionem formarum in ea conseruari. Secundò verisimillimũ est quantitatem esse proprietatem consequentem materiam, seu (quod idem est) debitam C compositio ratione materiæ. Primum enim, commune fere axioma est quãtitatem sequi materiam, & qualitatem formam: hac enim ratione distribuunt Doctores prædicamenta absoluta, & eorum sufficientiam assignant. Deinde per se consentaneum est rationi, vt cùm materia habeat veram ac realem essentiam propriam, licet partialem, ratione illius habeat aliquã proprietatem: nec necesse est, vt forma ex communi ratione formę substantialis habeat certam aliquam proprietatem specificam: sed satis est quod illi respondeat aliqua communis seu generica ratio qualitatis. Sicut ex cõmuni ratione substãtiæ immaterialis non sequitur aliqua forma accidẽtalis specifica, sed sequuntur intellectus & voluntas vt sic. Præterea cùm homo cõstet ex materia & forma omnino spirituali, & nihilominus sibi vendicet eandem quantitatẽ, quam aliæ res materiales, signũ est postulare illam ratione materiæ, nõ ratione formæ. Denique ipsa proportio inter quantitatem & materiam satis indicat, quantitatem consequi materiam: nam quantitas per se nõ est actiua, sicut nec materia. Item, est apta ad recipiendum, vel vt potentia proxima, vel vt ratio & conditio bene disponens ad patiendum & recipiendum: est ergo satis verisimile quantitatem esse debitam materiæ, seu rationę matẽriæ. Quod etiam confirmari potest ex eo q̃ suprà probauimus, nempe, omnem rem habentem materiam, habere etiam quantitatem, & econuerso. Duobus autem modis potest intelligi hæc naturalis coniunctio inter materiam & quantitatem. Primò solùm ratione potentiæ passiuæ intrinsecè natura sua postulãtis talem affectionem. Neq; enim necesse est, vt omnis innata proprietas sit debita ratione principij actiui: sed interdum sufficit passiuum; quo modo multi existimant motum esse naturalem cœlo; & esse in centro, esse naturale terræ, & intellectui angelico esse naturales species intelligibiles secundum potentiam receptiuam, non actiuam. Secundo modo potest intelligi per intrinsecam dimanationem actiuam. Et licet prior modus sufficiat, hic posterior nullum habet inconueniens: quia licet materia sit potentia ad formam substantialem, in se tamen habet veram essentiam actualem & entitatiuam: quid ergo mirum quòd ab illa manet aliqua proprietas ipsi proportionata? Quod enim materia non sit actiua per propriam actionem, ideò est, quia cùm sit pura potentia, nec potest agere rem sibi similem, quia deberet creare illam, nec potest agere in similem potentiam, quia non habet ex se actum proportionatum, nisi in potentia tantùm receptiua. Sæpè autem contingit, vt res quæ non potest agere propria actione in aliud, habeat intrinsecam dimanationem in se, vt substantia angeli non habet vim actiuam similis substantiæ: habet tamen vim à qua in ipsa dimanent potentiæ sibi proportionatæ: & forma substantialis iuxta receptam doctrinam, non est immediatè actiua formæ accidentalis, & tamen per intrinsecam dimanationem manat intellectus ab anima, & intensio frigoris à forma aquæ, cùm se reducit ad pristinam frigiditatem. Deniq; probabile valdè est alios modos ex natura rei distinctos manare actiuè ab essentia materiæ, vt subsistentiam partialem & intrinsecam præsentiam localem, & relationes, si sunt aliquid ex natura rei distinctum à fundamento.

Quot titulis inter quantitatem & materiam connexio intercedat.

LVIII. Ad primam confirmationem negatur sequela, absolutè loquendo, quamuis possit distingui, dupliciter intelligi posse materiam recipere formam substantialem media quantitate. Primò solùm, vt dispositione seu conditione necessaria, & sic concedi- A dicenda materia recipere formã substantialem media quantitate. tur: neq; contra hunc sensum procedunt rationes, & incommoda quæ ibi proponuntur. Secundò tanquam potentia proximè receptiua formæ substantialis, & hoc sensu rectè improbatur hoc consequens in illa confirmatione: negamus tamen id sequi, quia nullam habet necessariam connexionem cum doctrina tradita. Quid verò de qualitatibus corporeis dicendum sit, videbimus sectione sequẽti. Ad secundam confirmationem concedo sequelam, nimirum quantitatem esse incorruptibilem, quoad suam entitatem, licet quoad varios terminos possit incipere & desinere esse, per diuisionem, & coniunctionem quantitatis. Quo modo autem ad quantitatem sit per se motus, non potest hîc pro rei difficultate examinari: breuiter tamen dico, ad productionem quantitatis non esse per se motum, sed ad accretionem: eamque non fieri, eò quòd noua quantitas, aut noua pars quantitatis simpliciter incipiat esse in rerum natura, sed quia vna quantitas adiungitur alteri, & quæ erat aliena, fit propria

Universidad de Deusto
Biblioteca

per specialem quandam actionem, ad hoc per se A tiam, non tamen sine ordine inter se, & ideò potest
tendentem. vnum respicere substantiam mediante alio.

LIX. Ad quartum primò dicitur (applicando distinctionem datam) si materiam recipere quantitatem mediante forma, intelligatur solùm vt conditione necessaria, & principali termino suæ existentiæ, sic concedi posse totam rationem, & nihil inferri contra doctrinam datam, vt facilè intuenti patebit: si verò intelligatur mediante forma, vt partiali subiecto, & propria causa materiali, sic dicendum est, interdum manifestè hoc repugnare, vt in homine: indeq; satis probabiliter colligi, non esse id consentaneum naturis rerum, & causalitati materiæ ac formæ in omnibus rebus naturalibus.

LX. Rationes posterioris sententiæ, quatenus probant materiam esse proprium subiectum inhærentiæ, & sufficientem causam materialem quantitatis, & accidentium, quæ per illam inhærent, non habent, vt existimo, probabilem solutionem. Vnde etiam Thomistæ, & specialiter Astudillo 1. de Generat. q. 2. hoc concedunt etiam in doctrina D. Thom. dummodo non negetur, & formam substantialem B simpliciter priùs natura præcedere in materia, & quantitatem & accidentia omnino ab illa pendere. Quatenus autem rationes illæ procedunt contra hanc posteriorem partem, & probant eadem accidentia manere in genito, quæ erant in corrupto, possent fortasse probabiliter solui, sed quia nobis videntur probabiliùs saltem id persuadere, in eis dissoluendis immorari non libet.

SECTIO IIII.

Vtrum vnum accidens possit esse proxima causa materialis alterius.

I. Supernaturaliter vnum accidens alii inhæret, vt subiecto quod.

Secus naturaliter.

TEoquimur iuxta naturas rerum: nam supposito aliquo miraculo, non est dubium, quin possit aliquod accidens concurrere, per modum subiecti, & materialis causæ ad esse alicuius accidentis, & ad effectionem eius, vt de quantitate in Eucharistia consecrata docent probatiores Theologi. Secundum naturas autem rerum duo sunt certa: primum est nullum accidens esse posse primum, C & (vt ita dicam) fundamentale subiectum alterius accidentis, quod ab aliquibus vocatur subiectum quod. Hoc patet, quia nullum accidens potest sustentare aliud, quin vtrumq; in altero sustentetur, & in hoc progressu, non potest procedi in infinitum: aliàs nihil esset in quo tota illa causalitas materialiter fundaretur. Et eadem ratione non potest sisti in aliquo accidente: aliàs tota collectio accidẽtium non esset in alio sed in se, quod repugnat naturæ accidentis: necessariò ergo sistendum est in subiecto seu materia substantiali. Et ad hunc sensum dici solet accidens, non posse esse primam causam materialem accidentis, sed ad summum proximam. Hocq; ex professo docet Arist. lib. 4. Metaph. in loco statim tractando.

II. Vnum accidens ratione alterius in substantia recipitur.

Secundò est certum quædam accidentia inesse, substantiæ mediis aliis accidentibus: hoc patet inductione, nam actus intellectus insunt substantiæ spirituali medio intellectu: & actus voluntatis media voluntate, & sic proportionaliter de reliquis actibus, vel habitibus potentiarum sensitiuarum, & qualitates corporeæ ex omnium sentrentia insunt media quantitate. Et ratio generalior reddi potest, quia licet omnia accidentia ordinentur ad substan-

Punctus quæstionis.

III. DIfficultas ergo est, quomodo vnum accidens insit substantiæ mediate alio, an solùm vt quo, vel etiam vt quod, his enim terminis vtuntur Philosophi. In quibus est cauenda equiuocatio, vt punctus controuersiæ attingatur, nam vno sensu potest negari accidens esse subiectum quod, solùm quia non est primum fundamentum, & veluti basis totius causalitatis qua sustentatur aliud accidens: dicetur autem iuxta hunc sensum aliquod accidens esse subiectum quo, quia est id quo mediante substantia recipit aliud accidens, siue priori accidenti, posterius verè ac propriè inhæreat, siue non. Et hic sensus non potest in dubitationem cadere, nec de illo est controuersia. Alio sensu dici potest accidens esse tantùm subiectum quo, & non quod alterius accidentis, quia non potest vnum accidens esse subiectum etiam proximum in quo aliud accidens verè inhæreat, quamuis possit esse ratio inhærendi, id est necessaria conditio, vel dispositio prærequisita in substantia, vt aliud accidens ei inhærere possit, quo modo multi putant diaphanèitatem comparari ad lumen. Et iuxta hunc sensum verè ac propriè vnum accidens non est causa materialis alterius, nisi eo fortasse sensu, quo causa dispositiua ad materialem reuocatur: quo modo etiam potest accidens esse causa materialis substantiæ: nos autem agimus de propria causa materiali, in qua proximè insit, & recipiatur accidentalis forma. Vnde econtrariò dicetur accidens *subiectum quod* alterius accidentis, si verè illud in se recipiat, & in se proximè terminet vnionem & inhæsionem illius, etiamsi non sit primum (vt ita dicam) sustentaculum vtriusque: & in hoc sensu tractatur quæstio præsens.

Variæ sententiæ.

IIII. PRima sententia est, nullum accidens esse verum subiectum & materialem causam alterius accidentis. Ita tenet Gregorius in 2. d. 12. q. 2. articu. 2. Gregor. Tribuitq; Aristoteli 4. Metaph. tex. 13. & 14. vbi probat, accidens non accidere accidenti, nisi quia ambo eidem accidunt: & subdit causam, quia non est maior ratio, cur vnum accidens alteri accidat, quàm è conuerso. Idem supponere videntur Nominales, qui negant qualitates panis inhærere quantitati, etiam post consecrationem panis: quos citaui tertio Tomo 3. par. disp. 56. sect. 3. In eandem sententiam referri potest Capreolus in 1. distinct. 3. quæst. 3. artic. 2. ad 2. Scoti cont. 1. conclusionem, vbi non satis explicat, quo sensu loquatur de *subiecto quo* & *quod*: nec est locis Diui Thomæ, quæ affert, satis id constare potest, vt videbimus. Gregorius verò clariùs locutus est, qui non profert rationes magni ponderis: summa enim omnium est, quoniam forma non potest esse principium patiendi aut recipiendi, aliàs confunditur munus formę cum officio materiæ, sed omne accidens est vera forma accidentalis: ergo non potest esse principium receptiuum accidentis. Nominales. Capreol.

Secunda sententia est, vnum accidens esse posse proximum subiectum, in quo aliud recipiatur, & consequẽter posse exercere propriam causalitatem materialem circa illud. Hanc tenet, & benè declarat Durandus in 1. d. 8. 2. part. quæst. 4. num. 15. eamque Durand. suppo-

D. Thom. supponunt Diuus Thomas, & alij authores, qui (vt A substantia supponat quantitatem, ad hoc vt mediante illa recipiatur, verisimilius est, in illa immediatè recipi. Et confirmatur ex mysterio Eucharistiæ, nam in quantitate separata accidentia inhærent, vt ex Theologia suppono: ergo ex natura sua apta sunt informare quantitatem, quia forma non potest suum effectum formalem exercere extra subiectum sibi proportionatum: ergo ante consecrationem illæ qualitates inhærebant quantitati, quia qualitas naturaliter informat subiectum sibi proportionatum, si illi coniunctum sit. Item, quia superfluè fingitur noua inhæsio, de nouo & miraculosè facta in illis qualitatibus, si iuxta rei naturam intelligi potest & præcessisse, & semper permansisse. Euidentiorq; est hęc inductio in quibusdã accidentibus, quę non sunt res omnino distinctæ ab accidentibus, in quibus fundantur, sed modi eorum, vt est figura respectu quantitatis, & motus, & vbi seu præsentia localis respectu eiusdem, & relatio (si est modus distinctus) respectu sui fundamenti. Præterea, in spiritualibus accidentibus (& eadem ratio est de materialibus, quæ illis proportionantur) hoc videtur certissimum, nam in primis necesse est habitus operatiuos immediatè inhærere in potentiis, ad quas iuuandas ordinantur: quia hi habitus præbent inclinationem & facilitatem his potentiis: sed nõ præbent hanc facilitatem, nisi formaliter per se ipsos, ergo informãt has potentias, ergo in eis proximè recipiuntur. Atque hac ratione scientia recipitur in intellectu, & species impressæ in potentia cognoscente ipsis proportionata, & sic etiam dicunt Theologi fidem esse in intellectu, & charitatem in voluntate. Atq; eadem vel maior ratio est de actibus vitalibus, qui essentialiter sunt actus immanentes: vnde necesse est recipi immediatè in proximo principio, à quo procedunt. Ratio verò à priori huius partis sumenda est ex subordinatione naturali talium accidentium quàm ex ipsis effectibus, & naturalibus indiciis inuestigamus, & non est, vnde repugnet naturæ accidentis vt sic.

Accidentia spiritualia aliis accidentibus ve. rè inhæsent.

VI. VIII. 2. Conclus.

Dico secundò. Vnum accidens verè potest exercere causalitatem materialem, respectu alterius sibi proportionati. Hæc assertio sequitur ex priori, nam C subiectum recipiens in se formam, proprium causalitatem materialem exercet erga illam: sed vnum accidens est proximum subiectum recipiens in se aliud accidens: ergo. Secundò, quia accidens quod in alio recipitur, pendet ab eo in esse & fieri, & non, vt ab efficiente, formaliter ac præcisè loquendo ex vi receptionis, quæ interdum potest re ipsa separari ab effectione, vt patet in quantitate, quæ non facit albedinem, quam in se recipit, vnde albedo nõ pendet ab illa, media actione, sed media vnione & inhęsione: pertinet ergo illa dependentia ad materialem causalitatem. Tertiò, accidens quod alteri inhæret, est forma eius, vnde actus vitales dicuntur actus secundi potentiarum, quia illas vltimò actuant, & informant, & albedo denominat superficiem albam, vt informans illam: ergo econuerso accidens recipiens aliud, exercet materialem causalitatem circa illud.

VII. IX. Quæstiuncula tractatur & resoluitur.

Sed quæret aliquis, cùm vnum accidens causat aliud materialiter, an solùm illud proximè concurrat in eo genere, vel etiam ipsum subiectum, aut aquod aliud accidens. Respondent aliqui, quædam esse accidentia simplicia, id est, nec formaliter, nec identicè composita ex variis entitatibus, vt est albedo, visio, &c. alia verò composita ex variis entitati-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, quæ compositio nunquam reperietur in accidentibus, quæ propriam habent entitatem: nam licet in eis esse possit compositio intensionis vel extensionis, hæc tamen in ordine ad subiectum comparatur per modum simplicis entitatis: in accidentibus autem, quæ sunt modi rerum, interdum reperitur illa compositio, verbi gratia præsentia localis panis non tantùm est in quãtitate, sed etiam in substãtia panis, vnde integra illa præsentia cõposita est ex præsentia substantiæ, & præsentia quantitatis. De prioribus ergo accidentibus, quando vnum inest substantiæ, medio alio, aiunt materialem causalitatem per solum accidens proximè exerceri, & è conuerso vnionem seu inhærentiam accidentis per se & immediatè terminari ad solum accidens, ad subiectum verò alterius accidentis, non nisi remotè. & quasi per accidens; nam cùm tale accidens, sit simplex modus, aut simplex entitas, non potest immediatè vniri pluribus rebus: sic Ocham 4. quæst. 4. ait accidens simplex non posse esse, nisi in subiecto æquè simplici.

X. At verò, quando accidens est compositum modo explicato, adæquatè est in subiecto composito; & ideò licet secundum vnam partem sit in altero accidente, secundum aliam esse potest immediatè in substantia: atq; ad hunc modum dici solet, quantitatem discretam esse in multis subiectis partialiter, de quo suo loco. Atq; in hac posteriori parte non est in re difficultas, quamuis esse possit quæstio de nomine, an illud sit dicendum vnum accidens, vel potiùs duo, cùm in re sint ita distincta, vt possit vnum sine alio manere: sicut de facto destructa fuit præsentia substantiæ panis, & mansit præsentia quãtitatis, & potuisset etiam contrario modo fieri. Vnde non est dubium, quin illæ præsentiæ sint in re distinctæ, & diuersarum rationum. An verò propter aliqualem vnionem dicẽdæ sint componere vnam, nil interest ad rem præsentem, & videtur quæstio de modo loquendi.

XI. De priori autem parte maior dubitatio est, nam illud principium, quòd accidens simplex in entitate sua, non possit immediatè & adæquatè recipi in subiecto composito, neq; est certum, neq; videtur necessarium. Nam in primis multi ita censent de omnibus accidentibus corporalibus, quòd sint per se primò in composito substantiali, saltem quando ex vtraq; parte est materiale (quæ opinio ex hoc præcisè, quod subiectum sit compositum, & forma accidentalis sit simplex, non inuoluit repugnantiam) ergo eadem ratione esse poterit in composito accidentali. Item, interdum vnum & idem accidens, vel accidentalis modus respicit duas res distinctas, vt modus vnionis, & respicit, vel afficit rem quã vnit, & rem cui vnit: ergo similiter vna entitas accidentalis potest, per se primò respicere duas res, vt componentes vnum adæquatum subiectum, verbi gratia materiam & quantitatem, vt componunt hoc subiectum quantum. Deniq; in hoc nulla apparet intrinseca repugnantia. Existimo ergo ex hoc principio non posse generaliter definiri, quando vnum accidens inest substantiæ, mediante alio, an substantia ibi concurrat solùm remotè, vel etiam proximè, nec inuenio aliud generale principium, ex quo id possit vniuersaliter expediri.

XII. Quapropter respiciendum censeo ad naturam vniuscuiusq; accidentis, & ad effectum formalem eius: nam si effectus formalis accidentis ob specialem naturam suam non postulat immediatum concursum materialem substantiæ, verisimiliùs est substantiam tantùm concurrere remotè, & immediatè solùm inhærere vnum accidens in alio, atq; ita absolutè affirmat Durandus loco suprà citato. Et ratio est, quia si illa causa proxima est sufficiens, superfluũ erit aliam addere. Atq; hoc modo existimo albedinem & similes qualitates inhærere quantitati, ita vt modus inhærentiæ earum in sola quantitate proximè terminetur. Cuius signum optimum est, quia sublata materia, & manente quantitate, conseruatur eadem inhærentia. Neq; est aliquod aliud signũ, vel indicium, quod ad effectum formalem, hõrum accidentium amplius requiri ostendat.

XIII. Accidens in accidente accidens.

At verò, si est aliquod accidens, quod ex suo speciali modo informandi requirat immediatam inhærentiam, non solùm ad aliquam facultatem, sed etiam ad ipsam substantiam rei, non repugnabit ita fieri. Hoc specialiter aduerto propter actus vitales, verbi gratia intellectus, aut voluntatis, quos aliqui putant ita esse in facultatibus, vt ipsam etiam animę vel angeli substantiam immediatè attingant propter intrinsecum modum afficiendi vitalis actus, & quia ita essentialiter est actus immanens, vt immediatè afficiat totum principium intrinsecum, immediatè in illum influens, hoc autem principium, vt hi authores consequenter opinantur, non est sola potentia, sed ipsa etiam substantia angeli, vel animæ. Quæ sententia ex vi causalitatis materialis non repugnat, eius tamen veritas alibi examinanda est. Atq; eodem modo est probabile, quod in Theologia aliqui censent, habitus per se infusos, sicut simul cõcurrunt actiuè cum potentiis ad eliciendos actus supernaturales, ita etiam concurrere materialiter ad recipiendos illos: hoc enim (si aliunde probetur necessarium, aut magis connaturale talibus actib.) non repugnat, ex eo quod potentia, & habitus sunt res distinctæ, quia satis est, quòd vniantur & concurrant per modum vnius integræ facultatis.

Responsio ad argumenta.

FVndamentum Gregorij non habet difficultatem: Propositio enim Aristotelis, quòd *accidens non accidit accidenti*, intelligenda est, vt *subiecto quod*, in priori sensu suprà declarato. Quem sensum Diuus Thomas ibi indicat. Dici etiam posset, Aristotelem ibi non solùm agere de accidentali inhærentia, sed etiam de accidentali prædicatione, qua vnum accidens omnino per accidens dicitur de alio, vt cùm musicus dicitur esse albus: huiusmodi enim prædicatio non oritur ex eo, quòd vnum accidat alteri, sed quòd ambo in vno tertio coniungãtur. At verò interdum potest accidens prædicari de accidente, non omnino per accidens, vt in hac propositione: *Quantum est in loco*, aut *intellectuale intelligit*, *Appetitiuum amat*: & in his non repugnat accidens inesse accidenti, modo superiùs expositio, & in eodem sensu non repugnabit accidens accidere accidenti, non merè per accidens, sed propter aliquem ordinem per se, quem inter se habeant, quo etiam modo superficies dicitur alba, & sic de aliis. Ad rationem respondetur non repugnare, quod res, quæ est forma respectu vnius, sit potentia receptiua respectu alterius: quod patet in anima rationali, & in qualibet potentia passiua accidentali, & ex dictis in sectione prima satis clarum est, neque hìc occurrit noua difficultas.

DISPV-

DISPVTATIO XV.

De causa formali substantiali.

QVoniam causa materialis & formalis mutuam habitudinem inter se dicunt, ideò eadem methodo, qua de materia disseruimus, dicemus priùs de forma substantiali, & posteà de accidentali, nam quę de forma in communi desiderari poterant, vel tacta sunt in Disputatione de causis in cõmuni, vel explicabuntur distinctiùs in singulis mẽbris, quę in illa ratione cõmuni solùm analogicè conueniũt. Tractando autem de substantiali forma, complebimus ea quæ de materia prima in hunc locum remisimus, propter intrinsecam connexionem inter ipsam & formam. Supponendum est autem hìc non esse sermonem de forma extrinseca, quàm exemplarem vocant, de qua infrà dicemus, quia vt sic magis habet rationem efficientis, quàm formæ. Neque etiam de forma separata, vt solet natura Angelica, aut immaterialis nominari, non propter causalitatem, sed propter actualitatem seu pulchritudinem: sed agimus de sola forma informante seu recepta in materia, quia illa est quæ propriam, & specialem habet rationem causæ. Rursus verò diuidi solet forma in Physicam, & Metaphysicam: prior est, quæ veram & realem causalitatem formæ exercet, & ideò de illa principaliùs dicendum est. Quamuis enim physica forma dicatur, vel quia naturã rei principaliter constituit, vel quia per motum physicum principaliùs inuestigatur, priusq; in scientia Physica consideratur, non tamen est extra Metaphysicam cõsiderationem, tum quia ratio formę communis est & abstracta, tum etiam quia forma constituit essentiam, tum denique, quia est vna ex præcipuis causis. Quid autem per Metaphysicam formam significetur, & quo modo hanc rationem causæ participet, in fine huius disputationis subiiciemus.

SECTIO I.

An dentur in rebus materialibus substantiales formæ.

I. Dubitatio.

RAtio dubitandi est primò, quia formæ substantiales nullo experimento cognosci possunt, nec sunt necessariæ ad omnes actiones & differentias rerum quas experimur: ergo non sunt sine causa introducendæ. Antecedens patet, quia ignis v. g. sufficienter intelligitur in suo esse constitutus, si concipiamus quandam substantiam habentem perfectum, & summum calorem cum siccitate coniunctum, etiam si substantia his accidentibus subiecta, sit simplex: & hoc etiam satis est ad omnem actionẽ ignis, quam experimur, & ad distinctionem inter ignem & aquam, & ad transmutationem vnius in aliud, quæ in hoc videtur consistere, quòd illa substantia à summo frigore transit in summum calorẽ, & è conuerso. Hoc ergo satis est ad constitutionem, distinctionem, & actionem elemẽtorum, idem ergo proportionaliter sufficiet ad mistorum compositionẽ: hæc enim ex elementorum mistione procreãtur.

II. Secundò inuolui videtur repugnantia cùm dicitur forma informans, & substantialis: nam vel est res subsistens, & nullo indigens subiecto sustentante, vel illo indiget: si primum habeat, nõ potest esse forma informans, quia repugnat id quod subsistens est, A in alio recipi. Si secundum habeat, est forma inhærens: ergo accidentalis, non datur ergo substantialis forma.

III. Tertiò, quia positis substantialibus formis, non potest intelligi, quo modo fiant rerum transmutationes, & generationes, nisi aliquid ex nihilo fiat, quod esse non potest iuxta naturalia principia. Sequela patet, quia vel forma substantialis præexistit generationi, aut aliquid eius, vel nihil. Primum dici non potest, aliàs infinitæ formę præexisterent in materia, & re ipsa nihil de nouo fieret, sed appareret. Neque etiam potest dici secundum, tum quia in eadem parte materiæ non potest esse aliquid formæ, quin sit tota forma, cùm indiuisibilis sit: tum etiam, quia etiã si pars formæ præsit, & pars inducenda sit, hæc pars fiet ex nihilo: non enim potest ex priori parte fieri: restat ergo, vt dicatur tertium, quod tamen repugnat, & excedit vim naturalium agentium.

IIII. Veteres Philosophi formas substantiales neiciuere.

In hac quæstione antiqui Philosophi ferè omnes ignorarunt formas substantiales, vt constat ex his, quæ suprà retulimus de eorum opinionibus circa materiam primam, vel primum subiectum trãsinutationem naturalium: cùm enim existimauerint illud subiectum esse completum ens actu, non potuerunt substantialem formam agnoscere: nam forma substantialis, & materia prima, quæ sit pura potẽtia, quasi correlatiua sunt. Nonnulli etiam è posterioribus Philosophis, saltem in elementis, negarunt substantiales formas. Ita significat Alexander Aphrodiseus 12. Metaph. commento 12. quanquam ibi solùm exempli causa, & secũdum proportionem loqui videatur: & Philoponus 2. de Gener. com. 7. & priùs tenuit eandem sententiam Galenus lib. 1. de Element. & anteà idem sensit Empedocles, qui mistorum formas non negauit, sed elementorum, vt significat Aristoteles 1. Physic. tex. 51. & 2. Physic. text. 22. Aphrodis. Philopon. Galenus.

Quæstionis resolutio.

V. DIcendum verò est, omnes res naturales, seu corporeas constare forma substantiali (præter materiam) tanquam principio intrinseco, & causa formali. Hæc est sententia Aristotelis innumeris in locis, qui fæpè reprehendit veteres Philosophos, quòd, ferè prætermissa substantiali forma, omnem inquisitionem circa materiam adhibuerint, vt constat ex toto lib. 1. Physic. & ex lib. 2. c. 1. vbi formam perfectiorem naturam dicit esse, quàm materiam. Idem habet lib. 1. de partibus animalium, cap. 1. & 7. Metaph. c. 4. & lib. 12. c. 2. vbi vocat formam *hoc aliquid*: quia complet substantiam, quæ est hoc aliquid: & ibidem, præsertim lib. 7. Metaphys. vocat formam *quod quid est*: & rationem reddit, quia ipsa est quæ cõstituit, & distinguit rerum essentias. Præterea lib. 2. de Anima cap. 1. distinguit substantiam in materiam, formam, & compositum, & formam vocat ἐντελέχειαν, de quo nomine multa eruditè scribit Fonseca lib. 1. Metaphys. in fine: communiter tamen docent scriptores vocem endelechiæ generaliorem esse, & plura comprehendere quàm substantialem formam, significat enim propriè perfectionem, seu actum perficientem rem. Per antomosiam verò attribui solet formæ substantiali, quòd sit præcipuus actus, & maxima perfectio rei substantialis. Aliis etiam nominibus solet ab Aristotele forma substantialis nominari, quæ inferiùs, explicando eius causalitatẽ, adnotabimus. Non tamen fuit Aristoteles huius veritatis inuentor, nã ante eum substantialẽ formam agnouit Plato, vt constat ex Timęo, vbi formas appel- Plato.

Universidad de Deusto
Biblioteca

appellat *verè existẽtium simulachra*, id est idearum participationes, cùm tamen ipse non ponat ideas nisi substantiarum. Et ante Platonem nonnulli è Philosophis creduntur substantiales formas attigisse, vt constat ex Aristotele 1. de partib. animal. cap. 1. & aliis locis suprà citatis. Iam verò est hoc dogma ita receptum in Philosophia, vt sine magna ignorantia id negari non possit: estq; ita consentaneum veritati fideiChristianę, vt eius certitudo non parum inde augeatur: quare placet huius veritatis probationem à quodam principio fide certo, & lumine naturali euidente inchoare.

Ex rationali cæteræ substantiales formæ colliguntur.

VI. PRima igitur ratio sit, nam homo constat forma substãtiali vt intrinseca causa: ergo & res omnes naturales. Antecedẽs probatur, nã anima rationalis substãtia est, & nõ accidens, vt patet, quia per se manet separata à corpore, cùm sit immortalis: est ergo per se subsistens, & independens à subiecto, non est ergo accidens, sed substantia. Rursus illa anima est vera forma corporis, vt docet fides, & est etiã euidens lumine naturali: non enim potest esse substantia assistens, aut extrinsecè mouens corpus: aliàs non vnificaret illud, neque ex præsentia, & coniunctione eius essentialiter penderent opera vitæ: nec denique esset ipse homo qui intelligeret, sed quædam alia substantia illi assistens. Constat ergo homo corpore vt materia, & anima rationali vt forma: est ergo hæc anima substantialis forma: nam vt infrà declarabimus, nomine substantialis formæ nihil aliud significatur, quàm substantia quædam partialis quæ ita potest vniri materiæ, vt cum illa componat substantiam integram ac per se vnam, qualis est homo.

VII. Prima verò consequentia probatur, supponendo sermonem esse de rebus naturalibus generabilibus, & corruptibilibus, nam hæ sunt quoad hanc partem eiusdem ordinis cum homine, & inter eas potest esse transmutatio & vicissitudo: inde tamen facilè concludetur à fortiori idẽ esse dicendum de incorruptibilibus corporibus, supposita sententia quam suprà tractauimus de materia eorum. Hominis ergo compositio ex materia & forma substantiali ostendit esse in rebus naturalibus quoddam subiectum substantiale natura sua aptum vt informetur actu aliquo substantiali; ergo tale subiectum imperfectum, & incompletum est in genere substantiæ: petit ergo semper esse sub aliquo actu substantiali. Hoc autem subiectum nõ est propriũ hominis, sed in aliis etiam rebus naturalibus repetitur, vt per se notum est: vnde & ad generationẽ hominis supponitur, & ad nutritionem, & post eius corruptionem manet: ergo res omnes naturales, quæ illo subiecto seu materia constant, constant etiam substantiali forma actuante, & perficiente subiectum illud. Præterea, ex eadem hominis compositione colligitur, aggregationem plurium facultatum, vel formarum accidentalium in simplici subiecto substantiali non satis esse ad cõstitutionem rei naturalis: nam in homine sunt illæ facultates, & formæ accidentales, plures fortasse ac perfectiores, quàm in aliis naturalibus rebus, & tamen nõ sufficiunt ad constitutionem alicuius naturalis entis completi, sed præterea requiritur forma, quæ veluti præsit omnibus illis facultatibus, & accidentibus, & sit fons omnium actionum, & naturaliũ motuum talis entis, & in qua tota illa varietas accidentium & potentiarum radicem, & quandam vnitatem habeat: ergo eadem ratione in reliquis entibus naturalibus necessaria est aliqua forma substantialis distincta ab accidentibus, & intimior ac perfectior illis. Tertiò, eodem exemplo constat, generationem, & corruptionẽ hominis substantialem non consistere in acquisitione, vel amissione aliquorum accidentium, sed in vnione vel disiunctione animæ rationalis substantialiter informantis corpus humanum, ad quàm præparant accidentia quædam, quibus sublatis, anima recedit, & homo corrumpitur: ergo eodem modo intelligendum est fieri corruptionem & generationem aliarum entiũ naturalium. Nam, quantum experiẽtia colligi potest, idem modus est generationis & corruptionis in aliis rebus, qui est in homine, excepta differentia in perfectione & subsistentia formæ humanæ, quam ex modo generationis, & corruptionis non colligeremus, nisi aliunde nobis nota esset. Et propterea dicitur Ecclesiastes 3. *Vnus interitus est hominis, & iumentorum, & æqua vtriusq; conditio. sicut moritur homo, ita & illa moriuntur*, &c. Deniq; omnia indicia, & signa substãtialis compositionis, quæ in homine cogitari possunt, sunt in aliis entibus naturalibus, & præsertim in animantibus, vt ex sequente ratione constabit.

Substanttalis formæ indicia varia.

VIII. Reductio ad terati quæ ad pristinum statum.

SEcunda ergo ratio principalis sumitur ex variis indiciis, ortis ex accidentibus & operationibus entium naturalium, quę indicant latere sub illis formam substantialem. Primum cernitur etiam in elementis: nam si aqua verbi gratia calefiat, & postea remoueatur agens, ab intrinseco reducitur ad pristinam frigiditatem, vt experimento constat: ergo signum est, esse in aqua aliquod intimius principium, à quo iterum manat intensio frigoris, sublatis extrinsecis impedimentis: illud autem principium nõ potest esse nisi forma substantialis: ergo. Prima consequentia probatur, quia nullum potest esse extrinsecum principium illius reductionis, tum quia, si illa reductio esset ab extrinseco, non esset per se ac necessariò, sed ex accidente, prout extrinsecum agens casu occurreret: tum etiam quia, discurrendo per omnia principia extrinseca quæ communiter occurrunt, nullum est, à quo possit illa actio prouenire, quia proximè solùm occurrere solet aer circunstans, qui vel naturaliter non est tam frigidus, sicut aqua, vel ex accidente relinqui solet æquè calidus ac ipsa aqua: vnde ipse etiam se reducit ad pristinum statum, quantum potest, remotè verò solùm interueniunt causæ cœlestes, & vniuersales, quæ ex se non sunt determinatæ ad huiusmodi actionem, vt notum est.

IX. Varia calla reductionis causæ refel-lantur.

Secundum verò antecedens, scilicet, nullam aliã causam extrinsecam illius actionis excogitari posse, præter ipsam aquæ formam, probatur, nam quænã erit illa? Dicunt aliqui in quibusdam partibus aquæ semper manere intensum frigus, & ab illis partibus alias, quæ calefactæ fuerunt, frigefieri, quod probabile censet Caietanus 1. part. quæst. 54. artic. 3. & tribuitur Auerroi 2. de Anima, comm. 1. Sed hoc friuolum est, & contra experientiam, sensu enim percipimus totam aquam infusam vasi alicui, esse valde calidam, quacunque ex parte attingatur: si autem essent aliquæ partes adeò frigidæ, vel percipierentur sensu, vel saltem temperarent in aliqua parte aquæ caloris sensum; neutrum autem fit. Est etiam contra rationem Physicam, nam tota aqua secundum

secundum omnes suas partes est vniformiter difformiter applicata igni naturaliter agenti: ergo secundum omnes partes eodem modo patitur vniformiter: quid enim est, quod posset, vel actionem illam, impedire, vel ita interrumpere, vt in quibusdam partibus fieret, & non in aliis? Item, vel illæ partes, quæ frigus retinere dicuntur, possunt calefieri, vel non: si non, ergo neque corrumpi poterunt: si verò possunt calefieri: ergo si tota aqua est sufficienter applicata igni, etiam illæ calefient, vel certè dari potest status, in quo illa potentia reducatur in actum, & illo posito, adhuc illa aqua reducetur ad pristinam frigiditatem remoto agente contrario, dummodò ad corruptionem aquæ peruentum non sit.

X. Alii respondent, illam actionem non prouenire ab aliquo principio distincto à frigiditate, semper enim manet frigiditas in aliquo gradu, & ipsamet statim ac non impeditur, se reuocat in pristinum statum. Possunt enim in ipsamet frigiditate duo distingui, scilicet essentia, & modus intensionis: & essentia semper manet integra, etiam si intensio minuatur, ideoque potest ab eadem essentia modus intensionis manare. Sed hæc responsio etiam est falsa. Primò, quia non potest à qualitate remissa intensior gradus procedere, alioqui etiam aer sese efficeret summè calidum, & sic de omnibus aliis rebus. Secundò, quia sæpè contingit, plures gradus caloris esse in aqua quàm frigoris: ergo, etiam remoto extrinseco agente, non posset frigiditas vincere calorem intensum: quia nullo modo à subiecto iuuaretur: cùm sola materia de se indifferens sit ad vtrumque accidens. Tertiò, quia aliàs nunquam frigus & calor in gradibus remissis possent quieta manere in eodem subiecto, sed semper altera qualitas alteram expelleret, se perficiendo vsque ad vltimam intentionem: quia ex parte subiecti (si solùm esset materia prima) nullum esset impedimentum, & supponimus omnia alia extrinseca esse sublata.

XI. Lauret. 1. Metaph. q. 9. Alii tandem respondent, necessarium quidem esse aliud principium internum prius frigiditate, quod integrum maneat, etiam si frigiditas remittatur, à quo illa reductio deriuetur: negant tamen illud principium esse formam substantialem, nam ab illa non posset immediatè prouenire alteratio, sed dicunt esse qualitatem quandam superioris rationis, virtute continentem primas qualitates sensibiles. Veruntamen hæc sententia duobus modis intelligi potest: primo, non negando formam substantialem, sed ponendo illam qualitatem virtualem, mediam inter formam substantialem & primas qualitates sensibiles: & in hoc sensu non repugnat veritati quam probare intendimus: eneruat tamen rationem quàm prosequimur, & præterea reiicienda est tanquam superuacanea, & gratis conficta, multiplicat enim qualitates sine fundamento, vel experientia vlla, nam emanatio accidentis ab intrinseca forma non indiget alio accidente intermedio, aliàs procederetur in infinitum. Item, quia repugnat dari in elementis aliquas qualitates priores primis: sunt autem teste Aristotele primæ qualitates elementorum formalis calor, frigiditas, &c. Vnde licet fortasse in mistis interdũ detur qualitas virtute continens calorem, aut frigus, illa tamen & est posterior temperamento primarum qualitatum connaturali misto, & non est ad intrinsecam dimanationem primarum qualitatum in eodem subiecto, sed ad efficiendum propria actione in extrinseca subiecta. Aliter

In elementis nullæ qualitates virtualiter primas continentes.

potest intelligi illa responsio ita vt intendat è medio auferre formam substantialem, & loco illius ponere qualitatem. In hoc autem sensu intellecta, facilè refutatur, quia illa qualitas immediatè & per se non sentitur, sed ex hoc effectu naturalis dimanationis dignoscitur: quo ergo fundamento dicitur, illud internum principium esse qualitatem accidentalem, & non formam substantialem? Item illud principium est primus actus materiæ, complens cum illa hoc ens naturale, quod aquam appellamus: ergo est actus substantialis, & non accidentalis. Item, illa forma non solùm est radix frigoris, sed etiam humiditatis, densitatis, & aliarum proprietatum, quas elementum aquæ requirit, nam de illis potest fieri idem argumentum, quod si per actionem cõtrariam ab illo naturali statu, quem aqua postulat, immutentur, statim ac contrarium recedit, ad naturalem statum reuertũtur: ergo habent aliam priorem formam à qua deriuantur, quæ immutata maneat: ergo vel singulis respondent singulæ formæ radicales (vt ita dicam) aut virtuales, quod natura abhorret, & est omnino superfluum, vel est vna forma in qua omnes illæ proprietates radicantur, & quasi colligantur, quod est verissimum: ergo illa forma non est accidentalis, sed superioris ordinis. Est ergo forma substantialis à qua talis reductio prouenit, vt communis habet sententia, Auicen. lib. 1. suffic. c. 5. Soncin. 9. Metaph. quæst. 8. Soto 2. Physic. quæst. 1. & aliorum.

XII. Atque hinc sumi potest aliud indicium quod est confirmatio præcedentis, nam ferè euidenti experimento constat etiam in his rebus inanimatis, aut elementis, corruptionem substantialem esse distinctam ab alteratione, loquor in specie de inanimatis, vt à fortiori sit inductio vniuersalis: quoniam in rebus animatis est res euidentior, vt patebit. Experimur itaque alterationem, vt verbi gratia calefactionem aquæ, aut ferri, interdum esse adeò vehementem, vt intensissimus calor in eis sentiatur, & nihilominus si actio contrarij agentis cesset, res illæ manent vel integræ, vel ferè integræ in substantia sua, & facilè etiam ad accidentalem statum reuertuntur: interdum verò adeò procedit alteratio, vt omnimoda transmutatio rei fiat, ita vt quamuis remoueatur agens, nunquam possit passum illud ad pristinum statum redire, neque priores actiones, aut similia accidentia recuperare: interdum etiam in viliore substãtiam sensibilem, vt cineres, scoriam, &c. mutatur, nonnunquam verò omnino cõsumitur insensibiliter, quia in aliud corpus subtilius & insensibile trãsformatur, ergo signum euidens est alterationem interdum esse puram, & manere intra latitudinem mutationis accidentalis, interdum verò habere coniunctam maiorem rei mutationem. Hæc autem non potest esse alia nisi quia ipsum substantiale compositum dissoluitur, recedente forma substãtiali, dantur ergo substantiales formæ. Probatur vltima subsumptio, quia si tota substantia rei semper maneret æquè integra, quantumcunq; procederet alteratio, ipsa de se semper haberet eandem habitudinem ad accidentia, ergo vel semper post quamcunque alterationem maneret quieta sub quibuscunq; accidentibus, quantum esset ex se, & remoto contrario agente, vel certè remotis eisdem agentibus semper rediret ad eadem accidentia.

XIII. Et confirmatur hæc ratio, nam videmus quædam accidentia esse ita inseparabilia ab aliquibus subiectis, vt si illa auferantur, vel nimium diminuantur, omni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnimoda transmutatio fiat in subiectis, ita vt non possint per intrinsecã vim ad pristinum statum redire ergo illa inseparabilitas prouenit ex connexione taliũ accidentium cum aliquo principio interno talium rerum. Quod non potest esse materia prima, seu illud primum subiectum quod manet sub omni transmutatione, quia respectu illius nullum est accidens inseparabile, ex his quæ possunt per alterationem acquiri vel amitti. Neque etiam illud principium potest esse aliquod accidens, si sit sermo de primo & radicali principio, nam licet vnum accidens sit inseparabile respectu alterius, vt raritas respectu caloris, vel albedo respectu talis temperamenti primarum qualitatum: illud tamen temperamentum est inseparabile ab alia priori forma naturę suæ relicta: sistendum ergo necessariò est in aliqua forma, quæ sit prima respectu accidentium inseparabilium: illa ergo est forma substantialis & non accidentalis, cùm constituat propriam essentiam, cui proprietates accidentales connaturaliter, & inseparabiliter insunt.

XIIII. Subordinatio proprietatum inter se indicium formæ substantialis.

Tandem formari potest ex hoc indicio alia ratio, quia in vno ente naturali multæ proprietates iunguntur, quæ interdum ita sunt inter se subordinatæ, vt vna ab altera oriatur, vt voluntas ab intellectu: interdum verò inter se non habent subordinationem, vt calor & humiditas in aere, albedo & dulcedo in lacte, vel plures sensus in animali: ergo hæc multitudo, & varietas proprietatum, præsertim quando posteriori modo se habent, requirit vnam formam in qua omnes vniantur: alioqui essent merè accidentaliter congregatæ in eodem subiecto, & vna omnino sublata, non propterea recederet alia: at oppositum constat experientia: ergo signum est, talia accidentia in tali numero, pondere, & mensura in tali subiecto, & ente requisita non habere illam connexionem respectu solius primi subiecti, seu materiæ primæ, sed respectu alicuius compositi, quod ratione formæ illum accidentium inter se ordinem requirit. Soletque hæc ratio specialiter confirmari in corporibus mistis, in quibus videmus accidentia contraria ad certos gradus redacta in eodem misto conseruari: id autem non potest prouenire ex ipsis qualitatibus, vt per se satis constat, cùm potiùs natura sua pugnent. Neque etiam prouenit à causa extrinseca, neque à materia, vt facilè patet: ergo oportet vt proueniat à forma. Veruntamen hæc confirmatio, vel nullam omnino habet vim, vel non est distincta ratio à præcedentibus, nam quatuor qualitates primæ ad eam temperiem redactæ, in qua possint simul esse in eodem subiecto, vt in eo perpetuo conseruentur in eodem statu, non indigent alia interna causa, vel principio, sed sola remotione extrinseci agentis corrumpentis, quia illæ qualitates in eo gradu constitutæ, nec sunt propriè contrariæ, neque possunt inter se habere actionem: imò si eam habere possent, non posset forma substantialis eas impedire, aut conciliare. Quo fit, vt in viuentibus, etiam in homine, vbi forma est maximè vna, non possit impedire actionem inter partes heterogeneas, quia licet in singulis partibus qualitates sint ita temperatæ, vt inter se consentiant respectu sui proprij subiecti, non verò sunt ita temperatæ respectu qualitatum alterius partis dissimilis. Ex hac ergo conseruatione temperamenti, ex contrariis qualitatibus constante, præcisè sumpta, non infertur forma substantialis. Inferetur tamen optimè ex eo, quòd in huiusmodi temperamento non solùm permittuntur (vt ita dicam) qualitates manere in eo gradu, sed etiam in eo ita connectuntur, & ita illum requirunt, vt si altera earum extrinsecus vel augeatur, vel minuatur, remoto extrinseco agente, statim ad priorem proportionem temperamentum redeat: quod maximè cernitur in animalibus: hoc ergo est signum euidens esse tale temperamentum alicuius formæ, in qua illę qualitates connectuntur. Hoc autem signum coincidit cum illo de reductione rei ad naturalem statum.

XV. Quæ eorum natura agens debeat remitti, signum substantialis formæ.

Vltimò confirmatur hæc ratio alio indicio, sumpto ex actione quarundam rerum naturalium: experimur enim rem aliquam habentem plures operandi facultates, dum intensè per vnam operatur, impediri, ne per aliam operari possit, aut ne cum tanto conatu: ergo est signum, illas facultates esse subordinatas eidem formæ, quæ per eas principaliter operatur: nam si nullam subordinationem inter se haberent, neque cum aliquo communi principio, quælibet earum haberet suam operationem independenter ab alia, neque esset vlla ratio, cur conatus vnius impediret conatum alterius, magis quàm si essent in diuersis subiectis: at verò ex subordinatione ad eandem formam redditur optima ratio, quia cùm illa sit finitæ virtutis, dum intensè applicatur ad vnam operationem, distrahitur ab altera, & tanto conatu potest vni incumbere, vt ibi exhauriatur eius virtus. Antecedens declaratur ab aliquibus in rebus, seu agentibus naturalibus, quæ dum intensè agunt ad vincendum contrarium, sese non possunt omnino tueri, quin aliqua ex parte vincantur, vel patiantur à contrario. Veruntamen hæc experientia de repassione agentium naturalium non prouenit ex subordinatione plurium facultatum ad vnam formam, sed ex eo quòd res non est semper æquè potens ad resistendum, ac est ad agendum. Vnde etiam ferrum calidissimum, dum calefacit aquam, ab ea repatitur, quamuis forma ferri nihil prorsus ad illam actionem conferat: imò ibi non intercedunt operationes diuersarum facultatum, sed actio vnius qualitatis, scilicet caloris, & passio eidem aliqua ex parte contraria, quæ ex eo prouenit, quòd calor non est tam potens ad resistendum, sicut ad agendum. Quocirca in rebus inanimatis vix credo posse inueniri experimentum aliquod, quo illud antecedens probetur, quia in actionibus accidentalibus quæ à vita non procedunt, non videtur proximè intercedere aliquis concursus formæ substantialis, ratione cuius remittatur actio vnius facultatis ex conatu alterius. In viuentibus autem, & præsertim in nobis, experimur manifestè huiusmodi effectum: interdum enim interior cogitatio attenta, impedit, ne res etiam præsentes videamus, imò & actionem nutritiuæ partis impedire solet diuturna meditatio. Neque refert, si quis dicat hoc prouenire ex concursu spirituum vitalium, qui necessarij sunt ad operationes harum facultatum, & dum ad vnam confluunt, aliam destituunt: tum quia ipsemet concursus spirituum vitalium ad vnam facultatem potiùs, quàm ad aliam, est signum vnius formæ vtentis ipsis spiritibus, & facultatibus ad duas actiones, aliàs nulla esset ratio, cur spiritus magis ad vnam facultatem confluerent, quàm ad aliam; tum etiam quia intellectualis operatio non fit mediis spiritibus, & tamen conatus & attentio ad illam impedit inferiores actiones. Nec potest hoc tribui cooperationi phantasiæ, quæ requirit spirituum concursum, nam intellectualis attentio, præsertim si sit vehemens, & circa res superioris ordinis, etiam ipsam phantasiæ actionem valde minuit: ergo non prouenit ex spiritibus, sed ex occupatione eiusdem animæ circa aliquam operationem.

Formæ substantialis causæ ipsam clarè ostendunt.

XVI. Accidentale formam esse non pugnat.

Tertia ratio principalis reddi potest à priori ex propriis causis formæ substantialis, quæ sunt finalis, efficiens, & materialis, nam formalem non habet, cùm sit ipsamet forma: vnde ex ipsa nulla potest sumi positiua ratio. Possumus tamen supponere, ex parte eius nullam esse repugnantiam, quòd tale genus entis, vel substantiæ incompletæ detur in rerum natura: quæ enim repugnantia in hoc fingi, aut excogitari potest? Item, quia non repugnat dari in rerum natura actus substantiales supremi ordinis, qui sint subsistentes, & non informantes, vt angeli, & actum substantialem ordinis, qui simul sit subsistens & actuans seu informans, vt de anima rationali dictum est: ergo non repugnabit dari actus substantiales infimi ordinis, id est qui sint actus actuantes, & non integrè subsistentes, & hos vocauimus formas substantiales. Item, vel repugnaret talis actus, quia actus est, vel quia substantialis est, vel quia hæc duo in eadem re coniungi repugnat: nihil horum potest cum probabilitate dici: ergo nec repugnat dari substantialem formam quantum est ex parte eius. Quod si ex parte eius non repugnat, statim facilè probabitur, ex aliis causis vel non repugnare, vel etiam esse necessariam. Duæ primæ partes primi antecedentis per se notæ videntur. Prima quidem, quia per se notum est dari in rebus entitates, quæ sunt actus, & perfectiones aliarum, sic enim candor est actus albi, & intellectio intelligentis. Secunda verò, quia etiam est per se notum dari in rebus entitates substantiales, cùm hæ sint aliarum omnium fundamentum. Probanda ergo superest tertia pars, quòd nimirum has duas proprietates, seu rationes in eadem entitate coniungi non repugnet: hoc autem patet, tum quia nihil in altera illarum rationum assignari potest, quod cum altera intrinsecè repugnet: tum etiam quia ratio actus ex se perfectionem dicit, ergo si illi non repugnat coniungi cum esse accidentali, cur repugnat cum substantiali copulari? tum denique, quia cùm ratio substantialis entitatis ad perfectionem simpliciter spectet, magis videtur repugnare cum ratione potentialitatis, quàm cùm ratione actualitatis: sed primum non repugnat, vt in materia prima constat, ergo nec secundum repugnabit. Atque hinc noua ratio consurgit, nam potentia & actus in omni genere sibi cum proportione respondent, sed non repugnat dari in rebus naturalibus substantialem potentiam, quæ in genere substantiæ sit incompletum, & imperfectum ens, vt suprà est ostensum, & ex hominis compositione est manifestum: ergo non repugnabit dari actum proportionatum huic potentiæ, quo possit in qualibet re naturali actuari, & modo sibi connaturali existere & conseruari.

XVII. Ex materiali causa & efficiente demonstratur.

Atque hinc concluditur facilè ratio ex materiali causa desumpta, nã cùm materia sit substantialis potentia, continet in suo genere, & in potentia recepatiua omnem actum sibi proportionatum: ergo est potens ad causandum illum in suo genere, si aliunde non repugnat: ergo ex hac parte habet substantialis forma materialis sufficientem causam vt esse possit. Rursus concluditur ratio ex causa efficienti, nam si sit sermo de prima causa, nõ potest illi deesse virtus, qua efficere potuerit in vniuerso formas substantiales actuantes materiam, vel dependenter, vel independenter ab illa, iuxta varios gradus & perfectiones talium formarum, suppositis non repugnantia earum; ergo cùm tales formæ sint necessariæ in rerum natura, effectæ sunt ab huiusmodi causa. Si autem sit sermo de causa proxima, posteà videndum est, quænam intercedere possit respectu vniuscuiusque formæ. Nunc sufficiat dicere non posse talem causam deesse, si talis effectus ad rerum naturalium constitutionem est necessarius: vnde si causis creatis interdum hæc virtus deficiat, ad causalitatem primæ causæ spectat, vt munus etiam causę proximę suppleat: quod, per se loquendo, solùm facit in anima rationali quantum ad effectionem eius: aliis enim formis ex modo quo fiunt, non repugnat fieri ab egentibus creatis, cùm fiant cum concursu materię, vt statim explicabimus. An verò in talibus agentibus sit sufficiens virtus, dicemus tractando de causa efficiente.

XVIII. Præcipuus index formæ finis ipsius est.

Igitur præcipua ratio sumenda est ex fine formæ substantialis, qui est constituere & complere essentiam entis naturalis, qui finis seu effectus est absolutè necessarius in rerum natura: alioqui nihil esset in rebus corporeis in sua substantiali natura completum, & perfectum: neque esset multitudo & varietas specierum substantialium, in qua maximè consistit huius vniuersi corporei mirabilis dispositio, & pulchritudo. Ad hunc ergo finem est omnino necessaria substantialis forma, quia cũ materia sit valde imperfectũ ens, non potest in illa sola consistere integra vniuscuiusq; rei essentia. Deinde, quia materia quatenus est primum subiectum, est vna & eadem in omnibus rebus naturalibus: ergo non potest in sola illa consistere earum essentia, alioqui omnia essent vnius essentiæ, solumque accidentaliter differrent, quòd repugnat amplitudini, & pulchritudini totius vniuersi, quæ ex specierum varietate maximè consurgit. Quod significari videtur Genes. 1. in illis verbis: *Facientem semen iuxta genus suum*, vel *secundum speciem suam*. Et sæpè fit illa repetitio *iuxta species suas, & in genere suo*, & tandem concluditur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*: quia nimirùm totius vniuersi completa bonitas ex illa varietate consurgit. Quam etiam variæ rerum virtutes & operationes, & mutuæ generationes & corruptiones satis ostendũt, vt declaratum est. Aliquid ergo præter materiam est ipsi addendum, quo essentia vniuscuiusque rei compleatur: cùm autem materia sit potentia, id quod ei additur ad complendam essentiam erit actus, quia potentia dicit essentialem ordinem ad actum.

XIX.

Non potest autem ille actus qui ad complendam rei essentiam adiungitur materię, esse actus accidentalis. Primò quidem quia ex actu & potentia diuersorum ordinum non completur essentia verè ac per se vna: essentia autem rei naturalis & substantialis esse debet verè ac per se vna: aliàs non esset vna substantia. Secundò quia cùm materia sit substantialis potentia, non expletur per actum accidentalem: ergo cum illo non potest complere veram essentiã rei naturalis. Tertiò quia si talis actus est accidẽtalis, interrogo cuinã accidat. Aut enim accidit composito ex illo

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex illo actu & potentia, vt tale est: & hoc repugnat, A quia cùm compositum illud intrinsecè cõstet ex tali forma, non potest ei accidere: quomodo etiam albedo non est accidens albi, vt album est, sed subiecti albi. Aut accidit materiæ seu subiecto substantiali; & & sic interrogo rursus cur dicatur ei accidere? Vel enim quia potest materia esse cum tali actu, & etiam sine illo. Et hoc non est satis; aliàs etiam anima rationalis esset accidens corporis: hoc ergo commune esse potest tam substantiali actui, quàm accidentali. Vel est, quia talis forma pendet à materia in suo esse: & hoc etiam non est satis, quia etiam partes substantiæ possunt pendere ab aliis partibus: & materia ipsa pendet suo modo à forma: sunt itaque varij modi dependentiæ, & non repugnat incompletæ alicui substantiæ quòd pendeat à subiecto eiusdem ordinis. Vel denique dicitur accidens, quia in suo esse habet entitatem ita imperfectam, & diminutam, vt sit inferioris ordinis quàm tota latitudo substantiæ. Et hoc inprimis est gratis & sine fundamento dictum: vnde enim constat illum actum materiæ, ad quem ipsa per se primò ordinatur, quiq; cum ipsa complet essentiam rei naturalis, esse tam diminutam, & incompletam entitatem? Deinde repugnat fini talis B formæ, quia, vt dixi, non potest ex subiecto substantiali, & forma accidentali, componi vna essentia substantialis, maximè cùm forma sit quæ dat vltimum gradum, & complementum essentiæ. Propter quod meritò dixit Aristoteles 1. Physicorum cap. 6. *substantiam non componi ex non substantiis*: constat autem res naturales, earumq; essentias substantiales esse, ac per se vnas: est ergo certissimum dogma philosophicum de substantialibus formis.

Soluuntur argumenta.

XX. EX rationibus dubitandi in principio positis, duæ primæ ex dictis solutæ relinquuntur. Ad primam enim negatur deesse in rebus naturalibus sufficientia indicia & effectus, per quos sufficienter deueniri possit in cognitionem formarum substantialium, negaturq́ue subinde aut actiones omnes, aut transmutationes saluari posse sine formis substantialibus. Ad secundam negatur repugnare, quòd aliqua forma sit subsistens & informans, vel in diuersis statibus, vel etiam in eodem, vt latiùs declarabimus infrà tractãdo de subsistentia. Negatur etiam repugnare esse formam dependentem à subiecto, & esse substantialem, vt paulò ante dictum est: quomodo autem differat hæc dependentia ab inherentia accidentis, dicemus disputat. sequenti. In tertio verò argumento petitur specialis difficultas, quam oportet sequenti sectione tractare.

SECTIO II.

Quomodo possit forma substantialis fieri in materia, & ex materia.

I. Difficultatis ratio. RAtio dubitandi tacta est in præcedenti sectione: nam forma substantialis est res distincta à materia; vel ergo illa res est aliquid ante generationem, vel nihil: si est aliquid, ergo est forma substantialis antequam fiat, nam illa res est indiuisibilis, & essentialiter est forma substantialis: non ergo potest illa res esse aliquid ante generationem, quin sit substantialis forma: hoc autem est impossibile, tum quia aliàs nulla esset substãtialis generatio, tum etiã quia aliàs essent simul in materia, formæ repugnantes. Si verò eligatur altera pars, nimirum formam ante generationem nihil esse, sequitur formam ex nihilo fieri; quod repugnat Philosophorum axiomati, *Ex nihilo nihil fit*. Nec satisfaciet qui respondeat, formam nõ fieri, sed compositum: compositum autem fieri ex materia, & ideò nihil esse quod ex nihilo fiat: hoc (inquam) non satisfacit, quia magis consistit in verbis, & modo loquendi, quàm in re: nam forma re vera anteà non erat, & postea est: ergo facta est. Item, quia compositum non fit nisi quatenus ex materia & forma componitur: non autem componitur nisi ex entib. factis. Item, quia cùm totum corrumpitur, forma verè desinit esse, transitq́; in nihilum, nam quæ anteà erat aliquid, postea est nihil, ergo cùm totum incipit esse, forma etiam fit.

II. Reliquum placitum antiquorum Philosophorum.

Propter hanc difficultatem antiqui Philosophi negarunt formas substantiales; & omnia fieri per solam accidentium mutationem existimarunt. Quorum sententia improbata iam est ex demonstratione substãtialis formæ, & generationis ac corruptionis; nunc verò addimus eos non soluisse difficultatem, negando substantiales formas, nisi etiam accidentales negent, quæ verè & realiter de nouo fiant, & consequenter dicant nullam esse in rebus mutationem nisi fortasse localem, sed videri res transmutari, quia quæ apparebant, occultantur, & quæ occultæ erant, apparent; quod quàm sit absurdum, perspicuum est. Assumptum patet, quia de forma accidentali potest eadem difficultas obiici, nam etiam illa forma cùm est, habet suam realitatem, & entitatem. Aut ergo illa antequam fiat erat aliquid, vel nihil: Si aliquid, ergo non fit: si nihil, ergo fit ex nihilo. Vnde Anaxagoras, vt suprà vidimus, omnes formas rerum concedebat actu esse in atomis, ex quarum concursu vario omnia componebat: sed illud placitum satis est in superioribus refutatum.

Prima opinio proponitur, & variis modis explicatur.

III. OMissis ergo antiquis Philosophis, inter posteriores sunt de hac re variæ sententiæ. Prima est omnes formas actu esse in materia, non quidem integras & perfectas, quia vident hoc e medio tollere veram rerum generationem & corruptionem, & inuoluere manifestam repugnantiam, cùm formæ C ipsæ inter se pugnantes sint, & cùm eadem ratio sit de accidentalibus, quæ interdum sunt propriè contrariæ. Sed dicunt esse formas actu in materia secundum quasdam inchoationes earum. Hanc opinionem Soto 1. physicorum quæstione 7. tribuit Alberto ibidem tractatu 3. capite 3. Soncinas verò 7. Metaphysicæ, quæstione 28. negat Albertum esse huius sententiæ. Et re vera Albertus solùm ait in materia quæ est subiectum formarum, esse habitum confusum earundem formarum: hunc autem habitum declarat nil esse aliud quàm potentiam habitualem, qua materia claudit in se formas: significat autem illum habitum confusum esse aliquid distinctum à natura materiæ, ratione cuius forma dicitur præexistere in materia. *Nec intendo* (inquit) *dicere, quòd forma pars sit ab intus, & pars ab extra, sed tota est ab intus, & tota est ab extra.* Quod declarans significat formã esse ab intus, id est, præexistere in materia secundum esse essentiæ, & ideò ait, *agens non agere ad producendam essentiã formæ, sed ad esse formæ*, & hoc sensu dixerat *formam totam esse ab extra*, id est fieri ab efficienti quantum ad esse existentiæ. Quæ omnia licet obscu- Albertus Magnus in hac sententia.

obscurissimè dicta sint, possunt ad rectum sensum A trahi, si per esse essentiæ solùm intelligamus esse in potentia, quòd non fit ab agẽte naturali, sed supponitur in materia. Vnde idem Albert. 5. Metaphys. tract. 3. cap. 12. ait totam formam esse ab intra, secundum esse potentiale, & ab extra, secundũ esse actuale: in 8 etiam Physic. capit. 4. potentiam ad formam vocat inchoationem formæ. Rectè igitur per illum habitum confusum intelligemus ipsam potentialitatem materiæ, quam ipsemet Albertus vocat habitualem potestatem. Solùm videtur distinguere potentiam materiæ à materia, quod ad aliam quæstionem suprà tractatam spectat: & posset satis probabiliter exponi de distinctione rationis, & non rei, nam ibidem eodem modo distinguit in genere naturam generis à potestate qua differentias continet.

IV. Alia sententia refertur à Durando in 2. distinct. 18. quæstione 2. quæ ponebat in materia quasdam possibilitates formarum, quæ non manent quando producuntur formæ, sed in eas conuertuntur: atque ita saluabat non fieri formas ex nihilo, sed ex illis possibilitatibus. Non refert autem Durandus aliquem authorem huius sententiæ, & ideò non possumus sensum illius certo affirmare, vix tamen credi B potest illos authores per eam possibilitatem intellexisse rem aliquam veram distinctam à materia & à forma, sed solam essentiam formæ possibilem, quàm alii vocant, in potentia obiectiua: quanquam si hoc tantùm voluit hæc opinio, nihil peculiare attulit quo explicaret formam non creari: nam etiam res quæ creantur, fiunt ex huiusmodi possibilitate. Refert tandem Soto aliam opinionem Aureoli in 2. distinct. 18. quòd forma præest in materia secundum partem, ex qua perficitur per actionem agentis, & ideò non fit ex nihilo: eam verò opinionem nec Capreolus refert ex Aureolo, neq; apud alium authorem inuenire potui.

V. Quocunque igitur sensu asseratur, præcedere in materia rem aliquam distinctam ab ipsa materia, vt ex illa producatur forma, est improbabilis, nihilq́ue deseruit ad enodandam difficultatem in qua versamur. Primùm patet, quia intelligi non potest quæ sit, vel qualis illa entitas, quia vel est substantia, vel accidens: hoc posterius non dicitur ab illis authoribus, nec dici potest, tum quia accidens non est intrinseca inchoatio formæ substantialis, sed ad sum- C mum esse potest dispositio: tum etiam quia propter accidens præexistens non vitatur quin tota realitas formæ fiat ex nihilo ipsius, quia accidens non est aliquid ipsius formæ. Si verò dicatur secundum, inquireturrursus an illa substantia sit materia, vel forma, vel compositum: non potest esse compositum, vt per se notum est: non materia, quia supponitur esse res distincta ab illa; nec forma, quia hæc incipit esse per generationem. Dicetur fortasse esse forma in esse imperfecto. Sed contra hoc vrgetur vlteriùs, supponendo esse sermonẽ de esse actuali, quo res est vera entitas actualis extra causas suas: nam esset valde friuolum loqui de esse possibili tantùm: quia secundum illud esse non ponitur in materia aliqua vera res distincta ab illa, quæ sit extra nihil, & sit forma in esse imperfecto.

VI. Loquendò igitur de huiusmodi re habente verum esse actuale licet imperfectũ, inquiro quomodo ex illa re fiat forma in esse perfecto, an per intensionem, an per transmutationem vnius in aliud. Nec præter hos modos potest alius excogitari, nam in priori modo manet prior entitas quæ erat imperfecta, remota imperfectione per aliquid quod ei superadditur: in posteriori autem modo tollitur illa imperfecta entitas, & ei succedit perfecta, siue per conuersionem vnius in aliam, siue quacunque alia ratione: includunt ergo illi duo modi immediatam contradictionem: vnde non potest excogitari alius quiad alterum eorum non reducatur. Primus autem modus nullam habet verisimilitudinem. Primò quia forma substantialis non est intensibilis & remissibilis, vt infrà ostendam. Secundò, quia aliàs præexisterent actu in materia omnes formæ substantiales, quæ ex illa educi possunt, in gradu quidẽ remisso, tamen secundum aliquam veram & actualem entitatem, & ita essent simul in materia infinitæ entitates actuales: nam formæ in infinitum multiplicari possunt. Hoc autem est planè absurdum, tum propter infinitatem entitatum, tum etiam quia materia ex se non habet congenitas huiusmodi formas quasi dimanantes à propria entitate; neq; est aliquod agẽs à quo factæ sint: neque sunt ipsi materiæ debitæ, vt fingamus Deum illas infudisse, aut concreauisse. Tertiò, quia etiam positis illis imperfectis entitatibus restat eadem difficultas, quo modo fiat ille gradus, vel pars entitatis quæ additur præcedenti, quia omnino incipit esse, cùm anteà nihil esset: nam in formis quæ intenduntur, secundus gradus non fit propriè ex primo, nisi fortasse vt ex termino à quo: quomodo potiùs fit posterior gradus ex remissione, vel limitatione prioris quæ est priuatio vlterioris gradus, quàm ex ipsamet entitate positiua prioris gradus: ergo quod vnus gradus supponatur, non tollit quin secundus anteà fit nihil, donec per actionem agentis recipiat esse: ergo de illo gradu restat eadem difficultas quomodo non fiat ex nihilo. Tandem iuxta illam sententiam tollitur vera generatio, & corruptio substantialis, quia solùm erit quædam intensio vel remissio formarum.

VII. Nec desunt rationes æquè efficaces contra posteriorem modum; primò enim ex illo sequitur supponi in materia infinitas entitates: nec enim potest fingi vna & eadem quæ sit inchoatio omnium formarum: nam si quãdo fit vna forma, tollitur & destruitur inchoatio eius manentibus aliis, & ita in omnibus vicissim & mutuò fieri potest, necesse est omnes illas entitates esse inter se distinctas. Secundò, quia si forma perfecta fit ex inchoata per transmutationem, vel conuersionem: ergo tantùm fit vna ex alia tanquam ex termino à quo: ergo fit tota entitas formæ, quæ anteà nihil erat actu: nam propter præexistentem inchoationem non potest dici actu præfuisse, cùm sint res distinctæ, quarum vna perit, quando alia incipit, ergo impertinens est illa entitas imperfecta vt forma non fiat ex nihilo, nam etiam illa inchoatio non est aliquid, id est aliqua pars, vel aliquis gradus eius formæ quæ fit. Quod si habitudo ad terminum à quo positiuum, est necessaria, vel sufficit vt res non fiat ex nihilo, etiam ad hoc non est necessaria illa inchoatio, quia sufficit forma contraria seu repugnans, quæ semper expellitur, quando alia introducitur, quia generatio vnius est corruptio alterius. Tertiò inquiri potest an illa entitas imperfecta quæ abiicitur, & forma perfecta quæ introducitur, sint eiusdem speciei essentialis, vel distinctæ. Nã si sunt distinctæ, ergo vnaquæq; est perfecta in sua specie, & si vna abiicit aliam, erunt inter se repugnantes, ergo ponere illas inchoationes, nihil aliud est quàm multiplicare formas in materia sine vtilitate, nam vt vna forma fiat ex termino re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

pugnante, sufficit vna forma contraria, vel incompossibilis, quæ semper supponitur. Si verò illæ entitates sunt eiusdem speciei, nulla potest reddi ratio cur vna abiiciat aliam, aut cur vna fiat in subiecto, in quo actu præexistebat alia.

VIII. Sed obijcies Aristotelem 7. Metaphys. text. 29. dicentem in materia esse aliquam partem rei faciendæ: & constituentem in hoc differentiam inter artificialia, & naturalia, quòd in artificialib. solùm supponitur materia apta obedire artifici: in naturalibus verò est in materia aliquid formæ introducendæ. Et confirmatur, quia aliàs non magis esset naturalis generatio substantiæ completæ, quàm effectio rei artificialis in sua materia. Respondetur, Aristotelem ipsam aptitudinem materiæ ad formam, vocare partem rei efficiendæ. Ita exponunt Diuus Thomas, & Alexander Alensis, & posset intelligi de parte non ipsius formæ, sed totius compositi. Proprius verò sensus est, Aristotelem non vocare partem, ipsam materiam, sed virtutê aliquam actiuam, quæ interdum est coniuncta materiæ, & cooperatur ad rei generationem, vel effectionem. Dubitat enim ibi Aristoteles, cur ea quæ ab arte fiunt, interdum fiant etiam casu, & absq; arte, vt sanitas, interdum verò non contingat fieri sine arte, vt domus: & respondet rationem esse, quia interdum in materia ex qua vel circa quam ars operatur, præcedit aliqua pars, quæ potest esse principium mouendi seu operandi circa illam materiam, vt in sanitate præcedit calor animalis, quem contingit aliundè excitari aut iuuari præter artem: atque ita fine illa & casu quodam efficere sanitatem. Aliquando verò in materia artis nulla est pars actiua, vt in lapidibus, & lignis, & ideò non potest ex eis effici domus sine arte. Non loquitur ergo Aristoteles de inchoatione formarum, vt rectè notarunt Diuus Thomas, & Scotus, sed de virtute quæ interdum est in materia ad inchoandum actionem. Et hanc etiam expositionem tradiderunt Commẽtator, & Alexander Aphrod. Vnde falsum est, & omnino præter literam Aristotelis, quòd ibi constituatur differentia inter artificialia, & naturalia: tantùm enim constituitur inter artificialia inter se, & potiùs ibi text. 31. significat Aristoteles, idem contingere in naturalibus, vt Diuus Thomas notauit: nam interdum passum ex quo generatur res naturalis, est in sola potentia passiua, & tunc non potest ex illo generari aliquid nisi ab extrinseco agente naturali; interdum verò habet adiunctam virtutem seminalem actiuam, quæ est quasi pars eius, vt patet in semine, aut in grano tritici, & tunc contingit fieri effectum absque alio extrinseco agente. Ad confirmationem respondetur, generationem esse naturalem ex parte potentiæ passiuæ naturalis, & consequenter etiam ex parte potentiæ actiuæ naturalis quæ passiuæ respondet: ad artificialia verò vt sic non tam esse potentiam passiuam naturalem, quàm obedientialem, cui non respondet potentia actiua naturalis, sed rationalis seu idealis, quòd paulò inferiùs declarabimus.

D. Thom. Alenſ.

Comment. Aphrodiſ. — Ariſtoteles quam differentiam inter artefactũ diuerſorũ materias poſuerit.

Non omnes formæ substantiales creantur.

IX. Secunda sententia fuit aliorum, qui superati difficultate tacta, dixerunt omnes formas substantiales fieri per creationem. Quam opinionem refert Albertus in 2. d. 18. articulo 12. & aliqui eam tribuunt Platoni in Phædone, eò quòd dixerit formas induci in materiam ab ideis separatis, & Auicennæ 1. Sufficient. capit. 10. & 9. suæ Metaph. cap. 4. qui dixit easdem formas induci ab intelligentia separatâ, quam decimam post nouem quæ præsunt nouem corporibus cœlestibus, esse dicebat, & præsse mundo sublunari. Sed hi duo Philosophi, licet fortasse errauerint circa principium effectiuum substantialium formarum (de quo posteà circa efficientem causam dicturi sumus) tamen quòd errauerint circa modum efficiendi has formas, non constat, neque Aristoteles hoc titulo Platonem impugnat, sed quod separatas ideas sine causa introduxerit, cùm huiusmodi res possint à sibi similibus generari. Quæ ratio magis vrget contra Auicennam, nam Plato fortasse non posuit ideas extra mentem diuinam, & ab illis dixit introduci formas vt ab vniuersali principio, quod agentia proxima non excludit: Auicenna verò errauit quidem tribuens intelligentiis superioribus creationem inferiorum, & infimæ introductionem formarum substantialium: non tamen cõstat ipsum dixisse omnes inferiores formas fieri per creationem. Vnde Soncin. 7. Metaphys. quæst. 29. arbitratur eius opinionem probabiliter posse defendi; de quo dicemus loco citato de causa efficiente, & iterum inferiùs tractando de intelligentiis creatis.

Plato & Auicenna ab errore vendicantur.

B Cuiuscunque verò fuerit illa opinio, vniuersaliter intellecta improbabilis est: de anima namque rationali, vera est & catholica: de aliis verò est falsa, quia alias omnes formæ substantiales essent subsistẽtes, & independentes à materia in fieri, & consequenter etiam in esse, quod est absurdissimum: alias omnes animæ brutorum essent immortales. Sequela patet, quia creatio & est rerum subsistentium, & non pendet à materiali causa, vt infrà dicemus. Secundò vrget contra hanc opinionẽ ratio suprà insinuata, quia si formæ substantiales creantur propter dictam causam, etiam accidentales creari necesse est; quia etiam forma accidentalis fit ex nihilo sui, & non præexistit actu in subiecto, neque secundum se totam, neque secundum partem. Quòd si hoc concedatur, sequitur vlteriùs, quòd sicut introductio formarum substantialium ob eam causam non est ab agentibus naturalibus, ita neque effectio accidentalium. Atq; ita tandem sequitur, agentia naturalia nihil omnino agere: quòd absurdissimum esse infrà ostendemus.

X.

Resolutio quæstionis.

C Vera igitur, & Peripatetica sententia est inter formas substantiales quasdam esse spirituales, & substantiales, & independẽtes à materia, quamuis eam verè informent, alias verò esse materiales, itaq; materiæ inhærentes, vt ab ea in esse & fieri pendeant. Prioris ordinis sunt solæ animæ humanæ (agimus enim tantùm de formis informantibus) & de illis concedendum est consequens illatum in difficultate tacta, nimirum fieri ex nihilo per veram creationem, quod in proprio loco latiùs est ostendendum, nunc satis sit dicere id necessariò consequi ex principio posito, supposito quòd hæ animæ non præexistũt antequam corporibus vniantur, quòd certum est ex fide, & ex illo principio, quòd sunt veræ formæ corporis. Imò, licet præexisterent, non possent nisi per creationem existere, quia non sunt entia necessaria ex se, & ex sua quidditate habentia esse, vt vniuersè demonstrabimus infrà, partim in disputat. de causa efficienti, partim demonstrando vnum tãtùm esse ens increatum. Si autem rationalis anima nõ habet esse, nisi per efficientiam alterius, & fingitur esse ante corpus, quodammodo clariùs & euidẽtiùs est, habere esse per creationem, quia facta est ex nihilo, & absque

Prior effectio de anima rationali.

& absq; concursu subiecti, vel causæ materialis. Dico autem esse quodammodo clarius, quia nunc, dum expectatur dispositio corporis, vt anima fiat, videri potest non esse tam propria creatio, quia fit cum aliquali concursu materiæ. Nihilominus tamen est vera creatio, quia ex parte corporis non est concursus per se, & in genere causæ materialis, in ipsum esse, vel fieri animæ rationalis, sed est veluti quædam occasio exigens creationem illius animæ, sine qua occasione nec ipsi animæ debetur vt fiat, nec causa eius ad illius effectionem determinaretur. Quod autem corpus, seu materia non influat per se in fieri, vel esse animæ, cõstat ex eo, quod anima rationalis separata à corpore, retinet suum esse: ergo non pendet à subiecto sustentante in suo esse: ergo neq; in fieri, quia tale est fieri rei quale est esse: ergo & è conuerso subiectum ipsum seu materia non habet per se influxum in esse aut fieri talis animę, nam hæc duo correlatiua sunt, vel potiùs idem, dependentia effectus, & influxus causæ.

XI. Ex nihilo nihil fit, axioma limitatum.

Quocirca principium illud: *Ex nihilo nihil fit*: vniuersè intellectum de omni causa, & de omni effectu falsum est, & contra rationem naturalem, vt hoc ipso exemplo animæ rationalis ostenditur, & exemplo etiam materię primę, vt suprà tactum est, & plura in sequentibus afferemus. Intellectum autem de virtute agentis finiti, & naturalis, verum est. Vnde quoad hanc formam, concedendum est non esse in proximis agentibus naturalibus virtutem ad efficiendam illam, sed proximum agens disponere materiam: intelligentiam verò separatam efficere formam, non quidem intelligentiam creatam, vt putauit Auicenna, nec ideam separatam, & extra Deum existentem, sed Deum ipsum: quem solum esse effectorem rerum omnium, quæ per creationem fiunt, infrà ostendimus.

B tio sumitur ex Aristotele 1. Physicorum per totum, & libro 7. Metaphys. & ex aliis authoribus, quos statim referam. Et declaratur breuiter, nam fieri ex nihilo duo dicit, vnum est fieri absolutè & simpliciter, aliud est quod talis effectio sit ex nihilo. Primùm propriè dicitur de re subsistente, quia eius est fieri, cuius est esse: id autem propriè est, quod subsistit, & habet esse; nam quòd alteri adiacet, potiùs est quo aliud est. Ex hac ergo parte, formę substantiales materiales non fiunt ex nihilo, quia propriè non fiunt. Atque hanc rationem reddit Diuus Thomas 1. parte quæstione 45. articulo 8. & quæstione 90. articulo 2. & ex dicendis magis explicabitur. Sumendo ergo ipsum *fieri* in hac proprietate & rigore, sic fieri ex nihilo est fieri secundum se totum, id est nulla sui parte præsupposita, ex qua fiat. Et hac ratione res naturales dum de nouo fiunt, non fiunt ex nihilo, quia fiunt ex præsupposita materia, ex qua componuntur, & ita non fiunt, secundum se totæ, sed secundum aliquid sui. Formæ autem harum rerum, quamuis re vera totam suam entitatem de nouo accipiant, quàm anteà non habebant, quia verò ipsæ

C non fiunt, vt dictum est, ideò neque ex nihilo fiunt. Attamen, quia latiori modo sumendo verbum illud *fieri*, negari non potest, quin forma facta sit, eo modo quo nunc est, & anteà non erat, vt etiam probat ratio dubitãdi posita in principio sectionis; ideò addendum est, sumpto *fieri* in hac amplitudine, fieri ex nihilo non tantùm negare habitudinem materialis causæ intrinsecè componentis id quod fit, sed etiam habitudinem causæ materialis per se causantis, & sustentantis formam quæ fit, seu confit. Diximus enim in superioribus materiam & esse causam compositi, & formæ dependentis ab illa: vt res ergo dicatur ex nihilo fieri, vterq; modus causalitatis negari debet; & eodem sensu accipiendum est illud axioma, vt sit verum: *Ex nihilo nihil fit*, scilicet virtute agentis naturalis & finiti nihil fieri, nisi ex præsupposito subiecto per se concurrente, & ad compositum, & ad formam, si vtrumque suo modo ab eodem agente fiat. Ex his ergo rectè concluditur, formas substantiales materiales non fieri ex nihilo, quia fiunt ex materia, quæ in suo genere per se concurrit, & influit ad esse, & fieri talium formarum; quia, sicut esse non possunt nisi affixæ materiæ, à qua sustententur in esse: ita nec fieri possunt, nisi earum effectio, & generatio

XII. Dices, hinc fieri materiam primam non esse in potentia naturali ad animam rationalem, quod videtur inconueniens. Sequela patet, quia omnipotentiæ passiuę naturali correspondet potentia actiua naturalis; sed nulla est potentia actiua naturalis, quæ possit formam hanc in materia efficere: ergo neque in materia est potentia passiua naturalis ad illam. Aliqui concedunt sequelam, tum propter rationem factam, tum etiam quia si materia esset in potentia ad animam rationalem, cùm fit hæc anima, diceretur educi de potentia materiæ. Sed non placet hæc sententia, nam si materia non esset in potentia naturali ad animam rationalem, generatio hominis non esset naturalis, quia neque ex principio actiuo, neque ex passiuo esset naturalis. Item, quia materia naturaliter disponitur vltimatè ad recipiendam formam rationalem; & illi sic dispositæ iuxta naturæ ordinem debetur talis forma: est ergo in potentia naturali ad illam. Ad difficultatem ergo respondetur, negando sequelam. Ad primam verò rationem respondetur naturalem potentiam primò & per se esse attendendam in ordine ad actum connaturalem & proportionatum: anima autem rationalis est actus naturalis, & proportionatus materiæ, & ideò etiam materia est potentia naturalis ad illum actum, vnde ex vtraque fit quoddam ens naturale per se vnum, & materia ipsa connaturaliter conseruatur sub tali actu. Quòd verò attinet ad potentiam actiuam, inprimis dari potest potentia actiua naturalis ad vniendum talem actum tali potentiæ, & hoc modo iam respondet potentia actiua naturalis, potentiæ naturali passiuæ. Deinde, quamuis hæc forma à solo Deo fieri possit; tamen Deus in ea actione operatur iuxta modum & ordinem naturis rerum debitum: & hoc satis est vt dicatur operari per modum causæ naturalis, & vt potentiæ passiuæ sufficiens virtus actiua respondeat. Ad alteram rationem respondetur, aliud esse materiam continere formam in potentia, & aliud, esse in potentia ad formam, nam primum indicat vim causandi formam, nam causa continet effectum in suo genere: secundum verò indicat solùm capacitatem ad recipiendam formam. Materia ergo est in potentia naturali ad rationalem animam recipiendam, non tamen illam in potentia sua continet, cùm non possit causare illam, ideoq; anima rationalis nõ educitur ex potentia materiæ, quia nihil educitur nisi vnde continetur: & quia eductio indicat causalitatem materiæ in formam, vt iam dicemus.

Materia prima, naturalis potentia ad rationalẽ animã.

XIII. Formæ substantiales omnes, rationali exceptâ, ex subiecto præexistente fiunt.

Secundò de omnibus aliis formis substantialibus dicendum est non fieri propriè ex nihilo, sed ex potentia præiacentis materiæ educi: ideoque in effectione harum formarum nihil fieri contra illud axioma, *Ex nihilo nihil fit*, si rectè intelligatur. Hæc asser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

in eadem materia sustentetur. Et hæc est propria & per se differentia inter effectionem ex nihilo, & ex aliquo, propter quam, vt infrà ostendemus, prior modus efficiendi superat vim finitam naturalium agentium non verò posterior.

XIIII. Quid sit educi de potentia materiæ variis modis explicatur. Primo. D. Thom.

Ex his etiam constat, propriè de his formis dici non creari, sed educi de potentiæ materiæ, & quid sit *educi de potentia materiæ*; in quo explicando multi laborant, tum in 1. Physic. tum in 7. Metaph. Sed vtrûque breuiter declarauit D. Thom. 1. part. quæst. 90. artic. 2. ad secundum. Nam cùm illæ formæ non fiant ex nihilo, non creantur: quia creari est fieri ex nihilo. Cùm autem illæ formæ in potentia materiæ contineantur, & per actionem agentis quasi extra illam potentiam fiant, non quòd extra materiam existant, eiusque potentiam non actuent, & illi adhæreant, sed quòd, cùm antea tantùm continerentur in potentia, & in causa, postea sunt actu, & extra causam: & ita ex esse potentiali materiæ, in qua continebantur in actum educuntur virtute agentis, concurrente eadem materia. Dices, Ergo eadem ratione dicentur res educi de potentia agentis, quia etiam in ea continebantur virtute & potestate: & ex hoc esse in potentia educûtur in actum per actionem ipsius agentis. Respondetur, absolutè negando sequelam quia illa verba in omni proprietate significant habitudinem causæ materialis, & non efficientis. Itaque tam efficiens quàm materia potest dici continere effectum, diuersò tamen modo: nam agens continet eminenter seu virtualiter, materia verò solùm in potentia receptiua seu passiua: cùm ergo dicitur forma educi de potentia materiæ, peculiariter denotatur hæc habitudo materialis causæ: agens verò, propriè dicitur per virtutem suam educere effectum de potentia in actum.

XV. Secundo.

Aliter etiam explicari solet, quid sit educi formâ de potentia materiæ, nimirùm, quòd sit fieri in materia cum dependentia ab illa in esse, & fieri: quod conuenit omnibus formis substantialibus, exceptâ rationali. Quæ explicatio solis verbis differt à præcedenti, nam (vt suprà dicebam) materiam cõtinere in potẽtia sua, causalitatem seu vim causandi importat ex parte materiæ in suo genere: formam ergo trahi, aut fieri extra potentiam materiæ: in qua continetur, nihil aliud est, quàm fieri actu in materia, concurrente materia ipsa in suo genere per potentiam suam ad fieri & esse talis formæ: sed hoc ipsum est fieri formam cùm dependentia materiæ in fieri, & in esse: solumq; est diuersus modus explicandi per habitudinem effectus ad causam, vel è contrario per habitudinem causæ ad effectum. Alia item explicatio occurrit, quæ licet rem diuersam à præcedentibus non contineat, tamen eam magis declarat, & apta est ad nonnullas difficultates insurgentes explicandas. Formam ergo educi de potentia materiæ, est fieri eadem actione, qua fit compositum ex materia præcedente, quæ per illam actionem non fit. Quam expositionem videtur intendisse Diuus Thomas, cùm dixit; formam non creari, sed educi, quia non est ipsa quæ per se producitur, sed compositum, forma verò comproducitur ex præiacente materia. Et inductione constat ita fieri in omnibus formis quæ educuntur ex potentia materiæ. Ratio verò reddi potest, quia eductio in hoc consistit, quòd sit actio vel mutatio per se & essentialiter pendens à materia: per hanc autem actionem simul forma fit, & vnitur materiæ: ideoque per eandem fit per se primò compositum, & comproducitur talis forma, sitque actu extra potentiam materiæ: ergo eductio formæ de potentia materiæ optimè per illam actionem declaratur.

A

Corollaria ex præcedenti resolutione.

XVI. Rationalis anima non educitur de potentia materiæ.

Atque hinc primò intelligitur ampliùs, quod suprà dicebamus, formam rationalem non educi de potentia materiæ, quia nec continetur in potentia illius, vt extra ipsam educatur, neque fit, aut existit dependenter à materia, neque fit eadem actione, qua fit compositum, seu qua ipsa vnitur materiæ: priùs enim, saltem natura, ipse in se fit, & accipit esse suum independens à materia, & posteà alia actione vnitur, qua totum compositum generatur.

XVII. Formæ elementares non educuntur de potentia materiæ.

Secundò expeditur ex dictis alia difficultas, quæ hîc occurrebat de formis cœlestibus, an scilicet dici possint eductæ de potentia materiæ; nam iuxta priores interpretationes videbatur ita esse affirmandum, nam illæ formæ pendent in fieri & esse à sua materia: ergo educuntur de potentia illius, nam si pendent in fieri, & in esse: ergo causantur à materia: ergo continentur in potentia eius: ergo, cùm actu fiunt, educuntur ex potentia eius. Nec satis est respondere, illas formas non fieri, sed confieri cum compositis, quia etiam formæ rerum generabilium non fiunt, sed confiunt, & nihilominus dicuntur educi propter dictam dependentiam, & continentiam. Dicendum verò est cum communi sententia, illas formas verè non educi, quia vbi non est totius compositi generatio, nec potest esse formæ eductio. Ratio autem à priori est, quia, vt suprà tactum est, vnica est actio, qua cœlum secundum se totum producitur, & non solùm forma, sed etiam materia fit, quæ actio est integra, & perfecta creatio totius, & concreatio materiæ & formæ, & ideò ibi non est eductio de potentia materiæ. Cùm ergo dicitur forma educi, quæ pendet in fieri & esse à materia, intelligitur, quando ad ipsam formam, vel ad formale esse quod per illam communicatur, tendit propriùm fieri & propria actio, quę ita materiam præsupponit, vt per eam materia non fiat. Et similiter, cùm dicitur educi forma de potentia materiæ, quia in potentia eius continebatur, supponitur materia priùs existens in potentia ad formam, quam illam actu habeat: materia autem cœli, licet sit potentia ad suam formam, postulat ex natura sua vt non sit in potentia ad illam, quia hoc esse in potentia includit priuationem.

B

C

SECTIO III.

An in eductione substantialis formæ oporteat materia tempore antecedat.

HÆc difficultas nascitur ex præcedenti resolutione, eiusq; cognitio est necessaria ad comprehendendam ampliùs huiusmodi formę originem, seu eductionem. Explicaturq; optimè difficultas in formis elementorum, sub quibus hęc materia generabiliũ creata est, cùm primùm fuit producta, de quib. quęritur an fuerint eductę de potentia materię. Quibusdam enim videtur, idem esse iudicium de his formis, & de formis cœlestibus, quia etiam elementa tunc non fuere genita, sed creata: ergo formę eorũ non fuere eductę, sed concreatæ, Item, quia materia

I.

materia nunquam fuit in potentia ad illas formas, quia semper fuit actu sub illis, ergo non fuerunt eductæ, quia, vt dicebamus, eductio ex proprietate verbi dicit habitudinem ad subiectum quod priùs erat in potentia. Item, in illo initio per eandem actionem, qua fuit creata terra, fuerunt simul concreatę materia & forma eius: ergo ibi non est eductio. Tertiò, cùm creatur angelus, vel anima, non educuntur potentiæ eius ex capacitate subiecti, quia concreantur: ergo multò minùs dicentur educi formę substãtiales, quæ concreãtur cum qualibet materia. Quartò, cùm creatur angelus, non educitur subsistentia aut personalitas de potentia naturæ, licet concreetur; ergo similiter, &c. Atq; ita his rationib. videtur concludi, ad eductionem necessarium non esse, vt materia tempore antecedat formam.

A

II.

Aliundè autem videtur esse valde dispar ratio de formis elementorum ac corporum cœlestium: nam hæ tales sunt, vt natura sua postulẽt fieri eadem actione qua fit materia, illæ verò minimè, sed potiùs supponunt materiam creatam per propriam & distinctã actionem, & per aliam in eam inducuntur etiam in prima ipsorũ conditione: ergo illa actio qua inducitur forma, non potest esse nisi vera eductio. Antecedens probatur, nam actio illa, qua creata fuit materia elementaris, talis est, vt vsque nunc eadem perseueret, conseruando ipsam materiam: actio verò terminata ad formam, vel compositum, cessauit, quando illud compositum corruptum fuit, ergo signum est, illas actiones esse ex natura rei diuersas. Nec dici potest, illas fuisse actiones partiales componentes vnam: aliàs dicendum esset, etiam nunc componi vnam actionem ex conseruatione materiæ, & eductione formæ, seu generatione. Nam si fuit vna actio composita, qua fuit creata hæc pars terræ, & postèà hæc terra corrumpitur, & conuertitur in herbam, cessat actio quantum ad illam partem, per quam cõseruabatur forma terræ in illa materia, & loco illius succedit alia, qua inducitur forma herbæ in eandem materiam; actio verò terminata ad entitatem materiæ semper manet eadem: ergo si illa de se est partialis, & componit vnam actionem completam cum actione inductiua, vel conseruatiua primæ formæ; eadem ratione componit vnam actionem cum illa, per quam inducitur secunda forma, quæ priori succedit. Probatur consequentia, quia est omnino eadem ratio, proportio, coniunctio, & aptitudo inter has actiones, sicut inter illas: tum etiam, quia aliàs actio illa conseruatiua materiæ esset de se partialis & apta ad componendam vnam totalem actionem, & tamen nunc perpetuò maneret incompleta, & sine debita compositione. Consequens etiam videtur planè falsum, quia actio qua fit materia, est vera creatio, & eadem perseuerans est qua conseruatur: ex creatione autem generatione non componitur vna actio: sunt ergo illæ duæ actiones, & non duæ partes eiusdem actionis: ergo etiam in prima rerum conditione interuenerunt hę actiones distinctæ inter se, quamuis tempore coniunctæ. Iuxta hunc ergo discursum planè concluditur, ad veram eductionem necessarium non esse, vt materia tempore antecedat; nam ex illis duabus actionibus, illa quæ posterior natura est, habet veram rationem eductionis, nam pendet essentialiter à materia, quæ per illam non fit, sed creata supponitur. Et confirmatur, nam si fingamus, Deum produxisse illam materiam priùs informem, & post aliquod tempus informem eam induxisse formam, nemo negaret eam fuisse veram eductionem: sed, licet hęc posterior actio in eodem instanti coniungatur priori, est eiusdem rationis ergo est vera eductio.

B

C

III.

Dices, Simili argumento probaretur, formã cœli educi de potentia materiæ; quia si Deus priùs tempore creasset illam materiam sine forma, & posteà in eam induceret formam, iam tunc educeret illam de potentia materiæ. Respondetur, negando sequelam, & ad probationem negatur assumptum, quia etiam tunc non posset dici cœlum factum per generationem, & consequenter nec forma eius facta per eductionem, quia actio illa ex natura sua non supponit materiam factam: quòd verò in illo casu miraculoso illam supponat, est per accidens, & non mutat naturam actionis. Et fortasse illa actio qua fieret, vel conseruaretur materia sine forma, vel sub alia forma distincta, non esset eiusdem rationis cum ea, qua fit sub propria forma. Et ideò in prædicto casu, quando induceretur forma cœli in materiam præexistentem, cessaret prior actio, qua conseruabatur nuda, & inciperet noua actio, qua ex tunc totum cœlum acciperet esse, quæ in re esset vera & totalis creatio, quamuis fortè non sic denominaretur propter præexistentem materiam. Quòd si quis contẽdat (quòd est probabile) Deum conseruare illam materiam per eandem actionem, qua anteà eam cõseruabat, & inducere formam cœli per aliam totalem actionem omnino distinctam; in eo casu (si possibilis est) fatebimur illam posteriorem actionem esse eductionem formæ cœli, & consequenter cœlum esse generabile miraculoso ac extraordinario modo: negamus tamen formam cœli ex natura sua per talem actionem fieri, sicut fit forma elementi: cœlum autem nunc factum est modo suæ naturæ proportionato: & ideò non est similis consecutio. Illam verò differentiam inter cœlum & elementum colligimus ex incorruptibilitate vnius, & corruptibilitate alterius: nam quando materia & forma sunt inseparabiles natura sua, postulant fieri per vnam actionem ex se indiuisibilem, vel omnino, vel saltem ex natura rei. Quando verò materia ex se est separabilis à qualibet forma diuisiuè, sub eadem materia possunt variari actiones inductiuæ formarum, & ideò actio, per quam talis materia fit, & conseruatur, distincta est, & natura sua præsupponitur ad quamcunq; actionem inductiuam formæ.

IIII. Instantiæ satisfit.

Sed dicet rursus aliquis, esto hæc vera sint, nihilominùs primam formam concreatam huic inferiori materiæ, non posse dici eductam de potentia materiæ, quia non antecessit tempore materia illa vt existens in potentia ad talem formam: neque enim satis est, quòd ordine naturę antecedat, nam etiam materia cœli ordine naturę antecedit suam formam in genere causæ materialis. Imò addunt aliqui ad eductionem formæ necessarium esse, vt dispositiones etiam in materia antecedant, quod in creatione elementorum dici non potest. Sed hoc de dispositionibus videtur impertinens: nam dispositiones remotæ solent tempore antecedere quasi per accidens propter inefficaciam agentis: at si Deus in vno instanti transmutat aquam in vinum, illæ dispositiones non præcedunt tempore, & nihilominùs illa vera generatio est, & vera eductio. Dispositio autem vltima nunquam antecedit tempore introductionem formę: eo autem modo, quo in generatione naturali antecedit ordine naturæ, antecessit etiã in prima elementorũ creatione. Nam re vera illa vnio formæ ad materiam, quæ tunc facta est, fuit facta cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

eadem dependentia ab vltima dispositione, quam nunc habet in quocunq; elemento: ergo & cum eadem causalitate ex parte dispositionis: ergo cum eodem ordine naturæ, nam hic ex causalitate sumitur. De ipsa verò materia prima, hoc est quod contendimus, nimirum, vt forma educatur de potentia eius, non videri necessarium, materiam antecedere ordine temporis sub priuatione, sed satis esse, quod antecedat ordine naturæ: quomodo constat fuisse priorem creationem materiæ elementorum inductione formæ: nam illæ fuerunt duæ actiones, vt declarauimus, ita subordinatæ, vt inductio formæ essentialiter supponat creationem materiæ, à qua pendet vt à causa omnino necessaria.

V. Quod autem hæc anteceſſio sufficiat, potest multis modis confirmari. Primo à priori ex dictis: nam illa satis est, vt ea inductio formæ sit actio eiusdem rationis cum ea, quæ posterior esset duratione, si Deus priùs materiam sine forma crearet, & posteà eam informaret. Nam sola temporis interruptio nõ sufficit variare actiones essentialiter: ergo eadem anteceſſio naturæ sufficit ad eductionem formæ. Secundo à simili, quia si eodem instanti, quo aer creatur, illuminetur à Sole, lumen illud educitur de potentia aeris, suppono enim alias illuminationes fieri per eductionem, quod infrà ostendam: sed aer tunc solùm ordine naturæ antecederet introductionem luminis, vt constat, ergo. Maior patet, quia illa illuminatio est propria & per se actio distincta à creatione. Tertio ex differentia inter materiam cœli, & materiam elementi quoad anteceſſionem ad formam: est enim duplex differentia notanda, & quæ maximè ad rẽ pertinet. Prior est, quòd materia cœli etiam ordine naturæ non antecedit simpliciter introductionem propriæ formæ, quia habet cum illa necessariam connexionem, ita vt sine illa modo cõnaturali creari non possit: materia autem ignis simpliciter antecedit ordine naturæ, quia non habet intrinsecam connexionem cum forma ignis, sed posset sub aliis creari. Posterior differentia, quæ præcedentem declarat, est quod materia ignis ita est prior, vt ex vi actionis, per quam creatur, posset esse sub priuatione formæ ignis. Et hoc modo non solùm materia, sed materia vt in potentia, dicitur esse prior natura, non quia in re priùs habeat priuationem annexam, sed quia ex vi actionis, per quam creatur, non caret priuatione, sed necessaria est alia actio qua informetur: quæ potest habere veram rationem eductionis: materia autem cœli, eadem actione qua creatur, informatur; &, licet secundum propriam rationem causandi dicatur prior natura, tamen vt existens in potentia, & aliquo modo sub priuatione, nullo modo dicitur natura prior: & ideò non habet eam prioritatem naturæ, quæ ad eductionem formę necessaria existit. Quamobrem probabilissimũ existimo, esse lõgè dispar em rationem de prima informatione materiæ rerũ generabilium, & cœlestium.

Differimen inter materiam cœli, & elemẽtarem quoad concursum ad effectionem suarum formarum.

Resolutio quæstionis.

VI. In hac re verum in primis censeo, in creatione rei corruptibilis, siue elementi, siue alterius cuiusuis, interuenire duas illas actiones suprà declaratas. Quod indicauit Henricus quodlib. 1. quæst. 10. citãs Augustinum 13. Confess. cap. 33. dicentem materiam de omnino nihilo, mundi autem speciem de informi materia factam esse. Quanquam ibi Augustinus indifferenter loquatur de cœlis & elementis. Neque est cur hoc mirum videatur, quandoquidem in conseruatione ignis, vel alterius rei similis, duæ actiones interueniunt, vt satis declarat illa ratio, quòd vna cessante, alia perseuerat. Sed iuxta doctrinam Diui Thom. conseruatio, per se loquendo, est eadem actio cum productione, ergo. Imò in conseruatione hominis, tres interueniunt actiones, scilicet conseruatio materiæ, & conseruatio animæ, & conseruatio vnionis, seu totius, quas esse distinctas, inde rectè colligitur, quòd hac cessante aliæ duę manent: & inde etiam rectè fit argumentum eadem tres actiones in productione hominis interuenire; ergo idem est proportionaliter in aliis. VII.

Deinde verum etiam censeo actionem illam per quam materia generabilium informatur in primo instante suæ creationis, esse eiusdem rationis cum actione qua informaretur ab eodem agente Deo, etiamsi creatio materiæ tempore præcessisset. Hoc persuadet illa ratio quòd temporis interstitium, vel concomitantia nihil refert ad variandas essentialiter actiones. Item, quia illæ actiones conueniunt in formali termino vel totali, & in principiis vel causis à quibus pendent: ergo nulla est ratio distinguendi illas essentialiter. Ex quo vlteriùs concluditur, illam actionem qua informatur hęc materia, etiam in primo instanti quo creatur, non esse creationem, in rigore loquendo, & præcisè illam actionem considerando. Probatur, quia si illa actio posteriori tempore fieret, non esset creatio ex omnium sententia: ergo neque tunc facta, quia est eiusdem rationis. Et ratio à priori est, quia illa actio est ex materia ordine naturæ præsuppositа. Neque obstat quòd terra absolutè dicatur in principio creata, tum quia etiam virgulta, & animalia dicuntur creata, quamuis certum sit formas harum rerum non esse introductas per rigorosam creationem, tum etiam, quia terra dicitur creata, non propter illam vnionem præcisè sumptam, sed vt coniunctam actioni qua creata est materia terræ, nam quia illæ duæ actiones factæ sunt simul ac per modum vnius, ab eis dicitur creata terra. Vnde, quamuis eodem verbo dicatur, *Creauit Deus cœlum & terram*, non oportet vt modus creationis seu actionis, quæ in vtriusque productione interuenit, sit idem, nisi quantum ad id quod vtrique commune est, nimirum fieri ex nihilo, quoad reliqua verò vnum quodque creatur iuxta modum & capacitatem naturæ suæ. VIII.

Atque hinc vltimò elicio solùm de nomine manere quæstionem, an eductio formæ ex materia locum habeat, etiamsi materia duratione non antecedat, sed natura tantùm; seu (quod idem est) an illa prima effectio formæ terræ dicẽda sit eductio de potentia materię, nam si nomine eductionis solũ significetur positiua ratio illius actionis, per quam fit forma dependenter in fieri & esse à materia, quæ per illã actionem nõ creatur, sed creata supponitur, re vera illa est eductio, vt discursus factus ostendit. Si verò nomine eductionis, præter dictam rationem positiuam & realem, connotetur negatio, vel extrinseca denominatio, nimirum quòd cum illa actione non producatur simul ipsum subiectum, etiamsi per aliam actionem creetur, sic non poterit illa vocari eductio, vt per se cõstat, sed dicitur cõcreatio, in sensu statim declarando. Et videtur sanè nomen *eductionis* frequentiùs sumi in hac posteriori significatione: & ideò ita loquendum est cum multis, quamuis oporteat rem ipsam intelligere & explicare cum paucis. Et iuxta hanc loquendi formam conciliãtur facilè, & conceduntur rationes factæ pro priori sententia, tamen,

tamen, ne videantur procedere contra rem à nobis declaratam, oportebit earum solutiones attingere.

Argumentorum solutiones.

IX. Et prima quidem, quæ sumitur ex formis cœlestibus, iam expedita est, & constituta differentia inter corpora incorruptibilia, & corruptibilia. Secunda verò, quæ sumitur ex proprietate verbi *educere*, etiam à nobis admittitur, si tantùm ad modum loquendi, & ad extrinsecam connotationem respiciat: si verò ad rem & actionem positiuam, sic negamus, de ratione eductionis esse, vt subiectum prius tempore antecedat, sufficit enim prioritas naturæ, vt à nobis declarata est. Tertia ratio nitebatur in nomine *concreationis*, in quo est obseruandum, duobus modis dici aliquid concreari alteri: vno modo, quia eadem actione, qua aliquid creatur, ipsum fit: quomodo materia & forma cœli, concreantur cum cœlo, & quandò forma sic concreatur, non educitur, vt in forma cœli declaratum est. Alio modo dicitur concreari, quod simul fit cum re quæ creatur, quamuis non eadem actione fiat, vt dicitur gratia B concreata cum Angelis, & sic etiam dicitur forma terræ concreata materiæ: & quod sic concreatur, potest fieri per actionem, quæ in re sit eiusdem rationis cum eductione, quamuis propter concomitantiam creationis subiecti eo nomine non appelletur. Et hinc etiam patet solutio ad quartam rationem, quæ sumebatur ex concreatione potentiarum in substantia animæ vel Angeli. Petitur verò in illa vltima ratione specialis difficultas, quæ hìc poterat quarto loco tractari de eductione formæ accidentalis de potentia subiecti, tamen quia de forma accidentali sequentem disputationem instituturi sumus, ibi commodiùs difficultatem hanc explicabimus. X.

Quinta verò ratio petit difficultatem aliam de modis substantialibus, an scilicet dicendi sint educi de potentia subiecti, vt verbi gratia, subsistentia de potentia seu capacitate naturæ, quam terminat, & idem est de modo vnionis formæ respectu potentiæ ipsius formæ, vel subiecti, imò & de generatione ipsa substantiali quæri potest, an educatur de potentia materiæ. De quibus omnibus breuiter dicendum est in illis esse quendam modum, vel participationem eductionis, non tamen ita propriè illis conuenire, sicut formæ substantiali: subsistentia enim non fit per propriam actionem; & præterea non propriè informat; & consequenter non comparatur ad naturam, vt ad subiectum, & propriam materialem causam, quare ex hac parte non dicitur propriè educi: in hoc autẽ imitatur eductionem, quod in suo esse & fieri, qualecunque illud sit, omnino pendet à natura, quam per se terminat, & suo modo actuat, vt latiùs declarauimus infrà, tractando de subsistentia. Generatio item substantialis non tam fit, quàm est via, per quam fit substantia: vnde non tam educitur, quam est ipsa eductio: eo tamen modo, quo ipsa generatio fit, dum per eam fit terminus etiam ipsa educitur de potentia materiæ, à qua materialiter causatur, vt suprà dictum est, & ab ipsa essentialiter pendet in fieri, & in esse, quæ duo in generatione idem sunt. Deniq; idem iudicium est de vnione formæ ad materiam, quæ tamen non per se educitur, sed educitur forma vt vnita materiæ, & sic etiã (vt ita dicam) coeducitur ipsa vnio. Quod quidem rectè dici videtur in materialibus formis. XI.

Substantiales modi an educantur ex potentia materiæ. C

In anima verò rationali habet peculiarem difficultatem, quia ex vna parte videtur educi illa vnio, quia fit per se, per propriam actionem, distinctam ab ea qua fit forma: dico autẽ vnionem per se fieri, vt formalem terminum, nam adæquatus est homo: id autẽ satis est ad propriã eductionem, quia, vt statim dicemus, forma nunquam est per se terminus actionis, nisi formalis, & vt quo: illa ergo vnio animæ ad corpus propriè, ac per se educitur. Item, essentialiter pendet in fieri, & in esse à corpore, vt à materiali causa: ergo propriè educitur. In contrarium verò est, quia illa vnio est modus quidam spiritualis: ergo non potest educi de potentia materiæ, magis quam ipsa anima. Patet consequentia, quia repugnat rem spiritualem contineri in potentia materiæ. Antecedens verò patet, quia ille modus proximè afficit animam ipsam, quam vnit materiæ: est ergo illi proportionatus, & consequenter spiritualis, sicut ipsa est. Et confirmatur, quia si forma non continetur in potentia materiæ: neque vnio contineri potest, quia vnio non est nisi modus formæ: ergo si forma non educitur, neque vnio educi potest. Ad hoc dicendum est, hunc modum vnionis esse veluti medium quoddam, seu vinculum inter formam & materiam, & ideò vtramque attingere, & aliqualiter afficere; & ideò ab vtraque pendere in fieri, & in esse. Quo fit, vt hic modus animæ rationalis, licet in sua entitate spiritualis sit, conditiones tamen participet rei materialis, quia & à materia omnino pendet, & illi suo modo coextenditur, quamuis ex parte animæ extensionem non habeat. Propter hanc ergo causam potest ille modus educi de potentia materiæ, quamuis non adæquatè, neque primariò ex sola illa, nam educitur etiam de potentia ipsiusmet animæ, quàm per se primò afficit, & vnit materiæ.

Vnio rationalis animæ an educatur de potentia materiæ, an ipsius animæ.

SECTIO IV.

An forma, dum ex materia educitur, per se fiat.

Hæc difficultas oritur ex superioribus, & ad eas magis explicandas conferet. Nam cùm dictum sit, eductionem esse actionem, qua ita fit forma in materia dependenter ab illa, vt per eam actionem non fiat ipsa materia: inde sequi videtur per talem actionem solam formam, per se primò fieri; quod repugnat Aristoteli 7. Met. tex. 26. & 27. & lib. 8. tex. 4. Sequela patet, quia per illam actionem sola forma secundum se totam educitur de non esse ad esse: totum autem non fit, nisi quatenus coalescit ex partibus iam factis: ergo forma est quæ fit, & priùs, & propriùs: Priùs quidem, quia vt totum ex partibus componatur, oportet vt partes supponantur habentes esse. Propriùs verò, quia id quod secundum suam entitatem educitur de non esse ad esse, propriùs fit, quàm quod solùm componitur ex iam existentibus. I.

In hac re prior sententia admittit, quod ratio facta probare videtur, formam propriè ac per se fieri: ita sumitur ex Alberto 2. de Anim. tract. 1. cap. 1. & 3. vbi ait, quod inter hæc tria, materiam, formam, & compositum forma propriè & primò est ens, quod etiam latè defendit Zimara Theorem. 20. Alij distinguunt duas actiones, etiam in effectione formarum materialium. Vnam, qua fit forma, aliam qua vnitur: & de priori concedunt per se primò terminari ad formam, licet posterior terminetur priII. Albertus. Zimara.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mariò ad compoſitum. Hæc opinio ſumitur ex Durando 2. diſtinct. 1. quæſt. 4. ad vltimum. Durand.

Reſolutio quæſtionis.

III. VTraque tamen ſententia falſa eſt. Et de hac quidem poſteriori dicemus latè infrà, explicãdo varios modos cauſandi efficientis cauſæ. Nunc ſufficiat contra illam ratio, quæ ex hactenus dictis facilè colligi poteſt, nam formæ materiales (de his enim tantùm eſt ſermo) non fiunt etiam quoad entitatem ſuam ſine concurſu materiali ſubiecti, ſed ſubiectum non influit in formam, niſi quatenus ſibi vnitur, vt cõſtat ex dictis ſuprà de materiali cauſa: ergo non poteſt talis forma fieri per aliquam actionem, quæ non ſit vnitiua formæ ad ſubiectum, non poſſunt ergo ibi duæ actiones ſecundum rem diſtingui, ſed ſolùm ſecundum rationem, vel inadęquatos conceptus, vel ad ſummum ſecundum partes, quæ eſſentialiter inter ſe coniunctæ ſint, vt dicto loco declarabimus.

IIII. Prior verò ſententia repugnat re vera Ariſtoteli citatis locis, quem ſequuntur Commentator eiſdem locis, & 12. Metaphy. commento 12. & 18. & D. Tho. ibidem; & 1. part. quæſt. 45. artic. 4. & 8. vbi ſolutione ad primum addit, formas non fieri per ſe, ſed per accidens tantùm; quod eſt ſano modo intelligendum, latè vtendo verbo *per accidens*, prout idem eſt, quod cum alio: propriùs verò dicitur forma hæc congenerari, vt idem D. Thomas ſignificat in illo artic. 4. q. 65. artic. 4. Idem tenet expreſſe Scot. 7. Metaph. q. 10. Anton. Andr. q. 9. Zimar. Theorem. 100. Soncin. 7. Metaph. q. 23. Ratio autem eſt, quia eius eſt per ſe primò fieri, cuius eſt eſſe, cùm fieri tendat ad eſſe: ſed id propriè eſt, quod ſubſiſtit: ergo id propriè fit: ſed hæ formæ non ſubſiſtunt, ſed compoſita ex ipſis: ergo ad compoſita propriè & principaliter terminatur actio. Confirmatur, nam actio eſt vna, vt ſupponimus; ergo & terminus adæquatus eſt vnus; ſed hic non poteſt eſſe forma, quia compoſitum re vera fit, & non eſt forma: ergo. Maioris autem claritatis gratia diſtingui ſolet duplex terminus, ſcilicet vt quod, & vt quo, ſeu qui abſolutè fit, vel quo aliud fit: Compoſitum ergo eſt *terminus qui*, ſeu *vt quod*: quia illud per ſe primò fit, nam illud maximè intenditur per generationem, & in id vltimatè terminatur generatio; & à ſimili patet in artificialibus, nam domus eſt, quæ per ſe primò ædificatur, &c. *Terminus* autem *quo*, eſt forma, quia fit, vt per eam compoſitum conſtituatur. Vnde, quia verbum *educi* propriè tantùm indicat habitudinem ad hunc terminum quo, ideò propriè ac ſimpliciter dicitur forma educi de potentia materiæ, non autem compoſitum: verbum autem *generari* aut *fieri*, dicit habitudinem principalem ad id, quod eſt, vel quod fit; & ideò ſimpliciter dicitur de forma, & non de materia.

Scotus. Anton Andreas. Zimara. Soncin.

Duplex actionis terminus.

V. Ad argumentum in contrarium reſpondetur, negando ſequelam, quia loquendo de ordine temporis, non priùs fit forma, quàm compoſitum, neq; è conuerſo. Loquẽdo autem de ordine naturæ, compoſitum non ſolùm prius fit, ſed etiam abſolutè illud ſolum fit per hanc actionem: forma verò ſolùm conſit. Et quamuis demus, in aliquo genere cauſæ formam prius natura educi, quaſi ordine executionis, abſolutè tamen non intelligitur terminata actio, nec factum id, quod per ſe primò intenditur, donec ſit totum compoſitum. Nec refert, quod aliqua pars compoſiti ſupponatur, & non formæ: oportet enim quatuor genera actionum diſtinguere: quædam enim eſt actio productiua tantùm, & non vnitiua, & hæc ſemper terminatur ad rem ſimplicem; & ideò ex ſe terminari poteſt ad entitatem partialem, ſi nata ſit hoc modo produci, & talis eſt creatio animæ rationalis, atq; idem eſt de creatione materiæ primæ, vt opinor. Alia eſt actio vnitiua tantùm, & non productiua componentium, vt eſt generatio hominis, & hæc ſine controuerſia terminatur tantùm ad compoſitum vt quod, & ad vnionem vt quo. Rurſus, eſt alia actio ita productiua alicuius compoſiti, vt ſimul ſit vnitiua & comproductiua omnium componentium: & huiuſmodi eſt creatio cœli, quam conſtat per ſe primò terminari ad compoſitum, concomitanter verò ad materiam & formam. Alia deniq; eſt actio ſimul vnitiua, & comproductiua alterius partis componentis ex præſuppoſitione alterius, & huiuſmodi eſt actio eductiua, de qua nunc agimus, & ideò non eſt de eius ratione, vt ipſius adæquatus terminus ita fiat de nouo, vt nulla eius pars præſupponatur eſſe.

B Atq; hinc obiter colligitur, hanc ſententiam non ſolùm in ſubſtantialibus formis, ſed etiam in accidentalibus veram eſſe, etiamſi Scotus ſuprà, Anton. Andr. & alij oppoſitum ſignificent, eò quod ex accidente, & ſubiecto fiat vnum per accidens, quod non videtur poſſe fieri per actionem, & cauſalitatem per ſe. Sed ſententia propoſita vera eſt, nam Ariſtot. vniuerſaliter loquitur; & maximè adhibet exempla in accidentibus. Ac tandem in tex. 32. expreſsè & in particulari hoc docet de formis accidentalibus. Nam (vt ibidem ait) ratio eadem eſt, quia multò magis accidentia nõ per ſe fiunt, ſed vt vnita ſubiectis, & ex illis. Nec refert, quòd ſint entia per accidens, nam realem, & veram, ac Phyſicam compoſitionem habent, quam per ſe includit illa actio, & ideò per illam fit per ſe primò compoſitum accidentale; nam & actio ipſa accidentalis eſt.

SECTIO V.

Quæ ſit propria ratio formæ ſubſtantialis, propriaq; cauſalitas eius in ſuo genere. 1.

C EX dictis de exiſtentia formæ ſubſtantialis, & de modo quo fit, facilè intelligi poteſt, quid ipſa ſit, & quem modum cauſandi habeat: vtrumq; autem hac breui deſcriptione comprehendere poſſumus: Forma eſt ſubſtantia quædam ſimplex & incompleta, quæ vt actus materiæ cum ea conſtituit eſſentiam ſubſtantiæ compoſitæ. In qua deſcriptione ſubſtantia ponitur loco generis co modo, quo à Philoſopho diſtinguitur in materiam, formam & compoſitum. Et per eam particulam diſtinguitur hæc forma ab accidentalibus, quæ ſubſtantiæ nõ ſunt; diſtingui etiã põt à modis ſubſtãtialibus; nam licet hi ad Prædicamentũ ſubſtantiæ reuocentur, non tamen ſunt ſubſtantiæ in ea proprietate: vnde neq; ab Ariſtotele in ea partitione enumerantur, quia non ſunt propriè entitates ſubſtantiales, vt eſt forma, quæ hac ratione ſubſtantia dicitur. Additur verò *ſimplex & incompleta*, vt per priorẽ particulam à compoſita ſubſtãtia ſeparetur: per poſteriorem verò à ſubſtantiis ſeparatis, quę interdum vocari ſolent formę aſſiſtentes, vt illæ quæ mouent corpora cœleſtia, quæ re vera non exercent munus cauſæ formalis, ſed efficientiã aliquã: quare nõ ſunt formæ ſubſtantiales, prout nunc de illis loquimur. Reliqua

Definitio formæ in genere.

II. Reliqua pars definitionis diſtinguit formam à materia, quæ etiam eſt ſubſtantia ſimplex, & incompleta, tamen vt potentia: forma verò vt primarius actus illius potentiæ. Et ideò Ariſtoteles 2. de anima definiuit, animam eſſe *Actum corporis Phyſici, &c.* Quæ definitio poteſt facilè ad formam in communi accommodari, ſi nomine actus ſubſtantialem actum intelligamus, vt intelligi debet, & ſolùm dicamus formam eſſe actum corporis Phyſici, reliquam partem auferendo, quæ animam ſecernit à formis inanimatorum. Poſſumus autem per corpus Phyſicum intelligere, vel materiam ipſam, quatenus eſt altera pars compoſiti naturalis, quæ vt forma informetur, ſemper ſupponitur, ordine naturæ in ſuo genere cauſæ, quantitate & aliquibus proximis diſpoſitionibus affecta: & ea ratione corpus Phyſicum appellari poteſt. Vel etiam poſſumus per corpus Phyſicum ens ipſum naturale intelligere, quod ex materia & forma conſtat: cuius actus dicitur forma, tanquam conſtituens illud: quomodo etiam Ariſtoteles definiuit eſſe *actum viuentis*, ſeu *quo viuimus*. Vtramq; igitur habitudinem in dicta parte noſtræ B deſcriptionis explicuimus: nam forma ſubſtantialis, ita eſt ſubſtãtia incompleta, vt ſit actus materiæ: actus (inquam) vel actu informans, vel natura ſua inſtitutus ad informandam materiam, nam verba (vt aiunt) in definitionibus dicunt aptitudinem: & ita comprehenditur anima rationalis, etiamſi à corpore ſeparata ſit. Et hinc conſequenter habet, vt cũ materia componat eſſentiam entis naturalis, quod eſt ſubſtantia compoſita: & ideò Ariſtoteles 2. Phyſicor. cap. 3. ait, *formam eſſe eſſentiæ ſeu quidditatis rationem*, id eſt, quæ compoſiti naturalis eſſentiam complet, & ab aliis eſſentialiter ac quidditatiuè eam diſtinguit.

Potest quomodo forma dicatur actus.

III. Atque hinc explicata etiam eſt cauſalitas formæ: nam quia forma eſſentialiter eſt actus, ideò includit intrinſecè habitudinem tranſcendentalem ad id cuius eſt actus, & ad actuationem, quam in illud exercet: ideoq; vix poteſt ratio formæ, niſi per habitudinem ad eius cauſalitatem, declarari. In qua poſſumus quatuor illa conſiderare, quæ in omni cauſa ſpectamus, ſcilicet formale principium cauſandi, conditionem neceſſariam ad cauſandum, cauſationem ipſam, & effectum qui cauſatur, quæ omnia ſigillatim explicanda ſunt, ſicut in materia fecimus, licet ſuppoſitis quæ ibi diximus, breuiùs hìc expediri poſſint.

SECTIO VI.

Quæ ſit ratio cauſandi formæ. I.

BRia ſub hoc titulo complecti poſſumus, ſcilicet principiũ cauſandi, quod ſit veluti actus primus, cõditiones neceſſarias ad ſic cauſandum, & cauſalitatem illam in actu ſecundo. II.

Quoad primum dicendum eſt, principium cauſandi non eſſe aliud, quàm entitatem, & naturam ipſius formæ, quæ per ſe ipſam, & entitatem ſuam cauſat, exhibendo (vt ita dicam) ſeſe totam materiæ, ſeu compoſito. Ad quod non indiget alia facultate vel potentia diſtincta à ſe ipſa, ſed per ſe ipſam eſt eſſentialiter, apta ad hanc cauſalitatem exercendam. Vnde, ſicut ſuprà dicebamus in materia non diſtingui principale & proximum principium cauſandi, quia potentia receptiua per quam cauſat, non eſt proprietas eius, ſed ipſamet eſſentialiter, ita in forma conſiderari poteſt, quaſi potentia quædam, vel aptitudo ad cauſandum formaliter, quæ manet verbi gratia, in anima ſeparata, etiamſi actu non informet: & illa aptitudo eſt proximum principium cauſandi formaliter. Non eſt tamen diſtinctum à principali, quia illa aptitudo non eſt propria entitas ſuperaddita entitati formæ, ſed eſt eſſentialis ratio, & ſpecificatio eius: nam forma eſſentialiter eſt actus actuans, de eſſentia autem huiuſmodi actus eſt aptitudo ad actuandum. Item, quia ex materia & forma ideò fit per ſe vnum, quia non interuentu alicuius proprietatis, vel accidentis vniuntur, ſed immediatè per ſe ipſas, propter proportionem & mutuam aptitudinem, quam ad ſe habent per ſuaſmet entitates incompletas, ad idem genus pertinentes, vt ſumitur ex Ariſtotele 8. Metaph. cap. 6. & 2. de anima, capit. 1. vbi id adnotat Commentator commento 7. & alij Scriptores 8. Metaphy. Diuus Thomas 2. contr. Gent. capi. 70. & 1. part. quæſt. 76. articu. 7. & alij Theologi in 2. diſtinct. 12. præſertim Scotus quæſt. 1. & Durand. qu. 2. ergo ſicut in materia non eſt fingenda potentia diſtincta, quæ mediet inter ipſam & formam, ita neque in forma cogitanda eſt aptitudo, quæ ſit aliquid diſtinctum ab ipſamet forma. Dices, quomodo poteſt forma, quæ tantùm diſtat in ſua natura à materia, illi per ſe ipſam immediatè vniri? quod maximè videri poteſt difficile in anima rationali, quæ ſpiritualis eſt. Reſpondeo in primis, nõ eſſe tantam diſtantiam, quin in eodem genere conueniant. Deinde, diſtantiam nihil obſtare, ſi ſit debita proportio: vt enim dixit Plato in Timæo, mutua proportio eſt, quaſi vinculum inter res, quæ proximè ac per ſe vniuntur: proportio autem hæc conſiſtit in ratione actus, & potentiæ, & in naturali & eſſentiali aptitudine, & mutua habitudine, quam inter ſe habent.

Ariſtoteles Comment. D. Thom. Sonc. q. 28. Iauell. q. 7. Scotus q. 4. Anto. And. quæſt. 7.

Conditiones neceſſariæ vt forma cauſet.

III. QVoad ſecundum de conditionibus neceſſariis ad hanc cauſalitatem exercendam, tres videntur poſſe conditiones aſſignari. Prima eſt actualis exiſtentia ipſius formæ, de qua diuerſimodè ſentiendum eſt, iuxta diuerſas ſententias de exiſtentia creaturæ, & diſtinctione eius ab eſſentia. Quanquam in nulla opinione videatur exiſtentia propriè dici conditio neceſſaria ad cauſalitatem formæ: nam, ſi exiſtentia eſt res diſtincta ab eſſentia, non poteſt dici conditio formæ ad cauſandum, ſed potiùs effectus; vel in genere cauſæ formalis, prout dicitur forma dare eſſe: vel in genere cauſæ efficientis, prout dicunt aliqui, exiſtentiam manare ab eſſentia; vel, vt alij volunt, in genere cauſæ materialis, quatenus forma complet eſſentiam, quæ eſt proximum receptaculum exiſtentiæ. At verò, ſi exiſtentia in re non diſtinguitur ab eſſentia actuali, exiſtentia formæ, non poteſt propriè dici conditio neceſſaria ad cauſandum: conditio enim requiſita, ſi propriè loquamur, diſtinguitur ab ipſa ratione cauſandi: exiſtentia autem non poteſt ſic diſtingui iuxta illam opinionem, quia forma cauſat per ſuam entitatem actualem, quia non poteſt intelligi actu cauſare, niſi vt habens entitatem ſuam actualem, & extra cauſas: ergo vt habens exiſtentiam. Atque hæc opinio magis probanda eſt, quia ſicut actualitas formæ, non eſt conditio diſtincta à ratione cauſandi, ſeu actuandi, ita neque exiſtentia, quæ intimè includitur in ipſa actualitate. An verò ne-

Actualis exiſtentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rò necesse sit, existentiam formæ esse præuiam ad causalitatem eius, dicendum est, non esse necessarium, vt sit præuia ordine durationis, quia talis antecessio est impertinens, imò naturaliter non est possibilis, quia formæ non debetur esse, donec illam postulet subiectum proximè aptum, quo posito, forma simul ac est, naturaliter illud informat. Rursus, neq; necesse est existentiam formæ, ita esse præuiam ordine naturæ, vt intelligatur aliquod signum vel momentum in quo existat, & non informet, quia neq; hoc est necessarium ad prioritatem naturæ, neq; in formis, quæ à materia pendent intelligi potest, vt ex dictis sectione præcedente constat. Antecessio autem naturæ, secundum aliquod genus causalitatis interuenire potest. & necessaria est, nam causalitas formæ ab eius entitate & existentia pendet: vnde necesse est, vt inter existentiam & causalitatem formæ sit ordo naturæ, ex quo sumitur *prioritas* (vt aiunt) *à quo*, non *in quo*. De quibus prioritatibus plura in sequentibus.

IIII. Intima propinquitas formæ ad materiam.

Altera conditio necessaria assignari potest præsentia seu intima propinquitas entitatis formæ cum entitate materiæ; quæ conditio est verissimè assignata, adeoque necessaria, vt sine illa, etiam de potentia Dei absoluta, non possit forma suum effectum formalem præstare. Quis enim intelligat formam substantialem loco distantem à corpore componere substantiam per se vnam? Hæc ergo compositio per intimam vnionem fit, quæ non est quidem localis præsentia, sed aliquid distinctum ab illa: necessariò tamen illam requirit. Quod ex dictis suprà in simili de materia, declarari ampliùs ac persuaderi potest, nam quoad hoc eadem est ratio de forma.

V. Dispositiones connaturales formæ.

Tertia conditio assignari potest, dispositio accommodata ex parte materiæ, quam necessariò forma requirit, vt suum effectum formalem conferre possit. Quam dispositionem aliqui existimant, adeò esse necessariam, vt etiam per potentiam absolutam non possit forma informare materiam omni carentem dispositione, præsertim quantitate. Ita Henric. Quodlib. 7. quæst. 17. Veruntamen quidquid sit, an ex parte materiæ vel quantitatis repugnet illam ab hac separari, quod tractare non possumus vsque ad disputationem de quantitate; nihilominus si semel supponatur, materiam posse conseruari à Deo sine quantitate, quod verius existimamus, non repugnabit conseruari etiam à Deo, talem materiam in eo statu informatam substantiali forma, quia nulla est tam essentialis connexio inter formam, vt exercentem suum intrinsecum effectum formalem, & hæc accidentia, vt non possit à Deo sine illis conseruari. Non intercedit igitur tam absoluta necessitas: quod verò hæc conditio modo naturali & Physico necessaria sit, experientia ipsa docet. Hinc enim prouenit naturalis rei corruptio, per quam forma à materia separatur, quæ incipit per abiectionem seu corruptionem dispositionum; ergo signum est esse huiusmodi dispositiones saltem conditiones necessarias ex natura rei, vt forma informet materiam. An verò sint conditiones præuiæ, vel consequentes formam ordine naturæ, petendum est ex dictis disputatione præcedenti.

Causalitas formæ explicatur.

VI. Quid sit causalitas formæ.

QVoad tertium de causalitate actuali ipsius formæ, quidnam sit, non est facilè ad explicandum, tamen ex his quæ dicta sunt de materia, procedere proportionatè possumus ad id declarandum. Et inprimis certum videtur, huiusmodi causalitatem aliquid esse in rerum natura distinctum ex natura rei ab entitate formæ. Probatur, quia sicut agere, aliquid est in rerum natura, ita & informare; quia verè est, realiter, ac Physicè causare. Rursus illud, quidquid est, est in re ipsa separabile à forma: nam in anima rationali de facto separatur, & in qualibet forma substantiali separari posset per potentiam Dei absolutam, nam potest extra materiã conseruari, sicut conseruata est quantitas: est enim eadem vel maior ratio: ergo distinguitur ex natura rei ab illa.

VII. Vel forma adæquata, vel eius causalitas.

Deinde, dicendum est hanc causalitatem nihil aliud esse posse, præter actualem vnionem formæ ad materiam. Probatur primò à sufficienti enumeratione, quia neq; est materia, neq; forma, neque compositum: ergo est dicta vnio; nam præter hæc nihil aliud excogitari potest. & antecedens quoad omnes partes est per se euidens. Nam de forma iam probatum est, & eadem ratio à fortiori probat de materia, compositum autem est vltimus effectus huius causalitatis; vt statim dicetur; non est ergo causatio ipsa. Item, compositum includit entitatem materiæ & formæ: causalitas autem formæ præcisè sumpta non potest hæc omnia includere. Præterea, posita vnione, & præciso quocunque alio, præter ea quæ dicta sunt, forma necessariò exercet suam causalitatem; positis autem omnibus aliis, & ablata vnione, impossibile est formam exercere suam causalitatem: ergo signum est, in vnione consistere talem causalitatem. Maior patet, quia si forma vnitur materiæ, necessariò communicat illi se ipsam per se ipsam, id est, non efficiendo aliam similem, sed suammet perfectionem & entitatem illi communicando, & hoc modo illam actuando. Et inde etiam necessariò consurgit substantialis natura composita per se vna; sed in hoc consistit tota causalitas formę, totusque effectus eius, qui ablata vnione, permanere non potest, vt per se notum est: ergo. Vnde in hoc est notanda differentia inter vnionem, quam diximus esse causalitatem formę & actionem, quam posteà dicimus esse causalitatem efficientis, quod actio ita est causalitas agentis, vt agens quatenus agens est, omnino maneat extra effectum, quia licet per actionem communicet se, non tamen se ipsum per se ipsum dando effectui, sed similem aliquam entitatem ei conferendo, vnio verò ita est causalitas formę, vt, ea mediante, se ipsam præbeat vel materię, vel composito: est enim causa intrinseca per se ipsam causans. Quo sensu dici etiam posset, causalitatem formę complecti in se entitatem formæ, seu hanc causalitatem esse ipsam formam, non absolutè sumptam, sed vnitam. Sed in hoc loquendi modo confunditur causa cum causalitate, & ratio causandi quasi in actu primo, cum causatione, quę est quasi actus secundus, & ideò formaliùs, & magis præcisè dicitur hęc causalitas, in ipsa vnione consistere.

Notandum inter vnionem formæ & actionem formę efficientis.

VIII. Dubitabis.

Sed occurrit difficultas, nam hęc vnio duplici modo contingit in diuersis formis substantialibus. In quibusdam enim est pura vnio, id est, sine inhęsione vel dependentia formę, vt in animabus rationalibus: in aliis verò est vnio, quę simul est dependentia, & quasi inhęsio formę in materia. Prior ergo vnio non potest esse causalitas formalis rationalis animę, quia est ab ea effectiuè: causalitas autem effectiua longè diuersa est à formali. Antecedens patet, quia

quia hoc ipso, quod anima creatur à Deo in corpore A dispositio, statim ipsa quasi naturali impetu sese vnit materiæ, efficiendo vnionem: nam cùm anima naturaliter sit propensa ad illam vnionem, & habeat applicatum proprium subiectum perfectibile ab ipsa, non est cur non possit ipsa quasi naturali pondere sese corpori copulare, vt sensit Henric. Quodlib. 11. q. 14. & Aureol. apud Capreol. in 4. distinct. 43. q. 2. & probabile existimat ibi Richard. articul. 3. q. 2. Posterior item vnio non potest esse causalitas formalis respectu aliarum formarum, quia illæ formæ per ipsam vnionem causantur à materia, & ab ea pendent in suo esse: ergo non possunt eædem formę esse causæ eiusdem vnionis: ergo non potest vnio esse causalitas huiusmodi formæ: causalitas enim est ab ea causa, cuius est causalitas, sicut actio est ab agente, & ideò supponit esse talis causæ. Nec potest intelligi, quòd eadem res seu modus sit ratio, seu quasi via, vt causetur forma, & per quam causet forma. Et confirmatur, nam suprà disputat 12. sectione 1. dicebamus, formam non posse esse causam formalem generationis, quia per generationem fit, & B educitur de non esse ad esse, ergo eadem ratione nõ potest esse causa vnionis, & consequenter neq; vnio potest esse causalitas eius. Patet consequentia, tum à paritate rationis, tum etiam, quia ipsa generatio videtur esse idem quod vnio, cùm dictum sit, has formas eadem actione fieri & vniri.

Henric. Aureol. Richard.

IX. Rationalis animus corpori dispositissimum sese vnit.

Ad priorem partem respondetur, sententiam Henrici, quæ ibi commemoratur, satis incertam esse, vt videre licet in Scoto in 4. distinct. 43. q. 3. artic. 3. & Capreolo ibi, q. 2. artic. 3. Nam fortasse vnio animæ rationalis, & corporis sit, vel virtute seminis, & dispositionum ab ipso generante, vel si ab hoc tantùm sit dispositiuè, fiet effectiuè à solo Deo à quo anima creatur. Quòd verò ab ipsamet anima fiat, nulla sufficienti ratione ostenditur, nam licet forma natura sua sit apta vniri, ideoq; sit naturaliter propensa ad vnionem, non inde sequitur esse potestem ad sese vniendum: sunt enim hæ diuersæ aptitudines seu potestates, quarum vna non necessariò infertur ex altera: sicut etiam materia est apta vniri, & est in suo genere propensa ad vnionem, & tamen nõ est potens se vnire. Quemadmodum enim potentia receptiua, & appetitus in illa fundatus, est diuersæ rationis à potentia actiua, & propensione eius, ita potentia (vt sic dicam) seu aptitudo formalis, & propensio in illa fundata, est distinctæ rationis ab actiua, nec est vlla sufficiens ratio, cur ex illa inferatur, maximè cùm in omnibus aliis formis probabiliùs videatur, vnionem non esse effectiuè à forma. Secundò, etiamsi illa sententia admittatur, negandа est consecutio, nam etiamsi vnio ad corpus sufficienter dispositum effectiuè manet ab anima rationali, nihilominus esse potest formale vinculum, quo anima coniungitur materiæ, vt actus potentię. Nihilq; repugnat, quod eadem vnio sit ab anima in duplici genere causæ, effectiuæ scilicet, & formalis, vel quòd sit effectus animæ, vt efficientis, & quod sit ratio causandi formaliter totum compositum: nulla enim repugnantia in his diuersis habitudinibus inuoluitur.

Dubioli solutio.

X. Vnio quæ est causalitas formæ, ab illa & à materia causatur.

Ad posteriorem partem, respondetur eandem vnionem causari, & à forma, & à materia, & ab efficiente, ab vnoquoq; in suo genere causæ, quia ab omnibus illis pendet: ideoque non repugnare vt eadem vnio, quatenus est à forma, sit quasi via seu ratio qua mediãte forma causat totum compositum, & quatenus est à materia, sit ratio, qua mediãte, forma materialis in suo esse à materia pendet. Est enim illa vnio nexus vtriusq;, scilicet materiæ & formæ, & ideò quando talis est vnio, vt etiam sit inhærentia, simul esse potest, & via (vt ita dicam) materiæ ad formam, & formæ ad materiam. Nec refert quòd causalitas formæ debet esse à forma, & ideò supponere debet eam esse ordine naturæ, nam vt suprà attigimus hæc prioritas non est in quo, sed à quo: non repugnat autem quod eadem vnio, & sit à forma vt informante materiam, & sit talis nexus formæ cum materia, vt illo mediante forma sustentetur à materia. Atq; ita eademmet vnio quatenus est à forma, est medium seu ratio, qua mediante forma actuat materiam, & componit compositum, & hoc modo dicitur esse causalitas formæ: quatenus verò per illã forma materiæ adhæret, & sustentatur ab illa, est dependentia eiusdem formæ à materia. Est enim tam intrinseca connexio inter huiusmodi formam, & vnionem, vt diuersis rationibus mutuò inter se pendeant. Ad confirmationem respondetur vnionem, interdum accipi pro actione, quæ ad tollendam æquiuocationem solet dici vnitio, interdum verò ac magis propriè sumi pro ipso modo vnionis vel inhærentiæ permanentis in facto esse inter materiam & formam, & aliquando sumi etiam pro relatione consequente, vt latiùs annotatur in 3. p. q. 2. artic. 8. Cùm ergo dicimus vnionem esse causalitatem formæ, non est sermo de relatione, vt per se notum est, nam hæc si sumatur, vt aliquid distinctum ab aliis, vel nihil est, vel quid posterius est. Neq; etiam est sermo de actione, de qua procedit dicta confirmatio: fatemur enim formam, præsertim illam quæ educitur de potentia materiæ, non esse propriè causam formalem illius actionis per quam educitur, vt citato loco ostendimus, quia est terminus eius, vnde illa actio aliquo modo actiuè comparatur ad ipsam formam, & ideò non potest verè ac propriè causari ab ipsa forma. Loquimur ergo de modo vnionis, de quo est longè diuersa ratio, quia non comparatur actiuè ad formam, sed est quasi formalis nexus inter ipsam, & materiam, & ideò potest habere dependentiam ab vtraq;, vt declaratum est.

Vnionis variæ acceptiones.

Hic verò occurrebat statim difficultas, cur hic C modus vnionis magis attribuatur formæ quàm materiæ. Sed huic satisfactum est Disputat. 13. sect. 6. Neque hîc aliquid addendum occurrit.

SECTIO VII.

Quis sit effectus causæ formalis.

I. DVo tantùm effectus sunt, qui formæ attribui possunt, scilicet, compositum & materia, nam de generatione vel vnitione iam dictum est, non esse propriè effectum eius. De vnione verò ipsa in facto esse constat ex dictis, nõ posse dici propriè effectum, nisi fortasse eo modo, quo actio dicitur effectus agentis, quatenus ab illo est, quamuis propriùs dicatur via ad effectum.

Explicatur prior effectus formæ.

II. Primarius effectus formæ compositum est.

QVoad compositum ergo satis clarum est ex dictis, illud esse proprium ac primarium effectum formę, nam ex illa intrinsecè, & essentialiter constat, & ab illa habet speciem, & (vt ita dicam)

Universidad de Deusto
Biblioteca

dicam) pulchritudinem suam: nam ipsa complet essentialem naturam & rationem eius, vt ex Aristotelis definitione suprà tradita constat. Item materia est causa cõpositi, vt suprà ostensum est: ergo multò magis forma, quia magis confert ad esse compositi: ergo & econuersò ipsum compositum est effectus formæ, nam in suo esse ab illa maximè pendet.

III. Vide Fonseca 5. Metaphys. c. 2. q. 1. sect. 3. & q. 2. sect. 2.

Sed obiiciunt aliqui, nam si compositum est prius, & primarius effectus formæ: ergo propria causalitas formæ erit constituere compositum: hoc autem verum esse non potest, quia forma prius natura actuat materiam, quàm cõpositum: nam cùm essentialiter sit actus materiæ, priùs respicit materiam, & per illam compositum: ergo compositum nõ est primarius effectus formæ, sed materia vt actuata, seu vt informata: ex quo effectu consequitur compositum vt posterior effectus. Respondeo his vocibus, non explicari duas causalitates, aut duos effectus formę, sed vnum duntaxat sub diuersis habitudinibus. Vnica est enim vnio formæ ad materiam & illa posita, & præcisa omni alia re, vel modo reali, materia manet informata per formam, & compositum ex vtraq; resultat: quamuis in ipsa forma possint diuersæ relationes considerari respectu materiæ vel compositi. Rursus materiam esse actuatam forma, non est effectus ex natura rei distinctus à composito: quia per materiam vt informatam non intelligimus solam materiam cum aliqua denominatione quasi extrinseca, nam hic conceptus, vel nullus est, vel non est conceptus alicuius effectus realis, sed denominationis quam intellectus confingere potest ex cõcomitantia, vel habitudine ad formam vt præsentem: sed per materiam informatam intelligimus materiam, vt intrinsecè affectam forma: includit ergo materia vt informata, & materiam ipsam, & formam, & vnionem. Sed compositum hæc tria includit, & nihil aliud: ergo hæc non sunt in re distincta: ergo non sunt duo effectus, sed vnus diuersimodè à nobis conceptus & declaratus.

Vnica vnione & materiam & compositũ causat forma,

IIII. Et confirmatur ac explicatur à simili, nam in forma accidentali, non est aliud informare subiectum, & componere cum illo compositum accidentale, vt in albedine dealbare niuem, & constituere hocalbum vt sic, idem sunt: ergo idem est proportionaliter in forma substantiali. Respondent esse disparem rationem, quia ex subiecto & albedine fit vnum per accidens, quod non est aliquid distinctum ab extremis simul sumptis & vnitis: ex materia autem & forma fit vnum per se, quod oportet esse aliquid præter illa tria, etiam simul sumpta, vt possit esse magis vnum. Sed hæc responsio falsam doctrinam supponit; impossibile est enim substantiam compositam in re aliquid includere, præter illa tria simul sumpta. Quod infrà ostendam, disputando de essentia substantiæ materialis. Neque in eo consistere potest differentia inter ens per se, & per accidens: sed in hoc quod ipsamet vnio, & extrema vnionis omnia sunt eiusdem ordinis in ente per se vno, non verò in ente per accidens. Vnde etiam fit, vt in ente per se vno, vnio sit intimior, & orta ex maiori proportione vnibilium inter se. Quòd verò in hoc solùm, & non in alio sita sit differentia demonstrari potest, quia tam ens per se vnum, prout nunc de illo agimus, quam ens vnum per accidens, non est vnum vnitate simplicitatis, sed vnitate compositionis seu vnionis: ergo maior vnitas entis per se compositi consistit in nobiliori vnione, & maiori proportione vnibilium, & non in additione tertiæ entitatis intelligibilis, quæ si sit simplex, & ipsa sola præcisè sumpta dicatur esse per se vna, non erit vna compositione, & ita non erit compositum illud, quod per formam constituitur. Si verò illud tertium sit vnum, intrinsecè includens materiam & formam, & vnionem earum, nihil his adiungere oportet, vt illud sit per se vnum, imò inde potiùs minueretur hæc vnitas, nam plura aggregarentur in eo composito, sine vlla necessitate. Retinet ergo ratio facta vim suam, quod si in accidentali forma actuari subiectum, & constitui accidentale compositum, v. g. album, idem sunt in re, etiam in substantiali forma actuari materiam, & compositum constitui, idem sunt. Neq; vnitas per se hoc impedit, sed maiori ratione id postulat.

V. Ad rationem ergo in contrarium, concedenda est sequela, nimirum essentiam substantialem compositam, esse primarium effectum formæ in suo genere, & consequenter præcipuam causalitatem formæ esse constituere idem compositum, non vtcunque, nam hoc absolutè dictum commune est materiæ, sed vt perficientis & complẽtis essentiam: materia enim inchoat illam, forma verò complet. Cùm verò additur, formam priùs natura actuare materiam, quam constituere compositum, negatur assumptum, quia illa non sunt duo, sed vnum in re, vnde non est inter ea causalitas, & consequenter nec ordo naturæ, sed ad summum, potest esse ordo rationis, secundum conceptus inadæquatos. Neq; obstat, quod forma essentialiter sit actus materiæ, nam æque essentialiter est pars compositi, imò, si inter hęc facienda esset comparatio, essentialiùs est pars compositi quàm actus materiæ, quia forma non est propter materiam, sed propter compositum: re tamen vera hæc non sunt duo in ipsa forma, sed vnum fundans duas relationes. Ex quo potiùs retorquetur argumentum, nam sicut forma, vna & eadem aptitudine est pars compositi, & actus materiæ, ita eadem exhibitione se totam dat materiæ & composito, huic vt toti, illi vt comparti: ergo etiam in effectu idem est, & omnino simul quod materia sit informata forma, & compositum constitutum: est ergo compositum proprius & primarius effectus formæ substantialis, & fortasse vnicus in genere causæ formalis: sed de hoc postremo puncto dicendum est in sectione sequenti.

An forma sit perfectior composito.

VI. PRius verò soluenda est occurrens obiectio, nam causa esse debet nobilior effectu, teste Commẽtatore 2. Physic. com. 4. sed forma non est nobilior composito: ergo non potest compositum esse proprius effectus formæ. Ad hanc obiectionem respondent aliqui negando minorem, nam Aristot. 7. Metaphys. tex. 7. & 8. præfert formam composito, dicens esse magis ens, & priùs illo. Atque ita sentit ibi Comment. & absolutè defendit Zimara theorem. 10. qui etiam refert Lyconiensem. Et probat, quia quidquid perfectionis est in composito, est in sola forma & materia nullam addit perfectionem, & aliunde tota illa perfectio est in forma, tanquam in causa, & illa est, quæ secum affert esse, quod non conuenit composito nisi ratione illius: ergo illa est simpliciter perfectior. Sed hæc responsio falso fundamento nititur, nam sine dubio compositum est perfectius sua forma. Quæ est aperta sententia Aristotelis nam in 2. de anima in principio, & vbicunq; distinguit substãtiam in materiam, formam & compositum præfert compositum formę, & formam materiæ: imò infrà agentes de substantia ostendemus, analogicè de illis dici, & ita explicuit Commentator 2. de anima comm. 3. & ideò dixit Aristoteles in prædicamento substantiæ, primam substantiam esse maximè substantiam, vbi licet comparet primam ad secundam, tamen etiam præfert primam & completam substantiam partibus & incompletis substantiis. Vnde etiam Commentator 12. Metaphys. com. 15. dicit compositum esse maioris nobilitatis quam sit materia, vel forma, & refert Alexander in eandem sententiam. Quam etiam tenet Simplicius in 1. Physic. text. 70. & 2. Physic. tex. 4.

Zimara. Simplic.

VII Suar. 7. disp. 9. 22.

Ratio verò est, quia compositum includit quidquid est perfectionis in forma, & addit aliquid: ergo est perfectius. Antecedens probatur ab aliquibus, quia compositum includit esse, quod non includit forma. Sed hæc ratio nullius momẽti est; nam vel existentia distinguitur in re ab essentia actuali, vel non: si non distinguitur, sicut essentia composita includit suum adæquatum esse, ita forma suum proprium esse: si verò distinguitur, primum ratio illa non habet locum in homine, quia esse prius conuenit animæ, quàm homini. Deinde, vt rectè fiat cõparatio, debet fieri inter essentiam formæ & essentiam compositi precisè, & sic non procedit illa ratio, vel si fiat comparatio formæ ad compositum, vt includit esse, etiam forma sumi debet vt includens suo modo esse, nam illi per se primò debetur vt primæ radici ipsius esse, quæ per illud etiam existit, quamuis denominatio existendi simpliciter tribuatur cõposito propter modum subsistendi. Probatur ergo antecedẽs, quia compositum includit perfectionem formæ, & præterea includit perfectionem materiæ. Respondet Zimara à materia nullã sumi perfectionem, sed omnem potiùs imperfectionem. Fallitur tamen, quia, vt suprà ostensum est, materia habet veram realitatem & essentiam partialem: vnde necesse est, vt habeat aliquam perfectionem in latitudine entis & maiorem quàm accidentia. Item subsistentia, perfectio est: hanc autem habet substantia materialis maximè ratione materiæ. Item materia secum affert suum partiale esse, quæ omnia constabunt infrà, latiùs tractando de subsistentia, & existentia. Et hoc sensu applicata prior ratio est efficax, nam compositum habet esse completum: esse autem formæ est incompletum. Deniq; vnio formæ ad materiam aliqua perfectio est: alioqui cur forma illam naturaliter appetet; hanc autem perfectionem includit compositum, non verò forma. Respondet aliter dictus author, quamuis compositum formaliter includat aliquam perfectionem præter formam, non sequi esse prfectiùs forma, quia omnis illa perfectio est à forma, & virtute in illa continetur: Sicut (inquit) Deus & mundus nõ est quid perfectiùs, quàm Deus solus. Sed inprimis, vt minimum, falsum erit quod asserit, formam esse perfectiorem composito: sicut Deus solus non est perfectior Deo & mundo simul. Deinde falsum est, formam continere eminenter aut virtute totam perfectionem compositi: non enim habet in virtute perfectionem materiæ, nec causalitatẽ eius vllo modo supplere potest, maximè cum ipsa pendeat à materia. Tandem forma est propter compositum, tanquam propter finem proprium ac præcipuum: huiusmodi autem finis perfectius quid est eo, quod ad finem ordinatur, secundo Physycæ, textu 31.

Exponitur Aristotelis locus ex 7. Metaphys.

VIII. Prima expositio.

AD Aristotelem in 7. Metaph. respondetur, variè locum illum exponi. Prima expositio est Aristotelem in eo tex. 7. non loqui de prioritate perfectionis, sed de prioritate causalitatis: sic enim virtute colligit Philosophus. Forma est prior materia, & materia prior cõposito: ergo forma est prior cõposito. At si loqueretur de prioritate perfectionis, minor esset falsa: loquitur ergo de prioritate causalitatis. Ita Albertus Magnus, & Scotus & indicat D. Thom. Sed non placet expositio. Primò, quia ratio illa argumentandi non est formalis, cùm mutetur genus causæ. Deinde, quia meliùs & breuiùs concluderet formam esse priorem composito, quia est causa eius. Tertiò probatur, quia Aristoteles non tantùm dicit esse priorem, sed etiam esse magis ens. Verum est, Aristotelẽ in illatione non repetere quòd sit magis ens, sed solùm, quòd sit prior: & ideò Iauellus ibi quæstione 4. dicit comparationem inter formã & materiam fieri in prioritate & perfectione: inter formam autem & compositum in prioritate tantùm. Sed hoc est præter expositionem omnium: nam ex modo colligendi & arguendi, quo vtitur Philosophus, constat aut breuitatis causa fuisse in consequente omissam illam particulam, quæ ex virtute antecedentis intelligebatur, vel certè sub prioritate comprehensam esse prioritatem perfectionis. Secunda expositio est formam esse priorem & perfectiorem non simpliciter, sed secundum quid, ita vt Philosophus virtute sic colligat. Forma est prior & perfectior materia, quia illa est actus, hæc potentia: ergo forma est etiã perfectior, & prior, quàm compositum, saltem secundum aliquid, scilicet, quia forma est actus simplex, non includens potentialitatem; compositum autem includit potentialitatem materiæ. Ita Diuus Thomas & Alensis ibi, & Soncin. 7. Metaphysicæ, quæstione 28. Duo verba obstant huic expositioni, vnũ est, quòd propter excessum secundum quid, non debuisset Aristoteles simpliciter id affirmare & colligere, præsertim cùm in antecedẽte absoluta sit comparatio, quia forma simpliciter est perfectior materia. Aliud est, quod etiam secundum quid non videtur compositum minus perfectum quàm forma; nam includere potentialitatem materiæ, non est imperfectio in composito comparatione formæ informantis, sed solùm comparatione substantiæ completæ immaterialis. Sicut rem esse simpliciorem non est semper maior perfectio, etiam secundum quid, quando talis res ordinatur ad componendũ vnum aliquid simpliciter perfectius.

IX. Quocirca existimo Aristotelem nullo modo ibi præferre formam composito, sed vel nullam inter ea facere comparationem, vel potiùs præferre compositum formę, quod notauit Simplicius citato loco, & constat ex verlione Argyropoli, quæ sic habet; *Si forma prior materia est, & magis ens, illud quoq; quod ex ambobus est, priùs erit ob eandem rationem.* Vnde antiqua versio decepit expositores, quia loco nominatiui *ipsum*, habet ablatiuum *ipso*. Et, quod ad contextum attinet, hæc etiam lectio est magis consentanea intentioni Aristotelis; nam præcipuè intendit contra antiquos ostendere, materiam non esse maximè substantiam, sed esse minùs perfectã cæteris. Vnde posteà in tex. 8. refert, antiquos dicentes, materiam esse maximè substantiam; ipse verò docet esse impossibile, & concludit; *Propter quod forma, & quod ex ambobus, substan-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

substantia videtur esse magis quàm materia. Vnde in priori comparatione, cùm concludit compositum esse prius ob eandem rationem, formaliter quidem, & immediatè, solùm videtur comparare compositum ad materiam, virtute tamen etiam illud præfert formæ, dum sic colligit: Forma est prior materia: ergo etiam compositum, eadem (inquam) ratione, scilicet, quia includit ipsam formam, & consequenter est etiã prius perfectione, & nobilitate ipsa forma, cùm ad illam vt totum ad partem comparetur.

X. Non omnis causa nobilior effectu.

Ad obiectionem autem in principio positam respondetur negando simpliciter maiorem, non enim est necesse, omnem causam esse nobiliorem effectu, sed solùm in aliqua causa efficiẽte & simili; non verò in materiali vt omnes fatentur, neque etiam in formali, ferè propter eandem causam, quia, nimirum, hæ causæ intrinsecæ ita sunt causæ, vt sint etiam partes, & neutra per se dat effectui totam entitatem aut perfectionem eius, sed constituit illum, dando ipsi id, quod habet entitatis; ille verò quia consurgit ex multis, & addit perfectior singulis. Vnde addi etiam potest effectum non superare causam secundum id, quod ab ea recipit: posse autem superare secundũ id, quod habet ab alia causa. De quo latiùs infrà, disp. 26. sect. 1.

SECTIO VIII.

Vtrùm forma substantialis sit vera causa materiæ, & materia effectus eius.

I. Rationes vtrinq; difficultatem inducentes.

Iciam non agimus de materia vt informata: de hoc enim dictum est sectione præcedenti, sed de materia quantum ad entitatem, seu quantum ad esse eius. Et ratio dubitandi est, quia tota entitas materiæ supponitur ad eductionem vel introductionem formæ: ergo non potest illa entitas causari à forma: maximè cùm materia recipiat esse per creationem, ad quam non potest forma cooperari concausando. In contrarium autem est, quia non repugnat formam esse causam materiæ, cum causæ sint sibi inuicem causæ, secundo Physicæ textu 30. & 5. Metaphysicæ textu 2. Item, quia si forma non esset causa materiæ, materia posset naturaliter esse sine forma, quia si non est causalitas, non est cur sit dependentia.

Referuntur opiniones.

II. D. Thom. Capreol. Caietan. Ferrar. Soncin. Iauel. Durand. Argentin.

Circa hanc quæstionem variæ sunt sententiæ, iuxta diuersum modum sentiendi de esse materiæ. Qui enim existimant materiam ex se nullum habere esse existentiæ, dicunt formam propriè esse causam materiæ, quia illud est causa rei, quod dat illi esse. Hæc videtur esse opinio D. Thom. 1. part. q. 66. art. 1. & de potentia quæst. 4. a. 1. quam tenent omnes Thomistæ, Capreolus in 2. distinct. 13. quæst. 1. Caietanus de ente & essentia, cap. 5. sub quæst. 9. Ferrar. in lib. 3. contra Gentes cap. 4. Soncin. & Iauell. 8. Metaphys. quæst. 1. Idem secutus est Durandus in 2. dist. 12. quæst. 2. & Argentin. quæst. 1. Modus autem explicandi hanc causalitem formalem iuxta opinionẽ distinguentem realiter existentiam ab essentia actuali creaturæ, hic esse debet, quod entitas partialis essentiæ materiæ de se est incapax existentiæ, donec informetur forma substantiali: ipsa verò forma secundum suam entitatem essentiæ per se primò vnitur materiæ, & cum illa componit vnam essentiam integram: atque hic est primarius effectus formalis formæ. Ex quo vlteriùs sequitur, quòd forma communicet esse existentiæ quod secum affert, per se primò composito, & per participationem materiæ, siue illud esse manet actiuè à forma, seu per resultantiam, siue solum formaliter, quod in hoc solo consistere potest, quod tali formæ, vel rei informatæ per illam naturali necessitate debeatur tale esse, etiam si à sola causa extrinseca conferatur, à qua fit forma. Et hanc explicationem indicauit Caietanus dicto loco, nec videtur posse cõuenientius exponi in principiis illius sententiæ: nam, si existentia est entitas distincta à forma, non potest ipsum esse existentię esse primus effectus formæ, sed esse essentiæ, quod distinctum est; nam primus effectus formæ est essentialis rei, quia forma vt forma est de essentia rei; at verò existentia est extra essentiam iuxta hanc opinionem: non ergo pertinet ad primum effectum formalem.

Vnde iuxta principia huius sententiæ anima rationalis in Christo homine habet proprium & primarium effectum formalem: illo enim priuari non potest si actu informat: & tamen iuxta hanc opinionem non habet propriam existentiam creatam, ergo solum potest forma dare formaliter existentiam secundariò, quia videlicet ipsa est vel constituit proprium susceptiuum existentiæ substantialis, vel (quod in idem ferè redit) quia essentiæ completæ per formam intrinsecè debetur esse substantiale, & non alteri. Sic autem declarata hæc sententia probatur primò, quia materia est pura potentia: ergo ex se non habet actum, sed à forma: ergo cum existentia sit actus quidam, non potest materiæ conuenire nisi per formam. Secundò, quia existentia est posterior actus, si comparetur ad essentiam: ergo supponit essentialem actum: hic autem actus est forma. Tertiò, quia esse substantiale est esse completum ac perfectum: ergo per se non debetur nisi naturę completæ, & formali: ergo tantum debetur formæ, vel ratione formæ.

Addit verò Durandus, etiamsi dicatur existentia non distingui in re ab essentia, nihilominus asserendum esse, formam esse causam formalem existentiæ actualis materiæ; nam licet essentia sit sua existentia, id tamen intelligi debet cum proportione, nam essentia in potentia erit existentia in potentia, & essentia actualis erit existentia actualis: ergo sola forma erit actualis existentia, qua formaliter sit in materia. Atque ex hac opinione vtrouis modo explicata sequitur, materiam naturaliter pendere à forma in tota sua entitate, ita vt non possit sine illa manere, quia non potest manere sine existentia; sed non habet existentiam, nisi à forma, & per formam, à qua ipsa existentia pendet: ergo. Quo etiam fit, vt mutata forma mutet materia existentiam, quamuis sub diuersis formis & existentiis, eadem essentia materię conseruetur. An verò tanta sit hæc dependentia, vt à Deo suppleri non possit sine forma, dicemus sectione sequenti.

V. Henric. Auicenna Scotus.

Secunda opinio omnino contraria est, formam non dare esse materiæ, neque esse propriam causam eius. Ita tenet Henricus quodlibeto 1. quæst. 11. & in eam sententiam citatur Auicen. lib. 6. Metaph. & eãdem tenet Scotus in 2. distinct. 12. quæst. 2. in fine, & Gregorius ibi quæst. 1. art. 2. ad 1. Aureoli, & quæstione 2. art. 3. Fundamentum est, quia materia habet suum proprium esse, quod formaliter à nulla causa recipit, cum sit esse simplex, & partiale, ac condistinctũ ab esse, quod dat forma, sed habet illud effectiuè à solo Deo, & secundum illud esse supponitur materia formæ absolutè & simpliciter ordine naturæ: ergo nullo modo illud esse causatur à forma, sed cõpletur vel actuatur per formam.

VI. Qui asserant & quomodo materiã esse posse naturaliter.

Quòd si contra hanc sententiam inferas, materiam naturaliter posse esse sine forma, quandoquidem forma non est causa eius, quidam respondent concedendo sequelam, quod videtur sensisse Marsil. in 2. quæstio. 8. art. 2. dum asseuerat in principio creasse Deum materiam rerum generabilium sine vlla forma substantiali, & post aliquod tempus illam formasse. Quod etiam placet Gabrieli, in 2. distinct. 12. quæstione 1. & 2. & videtur aliquando placuisse Augustino libro primo de Genes. cont. Manichæos c. 5. & 7. & lib. 12. confess. cap. 8. Si autem id Deus fecit in creatione mundi, existimandum est, non esse præter naturas rerum, quia, vt Augustinus annotat in principio expositionis Geneseos, Deus tunc non est operatus vt miraculorum opifex, sed vt author naturæ. Neq; ab hac opinione videtur dissentire Henricus supra, dum ait materiam secundum communem cursum naturæ, non posse expoliari omni forma, quia non fuit vnius rei corruptio, quin sequatur generatio alterius. Si ergo fieri posset corruptio naturaliter sine generatione alterius, quantum est ex parte materiæ, naturaliter maneret sine forma. Quod de facto ita accidisse in morte Christi tenet Marsilius in 3. quæst. 3. art. 1. & quæstio. 13. artic. 1. & probabile existimat Henricus quodlib. 1. quæst. 4. imò & verum, quantum ad hoc, quod ibi facta est separatio vnius formæ sine introductione alterius: quod tamẽ fuisse in Christo singulare, & præter naturale sentit in quodl. 2. quæst. 2. ad 4. At verò Scotus naturale esse putat in qualibet morte hominis, præsertim violenta, imò & aliorum animantium, vt patet in 4. dist. 11. quæst. 3. Hi tamen non dicunt in eo casu manere materiam sine forma absolutè, sed sine forma specifica, & cum forma corporeitatis, quam ipsi ponunt. Alij verò distinctione vtuntur: dicitur enim naturale, vel secundum particularem, vel secũdum vniuersalem naturam: aquæ enim secundum priuatam conditionem non est naturale ascendere, tamen ad replendum vacuum, est hoc illi naturale secundum propensionem vniuersalis naturę. Sic (inquiunt) materiæ secundum priuatam naturam non repugnat conseruari sine forma, si illa priuetur: at verò ex debito ordine naturæ vniuersalis id fieri non potest, quia si repugnat dari vacuum in locali spatio, multò magis in capacitate & potentia materiæ. Alij tandem dicunt etiam secundum particularem conditionem suæ naturæ non posse materiam esse sine forma, licet forma non sit propria causa eius, nisi omnis conditio necessaria ad existendum, causa dicatur. Et hic modus dicendi propinquiùs videtur ad veritatem accedere.

Quæstionis resolutio.

VII. Morsit. Potentic.

Dico ergo primò. Forma non est propria causa materiæ, dãs illi formaliter proprium esse quo materia existit. Probatur, quia forma non dat materiæ illam partialem entitatem essentialem, quam in se habet, vt suprà ostensum est, quamque retinet sub omnibus formis: sed illa entitas includit suam particularem existẽtiam distinctã ab omni existẽtia proueniente formaliter à forma: ergo. Maior patet, tum quia illa entitas materiæ quoad proprium esse essentię partiale, est simplex & condistincta à forma: tum etiam quia supponitur ad formam & inuariata, manet, quoad illud esse sub quacũq; forma; vnde ẽt authores primæ sententiæ aiunt, formam constituere cum materia vnam essentiam completam: non verò dare illi suum proprium esse essentiale materię, quod potiùs supponit: ergo non potest forma esse formalis causa propria & intrinseca illius esse materiæ. Dico autem propria & intrinseca, quia extrinsecè per modum termini dici potest, hoc esse materiæ sumi à forma, quia essentia materiæ consistit in aptitudine ad formam, sed hic respectus non est ad formam vt actu informantem, sed aptitudine. Vnde eadẽ specificatio maneret in materia, etiamsi esset sine forma. Minor autem probatur, quia esse reale essentiæ, si actuale sit, id est, extra causam suam efficiẽtem, intrinsecè est esse existentiæ, vt latè infrà probabitur, tractando de esse & essentia; sed materia, vt supponitur formæ secundum proprium esse essentiæ partialis, habet esse actuale prout distinguitur ab esse potentiali obiectiuo, quia sine huiusmodi esse non posset esse verum ac reale subiectum transmutationis & formæ, ergo. Et confirmatur ac declaratur, nam Deus eadem actione, qua creauit ac conseruauit materiam sub prima forma, conseruat illam sub omnibus formis, quæ posteà succedunt: ergo illa actio Dei terminatur ad aliquod esse materiæ, quod manet idem sub omnibus formis: nam creatio, & cõseruatio illi respondens, terminatur ad aliquod esse, & non potest actio permanere eadem, nisi terminus sit idem, ergo illud esse non datur formaliter à forma, nam esse quod dat forma, variatur, variata forma: illud autem esse est esse existentiæ, quia est esse temporale, & actuale extra causam efficientem: ergo.

VIII.

Quocirca Durandus non loquitur consequenter, dum, ait etiamsi esse non distinguatur ab essentia, materiam habere esse à forma informante. In æquiuoco autem laborat, cùm ait, materiam tantùm habere essentiam in potentia, & ideò ex se solùm habere esse in potentia: nam materia secundum se habet in potentia essentiam formæ, vel compositi; essentiam autem materiæ non habet in potentia, sed in actu, hoc ipso quod creata est: aliud est enim materiam esse essentialiter potẽtiam, aliud esse tantùm essentiam in potentia. Primum namque est in vniuersum verum, etiam de materia, actu existente, quia in eo nihil aliud significatur, quàm materiam esse essentialiter subiectum, vel potentiam receptiuam, Secundum verò falsum est de materia actu creata, etiam prout præintelligitur formæ: nam licet essentia materiæ ex se, id est, remota efficientia, solùm sit in potentia, quod commune est omni essentiæ creatæ, tamen per suam creationem fit essentia in actu, licet partialis, & potentialis subiectiuè: ergo vt sic habet suum esse existentiæ proportionatum: illud ergo non manat formaliter à forma. Sed de hoc puncto, id est, de existentia materiæ, plura inferiùs.

IX. Materia pendet à forma, nec potest sine illa esse naturaliter.

Dico secundò; Nihilominus materia pendet in suo esse aliquo modo à forma, quatenus naturaliter esse non potest sine illa, non solùm ex ordine vniuersalis naturæ, sed etiam ex debito, & indigentia propriæ & peculiaris naturæ ipsius materiæ. Prior pars recepta est frequentiùs à Philosophis & Theologis, qui hac ratione dicunt esse mutuam connexionem ac necessariam inter materiam & formam materialem, vt videre licet in authoribus citatis, & Auicenna secundo Metaphysicæ, capite secundo & tertio, Commentator 1. Physicorum, comment. 56. & lib.

Auicenna.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Themist. Flothus. Soncin.

& lib. 2. commen. 13. Themistio 1. Physicorum digress. vltima. Plotino Ænead. 3. lib. 6. cap. 14. Soncin. 5. Metaphys. quæst. 1. Et probatur ratione, quia entitas materiæ esset otiosa in rerum natura, si maneret sine forma: nullam enim operationem exercere posset: hoc autem abhorret à natura: ergo est contra ordinem naturæ vt materia sit sine forma. Hac ratione vtuntur multi: non tamen videtur efficax, quia, licet frustra sit in natura quod non est aptum ad aliquod munus naturæ, non est tamen frustra, nec simpliciter otiosum, quod ex se aptum est ad exercendum aliquod munus, ad quod à natura est institutum, quamuis interdum illud non exequatur. Sic ergo, quamuis materia maneret aliquando sine forma, nõ esset otiosa in natura, quia de se esset apta ad recipiendam illam, si adesset agens qui illam introduceret, & per accidens contingeret quod illa careret, quia fortasse agẽs qui disponebat ad illam introducendam, priùs abstulit dispositionem necessariam ad alterius conseruationem, quàm potuerit alteram introducere. Sicut Scotus fieri putat in morte hominis, vel alterius animalis, nec propterea manet otiosum cadauer, aut maneret materia, præsertim, quia paulatim iterum disponi poterit, vt aliam formam recipiat.

X. Vnde non videtur etiam efficax ratio, quæ reddi solet ex continua successione generationis & corruptionis, tum, quia non est certum ad omnem corruptionem immediatè, & in eodem instanti sequi generationem, vt ex dicta opinione Scoti patet: nam licet natura per se non intendat corruptionem, sed generationem: fieri tamen potest, vt res corrumpatur priùs quàm altera generari possit. Quare quod Aristot. dixit, nempe; *Generatio vnius est corruptio alterius*, fortasse non conuertitur, vel intelligendum erit, per se loquendo, licet ex accidenti possit deficere.

XI. Alia ratio fieri solet, quia, quod non est aptum per se operari sine alio, neque etiam est aptum per se esse sine illo: materia autem natura sua nihil operari potest sine forma: ergo natura sua indiget forma vt existat, nec potest esse sine illa. Sed interrogo, an sit sermo de operatione propriè sumpta, quæ dicit habitudinem ad principium efficiens: & hoc modo C non est ad rem; nam materia nec sub forma, nec absque forma, potest habere aliquam operationem. Vel operatio sumitur latè pro quacunque causalitate: & sic falsa est assumptio: sæpe enim indiget vna res consortio alterius ad causandum, & non ad existendum, vt intellectus agens indiget consortio phantasię ad abstrahendas species, & tamen manet sine phãtasia, & non censetur esse otiosus, etiamsi tunc pro eo statu non exerceat suam operationem. Anima etiam rationalis indiget consortio corporis ad exercendam causalitatem formalem: non verò ad existendum, & sic de aliis: sic ergo materia poterit indigere consortio formæ ad exhibendam causalitatem materialem, etiamsi ad existendum eam non requirat. Et ratio est, quia causalitas dicit relationem vel habitudinem transcendentalem, & ideò postulare potest consortium alterius: res autem à qua est causalitas, potest esse magis absoluta, & non actu, sed aptitudine tantùm societatem alterius postulare.

XII. Ex quo etiam infirma videtur alia communis ratio, quæ maximè à priori esse censetur, nimirum, quod materia est pura potentia, & ideò ab actu formæ natura sua pendere debet. Quòd enim dicitur pura potentia, non excludit actualem entitatem ipsius materiæ, sed dicit solùm talem esse illam entitatem, vt essentialiter sit potentia, & ad munus recipiendi & sustentandi formam omnino institutam: non est autem de ratione potentiæ, generatim loquendo, vt semper sit sub actu suo: vnde ergo ostenditur hoc esse de ratione huius potentiæ? nam ex eo quòd sit potentia substantialis, id colligi non potest: cùm inde potiùs habeatur esse potentiam subsistentem, quãuis partialiter & incompletè, & ideò posse per se existere, etiamsi causalitatem suã actu non exerceat, sicut manet rationalis anima, quia subsistens est, licet actu non informet.

XIII. Difficile ergo videtur rationem reddere, quæ cõuincat hanc naturalem dependentiã materiæ à forma, propter quod hoc tempore multis, præsertim in Italia, placet, materiam quidem nunquam separari à forma propter necessarium ordinem agentium naturalium, tum inferiorum, tum cœlestium, quę semper introducunt vnam formam recedente alia, non verò propter intrinsecam dependentiam materiæ, quam dicunt non fore in nihilum redigendam, si ablata vna forma, altera in illa non succederet, sed B naturaliter cum sua entitate & existentia fuisse permansuram. Nihilominus recedendum non est ab antiqua & communi sententia, quam his modis explicare & confirmare possumus. Primò non est verisimile materiam hanc inferiorem esse magis independentem à forma rei generabilis indefinitè sumpta, quam sit vnaquæque materia cœli à propria forma, cùm sit illa minùs perfecta, sed vnaquęque materia cœli pendet naturaliter à sua forma: ergo. Secundò non est verisimile materiam hanc magis pendere à formis accidentalibus, quàm à substantiali, cùm per se primò ac principaliter illam respiciat, sed ita pendet materia hæc ab hac accidentali forma, vt naturaliter esse nõ possit sine omni illa, vt est euidens saltem de quantitate.

Refutatur materiam esse naturaliter sine forma.

XIV. Tertiò, physica coniectura optima est, quòd hæc materia ad hoc est instituta, vt semper sit sub aliqua substantiali forma, & ab eis nunquam separetur: ergo signum est, talem etiam esse factam, vt ex natura sua postulet consortium formæ, vt esse possit. Antecedens patet inductione, quia materia à principio in sua creatione sub formis condita fuit. Neque sententia contraria verisimilis est: nam Scriptura non dicit Deum in principio creasse materiam, sed *cœlum & terram*: quas voces non posse de materia exponi suprà ostensum est. Et quamuis Augustinus interdum videatur in hoc dubitasse, tamen 12. Confess. cap. 17. & 29. priorem opinionem reprobat, & concludit, materiam non tempore, sed natura tantùm antecessisse formationem suam: vnde 13. Confess. cap. 33. ita concludit; *Cùm aliud sit cœli & terræ materies, aliud species: materiem quidem de omnino nihilo: mundi autem speciem de informi materie: simul tamen vtrumque fecisti, vt materiam forma, nullæ moræ intercapedine sequeretur.* Itẽ habet lib. 1. de Genes. ad liter. cap. 19. & lib. 4. cap. 22. & sequentibus, & 11. de Ciuit. cap. 7. Post illam verò primam creationem nunquam materia caruit omni forma: atque ita sunt ab authore naturæ dispositæ causæ naturales, vt nunquam possit vna forma materiã deserere, quin introducatur alia. Illud. n. axioma Aristot. 1. de Gener. tex. 17. *Generatio vnius est corruptio alterius*, in vniversũ verũ est, nec potest de generatione verum esse, quòd semper ad eam sequatur corruptio, nisi etiam ad corruptionem vnius semper sequatur generatio; nã si aliquid corrumperetur, & nulla fieret generatio, posteà ex eadẽ materia posset aliquid

Augustini dicentis materiam fuisse ante formationem.

A aliquid generari sine noua corruptione. Cùmq; verum sit in materia nullam esse formam corporeitatis, vel genericam, vt in superioribus ostensum est, & inferiùs etiam ostendemus, necessarium est vt semper formæ forma succedat in materia, nisi dicere velimus de facto sæpè manere materiã sine forma vlla substantiali cum solis accidentalibus. Quod absurdum & paradoxum esset in Philosophia.

XIV. Est ergo facta hęc materia, vt perpetuò sit sub forma: ergo verisimile est, talem esse factam, vt forma indigeat ad existendum. Probatur cõsequentia, quia non repugnat intelligere materiam primam talem esse, vt hanc habeat indigentiam, quod rectè probat illa ratio, quia, scilicet, est pura potẽtia, id est, imperfecta in entitate sua, & incompleta ac potentialis: cum his enim imperfectionibus non pugnat, imò optimè quadrat illa indigentia & dependentia. Nec refert, quod partialiter sit subsistens; nam subsistentia excludit dependentiam à subiecto, non verò ab actu, seu forma. Neque in hoc est comparanda materia cum anima subsistente, quia hæc longè est perfectior & actualior, & simpliciter immaterialis. Igitur hic modus dependentiæ non solùm non repugnat, verùm etiam est maximè consentaneus entitati materiæ & imperfectioni, ac muneri eius: ergo verisimiliùs est talem esse naturam materiæ. Deniq; in rebus Physicis quod semper eodem modo euenit, & non aliter, verisimile est esse naturaliter necessarium, sed materiam esse sub aliqua forma, naturaliter semper ita euenit: ergo est ex necessitate naturæ, & non ex necessitate formæ, quia quando vna forma perit ex defectu dispositionum, nulla erat necessitas ex parte alterius introducendi nouam formam. Neque item tribui potest necessitas soli extrinseco agenti proximo, quia sæpè etiam nullum est priuatum agens à quo sit talis forma: ergo illa necessitas fundatur in indigentia intrinseca ipsius materiæ. Nec satis est dicere, hunc effectum esse naturalem ex ordine vniuersi, seu ex vniuersali natura, aut necessitatem illam oriri ex causis agẽtibus vniuersalibus, quę semper sunt paratæ ad introducẽdam aliquam formam quando particulares deficiunt: nam hæc institutio naturæ in propria indigentia materiæ fundata est: nam quia ad vniuersale bonum pertinebat, vt nulla C materiæ portio vnquam deficeret, aut in nihilum redigeretur, ideò natura prouidit, vt nunquam posset priuari omni forma, sed recedente vna, semper succederet alia, quia hoc necessarium erat, vt materia posset perpetuò naturaliter conseruari. Alioqui cur natura fuisset, tam prouida in huiusmodi formarum successione? præsertim quando forma, quæ succedit, per se non erat necessaria ad expellendam aliã, quæ ob defectum dispositionis, vel organizationis necessariæ recedit.

XV. Neq; est simile quod afferebatur de ascensu aquæ ad replendum vacuum: nam vniuersalis natura eius tatem vacuum propter perfectam vnitatem, & integritatem vniuersi, & propter necessitatem actionis, & influentiæ, & non propter commodum alicuius priuati entis. Quod verò materia esset quasi vacua omni forma, si nihilominùs conseruari posset, & pati ac disponi ad generationem, & in suo genere ad illã concurrere, nullum esset incommodum naturæ vniuersali: Igitur vniuersalis ratio nulla est alia, nisi materiæ conseruatio. Fateor totum hunc discursum supponere de facto nũquam manere materiam sine substantiali forma, & inde colligere hoc prouenire ex indigentia materiæ, quam collectionem existimo A satis esse probatam: antecedẽs autem dubito an satis demonstratum sit; nam substantialem formam non experimur, nisi ex effectibus, vel accidentibus: sæpe autem nullus est effectus, qui euidenter ostendat introductionem nouæ formæ post recessum prioris, vt in morte hominis, & ideò Scotus & alij negant, ibi introduci nouam formam, quamquam ne fateantur manere materiam sine forma, ponant formam corporeitatis vel mistionis, qua secluſa nos non alia ratione conuincimus, in omni morte vel corruptione introduci nouam formam, nisi quia aliàs materia maneret sine forma, & ita videmur in his probationibus circulum committere. Sed licet verum sit, ex effectibus id non euidenter demonstrari, nihilominùs adeò est illud axioma consentaneum naturis rerũ, & fini, & vsui, ac imperfectioni materię, vt vnanimi omnium ferè antiquorum & recentiorum Philosophorum consensu, tanquam certum & indubitatum sit receptum, quod satis est ad philosophicam rationem fundandam.

Qualis sit dependentia formæ à materia.

XVI. Duplex dependentiæ modus.

B Sed explicandum superest, qualis sit hæc dependentia; duobus enim modis potest intelligi, scilicet, vel tanquam à propria causa, vel tanquam à cõditione ita necessaria vt absque illa non debeatur esse tali rei, quos duos modos dependentię explicui latè in 1 tomo 3. par. disp. 8. sect. 1. & illos videtur significare Fonseca 5. Metaphys. cap. 2. quæst. 3. sect. 1. dum ait intelligi posse materiam pendere à forma, vel tãquam à vera causa, vel tanquam à quodam concomitante, & sect. 3. videtur de eisdem facere mentionem, dum ait accidentia conseruare substantiã non à priori, sed à posteriori. Dubitari ergo potest, quo ex his modis pendeat materia à forma. Et quidem quod sit tantùm dependentia à posteriori, & à cõditione necessaria, videtur probabiliter persuaderi. Primò quia hic modus dependentiæ possibilis est; nam forma substantialis, vel eius vnio ad materiam, atque adeò totum compositum pendet hoc modo ab aliquibus formis accidentalibus, tanquam à dispositionibus necessariis via conseruationis, vt aiunt. non quia sint propriæ & directæ causæ talis conseruationis, sed, quia sunt dispositiones ita connaturales, vt sint etiã necessariæ: ergo maiori ratione potest materia habere talem dependentiam à forma tanquam à necessaria dispositione, & primaria. Itẽ hoc modo pendet materia à quantitate: ergo & potest pendere à forma. Deinde hic modus est sufficiẽs ad saluandum omnia, quæ dicũtur de dependentia materiæ à forma, & omnes rationes factæ non ampliùs probant. Est etiam modus facilis & clarus; nam iuxta illum facilè conciliantur duæ conclusiones positæ. Rectè etiam intelligitur, quo modo vicissim pẽdeat forma à materia, & materia à forma: vna enim dicetur pendere à priori, & altera à posteriori: vna tãquam à vera causa, & alia vt à conditione concomitante.

Augmentã probãtia materiã à forma solum vt cõditione dependere.

XVII. At verò iuxta alium modum difficilè intelligitur hæc mutua dependentia; nam cùm materia simpliciter supponatur formæ, vt hæc ex illius potentia educi possit, vix intelligitur quomodo à priori possit materia à forma dependere. Et explicatur ampliùs, augeturque difficultas ex eo, quod materia fit per veram creationem & per eandem actionem permanẽtem conseruatur: ergo non pendet in suo fieri à forma vt à vera causa, quia ad creationem nulla causa creata concurrere potest naturaliter. Respondent aliqui hoc esse verum de causa efficiente; non verò de

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliis generibus cauſarum; nam creatura non poteſt A
eſſe cauſa efficiens creationis; poteſt tamen eſſe cauſa
finalis, vt per ſe conſtat, & eadē ratione poteſt eſſe
cauſa formalis, imò & materialis; nā cùm creatur to-
tū, partes cōcurrūt ad eſſe & fieri illius in genere cau-
ſæ materialis. Sed omiſſa cauſa finali, cuius cauſalitas
habet peculiarem rationem, propterea quod non
eſt per realem, ac propriam motionem diſtinctam
ab actione cauſæ efficientis, & ideò non prærequi-
rit reale eſſe in re, quæ talem cauſalitatem exercet;
de cauſa materiali videtur concurſus eius directè re-
pugnare cum creatione vt eſt propria & vera crea-
tio: quod facilè patet ex dictis ſuprà de eductione
formæ de potentia materiæ, & latiùs oſtendetur in-
frà in propria diſputatione de creatione. Loquor au-
tem de creatione, vt propriè creatio eſt; nam ſub ra-
tione concreationis poteſt habere dependentiam à
cauſa materiali, vt ſuprà declaratum eſt tractando
de materia cœli, quia concreatio, vt ſic ordine natu-
ræ ſupponit creationem, & ideò poteſt habere ali-
quam dependentiam. Eadem ergo ratione creatio
vt ſic non poteſt habere dependentiam à cauſa for-
mali, quia cauſa formalis ſupponit materialem, licet B
concreatio poſſit habere dependentiam à forma, vt
ſuprà loco citato declaratum eſt. At verò materia re-
rum generabilium verè ac propriè creatur, & non
cōcreatur propriè, id eſt, non producitur per vnā &
eandem actionem qua creatur totum: ergo ad crea-
tionem eius non poteſt forma concurrere, vt ve-
ra cauſa.

XVIII. Quod in hunc modum declaratur & confirmatur
ex dictis; nam creatio huius materiæ rerum genera-
bilium, & inductio formæ, ſunt actiones diſtinctæ,
tam nunc in materiæ conſeruatione, & rerum gene-
ratione, quàm in primis rerum ſublunarium produ-
ctione: ſed actio inductiua formę non poteſt eſſe ve-
ra cauſa actionis creatiuæ materiæ: ergo multò mi-
nùs forma, quæ per illam actionem inducitur, poteſt
eſſe vera cauſa creationis materiæ. Minor patet, tum
quia inductio formæ ſupponit omnino creationem
materiæ, ſeu materiam creatam, nec intelligi poteſt
quòd formæ inductio aut vnio ſupponatur in ali-
quo genere cauſæ ad creationem materiæ, quia in-
ductio formę vt ſic, dicit habitudinem tranſcenden-
talem ad materiam iam creatam: vnde ſicut relatio C
non poteſt præſupponi ad terminum in aliquo ge-
nere cauſæ, ita neque inductio formæ ad creationem
materiæ. Tum etiam, quia aliàs penderet per ſe creā-
tio. vel conſeruatio materiæ ab eductione formæ:
ergo & ab agente educente formam, atque ita agen-
tia naturalia vt veræ cauſæ effectiuæ conſeruarent
materiam. Vnde etiam fieret, vt quoties forma mu-
tatur in materia, mutaretur actio qua materia con-
ſeruatur à Deo, quia mutata dependentia actionis,
mutatur actio, eò, quòd ipſa ſit eſſentialiter depen-
dentia, vt infrà declarabimus. Conſequens autem
eſt falſum, quia materia vt eſt primum ſubiectum
generationis, eſt quid ingenerabile, & incorruptibi-
le, quia ſupponitur generationi & corruptioni: ergo
eadem ratione eſt quid immutabile quoad actionē
per quam fit, & conſeruatur, quia ſupponitur facta
& conſeruata: alioqui per quamcunque generatio-
nem entis naturalis concrearetur materia, vel ita ſe
haberet ac ſi concrearetur, quia per nouam actio-
nem terminatam ad totum ipſa inciperet conſerua-
ri: quod planè repugnat actioni agentis naturalis:
aliàs eadem ratione dici poſſet per talem actionem
comproduci ſemper nouam materiam. Igitur crea-
tio vel conſeruatio materiæ; non pendet ab eductio-
ne formæ tanquam à propria cauſa, vel actione per
ſe: ergo multò minus poteſt pendere à forma, tan-
quā à vera cauſa cùm forma ſit in omni genere cauſę
poſterior actione, per quā educitur de potentia ma-
teriæ: ergo de primo ad vltimum, nec materia ipſa
poteſt pendere à forma vt à cauſa per ſe, ſed ſolùm vt
à cauſa vel conditione concomitante, & bene diſpo-
nente ac actuante ipſam materiam.

XIX. Non deſunt tamen argumenta quibus ſuaderi vi-
deatur materiam poſſe dependere à forma vt à pro-
pria cauſa, quæ per informationem ſuam continet
illam in eſſe. Et præſertim, quia forma ſubſtantialis
materialis pēdet à materia vt à propria, & per ſe cau-
ſa in ſuo genere: ergo & econtrario materia pendet à
forma, tanquam à vera cauſa. quia, licet non ſuſten-
tet illam vt ſubiectum, poteſt vt actus continere il-
lam. Nam ſicut actus effectiuus tenet effectum in eſ-
ſe per ſuam cauſalitatem, ita actus informatiuus po-
teſt modo ſibi proportionato continere ſuum ſub-
iectum in eſſe: ergo ita comparatur forma ſubſtan-
tialis ad materiam. Probatur conſequentia primò,
quia forma materialis, eſt perfectior & actualior,
quā materia: ergo magis per ſe pendet materia à for-
ma, quàm forma à materia. Secūdò quia nō repugnat
huiuſmodi mutuus nexus inter materiam & formā
tanquam inter cauſas, quæ mutuò & viciſſim ſunt ſi-
bi per ſe cauſæ. Quod patet tum illa generali ratione,
quòd in diuerſis generibus cauſarum non repugnat
mutua prioritas: tum etiam quia in cœlo videtur eſ-
ſe hæc mutua connexio inter materiam & formam;
nam & in fieri, & in eſſe mutuo & per ſe pendent, vt
ſuprà dictum eſt, ita vt concreatio vnius per ſe pen-
deat à concreatione alterius, & e conuerſo. Ex quo
exemplo poteſt ſumi tertia ratio, quia materia cœli
pendet à ſua determinata forma, vt à cauſa per ſe: er-
go & materia horum inferiorum pendebit eodem
modo à forma generabili, licet indefinitè. Patet cō-
ſequentia, quia perfectior eſt materia cœli: ergo ſi illa
ita pendet, multò magis alia.

Sunt quidem hæ rationes probabiles, & ita poteſt
vtraque pars ex dictis probabiliter ſuſtineri; mihi
tamen (vt verum fatear) prior videtur intelligibi-
lior & facilior, &, ſi attentè ponderentur rationes
factæ, faciliùs poſſunt poſteribres diſſolui. Quod
munus lectori relinquo, quia res facilis videtur, &
quia infrà explicando quomodo cauſæ ſint ſibi in-
uicem cauſæ radicitus declarandum eſt, quænam
prioritas mutua poſſit inter aliqua duo intercedere
& quæ non poſſit, ex cuius intelligentia maximè pē-
det præſens reſolutio.

SECTIO IX.

*Vtrùm tanta ſit dependentia materiæ à forma, vt ſi-
ne illa nec per diuinam potentiam conſeruari poſ-
ſit: & e conuerſo.*

QVoad dependentiam formę à materia,
ſolū poteſt dubitari de materiali for-
ma; nam de immateriali conſtat, non
ſolùm virtute diuina, ſed etiam natu-
raliter poſſe manere ſine materia. De
reliquis autem formis Ariſtoteles & Philoſophi fur-
taſſe negarent poſſe vllo modo ſubſiſtere ſeparatas à
materia, quia exiſtimarent dependentiam, & inhæ-
rentiam actualem in materia eſſe illis eſſentialem.
Catholici autem, qui credimus Deum conſeruare
accidens ſine ſubiecto, dubitare non poſſumus (licet
moderni

moderni quidam dubitent) quin poſſit etiam Deus A
ſubſtantialem formam materialem, ſine materia cō-
ſeruare, quia maior eſt dependentia accidentis à ſub-
iecto, quatenus accidens minùs habet entitatis & a-
ctualitatis, quàm forma ſubſtantialis. Vnde omnes
doctores ſtatim citandi in hoc conueniunt de forma
ſubſtantiali, quamuis de materia diſſentiant.

II. *Tractatur prior opinio de materia.*

D. Thom. DE materia igitur eſt prima ſententia negans,
poſſe Deum conſeruare materiam ſine forma
ſubſtantiali. Tenet Diuus Thomas locis citatis ſe-
ctione præcedente cum aliis ſectatoribus eius ibi ci-
tatis, & præterea quodlibeto 3. art. 1. indicatque eam
Magiſter. Magiſter in 2. diſt. 12. cap. 5. vbi ſolùm dicit, materiam
in principio creationis non fuiſſe priùs carentem o-
mni forma, quia tale aliquid corporeum exiſtere nō
poteſt, quòd nullam habeat formam: non tamen de-
clarat, an loquatur de potentia abſoluta, vel iuxta
naturas rerum. Et eodem modo videtur loqui Hu-
go Victorinus 1. de ſacramen. part. 1. cap. 4. Apertiùs
Hugo. b. Bonau. Simmus. Aegidius. Iandun. Zimara. loquitur Bonauent. dicta diſt. 12. art. 1. quæſt. 1. Her-
uæus quodlib. 6. quæſt. 1. Ægid. in principio ſui He-
xameron, cap. 1. & 2. Iandun, 1. Phyſ. quæſt. 26. Zimar.
theorem. 15. Fundamentum præcipuum huius ſen-
tentiæ eſt, quod materia formaliter ex ſe nullam ha-
bet exiſtentiam, ſed eam recipit formaliter à forma:
Deus autem non poteſt dare effectum formalem ſi-
ne cauſa formali, neq; etiam poteſt conſeruare ma-
teriam ſine exiſtentia: ergo non poteſt conſeruare
materiam ſine forma. Nec refert, quod eſſe exiſtētiæ
iuxta hanc ſententiam non ſit primarius effectus
formalis formæ, tum quia, licet ob hanc cauſam poſ-
ſit per diuinam potentiam manere effectus prima-
rius ſine hoc ſecundario; tamen e conuerſo non po-
teſt ſecundarius dari ſine primario; nam ab eo eſſen-
tialiter pendet, tum etiam quia ad primarium effe-
ctum formæ pertinet eſſe vel conſtituere proximum
ſuſceptiuum exiſtentiæ, qui effectus nunquam ſepa-
ratur ab ipſa: nam etiam in Chriſti humanitate il-
lum habet: non poteſt autem Deus conſtituere a-
ctum extra proprium ſuſceptiuum. Secundò ex Cō-
mentatore, quia materia eſt pura potentia: quidquid
autem exiſtit, eſt in actu: ergo repugnat materiam C
exiſtere ſine actu, quia aliàs ſimul eſſet in actu, & ſi-
ne actu: actus autem materiæ eſt forma: ergo repu-
gnat eſſe ſine forma. Tertiò, etiamſi materia habe-
at aliqualem exiſtentiam partialem, habet illam
pendentem à forma in genere cauſæ formalis: ſed nō
poteſt Deus per ſe ſupplere effectum cauſæ formalis:
ergo. Quartò fieri ſolet hæc ratio, quia ſi materia ſer-
uaret ſine forma, eſſet in rerum natura aliquod indi-
uiduum ſub genere ſubſtantiæ, & non ſub aliqua
ſpecie: nam materia eſſet in genere corporis, verbi
gratia, & non pertineret ad aliquam eius ſpeciem.
Quinò omne eſſe accidentale eſt à forma acciden-
tali, & ideò nihil habere poteſt tale eſſe ſine illa: ergo
omne eſſe ſubſtantiale eſt à forma ſubſtantiali, &
non poteſt ſine illa: materia autem habet aliquod
ſubſtantiale eſſe: ergo illud non poteſt eſſe ſine ſub-
ſtantiali forma. Aliæ rationes ſolent multiplicari,
ſed non ingerunt nouam difficultatem, & ideò inu-
tile cenſeo in eis immorari.

III. *Poſterior ſententia tractatur, & priori præfertur.*

Henricus. Scotus. COntraria ſententia eſt ſatis communis. Eam
tenet Henricus quodl. 11. quæſt. 10. Scotus in 2.
diſt. 12. quæſt. 2. & ibi Lichetus, Maironis, Baſſolis, & Baſſol. Lychet. Maironis. Marſil. Soto.
alij Scotiſtæ, Richardus queſtione 4. Gregorius quę-
ſtione 1. Gabriel quæſt. 1. Marſilius in 2. quæſt. 8. & in
eam inclinat Soto Phyſi. 1. quæſt. 6. & mihi videtur
hæc ſententia omnino vera, quia non ſolùm nō in-
uenio claram implicationem cōtradictionis, verùm
etiam nec rationem ſatis veriſimilem, quæ eam per-
ſuadeat. Et inprimis, quamuis teneremus exiſtentiā
eſſe rem diſtinctam ab eſſentia, nulla reddi poſſet
ſufficiens ratio, cur non poſſet Deus illum actum
ponere in ſola materia: quia, licet ſecundum conna-
turalem ordinem ille actus recipiendus eſſet in tota
natura vel integro ſuppoſito, tamen per diuinam
potentiam poſſet conſtitui in vna parte, ſicut exi-
ſtentia accidentalis naturaliter recipi non poteſt niſi
in compoſito accidentali, ſeu in ſuppoſito ſubſtan-
tiali, media accidentali forma: & tamen Deus facere
poteſt vt maneat in ſolo accidente ſeparato, & maio-
ri ratione poſſet conſeruare eſſe ſubſtantiale in ſola
forma materiali ſubſtantiali: ergo etiam poſſet in ſo-
la eſſentia materiæ ponere actum exiſtentiæ, quia
licet materia ſit potentia ad formam, tamen re ve- B
ra eſt quædam partialis eſſentia ſubſtantialis: qua-
tenus ergo aliqua eſſentia eſt, poterit per exiſtentiā
actuari; nam exiſtentia eſt actus eſſentiæ. Neque eſt
vlla ratio quæ probet illum ordinem inter formam
ſubſtantialem & actum exiſtentiæ, aut dependen-
tiam illius exiſtentiæ à forma eſſe adeò eſſentialem,
vt à Deo immutari aut ſuppleri non poſſit; nam for-
ma non eſt ita cauſa exiſtentiæ vt intrinſecè compo-
nat illam, cùm ſupponantur eſſe entitates ſimpli-
ces cō diſtinctæ: cauſalitas autem formæ, quæ non eſt
per intrinſecam compoſitionem, ſed vel per dima-
nationem aut aliam ſimilem rationem, poteſt à Deo
ſuppleri, vt ſtatim oſtendam.

IV. Nec verò dici poteſt, materiam exiſtentem per a-
ctum exiſtentiæ realiter diſtinctum iam habere for-
mam, quia omnis actus eſt forma. Hoc enim axioma
falſum eſt iuxta illam ſententiā, etiam de actu actuā-
te: authores enim illius ſentētiæ ponunt in vno ſup-
poſito ſubſtantiali formam ſubſtantialem, & actum
exiſtentię realiter diſtinctum, & nō admittunt duas
formas ſubſtantiales: ergo exiſtentia ſubſtantialis nō
eſt forma ſubſtantialis. Et ideò etiam dicunt, exiſtē-
tiam creatæ humanitatis, poſſe ſuppleri per increa-
tam exiſtentiam Verbi, quia exiſtentia nō eſt forma:
ergo ſi materia conſeruaretur cum actu exiſtentiæ
realiter diſtincto à ſuā eſſentia abſq; alia forma, verē
cōſeruaretur ſine forma, & ita eſſet in actu ſine actu
informante: non verò ſine actu terminante. Adde
nonnullos ex authoribus, qui ponunt exiſtentiā rea-
liter diſtinctam ab eſſentia, concedere, poſſe Deum
conſeruare eſſentiam in rerum natura, & extra cau-
ſas ſine exiſtentia. In quo licet apertam dicant con-
tradictionem, tamen ſuppoſito falſo principio con-
ſequenter loqui videntur. Cur ergo non admittent
etiam eſſentiam materiæ conſeruari poſſe in rerum
natura & extra cauſas ſine actu exiſtentiæ diſtincto?
nam vt res ſit in rerum natura & extra cauſas, ſufficit
ſecundum ipſos eſſe eſſentiæ: materia autem ex ſe, &
per ſe ipſam formaliter aliquod eſſe eſſentiæ habet,
quamuis partiale ac diminutum.

V. Germanā priorij concluſionis probatio. Sed hæc veluti ad hominem ex alienis principiis
procedunt: ex propriis autē ratio à priori huius ſen-
tentię eſt, quia materia ſicut habet ſuam partialē en-
titatem eſſentiæ, ita & exiſtentię: exiſtētia enim ſub-
ſtantiæ ita compoſita eſt, ſicut eſſentia ſubſtantiæ.
& ideò ſine vlla implicatione vel repugnātia, poteſt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus sicut formam sine materia, ita & materiam A sine forma conseruare. Quia, licet proprium susceptiuum (vt ita loquamur) completæ & integræ existentiæ sit completa natura vel substantiale suppositum, tamen pars naturæ, seu natura partialis capax est, partialis existentię sibi proportionatę, in qua potest per diuinam potentiam partialiter sola subsistere, sicut quantitas in sua proportionata existentia per diuinam potentiam separata existit. Nulla enim maior repugnantia afferri potest in existentia partiali materiæ, quàm in partiali existentia formæ, vel accidentali existentia quantitatis. Namque hæc existentia partialis materię, non manat intrinsecè à forma, sed solùm naturaliter pendet ab illa, vel tâquam à conditione seu actuali dispositione naturaliter debita, vel ad summum vt à causa informâte, & per informationem suam per se concurrente & iuuante ad esse materiæ: hic autem modus dependentiæ facilè potest à Deo suppleri sine repugnantia. Et de priori quidem, qui nobis probabilior visus est, res est clara, quia ille modus dependentiæ est valde extrinsecus, & à posteriori, & solùm consistit in hoc, quòd rei in tali statu constitutæ, vel carenti tali di- B spositione vel actu, non debetur naturaliter esse. Potest autem Deus conferre esse, etiam præter naturale debitum, seu præter ordinem naturalem, & ita potest conseruare formam in materia sine naturali dispositione, & animam in corpore sine naturali organizatione.

VI. De posteriori autem modo dependentiæ idem probatur, quia licet secundum illum modum forma concurrat aliquo modo vt causa ad esse materiæ, nõ tamen vt causa intrinsecè componens illud esse, aut proprium subiectum eius, sed vt causa tãtùm informans vel actuans, & vt extrinseca in hoc sensu quòd est condistincta omninò ipsi effectui: huiusmodi autem causam Deus supplere potest efficiendo, etiamsi ipsa causet informando. Quod à contrario probatur causa materiali, quæ est intrinseca sicut formalis, & ideò non potest Deus illam supplere respectu illius effectus quem intrinsecè componit. Potest tamen supplere causalitatem eius, respectu alterius componentis seu formę etiamsi materia in suo genere influat per se, & vt vera causa in esse ipsius formę, C Et hoc modo supplet Deus dependentiam accidentis à subiecto, etiamsi sit in genere causæ materialis: & eodem modo potest supplere dependentiam substantialis formæ corporeæ à materia, quia licet verè sit causalitas per se & materialis, tamen non est omnino intrinseca, id est, talis, vt ipsa materia sit intrinseca pars talis effectus, sed est circa rem omnino condistinctam sustentando illam. Hanc autem causalitatem, quam materia præbet sustentando, potest Deus supplere efficiendo: ergo eadem ratione poterit supplere causalitatem formę, nõ in compositum, sed in materiam, neque informando, sed efficiendo. Patet consequentia, quia ęquè cessat tota ratio repugnantiæ, quæ in hoc consistit quòd Deus non potest vniri per modum formæ ad materiam, quod necessariũ esset ad cõseruandum vel componendum cõpositum; non verò ad conseruandam vnam partem compositi sine alia. In quo par est ratio de materia ac de forma, quia non est de ratione partis essentialis actu existentis quod sit forma, vel habeat formam, quia neque essentia talis partis hoc postulat, cùm solum consistat in aptitudine ad formam; non verò in actuali vnione, neque etiam existentia, cùm solùm extrinsecè pendeat à forma modo iam explicato. Et tunc materia esset quidem in actu entitatiuo, seu existentiæ, & in potentia ad actum formalem, in quo nulla est repugnantia aut difficultas, cùm potentia receptiua necessariò includat aliquam entitatem, & actualitatem entitatiuam, vt suprà declaratum est.

VII. Atque hinc obiter intelligitur, per quam actionem possit Deus materiam sine forma conseruare, aut quid noui oporteat ipsum exhibere, vt ita illam conseruet. Diuersimodè enim loquendum est iuxta diuersos modos dependentiæ materiæ à forma suprà tactos. Si enim materia solum pendet à forma vt ab actu seu dispositione consequente, nulla noua actio necessaria est ex parte Dei ad conseruãdam materiam sine forma, sed si à principio crearet materiam solam sine forma, actio eadem omnino esset cum illa, qua Deus actu creauit materiam sub formis, solùmq; constitisset miraculũ, vel prętenaturale opus in hoc, quòd Deus faceret illam actionem sine cõcomitantia alterius per quam induceret substantiam animæ sine potentia intellectiua, per eandem actionem illam crearet, & miraculum solùm esset impedire naturalem dimanationem facultatis ab essentia; imò de facto anima Christi, eadem actione creata est sine propria subsistentia, ac aliæ creantur, solumque in illa impedita fuit actio vel dimanatio propriæ subsistentię. Et proportionali modo loquẽdum est, si Deus velit conseruare sine forma materiam, quæ iam est sub illa; nam expellendo vnam formam, & non cõcurrendo ad introductionem alterius, solum esset necessarium, Deum cõtinuare illammet actionem, qua nunc conseruat materiam, quia per illam sufficienter conseruaret entitatem materiæ in rerum natura & extra causas: miraculumque solum in eo esset positum, quod Deus continuaret actionem conseruatiuam materiæ in eo statu, in quo illi non deberetur esse, & sine illis conditionibus, quæ ad naturalem modum existendi necessariæ sunt.

VIII. At verò si materia pendet à forma, vt à propria causa per se influente ad esse illius, sic necessarium erit Deum alio genere efficientiæ & actionis supplere illam causalitatem formæ, quia, si illa causalitas formæ per se necessaria est præter communem influxum, quo Deus nunc conseruat materiam, non poterit cum hoc solo communi influxu Dei materia conseruari sine causalitate formæ, nisi huius necessitas alio genere causalitatis suppleatur. Sicut, quando Deus conseruat quantitatem sine materiali concursu subiecti, necessarium est, vt speciali efficientia suppleat concursum illum subiecti, sine quo quantitas naturaliter esse non posset, & ideò dicimus longè diuersa ratione conseruare Deum quantitatem sine subiecto, ab ea, qua illam in subiecto cõseruabat, vt latè tractaui tertio tomo, tertia parte. Sic igitur necessarium esset in præsenti seruata proportione. Quænam verò esset illa noua actio quam Deus adhiberet ad materiam conseruandam sine forma, non est facilè ad explicãdum: dicimus autem illam fore actionem per modum absolutæ, & omnino independentis creationis, distinguique ab actione, qua nunc conseruatur materia, quia hæc est per modũ cõcreationis, quod quidem in materia cœlesti si conseruãda esset sine forma, facilè intelligi posset: in hac verò materia generabilium, difficilius id est, nam actio per quam fit, re vera est absoluta creatio, vt in superioribus est declaratum, & ideò prior dicendi

cendi modus quoad hanc materiam semper videtur A verisimilior.

Satisfit rationibus prioris sententiæ.

IX. RAtiones contrariæ sententiæ omnes ferè solutę sunt ex dictis: Ad primam enim iam responsum est, & falsum sumere, nempe omnem existentiam esse à forma, vt ab intrinseca & quasi essentiali causa (est enim id verum de existentia completa substãtiali, non verò de quacunque partiali) & illationem non esse necessariam, quia esto intercederet ille naturalis ordo inter formam & existentiam, non inde fieret esse immutabilem per omnipotentiam Dei. Ad secundum respondent Scotus, & alij committi æquiuocationem in nomine potentiæ, & actus; nam materia dicitur pura potẽtia subiectiua, quæ, si in sua puritate sit, carebit actu informante: cùm verò dicitur omnem rem existentem esse in actu, intelligitur de actu entitatiuo, quod non opponitur potentiæ subiectiuæ, sed obiectiuæ tantùm. Quam responsionem Iauellus & alij putant satis excludi impugnando potentiam obiectiuam, sed non est, quod hæreamus in voce potentiæ obiectiuæ: de qua fortasse est controuersia de nomine, vt etiam Iauellus fatetur, & inferiùs tractandum est; sed attendere debemus ad rem significatam, quæ est res in esse possibili, siue dicatur possibilis à potentia obiectiua, siue à potentia actiua agentis: nunc enim nil refert. Rei autem possibili sic sumptæ opponitur res in actu, & hoc sensu est verum, rem existentem debere esse in actu: hoc autem esse in actu, non opponitur purę potentiæ subiectiuæ. Quod si in hoc sensu materia iam creata dicatur pura potentia, falsa est assumptio. Ad tertium satis iam declaratum est, quo modo possit Deus supplere dependentiam naturalem, quàm habet materia in sua existentia partiali à forma.

Ad quartum respondetur non magis procedere argumentum illud in materia sine forma, quàm in materia formata. Materia enim nõ habet aliam speciem substantialem & essentialem sibi, propterea quod sit sub forma; vel sub hac, vel illa forma. Dico autem substantialem & essentialem, quia agimus de materia prima, non de materia proxima, quę includit formas seu dispositiones accidentales, ratione quarum dicitur interdum specie differre, sed illa re C vera non est diuersitas in substãtiali differentia materiæ, sed in accidentibus. Forma igitur non dat differentiam specificam materiæ, sed composito. Vnde sicut eadẽ materia numero, manet sub diuersis formis, ita & eadem specie: si ergo materia sine forma existens esset indiuiduum generis sub nulla specie contentum, etiam nunc est: vel certe, si nunc non est tale indiuiduum (vt re vera non est) neque etiam tunc esset. Vnde simpliciter negãda est sequela, quia ad rationem materiæ non spectat vt sit in specie hominis, vel equi, sed in specie materiæ; illa autem materia esset in aliqua specie vltima materiæ, vel cœlestis, vel elementaris. Quare aliud est dicere in eo casu dari materiam, quæ in sua latitudine essentiæ incompletæ sub nulla specie vltima sibi proportionata contineretur, & falsum est hoc sequi: aliud verò est dicere, dari materiam ex qua nullum indiuiduum completum sub aliqua specie vltima substantiæ cõpletæ contentum actu componeretur: & hoc fatemur sequi; nullum autem est inconueniens, sed est ipsamet assertio nostra: quia non est de essentia materiæ quòd actu componat tale indiuiduum, sed quod apta sit illud componere. Ad quintum respondetur esse discrimen inter substantiam & accidens, quod accidens & forma accidentalis in tota sua latitudine sumpta conuertuntur, quia omne accidens aliquo modo inhæret, & ideò repugnat dari esse accidentale sine forma accidentali: substantia verò & forma substantialis non conuertuntur: datur enim subiectum substantiale quod nullo modo est forma, & ideò diuiditur substantia in materiam, formam & compositum. Quapropter non est necesse vt omne esse substantiale sit intrinsecè & formaliter à forma: nam in latitudine substantialis esse, datur esse simpliciter & completum; & hoc est à forma propriè ac per se in suo genere, datur etiam esse partiale, quod non semper est à forma, nisi latè loquendo, quatenus ab illa aliquo modo pendet, quam dependentiam Deus supplere potest, vt ostensum est.

SECTIO X.

Vtrùm vnius substantiæ vna tantùm detur causa formalis.

EXplicata causalitate formæ, necessariũ I. est eius veritatem, vel multitudinem in eodem effectu vel composito exponere, vt hinc simul constet, an intra hoc genus causę, sit aliqua subordinatio, vel dependentia causarum respectu eiusdem effectus. Duobus autem modis intelligi potest in vna substãtia esse plures formas, scilicet, vel in diuersis partibus materiæ, vel in eadem materia. De priori modo hîc non disputamus: quia etsi in diuersis partibus materiæ dentur diuersæ formæ, tamen vnaquæque earum vnum tantùm habet effectum proprium in sua materia. Quod si ex omnibus illis substantiis vna componitur tanquam ex partibus integrantibus ipsam, necesse est vt formæ illæ non sint totales, sed partiales, vnam totalem formam integrantes. Atque ita ea multitudo partium non impediet quo minùs vnius effectus totalis vna detur adæquata causa formalis. Et quidem si huiusmodi partiales formæ sint Plures partiales formæ homogeneæ in eodem cõposito inuenientur. eiusdem rationis, non est dubium quin possit in materialibus formis pro diuersitate partium materiæ multiplicari & vniri ad componendam vnam substantiam. An verò formæ diuersarum rationum possint esse partiales, & inter se vniri ad componendam vnam substantiam, & quanta possit esse illa vnio, an scilicet, per veram continuationem Mathematicam, vel per minorem aliquam cõiunctionem Physicam: hæc omnia non pertinent ad præsentem materiam, sed ad scientiam de anima; nam illa omnia potissimum quæri solent propter partes heterogeneas viuentium, & maximè propter sanguinem & alios humores existentes in animali, de quibus nonnulla attigi 1. tom. 3. part. disp. 13. sect. 5. & 7.

Quæstio ergo præsens versatur de causa formali II. respectu eiusdem omnino materiæ, an scilicet in vna materia tantùm esse possit vna forma substantialis, in qua quæstione plures inuoluuntur pro varietate opinionum, quę breuiter attingendæ sunt.

Tribus autem modis excogitari possunt plures III. formę in eadem materia: vno modo cum subordinatione per se & essentiali, per modum formæ superioris & inferioris, quarum prior, licet respectu materię sit actus, respectu tamen vlterioris formæ comparetur per modum potentiæ. Secundò cum subordinatione, non quidem essentiali, sed per modum dispositionis ad formam principaliter intentam. Tertiò merè per accidens & sine vllo ordine inter se.

Aniceb̃ron. Joan. 36. Gandauo. Paulus Ven.

Et ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

Et ad hæc tria capita reuocantur omnes opiniones, quæ in hac materia sunt vel esse possunt, & in singulis est sententiarum varietas.

IV. Nam ad primum caput spectat opinio suprà tractata disput. 13. de forma corporeitatis per se necessaria ad introductionem vltimarum formarum, quã hîc iterum referre & impugnare non oportebit.

Reiicitur opinio de multiplicatione formarum iuxta prædicata essentialia.

V. IBidem est etiã tractata & cursim impugnata opinio, quæ affirmat, formas substantiales realiter multiplicari in composito iuxta multitudinem prædicatorum essentialiũ, quę refertur ex Auicembron in lib. fontis vitæ, eamq; tenuit Ioannes de Gandauo 2. Metaph. quæst. 10. & 1. de anima quæst. 8. & Paul. Venet. 7. Metaph. Veruntamen hæc sententia antiquata iam est, & vt omnino improbabilis reiecta; nã præter rationes generales, quas inferiùs efficiemus pro vnitate formæ, hæc ratio conuincit falsitatis illam opinionẽ, quòd multiplicet formas sine fundamento & necessitate; nam in superioribus ostensum est, vniuersalia nõ distingui realiter à particularibus, nec genera ab speciebus: ergo cùm hæc prædicata multiplicẽtur solùm per abstractionem & præcisionem nostri intellectus, vanũ est existimare illis correspondere in re formas realiter distinctas. Alioqui etiam in substantiis separatis, & in formis accidentalibus, multiplicandæ essent formæ realiter distinctæ, & inter se subordinatæ iuxta multitudinem prædicatorum essentialium, quæ in his etiam rebus nostra ratio distinguit. Imò etiã materias oporteret realiter distingui & multiplicari in substantiis materialibus, quia ab illis sumi possunt prædicata diuersa essentialia, vt esse rem materialem, quod cõmune est cœlestibus & inferioribus corporibus, & esse rem generabilem, aut aliquid simile. Deniq; hæc prædicata quàm plurima abstrahi possunt, iuxta varias rerum cõuenientias: ergo impossibile est iuxta numerum earum multiplicari realiter formas. Omitto alias rationes, quas suprà disp. 13. sect. 3. fecimus.

VI. Sed obiicies Aristotelem 7. Metaph. cap. 10. dicẽtem partibus definitionis correspondere partes rei: partes autem definitionis sunt genus & differentia: ergo his partibus correspondent in definito partes realiter diuersæ, quæ non sunt sola materia & forma; nam animal, verbi gratia, non significat solam materiam, sed compositum ex materia & anima sensitiua. Item idem Aristoteles 2. Metaphys. cap. 2. probat non dari processum in infinitum in causis formalibus quia non datur in prædicatis quidditatiuis. Item, quia proprietates, quæ secundum hæc prædicata cõueniunt, sunt distinctę in re ipsa, vt, verbi gratia, sentire, intelligere, moueri, &c. ergo & formæ à quibus ea prædicata sumuntur. Ad primum testimonium Aristotelis respondetur, vel non loqui generaliter de omni definitione, sed de illa, quæ datur modo Physico, & per partes physicas, vt cùm dicitur homo esse ens compositum ex anima & corpore, vel, si vniuersaliter loquatur, non oportere intelligi de partibus in re distinctis, sed re vel ratione, vt sumitur ex Diuo Thoma ibi, & clariùs ex Alexand. Alensi, qui vocat partes reales aut rationis. Ad aliud verò testimonium respondetur ex negatione plurium, vel infinitorum prædicatorum essentialium rectè colligi negationem plurium, vel infinitarum formarum, quia à qualibet forma, vt minimum sumi potest vnum prædicatum quidditatiuum: si ergo non sunt infinita prædicata quidditatiua, nec infinitæ formę esse poterunt. Econtrario verò ex multitudine prædicatorum quidditatiuorum, nõ potest colligi multitudo formarum, quia ab eadẽ forma possunt plura prædicata sumi iuxta varias conuenientias ac differentias, quas habet cum aljs formis. Quare non est simile, quod ex Aristotele adducitur.

VII. Hinc autem optimè infertur, quòd sicut ex vnitate formæ non colligitur prædicata quidditatiua non esse plura, sed vnum tantùm, ita etiam non colligitur illa non esse infinita, aut non posse esse in eis processum in infinitum, quia stante vnitate formæ possunt hæc prædicata multiplicari: an verò aliunde sit terminus in his prædicatis, & quomodo id probauerit Aristoteles, dicemus sect. sequent. Ad vltimum respondetur negando consequentiam, nam, sicut ab eadem causa plures effectus, ita ab eadem forma diuersæ facultates oriri possunt, vt experientia notum est; nam interdum conueniunt plures facultates eidem rei, non solùm secundum eãdem formam physicam, sed etiam secundum eandem differẽtiam specificam, vt homini intellectus, voluntas, risibilitas: aliquãdo verò oriuntur hæ facultates ab eadem forma secundum varios gradus eius, qui à nobis sæpe distinguuntur per ordinem ad ipsas difficultates vel actiones, quamuis in re, gradus ipsi non sint distincti in substantialibus formis, de qua re satis dictum est, tractando de vniuersalibus.

Opinio Scoti de forma corporeitatis reiicitur.

VIII. TErtiò ad hoc caput spectat opinio Scoti & Hẽrici suprà tacta disput. 13. qui ponunt etiam formam corporeitatis aut misti, vt per se necessariam inter materiam & formas quasdam substantiales, quãuis non eodem modo: Scotus enim putat intercedere inter materiam & omnem animam, non verò inter materiam & formas inanimatorũ: Henricus verò solùm in homine illam formam requirit. Fundamẽtum Scoti si à priori explicetur, fuisse videtur, quia anima est forma, transcendens communem gradum corporis, & requirit in materia dispositionem & varietatem quandam organorũ, quàm aliæ formæ non requirunt: ergo anima vt sic, non dat esse corporis, sed præsupponit illud per aliam formam ratione cuius supponitur materia capax organizationis, & dispositionis necessariæ ad animam: in rebus autem inanimatis cessat hæc necessitas. Et confirmari hoc potest ex communi modo loquendi, dicimus enim viuens constare corpore & anima, non tamen dicimus aquam vel aerem constare ex corpore & tali forma, sed ex materia & tali forma: ergo signum est corpus quod in viuentibus dicitur esse altera pars compositi, præter materiam includere quandam substantialem formam intermediam inter materiam, & animam. De quo corpore optimè intelligitur definitio illa animæ, est actus corporis Physici, organici, potẽtia vitam habentis. Nam cùm illud corpus, quod cõdistinguitur ab anima, sit pars Physica, non includit animam ipsam, etiam vt dantem superiorem gradũ, quia aliàs non esset ex eis cõpositio Physica, sed Metaphysica, nec etiam dicit solam materiam, aut nudam, quia hoc modo communis est omnibus rebus naturalibus; aut cum accidentibus, quia hæc non pertinent ad essentiam substantię: ergo includit specialem formam substantialem distinctam ab anima. Secundò ac principaliter motus est Scotus argumẽto à posteriori, quia in morte animalis recedit anima, & non statim introducitur noua forma: non est autem

Partibus definitionis vt respondeant partes rei.

D. Thom. Alens. Prædicata essentialia & formę substãtiales quem ordinẽ illationis seruẽt.

autem dicendum manere materiam sine forma: ergo dicendum est manere sub forma corporeitatis, quæ præerat in animali. Maior probatur, quia, si introduceretur forma, illa esset diuersa prò diuersitate dispositionum: videmus autem non ita esse, sed in morte hominis idẽ cadauer manere, siue ex redundantia caloris; siue frigoris moriatur. Accedit etiam, sæpè nullum esse agens, à quo talis forma educatur. Tertiò vtitur Scotus argumento Theologico, quod maximè mouit Henricum; nam dici non potest corpus hominis mortui semper esse specie, aut numero distinctum à corpore viuentis: ergo necesse est fateri manere eandem numero formam corporis sine noua forma, quia variata forma, variatur indiuiduũ, imò & species. Antecedens patet, quia aliàs non iacuisset in sepulchro idem numero corpus quod fuit in Christo viuente. Et si hostia fuisset ante Christi mortem consecrata, & seruata in triduo, non mansisset in eadem corpus numero, quæ videntur esse contra dicta Sanctorum.

IX. Hæc verò opinio etiam multiplicat formas sine sufficiente fundamento, & impugnari potest eisdem rationibus quibus dicta disp. 13. cont. Auicen. vsi sumus. Et præterea supponit Scotus in sua sententia duo, quæ Aristoteli repugnant. Vnum est interdum fieri corruptionẽ substantialem sine subsequẽte generatione, contra Aristot. 1. de Generat. cap. 3. Secundum est fieri corruptionem substantialem manente completa substantia sensibili composita ex materia & forma contra eundem Philosophum 1. de Generat. cap. 4. Ad quæ respondent Scotistæ Aristotelem loqui, quando fit integra corruptio, quando autem moritur animal, non fit integra corruptio, donec tanta fiat transmutatio in materia, vt etiam forma corporeitatis abiiciatur. Sed hęc eadem distinctio integræ, vel dimidiatæ corruptionis substantialis, est aliena à doctrina Aristotelis, qui generationem, & corruptionem substantialem semper definit esse inceptionem & desitionem simpliciter totius substãtiæ. Et præterea sequitur tertiò manere de facto in rerum natura indiuiduum generis de prędicamento substãtiæ sub nulla specie corporis constitutũ, quod non est minus impossibile, quàm intelligere aliquod animal in rerum natura nullius speciei animalium.

Suborantur dicto Aristotelis principia vtr. destruãtur posita for. mas corporeitatis.

X. Responderi potest ex Scoto illud compositum ex materia & illa forma corporeitatis non esse indiuiduum contentum sub genere corporis de prædicamento substantiæ, vt putauit Auicenna; nam illud indiuiduum esse debet substantia completa re ipsa includens aliquam specificam formam, quã confusè dicit corpus de prædicamento substantiæ, & ideò in recto prædicatur de inferioribus: illud autem corpus constans ex materia & sola forma corporeitatis, est tantùm incompleta substantia & partialis; nam est pars cuiusdam compositi substantialis. Vnde sicut materia, quia est pars, potest esse reductiuè sub genere corporis, & non sub aliqua specie, ita corpus illud, quod est pars compositi.

XI. Sed hæc responsio non satisfacit, primò, quia vt aliquod indiuiduum contineatur directè sub aliqua specie, satis est, quod contineat actu totam essentiam actualem illius speciei, nec opus est, quod contineat actu quidquid species continet in potentia, vt per se notum est: corpus autem de prædicamento substãtiæ, est species subalterna contenta sub genere substantiæ, de cuius actuali ratione solùm est vt sit substantia composita ex materia & forma substantiali, vel vt sit substantia per se existens, & capax quantitatis, sed tota hæc ratio actualis cõuenit illi indiuiduo: ergo. Secundò, quia licet pars substantiæ reductiuè possit esse sub genere, & non sub specie, tamen si directè & proportionatè illi assignentur genera & species, impossibile est esse sub genere, quin sit in aliqua specie eius, sicut suprà dicebamus materiam, etiam conseruatam de potentia Dei absoluta sine forma, nõ posse non esse in aliqua vltima specie materiæ. Ita ergo forma illa quæ constituit illud corpus seu cadauer, non potest esse sub communi genere formę substantialis, quin sit in aliqua vltima specie substantialis formæ: ergo compositum ex tali forma & materia erit etiam in aliqua vltima specie substantiæ compositæ: ergo non tantum reductiuè in genere corporis. Et hæc ratio, vt suprà dicebam, conuincit etiam illud compositum non esse ampliùs actuabile per vlteriorem differentiam substantialem, neq; per formam à qua talis differentia sumatur, & ideò non esse partem, nec potentiam per se ordinatam ad vlteriorem actum substantialem, sed esse completã substantiam in actu vltimo constitutam: nulla enim substantia est ita cõpleta & in actu, nisi quia habet aliquam formam substantialem constitutam in aliqua specie vltima talis formæ.

XII. Tertiò est argumentum ad hominem cõtra Scotũ, quia, si nõ existimat incõueniẽs manere hoc corpus, quod dicit esse partem substantiæ, sine vlteriori forma, non est cur inconueniens iudicet materiam manere sine forma: ergo ad vitandum hoc inconueniens non debuit introducere hãc corporeitatis formam. Antecedens patet, quia, sicut materia est potẽtia per se ordinata ad formam, ita corpus illud est potẽtia per se ordinata ad animam. Et sicut materia sub illa forma corporeitatis habet aliquam actualitatem, ita per se sola habet propriam actualitatem entitatiuam, quę sufficit ad existendum: ergo non est cur magis pendeat entitas materiæ ab illa forma corporeitatis, quàm ipsa forma corporeitatis ab vlteriori forma, id est, anima: si ergo forma corporeitatis potest manere sine anima, etiam materia poterit manere sine forma corporeitatis. Est ergo impertinens illa forma. Quartò sequitur ex opinione Scoti in generatione substantiali sæpe introduci duas formas realiter distinctas: cùm ergo mutationes multiplicentur ex terminis, erunt duę generationes substantiales ad vnum compositum substantiale cõstituendum.

XIII. Quintò accidere potest, quod idem numero corpus, ex eisdem numero materia & forma constans, nunc viuat vita hominis, postea vita bruti; nam quãdo ex cadauere generatur vermis, non est cur mutetur forma corporeitatis; nam si illa manet in cadauere sine dispositionibus hominis, poterit melius manere sub forma cuiuscunque viuentis. Imò inde videtur vlterius sequi sine causa limitari hanc formam ad sola viuentia, sed vt minimum extendi debere ad omnia mista, etiam inanimata; nam, vt ipse etiam Scotus loquitur, illa est forma mistionis consurgens ex mistione elementorum: ergo vbicunque fuerit hæc mistio, erit in materia dispositio sufficiens ad hanc formam: erit ergo in omnibus mistis inanimatis: alioqui oportet vt Scotus declaret, quænam transmutatio facta in materia cadaueris sufficiat ad expellendam hanc formam. Nulla certè poterit rationabiliter assignari, nisi fortasse resolutio in prima simplicia elementa: nam ad omnes alias dispositiones, quæ cõsurgunt ex mistione elementorum, videtur esse indifferens talis forma, cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm dicatur manere in ligno, osse, & carne, &c. Quòd si hoc consequens admittatur, vix poterit assignari rationabilis differentia, cur talis forma non sit in materia cum forma auri, vel alterius misti homogenei, &c. Vnde, si ponenda esset forma corporeitatis, magis consequenter loqueretur qui eam poneret in omnibus entibus naturalibus cum Auicenna, quàm in quibusdam, vt alij faciunt, Atq; hæ rationes sufficiunt etiam contra opinionem Henrici; nam quæ dicta sunt de viuentibus in communi, applicari facilè possunt ad solum hominem.

XIV. Eneruantur argumenta pro corporeitatis formæ inducta.

Accedit, rationes quibus hi authores moti sunt ad introducendam illam formam, valde debiles esse, Ad primam enim respondetur, quamuis anima sit superior forma, quàm formæ inanimatorum, & requirat in materia organizationem membrorum; nõ propterea esse necessariam corporeitatis formam; nam anima per se sufficit ad actuandam immediatè materiam, & conseruandam illam in esse: seu terminandam dependentiam illius, & consequenter satis etiam est vt compositum ex tali materia & forma, sit capax trinę dimensionis, quod est esse corpus de prędicamento substantię: sufficit denique vt talis forma requirat in diuersis partibus materię diuersas dispositiones accidẽtales, per quas diuersa organa cõplent, siue quia anima ipsa si diuisibilis sit, varias habet partes diuersarum rationum partialium, quibus illæ dispositiones respondent, siue quia si anima sit indiuisibilis, in sua eminenti, & perfecta entitate totam illam varietatem virtute continet. An verò dispositiones illæ accidentales præcedant in materia ordine naturæ, vel omnino consequantur animam, quoad gradum proximum & vltimum, eadem ratio est de dispositionibus heterogeneis, quæ de homogeneis; & ideò necesse non est propter hanc causam particularem formam introducere in viuentibus, sed Philosophandum in hoc est iuxta dicta superiori disputatione de quantitate & accidentibus existentibus in materia prima.

XV. Viuens quo sensu dicatur corpore & anima constitui. Aristot.

Ad cõfirmationem, quod ad rem attinet, cùm dicitur viuens constare corpore & anima, si per corpus pars physica intelligẽda est, nihil essentialiter includere præter materiam, quia secluſa forma corporeitatis nihil aliud essentiale potest manere in corpore, vt est pars Physica, vt rectè probat argumentum ibi factum. Vnde Aristo. 7. Metaph. tex. 39. *Manifestum* (inquit) *est, quod anima quidem substantia prima, corpus verò materia: homo verò, vel animal quod ex ambobus.* Et quãuis in tali materia requirantur dispositiones organicæ vt dispositiones vltimæ, conditioneſque necessariæ: tamen non pertinent ad compositionem substantialem; & consequenter nec essentialiter includuntur in parte Physica essentiali. Nihil tamen est quod nos cogat vt nomine corporis intelligamus puram partem Physicam, quæ est materia, sed vt stat sub quodam gradu Metaphysico formæ, seu (quod idem est) dicit cõpositum ex materia & anima, verbi gratia, non quatenus anima est, sed quatenus dat gradum corporeitatis; ad declarandam enim propriam rationem animæ, & singularem gradum perfectionis quem addit vltra cõmunem gradum corporis distinguimus peculiariter in viuentibus animam à corpore, & significamus corpus per modum partis Physicæ, non quia forma in eo inclusa sit pars Physica comparata ad animam, sed quia ita concipitur ac prescinditur ac si esset forma distincta. De qua re plura dici possent, quæ omitto, quia ea scripsi in 3. tom. 3. p. disp. 51. sect. 4.

Ad secundum respondetur esse falsum assumptũ; nam in morte hominis, & cuiuscunq; animalis forma cadaueris introducitur, ne materia maneat sine forma. De qua forma, & de vnitate aut distinctione eius & de causa efficienti ipsius, non est hîc dicendi locus, & parum refert ad rem de qua agimus. Probabile ergo est in viuẽtibus specie diuersis formam cadaueris, quæ loco animæ introducitur, esse specie distinctã, vt cõstat de plantis, atq; ét de animalib⁹. Vtrũ autem respectu eiusdem viuentis succedat forma eiusdem speciei, vtrumque potest probabiliter dici, vt Caietanus disputat contra Scotum 1. part. quæst. 76. art. 4. Quoad causam verò efficientem dicendum est, produci ab aliquo temperamento proximo cum concursu alicuius causæ vniuersalis, sicut generaliter dicendum est de his, quæ per accidens generantur ex putrefactione. Ad tertium dicendũ est corpus mortuum esse specie diuersum, & consequenter quoad substantialem formam etiam esse numero distinctum. Neque refert quod de corpore Christi affertur, nam illud dicitur esse, vel sensibiliter idem numero mortuum & viuum propter identitatem materiæ, quantitatis & sensibilium accidẽtium, vel supposititaliter idem propter idenditatem suppositi. De qua re dixi in tertio tomo loco citato, & latiùs in 2. tom. disput. 38. sect. 3. vbi etiam declaraui an forma cadaueris, quæ fuit in triduo in corpore Christi, fuerit hypostaticè verbo vnita. Quod etiam Henricus loco suprà citato attigit. Non est ergo necesse propter locutiones Theologicas, quæ commodum sensum habere possunt, fingere in homine nouam formam sine fundamento Philosophico: imò contra veram rationem substantialis & essentialis compositionis, vt partim ostensum est, & in sequentibus ampliùs ostendemus. Specialis autem ratio physica, quæ in homine sumi potest ex eo, quòd anima eius spiritualis est, in sequenti puncto tractabitur.

XVI. In causis viuentis forma substantialis non introducitur materiam informare.

Tractatur sententia de multiplicatione formarum iuxta gradus rerum.

XVII.

VLtimus modus dicendi in hoc primo capite esse potest in vnaquaq; re tot multiplicari formas substantiales per se subordinatas, quot sunt gradus rerum naturalium. & iuxta numerum graduum, qui ab vna & eadem substantia participantur. Sunt autem quatuor gradus substantiarum, materialium scilicet, inanimatorum corporũ vegetabilium, sensibilium, & rationalium. Rursus entia naturalia quędam participant vnum solùm gradũ & in eis tantùm est vna forma, & hæc sunt opera inanimata, vegetantia verò duos participant gradus, vnde duabus formis constituuntur, animalia tribus, homines quatuor. Quam sententiam hoc modo integrè declaratam non inuenio, tamen authores, qui docuerunt, esse in homine tres animas realiter distinctas, si consequenter loquantur, necesse est, vt totum discursum factum amplectantur: nam qua ratione in homine distinguunt tres, oportet in brutis duas etiam distinguere, & qua ratione ipsas animas inter se separant, oportet quod gradum etiam animæ à communi gradu formæ corporalis distinguant; nam his omnibus eadem est proportio. Neque alia ratio distinctionis dari potest nisi graduum subordinatio & distinctio. Tenent autem eam opinionem de triũ animarum distinctione Philop. 1. de anima, textu 91. quem sequitur Iandun. capite de anima, quæst. 12. & Paulus Venetus in Sum. de anima cap. 5. Quorum fundamenta hoc loco non referam, quia ferè coincidunt

Philop. Iandun. Paulus Ven.

cidunt cum his, quæ in referendis aliorum opinionibus tacta sunt.

XVIII. Solùm in homine videtur inueniri peculiaris necessitas plurium animarum, saltem duarum ob duas præcipuas causas hominis proprias. Vna est, quia rationalis anima est perfectè spiritualis, & indiuisibilis, maximèq; distans ab imperfectione materiæ: & ideò extrema tam distantia nõ videntur posse immediatè coniungi: est ergo necessaria aliqua forma, qua mediante vniantur. Atq; hæc ratio peculiariter fauet opinioni Henrici suprà tractatæ, nam anima rationalis cùm sit incorporea, non potest dare esse corporeum: ergo nec potest esse forma corporeitatis. Et eadem ratione non potest esse forma vegetatiua aut sensitiua formaliter, nã huiusmodi formæ sunt materiales, & corruptibiles: ergo propter hæc requiritur in homine aliqua forma materialis prẽter animã, siue illa sit vna, siue multiplex.

XIX. Altera causa est, quia in homine sunt operationes contrariæ, nam *caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*: non possunt autẽ contrariæ operationes ab eodem principio prodire, sed à contrariis. Quo argumento vtitur Ocham, qui hanc sententiam docet quodlib. 2. q. 10. & in 11. addit etiã distingui has animas à forma corporeitatis: & in brutis etiam distinctam facit talem formã ab anima sensitiua eorum. De anima verò sensitiua & vegetatiua negat esse distinctas. In quo certè non consequenter loquitur; neque etiam declarat an in plantis distinguatur anima à forma corporeitatis. Manichæi etiam duas in homine asserebant esse animas, vnam spiritualem à bono Deo inditam, aliam verò animalem ei contrariã, & à cõtrario principio, malo scilicet Deo, quẽ illi fingebant, profectam: vt retulit Augustin. lib. de duabus animab. contra Manichæos & 10. Gen. ad liter. cap. 13. & lib. de vera religione, c. 9. & plures doctores Catholicos secutos esse hanc sententiam de duabus animab. in homine, spirituali, & sensuali, testatur Hieron. epist. 150. ad Hedib. q. 12. tractans locũ quo illi mouebantur, 1. ad Thessal. 5. *Deus pacis sanctificet vos, vt integer spiritus vester & anima, & corpus, sine querela in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Cui testimonio coniungebant illud Daniel. 3. *Benedicite spiritus & animæ iustorum Domino.* Idem tenuit Philo in lib. quòd deterius potiori insidietur.

Duas animas ponebant Manichæi. Aug. Hieron.

XX. Improbatur hæresis sententia cum suæ explicationibus.

Hæc verò sententia nõ solùm in Philosophica ratione improbabilis est, sed etiam in nostra fide parũ tuta, quantum ad eam partem qua ponit in homine plures animas. Et quidem quantũ ad illam rationem generalem distinguendi plures formas substantiales ex gradibus rerũ, à posteriori ex eo rectè improbatur quod ex illo principio sequitur necessarias esse in homine animas realiter distinctas, quod est à sana doctrina alienum. Deinde omnes rationes quibus probauimus non distingui in viuentib. animam à forma corporis, à fortiori probant additionẽ noui gradus non sufficere ad formas realiter distinguendas.

XXI. Imò rationes factæ contra primam sententiã, quibus ostensum est non distingui realiter formas propter diuersa prædicata quidditatiua inter se subordinata, idem probant etiã si vnum prædicatũ addat alteri nouũ gradũ, nam quando illi duo gradus in vna, & eadem re coniunguntur, vnus comparatur ad aliũ vt differentia specifica ad genericam, & ita ex vtroq; vna substantialis species constituitur tanquam ex vniuersali, & particulari: ergo in re non distinguuntur illi gradus seu differentiæ, vt coniunctæ in tali specie: ergo nec formæ quæ sunt principia talium graduum vel differentiarum, realiter distinguuntur in tali substantia. Quod tandem declaratur applicando cum proportione rationem suprà factam, nam si in equo, verbi gratia, est anima vegetatiua, necesse est vt per aliquam specificam differentiam sit contracta, nã anima vegetatiua vt sic solùm dicit rationem genericam, quæ distinguitur per varias species, vt in arboribus & plantis elt euidentissimum, non potest autẽ esse in equo individua & realis anima constituta sub genere animæ vegetatiuæ, & nõ sub aliqua specie illius generis: ergo necesse est vt per aliquam specificam differentiam sit contracta & constituta. Aut ergo illa differentia continetur intra gradum ipsum vegetatiuum, sicut differentia specifica cuiusdam arboris, verbi gratia, piri, manet intra latitudinem gradus vegetatiui: vel est ipsamet differentia eleuans illam animam ad gradum sensitiuum. Primum dici non potest, quia aliàs illa anima vt sic constitueret vltimã quandam & infimam speciem rei vegetabilis, quæ non esset capax vlterioris differentiæ, & consequenter neque vlterioris animę: neque compararetur ille gradus ad subsequentem, vt genus ad speciem, sed opponerentur tanquam duæ species vltimæ conditionatæ: ergo necesse est dicere secundum, nimirùm animam vegetatiuam secundum suam rationem genericam contrahi in anima equi per ipsummet gradum specificum. Ex quo apertè concluditur, animã vegetatiuam in equo non esse re distinctam à sensitiua, quia nulla res potest distingui realiter à differentia, per quam essentialiter constituitur.

XXII. Atque hæc ratio eandem vim habet in anima rationali, & eodem modo applicari potest; nam, si anima sensitiua v. g. esset in homine re distincta à rationali, illa esset specificè contracta intra gradũ sensitiuum: vnde esset anima quædam irrationalis, & belluina, quę, secluſa rationali, aut per intellectum; aut re ipsa saltem per potentiam Dei, verè constitueret quoddam brutum tam integrum & completum in specie animalis, sicut est equus: quo modo rectè ait Augustinus lib. 82. quæstionum, q. 8. Apollinarem, dum asseruit Verbum assumpsisse animã sensitiuam sine rationali, re ipsa dixisse assumpsisse quandam belluam. Quomodo ergo posset compositũ tali anima constitutum vlteriùs informari anima rationali?

Augustin.

XXIII. Prætereà est optima ratio communis quidem omnibus, sed quæ euidentiùs in homine conspicitur, sumiturque ex subordinatione & dependentia omnium humanarum virium ac facultatum: nam ex attentione nimia ad actionem vnius facultatis v. g. intellectiuę, impeditur operatio sensus, imò & ipsa nutritio, & ex operatione vnius potentiæ v. g. operatione phantasiæ, mouetur cor, & excitantur alię facultates naturales. Ex qua experientia suprà probauimus dari formam substantialem distinctam à facultatib⁹ accidentalibus, vt sit vnum principium, in quo omnes facultates radicentẽ, & à quo prouenìat illa sympathia actionum.

XXIIII. Possent prætereà hîc adiungi argumenta Theologica, vt est illud, quod sumitur ex illis verbis Genes. 2. *Formauit Deus hominem de limo terræ & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animã viuentem*: ille enim spiritus, quem Deus spirauit, anima rationalis fuit, & per eandem factus est homo viuens, & consequenter etiam sentiens. Aliud est ex VIII. Synodo generali, quæ est Constantinopolitana IIII. can. 11. qui sic habet. *Apparet quosdam in tantũ impietatis venisse, vt homines duas animas habere dogmatizent:*

Genes. 2.

Constantinop. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tales igitur impietatis inuentores, & similes sapientes, cum A *vetus, & nouum testamentum, omnesque Ecclesiæ Patres vnam animam rationalem hominem habere asseuerent, Sancta, & vniuersalis Synodus anathematizat.* Vnde in lib. de Ecclesiasticis dogmatib. cap. 15. hoc etiam traditur vt dogma certum; quia verò Ocham dicit ibi esse sermonem de duabus animabus rationalibus, vt cõstet id esse falsum, referam verba; *Neque duas animas esse dicimus in vno homine: sicut Iacobus & alij Syrorum scribunt; vnam animalem, qua animetur corpus, & immista sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret: sed dicimus vnam esse eandemque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Similia habet August. de spirit. & anim. c. 9. Damascen. lib. 2. de fide ca. 12. Accedit, quòd alias mortuo homine aliqua anima desineret esse: & Christus moriens aliquam substantiam Verbo vnitam simpliciter dimisisset. Vnde Ocham, vt hoc incommodum euitet, dicit animam sensitiuam Christi conseruatã esse in Christo, vel cum rationali, vel cum corpore. Sed si intelligat mansisse vnitã corpori, est hæresis, aliàs corpus illud nõ mansisset mortuum, sed sentiret. Si verò intelligat mãsisse separatam, B dicit miraculũ inauditũ, quod forma materialis cõseruata sit sine materia. Item inauditũ est in Ecclesia duas animas Christi esse separatas in triduo. Quare temerarium esset, ne dicam erroneum, id asserere.

XXV. Quocirca cùm spiritus & anima hominis distinctè nominantur in Scriptura, non distinguunt substantia, sed munere & officio, vt Hieronymus suprà indicat, & latè declarauimus in 1. Tom. 3. p. q. 6. in Comment. art. 2. & disput. 17. sect. 4. Sæpè verò ipsa anima, prout absolutè viuificat corpus, nomine spiritus appellatur, vt Ecclesiastici 12. *Et spiritus redit ad Dominum*, &c. qui spiritus, immortalis alibi anima vocatur, nempe Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et de Christo Domino dicitur Matthæi 27. quod emisit spiritum; id est animam. Vnde in Clemen. vnic. de Sum. Trinitat. dicitur Christus assumpsisse partes naturæ nostræ vnitas, corpus scilicet, & animam rationalem.

Matth. 10, & 27.

XXVI. Ratio talis animæ licet inextensa, materiæ forma est.

Nec rationes in contrarium factæ difficilem habent solutionem. Ad primam enim negatur minor, nam, licet anima sit indiuisibilis & spiritualis, potest C immediatè vniri materiæ, quia essentialiter est actus eius. Non enim refert, quod in perfectione entis multum inter se distent materia & anima rationalis, nam ad vnionem non est attendenda distantia vel propinquitas in perfectione entitatis, sed in proportione & conuenientia in mutuo respectu actus & potentiæ, quę proportio sufficiens reperitur inter materiam & animam, imò fortasse maior & perfectior, quam inter materiam, & quamcunq; aliam formam. Alioqui etiamsi fingatur materia iã informata quacunque forma vel anima extensa & materiali, adhuc erit anima improportionata vt vniatur illi; quia quod ad extensionem attinet, tam extensa est illa forma, sicut materia: ergo si inde oriebat improportio, non tollitur, imò augetur aliunde. Primò, quia cùm illa anima sensitiua, sit actus substantialis & specificus, vt probatum est, magis distat ab anima rationali, quoad proportionẽ requisitã ad vnionem, quam anima & materia, & ita potiùs impedit, quam iuuat ad vnionẽ. Secundò, quia si intercederet anima sensitiua, intellectiua esset purũ principiũ intelligendi: purũ autem intelligendi principiũ non est aptũ ad informandũ corpus, vt latiùs ostendemus infrà, tractãdo de intelligentiis separatis. Vt ergo rationalis anima sit vera forma corporis, oportet vt ipsamet sit principium non tantùm intellectionum, sed etiam operationum quæ exercentur per corpus; ergo maximè operationum sensitiuarum, quæ sunt actionibus intelligendi propinquiores. Quod adeò necessarium est, vt dubitauerint nonnulli, an ipsamet anima quatenus intellectiua informet corpus. Non verò est, quòd dubitauerint, nam rationalis anima essentialiter est forma corporis secundum se totam, & secundum omnes grad⁹, qui licet à nobis ratione præscindantur, in re tamen idem in anima sunt. Vnde licet ex essentia huius animæ non dimanent potentiæ intellectiuæ, quæ in corpore recipiantur, tamen eædẽmet potentiæ sensitiuæ, imò & vegetatiuæ manant cum singulari quadam perfectione propria rationalis animæ, & proportionata ad ministrandum actionibus mentis. Et hoc etiam est argumentum, eandẽ esse animam sensitiuam cum rationali in homine.

XXVII. Anima rationalis per se est forma corporeitatis.

Ex quo etiam intelligitur, quomodo anima rationalis, licet sit incorporea, possit esse forma corporeitatis: nam esse actum, aut formam corporeitatis, B non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed esse formam constituentem cum materia vnam substantiam compositam eapacem quantitatis. Vnde, vt suprà disp. 13. dicebam, idem omnino est esse formam corporeitatis, quod esse formam substantialem materiæ, quia ex hoc præcisè, quòd sit actus substantialis materiæ, constituitur ex vtraque substantia integra, materialis, & corporea. Cùm ergo rationalis anima, etiamsi sit indiuisibilis, vera forma sit substantialis corporis, habet quidquid necessarium est, vt sit forma corporeitatis. Ex quo etiam concludi potest cõtinere etiam sufficienter gradus intermedios, vegetatiuum scilicet, & sensitiuum, ita vt eos formaliter conferre possit composito, quia non potest continere extremos gradus sine his mediis. Dici autem solet frequenter, rationalẽ animã virtute & eminenter continere hos gradus. Quod tamen aliis videtur non sufficere ad formalem causam, licet ad efficientem satis sit. Atque ita sine dubio dicendum est, sicut de ratione formæ corporeitatis non est vt sit corporea formaliter, ita de ratione animæ vegetatiuæ & sensitiuæ non esse, quod sint materiales & extensæ, C sed q̃ sint principiũ formale vegetandi & sentiendi, & quod constituãt formaliter viuẽs secũdũ hos gradus vitæ, quod verè ac formaliter habet anima rationalis: dicitur tamẽ eminenter cõtinere, comparatione facta ad formas illorũ graduũ, quæ pfectionem eorũ non transcendũt: quia altiori modo continet perfectiones earũ. Vnde, generatim loquendo negãdum est esse de ratione formæ vegetatiuę aut sensitiuę, q̃ sit corruptibilis, aut educta de potentia materię, sed addendũ esset, illud esse de ratione animę vegetatiuę tantùm, aut sensitiuę tantũ: in homine aũt nulla est forma, quę sit aut vegetatiua, aut sensitiua tantùm. Quare nulla est in homine forma educta de potentia materię. Neq; hoc obstat, vt alij obiiciunt, naturali generationi hominis, quia ad hanc non est necesse, vt forma fiat per eductionem: aliàs, etiamsi in homine esset anima sensitiua educta de potentia materię, non generaretur homo, sed illud animal irrationale constitutum per talem animam. Ad generationem ergo naturalem satis est, quòd vnio animæ ad corpus, naturali modo fiat per naturalem dispositionem, & actionem.

Conc. Vien. sub Leone 1. sect. 8. decret. 10., quod declaratur ex Concilio Constantinop. 3. can. 7.

XXVIII. In homine an contrariæ operationes

Ad vltimam rationem Ochami respondetur inprimis diuersitatem vel oppositionẽ operationum indica-

In homine an contrariæ operationes.

tibus in diuisibilem animã, aut diuisibilem, & coextensam materiæ. Si de posterioribus sit sermo, facilè concedi potest, in diuersis partibus heterogeneis esse diuersas partes formæ heterogeneas: nam re vera in arbore non est eiusdem rationis illa pars formæ, quæ est in fronde, & quæ est in fructu, &c. sunt tamẽ partiales illæ formæ, & aptæ vt inter se vniantur, & continuentur: & ideò componunt vnã integrã formam totius. Quapropter falsum est fingere aliã formam totalem superadditam his formis partialib. & omnes illas partes iterũ informantem: ad quid enim est huiusmodi forma, aut quo indicio probabili ostẽditur? quidquid enim est in toto, & in singulis partibus, quantum ad accidentia & operationes, saluatur sufficienter cum solis illis formis partialibus inter se vnitis, seu (quod idem est) cum sola forma integra composita ex illis partibus. Præterea inquiro, an illa forma totalis indiuisibilis sit, vel extensa. Primum dici non potest de his formis materialibus; &, si de aliquibus dicatur, id pertinet ad secundum membrum suprà propositum. Erit ergo forma illa extensa, & composita ex partibus: de qua rursus interrogo, an partes eius, quæ correspondent diuersis partibus heterogeneis corporis, sint omnino similes & eiusdem rationis inter se, vel aliquo modo diuersę, & dissimilares. Primum dici non potest, præsertim loquendo consequenter in illa sententia, nam contra illud procedunt argumenta quibus ipsa nititur, quomodo scilicet forma quę in se est eiusdem rationis, requirat in diuersis partib. diuersas, & contrarias dispositiones, maximè cũ non sit tota in singulis partibus, sed secundũ diuersas partes, quæ inter se sunt omnino similes. Item, quomodo habeat illa forma in diuersis partibus diuersas actiones: nam si hoc tribuatur diuersis dispositionib. ergo sufficiẽt diuersę dispositiones accidentales ad eam diuersitatem actionum, cùm actiones ipsæ accidentales etiam sint: ergo superfluum est fingere in singulis partibus duplicem formam substantialem, partialem scilicet, & totalem, quarũ vna sit dispositio ad aliam. Et præterea contra hunc modum multiplicandi formas, procedent à fortiori, quæ in sequenti membro dicemus.

In his ergo viuentib. quę habent indiuisibiles formas, videri potest nonnulla maior dubitandi ratio, C quę re vera solùm habet locũ in cõpositione hominis: quamuis. n. de animab. perfectorum animalium sit nonnulla controuersia, suppono tamẽ esse probabilius, nullã formã materialẽ esse verè ac propriè indiuisibilem. Duob. enim modis potest dici forma indiuisibilis: vno modo quia licet constet ex partib. tamen vel separari naturaliter non possunt, vt in formis cœlestib. vel non possunt ita separari, vt separatę conseruentur, sed statim, ac diuiduntur, corrumpũtur. Et hoc fortasse modo sunt indiuisibiles animæ perfectorum animalium: hæc tamen indiuisibilitas nihil refert ad rem, de qua agimus, quia satis est, q̃ ipsamet anima constet ex partibus heterogeneis, & ex earũ inseparabili vnione tota consurgat, vt superuacaneũ sit alias partiales formas in singulis partib. cõfingere, vt ratio superiùs facta probat, nam æquè procedit, siue illa forma diuisibilis sit, siue indiuisibilis in dicto sensu, vt per se notũ est. Alio ergo modo dicitur forma indiuisibilis propriè & in rigore, quia nullis partib. constat, quã necesse est totã esse in toto, & totã in qualibet parte: & hoc modo solã animã rationalẽ existimamus esse indiuisibilẽ: quãquã rationes, quæ de illa fient, possint applicari ad quamcunq; aliam, si quis existimauerit esse indiuisibilem.

Brutorum omniũ formæ diuisibiles.

XXIX. Secundus modus opinandi de pluralitate formarum esse potest, contingere duas formas substãtiales manere in eadem materia, vel in eadem parte illius, quando vna est imperfecta, & comparatur ad B aliam vt dispositio præparans materiam, & non vt forma generica, & specifica: in quo est magna differentia inter hunc modum, & præcedentem, quòd in illo vtraque forma est essentialis compositi, & prædicata à singulis formis desumpta, quidditatiuè & essentialiter inter se prędicantur, vt hominem esse animal, &c. quod planè repugnaret, si formæ essent distinctæ. At verò iuxta hanc secundam viam, forma, quæ est dispositio ad aliam, non est de essentia substantiæ compositæ ex materia & alia forma, sicut tales dispositiones accidentales non sunt de essentia, sed causæ aliquo modo extrinsecæ.

XXX. Duas autem opiniones inuenio, quæ ad hoc secũdum caput pertinere videntur. Vna est, quæ in solis viuentibus ponit in singulis partibus dissimilaribus singulas formas partiales specie distinctas, disponentes ad integram formam, quæ est vna realiter distincta ab omnibus illis partialibus. Ita tenet Antonius Andreas 7. Metaphys. quæst. 17. & Paulus Venetus in Sum. de anim. cap. 5. Niphus 1. de Generat. text. 78. & solet tribui Commentatori, eò quòd 6. Physicor. C com. 59. dicit cor, caput, & huiusmodi partes specie differre, & 2. Metaphys. text. 17. vbi dicit animal, & partes eius conuenire in forma totius, & differre in formis propriis. Et de his partibus intelligunt aliqui, quod Aristot. ait secundo de generat. animal. c. 3. hominẽ priùs viuere vita plantę, post animalis, tãdem vita hominis. Rationes præcipuè sunt, quia in his partibus sunt dispositiones, non solùm diuersæ, sed etiam contrariæ, & ab eisdem sunt operationes diuersarum rationum: ergo habent etiam formas partiales diuersarum rationum. Item, quia pars heterogenea abscisa retinet eandem naturam carnis, aut ossis, & tamen in ea non manet forma totius: ergo manet forma partialis. Tertiò, quia hæ partes differunt specie, ideò enim partes heterogeneæ seu dissimilares dicũtur: sed non differunt in forma totius: ergo differunt in formis partialibus.

Auctor. And. Vasl. Venet. Niphus.

XXXI. Hæc verò sententia meritò reiicitur ab omnibus, qui negant pluralitatem formarum, quos infrà referam, & specialiter agit contra illam Iauellus 7. Metaphys. q. 16. Et præter rationes generales, quæ probant vnitatem formæ substantialis, impugnatur in hunc modum. Aut loquimur de viuentibus habenXXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXIII. In partibus humani corporis heterogeneis vnica forma.

Quòd ergo talis forma non requirat in partibus A sui corporis organici diuersas partiales formas, probatur primò ex eminentia & perfectione talis formæ, quæ, cùm in se sit indiuisibilis actus, per se primò respicit, vt adæquatum susceptiuum, totum illud cõstans ex omnibus illis partibus diuersimodè dispositis partialiter, vt ex eis consurgat integra dispositio, consentanea perfectioni talis formæ: ergo etiam in tali composito sunt superfluæ tales formæ partiales. Patet consequentia, tum quia ipsa indiuisibilis forma est sufficiès ad actuandam plenè & perfectè quãlibet partem illius materiæ, etiamsi variè disposita sit. Tum etiam, quia illæ formæ partiales non tollũt, quin ipsa indiuisibilis forma respiciat omnes illas partes variè dispositas vt componentes suum adæquatum susceptiuum: neque tollunt, quin illa eadẽ forma sit principium radicale, & principale omniũ actionum, quæ per illa varia membra exercentur: in quo genere illa etiam est sufficiens principium earũ: ergo superfluæ sunt illæ formæ partiales.

XXXIV. Secundò, quia repugnat vnam formam substantialem esse dispositionem proximam & permanentem ad aliam substantialem formam. Potest quidem B vna forma esse dispositio remota, & transiens (vt sic dicam) sic enim forma sanguinis est dispositio, & quasi via ad formam carnis, remota tamen & transiens, quia non manent simul, sed ex sanguine fit caro, vt ex transeunte materia. Similiter forma embrionis est dispositio ad formam hominis, & eodẽ sensu accipiendum est, quod ex Aristotele suprà referebam', nempe hominem priùs viuere vita plantæ, post vita animalis, &c. in hoc enim significauit processum generationis ab imperfecto ad perfectum per varias dispositiones, donec ad introductionem vltimę formæ perueniatur: semper tamen imperfectior forma recedit, adueniente perfectiori. Quòd verò vna forma substantialis sit dispositio vltima ad aliam, simul permanens cum illa, fieri nullo modo potest: quia vnaquæque forma substantialis dat esse simpliciter, & constituit essentiam completam in genere substantiæ: ergo non potest vna forma esse talis dispositio ad aliam. Nec refert, si quis dicat, hoc esse verũ de formis totalibus, non autem de partialibus, nam si in omnibus partibus corporis humani præter animam sunt huiusmodi formæ, ex omnibus illis formis par- C tialibus consurget vna integra forma distincta ab anima rationali: nam, sicut omnes partes materię sunt inter se vnitæ, sicut partes materiæ quas informant: component ergo vnam integrã formam in suo proprio genere & specie constitutam: ergo non potest esse dispositio ad aliam formam totalem eiusdem materiæ.

XXXV. Ex quo argumentor tertiò, nam vel illa forma cõposita ex partialibus est anima vegetatiua, aut sensitiua, vel est forma inanimati. Hoc posterius dici non potest consequenter, aliàs nõ deseruirent hæ formę partiales ad propria munera vitalia singulorũ membrorum, cùm tamen propter hanc potissimùm causam poni dicantur. Et præterea contra huiusmodi formam procedunt omnia, quæ suprà dicta sunt de forma mistionis aut corporeitatis. Et simili modo, si talis forma dicatur esse anima, contra eam positionem procedunt omnia suprà adducta in eos, qui ponunt in homine duas, vel tres animas. Neque refert, si quis contendat ex illis formis partialibus non componi vnam, nam tunc de vnaquaq; forma partiali per se sumpta, vt carnis aut ossis, eadẽ ratio procedet: quia re vera in hac consideratione vnaquęque forma illarum solo nomine dicitur partialis, cùm nõ sit vera pars alicuius totalis formæ: in se ergo erit quædam forma integra, de qua interrogari poterit, an sit anima, necne, & procedet ratio facta.

Et similiter poterit inquiri, an hę formę partiales, XXXVI. seu integra ex illis composita maneat in corpore, recedente anima rationali, vel pereat. Si primum dicatur, sequitur primò satis consequenter, manere corpus illud viuum, recedente rationali anima: nam (vt dixi) formæ illæ, aut quæ ex illis consurgit, anima esse debet: aliàs nihil deseruiret ad operationes vitæ. Item, sequitur partem abscissam, & coniunctam corpori humano, esse vniuocè carnem, aut os, &c. quod est contra Arist. 7. Meta. tex. 56. & clariùs 1. de Gener. animal. c. 19. & 1. de An. c. 1. Si verò tales formæ partiales omnes recedunt, recedente anima, primum absq; vllo indicio vel necessitate finguntur. Et deinde sequuntur incommodientia Theologica, quæ suprà inferebamus, scilicet in Christi morte aliquem substantialem formam dimissam esse à Verbo, vel manere separatam simul cum anima rationali.

Adde Arist. 1. de Anima tex. 91. & sequentibus ex XXXVII. professo impugnare opinionẽ Platonis, ponẽtis plures animas in diuersis partib. corporis. Est autẽ eadẽ ratio de multis formis partialibus. Verũ est solũ posuisse Platonẽ diuersas animas quasi partiales in diuersis partibus non verò deinde vnam integram in toto: sed hic modus ponendi plures formas partiales non pertinet ad præsentẽ disputationẽ, quia re vera iuxta illũ non ponuntur plures formæ in eadẽ parte materiæ. Constat verò esse omnino falsum, quia ex illo sequitur, animam rationalem non informare corpus humanũ, sed aliquam partem eius, & consequenter sequitur non esse principiũ omnium actuũ vitalium hominis: quod repugnat sanæ doctrinæ, quæ definit animam rationalem esse veram formam corporis. Et suprà etiã est ostensum ex connexione harũ operationũ colligi radicationem illarũ in vno principio. Deniq; ratio Aristotelis est, quæ ad rem maximè spectat: sic enim colligit: Aut illæ animæ informãtes diuersas partes vniuntur in vna anima, vel non. Si non vniuntur, ergo non cõponunt per se vnum. Si autem vniuntur in vna anima, vel per vnam, quasi communem omnibus, continentur in vno cõposito, illa vna sufficit, & aliæ plures falsò, & superfluè multiplicantur: hæc verò ratio æquè procedit de quibuscunque partialibus formis.

Ad rationes contrariæ sententiæ patet solutio ex XXXVIII. dictis. Ad primã respõdetur, illas varias dispositiones partiũ organicarũ cõplere vnã integrã dispositionẽ vnius formæ totalis, vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vt explicatũ est. Quod verò ad operationes harũ partiũ attinet, si sit sermo de actionib. merè naturalibus & transeuntib. vt calefacere, frigefacere, &c. hę proximè proueniunt à primis qualitatibus, quibus hæ partes diuersimodè disponuntur, & afficiuntur. Si verò sit sermo de operationibus vitalibus, vt sunt attrahere, expellere, tangere, videre, &c. hæ proueniunt proximè à diuersis facultatibus vitalibus, quę interdũ in eadẽ, interdũ in diuersis partib. corporis existunt: omnium verò radicale principium est vna & eadem forma, quia est vniuersale principium, hęc omnia virtute cõtinens. Et ideò propter has dispositiones vel operationes non est necesse multiplicari partiales formas: præsertim cũ illis positis, necesse sit fateri superiorẽ & totalẽ formã partes illas informare, & requirere in illis illas varias dispositiones, & posse per illas exercere illas varias operationes.

Ad

Aristoteles Plato quo modo formas partiales ponat, refellitur.

XXXIX. Abscissa pars si iterũ vnitur, an substantialiter adfiat.

Ad secundum respondetur, negando antecedens, A nam in parte heterogenea abscissa non manet eadẽ forma, quæ anteà erat, & ideò man' abscissa est equiuocè manus, vt Aristoteles dixit. Sed solet cõtra hoc instari, quia huiusmodi pars abscissa, si intra breue tempus iterum coniungatur toti secundum eandem partem vnde abscissa est, verè ac substantialiter vnitur, & viuit, sicut anteà: ergo retinuit eandem formã, alioqui non posset iterũ ab ea informari, quia à priuatione ad habitum non est regressus. Sed hæc replica eandem difficultatem habet in omni sententia: quia negari non potest, quin pars illa per diuisionem amiserit informationem formæ totalis, v.g. animæ rationalis: si ergo posteà iterum vnitur, & informatur ab illa, fit regressus à priuatione ad habitum. Si autem negetur iterum informari rationali anima, eadem ratione negabimus nos iterum verè vniri. Vnde Soncin. 8. Metaphys. quæstione 10. ad 7. probabiliùs putat nunquam iterum fieri perfectam vnionem physicam talis partis. Ad experientiam verò, quæ esse dicitur, quod talis pars iterum viuit, & sentit, respondebitur iuxta hanc sententiam, negando esse sensum in ipsamet parte, sed in propinquis: sicut B in ossibus aut dentibus videtur esse doloris sensus ex propinquitate aliarum partium. Quod verò attinet ad nutrimentum & conseruationem temperamenti, dicetur fieri per iuxtapositionẽ. Sed quia hæc sunt creditu difficilia, probabiliùs fortasse est illam partem iterum informari anima rationali; nec est incõueniens ex partiali illa priuatione, & quasi momentanea redire ad habitum, quia forma in se integra mansit, & dispositiones, quæ in tali parte erant ad illam numero formam, eædem permanserunt, & in ea parua mora parum etiam diminutæ fuerunt, & ideò non est inconueniens, quòd eadem forma ad illam partem materiæ statim reuertatur.

XL. An partes heterogeneæ differãt substantialiter.

Ad tertium respondetur, negando assumptum, scilicet heterogeneas partes differre specie substantiali, sed satis est, quod accidentali differant; vnde dissimilares dicuntur propter diuersitatem dispositionum. Nihilominus in viuentibus habentibus animas extensas, probabilius censeo inter ipsas partes animæ, quæ diuersas partes organicas informant, esse aliquam maiorem diuersitatem, quam sit inter partes formæ homogeneæ, ideoq; in ipsamet C substãtia esse aliquam diuersitatem inter has partes, quæ rectè appellabitur specifica partialitas. In forma autem humana habet specialem difficultatem, quomodo informet has partes, & pro ratione dispositionum diuersimodè vniatur illis. Sed hæc res pertinet ad scientiam de Anima.

De formis elementorum, an maneant in misto.

XLI. Auicen. Comment.

Secunda sententia pertinens etiam ad hoc secundum caput, est Auicennæ, Commentatoris & aliorum, qui dicunt in omnibus mistis manere formas elementorum: non enim videtur credi posse, quòd in alium vsum maneant, quam vt sint dispositiones ad formam misti. Hoc autem tenet Auicen. 1. sufficient. cap. 10. & Comment. 1. de Generat. cap. de mistione, & 3. de Cœlo, tex. 67. Qui differunt. nam ille ponit formas substantiales elementorum indiuisibiles, & ideò affirmat manere in misto integras, & perfectas substantialiter: hic verò putat illas formas esse intensibiles & remissibiles, & ideò ait manere in misto remissas, iuxta proportionem suarum qualitatum. Putat enim has formas elementorum adeò esse imperfectas, vt sint veluti mediæ inter qualitates, & substantiales formas perfectas: propter quod fortasse à Platone in Timæo qualitates vocantur, ideoque imitantur qualitates in graduali latitudine, secundum quam possunt intendi, & remitti. Quam opinionem sic expositã sequuntur Niphus 1. de Generat. text. 118. & 8. Metaphys. disputat. 4. & 11. Metaphys. disput. vlt. Zimara Theorem. 48. Multi etiam ex medicis eandem sententiam secuti sunt, vt videre licet apud Thomam de Garuo in Summ. medicin. lib. 1. tract. 1. q. 1. & præsertim Galenus in 2. Methodi, cap. 2. & lib. de substantia naturali ad finẽ, & ex Theologis idem secutus est Aureolus in 2. d. 15. vt ibi referunt Capreolus & Gregorius.

Niphus.

Zimara.

XLII. Variis modis explicatur sententia.

Variis autem modis intelligi potest hæc opinio. Primo, quòd formæ elementorum maneant in diuersis particulis materię minutissimis. Et hoc modo posuit Auicenna manere in misto huiusmodi formas, & fortasse voluit formam misti informare oẽs illas particulas, easq; inter se vnire, alioqui nõ posset saluare substantialem mistionẽ, sed solũ per iuxtapositionẽ, vt per se notũ apparet. Singulæ enim ex illis B particulis sicut materia, & forma distinguerentur, ita & quantitate; ergo & loco, nõ enim possent loco penetrari, ergo solum per iuxtapositionem dicerentur misceri, sicut aqua & vinum, dum in suis substantiis integra manent, non tamen singulę particulæ essent mistæ, & consequenter nec totum esset substantialiter mistum; neque esset per se vnum, quia partes non essent per se connexæ: vnde facilè dissiparentur per mutuam actionem, vel localem motionem. Necessaria ergo est alia forma propria misti, diuersa à formis elementorum, vt iterum infrà contra Aureolum ostendemus. At hoc etiam est impossibile. Primò, quia forma misti, & forma elementi diuersas requirunt dispositiones, & incompossibiles, vt omittam rationes generales contra pluralitatem formarum. Secundo, quia cùm omnes partes misti, præsertim in rebus homogeneis, habeant idem temperamentum primarum qualitatum, nulla potest ratio reddi, ob quam in vna parte materiæ misti sit forma ignis, in alia aquæ, &c. Quæ ratio etiam procedit in rebus heterogeneis, nam quælibet pars heterogenea ex homogeneis constat, & mista est. Tertiò, quia si in par- C tibus eodem modo dispositis manent diuersæ formæ elementorum, signum est illam formam in tali parte non esse dispositionem ad formam misti: quãdoquidem in simili parte esse potest cum contraria forma substantiali misti: ergo æquè bene, aut melius esse poterit, etiãsi in tali parte materiæ nulla forma elementi existat, dummodo ibi sit temperamentum proportionatũ primarũ qualitatum, quod etiã pendere non potest à forma talis elementi, cùm in alia parte simili dicatur esse cum forma contraria. Ex quo etiam concluditur talem formam esse impertinentem ad omnem actionem & conseruationem illius partis misti, in qua esse dicitur: atq; adeò ex nullo effectu aut signo naturali colligi posse formas elementorum manere hoc modo in misto.

XLIII. Alio modo potest intelligi illa sententia, quòd scilicet omnes formę elementorum simul informẽt quamlibet partem materiæ misti, & deinde superueniat forma misti, informans etiam totam illam materiam. Et hic modus tot continet absurda, vt ea de causa à nemine assertus videatur: nam primò sequitur, formas formaliter repugnantes simul esse in eadem parte materiæ in suo esse integro, & perfecto: formæ enim elementorũ formaliter inter se pugnãt;

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam, si dispositiones eorum sunt formaliter repugnantes, quomodo ipsæ formæ non erunt? Alioqui, qualiter vnum elementum generabitur ex alio? aut cur generatio vnius erit corruptio alterius, si formę eorum non sunt repugnantes in materia? Secundò, si huiusmodi formæ non habent proprias dispositiones in gradu sibi proprio, & consequenter nec proprias actiones, nihil conferre possunt ad formam misti: ergo non sunt dispositiones ad illam. Imò impossibile est, quòd eadem forma postulet in eadem parte materiæ dispositiones omnino repugnantes, & in esse perfecto earum, vt summum calorem, & summum frigus: at verò non minùs repugnant inter se substantiales formę aquę & ignis, præsertim in sito esse perfecto. Tertio faciunt maximè contra hanc sententiam argumenta generalia fieri solita contra pluralitatem formarum, quia ponit in eadem parte materiæ plures formas specificas, per se sufficientes ad constituendum suppositum habens suum proprium esse simpliciter, & requirentes dispositiones valde repugnātes, forma enim terræ postulat maximam densitatem: at forma ignis raritatem maximam; hæc intensum calorem, forma verò aquæ, intensum frigus: qui ergo fieri potest, vt tales formæ integræ & perfectæ eandem partem materiæ simul informent?

XLIIII. Tertiò modo intelligi potest hæc sententia, prout Commentator eam exposuit, nempe quod omnes formæ elementorum sint in tota materia misti, & in omnibus partibus eius, refractæ tamen (vt inquit) & in gradu remisso: & deinde tota materia sic affecta & dispositа illis formis, informetur forma misti. In qua sententia primò impugnari solet, quod Commentator supponit, formas scilicet elementorum non esse perfectè substantiales, sed medias inter accidentales & substantiales. Contra quod argumētatur D. Thom. 1. de Generat. text. 84. quia impossibile est dari medium inter substantiam & accidens: tum quia inter contradictoria non datur medium: substantia autem & accidens distinguuntur per immediatam contradictionem: tum etiam quia medium est inter extrema eiusdem generis; substantia aūt & accidens sunt diuersorum generum. Deinde addere possumus formam substantialem ignis, & cuiuscunq; elementi esse per se sufficientem ad actuandam materiam, ita vt illam in esse constituat seu conseruet, & ad constituendum cum illa vnum suppositum, quod sit propriè & vniuocè substantia: ergo talis forma tam propriè & vniuocè substantialis est, sicut quęcunq; alia. Et hoc ipsum confirmatum est suprà, cùm ostenderemus dari formas substantiales.

Elementorū formę perfectissimè substantiales.

XLV Quòd si fortasse Commentator hoc non neget, sed eas appellet medias, solùm quia inter substantiales formas habent minimam perfectionem; vnde fit, vt in aliquibus proprietatibus similitudinem habere possint cum formis accidentalibus: contra hoc, omissa controuersia de modo loquendi, ostendo secundò, falsò eis attribuere similitudinem cum formis accidentalibus in hac conditione intensionis, & remissionis: quia hæc conditio ita est propria accidentium seu qualitatum, vt directè repugnet formę substantiali, quatenus talis est: si ergo formæ elemētorum sunt verè ac propriè substantiales, vt ostensū est, non possunt esse similes accidentibus in hac conditione. Antecedens probatur primò ex Philosopho in Prædicament. cap. de Substant. dicente, substantiam non recipere magis, & minùs: si autem forma substantialis aquæ intenderetur & remitteretur, re vera sicut aqua est magis, vel minùs frigida, ità esset magis vel minùs aqua.

Formis substantialibus repugnat intensio.

Secundo argumentatur D. Thom. 1. p. q. 76. art. XLVI. 4. ad 4. quia esse substantiale cuiuscunque rei in indiuisibili consistit, & omnis additio vel subtractio variat speciem, sicut in numeris, vt dicitur 8. Metaph. text. 10. Hæc verò ratio calumniam pati potest, quia simili ratione probaretur qualitatem non posse intendi & remitti, quoniam etiam in accidentalibus formis verum est, quod essentiæ earum consistunt in indiuisibili, & quòd species earum sunt sicut numeri, & consequenter, quòd quælibet subtractio, & additio variat speciem: intelligendum verò est de additione essentiali & formali, non de intensiua; idem ergo responderi poterit de substantialibus formis. Respondetur tamen esse diuersam rationem de forma substantiali, & accidentali: nam illa est, quæ primò constituit essentiam rei simpliciter: & ideò oportet vt sit omnino indiuisibilis, & inuariabilis, quamdiu manet in eadem materia. Quod declaratur à posteriori ex illo effectu, ex quo suprà collegimus dari formas substantiales, nimirum ex reductione aquæ ad pristinam frigiditatem, nam si forma substantialis aquæ remissibilis esset, certè remitteretur, remissa frigiditate, quia sicut forma pendet ex dispositione, ita intensio formæ ex intensione dispositionis: ergò impossibile esset aquam posteà ex intrinseca virtute se reducere ad pristinum statum, quia forma remissa non potest se ipsam intendere: neque etiam habet aliud principium prius, à quo illa intensio dimanet. Vt ergo aqua, quantumuis calefacta, possit, remotis extrinsecis agentibus, ab intrinseco se restituere in connaturalem statum, necesse est vt in ratione aquæ integra & perfecta maneat, & consequenter vt ipsū formale principium constitutiuum aquæ intactum maneat (vt sic dicam) quamdiu nō omnino corrūpitur. Et hoc sensu dicimus de ratione formę substātialis esse, vt sit inuariabilis & immutabilis in sua entitate, quando essentialiter manet eadem, & in eadē materia, quia est radicale principium omnium proprietatum, & primam rei essentiam constituit.

Et confirmatur, quia ob hanc causam, teste Philo- XLVII. sopho 5. Physic. & 1. de Gener. substantialis corruptio aut generatio elementorum non fit successiuè cum ipsa alteratione, sed in momento in fine alterationis, cum completur dispositio sufficiens: quia scilicet forma substantialis non remittitur, nec tollitur per partes, sed tota simul: at si esset intensibilis, & remissibilis, certè introduceretur successiuè & similiter expelleretur, imò, quoties aqua calefit ab igne, tot gradus formę ignis introducerentur in aquam, quot caloris, quod est incredibile. Adde, quòd si formæ elementorum ita possunt intendi & remitti, cur etiā formæ mistorum non intendentur, & remittentur ad intensionem & remissionem formarum simplicium? maximè cùm hę dicantur ad illas requiri vt dispositiones necessariæ. V. g. si forma auri requirit in sua materia sex gradus formæ ignis, & duos aquæ, vt sit in connaturali statu: si per contrariam actionem illi gradus formæ ignis remittantur ampliùs in auro, & intendatur forma aquæ, cur non recedet etiam forma auri à sua naturali perfectione, & in suamet entitate minuetur? Certè nulla ratio sufficiens reddi pōt, nā quod sit pfectior, nō satis est: solùm .n. inde sequit, quod grad' latitudinis eius erūt pfectiores. Dicendū ergo est, de ratione formæ substātialis esse vt habeat vel cōstituat esse tiā indiuisibilē intēsiue, & ideò hoc æq; cōuenit formis elemētorum ac cæteris.

Aristot.

Tertiò

XLVIII. Elementorū omnis forma nulla modo esse potest in eadem materia.

Tertiò principaliter impugnanda est hæc sententia ex re, quam nunc tractamus: quia impossibile est tot formas substantiales simul esse in eadem materia. Nam licet dicantur esse remissæ, nihilominus vnaquæque, si substantialis est, dat esse simpliciter, & constituit veram substantiam ac substantiale suppositum: non potest autem intelligi, quòd vnum suppositum simul sit in quatuor aut quinque speciebus distinctis, & quòd sint multa indiuidua diuersarum specierum substantialium ex eadem materia constātium. Quam rationem infrà declarabimus latiùs. Accedit præterea contra Auerroem, quod, si formę elementorum in gradibus remissis implentibus latitudinem manent simul in eadem materia: ergo & potentia materiæ est per illas sufficienter actuata, & misticio etiam ex illis solis est sufficienter peracta: ergo & superfluum est, & impossibile, quòd noua forma misti addatur illis omnibus formis.

XLIX. Misti forma ab elementorum distincta.

Vnde Aureolus (vt Gregor. suprà refert) dixit formam misti non esse aliquā formā simplicem, sed solā illam commistionem seu aggregationē ex formis elementorū in esse remisso. Quā verò sit absurda hæc sententia, per se notum est, nam ex ea sequitur substantias mistas non esse veras substantias per se vnas. Deinde sequitur, animalia, etiā hominē ipsum, non habere vnā formam simplicē. Deniq; sequitur, mista omnia non differre substantialiter & essentialiter, sed tantùm secundū magis & minùs. Neque habere proprietates, vel actiones perfectioris rationis, quā sint qualitates & actiones elementorum. Ipsæ ergo proprietates, & facultates mistorum euidenter indicant proprias substantiales formas nobilioris rationis, quàm sint formæ elementorum.

L. Et hinc, retorquendo argumentum, concluditur, formas illas elementorum simul coniunctas in eadē materia, & quasi suppositas formæ misti, superfluas esse, etiam si per impossibile alioqui non repugnarēt, quia & ad esse materiæ, & ad esse substantiale compositi, & ad omnem actionem physicam, quæ de tali composito experimēto cognosci potest, sufficit forma misti cum facultatib. quæ ab ea manant, & temperamento primarū qualitatum, quo materia dispōnitur. Quod quidē temperamentū licet non sit aliqua qualitas simplex virtute continēs primas, vt putauit Auicenna, sed formaliter componatur ex primis in esse remisso, vt habet vera & communis sententia, quæ latè tractatur in 1. de Generat. nihilominus non requirit substantiales formas elementorū formaliter ibi existentes, sed sufficit forma misti, cui cōnaturale est tale temperamentum, & vim habet & efficaciam conseruandi aut recuperādi illud, si extrinseca impedimenta tollantur.

LI. Et quoad hoc rectè dicuntur elementa manere quoad formas substantiales virtualiter in forma substantiali misti, quoad accidentales verò formaliter, licet non maneant integræ, sed remissæ. Quod benè declarauit Scot. in 2. dist. 15. quem sequuntur Gab. ac Gregor. ibi. Ægid. 2. de Generat. & alij: & immeritò impugnatur à Caietano 1. part. quæst. 76. artic. 4. in fine: non enim repugnat doctrinæ D. Thomæ nullibi enim id negauit: quin potiùs id indicat in sensu à nobis exposito opusc. 33. Neque in eo est vlla difficultas, quia non dicitur forma misti continere formas elementorum in genere causæ formalis, aut secundum totam perfectionem eminenter contentā, vt videtur Caietanus existimasse, sed solùm secundū quandam participationem, & conuenientiam, vt declaratum est.

LII. Ex his ergo satis concluditur, non sequi ex mistione elementorum, quod sint in misto plures formæ substantiales: quia formæ elementorum non manent in misto formaliter, sed virtute tantùm: quæ est sententia Aristotelis, vt infrà ostendam, & communiter recepta, vt patet ex Alexandro, Philopono, D. Thoma in 1. de Gener. & eodem D. Thom. 1. part. q. 76. artic. 4. ad 4. & quæst. 5. de potent. articul. 7. & aliis Scholasticis in 2. distinct. 12. præsertim Capreolo, & Gregor. locis citatis; & Scoto q. 1. Heruæo tract. de pluralit. formar. quæst. 15. Ægid. quodlib. 4. quæst. 11. Soncin. 10. Metaphys. quæst. 27. & lib. 12. quæstio. 68. Est autem sermo de formis substantialibus elementorum, nam accidentales formaliter manent: sed id nihil refert ad præsentem quæstionem. Vnde Philosophi qui negarunt in elementis formas substantiales, consequenter dixerunt elementa manere formaliter in misto: & hoc modo processit Galenus, nam, vt vidimus sect. 1. huius disputationis, ille non agnoscit in elementis formas substantiales, sed tantùm primas qualitates. Vnde, quod ad rem præsentem attinet, nobis non contradicit, sed potius fauet. B Vide illum, lib. 1. Methodi, cap. 2. & libello de substant. natural. facult. aliquantulum à principio, & lib. 8. de Placit. Hippocratis.

LIII. Obiectio. Sed obiiciunt nobis Aristotelem, qui primo de Generatione, c. 10. definit mistionem, quod sit *misti bilium alteratorum vnio*: cùm ergo elementa misceant, non corrumpuntur, sed alterantur tantùm: atq; ita in toto illo capite sæpè repetit Aristoteles miscibilia non corrumpi: quòd si alterum interierit, non posse misceri, nam quę non sunt (inquit) in admistionem non recipiuntur. Secundò idem Aristoteles 5. Metaph. cap. 3. definit elementum esse *id, ex quo aliquid fit, ita vt insit, & in quod vltimo fit resolutio*: ergo si elementa non manent in misto, non sunt elementa: neque etiam mistum poterit in illa resolui; quod est falsum, & contra experientiam; nam, quando lignum comburitur, experimur, & fumum, & aqueum humorem, & cineres, & ignem ex illo prodire. Nec satis est dicere illa omnia contineri in ligno virtute aut potentia, alioqui etiam aqua diceretur mista, saltem ex aëre, & aqua, tum quia in se habet qualitatem quādam aëris, tum etiam quia, quando aqua calefit, exhalatur ex illa aëreus vapor. Et confirmatur, nam ex C continentia virtuali solùm sequitur posse ex misto elementa generari: at hoc non satis est, nam etiam potest mistum ex quolibet elemento generari, & vnū elementum ex alio. Vnde Aristot. 3. de Cœlo, cap. 3. ait in ligno & carne elementa contineri, quia ab illis manifestè segregantur: econtrà verò carnem & lignum non contineri in igne, quia ab eo segregari non possunt. Aliud est ergo segregari, aliud generari: ergo segregatio requirit formalem continentiam. Tertiò ait Aristoteles 1. de Cœlo, cap. 7. moueri mistum motu elementi prædominantis: ergo manet in illo. Quartò lib. 3. de Cœlo tex. 67. & 2. de partib. anim. cap. 1. & 4. Meteoror. cap. 12. ait elementa esse materiam misti.

LIIII. Aristot. sententia tantū virtute manent elementa in misto.

Respondetur Aristotelem 3. de Cœlo, c. 3. sub disiunctione asserere, elementum inesse potentia, aut actu in misto: hoc .n. inquit, vtro modo se habeat, adhuc ambigitur: quæstionem autem, quam illo loco indecisam reliquit, resoluit 1. de Generat. c. 10. dum expresè ait, ea quæ in mistionē recipiuntur, quodāmodo esse, & quodammodo non esse, nam actu (inquit) non sunt: virtute autē, seu potestate remanēt: & in eo constituit differentiam inter mistionē, & alias

Universidad de Deusto
Biblioteca

mutationes; & 2. de partibus animalium cap. 1. primam compositionem corporum dicit eam esse, *quæ ex primordiis conficitur iis, quæ nonnulli elementa appellant: terram dico, aquam, aerem, & ignem, sed melius fortasse dici potest ex virtutibus confici elementorum: humiditas enim, & siccitas, caliditas, & frigiditas, materia sunt corporum compositorum.* Igitur de sententia Aristotelis satis cõstat: Cùm ergo Aristoteles ait, mistionem esse miscibiliũ alteratorum vnionẽ *alteratorum* dicit, potiùs quàm *corruptorum*, vt denotaret nõ omnino perire, sed virtute & secundum qualitates manere. Neq; Aristoteles in eo capite negauit, in vera mistione miscibilia corrumpi: nec id negare potuit, nam cùm per mistionem introducatur noua forma substantialis mixti, necesse est fieri corruptionem substantialem miscibilium, quia generatio vnius semper est corruptio alterius. Dixit tamen non omnino perire, quia virtute manent.

Elucidatur definitio mistionis.

LV. Elementi descriptio explicatur.

Ad secundum responderi potest primò, definitionem illam elementi non conuenire his simplicibus corporibus, quæ communiter elementa dicuntur, sed primis principiis, ex quibus res naturalis componitur. Cui sententiæ fauet Auerroes 5. Metap. com. 4. dicens materiam primam esse propriè elementũ: corpora verò simplicia non nisi hominum opinione: nam quia antiqui Philosophi non cognouerunt aliam materiam, nisi hæc simplicia corpora, ideò illa appellarunt elementa. Atque ita Aristoteles 2. lib. de partib. animal. cap. 1. non vocat absolutè elementa, sed *quæ nonnulli elementa appellant*: & eodem modo loquitur 2. de Generat. cap. 1. & aliis locis. Et potest hoc confirmari ex illa particula definitionis elemẽti scilicet esse *id, ex quo primò aliquid componitur.* At hæc corpora non sunt ex quibus primò aliquid componitur, cùm ipsa sint ex aliis prioribus composita. Item Aristoteles ibidem ait elementum debere esse quid indiuisibile: hæc autem corpora non sunt indiuisibilia, vt constat. Et iuxta hanc sententiam facilè respondetur ad argumentum non esse inconueniens, illam particulam definitionis elementi, scilicet *quod insit*, non propriè conuenire his corporibus, quia non sunt propriè elementa. Secundò ne in voce tantùm hærere videamur, admittimus his corporibus propriè conuenire nomen & definitionem elementi: imò D. Thom. 5. Metaph. lect. 4. vult illa propriùs esse elementa quam materiam vel formam. Nam vult de ratione elementi esse vt sit directè, & propriè in aliqua specie. Quod tamen nõ video cur ad proprietatem illius vocis pertineat, & non sufficiat elementum esse in sua specie partiale, vel incõpletum quid. Itaque elementum latinè idem videtur esse quod principium alicuius rei, quod in suo ordine est primum in compositione, & vltimum in resolutione: & ideò etiã de ratione elemẽti est quòd sit indiuisibile, non simpliciter, & omni modo, sed in suo ordine & latitudine. Et similiter de ratione elementi est vt insit, non semper formaliter, nec semper virtute tantùm, sed modo accommodato suæ compositioni. Sic igitur quatuor elementa verè participant rationem elementi, quia in eo genere compositionis quo vnum corpus potest ex multis corporibus constari, illa sunt prima, quia non constant ex aliis corporibus, & ex illis constant reliqua. Et similiter sunt simplicia, & indiuisibilia, quia non sunt in plura corpora resolubia. Deniq; etiã insunt eo modo qui necessarius est ad illud genus compositionis, quæ fit per mistionẽ. Et ita Arist. 3. de Cœlo c. 3. expressè ponit sub disiunctione in descriptione elemẽti, *quòd insit potentia aut actu.*

Vnde non obstat quòd materia prima sit prior his corporibus, & formaliter insit seu maneat in suo cõposito; nam inde solùm sit, materiam etiam verè ac propriè dici posse elementum, alia tamen ratione & fortasse priori, quatenus materia est prior in compositione, & simplicior; vt notauit D. Thom. 3. de Cœlo lect. 8. vbi retractare videtur sententiam, quã in 5. Metaphys. tenuerat: vt notauit Soncin. 5. Metap. post quæst. 9. circa text. 4. Aristot. qui etiam libro 12. quæst. 27. ad. 1. addit formam posse dici elementũ; & ita eam nominat Aristotel lib. 12. Metaph. cap. 4. & D. Thom. citato loco. Nam licet nomen elementi præcipuè videatur tribui principio materiali, vt patet ex communi vsu, & ex proprietate illius particulæ definitionis, *Ex quo fit aliquid*, tamen latiùs loquendo, ad quamcunque partem extenditur: sicut etiam dicitur totum componi ex suis partibus, tam formali, quàm materiali. Imò hac ratione partes quælibet, si absolutè sub communi ratione partium considerentur, dicuntur habere rationẽ materiæ respectu totius. Hac ergo ratione quælibet pars, si in suo ordine sit prima & indiuisibilis, elementum dici potest.

LVI. Elementum non propriè conuenit his corporibus.

LVII.

Ex quo sequitur, vt ad aliam partem argumenti respondeamus, non esse de ratione elemẽti, vt compositum seu mistum in illud ita resolui possit, vt re ipsa elementum sit conseruabile separatum ab elementato: hoc enim modo non potest omne compositum naturale resolui in materiam, & formam. Et pari ratione non est necesse, quòd mistum sit resolubile in eadem numero elementa, ex quibus fortasse mistũ fuit; sed satis est, quod in similia resoluatur; quòd interdum accidet, si causæ efficientes sint accommodatæ & propinquæ ad eam resolutionem faciendam; sæpè verò non ita fit, sed mistum totum conuertitur in aliquod elementum, præsertim in terram. Quocirca, licet vera esset experientia, quæ in argumento affertur, nihil concluderet; quia non est necesse ea quæ videntur ex ligno fieri, cùm comburitur, in eo formaliter præcessisse, sed virtute secundũ aliquam minùs remotam dispositionem, ratione cuius illa omnia de nouo generantur; re tamen vera illa non sunt elementa, sed mista imperfecta, quia nec fumus est aër, nec cinis, terra.

LVIII. In miscibilibus partibus inest diuersa materia corporalis.

Adde etiã, in his corporibus mistis sæpè esse plures substantias accidẽtaliter permistas per poros vel per diuisionem & interpositionem partiũ, quę substantiæ postea per actionem alicuius agentis nõ tam generantur de nouo, quam secernuntur, vt fit in cõcoctione vini, & in corruptione sanguinis extra venas; & fortasse ita etiam accidit in illa actione ignis in lignum, quamuis accidere etiam possit, vt non eędem substantiæ, quæ ibi erant, secernantur, sed aliæ quæ ex illis facilè generantur iuxta diuersas earum dispositiones. Hæc autem substantiarum permistio non refert ad rem, de qua agimus: quia licet ibi sint plures formæ, sunt tamen in diuersis materiis, & diuersa composita conficiunt, quamuis localiter cõiuncta.

LIX.

Nec denique hinc sequitur, quod in eo argumẽto inferebatur, vnum elementum resolui in aliud, aut constare ex alio; nam licet aqua conueniat cum aëre in humiditate, non tamen habet illam participatam ab aëre, sed ex se, & ex sua simplici natura. Cũ verò per calefactionem vapor humidus exhalatur ab aqua, non resoluitur aqua in aërem, nam ille vapor non est aër, sed quoddam mistum imperfectum: quando verò contingit aquam transmutari in aërẽ, non

non est resolutio in miscibilia, sed quædam generatio & corruptio. Vnde longè aliter sunt elementa in misto, quàm vnum elementum in alio: nam hoc est verum solùm in potentia passiua; illud verò non tãtùm hoc modo, sed etiam virtute, & participatione quadam potentiæ actiuæ: hoc enim modo intelligẽdus est Aristoteles, cùm ait elementa esse in misto actu, vel potentia. Et hinc etiam patet solutio ad tertium testimonium. Nam vt mistum moueatur motu elementi prædominantis, satis est quòd in virtute illud contineat, pluſq; de qualitatibus eius participet, quàm alterius. Deniq; elementa dicuntur materia misti transiens formaliter, virtute autem manens. Vnde idem Aristot. 2. de generat. c. 5. negat elementa esse materiam rerum naturalium: *nam si aer* (inquit) *remaneret, non generatio, sed alteratio foret.* Constat igitur, propter dispositionem vnius formæ ad aliam nõ contingere vnquam plures substantiales formas in eadem materia coniungi.

Qualiter mistum moueatur ab elemẽto prædominante.

Nonnulę formæ latent.

sufficienter est actuata per vnam formam, & dependentia eius sufficienter est terminata. Secundò, quia formę diuersę requirunt dispositiones naturaliter incõpatibiles: quod est lignum, etiam effectus naturales earũ, esse naturaliter incõpatibiles. Tertiò, quia materia deseruit formæ ad suos naturales motus, & actiones, nõ potest autem eadem materia simul ministrare formis distinctis, quę naturales habent inclinationes diuersas. Quartò, quia aliàs, si materia hoc modo posset esse sub distinctis formis, eadẽ ratione posset esse sub quacunq; multitudine earum in infinitum: quia quæ sunt per accidens, in infinitũ multiplicari possunt: nec potest maior repugnantia in tribus, quàm in duobus assignari, & sic de quocũque numero. Hoc autem & per se est valde absurdũ, & repugnat fini & institutioni materiæ: sic enim esset inepta ad rerum generationes & corruptiones. Vnde hoc ipsum, quòd generatio vnius naturaliter est corruptio alterius, satis declarat, materiam esse naturaliter incapacem plurium formarum.

teria plurib. substãtialib. formis actuati simul.

An duæ formæ non subordinatæ possint simul eandem materiam informare.

LX.

Potest diuisim enumerata informari duabus formis. l. 1. q. 3. P. disp. 42. sect. 3.

Cur natura interdũ possit eandem materiam.

LXI.

SVpererat dicendum de tertio modo fingẽdi duas formas substantiales in eadem materia sine vlla habitudine inter se, aut respectu alicuius tertiæ formæ, ad quam disponant, sed per solam concomitantiam accidentalem, vt se habent albedo & dulcedo in eodem subiecto. Sed in hoc modo impugnãdo immorari non est necesse: primò, quia nullam inuenio in hac re opinionẽ: nullus enim Philosophus (quod ego sciam) hactenus dixit posse hoc modo, & naturaliter duas formas substantiales simul informare eandem materiam. Dico autem *naturaliter*, quia de potentia absoluta non existimo implicare contradictionem, siue illa materia in diuersis locis cum diuersis formis ponatur, quod fieri posse, alibi ostendi; siue in eodem loco vtramque formam habeat: vnitas enim loci non addit specialem repugnãtiam. Secundò, quia ex illis formis simul existentibus in eadem materia, re vera non componeretur vna essentia, neque vna substantia, quia neque vna forma esset de essentia compositi ex materia, & alia forma, neq; e conuerso. Vnde, si fingamus vnam esse formam auri, & aliam ligni, neque lignum esset aurum, neque aurum lignum: quia formæ essentialiter diuersæ non prædicantur de se inuicem, etiam in cõcreto, nisi ratione eiusdem suppositi in quo conueniant: illæ autem formæ non conuenirent in eodem supposito, sed tantùm in eadem materia, cùm qua sicut diuersas naturas, ita & diuersa composita constituerent, secludo alia miracula. Vnde licet materia posset dici informata forma ligni & auri, tamen lignum non esset aurum: quia lignum non est materia, neque aurum est materia. Atque ita, etiam admisso illo casu, non darentur duę causæ formales vnius effectus, quod nos nunc inquirimus, sed vnaquæq; constitueret suum effectum, qui tantùm haberet vnam causam formalem.

Hinc tamen intelligitur naturalis repugnantia, ob quam tales formæ non possunt simul informare talem materiam: quòd enim vna, & eadem materia successiuè componat essẽtias etiam specie distinctas cum multis formis, non est inconueniens, imò naturaliter accidit, quia ipsa est indifferens ad quamcunque formam, & per quamcũq; actuari potest. Quòd verò eadem portio materiæ simul componat diuersas essentias cum diuersis formis, multis de causis repugnat naturis rerum. Primò, quia potentia materię

Veræ sententia, & totius quæstionis conclusio.

LXII.

B RElinquitur ergo, verissimam esse sententiam asserentem vnius substantiæ compositæ tantũ esse vnicam causam formalem, & in vno composito naturali, vnicam tantùm esse formam substantialem. Quam tenet Diuus Thomas 1. part. quæst. 76. articulo 4. & ibi Caietanus, & omnes Thomistæ: latissimè Capreolus in 2. distinct. 15. & Ferrar. 2. contra Gentes, capit. 58. Soncinas 8. Metaphysicæ, quæst. 7. Idem habet Gregorius in 2. dist. 17. quæst. 2. Ægid. 2. de Anim. quæst. 6. & tract. de pluralitate formarum, Heru. etiam latè tract. de pluralit. formar. Marsil. 1. de gener. q. 6. Ex Aristotel. autem nihil de hac re expressè habemus: at verò ex principiis eius clarè colligitur hæc sententia: nunquam enim tribuit naturali composito nisi vnam formam: & hoc sensu assignat tria principia rei naturalis, materiam scilicet, priuationem, & formam: hac enim ratione ait, quoties generatur vnum, corrumpi aliud, & ecõtrario: ait præterea formam substantialem esse proprium, per se, ac immediatum actum materiæ: ideòque ex illis maximè fieri per se vnum; vt sumitur ex 2. de Anim. tex. 7. & 7. Met. text. 49.

D. Thom. Caiet Capreol. Ferrar. Soncin. Aegid. Gregor. Heruæus.

C Rationes autem facilè sumi possunt ex dictis in impugnatione aliarum opinionum. Prima sumitur ex sufficienti partium enumeratione, quia in materia non possunt esse plures formæ essentialiter subordinatæ, vt actus & potentia; neq; ordinatæ, vt dispositio & forma; neq; etiam omnino per concomitantiam sine vllo ordine inter se: sed præter hos modos nõ potest excogitari alius: ergo nullo modo possunt plures causæ formales substantiales ad eundem effectum concurrere.

LXIII.

Secunda ratio sumitur ex sufficiẽtia cuiusuis formæ substantialis: nam quælibet forma substantialis necessariò talis est, vt per se sola sufficiat ad constituendum vnum substantiale suppositum, completum in aliqua vltima specie substantiæ; ergo non solùm non requirit aliam formam concausantem illum effectum, verùm etiam neque illam admittere potest. Antecedens constat ex dictis, nam probatum est omnem formam substantialem necessariò debere esse constitutam in aliqua specie vltima substantialis formæ: & consequẽter esse de ratione eius quòd det esse simpliciter, & completum vsq; ad rationem vltimam in genere substantiæ. Consequentia verò

LXIV.

pro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

probatur, quia vel secũda forma aduenire compo- A sito vt constituto priori forma, immediatè illud actuando, aut aduenire simul, & quasi concomitanter ipsi materiæ. Primum repugnat rationi formæ substantialis, quæ per se respicit potentiam substantialem: substantia autem completa nõ est iam in potentia substantiali, sed accidentali tantùm; nam de illa maximè verum est, quod Aristoteles suprà dixit; scilicet id, quod aduenit enti in actu, non aduenire per se, sed per accidens. Secundum autem repugnat tam ipsis formis substantialibus, quàm capacitati materiæ: illæ enim secundum suas differentias specificas inter se repugnant: nã hoc ipso, quòd vnaquæque substantialis forma constituit substantialem naturam completam, ita determinat sibi materiam, quam informet, & quasi trahit illam ad suum esse, vt non admittat in illa formam aliam substantialem, seu eiusdem ordinis. Materia item habet limitatam capacitatem, & quasi vim causandi, vt simul nõ possit nisi vnam substantialem formam sustinere, nec concurrere nisi ad vnam essentiam componendam: quod etiam in materia cœlesti videre licet: estque id non minùs necessarium in hac inferiori materia, B quæ principium est corruptionis, quatenus ita subiacet vni formæ, vt eam necessariò deserat, si aliam recipiat.

LXV. Tertia ratio principalis confici potest ex his, quæ suprà diximus ad probandum, dari in rebus naturalibus substantiales formas: potissimæ enim rationes quibus ostenditur substantialis forma, in hoc nitũtur, quòd ad perfectam constitutionem naturalis entis necessarium est facultates omnes & operationes eiusdem entis in vno essentiali principio radicari: quam connexionem & radicationem ostendunt etiam ipsi naturales effectus, vt ibi deduximus: ergo pluralitas formarum est omnino aliena à constitutione naturæ. Neque est in tota natura aliquod indicium ad eam asserendam: nam subordinatio prædicatorum essentialium nullum est indicium, vt diximus; ideòque dixit Aristot. 2. de Anim. text. 31. posteriorem formam continere priores, quia quę dat differentiam vltimam, dat etiam superiores. Multitudo etiam actionum, facultatum, aut organorum non solùm non est indicium, verùm potiùs requirit maximè formæ vnitatem. Vicissitudo denique seu C successio generationis & corruptionis eandem vnitatem indicat & requirit: ergo nihil est quod dubitemus vnam causam formalem ad vnumquemque effectum naturalem sufficere. Neq; contra hanc veritatem nouæ obiectiones occurrũt, quibus satisfacere necesse sit.

Non dari processum in infinitum in causis formalibus, ex dictis concluditur.

LXVI. ATque ex his obiter resoluitur illa quæstio, quę de causa formali moueri solet, an scil. in huiusmodi genere causæ possit dari processus in infinitũ. Nam, loquendo de propria causa formali Physica, constat ex dictis nullum dari locum huic quæstioni: id enim solùm potest quæri, quando plures causæ ad eundem effectum concurrere possunt: nam vbi est vnica causa, quis processus esse potest? Ostensum autem est causam formalem non posse esse nisi vnicam: ergo in hac causa non habet locum quæstio de processu in infinitum. Deinde, hic processus esse solet aut inter causas per se & essentialiter subordinatas, aut inter subordinatas per accidens: ostensum autem est, nullas substantiales formas esse per se subordinatas. Vnde, qui illas distinguunt iuxta ordinem prædicatorum essentialium, nonnihil difficultatis in hoc pati possunt nam forta sse in his prædicatis non repugnat dari processum in infinitum, vt attingemus sectione sequenti: iuxta nostram verò sententiam id nihil refert, quia existimamus hæc prædicata, in quocunque numero multiplicentur, nõ solùm non requirere formas distinctas per se subordinatas: verùm etiam non posse talia prędicata respectu eiusdem compositi sumi nisi ab vna, & eadẽ forma; ita vt non solùm ex natura rei, sed etiam de potentia absoluta, non possint dari causæ formales hoc modo per se subordinatæ: quia non potest dari substantialis forma quæ non sit in aliqua vltima specie talis formæ constituta, & consequenter quæ non essentialiter includat omnes superiores gradus taliũ formarum. Neque refert, quòd Aristoteles 2. Met. cap. 2. ex eo probet non dari processum in infinitũ in his formis, quòd non detur processus in infinitũ in prædicatis quidditatiuis; quia licet ex illa negatione optimè inferatur hæc negatio, non tamen ex oppositа affirmatione oppositа affirmatio, vt suprà B dictum est. Rursus, neque in hoc genere dantur causæ per accidens subordinatæ, quia etiam est ostensũ, non posse plures formas simul concurrere etiam omnino per accidens ad informandam eandem materiam. Quòd si quis dicat posse dari processum in infinitum in formis sub eodẽ genere, vel specie cõtentis, & eas vocet causas formales per accidens subordinatas, aduertat necesse est illas non esse causas vnius & eiusdem effectus, sed vnamquamque suum habere distinctum effectum: cùm autem inuestigat subordinatio causarum, respectu vnius & eiusdem effectus intelligenda est, alioqui non est subordinatio, sed multiplicatio rerum, seu effectuum. Vnde etiamsi per potentiam Dei absolutam in eadem materia multiplicarentur per accidens formæ, non esset ibi subordinatio causarum: quia, vt suprà dixi, nõ cõstituerent vnum & eundem effectum, sed diuersos, & præterea nullum haberent inter se ordinem, sed omnino per accidens multiplicarentur. In hoc ergo genere causæ nullus est processus causarum, neq; in infinitum, neque in aliquo numero finito.

Processus in infinitum à materiali causa excluditur.

LXVII. EX quo tandẽ intelligitur multò minùs esse posse processum in infinitum in materia, quia si esset, solùm ex infinitate formarum oriri posset: nam, vt suprà demonstratum est, necessariò danda est vna prima materia, quæ non sit in alio subiecto: hæc aũt prima materia in vnoquoque composito non potest esse nisi vna, quia non potest vna materia recipi in alia, cùm hoc sit contra rationem materiæ primæ, neque etiam possunt plures materiæ coniungi in eodẽ composito, & informari eadem forma, nisi vna earũ alteri vniatur, ita vt ex vtraque fiat vna potentia: quod intelligi nullo modo potest: ergo in substantialibus materiis non solùm non potest esse processus in infinitũ, sed nec omnino vllus processus aut pluralitas vlla esse potest.

Scotus 2. Metaph. q. 6.

LXVIII. Quòd si non sit sermo de materia prima, sed de proxima; aut intelligitur proxima substantialiter, & tanquam potentia immediatè ac per se recipiẽs formam: aut intelligitur proxima accidentaliter, id est, vt affecta dispositionibus accommodatis ad formã. Priori modo re vera solùm materia prima per suam simplicem entitatem est etiam materia proxima ad A quãcunq; formam, & ita nullus est processus: solũq; fingi posset, si inter primam materiam & vltimam substantialem formam interuenirent aliquæ formæ substantiales, quarum vna compararetur ad aliã, vt potentia proxima ad suum actum: hæ autem formæ non dantur, vt ostensum est, & quamuis darentur, non esset intelligibilis in eis infinitus progressus; tũ quia infinita multitudo formarum non minùs repugnat, quàm infinita multitudo in actu quorumuis entium; tum etiam, quia necesse est dari aliquam formam primam, id est, primò informantem materiam; nam cùm materia ex se sit immediata potentia, necesse est vt immediatè informetur per aliquam determinatam formam, aliàs nunquam inciperet informatio. Rursus ex parte alterius extremi necessarium est etiam dari vltimam formam; aliàs nunquã finiretur informatio, neque res esset constituta in certa aliqua, & determinata specie; ergo inter illa duo extrema non posset intercedere infinita multitudo formarum, quia vnicuique necessariò debet esse aliqua immediata, quæ comparetur vt proxima potentia & actus. Omitto alias rationes, quas A- B ristoteles facit citato loco, quia res est clarior, quam

LXIX. vt probatione indigeat.

Quòd si loquamur de materia proxima ratione dispositionum accidentalium, eædem rationes probant in illis dispositionibus non posse procedi in infinitum, quia si inter se non sint subordinatæ, sed concomitanter se habentes, vt quatuor primæ qualitates, in eis non potest dari talis processus solum quia non possunt simul esse qualitates actu infinitæ in multitudine; & multò minùs potest finita forma illas postulare; si verò dispositiones sunt inter se subordinatæ, vt actus & potentia proxima, sicut quantitas & qualitas, procedit ratio facta de formis substantialibus, quòd in eis necesse est dare primam & vltimam, aliàs neque inchoaretur, neque consumaretur dispositio; inter illa autem extrema nõ potest esse multitudo infinita. Neque est simile, quod afferri potest de infinitis punctis contentis inter duo extrema; quia puncta solùm sunt infinita in potentia, id est, constituentia cum partibus vnam finitam quantitatem continuam; formarum autem multitudo esset actu infinita. Item, quia vnũ punctum non est immediatum alteri, & ita non possunt numerari omnia puncta media inter duo extrema; vna autem forma, siue substantialis, siue accidentalis, si comparatur ad aliam vt potentia ad actum, necessariò debet eam proximè respicere; nullo ergo modo esse potest processus in infinitum inter

LXX. materiam & formam.

Procedunt autem rationes factæ de materia permanente, ex qua fit res, ita vt insit illi; Aristoteles autem dicto loco secundi Metaphysicæ etiã de causa materiali transeunte loquitur, cùm negat dari processum in infinitum in causis materialibus, quia si ex aqua generatur terra, & ex terra herba, & ex herba quippiam aliud, non proceditur in infinitum, sed fit circulus. Veruntamen, siue hic processus detur, siue non, nihil refert ad causalitatem, quia ille processus est merè per accidens, & ideò causalitati nihil obstaret, quòd in infinitum tenderet. Quòd si non tenderet, solùm est, quia non dantur infinitæ species rerũ generabilium, neque processus in infinitum in generationibus talium specierum, sed semper fit circulus, & reditus ad eandem speciem. Quod aliqui putant necessariò consequi ex eo, quod quælibet ex his

specieb. dicit limitatam perfectionem. Sed hoc nullum argumentum est, quia, saltem diuina virtute, nõ repugnat species mistorum in infinitum multiplicari, etiamsi quælibet species finita sit, & de facto semper detur summa, & infima species sub illo genere cõtenta, licet de possibili fieri possit altera, vel perfectior omnibus factis, vel imperfectior omnibus. Alij dicunt, experientia constare non procedi in infinitũ in generatione vnius speciei ex alia, sed semper fieri reditum ad eandem speciem; de qua experientia valdè dubito an sit nobis euidens, nam multa virtute cælorum, & concursu elementorum generantur fortasse de nouo, quę nos latent. Adde, Diuum Thomam 3. part. q. 10. artic. 3. dicere in potentia creaturæ contineri infinita. Et loquitur de rebus substantialibus, nam de his dixerat non videre animam Christi infinita in actu. Vnde explicando ibi illum locũ, diximus posse intelligi tam de infinitis specieb. quam de infinitis indiuiduis. Si ergo in potentia creaturæ continentur infinitæ species mistorum, non repugnabit in infinitum procedi in generationibus earũ. Et fortasse Aristoteles dicto loco non repugnat: solùm enim probat hunc processum non esse necessarium ad rerum causalitatem, quia generatio vnius est corruptio alterius; & in hoc facilè fit reflexio secundum speciem, licet non fiat secundum indiuiduum. Nihilominus tamen probabiliùs videtur, naturaliter loquendo, esse statum in generationibus rerum secundum speciem, quia virtutes causarum naturalium finitæ sunt, & modi seu aspectus & concursus quibus applicantur, determinati sunt & finiti: & ideò licet in absoluta potentia creaturæ contineãtur infinita, si in rebus & causis creatis fiant omnes conditiones & mistiones quæ absolutè fieri possunt, tamen de facto secundum ordinem vniuersi tantùm fieri possunt finitis modis: & ideò etiam verisimiliùs est in hoc processu dari statum ac terminum.

SECTIO XI.

Quid sit forma metaphysica, & quæ materia illi respondeat, quamq; causalitatem habeat.

QVoniam distinctio formæ in physicam & metaphysicam valde communis est, & quæ hactenus diximus omnia in physicã formam conueniunt: videtur metaphysici negotij esse nonnulla ẽt de Metaph. forma dicere quib. suppositis, q̃ diximus, breuiter poterunt expediri, quia hæc solùm per Analogiam & quasi Metaphoram quandam, forma nominatur. Est igitur aduertendum ex dictis in superioribus, præter compositionem physicam ex materia & forma esse aliam quæ illam imitatur: ex se tamen abstrahit à vera materia, & ideò metaphysica nominatur. Est autem hæc duplex, quantum ad præsens spectat: altera ex natura & suppositо: altera ex genere & differentia; omitto eam quæ est ex esse & essentia, quia obscurior est: & quantum ad præsens attinet, non interuenit in ea specialis aliqua ratio formæ, vt ex dicendis constabit. Deinde est considerandum in omni compositione, vt ex multis vnum consurgere intelligatur, aliquid semper considerari vt materiam, & aliquid vt formam, tum quia compositio ex materia & forma est prima compositio realis, & maximè propria ac per se, & ideò per quandã analogiam ad illã omnis alia cõpositio declaratur; tum etiam quia materia est quid informe, & imperfectum; & inchoatio quædã, & quasi

L. C

In quauis cõpositione aliquid vt materia, & aliquid vt forma.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quasi fundamentum naturæ: forma verò est quasi pulchritudo, & perfectio ac consummatio naturæ; in omni autem compositione est aliquid quasi potentiale, & quod est fundamentum, & inchoatio rei, & aliquid quod est terminus vel consummatio rei: & ideò semper aliquid consideratur vt materia, & aliquid vt forma. Quod adeò verum est, vt etiam in compositione ex partibus integrantibus, quæ maximè materialis esse videtur, semper vna pars consideretur vt materia, & altera vt forma; quod clariùs apparet in rebus heterogeneis, vt in homine, caput est veluti forma aliarum partium: & in artificialibus tectum, verbi gratia, est quasi forma ædificij; iuxta quã Analogiam distinguunt etiam Theologi materias & formas Sacramentorum. Et in rebus homogeneis, vbi inter partes non potest distingui illa diuersa habitudo propter earum similitudinem, & vniformitatem, omnes partes dicuntur esse materia totiꝰ, cõpositum autem comparari vt forma ad singulas partes. In quibus omnibus nõ intercedit specialis causalitas, sed sola vnio cum Analogia, & proportione ad materiam & formam.

II. Ex his ergo intelligitur formam Metaphysicam in genere vocari quæ in compositione Metaphysica constituit essentialiter rem ipsam, vel complet aut actuat essentiã rei: nec potest aliter describi hæc forma ita in communi sumpta. Est autem discrimen inter duas cõpositiones Metaphysicas suprà dictas, quòd prior, scilicet ex natura & supposito, est compositio rei (in creaturis loquimur) id est ex iis quæ in re ipsa aliquo modo actu distinguuntur, vt sunt natura, & subsistentia, de quibus diffusè infrà tractabimus; posterior verò est compositio rationis, quia eius extrema in re non distinguuntur actu, sed ratione tantùm, vt in superioribus visum est. Est etiam alia differentia, quod in priori compositione vnum extremum est tota essentia rei: aliud verò nõ spectat intrinsecè ad essentiam, sed est terminus aut modus essendi: in alia verò compositione vtrumque extremum est essentiale, & neutrum dicit totam essentiam rei explicitè seu actualiter, licet confusè totam illam includere possit. Vnde fit vt prior dici etiam soleat forma totalis, realis ac propriissimè Metaphysica: posterior verò magis est forma secundum rationem, & ideò non tantùm Metaphysica, sed etiã logica appellari potest.

Formæ Metaphysicæ essentia ostenditur.

III. Forma Metaphysica est tota rei essentia.

Dicendum est ergo primò formam propriè Metaphysicam, quæ est forma totius, nihil aliud esse, quàm totam rei substantialis essentiam; quam etiam integram naturam rei appellamus, quæ non dicitur forma eò quòd specialiter exerceat propriam causalitatem formæ, sed quia rem essentialiter constituit per se ipsam. Declaro & probo singula: nam in homine, verbi gratia, hæc forma totius dicitur esse humanitas, quæ cùm ex materia & forma hominis constet, totam essentiã hominis dicit: id enim quod homo addit humanitati, non est de essentia hominis, vt infrà dicemus tractando de subsistentia, & in mysterio Incarnationis breuiter patet, nam in Christo est tota essentia hominis, quamuis non sit humana subsistentia creata. Præterea hæc forma totius non tantùm in rebus materialibus, sed etiam in spiritualibus reperitur: imò non solùm in rebus creatis, sed etiam in Deo ipso à nobis consideratur: concipimus enim Deitatem vt formam essentialiter constituentem Deum, & quodlibet suppositum diuinum quatenus hic Deus est: quamquam illi sit proprium in re ipsa non distingui ab eo de cuius essentia est: in quo deficit ab ea ratione formæ quam essentia habet in rebus creatis: quia illa non pertinet ad perfectionem simpliciter, sed imperfectionem includit: ergo hæc forma in rebus immaterialibus nihil aliud esse potest quàm earum essentia. In materialibus autem differt hæc forma totius à forma Physica & partiali, vt constat ex communi vsu harum vocum, & ex ipsa distinctione formę Physicæ à Metaphysica: non differt autem nisi quia forma totius dicit totam naturam compositam ex materia & forma: forma autem Physica solùm dicit partem formalem: ergo hæc forma Metaphysica etiam in his rebus dicit totam essẽtiam earum. Quia, vt infrà ostendemus in disputatione de substantia materiali, etiam materia est de essentia huius substantiæ, & ita natura composita ex materia & forma est tota essentia eius: atque ita patet prima pars conclusionis.

IIII. Forma Metaphysica vt tota rei essentia, infinitum.

Quòd verò hæc forma Metaphysica soleat nuncupari nomine proprijssimè appellari, constat primò ex vsu: sic enim tribuimus etiam Deo naturam diuinã, intelligentiis angelicam, hominibus humanam, & sic de cæteris rebus. Deinde hoc modo distinguimus naturã à supposito, vel ex natura rei, vt in substantiis creatis, vel ratione tantùm, vt in diuinis: atq; hoc modo dicimus naturam in Deo non generare, sed suppositum, & Verbum diuinum assumpsisse naturam, non personam humanam. Item, vnaquæque res per suam naturam habet quòd talis sit, & quod essentialiter distinguatur ab aliis: ergo natura rei substantialis adæquatè (vt ita dicam) est ipsa totalis forma qua talis est essentialiter. Denique natura, vt communiter censetur, dicit ordinem ad operationẽ, in quo solùm differt ab essentia, quod essentiæ nomen sumptum est ex ordine ad esse: nomen autem naturæ sumptum est ex ordine ad operationem: natura enim dicta est quasi aliquid nasci faciat: vnde dicitur natura non esse otiosa, & esse rerum opifex, & nihil facere frustra, &c. Vnde ẽt Theologi dicunt facultates, & operationes multiplicari multiplicatis naturis. Primum autem & adæquatum principium principale operationum in vnaquaque re est essentia eius: quod in rebus immaterialibus manifestum est: in rebus autem materialibus videtur esse forma principium operandi, quod est principium formale & actiuum, tamen, quia materia in suo genere aliquo etiam modo concurrit, præsertim ad naturales, & intrinsecos motus, vel actus, idcò dixi, adęquatum principium primum & radicale esse vniuscuiusque rei essentiam: ergo ipsamet essentia & forma totius idem est quod vniuscuiusque rei natura.

Vide Diuum Thom. lib. 3. de Anim. cap. 14. & 15.

V. Scio Aristotelem 5. Metaphys. cap. 4. varias assignare significationes huius nominis natura, & inter eas vltimo loco ponere eam qua significat rei substantiam vel essentiam, quam dicit esse per translationem ab alia significatione, qua natura significat formam, quę est terminus generationis. Et in 2. Physic. cap. 1. rationem naturæ ad solum primum principium intrinsecum motus coarctat: & inde solet ens naturale de solis substantiis materialibus dici. Existimo tamen hæc esse intelligenda de hac voce *natura* quantum ad eius impositionem, non verò quantum ad rem significatam: hæc enim valde distincta esse solent in his nominibꝰ Analogis, vt rectè notauit D. Thom. 1. part. quæst. 13. art. 6. Quantum ergo ad vocis impositionem, verisimile est hanc vocem priùs significasse alia quæ Aristoteles ibi numerat: vt verbi gratia, generationem naturalẽ, & præsertim ortum seu natiuitatem viuentium: dicitur enim *natura* quasi *nascitura*: & inde deriuari potuit vox ad significanda intrinseca principia rei genitæ, scilicet materiam & formam. Vel, vt D. Thom. ait 1. part. quæst. 29. art. 1. ad quartum, quia natiuitas viuentium est à principio intrinseco, ideò deriuata est hæc vox ad significandum primum principium intrinsecum motus, quod est materia, & forma. Et quia per formã cõpletur essentia rei, tandẽ deriuata est illa vox ad significandam rei essẽtiã. Et quia antiqui Philosophi, qui disputabant de natura, non cognoscebant alias substantias nisi materiales, ideò illis solis tribuebant naturã, & inde peculiariter obtinuerunt nomen entium naturalium.

Etymologia nominis naturæ, & varia significata. D. Thom.

VI. At verò, si rem significatam spectemus, & de hac voce Metaphysicè potiùs, quàm Physicè, loquamur, hæc vox absolutè & principaliter significat essentiam: simpliciter & integram vniuscuiusque rei, prout per modum formæ totalis significatur. Et in rebus immaterialibus simplex est: in materialibus autem est composita ex materia & forma, quia nec materia, nec forma est integra rei natura, sed partialis: integra verò rei natura est composita ex vtraque: & ideò meritò forma totalis Metaphysicè dicitur. Accidentia verò, sicut non habent essentiam simpliciter, ita nec naturam nisi cum addito, scilicet naturam accidentalem, & propriùs dicuntur esse secundum naturam, vel contra, aut præter naturam. Quapropter in accidentibus, vt infrà videbitur, non habet propriè locum hæc ratio formæ totalis, de qua nunc agimus (loquor secundum rem; quidquid sit de possibili modo concipiendi nostro) & ratio est, quia accidens est forma quasi partialis & Physica; vnde in se est natura incompleta, & adeò imperfecta, vt nõ faciat vnum per se, sed per accidens cum suo subiecto: & inde fit vt ex vtroque non resultet vna integra natura & forma totius, sicut ex materia & forma substantiali.

VII. An forma Metaphysica aliquam causalitatem exerceat.

Vltima denique pars conclusionis facilè potest ex omnibus dictis probari, nam inprimis, cùm hæc forma totius in rebus materialibus includat ipsam materiam primam, non potest propriam causalitatem formalem exercere, quæ consistit in actuando aliquo subiecto. Item in rebus immaterialibus, cùm tota essentia sit simplex, & abstrahens ab omni receptiuo, non potest dici forma propter propriam causalitatem formalem. Et, si ex Theologia argumentari licet, humanitas Christi est forma Metaphysica huius hominis Christi, & tamen non est vera forma Verbi diuini, habens veram causalitatem in illum, ratione cuius dicatur formaliter constituere hunc hominem. Et extendi potest argumentum ad quamlibet naturam respectu proprij suppositi, nam vel cõparatur natura ad subsistentiam ipsam, vel ad compositum ex natura & subsistẽtia. Respectu subsistentię, natura non habet causalitatem formalem, sed potiùs quasi materialem (omitto actiuã, de qua postea) quia subsistentia propria non comparatur ad naturam vt subiectum eius, sed vt terminus ipsius. Vnde potiùs subsistentia est aliquo modo actus naturæ, quàm e conuerso. Item, quia subsistentia est modus naturæ, vnde afficit, & aliqualiter actuat illã, secundum hanc ergo comparationem non exercet natura causalitatẽ formę. Vnde in dicto exemplo de mysterio Incarnationis dicunt Theologi humanitatem nõ solùm cõparari ad Verbum vt formam eius, sed potiùs Verbum se habere vt formã, quatenus aliquo modo perficit & actuat humanitatem, quamuis nulla propria ac vera causalitas ibi intercedat.

VIII. Atque hinc vlteriùs fit etiam respectu totius cõpositi seu suppositi, naturam integram non vocari formam totalem, propter veram ac propriam causalitatem formæ: quia nunquam est hęc causalitas respectu cõpositi, nisi primò & immediatè exerceatur circa aliquod subiectum, ex quo & forma compositum resultat. Si ergo natura totalis non exercet causalitatem formalem circa aliud extremum huius cõpositionis, nec circa totum compositũ potest illã exercere. Restat igitur vt natura integra dicatur forma, solùm quia est tota quidditas, ratio, seu essentia intrinsecè constituens suppositum in tali genere vel specie. Quæ constitutio non est per causalitatem ab ipsamet natura aliquo modo distinctam, sed est per intrinsecam actualitatem, & entitatem ipsius naturæ totalis. Et propter hoc etiam dicitur hæc forma Metaphysica & non Physica.

IX. Vnde etiam obiter intelligitur huic formæ nullã propriam materiam respondere, quia, vt dictum est, non appellatur forma eò quòd informet aliquod subiectum, sed, si generatim loquamur, solum suppositum correspondet huic naturæ tanquam essentialiter constitutum per ipsam. In rebus verò materialibus potest natura integra comparari vt forma totalis ad partiales naturas, ex quibus componitur: nam licet altera earum sit forma, tamen quatenus tam materia, quàm forma est quædam pars incompleta, & ex se imperfecta, potest comparari vt materia ad totam naturam compositam: & hęc tanquam quid totum & completum comparatum ad partes tanquam forma; totum enim se habet vt forma respectu partium, teste Aristot. 2. Physic. text. 31. quãuis ibi de toto integrali respectu suarum partiũ potissimum loquatur.

X. Metaphysicæ formæ in singulis cõpositis singulæ.

Tandem intelligitur ex dictis hanc formam tantùm esse posse vnam respectu eiusdem: patet quia dicit totam rei naturam: hæc autem in vna re non potest esse nisi vna. Nec refert quòd secundum rationẽ distingui possint in eodem, forma totius specifica & generica, vt humanitas, animalitas, &c. nam si hæc sumantur respectu eiusdem, non sunt in re plures formæ, sed vna & eadem diuersimodè concepta: & quatenus illa concipitur vt plures secundum rationem, non sumitur respectu vnius, sed plurium, etiã secundum rationem: animalitas enim non est forma totalis hominis, sed animalis vt sic: atq; ita, seruata proportione, forma totius vna tantùm est respectu eiusdem.

XI. Occurritur dubitationi.

Solùm potest dubitare aliquis circa conclusionem positam, nam forma totalis, si est forma suppositi, non tantùm includit essentialia principia, sed etiam principia indiuiduantia, quę non sunt de essentia rei: quia forma totalis, & natura integra Petri non est tantùm humanitas, sed hæc humanitas: ergo falsum est hanc formam solùm includere totam rei essentiam. Deinde sequitur, non ineludi existentiam in hac forma, quia hæc etiam non est de essentia. Cõsequens autem falsum apparet: nam si non includit existentiam, quò modo realiter constituit? Ad hęc verò dicendum est, hanc formam sumendam esse cũ proportione respectu illius, quod per illam constituitur: & sic semper dicit integrã & solam naturam, & essentiam eius. Nam si comparetur ad speciẽ com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

munem precisè sumptam, includit tantùm principia essentialia specifica, & humanitas dicit formam totalem hominis. Si verò ad determinatum individuũ comparetur, sic includit principia essentialia, individualia & particularia, quæ licet non sint de essentia rei, absolutè loquendo, quia in hac voce includitur quædam præcisio mentis: sunt tamen de essentia individui vt individuum est, vt suprà declaratum est, tractando de principio individuationis. Similiter dicendum est de existentia: nam licet hæc non sit absolutè de essentia rei creatæ seu creabilis, est tamen de essentia eius, vt existentis, seu vt constitutæ in ratione entitatis actualis: & ideò licet hæc forma non includat nisi rei essentiã, tamen vt eam actualiter cõstituat, includit existentiã, non tantùm vt necessariã conditionẽ extrinsecã, aut concomitantẽ, sed etiam vt intrinsecè constituentem actualem entitatem ipsius naturæ, per quam formaliter constituit talem substantiam, vel substantiale individuum.

Quid sit forma Logica.

XII. Dico secundò. Forma metaphysica secundum rationem (quæ Logica etiam appellatur) præcipuè dici solet de differentia essentiali: tamen secundum aliquem respectum attribuitur etiam generi, atque etiam definitioni: vnde hæc forma non habet propriam causalitatem realem, sed rationis tantùm, & proportionalis materia illi correspondet. Tota hæc assertio est clarissima, & constat ex communi vsu loquendi, suppositis quæ de re ipsa dicta sunt suprà, tractando de vniuersalibus, vbi declarauimus quomodo genus & differẽtia inter se comparentur, & vnde sumantur: vbi inter alia diximus cũ Aristotele 7. Metaphys. text. 42. & 43. ex genere & differentia consurgere vnum per se, quia proximè inter se comparantur vt potentia & actus eiusdem generis, & per se ordinata inter sese, vbi Diuus Thomas lect. 12. partic. 5. declarat non comparari genus & differentiam vt potentiam & actum re distincta, sed quia dicunt eandem essentiam vt determinabilem, vel per modum determinationis eius. Ex quo intelligitur differentia imitari formam in ratione actuandi, terminandi, ac distinguendi; & ideò illã esse cui primò conuenit hæc ratio formæ Metaphysicæ: genus autem comparatione eius habere rationẽ ma- C teriæ: quia est potentiale quid, & actuabile, & indifferens ad multa, donec per differentiam intelligatur contrahi ac determinari: vnde etiam fit, vt differentia ex se perfectior sit quàm genus, quia id quod intra idem genus se habet vt actus, perfectius est, quàm quod se habet vt potentia. Vnde etiam loco suprà citato diximus, differentiam ex nobiliori principio sumi; in hoc ergo etiam est proportio inter formam & differentiam, quòd sicut forma est perfectior materia, ita differẽtia genere. Rursus, sicut materia & forma re ipsa distinguuntur, ita vt neque vna sit alia, neque intrinsecè aliam includat, sic etiã genus & differentia separantur conceptibus, secundum quos ita distinguuntur, vt neque in conceptu generis includatur actu differentia, neq; in conceptu differentiæ, genus: alioqui non esset propria compositio Metaphysica, neque compararentur vt proprius actus & potentia, quia de horum ratione est, vt nõ se includant: atque hoc docuit Aristoteles 7. Metaphysic. vbi suprà, & libro 3. text. 10. & 6. Topicor. capite tertio.

XIII. Quo etiam fit, vt sicut materiæ per se ac necessariò non conuenit, vt sit sub hac vel illa determinata forma, ita genus per se ac necessariò non requirat determinatè aliquam ex differentiis, quamuis aliquam in confuso necessariò requirat, sicut materia requirit formam. In hoc autem est aduertenda differentia inter materiam & formam ex vna parte, & genus & differentiam ex alia, quòd, licet materia naturaliter esse non possit sine aliqua forma, absolutè tamen nõ implicat contradictionem ita conseruari; & similiter forma interdum potest non pendere à materia etiam naturaliter, & quæ ita pendet, potest nihilominus supernaturaliter sine materia conseruari: at verò genus & differentia ita per se couiunguntur, vt omnino repugnet, aut genus sine omnibus differentiis, aut differentiam extra genus, quod actuat, subsistere. Et ratio est clara, quia genus & differentia in re non distinguuntur, sed dicunt eandem essentiam vt determinabilem, & determinantem: & ideò mirum non est, quòd non possint in re dicto modo separari. Item, quia in re non potest esse aliquid, quod non habeat determinatam essentiam, & consequenter in aliqua propria & vltima specie constitutam, in qua necesse est & communia seu generica prædicata, & propria includi: non possunt ergo hæc ita præcisè & abstractè subsistere, sicut concipiuntur. B

XIV. Quibus genus & differentia nihil reale addunt.

Ex quo vlteriùs intelligitur aliud discrimen, nimirùm inter genus & differentiã non interuenire vnionem mediam distinctam ab ipsis, etiam secundũ veram rationem concipiendi, sicut inter materiam & formam suprà dicebamus intercedere modum vnionis in re distinctum ab eis, quia actualis vnio inter eas non est de intrinseca ratione earum, imò est separabilis ab ipsis: & ideò necesse est, vt inter eas mediet, & ab eis distinguatur. At verò genus & differentia ita per se vniuntur (vel potiùs sunt vnum in re, licet distinguantur ratione) vt prorsus sint inseparabilia secundum rem, & quodammodo secundum rationem: nam, licet conceptu præcisiuo possit differentia intelligi sine genere, tamen non potest concipi negatiuè, vt existens sine genere, seu non actuando genus. Et ideò sicut in modis realibus, qui solùm modaliter distinguuntur à rebus quas modificant, dicimus non vniri ipsis rebus per vnionem distinctam, sed seipsis; ita multò maiori ratione differẽtia concipienda est tanquam modus essentialis speciei, & per se ipsam contrahens & actuans genus absque alia vnione media.

XV. Differentia non causat realitatem.

Vltimò ex his intelligitur, differentiam, quatenus forma dicitur, non habere propriam causalitatem realem: quia causalitas realis non est nisi inter ea, quæ in re ipsa distinguuntur: vel saltem necesse est, vt intercedat aliquis realis influxus, & causalitas distincta ex natura rei ab ipsa causa vel effectu: hic aũt nihil horũ interuenit, quia nec differẽtia est in re distincta ab specie, nec à genere, prout per illam contrahitur. Neque etiam interuenit ibi aliqua causalitas ab ipsa differentia distincta. Est igitur hæc solùm constitutio quædam secundũ rationem ad modum concipiendi nostrum, quæ solùm per Analogiam & proportionem ad realem causam, forma vel formalis causalitas appellatur. Idemque de genere intelligendũ est, quatenus ei ratio vel causalitas materiæ attribuitur. Nec refert, quòd res ex his constituta, sæpè sit vera ac realis essentia, vt homo, aut equus; nam licet talis essentia in se realis sit, tamen vt sic composita, non est ens rei, sed rationis, cùm compositio ipsa, rationis tantùm sit.

Sed

XVI. Obiicitur genus de tota specie praedicari.

Sed obiiciet aliquis, nam si differentia comparatur ad genus vt forma, & genus ad differentiam vt materia: ergo vtraque comparatur ad speciem seu definitum, vt pars ad totum: ergo neutra poterit absolutè, & in recto prædicari de specie: quia pars licet possit in obliquo, aut denominatiuè prædicari de toto, non tamen absolutè, & in recto: non enim dicimus; *Homo est materia, sed habet materiam*, vel *est materiatus*: erunt ergo falsæ hæ locutiones: *Homo est animal*, & similes. Hæc obiectio solùm proposita est ad declarandam alteram partem conclusionis, qua dicebamus & genus respectu specierum, & definitionem respectu definiti, solere formam Metaphysicam appellari. Communis itaque distinctio est, genus (& idem est proportionaliter de differentia) dupliciter posse considerari, aut præcisè, vt dicit talem gradum, & in eo quasi sistit ex se: atque hoc sensu esse partem, & vt sic etiam non prædicari de toto, quia redderet hunc sensum, hominem, verbi gratia, esse animal præcisè, & solitariè, & abstractè sumptum, seu non plus esse, quàm animal: qui sensus est planè falsus. Et genus sub hac consideratione comparatur vt materia ad differentiam, & e conuerso differentia vt forma ad genus. Et sic procedunt, quæ hactenus dicta sunt. Atque in eodem sensu ad obiectionem conceditur totum quod in ea infertur, nimirum genus & differentiam esse partes, & vt sic non prædicari: nec solùm partes, sed etiam elementa ab Aristotele appellantur præsertim differentiæ, & genera summa, propter simplicitatem eorum, & quia in ea fit vltima resolutio in Metaphysica, vt patet ex 2. Poster. capite 14. Alio verò modo consideratur genus vt totum, quod potentiale appellant, seu confusum, quia confusè dicit totam quidditatem speciei: & hoc modo optimè prædicatur de specie seu definito, quia iam non prædicatur vt pars, sed vt totum: & hic est communis sensus huius locutionis, cùm enim dicitur, *homo est animal*, nihil ab homine excluditur, sed affirmatur, idem suppositum quod est homo, esse etiam animal: seu hominem eadem forma, & essentia qua est homo, esse etiam animal: vtrumque autem horum verum est. Genus ergo quatenus prædicari potest de specie vt quid superius ad ipsam, & quasi cõtinens ipsam, dicitur aliquo modo habere rationẽ formæ respectu eius, & e cõuerso inferiora, quatenus superioribus subiiciuntur, & eaquodammodo in se sustinent, habent quandam rationem materiæ. Et simili vel maiori ratione comparatur species vt forma ad individua: hæc verò vt materia. A B C

XVII. Atque hoc sensu intelligo Aristotelem 5. Metaph. c. 2. cùm vtramq; partẽ definitionis reuocat ad causã formalem: nam quantum ad genus spectat, id intelligendum puto, non formaliter vt pars est, sed vt totum quoddam est, vt explicui. At verò tota definitio, quia totam essentiam declarat, & propria ratio est ipsius definiti, & de illo propriissimè prædicatur, ideò forma etiam Metaphysica dici potest, quamuis non sit composita. Atq; ita facilè est omnes similes locutiones explicare, quæ solùm in Analogia quadam & translatione consistunt.

XVIII. Discrimen inter Metaphysicã formã, & Physicam.

Solum superest breue dubium expediendum, quod oritur ex notanda differentia inter hanc formam Metaphysicã, & Physicam, quod forma Physica substãtialis non multiplicatur in eodem cõposito, vt suprà diximus: hęc autem forma multiplicari potest: nam & genera eiusdem rei possunt esse plura, & differentiæ similiter: imò & definitio quamuis totã A rei essentiam continere & explicare videatur, nihilominus multiplex esse potest, vt constat ex 1. Post. c. 7. & lib. 2. c. 8. & 12. & 2. de Anim. c. 7. Ratio autem differentiæ facilis est, quia formæ Physicę realiter distinctę ita comparantur, vt quęlibet constituat perfectam & consummatam speciem substantiæ, & earum compositio esse deberet realis, & Physica: & ideò repugnant in eadem substantia propriè ac per se vna. At verò hæc forma Metaphysica, nempe differẽtia, nec facit realem compositionem, nec distinguitur ab alia differentia, nisi per mentis præcisionem & abstractionem; potest autem mens nostra eandem rem variis modis præscindere & abstrahere, & ideò potest in eadem, plura prædicata generis & differentiæ concipere: quare multitudo differentiarum essẽtialium non obstat vnitati & compositioni per se ex genere & differentia.

Deturne processus in infinitum in prædicatis essentialibus.

XIX. EX hoc verò discrimine oritur statim difficultas, nam sequitur dari posse processum in infinitum in his causis formalibus ac materialibus Metaphysicis, hoc est, in prædicatis quidditatiuis. Consequens autem est contra Aristotelem 2. Metaphysic. capite 1. vbi notius existimauit non posse dari processum in infinitum in partibus definitionis, quæ sunt genus & differentia, quàm in formis ipsis: & ideò ex negatione infinitorum prædicatorum probat negationem infinitarum formarum. Sequela autem probatur, quia non magis repugnat dari duas differentias in vna re, quàm tres, vel quatuor, & ita de quolibet numero: ergo potest in hoc numero in infinitum procedi. Præsertim, quia hic numerus prædicatorum non consurgit ex rebus aut modis distinctis, qui sint à parte rei in vna & eadem substantia, sed ex conceptibus nostris cum aliquo fundamento in re: sed nos possumus infinitis modis præscindere, & abstrahere; & in rebus est fundamentum, vt id à nobis fiat propter varias conuenientias & dissimilitudines, quas vna res habet cum aliis, in quibus conuenientiis hæ abstractiones fundantur. Et maximè vrget difficultas, si vna species nõ tantùm cõparetur ad alias species factas, sed ad omnes possibiles, quę in infinitũ, & infinitis modis multiplicari possũt. Aristot. B

XX. Aliquot rationes quæ pro conclusione afferri solent, inefficaciæ redarguuntur.

Nihilominùs absolutè dicendum est cum Aristotele etiam in his causis formalibus non dari processum in infinitum. Ita docent omnes interpretes, qui varias afferunt rationes. Prima est, quia aliàs res constituta, esset infinitè perfecta, quia quodlibet prædicatum addit aliquam perfectionem. Sed fortè negabitur consequentia, quia vna finita perfectio potest esse fundamentum infinitorum conceptuum, qui licet dicant perfectiones ratione distinctas, non augẽt in re perfectionem. Secunda ratio est, quia si hæ differentiæ sunt infinitæ, etiam proprietates, quæ ad illas consequuntur, erunt infinitæ: Sed respondebitur, ex differentia generica & specifica non semper consequi proprietates re distinctas, vt patet in his prædicatis *substantia, spiritualis, Gabrielis, &c.* sed satis esse vt ipsæ etiam priprietates secundum vniuersales, vel speciales rationes proportionatè correspondeant, vt in superioribus etiam tactum est. C

XXI. Vera ratio cõclusionis.

Tertia ratio & maximè probabilis est, quia, necesse est dari supremũ genus, quod sit quasi prima materia huius compositionis, & differentia specifica & infima, quę sit quasi vltima forma; ergo etiam formę intermediæ necessariò sunt in numero finito & determi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

terminato. Maior probatur ab Aristotele, quia in his A
prædicatis quidditatiuis semper vnum est prius alio,
id est vniuersalius, & ad plura se extendens: sed nō est
prius, nisi quia magis accedit ad id quod est primum:
ergo necesse est dari etiam supremū aliquod genus.
Deinde id patet experientia, discurrendo per omnia
prædicamenta, & præcipuè in subſtantia, quę, vt im-
mediatè significat subſtantiam completam, est su-
premum genus; nullū enim potest vniuersalius re-
spectu subſtantiarum cogitari: suppono autem ens
nō esse genus: quamquam licet esset genus, nihil ob-
staret, nam illud esset supremum: & ita habemus, q̄
intendimus. Atq; ita etiam nil impediet, si quis cō-
tendat hanc resolutionem debere fieri vsq; ad prę-
dicata transcendentia, quia, quamuis id esset verum,
sisteretur in aliquo vltimo. Et ratio est, quia in om-
nibus rebus vel subſtātiis datur aliqua prima seu mi-
nima conuenientia essentialis, secundum quam ab-
strahi potest vel prędicatum transcendens vel su-
premum genus. Minor autem probatur ex ipsa cōſti-
tutione speciei vltimę, quia nō potest esse vlla res, quæ
non sit in aliqua vltima specie constituta: aliàs non
haberet determinatam essentiam, nec diuersam ab B
aliis determinatis speciebus: vltima autē species per
aliquam differentiam vltimam constitui debet. Nec
disputo nunc, an hæc differentia vltima sit simplex,
an coalescens ex multis, quarum singulæ communes
Porphyrius, Aristot. sint, vt significasse videtur Porphyrius in c. de diffe-
rentia; & non parum fauet Aristoteles 1. Topicor.
cap. 3. & lib. 6. Topic. cap. 3. & 4. & libro 2. Poster. ca.
14. hoc enim ad præsens nil refert, quia sistendū ne-
cessariò est in differentiis quæ per alias non actuan-
tur: licet fortasse duæ, vel tres ex his ad constituendā
vltimam speciem conueniant: nunc enim solùm de
differentiis subordinatis procedit ratio facta. Prima
autem consequentia videtur per se nota, quia inter
extrema, primum & vltimum, non possunt dari in-
finita media, sicut suprà de formis diximus: ratio e-
nim ibi facta, æquè hìc procedit.

XXII. Obiectiones contra prædictam rationem. Sed hæc ratio duobus modis eneruari potest: pri-
mò dicendo quod licet prædicata per se subordinata
in vna linea per modum actus & potētiæ, finita sint,
nihilominus non subordinata seu in diuersis lineis
possunt in infinitum multiplicari, vt si quis diceret
dari plura genera suprema; vel ad constitutionem C
vltimæ speciei conuenire plures differentias inter
se non subordinatas, & has posse in infinitum mul-
tiplicari: vel vnum & idem genus, siue proximum
siue remotum, posse simul contrahi pluribus dif-
ferentiis quæ non omnino inter se repugnent, nec
sint inter se subordinatæ: vt verbi gratia, animal
iuxta antiquos Philosophos contrahitur per ratio-
nale, & per mortale, quæ in homine conueniunt, in
aliis separantur: & subſtantia posset immediatè di-
uidi per viuens, & per corporeum, quæ in aliquibus
subſtantiis conueniunt, in aliis separantur. Ex quo
etiam consequi videtur vt inter ipsas differentias sit
quidam circulus, & vicissim & mutuò comparentur
vt potentia, & actus: nam si subſtantia immediatè
diuidatur in viuentem & non viuentem; rursus
subſtantia viuens diuidi poterit in incorpoream &
corpoream, si autem è contrario subſtantia diuida-
tur in corpoream, & in incorpoream; corporea
diuidetur in viuentem, & non viuentem. Quod si
hoc nō est incōueniens, quia sunt reflexiones intel-
lectus, propter eandē causam non erit absurda mul-
tiplicatio illa prędicatorum in infinitū. Altera euasio
esse potest, quia licet detur suprema genus & infi-
ma differentia, non repugnat inter ea posse per in-
tellectū præscindi aut distingui plura prædicata in-
termedia in infinitum, sicut inter extrema pūcta li-
neæ dantur infinitę partes, vel puncta: nam sicut hęc
sunt infinita in potentia, ita illa prædicata, prout in
re sunt, dici possunt esse plura tantùm in potentia,
quia in re non sunt actu multa nisi per intellectum
distinguant: & ideò licet intellectus possit plura &
plura in infinitum distinguere, nō sequitur in re esse
infinita nisi in potentia. Ex quo etiam fit vt ea præ-
dicata quę nos actu distinguimus, semper sint finita,
tum quia nos non possumus nisi finitos conceptus
de rebus formare, tum etiam quia omnes conuenié-
tię & differentiæ cuiuslibet speciei ad alias quę facte
sunt, in certo ac determinato sunt numero, etiamsi
respectu rerum possibilium possint fortasse in infini-
tum multiplicari. Atq; ita posset quis interpretari
Arist. de differentiis seu prædicatis essentialibus quę
de facto abstrahuntur, seu abstrahi possunt per di-
scursum vel cognitionem humanam.

Sed nihilominùs existimo rationem factam esse XXIII. Solutio. efficacem, & simpliciter fieri non posse vt hęc prędi-
cata in infinitum multiplicentur. Et inprimis sumo
respectu cuiuslibet rei dari tantùm vnum genus vel
prædicatum supremum, & vnam differentiam vlti-
mam. Et prior quidem pars satis probata est & ratio-
ne, & vsu, seu experientia: de posteriori verò ab ali-
quibus dubitatum est, mihi tamen æquè certa vide-
tur. Primò quidem, quia differentia sumitur à for-
ma: omnis autem forma specie diuersa ab alia, ha-
bet aliquem gradum essentialem sibi proprium, &
non communem aliis? ergo ab illo sumi potest
differentia omnino propria, & nulli alteri commu-
nis. Secundò, quia non potest species vltima con-
stitui sola coniunctione duarum differentiarum
communium, quia quælibet earum differentiarum
constituit speciem subalternam & genericam: spe-
cies autem vltima non est aggregatum duarum spe-
cierum subalternarum: alioqui neque esset vna pro-
pria & specialis essentia, neque esset vnum compo-
situm Metaphysicum, ex proprio actu, & propria po-
tentia constitutum. Vt verbi gratia, in illo exemplo
de homine, si rationale & mortale sumerētur vt dif-
ferentię subalternæ & communes, nunquam ex ag-
gregatione illarum constitueretur homo: sed sume-
dum est rationale vt est proprium hominis, id est vt
includit discursum, seu aptitudinem ad illum: hoc
autem modo rationale erit simplex differentia pro-
pria hominis: mortale verò est de se differentia sub-
alterna, & communis, non quidem aliis ratione vtē-
tibus: nullū est n. rationale aut intellectuale morta-
le præter hominem, sed aliis sentientibus aut viuen-
tibus. Sic ergo in omnibus speciebus rerum contin-
git. Et hoc est quod Aristoteles dixit 7. Metaphysic.
text. 43. procedendum esse in diuisione differentia-
rum communium, *donec ad indifferentia deueniatur*: id
est ad vltimas & omnino proprias differentias, vt D.
Thomas & omnes exponunt: *& tunc* (inquit Arist.)
*tot erunt species, quot differentiæ. Quælibet enim indiuidualis
differentia* (addit Diuus Thomas) *constituet vnam spe-
ciem specialissimam.*

Hoc autem principio posito, quòd differentiæ
intermedię tantùm esse possint in numero finito, de-
claratur in hunc modum. Et primò si differentiales
gradus essent in re ipsa distincti, euidens est nō posse
esse nisi finitos, quia essent actu plures: ergo finiti,
vel infiniti: in re autem finita non possunt esse infi-
niti gradus perfectionū distinctarū: erūt ergo finiti.

Eò

Eò vel maximè quòd illi gradus non intelliguntur A
esse inter se communicantes sicut partes proportio-
nales, sed omnino condistincti, & indiuisibiles, ne-
que etiam ita comparantur ad rem sicut puncta ad
lineam, quæ ita sunt indiuisibilia, vt non augeant
quantitatem lineæ, sed vnaquæque differentia ad-
dit certum gradum ac quasi determinatam partem
perfectionis, ex quarum partium coniunctione cō-
surgit integra perfectio speciei, quæ cùm finita sit,
non potest nisi ex finitis quasi partibus consurge-
re. Vnde, sicut in latitudine intensiua qualitatis fi-
nitæ, non possunt distingui nisi finiti gradus inter se
non communicantes, ex quorum coniunctione cō-
surgat tota qualitatis intensio finita, ad eundem mo-
dum est in gradibus differentialibus proportiona-
tè philosophandum. Quamuis autem hi gradus
iuxta veriorem sententiam in re non distinguan-
tur actu; tamen discursus factus eandem vim ha-
bet in ordine ad distinctionem & conceptionem
mentis nostræ, quia etiam vt ratione distincti, con-
cipiuntur vt inter se non communicantes, si gradus
ipsi præcisè ac formaliter sumantur, vt sumi debent.
Nam vna differentia subalterna non includit aliam, B
quia neque inferior est de conceptu superioris, ne-
que e conuerso: sunt ergo differentiales gradus in-
termedij omnino condistincti, & non communi-
cantes inter se: ergo ex hac parte distinctio illorum,
etiamsi sit secundum rationem, non potest procede-
re in infinitum, nec comparari potest cum diuisione
partium continui. Aliunde verò quilibet illorū gra-
duum indiuisibilis, est secundum conceptum: nam
quælibet differentia, siue generica, siue specifica, in-
diuisibilis est, estq; taliter indiuisibilis, vt augeat es-
sentialiter rei perfectionem in ordine ad conceptū
mentis: ergo etiam in ordine ad mentis conceptum
non potest essentia finita diuidi vel constitui per hu-
iusmodi differentias nisi numero finitas, quæ cùm
indiuisibiles sint, nō poterit in earum diuisione pro-
cedi in infinitum.

XXV. Et ita manet efficax consequentia facta in tertia
ratione, & cessat obiectio insinuata in secunda euasi-
one, quia in re finita non possunt contineri, etiam in
potentia, infinita inter se non communicātia, & au-
gentia perfectionem seu quantitatem rei. Quare, si
semel concipiantur, & ratione distinguantur omnes C
differentiæ, quæ in essentia rei fundari possunt, ea-
rum numerus augeri non poterit, siue respectu re-
rum existentium, siue possibilium: per illas enim cō-
uenit, aut differt ab omnibus, tam quæ sunt, quàm
quæ esse possunt.

XXVI. Et inde etiam facilè excluditur prior obiectio, nā
quacunq; ratione multiplicentur differentię, & siue
subordinatæ sint inter se, siue non, non possunt esse
nisi in numero finito propter dictam causam: quia,
scilicet, finita perfectio non potest etiam mente di-
uidi in plures quasi partes inter se non communicā-
tes, nisi solùm in numero finito. Probabiliùs aūt est
differentias omnes, quę ad vnius essentię constituti-
onem conueniunt, esse aliquo modo inter se subor-
dinatas vt potentiam & actum: aliàs non possent v-
num per se constituere. Neq; etiam est verisimile in
hoc committi circulum, cùm habitudines actus &
potentię adeò sint inter se oppositæ.

XXVII. Quocirca quamuis idem genus variis modis à no-
bis diuidatur non tamen semper diuiditur per pro-
prias & immediatas differētias, quibus proximè cō-
trahitur & actuatur: & ideò fieri aliquando potest, vt
duæ differentiæ inter se comparentur vt actus & po-
tentia. Vt in exemplo posito, licet subſtantia diuidi
possit per *corpoream* & *incorpoream*, *viuentem* & *non vi-
uentē*, semper prior diuisio est immediata & proxima:
cuius signū est, quòd illa sumitur quasi ex intrinsecis
principiis, & absoluta entitate rei: hæc verò sumitur
in ordine ad operationem: & ideò differentia viuen-
tis, prout est in rebus corporeis, semper comparatur
vt actus, & non vt potentia ad gradum corporeum.
Et quamuis illa differentia reperiatur etiam in rebus
incorporeis, tamen reperitur longè diuerso modo,
quia subſtantia incorporea est (vt ita dicam) totali-
ter viuens, id est, viuit ratione totius subſtantiæ suæ,
corporea verò ratione partis: quo speciali modo su-
mi videtur, cùm ponit differentia corporis. Et quā-
uis demus posse dari communem differentiam vi-
uentis abstrahentem ab illis duobus modis, inde ad
summum fit, aliqua genera non subalternatim posi-
ta habere differentiam communem; quod fortasse
non est inconueniens: ita enim censuit Arist. 6. lib
Topic. de quo aliàs.

Si ergo satis declarata & confirmata manet ter- XXVIII.
tia ratio; & prima etiam ex prædicto discursu robur
accipit. Secunda verò, si non de proprietatibus in ri-
gore, vt dicunt facultates operandi, aut aliquam ali-
am rem à subſtantia distinctam, sed de quolibet mo-
do essendi vel operandi intelligatur, defendi potest,
quia hæc genera & differentiæ maximè distinguun-
tur à nobis per ordinem ad aliquam proprietatem
huiusmodi. Vltimò addit Aristoteles aliam ratio- Alia pro conclusione rationis Aristotelis.
nem, nempe, quia si in his differentiis esset proces-
sus in infinitum, nunquam posset res à nobis satis di-
stinctè cognosci aut definiri, quia cognitio seu defi-
nitio omnino distincta incipit à supremo genere, &
per adiectionem omnium differentiarum peruenit
vsq; ad vltimam; quod fieri non posset, si illæ essent
infinitæ. Quod maximè habet locum in cognitione
humana, quæ paulatim procedit ab vna ad aliā, quo-
modo impossibile est infinitum pertransiri, succes-
siuè numerando, vt constat ex 3. Physic. c. 7. & satis est
per se notum.

DISPVTATIO XVI.

De formali causa accidentali.

MVLTA, quæ de subſtantialibus for- C
mis dicta sunt, accidentalibus applica-
ri possunt: conueniunt enim aliquo
modo in ea communi ratione, & se-
cundum eam multa habent commu-
nia, quæ hìc repetere non oportebit. Tandem ergo
explicabimus, quomodo hæc causalitas accidētibus
conueniat, & an secundum eam rationem aliquid
habeant singulare.

SECTIO I.

*Vtrùm omnia accidentia veram exerceant causalita-
tem formalem, & circa quem effectum.*

RATIO dubitandi est, quia accidens L
neque est causa formalis sui subiecti,
nec compositi: ergo nullum effectum
habet: ergo neque veram ac per se cau-
salitatem. Hæc vltima consequentia est
euidens, quia causa & effectus correlatiua sunt: pri-
ma verò constat à sufficienti partium enumerati-
one. Antecedens autem quoad priorem partem
probatur, quia subiectum accidentis est subſtan-
tia: non potest autem accidens esse causa formalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

substantiæ. Quoad posteriorem verò partem probatur, quia si accidens esset formalis causa compositi, tale compositum esset per se vnũ, quia ex causa propria & per se consurgit proprius ac per se effectus: sed compositum ex accidente & subiecto non est per se vnum: ergo.

II. Aureoli opinio reiicitur.

Circa hanc quæstionem referri potest opinio Aureoli apud Capreolum in 2. distinct. 18. quæstione 1. dicentis nullum accidens habere propriam entitatẽ formæ, per quam formaliter afficiat subiectum, sed esse ipsam actuationem. Quod vix intelligitur, quid significet, nisi fortasse intellexit, nullum accidens esse rem distinctam realiter ab entitate substantiæ, sed modum tantum, quod multis modis repugnat, & dissonat veritatibus fidei. Quis enim intelligat, accidentia in Eucharistia separari, & manere sine entitate substantiæ, & quod non habeant propriam aliquam entitatem, distinctam realiter ab entitate substantiæ? Item, quomodo potest rectè intelligi tota doctrina, quam fides docet de qualitatibus infusis, si illæ non habent proprias entitates distinctas ab entitate naturali substantiæ? Est præterea illa sententia contra experientiam, quantum res physica esse po- B test: quis enim videns aerem illuminari nunc, & posteà amittere lumen, non ferè videat oculis lumen esse entitatem quandam distinctam à substantia aeris? Omitto alia, quæ de quantitate, qualitate, &c. suis locis dicemus. Præterea, illa sententia in eo sensu nulla ratione probabili nititur: cur enim repugnet rationi accidentis, quòd habeat entitatem propriam distinctam à substantia, & naturaliter pendentem ab illa? Fortasse tamen non fuit hic sensus illius authoris, sed quod accidens, siue sit res distincta à subiecto, siue non, in re non distinguatur ab actuatione seu inhærentia in subiecto: omnia enim argumenta quæ ibi refert Capreolus, ad hoc tendere videntur. Iuxta quem sensum non excludit, quin accidens esse possit verè ac propriè forma, malè tamen explicat formalẽ causalitatem eius. Estque etiam in hoc sensu periculosa sententia, vt ibi notat Capreolus: nam si informatio, vel (quod idem est) inhærentia accidentis, nõ est in re distincta ab illo, intelligi nõ potest, quomodo accidens sine sua actuali inhærentia conseruetur, quod tamen in Eucharistia fieri, docet fides. Præterea, si argumenta, quæ ibi refert Capreolus, essent alicuius momenti, idem probarent in forma substãtiali, & informatione eius: omnia enim in hoc potissimè insistunt, vt inquirant, quid sit illa informatio, si est aliquid distinctum ab accidente, an sit respectiuum, vel absolutum, & alia huiusmodi, quæ in substantiali informatione, & in qualibet vnione vulgaria sunt.

III. Multiplex accidentiũ diuisio.

Vt ergo quæstionem propositam expediamus, distinguenda sunt varia genera accidentium. Quædam enim sunt, quæ propriè & intrinsecè afficiunt rem, cui accidere dicuntur: alia, quæ solùm extrinsecè denominant, vt actio respectu agentis, & habitus seu vestimentum respectu hominis vestiti. Priora rursus accidentia, quædam sunt habentia propriam entitatem, & realitatem distinctam, tam à substantia, quàm ab aliis entitatibus accidentalibus. Alia verò sunt tantùm quidam modi affixi aliis entitatibus, qui interdum realiter sunt idem cum subsstantia, vt verbi gratia, præsentia localis; interdum verò sunt idem cum aliis accidentibus, vt figura cum quantitate, & relatio similitudinis (si est modus distinctus) cum albedine.

Accidentales entitates verè causant formaliter.

IIII. Dico ergo primò. Accidentia, quæ propriam habent entitatem distinctam à substantia, propriam ac veram exercent causalitatem formalem. Non affero hanc rationem eis vniuocè conuenire: in hoc enim eadem ratio erit, quæ de ratione entis, aut de ipso esse; nam, cùm forma sit, quæ dat esse, si esse, quod dat talis forma, non est vniuocè esse, talis forma non erit vniuocè causa formalis. Tamen sicut accidens, quamuis analogicè sit ens, nihilominus verè ac propriè est ens, & non metaphoricè, verumque ac proprium esse reale habet ita accidens, quod dat tale esse, est verè ac propriè causa formalis, etsi non sit vniuocè talis. Præterea, substantia verè est in potentia passiua & receptiua talium accidentium: ergo è conuerso accidentia ipsa sunt proprij actus actuantes, & quasi replentes illam capacitatem receptiuam, eique inhærẽt & ab ea sustentãtur: ergo sunt propriè formæ, propriamque causalitatem formalem exercent. Atque ita sentiunt omnes Philosophi & Theologi, qui hæc accidentia causas formales vocant. Fauetque diuina Theologia, dum iustitiam inhærentem vocat causam formalem nostræ iustificationis. Denique hæc accidentia sunt causæ suorum propriorum effectuum, & non extrinsecæ, sed intrinsecæ, quia per se ipsa intrinsecè constituunt suos effectus. Vnde fieri non potest per diuinam potentiam, vt tales effectus fiant sine talibus causis, vt album, verbi gratia, sine albedine. Cùm ergo constet, hæc accidentia non esse causas materiales, necesse est vt sint causæ formales: nullum enim est aliud genus causæ intrinsecæ præter hæc duo. C Conc. Trid. sess. 6. c. 7.

V. Hinc colligere licet, quatuor illa, quę in causa formali substantiali suprà declarata sunt, eadem proportione reperiri in hac formali causa accidentali: nimirum formale principium ac proximum causandi, conditionem necessariam, causalitatem, & effectum. Principium tam principale, quàm proximum in hoc genere, est ipsa entitas talis formæ, natura sua apta ad sic informandum: quæ aptitudo non est aliquid in re distinctum ab entitate talis formæ, sed est intrinseca, & essentialis differentia eius, nam ad hoc est per se primò ex natura sua instituta, sicut de forma substantiali dictum est. Item, quia illa aptitudo omnino est inseparabilis à tali entitate, etiam per diuinam potentiam, quod est signum non esse modum ex natura rei distinctum. Præterea quia si aptitudo ad informandum esset quasi potentia quædam ex natura rei distincta à forma accidentali, illa esset quoddam accidens; de quo rursus interrogandum est, an per se afficiat; quod negari non poterit, nisi velimus in infinitum procedere: nec poterit reddi alia ratio, cur illa aptitudo proximè afficiat, vel sit proxima ratio afficiẽdi, nisi quia ad hoc est intrinsecè ex natura sua instituta: sed hoc ipsum verissimè dicitur de ipsa entitate accidentali: ergo in illa sistendum est, & dicendum ipsam, per se ipsam esse aptam ad hanc causalitatem præstandam. De conditione item necessaria ad causandum nihil peculiare hîc dicendum occurrit præter ea, quæ dicta sunt de forma substantiali: sola enim propinquitas & indistantia requiri potest vt conditio necessaria: existentia enim propriè non est conditio, vt ibidem declaratum est.

Explica-

Explicatur dicta causalitas.

VI. De causalitate item eodem modo philosophandum est; negari enim non potest, quin sit aliquid ex natura rei distinctum à forma, & à subiecto, quandoquidem potest Deus conseruare totam entitatem formæ accidentalis, & subiecti, absque eo quòd accidens exerceat suam causalitatem formalem circa subiectum: quod intelligi nullo modo potest, nisi actualis causalitas sit aliquid distinctum à forma causante, & subiecto recipiente: nam separatio in re est signum euidens distinctionis in re, vt suprà ostensum est. Addo verò vlteriùs, huiusmodi causalitatem non esse aliud ab actuali vnione vel inhærentia accidentis in subiecto, sicut dictum est de forma substantiali; est enim eadem ratio proportionalis.

VII. Aureoli argumenta eruntur.

Oportet tamen hîc breuiter satisfacere argumẽtis Aureoli. Primum est, quia vel illa informatio est quid absolutum, vel respectiuum: si absolutum: ergo separabile à forma per potentiam Dei absolutam, ita vt tale absolutum maneat in subiecto sine forma, quia Deus potest separare quodcunque absolutum B ab alio. Si verò relatiuum: ergo esse informatum (vt verbi gratia, esse album, est relatiuum. Secundò, nam si est quid distinctum à forma, cuiusnam prædicamenti est, maximè enim erit de prædicamento Actionis: hoc autem dici non potest, quia aliàs causalitas formæ non esset formalis, sed efficiens. Tertiò, quia si actuatio formę est quid distinctum, cùm ipsamet maximè actuet subiectũ, inquiro an actuet per se ipsam vel per aliquid aliud, si per aliud, procedetur in infinitum: si per se ipsam; ergo satius fuerit stare in ipsa forma. Et ad hæc argumenta reducuntur omnia, quę ibi latissimè Capreolus refert, præter ea quæ pertinent ad distinctionem quantitatis à substantia, quę suo loco tractabimus.

VIII. Ad hæc autem respondet Capreolus, supponendo distinctionem realem inter esse & essentiam, & dicendo actuationem formæ esse aliquid distinctum à forma: illud autem non esse aliud accidens, sed esse ipsius formæ, quod reducitur ad speciẽ formę, à qua fluit. Sed id, quod supponit, non esse necessarium in præsenti, neque satisfacere potest in eius sententia, si consequenter loquatur: nam implicat contradictionem, separari actuationem illam à forma informan- C te: at verò iuxta illius sententiam Deus separat esse à forma informante in Christi humanitate, & eadem ratione posset idem facere in forma accidentali. Nec satisfacit responsio, quam ibi insinuat, scilicet, Deũ non posse separare esse proprium à forma, nisi illud suppleat per aliquod esse alienum: Esto enim hoc ita sit, nihilominus illud esse alienum, per quod Deus supplet esse proprium, non est effectus formalis formæ. Item, separato, & impedito esse proprio, manet informatio propria: ergo est aliquid distinctum ab esse. Et ita esset sine dubio dicendũ consequenter in illa sententia, actuationẽ illã nõ pertinere ad esse existentię, sed ad esse essentię totius cõpositi, essęq; aliquid prius ipso esse existẽtię, vt patet in Christi humanitate, in qua iuxta illã sentẽtiam, solùm fuit esse essentiæ proprium, & tamen in illa fuit propria actuatio animæ, qua priuata fuit anima in Christi morte, cùm tamen non fuerit priuata denuo aliquo esse existentiæ. Et quantitas in Eucharistia priuatur sua actione, & non sua existentia. Illa ergo argumẽta solu enda sunt abstrahendo ab illa quæstione de distinctione essentiæ & existentiæ.

IX. A Ad primum ergo dicendum est, hanc informationem vel actuationem esse quid absolutum, includens essentialiter transcendentalem respectum. Est autem quid absolutum non vt entitas realiter distincta ab entitate formæ, sed vt modus ex natura rei distinctus: & ex hac parte implicat contradictionem conseruari talem modum sine ipsa forma, licet non è conuerso. Includit præterea modus ille transcendentalem respectum actualis vnionis ad subiectum, & ex hac parte implicat contradictionem manere in rerum natura modum illum, quin subiectũ maneat affectum, & informatum tali accidẽte. Neq; est nouum aut singulare, modum absolutum includere essentialiter transcendentalem respectũ, sed est valde frequẽs & cõmune multis entitatibus, præsertim imperfectis & incompletis. Neq; inde etiam sequitur denominationes sumptas à formis absolutis esse respectiuas, vt album aut esse album, & similes: nam hæ denominationes non sumuntur ab vnionibus (vt sic dicam) sed à formis vnitis: formæ autem absolutæ sunt. Ad secundum rectè dicitur hunc modum informationis reduci ad prædicamentum formę accidentalis: quia est modus cõplens quodãmodo esse eius, sicut subsistentia suo modo complet esse substantię. Si quis verò diceret has causalitates reuocari ad prædicamenta actionis vel passionis: non vt actiones, sed vt causalitates specie distinctas, fortasse non admodum erraret; id verò examinabimus tractando de sufficientia Prædicamentorum. Ad tertiũ respondeo actuationem propriè non actuare subiectum, sed vnire formam subiecto, per quam formã subiectum actuatur: sicut actio propriè non agit, sed coniungit causam agentem effectui in suo genere. Vnde sicut actio eo modo quo est ab agente, non est per aliam actionem, sed per se ipsam, ita illa actuatio eo modo quo actuat vel attingit subiectum, non per aliud, sed per se ipsam attingit. Neque quoad hoc est eadem ratio de ipsa forma, quia forma in sua præcisa entitate non includit essentialiter transcendentalẽ respectum actualis vnionis, quem tamen includit illa actuatio.

Declaratur effectus huius formæ.

X. De quarto, scilicet de effectu dicendum est, proprium effectum huius formæ esse solum compositum accidentale, nam illud est quod primò & immediatè consurgit ex accidente informante subiectum, & illud solùm est quod intrinsecè & suo modo essentialiter pendet à tali forma: ergo hic est proprius & vnicus effectus talis formæ. Deinde, effectus huius formæ non potest esse subiectum ipsum, cùm sit substantia, quę ex se est prior accidente: ergo oportet vt sit compositum, quia nihil est aliud quod esse possit. Dicetur fortasse inter hæc dari medium, scilicet subiectum esse affectum accidentali forma, vt verbi gratia, effectum albedinis esse, subiectum albere vt sic dicam, seu esse album, quod idem est; hoc autem quid distinctum est à toto composito ex subiecto & albedine: nam dicit tantùm effectum relictum ab albedine in subiecto: hic ergo est effectus formalis formæ accidentalis, & non totũ cõpositũ. Respondeo, albedinem reddere subiectũ album, & cum illo constituere tale compositum accidentale, idem omnino esse, solumque in modo significandi differre, vt constat ex ipsis terminis, & ex superius dictis de forma substantiali. Solùm est aduertendum accidentale compositum licet in genere causæ formalis sit effectus soli formę accidẽtalis, absolutè

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen non consurgere ex sola forma, sed simul & maximè ex ipso subiecto. Quo fit vt ille effectus significari possit vel præcisè vt causatur à forma, & sic dicimus effectum albedinis esse reddere album subiectum, vel absolutè, vt ex tali subiecto & forma cõsurgit hoc album: & hoc modo dicitur compositum accidentale esse effectus formæ accidentalis.

XI. Solutur ratio dubitandi. Nec ratio dubitandi in principio posita aliquid obstat: est enim æquiuocatio in termino illo *per se*, dum ad effectum vt est effectus, vel vt est vnum compositum, applicatur: ipsum enim accidentale compositum licet in ratione entis non sit per se vnum, sed per accidens, quatenus tale est, esse effectum per se accidẽtalis formæ: nam illud compositũ, qualecunque sit, per se & essentialiter requirit illam formam, quatenus tale compositum est, vnde ab illa per se causatur in suo genere.

Ex accidente & subiecto cur non fiat vnum per se.

XII. Ratio aliquorum improbatur. SEd, vt hoc radicitus explicetur, quæri potest, cur ex forma accidentali & subiecto non consurgat ens per se vnum, quandoquidem talis forma per se ipsum verè ac realiter vnitur tali subiecto. Multi existimant rationẽ esse, quia forma accidentalis supponit in subiecto aliq; esse existẽtiæ: & prætereà ipsa cõfert suum propriũ ac peculiare esse existentiæ: ex duplici autem esse existentiæ non potest vnum per se componi, sed tantùm per accidens. Ita Soncin. 7. Metaphys. quæstione 5. & indicat Henric. quodlib. 10. quæst. 8. vbi ait, quòd si accidens non haberet suum proprium esse in subiecto, sed solùm esse subiecti, nullo modo componeret vnum ens per accidens, sed per se. Vnde, vt ibidem refert, nonnulli etiam ex his qui ponebant plures formas substantiales per se ordinatas in eodem composito, vt saluarent, ex illis consurgere vnum per se, dicebant priores formas non dare esse, quando actu sunt coniunctæ vltimæ formæ. Imò etiam Capreolus in d. 17. quæst. 1. conclus. 2. existimat probabile, fieri aliquando posse naturaliter, vt forma substantialis det esse essentiæ, & non det esse existentiæ, propter quoddam testimonium Diui Thomæ in opusculo de Natura materiæ capit. 8. cùm tamen probabilius sit, illud opusculum non esse Diui Thomæ. Adde, non defuisse Thomistas, qui probabile putauerint accidentia nõ habere proprium esse distinctum ab esse substantiæ: iuxta quorum sententiam (si verum est principium positum) sequitur ex accidente & substantia fieri vnũ per se, nam quæ habent idem esse omnino ac per se vnum, meritò dicentur habere vnitatem per se; cùm vnum sequatur ens, & ens ab esse dicatur. Veruntamẽ hæc omnia fundantur, & supponunt distinctionem realem inter esse & essentiam, quam nos existimamus non esse possibilem, loquendo de essentia actuali: & quamuis esset possibilis, aut verà, non est tamen necessaria ad præsentem quæstionem definiendam. Nam, qualis est essentia, tale est etiam esse: vnde sicut essentia potest esse vna, vel per entitatem simplicem, vel per compositionem, ita etiam ipsum esse. Si ergo dicantur illa tantùm constituere vnum per se, quæ habent vnum esse simplex, & non compositũ, falsum est illud principiũ, & sine fundamento sumptum. Si verò sermo sit de vno esse per cõpositionem, sic quamuis verum sit formam accidentalem dare suum proprium esse, eadem quæstio manet, cur ex tali esse & esse subiecti nõ componatur vnum esse, quod verè ac propriè sit per se vnum.

Soncin. Henricus.

XIII. Aliter ergo responderi potest, formã accidentalẽ supponere completũ ac perfectũ esse substantiale, & ideò ex esse talis formæ & subiecti non cõponi vnum esse per se. Quæ ratio est optima, quantũ ad accidentia quę subiectantur in substantia completa. Tamen, quia opinamur quantitatẽ inhærere in materia prima, cũ qua non facit vnũ per se, sed per accidens, ideò addendum est, formã accidentalem hoc ipso q; natura sua respicit subiectũ habens esse alterius ordinis, & prædicamenti, & nõ ordinatur ad constituendũ vel cõplendũ illud esse in illo ordine & Prædicamento, non constituere cũ illo vnũ per se, sed per accidens, quia q; est per se vnũ, debet esse vnius ordinis & Prędicamenti. Atq; hac ratione ex materia & quantitate nõ fit vnũ per se, quia licet materia habeat incompletũ esse substantiale, non tamen ordinatur ad quantitatẽ vt ad actũ, quo illud esse complendũ est. Et similiter ex anima & potentiis suis non resultat vnũ per se, sed per accidens, quia licet anima habeat etiã esse incompletũ, non tamen ordinatur ad cõplendũ vnũ esse cũ ,pprietatib. suis, quę sũt inferioris ordinis, sed per se primò ordinatur ad materiam vt ad potentiam eiusdem ordinis. Itaq; sicut suprà dicebamus, rationẽ ob quã ex materia & forma fit per se vnũ, non esse aliã nisi mutuã proportionẽ & habitudinem, quam intra idem genus habẽt, ita è contrario ratio ob quã ex accidente & substantia non fit per se vnum, non est alia nisi quia non habent illam proportionem, sed aliam longè diuersam: quia licet substantia sit capax accidentis, nõ tamen est per se ordinata ad talem actum, vt suprà etiam declaratum est: & è conuerso, accidẽs ipsum est talis actus, vt non ordinetur ad complendã substantiam in suo genere, sed ad perficiendam illam in alio genere.

Ratio est ex conclusionis.

XIIII. Ex quo etiam intelligitur hanc vnitatem & rationem eius, non solùm in esse existentiæ, sed etiam in esse essentiæ (qualitercunq; hæc distinguantur) considerandam esse; imò per prius in essentia vt sic, & ratione eius in existentia reperiri. Ex materia enim, & forma substantiali verè fit vna essentia propter dictam causam: & ideò esse illius est verè ac per se vnũ: ex forma autem accidentali & substantiali subiecto non fit vna essentia, & ideò neque vnum esse per se ex illis resultat. Quamquam verò forma accidẽtalis dicatur componere vnum tantùm per accidẽs, nihilominus per veram ac physicam vnionem illud componit: agimus enim de accidẽtali forma propria, quæ intrinsecè suo subiecto inhæret: & ideò, vt suprà, disputando de vnitate, dicebamus, hæc vnitas licet cõparatione vnitatis per se, analogicè sit vnitas, non tamen est vnitas solùm per metaphoram, sed quia verè & intrinsecè participat aliquam rationem vnitatis, in quo multùm excedit entia per accidens, quæ per solam aggregationem, aut coordinationem talia dicuntur: non enim omne compositum per accidens æquè vnum est, vt ibidẽ diximus. Atque ita omnino satisfactũ est rationi dubitandi propositæ: nam licet hæc forma constituat vnum per accidens, tamẽ quia illud tale est, vt aliquam vnitatem physicam & realẽ includat, ideò potest illud componere per causalitatem formalem propriã ac per se, tali composito proportionatam.

Examinantur alij effectus huius formæ accidentalis.

XV. SEd supereſt altera obiectio contra excluſiuã partem concluſionis, quia non ſolum compoſitum, ſed etiam ipſum ſubiectum accidentis, videtur eſſe effectus accidentis informantis ipſum, & conſequẽter etiam hunc effectum prouenire ex cauſalitate formali formæ accidentalis. Aſſumptum probatur, quia ſubiectum accidentis pendet in eſſe ab ipſomet accidente, & non niſi in genere cauſæ formalis: ergo. Maior patet in compoſito, quod pendet ab vltima diſpoſitione: & clariùs in materia, quæ non poteſt eſſe ſine ſua quantitate: & in anima, quæ eſſe nõ poteſt ſine ſuis potentiis. Prætereà, vltra hos effectus poſitiuos habere poteſt hæc forma effectum formalem priuatiuum, qui conſiſtit in abiectione formæ contrariæ: calor enim formaliter expellit frigus, & ſic de aliis. Deinde, vnum accidens videtur poſſe eſſe cauſa formalis alterius accidentis, vt quãtitas dicitur eſſe ratio eſſendi in loco, cùm tamen eſſe in loco, ſit accidens diſtinctum ab ipſa quantitate: & ſimiliter obiectum vel per ſe ipſum, vel per ſpeciem, dicitur eſſe cauſa formalis actus viſionis verbi gratia, imò ipſa potentia viſiua dicitur aliquo modo eſſe cauſa formalis ſuæ viſionis: ideò enim non poteſt Deus facere viſionem aut videntem ſine potentia viſiua, aut ſine concurſu talis potentiæ, quia interuenit ibi cauſalitas formalis, quam Deus ſupplere non poteſt.

XVI. Ad principalem obiectionem reſpondetur, non eſſe in vniuerſum, ac per ſe loquendo neceſſarium, vt ſubiectum ab huiuſmodi forma accidentali pendeat, vt conſtat in lumine reſpectu aëris, & ſimilibus, quæ ab extrinſeco veniunt. Quapropter etiamſi reſpectu aliquarum formarum interueniat aliqua dependentia ſubiecti ab ipſis, nihilominus, per ſe loquendo, forma accidentalis vt ſic in ſua cauſalitate non includit dependentiam ſubiecti ab ipſa. Addo deinde, ſubiectum nunquam pendere ab accidente vt à propria cauſa formali: in quo omnes authores conuenire videntur: nam ſi compoſitum ſubſtantiale dependet à propriis accidentibus, ferè omnes reuocant illam dependentiam ad genus cauſæ materialis quam vocant cauſalitatem diſpoſitiuam: & maximè hoc habet locum in diſpoſitione præparante & aptante ſubiectum. Nam illa, quæ eſt concomitans quaſi conſeruans ſubiectum, non poteſt habere rationem cauſæ diſpoſitiuæ, nedum formalis, cùm abſolutè ſupponat eſſe ſubiecti, & ab ipſo manet, vel ratione illius debeatur: & ideò hæc accidentia meritò dicuntur conſeruare eſſe ſubiecti, non à priori vt cauſæ, ſed à poſteriori, vt proprietates concomitantes tale ſubiectum: quod de intrinſecis omnibus accidentibus verè dici poteſt. Eſt enim ferè eadem ratio in omnibus illis, ſolumq; poteſt eſſe differentia in hoc, quòd quædam ſimpliciter conſequuntur, alia ordine naturæ ſupponuntur, non quia ſpecialem cauſalitatem habeant præter ſuam informationem, ſed quia ex parte materiæ requiruntur, & ideò ſecundum eam rationem dicuntur ad materialem cauſam reuocari.

XVII. Accidens quomodo à ſubiecto expellat accidens. Ad primam confirmationem quidam opinantur accidens effectiuè expellere à ſubiecto ſuum contrarium, & non formaliter. Sed licet hoc ſit verũ de forma accidentali, quæ eſt in agente, reſpectu expulſionis formæ contrariæ quæ erat in paſſo, tamen de forma quæ recipitur in paſſo, & in vniuerſum de formis contrariis, quatenus reſpectu eiuſdem ſubiecti vna per ſe ipſam repugnat alteri, & expellit illam, illud nõ poteſt eſſe verũ, quia nulla forma expellit effectiuè aliam, directè & per ſe efficiendo expulſionem, quia (vt aiunt) nullum agens intendens ad malum operatur: neque eſt vlla actio, quæ per ſe tendat ad corruptionem, ſed per ſe facit aliquid poſitiuum, ex quo ſequitur priuatio alterius. At verò forma accidentalis quæ eſt in paſſo, non cauſat effectiuè ſe ipſam, neque aliquam aliam formam, per quam ſuum contrarium expellat, nullam ergo efficientiam exercet ad illam expulſionem, ſed ſolùm informando ſubiectum, expellit contrariam formam, eò quòd inter ſe habent formalem repugnantiam naturalem, reſpectu eiuſdem ſubiecti. Ad argumentum ergo concedo, expulſionem formæ contrariæ pertinere ad effectum formalem formæ accidentalis, non omnis, ſed eius quæ habet contrarium. Neque hoc repugnat concluſioni poſitæ, tum quia illa intelligenda eſt de effectu poſitiuo & proprio, qui per ſe primò cauſatur à forma: tum etiam quia dictio excluſiua non excludit concomitantia: hæc autem expulſio formæ contrariæ, ita comitatur poſitiuum effectũ talis formæ, vt naturali neceſſitate conſequatur ex vi eiuſdẽ cauſalitatis formalis, qua forma afficit ſubiectum, & componit compoſitum.

XVIII. Accidens nullũ aliud accidens à ſe diſtinctũ cauſat formaliter. Ad alteram confirmationem reſpondetur nullam formam accidentalem propriè cauſare formaliter aliud accidens diſtinctum à ſe, & à ſua vnione cum ſubiecto, quia vna forma non cauſat formaliter aliam formam. Vnde ſi vnum accidens eſt intrinſecè connexum alteri, erit aut propter naturalem reſultantiam vnius ab alio, quæ ad efficientiam pertinet, aut propter ſubordinationem neceſſariam, qua vnũ eſt ratio recipiẽdi aliud, quod pertinet ad genus cauſæ materialis. Sic ergo quantitas dicitur eſſe ratio eſſendi in loco circumſcriptiuè, vtroque ex dictis modis: nam & eſt ratio per quam ſubſtantia corporea, eſt capax talis modi eſſendi in loco, & ad illam naturaliter conſequitur eſſe alicubi dicto modo. Obiectum autem ſi comparetur ad potentiam, quatenus in eam influit ſpeciem, vel quatenus mediante ſpecie concurrit ad actum, non habet rationem cauſæ formalis, ſed effectiuæ, vt per ſe conſtat: ſi verò conſideretur vt terminat & ſpecificat actum, ſic nullam propriam cauſalitatem exercet, ſed puram rationem termini, quam aliqui reuocant ad cauſam formalem, & extrinſecam eam vocant, de quo iam ſuprà diximus: nunc verò ſolùm agimus de propria cauſa informante. Denique potentia vitalis nullo modo eſt cauſa formalis ſui actus, ſed actiua & receptiua: ad conſtituendum autem ſubiectum in ratione actualiter viuentis, id eſt, cognoſcentis vel amantis, aut quid ſimile, dici poteſt concurrere aliqua ex parte formaliter, quia licet huiuſmodi actualis vita conſummetur formaliter per actum ſecundum, tamen etiam includit primum, quem ſecundus per ſe ac eſſentialiter ſupponit: & fortaſſe hac ratione non poteſt fieri, vt videat quis ſine potẽtia viſiua & vſu eius, de quo aliàs.

XIX. Vnius accidentis vnicus tantùm effectus formalis. Ex quibus omnibus tandem infertur, effectum formalem huiuſmodi accidentalis formæ, vnicũ tantùm eſſe, atq; etiam è conuerſo ad huiuſmodi effectum formalem vnicam formalem cauſam poſſe cõcurrere. In quo eſt ſimilitudo aliqua inter formam accidentalem & ſubſtantialem, & aliqua differentia, aut diſſimilitudo. Differunt enim, quia ſubſtantiales formæ, nec per ſe, nec per accidens coniungi poſſunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cur plures accidentales formæ possint esse in eodem subiecto, nō autem plures substantiales.

possunt naturaliter in eodem subiecto: plures verò formæ accidentales vtroque modo possunt simul esse in eodem subiecto: quia cùm non constituant per se vnum, nec dent esse simpliciter, sed secundū quid, non repugnat huiusmodi esse multiplicari in eodem subiecto, vel omnino per accidens, id est, sine vlla habitudine inter se, vt cum album fit musicum; vel aliquo modo per se, quia vnum subordinatur alteri, vt potentia ad actum, vel actus primus ad secundum, quomodo quantum est coloratum, & oculus videns. Quo fit, vt priori modo possint accidentia saltem specie aut genere differentia in eodem subiecto multiplicari in quouis numero sine vllo certo termino: quamuis enim infinita esse non possint ex generali ratione quòd repugnat infinitum in actu dari: & licet fortasse etiam ex defectu agentium naturalium non possint hæ formæ vltra certum aliquem terminum multiplicari, tam in eodem, quàm in diuersis subiectis, tamen; quantum est ex parte subiecti, & ex parte ipsarum formarum accidentalium, nullus potest in hoc assignari terminus, neque est maior repugnantia in maiori multitudine harum formarum, quàm in minori, quia in his quæ per accidens se habent, nihil hoc refert ad repugnantiam eorum, nisi aliunde specialis contrarietas aut oppositio intercedat. Secus verò est in his quæ per se ordinata sunt, nam hoc ipso quòd habent inter se ordinem per se, necesse est dari in eis primum & vltimum, & consequenter si quæ sunt media, necesse est, vt sint in certo numero, eadem ratione qua id suprà probatum est de prædicatis essentialibus.

XX. Similitudo autem inter accidentalem & substantialem formam consistit in hoc, quòd sicut substantiale compositum vnica forma constituitur, ita etiam accidentale compositum, quatenus suo modo vnum est, & vnius speciei, per vnicam tantùm formā accidentalem constituitur, quia per subordinationem generis & differentiæ non fit multiplicatio formarum, etiam in accidentalibus: ex multis autem formis accidentalibus diuersarum specierum non fit vnum propriè ac immediatè, sed tantùm ratione vnius subiecti, quod cum variis formis multiplicem facit compositionem. Dices, Interdum vna forma consurgit ex coniunctione & proportione plurium, vt temperamentum, sanitas, pulchritudo, & fortasse vnus habitus. Respondeo, has vnitates vel non esse proprias, vel consurgere ex aliqua vnione talium formarum inter se, & qualis fuerit hæc vnio, talis erit illa vnitas: & sub ea ratione illa forma tantùm est vnius speciei totalis, etiamsi ex pluribus partialibus coalescat. Inquiri etiam hic posset, an ad eundem effectum formalem possint cōuenire simul duæ formæ accidentales eiusdem speciei; sed hæc quæstio disputata est suprà in communi tractando de principio indiuiduationis. Et deinde addimus, quòd licet tales formæ coniungerentur in eodem subiecto, non concurrerent ad eundē effectum formalem, sed vnaquæque conferret suum integrum effectum distinctum ab alia, vt ex dictis facilè constat.

Accidentales modi an, & qualiter causent.

XXI. Secundò dicendum est accidentia, quæ non habent propriam entitatem distinctam ab aliis, exercere quidem causalitatem formalem, diuerso tamen modo, quàm aliæ formæ accidentales. Prior pars probatur primò inductione, nam figura forma est rei figuratæ, & ita Aristoteles quartam speciem qualitatis sub distinctione nominat formam seu figuram: & tamen figura non est res, sed modus tantùm distinctus. Item, situs & vbi, seu præsentia localis, formaliter afficiunt subiectum, vnde hominem verbi gratia, denominant sedentem, aut stantē, vel præsentem, tamen sunt etiam modi, & non entitates distinctæ. Idem dici potest de passiua rei mutatione. Deinde reddi potest ratio, quia hæc accidentia per se afficiūt vere & in re ipsa, subiecta in quibus sunt, & cum eis componunt vnum accidentale compositum; quod quatenus tale est, intrinsecè pendet ab eis, vt à proprio actu constituente: ipsáque accidentia pendent à suis subiectis, vt à materialibus causis: ergo ipsa exercent causalitatem formalem circa sua subiecta.

XXII. Secunda pars assertionis declaratur, nam hæc accidentia, cùm non sint res distinctæ, sed modi tantùm, non afficiunt subiecta mediante aliquo modo vnionis ab ipsis distincto ex natura rei, per quem eis vniantur, sed se ipsis immediatè coniunguntur iuxta doctrinam suprà traditam de distinctione modali, & de natura modi. Vnde fit, in his formis modalibus causam ipsam formalem nō distingui à sua causalitate actuali, quia causalitas formæ, vt sæpè dixi, non est aliud ab vnione actuali formæ ad subiectum: ergo vbi non distinguitur vnio à forma, nec causalitas distingui poterit. Cuius etiam signum est, quia huiusmodi formæ modales non possunt manere in rerum natura, nisi actu causantes suos effectus etiam per potentiam Dei absolutam, non enim potest manere sessio nisi constituat sedentem, &c. quod in vniuersum de modis est in superioribus demonstratum, scilicet, conuersari non posse separatos à rebus quas modificant: non possunt autem eis esse cōiuncti, quin eas afficiant formaliter: non possunt ergo actu esse quin actu causent: signum est igitur actualem causalitatem eorum non esse distinctam ab ipsis, sed intrinsecè & essentialiter in eorum rationibus includi. In hoc ergo est differentia inter hos modos, & alias proprias formas, in reliquis verò omnibus proportionaliter conueniunt.

XXIII. Obiectio contra dicta. Solùm potest circa hos modos dubitari, quia ex prædicta assertione sequitur modum vnius seu inhærentiæ entitatis accidentalis esse formam ex natura rei distinctam à forma inhærēte, v.g. ab albedine: hoc autem videtur absurdum; alias quotiescunque forma est res distincta à materia, erit necessarium, vt duę formæ interueniant & cōiungātur, vt effectus formalis possit consurgere. Deinde sequitur generationem esse formam materiæ ex natura rei distinctam à forma quæ per generationem introducitur: & idem erit de alteratione & quauis mutatione, seruatā proportione. Respondetur in primis, quamuis hæc omnia concedantur, in re nihil esse absurdi, si vocum æquiuocatio tollatur: nam hæ formæ & sunt diuersarum rationum, & ad diuersos effectus ordinantur: quare nihil est absurdi quòd in eadem re multiplicentur, & quod idem modus qui est via ad terminum, sit forma imperfecta respectu subiecti, vel quòd idem modus informationis, qui vt est à forma, est causalitas eius, vt illam vnit, & afficit, sit aliqualis forma eius. Addo verò deinde, vt meliùs & propriùs loquamur, quosdam esse modos, qui in latitudine entis non constituunt suas proprias species, sed reducuntur ad species vel Prædicamenta aliarum rerum vel formarū, quia solùm sunt tanquam conditiones requisitæ, vel causalitates earum intrinsecæ: & hi modi non habent propriā rationē formæ, sed retinent

Dissolutur.

nent propriam rationem modorum substantialium, & accidentalium. Et hac ratione neq; vnio animæ rationalis v.g. dici potest forma, quia nec substantialis, neq; accidentalis dici posset. Item neq; vnio humanitatis ad Verbum, nec propria subsistentia verè dici pōt forma, vt infrà ostendemus. Sic ergo neq; inhærentia accidentalis formę dici potest forma, neq; accidens distinctum, si propriè loquamur, sed modus accidentis. Conclusio ergo posita, intelligenda est de prioribus accidentibus: illa enim tantùm, propriè & absolutè loquendo, accidentia, seu formæ accidentales dicenda sunt. Deniq; dici potest argumēto illo rectè ostendi hos modos, in vniuersum loquendo, imperfectam causalitatem formalem participare, habereq; alium peculiarem afficiendi modū, ad causam formalem pertinentem.

Extrinsecùs adiacentes formæ, aut denominantes, nil causant.

XXIV. Dico tertiò. Accidentia impropria, quę solùm extrinsecùs denominant aut adiacent, non exercent veram causalitatem formalem, sed solùm secundum quandam proportionem, denominationē eius participant. Probatur inductione, nam actio non est forma agentis, quia non afficit illud nec dat illi aliquod esse, neque cum illo componit aliquid verè vnum. Idem est de visione v.g. respectu obiecti, quod visum denominat: quis enim dicat visionem esse formam rei visæ? Idem est de indumento respectu hominis vestiti, & de superficie circundante ac continente respectu rei contentæ, & de omnibus similibus. Quorum omnium ratio est, quia hæc omnia nullum esse reale conferunt illis rebus quas extrinsecè denominant: ergo non sunt veræ formæ reales, cùm forma sit quæ dat esse. Item quia hæc omnia non habent veram & realem vnionem ad res quas denominant: forma autem non causat nisi mediante vnione: siue sit distincta à forma, siue non: secluſa enim vnione Physica non est compositum verè vnum: vbi autem non est propria compositio ex rè vnum: vbi autem non est propria compositio ex qua resultet compositum quod sit vnū aliqua Physica vnitate, non potest intercedere vera & Physica causalitas formalis. Tandem causalitas formalis & materialis sunt quasi correlatiuæ, nam sibi inuicem correspondent: sed in his rebus quæ extrinsecè denominantur ab aliis, non intercedit vera causalitas nominantis ab materialis: neq; enim agens dici potest causa materialis actionis, & sic de aliis: ergo neque res sic denominantes extrinsecè, sunt veræ formæ. Cuius etiam signum est quòd Deus denominatur agens vel creator, ab actione vel relatione quę est in creatura, & tamen nemo dixerit talem actionem cōparari ad Deū vt verā formam eius. Secluſa aūt ab his rebus causalitate formali vera ac Physica, nihil in eis relinqui pōt ob quod vocentur aliquo modo extrinsecę formæ, nisi ꝓportio aliqua: quę in hoc cōsistit, quòd huiusmodi res dicūt aliquas habitudines ad alias res quas denomināt, in quibus se gerunt ad modū vltimi termini, vel actus, & ideò denominare videntur ad modū formarum. Atq; ita explicata manet & confirmata cōclusio quoad vtramq; partem. Quomodo aūt hæc verè dicantur constituere aliqua prædicamenta accidentium, vel aliquas species eorum, declarandū erit infrà, cùm de singulis rationibus prædicamentalibus disseremus: quomodo item in his denominationibus soleant quædam entia rationis fundari, in ꝓpria disp. dicemus: & ideò nulla supereſt circa hoc difficultas hoc loco tractanda.

SECTIO II.

Vtrùm omnis forma accidentalis educatur de potentia subiecti.

I. EX omnibus quæstionibus quas de forma substantiali tractauimus, solà hæc supereſt circa accidentalem formam quæ peculiarem declarationem requirat: nam si attentè consideretur quę in superiori sectione dicta sunt, ibi comprehendim̄ omnia quæ ad rationem Physicæ formæ spectant, quæ verò pertinent ad rationem formæ Metaphys. ex sect. vltima præcedentis disputationis sumi possunt. Nam in vltima eius parte ostendimus, genera, & differentias eadem ratione & proportione in accidentibus reperiri.

Sensus quæstionis explicatur, certa ab incertis separando.

II. IGitur, vt in præsenti dubitatione seꝑamus certa ab incertis, supponenda est trimembris illa diuisio præcedēti sectione proposita de entitate propria formæ accidentalis, de modo accidentali, & de accidente solùm extrinsecùs denominante. Et de hoc quidem tertio membro nihil dicere oportet, nam certum est hæc omnia prædicata quæ extrinsecùs alia denominant, non educi de potentia earum rerū quæ ab eis denominantur extrinsecùs, cùm in illis non sint vt in subiecto, & ab eis vel simpliciter non pendeant, vt indumentum ab homine, & superficies continens à re contenta; vel si pendent, non est in genere causæ materialis, sed vel efficientis, vt actio ab agente: vel obiectiuæ, vt visio ab obiecto. Est igitur aduertendum semper eam rem quæ extrinsecus aliam denominat, esse intrinsecè in aliqua alia re, nā vel est substantia aliqua, & illa est in se, vel est entitas aut modus accidentalis, & sic necesse est esse intrinsecè in aliquo subiecto, à quo sustentetur. Vnde quando de nouo fit quælibet res quæ aliam extrinsecè denominat, modus productionis aūt eductionis eius non est considerandus respectu rei extrinsecùs denominatæ, sed respectu illius rei vel subiecti à quo est denominatio. Vnde si illa res sit substantia, in ea erit productio totius, & eductio formæ sicut in aliis substantiis: si autem fuerit forma aut modus accidentalis, erit eadem ratio de his, quæ de cæteris accidentibus.

Denominationes extrinsecæ non educuntur de potentia subiecti.

IIII. Rursus distinguere oportet duplicem modum quo accidentia fieri solent, scilicet aut per se per propriam actionem, aut per resultantiam. Item inter formas accidentales, quædam sunt naturalis ordinis, quædam verò sunt ordinis supernaturalis, vt gratia, lumen gloriæ, & similes. Et eadem distinctio adhiberi potest de modis accidentalibus: nam quidam sunt naturales, vt figura terræ, vel vbi: alij sunt supernaturales, vt modus existendi corporis Christi in Eucharistia. Et addere hic possumus tertium mēbrum, nam quidam modi dicuntur esse non naturales, nec supernaturales, sed artificiales, quod membrum non habet locum in propriis formis seu entitatibus accidentalibus, quia nulla est quæ per artem propriè fiat, nisi fortasse vel quatenus ars adiuuat naturam, vt in sanitate, vel quatenus per artem applicantur actiua passiuis, vt si aurum fit per artem alchimiæ, & hoc modo fiunt alia mista vt liquores, &c. Quę formę omnes nō sunt artificiales ꝓpriè, nisi fortasse per quandā denominationē extrinsecā, intrin-

Varij modi quibus fiunt accidentales formæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

intrinsecè enim sunt formæ physicæ ac naturales, & nō solùm accidentales, sed interdum etiam substantiales esse possunt, & eiusdem rationis cū iis quæ naturaliter fiunt. Vnde quod applicatio agentium & patientium per artem fiat, nil obstat quominus per veram eductionem fiant. Propriæ ergo artificiales formę tantùm sunt quidam modi, omnes enim in figura aliqua consistunt: quia virtus effectiua humana quæ arte regi aut dirigi potest, non potest amplius extendi, cuius rationem infrà videbimus: figura autem quælibet solùm est modus quidam rei quantæ, vt per se constat.

IIII. Accidentia naturalia quæ per trāsmutationē fiunt, ex subiecti potētia educuntur.

Ex his ergo omnibus vnum tantùm est certum, nimirum accidentales formas naturalis ordinis quæ per propriam actionem, propriamq; subiecti transmutationem fiunt, educi de potentia subiecti, nam in his manifestè concurrunt omnia, quæ ad eductionem de potentia materiæ necessaria esse possunt, quod à fortiori ex dicendis constabit. Alia verò multa dubia sunt & incerta, quæ sigillatim attingemus, & breuiter expediemus.

Dubium de qualitatibus intentionalibus.

V. Sententia aliquorum. Soncin. Aegid. Alensis. Argentin. Carthus.

PRimum dubium est, an qualitates quædam, quę naturales sunt, prout naturale à supernaturali distinguitur (vocantur autem intentionales, & ea ratione à qualitatibus omnino naturalibus & physicis distingui solent, vt sunt species intentionales & similes) dubium (inquam) est, an huiusmodi qualitates educantur de potentia subiecti. Aliqui enim hoc negant, vt Soncin. 7. Metaphysicæ, quæst. 8. quam opinionem sequuntur in 2. sentent. Ægid. d. 13. q. 2. Thomas de Argent. art. 3. Carthus. q. 1. qui hoc extendit ad lumen, quod in aëre, vel alio corpore diaphano ab extrinseco producitur: quod etiam docuit Alens. 8. Metaph. text. 13. Fundamentum eorum est, quia hæ formæ fiunt in instanti, & sine resistentia & abiectione contrarij, & consequenter sine transmutatione materiæ, & ideò appellantur formæ sine materia: ergo non educuntur de potentia materiæ. Et confirmatur, quia hæ qualitates non solùm fiunt in corporibus elementaribus, sed etiam in cœlestibus: at verò nulla forma educi potest de potentia cœli, aliàs cœlum esset alterabile, & reciperet peregrinas impressiones.

VI. Dubii enodatio. Richard. Heruæus.

Sed hæc sententia nulla firma ratione nititur: & ideò dicendum est, huiusmodi accidentia omnia educi de potentia subiectorum, in quibus recipiuntur. Ita tenet Richard. in 2. d. 13. art. 2. q. 1. & Heruæus d. 18. q. 1. artic. 2. & quodlib. 7. q. 20. Et probatur, quia hæ qualitates fiunt ab agentib. naturalib. ergo nō fiūt ex nihilo: ergō fiūt ex præsupposito subiecto concurrēte per suā naturalē vim in genere causæ materialis ad esse & fieri taliū formarū: ergo verè educūtur de potentia subiecti. Oēs enim aliæ conditiones, quę ad eductionem requirūtur, sunt voluntariè cōfictæ absque vlla ratione. Nam, quòd forma accidentalis in instante fiat, quid impedit eductionem? nam etiam substantialis forma in instante fit: solùm ergo inde sequitur dari posse eductionem instantaneam & successiuam, sicut & mutationem. Nec refert, quòd ad eductionem substantialis formæ præcedat successiua alteratio præuia, nam, vt suprà ostendi, ratio eductionis non consistit in habitudine ad præcedentem alterationem, sed in intrinseco modo & causalitate talis actionis. Vnde quoad hoc per accidens est, quòd præuia alteratio præcedat propter abiiciendam formam contrariam. Deinde gratis etiam dicitur, esse necessarium ad eductionem, quòd forma habeat contrarium, cùm hoc necessarium non sit ad realem actionem, & mutationem ex præsupposito subiecto, quæ in genere causæ materialis concurrat ad esse & fieri ipsius qualitatis. Et declaratur prætereà in lumine, quod contrarium non habet, nam illuminatio talis est actio, vt per eam non per se primò fiat forma luminis, sed illuminatum: vnde illa est quædam accidentalis generatio, nam ibi concurrunt tria generationis principia, quæ in omnibus Prædicamentis eadem sunt, proportione seruata, teste Aristotele 12. Metaphysicæ. Omnis autem generatio, per quam fit seu comproducitur forma, est eductio eiusdem formæ, alioqui nulla certa ratio eductionis assignari poterit: ergo lumen verè educitur de potentia subiecti, & eadem ratio de aliis qualitatibus intentionalibus.

VII.

Tandem, cùm dicuntur hæ qualitates fieri in subiecto sine transmutatione subiecti, duobus modis id intelligi potest. Primò absolutè & simpliciter sine vlla mutatione reali, & hic sensus est falsus: nam cùm realiter aliquid recipiant, & de potentia in actum reducantur, necesse est aliquo modo mutari realiter, id est, transire ex carentia alicuius esse ad habendum illud. Alio modo intelligi potest de transmutatione corruptiua, seu amissiua alicuius propriæ & connaturalis perfectionis, vel dispositionis: & hoc modo verè dicuntur hę formæ fieri in subiecto sine transmutatione eius: sed talis transmutatio est impertinens ad eductionem: cuius ratio non consistit in abiectione alterius formę, nisi quando, & quantum necessaria est ad inductionem alterius. Si autem possit fieri inductio formę sine corruptione vel abiectione alterius, non erit necessaria talis transmutatio ad eductionem, sed sufficiet mutatio perfectiua. Quod declaratur in hunc modum, nam ibi est vera inductio formę in subiectum, & non est inductio formę aduenientis de foris (vt Aristotelis verbis vtar) id est, non est mera vnio præexistentis formę: ergo est vera eductio formę, quę in naturali potētia subiecti continebatur, & aliter fieri nō poterat.

VIII. Quæ mutatio cœlestis pugnet, quæ non.

Atque ex his responsum est ad fundamentum cōtrarię sententię. Ad confirmationem autem negatur non posse has formas educi de potentia cœli, nam in potentia eius continentur, tam ipsę, quàm mutationes, per quas naturaliter fiunt. Nec cœlo repugnat omnis mutatio perfectiua, aut productiua, sed illa tantùm, quę aliquo modo disponit ad corruptionem, seu quę extrahit rem à connaturali statu sibi debito. Quòd si nomen alterationis ad instantaneam & perfectiuam mutationem extendatur, sic non repugnat cœlum alterari: vsitato tamen more loquendi alteratio non dicitur, nisi successiua mutatio, quæ ad vnam qualitatem tendit ex contraria: & hoc modo dicitur cœlum inalterabile: sic autem sumpto alterationis nomine, latiùs patet eductio qualitatis, quàm alteratio. Quin potiùs addo, non solùm has qualitates corporales, sed etiam spirituales, quę per propriam actionem fiunt modo naturali, educi de potentia subiecti, in quo, & ex quo fiunt. Sic enim intellectus agens non creat species intelligibiles, sed educit eas de potentia intellectus possibilis, in cuius naturali potentia continentur, & ab ea pendent in fieri, & in esse; vnde ex ea educuntur in actum per virtutem intellectus agentis. Et eadē ratione actus vitales tā intellectus, quam voluntatis,

tatis, & in hominibus, & in angelis, fiunt per eductionem: nam anteà continebantur in potentia non tantùm actiua, sed etiam receptiua suarum potētiarum, à quibus naturaliter pendent in fieri, & in esse: hæc autem solùm sunt de ratione eductionis, vt amplius in sequenti dubitatione confirmabimus.

Dubium de qualitatibus supernaturalibus.

IX. Fonseca lib. 1. Metaph. c. 2. q. 4. Conimbricenses lib. 1. Physic. c. 2. q. 12. Aliorum horum dictorum & eorum fundamentum.

SEcundò dubitari potest, an formæ etiam supernaturales, quæ à Theologis dicuntur per se infusæ, educantur de potentia subiecti, in quo fiunt. Quidam absolutè negant, quia ad has formas non est in subiecto naturalis potentia: ergo non possunt inde educi. Et confirmatur, nam nihil educitur, nisi vnde continetur: anima autem, exempli causa, nullo modo continet gratiam in sua substantia: ergo non potest inde educi. Et eadem ratio est de omnibus qualitatibus similibus. Tandem, hac ratione aliqui Theologi dicunt gratiam, & similes formas creari: alij concreari: omnes verò dicunt saltem infundi, vt extrinsecus aduenire, non verò educi significent. Sed quamuis verum sit, productionem harum qualitatum, non esse naturalem eductionem, vt argumenta facta probāt, non tamen censeo esse extra latitudinem eductionis formæ de potentia subiecti, sed potiùs sicut qualitas quædam est naturalis ordinis, alia supernaturalis: vtraq; tamen est vera qualitas: ita illa eductio formæ accidentalis, alia est naturalis ordinis, alia supernaturalis: vtraque tamen est vera eductio.

X. Dubii explicatio.

Quapropter simpliciter dicendum erit, has qualitates fieri per eductionem de potentia subiecti, atque ita communiter loquuntur Theologi, præsertim recentiores, tractantes de gratia, & de effectione sacramentorum, vt notaui in 1. & 3. Tom. 3. p. Et probatur omnibus rationibus factis in priori dubitatione, nam omnes conditiones ad eductionem requisitæ, & omnis dependentia, causalitas, ac modus effectionis in his formis reperitur. Solùm est discrimen, quia ad has formas non concurrit subiectum per naturalem potentiam, quam conditionem dicti authores requirunt in subiecto, vt forma dicatur de illius potentia educi: quod tamen non probant: vnde solùm videtur illa conditio adiecta ad has formas excludendas, quomodo potest vnusquisq; aliam conditionem excogitare & adiungere, vt alias formas excludat, & ita nihil erit firmum, nisi aliqua ratio eductionis, ex generali aliqua & firma ratione stabiliatur. Illa ergo conditio, quamuis sit necessaria ad eductionem naturalem, non verò ad eductionem simpliciter, sub qua eductio supernaturalis continetur, ad quam non requiritur ex parte subiecti potentia naturalis receptiua, sed obedientialis sufficit. Cur enim, sicut datur qualitas naturalis & supernaturalis, & intellectio naturalis & supernaturalis, & effectio naturalis & supernaturalis, ex præsupposito subiecto, non dabitur etiam eductio supernaturalis distincta à naturali, tam ex parte principij actiui, quàm passiui, licet in generali modo eductionis conueniant? Et declaratur tandem hac ratione, nam eductio formæ immediatè & adæquatè condistinguitur à creatione formæ in his quæ per propriam actionem fiunt: inde namq; Philosophi in cognitionem eductionis formæ peruenerunt, quia intellexerunt, formas nō fieri per creationem. ergo supponunt omnem formam, quę per propriam actionem fit, & non creatur, educi de potentia subiecti. Et quidem meritò, nam quod creatur, fit ex nihilo, id est, ex nullo subiecto, & absque concursu causæ materialis; educi autem nihil aliud est, quàm fieri ex subiecto, cum prædicto concursu & dependentia in fieri & in esse.

XI.

Sed respondere possunt, creationem requirere, vt sit ex nullo subiecto, vel saltem ex nulla potentia naturalis subiecti, non verò esse contra rationem creationis, vt sic producto, aut effectio formæ ex subiecto secundum potentiam tantùm obedientialem. Sed hoc repugnat rationi creationis, prout ab omnibus Doctoribus concipitur, & exponitur, nimirum quod sit productio entis ex nihilo: nam forma, quæ fit ex præsupposito subiecto quacunq; ratione, non potest verè dici fieri ex nihilo. Vnde D. Thom. & omnes colligunt creationem propriam semper terminari ad rem subsistētem, quia forma inhærens, cùm ex subiecto pendeat, in fieri & in esse, non potest terminare creationem. Prætereà, actio per quam fit talis forma (siue educatur ex potentia naturali, siue obedientiali subiecti) non terminatur per se primò ad ipsam formam in se, sed ad compositum seu informatum tali forma vt sic: ergo sicut quod per se primò fit per actionem, qua fit calor, non est ipse calor, sed calidum: calor autem confit, seu comproducitur; ita quod per se primò fit per actionem, qua fit gratia, non est gratia, sed gratum: illa autem actio prout terminatur ad gratum, non potest esse creatio, quia creatio est productio totius entitatis, quæ est in termino primario talis actionis: per illam autem actionem non fit tota entitas compositi grati, sed solùm completur in esse grati: ergo neq; illa actio, prout per illam comproducitur gratia, potest habere rationem creationis: hac enim de causa nulla forma pendens à subiecto in fieri, creatur, quia non per se primò fit, sed confit per actionem qua producitur compositum absq; creatione. Quod tandem à contrario declaratur, quia quando talis forma desinit, non annihilatur, quia solùm cōdesinit (vt ita dicam) ad desitionem compositi, quod non annihilatur.

XII. Accidentia supernaturalia non creantur, nec cōcreantur.

Ex his ergo satis (vt opinor) conuincitur, non creari has qualitates supernaturales, dum fiunt dependenter à subiecto, etiamsi fit per potentiam receptiuā obedientialem: & inde apertiùs concluditur, non posse dici concreari, per se loquendo, & ex vi talis actionis. Nam licet interdum fiāt simul cum creatione subiecti, & tunc concreari dicantur, tamē id est per accidens, & solùm per extrinsecam denominationem, loquēdo tamen per se, & ex vi proprię actionis per quā fiunt in subiecto, non possunt concreari: quia tunc forma creari dicitur, quando per actionem, qua ipsa comproducitur, creatur totum compositum, quod ex tali forma constat: sed compositum, quod ex huiusmodi forma cōstat, non creatur per illam actionem, quia nō fit absolutè & simpliciter in quantum ens, sed solùm in quantum tale compositum: vnde non fit ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, ergo neque huiusmodi qualitates possunt dici concreari, nisi latè sumatur nomen *creationis* pro quacunq; effectione, seu temporali productione. Si ergo hæc accidentia nec creantur, nec concreantur, restat vt educantur: nam (vt dixi) eductio proximè opponitur creationi formæ, & adæquatè contra illam diuiditur. Nec refert, quod productio harum qualitatum vocetur infusio, solùm enim ita vocata est ad significandū prouenire ab extrinseca & superiori causa, & non acquiri per intrinsecam

Universidad de Deusto
Biblioteca

secam virtutem & actionem, sicut solent acquisiti habitus comparari. Non fit autem illa infusio sine dependentia à subiecto in fieri & in esse: neq; enim cogitanda est, sicut infusio aquæ in vas, sed sicut infusio luminis in aerem: & ideò talis infusio non est extra latitudinem eductionis. Atq; ita satisfactum est motiuis contrariæ sententiæ, & explicatus modus loquendi Theologorum. Nec est inconueniés concedere gratiam contineri in potentia obedientiali animę, nam contineri in obedientiali potentia, nihil aliud est, quam quod Augustinus dixit: *Posse habere fidem naturæ est hominum.* Et ideò optimè etiam dicitur gratia ex potentia obedientiali animę educi, quia nō est nata per se fieri, sed dependenter ab anima, vel alia natura habente similem capacitatem.

Augustini dictum exponitur.

Corollaria è superiori doctrina.

XIII. EX dictis intelligitur primò, formam accidentalem supernaturaliter factam in subiecto, quoad modum tantùm, & non quoad terminum, multò magis fieri per eductionem, & non per creationem. Exempla sunt de potentia visiua, quæ cœco diuinitus restituitur, & de sanitate, quæ miraculosè fit absque ordine, vel dispositione naturalium causarum. In his enim licet modus agendi sit supernaturalis, tamen forma, quæ fit, naturalis est: & in subiecto recipitur secundum potentiam, & capacitatem naturalem, & ab illo pendet in esse & in fieri, etsam prout tali modo fit: nam illa actio etiamsi quoad alia sit miraculosa: quoad dependentiam verò à subiecto fit modo connaturali, & ideò vera est eductio. Vnde hoc extendi potest ad eductionem formæ substantialis, quando ex parte agentis contingit fieri miraculoso modo per subitam & extraordinariam transformationem, vt cùm Christus conuertit aquam in vinum: nam ille modus miraculosus non excluſit verā rationem eductionis propter causam dictam. Idemque esset de actione, qua Deus excitaret, & viuificaret cadauer equi, aut leonis, nam illa actio etiam fieret per eductionem, vt eadem ratio probat.

XIIII. Secundò colligitur ex dictis, omnem propriam formam accidentalem, si per propriam actionem fiat, & modo cōnaturali quoad terminum, educi semper de potentia subiecti. Hoc patet ex dictis. Primò inductione, quia tam supernaturalis, quam naturalis forma ita fit: ergo quælibet. Secundò ratione, quia omnis forma accidentalis natura sua pendet in fieri & in esse à subiecto, vt à materiali causa: & hoc tantùm requiritur ad eductionem, vt ostensum est. Et ideò dixi, *si connaturali modo fiat quoad terminum:* nam si Deus produceret accidens extra omne subiectum (æquè enim id potest facere, sicut conseruare illud) tale accidens non fieret per eductionem, sed per creationem: fieret enim ad modum rei subsistentis, sine dependentia à materiali causa, atque ita ex nihilo: tamen ille modus productionis non potest esse connaturalis formæ accidentali, sicut non potest illi esse connaturale, esse extra subiectum.

XV. Dixi etiam, *Si per propriam actionem fiat*, vt excluderem formas accidentales, quæ concreantur, vel congenerantur cum suis subiectis, de quibus, vel quoad rem ipsam, vel saltem quoad modum loquēdi, peculiaris est ratio. Duobus enim modis contingit accidentalem formam comproduci per subiecti productionem. Primus est per solam concomitantiam in duratione, tamen per propriam actionem omnino diuersam ab actione, qua producitur subiectum, absque naturali resultantia vnius ab alia, quo modo dicitur concreata gratia angelis, vel lumen aeri si in eodem instante, in quo creatur, illuminetur, & tunc actio productiua formæ accidentalis quoad rem ipsam vera est eductio omnino eiusdem rationis cum illa, quæ fit posteriùs tempore, vt à fortiori cōstat ex dictis suprà de eductione formæ substantialis. Quoad modum autem loquendi accipit aliam denominationem extrinsecam, propter concomicantiam actionum, vt declaratum est. Secūdus modus comproductionis formæ accidentalis subiecto est propter naturalem resultantiam, qualis est inter proprietatem intrinsecam & substātialem formam seu essentiam. Et tunc propriùs dicitur forma accidentalis comproduci ad productionem sui subiecti: sicut autem illa comproductio non fit sine aliquali actiuitate essentiæ in proprietatē suā, ita non fit sine aliquali eductione eiusdē proprietatis à potentia subiecti in quo recipitur, quia illa actiuitas præcisè considerata vt condistincta à productione ipsius substantiæ, essentialiter pendet à subiecto in genere causę materialis. At verò sicut illa actiuitas non censetur propria & per se actio, quia natura sua consequitur & resultat à termino alterius actionis, & hic est modus proprius & connaturalis talis actiuitatis: ita illa non censetur propria eductio; quia per eductionem absolutè dictam intelligimus actionem, quæ per se primò tendit ad agendum aliquid ex præsupposito subiecto, quæ etiam differentia magis ad modum loquendi, quam ad rem spectat, vt apertiùs constabit ex infrà dicendis de causa efficiente.

XVI. Quinti modus accidentalis educitur de potentia subiecti.

Tertiò colligitur ex dictis omnem modum accidentalem siue naturalem siue supernaturalem, sicut participat rationē formæ, ita fieri per eductionem, maximè si per propriam actionem fiat. Hoc patet in genere loquendo, quia talis modus essentialiter pendet in fieri & in esse à subiecto, adeò vt nec per potentiam Dei absolutam possit extra subiectum fieri, in quo excedit accidentalem entitatem, vt suprà ostensum est, quò fit, vt nunquam possit fieri per propriam creationem, quare si per se sit, per modum eductionis fieri necesse est. Et hoc maximè patet in prædicamento vbi, quod consistit in modo quodam accidentali, & ad illud est per se motus localis, vt constat ex communi doctrina in 5. Physicorum: illa autem motio cùm ab agente naturali fiat, per modū eductionis fit, nam ex præsupposito subiecto, & cum intrinseca dependentia ab illo efficitur. Diximus autem suprà hos modos imperfectè participare rationem formæ, & ideò imperfectè etiam participant rationem eductionis, non quidem ex parte dependentiæ materiæ, quę potiùs est maxima, sed ex parte rei eductæ, quæ est imperfecta forma. Ex quo licet colligere illos modos, qui non induunt propriam rationem formarum, non nisi impropriissimè dici posse educi, vt v. g. motus localis non tam propriè dicetur educi de potentia subiecti sicut terminus eius, quia motus non est propria forma subiecti, sed via ad formam. Et ideò non propriè educitur, sed est ipsa eductio. At verò sicut actio non propriè fit, ita neq; eductio educitur, nisi lato modo loquendo dicatur se ipsa educi, sicut actio dicitur se ipsa fieri. Atq; idem ferè iudicium est de modis accidentalib. qui nō per se fiunt, sed resultāt positis aliis: quales sunt relationes resultantes positis fundamēto & termino, si supponamus huiusmodi relationes esse modos ex natura rei distinctos à suo fundamento, nam eo modo quo fiunt, dependenter à subiecto fiunt, atq; ita educuntur de potētia eius: tamen quia non per propriam actionem fiunt, sed solùm resultant, ideò non est illa propriè eductio, sed proprio nomine appellatur resultantia.

Expeditur dubium de formis artificialibus.

XVII. DEnique hinc expeditur frequens dubium de formis artificialibus, an educantur de potentia subiecti. Quidam enim absolutè negant, quia subiectum harum formarum, non est in potentia naturali ad illas, sed obedientiali respectu artis humanæ. Hæc tamen ratio parum obstat, quia iam ostensum est verè educi formam de potentia obedientiali. Secundò, quia illa potentia obedientialis non est extra latitudinem potentiæ naturalis, id est, quæ ab agente ordinis naturalis reduci potest in actum, siue talis actus sit naturaliter debitus tali potentiæ, siue non. Vnde quando homo efficit talem formam, re vera efficit illam per virtutem motiuam naturalem, quamuis eam moueat per voluntatem, & dirigat per artem. Quare interdum contingit similem formam vel figuram ab agente naturali fieri casu seu ex concursu plurium causarum. Tertiò, quia aliàs in motu lapidis sursum proiecti ab homine, vbi ad quod terminatur, non educeretur de potentia subiecti, quia etiam lapis dici potest esse tantùm in potentia obedientiali respectu talis motus: imò quodammodo est minor illa potentia quia motus ille violentus est: consequens autem est falsum, quia frigefactio aquæ, etiamsi sit violenta, fit per eductionem: quamuis enim repugnet formę, ex parte materiæ est naturalis capacitas, sic autem est in lapide respectu motus sursum. Quòd autem ille motus imprimatur ab agente libero vel naturali, nil refert ad eductionem.

Quapropter alij absolutè docent formas artificiales educi de potentia subiecti propter rationes dictas. Ego verò censeo idem esse iudicium de his formis, quod de aliis modis, qui per resultantiam fiunt: nam hæ formæ artificiales solùm sunt modi quidam accidentales, vt suprà dictum est, & ad illas non est per se actio Physica: quamuis enim intentio artificis ad illas per se tendat, & ideò tali modo dirigat per artem actionem suam, vt formam intentam inducat, tamen actio ipsa per quam exequitur intentionem suam, non terminatur per se & immediatè ad talem formam, sed ad aliquem alium modum, ex quo talis forma resultat. Semper enim hæ formæ fiunt per motionem localem, quæ proximè terminatur ad vbi, & inde resultant variæ figuræ artefactorum, vel per incisionem & diuisionem partium, vel per compositionem, & ordinatum situm earum, & ideò in effectione harum formarum non est propria eductio, sed qualis in naturali resultantia esse potest. Hinc verò colligo, hoc non esse proprium harum formarum, eò quòd per artem fiant, sed commune est omnibus figuris, etiamsi per actionem merè naturalem efficiantur: semper enim fiunt per solam resultantiam, vel ad productionem, vel ad rarefactionem, densationem, aut situationem quantitatis.

DISPVTATIO XVII.

De causa efficienti in communi.

POST considerationem materialis & formalis causæ, quæ intrinsecæ sunt, dicendum sequitur de causis extrinsecis, quæ sunt finalis & efficiens: inter quas licet finalis censeatur prior & nobilior: tamen efficientis causalitas est nobis notior, & ideò de illa dicendum priùs est. Non est autem necessarium quærere, an hæc causa sit, tum quia hoc satis probatum est suprà, tractando de numero causarum, tum etiam, quia nihil est euidentius & notius experientia: nam transmutationes & generationes quas experimur, fieri non possunt nisi ab aliquo efficiente, quod sit causa & transmutationis, & effectus: nihil enim potest se ipsum de nō esse ad esse trāsferre. Supposito igitur in rerum natura hoc genere causæ, videndum est quid sit, & in quo consistat causalitas ei?, & quid requirat, vt causare valeat. Quia verò in hoc genere multæ sunt causarū species ac modi, ideò priùs in communi declarabimus, quid sit hæc causa, & quot mēbra sub se contineat: quidq; omnibus illis commune sit. Posteà verò de singulis causarum efficientium speciebus, & variis earum causandi modis sigillatim disseremus, quantum pro huius materię complemento expedire censebimus.

SECTIO I.

Quid causa efficiens sit.

ARistoteles 5. Metaph. cap. 2. & 2. Physicor. capit. 3. causam efficientem in communi definit, dicens esse id, *vnde primum principium est mutationis, aut quietis.* Quæ definitio multa interpretatione & additione indiget, vt ad verum sensum reducatur, ita vt omnem causam efficientem comprehendat, & eius propriam causalitatem declaret. Nam inprimis nihil in ea esse videtur, quod loco generis constituatur, nam illa particula *vnde*, quam solam Aristoteles ponit, & impropriè ponitur loco generis, & valde æquiuoca est: nam & tempus, & locus dici potest esse id, vnde incipit motus. Quare subintelligendum videtur loco generis, *Principium per se*: ne autem videatur committi nugatio, dicendo causam efficientem esse principium per se, vnde est primum principium motus: dicendum erit, causam efficientem esse principium per se, à quo primò est, aut fit mutatio: atq; ita fit, vt descriptio Aristotelis virtute contineat hoc genus, per quod potest causa efficiens definiri.

I. Definitio Aristotelica.

Quod in ea genus.

Sed tunc oritur secunda difficultas, quia definitio sic exposita etiam conuenit aliis causis, nam materia in suo genere est principium per se mutationis & quietis. Nec satis est, si dicatur excludi per illam particulam *primò*, quia licet per illam particulam possit excludi causa formalis (nam re vera illa non est primum principium mutationis, sed potiùs est terminus eius, propter quod dicebamus in superioribus formam, non esse propriè causam generationis, sed rei genitæ) tamen causa materialis non excluditur per illam particulam, quia in suo genere æquè primò concurrit ad mutationem cum causa efficienti, & ideò etiam illa est principium per se, vnde primò incipit mutatio. Dicet fortasse aliquis,

II. Qualiter ad solum definitum adaptetur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quamuis respectu alicuius effectionis materia simul causet mutationem cum efficienti, tamen absolutè comparando causam materialem & efficientẽ, hanc esse priorem, quia oportet vt ipsa materia priùs fiat, quàm causet. Sed hoc nihil ad presens refert, quia illa antecessio est remota, & respectu alterius actionis, cuius Aristoteles non meminit, nec satis constat, an illam cognouerit. Vnde est quasi per accidens respectu concursus materiæ & efficientis ad naturalem mutationem. Non ergo id satis est ad excludendam causalitatem materiæ, aliàs etiam causa secunda efficiens excluderetur, quia non est prima simpliciter respectu effectionis, cùm necesse sit illam priùs effici. Duo ergo dici possunt: vnum est, quòd licet secundum rem naturalis mutatio simul fit à causa efficiẽti, & materiali, tamẽ secundũ rationẽ prior est influxus causæ efficiẽtis, quã materialis. Vnde, secundum præcisas rationes formales loquẽdo, passio est ab actione, & non è conuerso, ideoque vera est ac propria hæc causalis locutio; *quia agens agit, materia recipit*. E contrario verò non propriè dicetur agens agere, quia materia recipit. Sic igitur B dicitur efficiens esse primum in ratione causandi comparatione materiæ. Deinde dicitur, materiam excludi per illam particulam *vnde*. Nam in rigore significat habitudinem ad principium extrinsecum: materia enim est causa mutationis, quia illam in se intrinsecè recipit, & in se sustentat: agens verò est principium actionis seu mutationis, solùm quia ab illo manat, & ad illud dicit essentialem habitudinem, vt ad principium extrinsecum, à quo pendet, & hæc propria ratio & habitudo declaratur per illã particulam *vnde*, quæ æquiualet particulæ *à quo*, quæ propriè tribuitur efficienti: nam materiale principium potiùs est *ex quo*. Vnde, maioris claritatis gratia, dici posset causa efficiens esse principium per se, extrinsecum, à quo primò est mutatio.

III. Quomodo ab illa finis excludatur.

Sed tunc occurrit tertia difficultas, quia definitio sic declarata potiùs conuenit causæ finali, quam efficienti: est enim finis principium per se & extrinsecum, & est prius in causando, quàm efficiens: nam efficiens non agit, nisi motum à fine, & ideò causa finalis solet dici prima inter omnes causas. Sed quia influxus causæ finalis, valde obscurus est, maximè respectu physicæ, & realis mutationis, ideò breuiter C dicitur, etsi ordine intentionis causa finalis prior sit, tamen in executione efficientem causam esse primam: imò illam solam esse, quæ per se & extrinsecè realiter influit, seu mouet. Et hoc modo intelligenda est prædicta definitio, quod illa particula *vnde*, vel *à quo*, satis declarat. Est enim finis principium, vel causa, propter quam fit, vel in quam tendit mutatio, nõ tamen propriè dicitur principiũ à quo, vel vnde primo manat actio: sed hoc propriissimè dicitur de causa efficienti.

IIII. Primæ causæ & secundis an illa definitio conueniat.

At verò occurrit statim quarta difficultas, quia illa definitio non complectitur omnem causam efficientem. Hinc enim videtur conuenire soli causæ primæ, quia sola illa est, vnde primo incipit omnis mutatio, vel ad summum conuenit causæ principali, non verò instrumentali, vel facultati, quę est proximum principium agendi, nam instrumentum non agit nisi motum, seu in virtute prioris agentis, & ideò non potest dici instrumentum esse id, vnde primò est motus. Aliunde autem videtur illa definitio non conuenire primæ causę efficienti secundum primam ac potissimam efficientiam eius, quę est per creationem: quia creatio non est mutatio. Ad prio- A rem partem dicendum est, illam particulam, *vnde primò incipit motus*, non esse intelligendam de primo principio simpliciter, id est, omnino independente, & quod nullã habeat priorem causam, alioqui, vt argumentum cõcludit, tantùm primo motori seu efficienti definitio conueniret: sed intelligendam esse de primo principio in tali ordine, aut genere causãdi. Vnde causa secunda dicitur primum principiũ, vnde est motus, quia in genere causæ proximæ ab illa primò oritur motus: & ita Aristoteles ponit exẽplum in patre respectu filij. Aliqui verò existimant cum Alexandro Aphrodisæo, per illam particulam excludi causas instrumentales, quia non sunt propriè causæ. Sed cùm Aristoteles ponat exemplum in causa consiliante, quæ videtur magis impropria, & vniuersaliter concludat, omni efficienti vel transmutanti cõuenire definitionem, potiùs dicendum videtur omnes modos causarum efficientium comprehendisse, vt Scotus notauit: & vnamquamque Scotus. causam in suo ordine habere rationem principij, à quo primùm est actio, vel vt à principali principio, vel vt ab instrumentali, vel vt à perficiente, & exequente, vel vt à consulente, aut adiuuante. Illa ergo particula *primò* solùm addita est, vel ad excludendas causas omnino per accidens, quæ nullo modo propriè influunt in actionem: vel ad denotandum proprium modum causandi efficientis causæ, & distinguendam illam à materiali & formali, quæ non ita sunt primæ, sicut efficiens, vt suprà declaratum est. Ad posteriorem partem, si Aristotelis mentem inspiciamus, videtur quidẽ solùm definiuisse causam efficientem naturalem, quæ semper agit per motũ, vel mutationem: in secundo enim Physicorum tantùm de causis naturalibus Aristoteles disputabat, & tamen in 5. Metaph. nihil omnino addidit aut definitioni, aut doctrinæ de causa efficienti. Vtroq; tamen loco insinuauit, seruata proportione, posse definitionem extendi ad omnem efficientem causam. Vnde ponens exempla, dixit: *Vt is qui consulit, & pater filij, & vno nomine id quod efficit, eius quod fit, & quod immutat, eius quod immutatur*. Si ergo loco illius vocis *mutationis*, vel *quietis* ponamus vocem *actionis*, comprehendet definitio omnem efficientem causam, etiam primam vt creantem, quia, vt infrà videbimus, C etiam creatio actio est, quamuis non sit mutatio.

V. Qualiter in illa non sit inclusum definitum.

Nascitur verò inde alia difficultas, quia videtur hoc modo definitum poni quodam modo in definitione: erit enim causa efficiens, iuxta expositionem datam, principium per se, à quo primò est actio: æquè autem obscurum est, quid sit actio: imò ferè est idem, & eadem expositione indiget, nam actio, & effectio idem sunt: vnde efficiens vel agens, ab actione dicitur, definire ergo efficiens per actionem, est idem per idem, vel obscurum per obscurius declarare. Adde, causam per effectum definiendam esse, cùm sint correlatiua: actionem autem non esse effectum causæ efficientis, sed rationem causandi; vt infrà dicam. Dicendum tamen est, cùm actio comparetur ad agens per modum formæ, non malè rationem agentis per ordinem ad actionem declarari: at Aristoteles vlus est nomine *mutationis*, quia nobis est notior, vt per illam intelligamus, in vnaquaq; re emanationem seu dependentiam ab illo principio, à quo esse recipit. Vnde, quamuis propria ratio actionis, & distinctio eius ab agente & ab effectu, obscurior sit, vt posteà videbimus, in præsenti tamen satis est per actionem intelligere emanationem ac dependentiam effectus à sua causa extrinseca, à qua esse

esse recipit: nam hoc modo, confusè & generatim A loquendo, notissimum est dari in effectu dependentiam, seu emanationem à suo principio, quidquid illa dependentia, vel emanatio sit.

VI. Quocirca quamuis actio non sit effectus agentis, tamen quia est via ad effectum, seu dependentia effectus ab agente, satis in ipsa actione comprehenditur, vel indicatur effectus. Perinde enim est dicere efficientem causam esse primum principium, vnde est actio, ac dicere, vnde est effectus, media actione, seu, esse principium, à quo effectus profluit seu pendet per actionem. In quo rectè etiam significatur differentia inter hanc causam & alias, nam materia & forma, per se loquendo, non causant, media actione, sed per formalem & intrinsecam vnionem: finis verò solùm causat per Metaphoricam motionem, quatenus finis est: at efficiens causat per propriam actionem ab illo dimanantem. Et in hoc etiam includitur, hanc causam non dare effectui suum ac proprium formale esse, sed aliud ab eo manans, media actione, in quo differt hæc causa à formali & materiali, quod hæ causant suum effectum B dando illi suam propriam entitatem, & ideò causæ intrinsecæ appellantur: causa verò efficiens est extrinseca, id est, non communicans effectui suum proprium, & (vt ita dicam) indiuiduum esse, sed aliud realiter profluens & manans à tali causa, media actione. Ex his ergo satis constat tum definitio Aristotelis, tum res ipsa, quid videlicet causa efficiens sit; & in quo ab aliis generibus causarum distinguatur: quæ omnia exactiùs intelligentur, declarando singula, quæ ad hanc causalitatem concurrunt, ac necessaria sunt.

SECTIO II.

Quotuplex sit causa efficiens.

1 QVoniam hoc nomen *causæ efficientis* latissimè patet, & impropriissimè, ac per imperfectam quandam Analogiam multis rebus tribuitur, aliis verò licet tribuatur propriè, tamen secundum varios causandi modos: ideò priusquam vlterius procedamus, necesse est varias huius causæ diuisiones præmittere, ad quas intelligendas opus est præ oculis habere definitionem datam: nam iuxta diuersum modum participandi illam, erit differentia in causis.

Causa per se efficiens, & per accidens.

II. PRima ergo diuisio causæ efficientis constituit potest in per se, & per accidens: quam tradidit Aristoteles in citatis locis. Causa per se est illa, à qua directè pendet effectus secundum illud proprium esse quod habet, in quantum effectus est: quomodo (ait Aristoteles) statuarius est causa statuæ, & quia hæc sola est propriè & simpliciter causa, ferè de sola illa futura est tota disputatio sequens. Causa autem per accidens, cùm non sit vera causa, sed per quandam habitudinem vel similitudinem, aut coniunctionem cum causa sic appelletur, nõ potest cõmodè vna communi descriptione definiri, sed variis modis dicitur. Aliquando enim dicitur causa per accidens ex parte causæ, aliquando verò ex parte effectus. Ex parte causæ id dicitur per accidens causare, quod per accidens coniunctum est principio per

Varij modi causarum per accidens.

A se causandi, quod interdum est ipsum subiectũ formæ, quæ est principium agendi, & hoc modo aqua dicitur calefacere per accidens, quia accidit aquæ q̃ sit calida, & consequenter, quod calefaciat, *Et hoc modo* (ait Aristoteles) *Polycletus est causa statuæ*. Interdum verò est alia forma per accidens alteri coniuncta in eodem subiecto, per accidens (inquam) quod attinet ad vim efficiendi, quidquid fit, an alia ratione necessariò coniungantur. Et hoc modo musicus per accidens scribit, & album calefacit, &c. Addit verò Aristoteles hunc posteriorem modum esse magis impropriũ seu magis remotum, quàm priorem: quia forma concomitans nihil omnino confert ad effectum alterius subiecti. Subiectum autem formæ, cùm saltem ipsam formam in se sustineat, aliquid conferre videtur. Addit præterea, posse has causas per accidẽs tam in particulari, quam in communi, id est, in specie seu genere, assignari: vt *hoc album*, aut *album calefacit*. Item, posse simpliciter vel compositè explicari, vt *musicus ædificat*, vel *Polycletus musicus ædificat*. Sed hęc magis pertinent ad modum prædicandi, quam causandi: & cùm sint per accidens, in infinitum possunt multiplicari iuxta varios modos concipiendi & loquendi.

III. Dubiolo satisfit.

Solùm potest quis dubitare, cùm actiones per se sint suppositorum, cur dicat Aristoteles actionem per accidens tribui supposito formæ. Respondeo primùm actionem per se esse à supposito, quatenus affectum est tali forma, non verò necessariò secundum se: & ita calidum per se calefacit, nõ verò aqua. Addo verò deinde, tunc actionem per accidens tribui supposito, quãdo vis agendi per accidens etiam illi inest, vt in exemplo dicto, quia tunc in ipso supposito nudè sumpto, nullo modo continetur vis agendi, & ita omnino per accidens illi coniungitur actio: at verò si vis agendi per se insit supposito, etiamsi suppositum ipsum nudè proferatur, non dicetur causa per accidens, sed per se actionis, & ita censeo has esse per se; *Sol illuminat, ignis calefacit*, iuxta quartum modum dicendi per se ex 1. Posterior. c. 4. quia ignis radicaliter, & virtute includit propriam rationem calefaciendi. Dices, ergo hæc est per se: *homo facit statuam*, quod est contra Aristotelem. Respondent aliqui illam propositionem non esse per se, quia non est necessaria, sed contingens. Ad hoc C nihil refert ad causalitatem per se, seu (quod idẽ est) ad quartũ modum dicendi per se: nam etiã hæ propositiones non sunt necessariæ: *Musicus canit, calidum calefacit*: & tamen sunt per se quarto modo. Vnde, quod ad causalitatem attinet, ego cẽseo has esse per se; *Animal se mouet: homo ratiocinatur, loquitur*, &c. illa verò: *Homo facit statuam*, magis est per accidens, quia etsi ars illa non possit esse nisi in homine (intelligentias omitto) tamen simpliciter accidit homini, vnde homo simpliciter dictus non includit artem illam, nisi in potentia valde remota.

IIII. Causa per accidens ex parte effectus, quæ.

Solet etiam interdum assignari causa per accidens ex parte effectus, id est respectu eius, quod accidit effectui per se, atq; hoc modo ipsamet causa per se alicuius effectus, est causa per accidens eius, quod coniũgitur effectui per se, quomodo motus est causa caloris, aut calidum causa nigri. Hoc etiam modo ea quæ casu, vel fortuitò eueniunt, dicuntur habere causam per accidens, vt quòd fodiens quis inueniat thesaurum. Est autem in hoc genere causarum per accidens aduertendum primò, interdum effectum appellari per accidens respectu concursus aliquarum causarum, quamuis, supposito illo concursu,

Universidad de Deusto
Biblioteca

talis effectus per se manet à tali causa, vt v.g. quod cadente lapide contingat Petrum illac incedere, accidentarium est: tamen, supposito illo concursu, q lapis sua vi percutiat, & tale vulnus efficiat, effectus est per se proueniens à tali vi actiua lapidis: & ideò tunc non dicetur lapis causa per accidens illius effectus, nisi respectu illius concursus, vel etiam respectu intentionis mouentis. Sed de his effectibus hoc modo per accidens dicemus inferiùs plura, tractando de casu & fortuna. Rursus est aduertendum, quando effectus dicitur per accidens, eò quod coniungitur effectui per se, dupliciter dici posse per accidens. Vno modo respectu solius intentionis agentis: alio modo etiam respectu ipsius actionis, & connexionis vnius effectus cum alio. Contingit enim vnum effectum, nõ solùm esse præter intentionem agentis, sed etiam nullo modo esse connexum cum actione eius, vt quòd fodiens terram, inueniat thesaurum. Et tunc est propriissimè causa & effectus per accidens. Interdum verò vnus effectus ex natura rei est connexus cum alio, quamuis sit præter intentionem agentis, vt v.g. corruptio vnius ex natura rei necessariò coniuncta est cum generatione alterius, est tamen præter intentionem agentis naturalis: & hac ratione solet etiam dici effectus per accidens, non tamen ita propriè & simpliciter, sicut prior: nam, quatenus est necessariò connexus, est aliquo modo per se. Cuius signum est, quòd de illo esse potest scientia & demonstratio. Imò, quatenus in genere dispositionis priuatio formę cõtrariæ, est quasi medium necessarium ad introducendam aliã formam, dici potest ille effectus non esse omnino præter intentionem agentis: quia licet non sit propter se intentus, est tamen aliquo modo intentus propter principalem finem, & ideò, quod ad præsens attinet, non computamus huiusmodi effectus inter eos qui sunt à causa per accidens. Vnde omnes qui huiusmodi sunt, vel consistunt magis in figura prædicationis, quàm in causalitate, vt cùm dicitur: *Medicus sanat musicum*: cuiusmodi ferè sunt omnia exempla posita in priori mẽbro: vel certè reducuntur ad casum & fortunam, de quibus infrà.

V. Conditiones requisitæ ad agendum, an sint causæ per accidens.

Præter hos duos modos solent etiam inter causas per accidens numerari conditiones quædam necessariæ ad agendum, quæ per se non influunt in effectum vel actionem: vt est propinquitas agentis ad passum, ablatio alicuius impedimenti, & quælibet alia similis, quæ vocari solet conditio sine qua non. Veruntamen hęc licet sit per accidens respectu propriæ & directæ causalitatis, tamen quoad Physicam necessitatem, & quatenus sub scientiam cadere potest, est quodammodo per se, & ideò de his conditionib. necessariò requisitis peculiariter inferiùs dicendum erit. Solùm aduerto, quoniam huiusmodi conditio sine qua non cum principio per se actionis in eo conuenit, quod est ex necessitate requisita, interdum non esse facilè ad discernendum, vtro modo aliqua dispositio seu proprietas rei concurrat ad actionem, an scilicet vt principium per se, an solùm vt conditio sine qua non. Et ideò aliquando id cognosci potest ex generali ratione, aut modo talis proprietatis, vt facilè intelligimus, propinquitatem esse tantùm conditionem, quia solùm est aut relatio aut modus præsentiæ, quæ ex suo genere non sunt actiua: & eodem modo ratiocinamur, figuram aut densitatem non esse principia per se actionum, sed ad summum esse conditiones requisitas ad aliquas actiones, vel ad velocitatem & modum earum. Aliquando verò, id est obscurius, & ex speciali aliquâ ratione eius rei, de qua est quęstio, id venandum est, vt accidit in illa vulgari quæstione, an cognitio obiecti sit solùm conditio necessaria, vt appetitus efficiat suum motum, vel sit etiã principium per se coefficiés: vix enim potest certa ratione alterutra pars definiri, & ideò peculiaribus coniecturis ex propria materia sumptis vtendum est. Duo tamen hic generatim aduertenda occurrunt. Vnum est, quandocunq; experimento constat, aliquam proprietatem esse necessariã ad actionem, & aliunde non põt sufficiens ratio illius necessitatis reddi, nisi ex propria & per se causalitate, tunc non esse confugiendum ad conditionem sine qua non, sed illud esse sufficiens signum alicuius efficientiæ per se: cuius optimũ exemplum est in necessitate speciei impressæ ad videndum, quæ nulla sufficiens intelligi potest, nisi posita efficientia per se: & ideò non rectè dicetur illa esse conditio sine qua non. At verò, quando sine efficientia per se, reddi potest sufficiens ratio necessitatis talis conditionis, facilè intelligi poterit, illam tantùm esse conditionem sine qua non, maximè si aliunde est in causa alia virtus satis proportionata, vt intelligatur esse sufficiens ad influẽdam actionem: & fortasse ita contingit in dicto exemplo de cognitione ad appetitum elicitum requisita, de quo alias: & hactenus de prima diuisione.

Causa Physica & moralis.

VI. Quid hic nomine causæ physicæ.

SEcũdò diuidi potest causa efficiens in Physicam & moralem. Causa Physica hoc loco nõ sumitur pro causa corporali seu naturali, agente per motum corporeum & materialem, sed vniuersaliùs sumitur pro causa verè ac realiter influente in effectum: nam sicut dicebamus superiùs naturã interdum significare quamcunq; essentiam, ita influxus Physicus aliquãdo vocatur ille, qui fit per veram causalitatem realem, propriam ac per se: & hoc modo & Deus est causa Physica, dum creat: & angelus, dum efficit motum, vel in cœlo, vel etiam in se ipso: & intellectus, dum efficit intellectionem, & voluntas volitionem & sic de cæteris. Causa verò moraliter efficiens dupliciter dici potest. Aliquãdo etiã dicitur causa moralis, solũ quia liberè efficit: & hoc modo causa moralis, non omnino condistinguitur à Physica generatim sumpta, vt à nobis explicata est, sed distinguetur à Physica naturaliter ac necessariò agente: sic.n. voluntas, dum liberè amat, vera & Physica causa est sui amoris, quem tamen moraliter seu liberè efficit. Alioverò modo sumitur causa moralis, vt distinguitur omnino à Physica, & dicitur de illa causa, quæ per se non verè efficit, moraliter tamen ita se gerit, vt ei imputetur effectus: quomodo causa consulens aut rogans, aut nõ impediens cùm possit ac debeat, dicitur causa moralis. Atque hoc posteriori modo nunc sumimus moralem causam, ita vt causa Physica dicatur quæ verè efficit; moralis, quæ tantùm imputatiuè. Quo fit vt, Physicè, seu Metaphysicè hæc considerando, diuisio hæc reuocetur ad priorem de causa per se, & per accidens: nam causa verè efficiens Physicè, solùm dicitur de causa per se: causa autem, quæ moraliter tantùm seu imputatiuè causat, physicè considerata, tantùm est causa per accidens, cùm per se ac verè non influat. Vnde semper est aut causa non impediens, cùm possit, ac debeat, aut causa applicãs causam per se, vel inducens illam, siue per cõsilium, siue per preces, siue per modum meriti, siue interdum etiam per localem motum, vt cùm quis applicat ignem domui: nam licet sit causa per se physica illius motus, combustionis tamẽ solùm est causa per accidens. Hæc verò causalitas, quæ physicè est per accidens, moraliter & imputatiuè reputatur per se. De causa ergo morali hoc modo sumpta, nihil amplius à nobis dicendum est, quia quatenus est per accidens physicè, non cadit sub scientiam, quatenus verò est per se in genere moris, ad scientiam moralem spectat eius consideratio, non ad Metaphysicã.

Causa mor. lis quæ in propositio.

Duplex modus agendi causæ physicæ.

Causa autem physica ac vera duplicem potest habere agendi modum: scilicet vel naturaliter, vel liberè, seu necessariò, vel contingenter: & de his duobus modis agendi dicemus inferiùs, quia maximè pertinent ad explicandas tum perfectiones & naturas diuersarum causarum, tum etiam seriem & connexionem effectuum vniuersi, & modum influendi seu concurrendi primæ causæ cum secundis: de moralitate autem, quæ actibus liberis conuenit, quatenus liberi sunt, non spectat consideratio ad præsentem scientiam, sed ad moralem Philosophiam, vel potiùs ad diuinam Theologiam.

De causa principali & instrumentali prima expositio.

VII.

TErtiò diuiditur causa efficiens vera ac propria in principalem & instrumentalem: quorum verborum vsus solet esse valde ambiguus & equiuocus: quare diligenter explicanda est eorum significatio. Causa principalis dici solet ea, cui propriè & simpliciter attribuitur actio. Verùm hęc descriptio non satis rem declarat: primò quidem, quia forma rei, vt anima v.g. est aliquo modo causa, & non instrumẽtalis, vt constat: ergo, si diuisio illa est adæquata, continetur sub causa principali: & tamen illi propriè non tribuitur actio, quia anima, vt Aristoteles dixit, propriè non net: ergo illa descriptio non conuenit omni causæ principali. Hæc enim causa principalis, vt ratio facta declarat, alia est quæ operatur: alia, quæ est principium principale operandi, quæ solent dici *causa principalis vt quod, & vt quo*: descriptio autem data conuenit ad summum priori causæ, non verò posteriori. Imò vlteriùs obiici potest, quòd non omni causæ vt quod, conueniat illa descriptio, sed soli causæ proximæ, & particulari, non verò vniuersali & primæ. Vt enim inferiùs constabit, causa efficiens principalis in primam & secundam, seu proximam & vniuersalem diuiditur, & vtraque est causa principalis, imò principalior est prima quàm secunda, & tamen simpliciter & propriè non attribuitur effectus primę, sed secundæ: cùm enim homo ambulat, videt, aut intelligit, non dicitur Deus ambulare, videre, aut intelligere, quamuis principaliùs efficiat motus illos quàm homo. Sed hæc obiectio non multum vrget, nam re vera possunt effectus causarum secundarum propriè & verè attribui primæ, quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*. Vnde licet terra germinet herbam virentẽ, Deo tamẽ tribuitur quòd *producat fœnum tumentis, & herbã seruituti hominis*: & quòd formet fœtum in vtero, ac denique quod omnia opera nostra operetur, vt inferiùs latiùs dicemus. Quòd ergo illæ denominationes videndi &c. non tribuantur Deo, ideò est, quia non sunt desumptæ ex pura efficientia, sed magis ex informatione & receptione motus aut actus effecti. Non enim dicitur videre qui vtcunq; facit visionem, sed qui ita facit vt ea informetur, imò ab hac posteriori habitudine præcipuè sumitur illa denominatio, adeò vt si illa manere posset sine efficientia, vel saltem sine efficientia principali, ad illam denominationem sufficeret. Igitur nõ est dubium quin effectus quoad puram efficientiam omni principali causę operanti vt quòd, verè ac propriè attribui possit.

VIII. Agentis absoluta denominatio an instrumento tribuatur.

Maiorem difficultatem ingerit, quia non videtur hoc proprium causæ principalis, nam interdum attribuitur instrumentali, vt patet exemplis Theologicis, homo enim dicitur confecrare, absoluere, &c. quamuis solùm instrumentaliter hoc faciat: & in physicis semen dicitur propriè disponere materiam, & mediante illa dispositione generationem efficere. Et ratio esse videtur, quia illa denominatio propriè tribuitur supposito operanti: & ideò, si contingat instrumentum esse suppositum aliquo modo per se operans, illi etiam potest attribui actio. Etenim si aqua propriè & simpliciter dicitur calefacere, etiamsi tantùm sit causa per accidens, solùm quia est suppositum sustentans principium calefaciendi, quid mirum quod homini vel alteri supposito tribuatur actio, etiamsi solam vim instrumentalem operandi habeat? Sed ad hoc dici potest hanc denominationem nunquam attribui causæ nisi ratione alicuius principalitatis (vt sic dicam) quam in tali operatione habet; vt homini attribuitur quòd consecret, vel absoluat, &c. quia in exercendis actionibus externis, per quas illi effectus fiunt, operatur vt causa principalis, & quia illa eadem operatur vt dominus suarum actionum. Semen autem non dicitur propriè generare, nec etiam propriè organizare, aut disponere materiam, nisi in quantum propria virtute potest aliquid præuium efficere, in quo se gerit vt agens principale. Denique aqua non dicitur per se calefacere, sed per accidens, & ideò non est ad rem, quia hic agimus de attributione per se. Et illa eadem denominatio per accidens, fundamentum habet in eo, quòd aqua in ratione subsistentis, & sustentantis principium calefaciendi se gerit vt principale operans. Sic igitur, simpliciter loquendo, proprium est principalis causæ, quòd ei tribuantur actio & effectus. Et posset hoc cum proportione accommodari agenti quod, & principio agendi quo, illi vt operanti, huic vt principali rationi operandi. Et addi etiam potest, causam principalem absolutè dici de causa operante vt quod, de principio autem non nisi reductiuè, & secũdum quid: ideoq; satis esse vt illi eodem modo accommodetur descriptio. In hunc ergo modum sustineri potest illa definitio, quamuis in ea nõ explicetur propria ratio ob quam causæ principali simpliciter tribuitur effectus, cùm tamen in eo consistere videatur propria ratio causæ principalis.

Secundus modus.

IX.

ALiter ergo dici solet causa principalis illa, quæ propria virtute influit in effectum: vel aliter, quæ sufficiente virtute influit: seu quæ cum concursu sibi debito sufficiens est ad producendum effectum. Nullo tamen ex his modis videtur sufficienter declarari propria & adæquata ratio huius causæ. Nam propria virtute influere in effectum non solùm principali causæ conuenit, sed etiam instrumẽtali, præsertim in naturalib. instrumentis quidquid sit de aliis. Calor enim naturalis, qui est instrumentum ad conuertendum alimentum in substantiam aliti, naturalem & innatam vim habet ad illam actionem: & similiter calor ignis, si est naturale instrumẽtum ad introducendam formam substãtialem ignis

Universidad de Deusto
Biblioteca

propriam & insitam virtutem habet ad illam actionem instrumentariam. Neq; enim sine virtute proportionata agere potest, neque illam habet extrinsecam aut aduentitiam: ergo innatam & propriam. Quod si dicatur habere quidem virtutem, esse tamē instrumentariam, hoc est quod inquirimus, nempe quid illi desit ad rationem principalis principij, cum ostensum sit propria virtute operari. Neque enim necessarium videtur quod secundo loco adiiciebatur de virtute sufficiente. Primò quidem, quia sicut solus calor non sufficit ad introducendam formam ignis, ita neque sola forma sine calore: ergo eadem ratione forma non erit principium sufficiens. Deinde quia causa principalis diuidenda est vlteriùs in totalem & partialem, & vtraque distinguitur ab instrumentali: causa autem partialis non operatur virtute sufficienti: ergo non rectè in hoc separatur ab instrumentali. Prætereà cùm virtus causæ principalis dicitur debere esse sufficiens, aut intelligitur de sufficiētia in omni genere aut ordine causæ efficientis: & hoc est falsum, aliàs nulla causa secunda esset principalis, quia nulla est absolutè sufficiens. Imo nec causa prima quando concurreret cum secunda, ageret vt causa principalis quia tunc nō operatur vt per se sola sufficiēs. Si verò intelligatur de sufficientia in suo genere, etiā causa instrumētalis est in suo ordine sufficiens: ergo per hoc non satis declaratur propria ratio causę principalis. Deniq; quod additur de concursu debito, nihil amplius rem declarat, tū quia necessitas concursus non conuenit omni causæ principali, sed tantū secundę, tum etiā quia concursus non tātum debetur causæ principali, sed etiā instrumentariæ, calori enim debetur concursus & ad calefaciēdum, & ad producendum ignem, si sit sufficiens calor: nullo ergo ex his modis videt satis declarari ratio causę principalis, & ab instrumentaria distingui.

Tertius modus.

X. PRopter hęc potest esse alius dicendi modus, causam principalem eā esse, quę proximè & per proprium influxum influit in effectum, seu in formam constituentem effectum. Quæ sententia meliùs declaratur, adiungendo simul rationem instrumentalis causæ, & vtriusque differentiam. Causa enim instrumentalis erit illa, quæ sua actione non attingit immediatè effectum seu formam, sed aliquid præuium, ex quo talis forma resultat, quàm proximè & in se instrumentum non attingit. Vnde fit, vt omnis causa instrumentalis sit principalis respectu alicuius effectus, illius nimirum, quem proximè & per se attingit: instrumentalis verò sit respectu alterius, qui inde resultat. Exemplis declaratur primò in artificialibus, nam serra, v.g. est instrumentum ad tale artificium faciendum, quod instrumentum proximè solùm efficit incisionem, impellendo, & loco mouendo partes intermedias, & ad hunc effectum potiùs comparatur vt causa principalis: inde verò resultat forma artificialis, ad quam comparatur vt instrumentalis causa, quia illam non attingit immediatè propria actione, sed solùm resultat ex priori effectu. Deinde in naturalibus calor ignis est instrumentum ad formam ignis, quia immediatè attingit calorem, respectu cuius se habet vt causa principalis, inde verò resultat forma substantialis, quàm immediatè non attingit, iuxta probabilem sententiam Scoti, & aliorum. Denique in supernaturalibus, iuxta Paludani, Capreoli, & aliorum opinionem, sacramenta dicuntur instrumenta gratiæ, quia nō ipsam sed aliquid præuium ad ipsam attingunt. Vnde non immeritò hic modus dicēdi tribui potest his authoribus in secundo & tertio exemplo citatis, quib. non parum fauere videtur D. Tho. 1. p. q. 45. art. 5. dicens, quòd causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquid sibi propriū dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis. Et ratio reddi potest, quia concursus instrumenti semper est imperfectus, & ideò non pertinet ad ipsum vt immediatè attingat inductionem eius formæ, ad quam est instrumentum, sed solùm vt ad ipsam efficiendo præparet. Vnde è conuerso omnis causa quę immediatè attingit formam, erit principalis & non instrumentalis. XI.

Hæc verò sententia probari non potest, quia in primis falsum est causam instrumentalem vt instrumentalem, nunquam attingere immediatè & in se formam intentam à principali agente: quod patet primò contraria inductione. Nam in supernaturalibus sacramenta sunt instrumenta ad efficiendam gratiam, ipsam in se attingendo: & similiter Christus per actiones suæ humanitatis attingebat immediatè opera supernaturalia, de quibus dictum est latè in 1. & 3. tom. 3. partis. Rursus in naturalibus probabilius est, accidentia vt instrumenta substantiarum attingere immediatè eductionem formæ substātialis. Est etiā probabilis opinio phantasma instrumentaliter attingere productionem speciei intelligibilis, & tamen non attingit aliquid præuiū, sed immediatè ipsam speciē in se. Deniq; in instrumentis artis aliquādo videtur per formam instrumenti proximè attingi forma effectus, vt cùm sigillo imprimitur cera, aut monetę similis figura, quamuis tunc etiam re vera non per se fiat figura, sed vbi, quidquid Scotus infrà citandus significet. Igitur generaliùs dicitur, verum quidem esse, hæc instrumenta per se non attingere figuram seu formam artificialem, tamen id non est, quia instrumentaliter concurrunt, sed quia illa forma non est aliter per se producibilis. Vnde neque ipsum agens principale illam aliter inducit: nam per se solùm facit terminum localem motionis, qui est aliquod vbi, & quia illam motionem efficit certo modo & ordine, inde resultat talis figura: ergo in ea actione non possunt agens principale & instrumentale distingui in attingendo mediatè vel immediatè. Imò, si consideremus terminū per se productum, qui est vbi, immediatiùs videtur instrumentum illum attingere, quia pictor non mouet colorem, nisi medio penicillo, & sic de aliis. Vltima verò forma seu figura non alia actione per se attingitur, sed ex priori termino resultat. XII.

Instrumenta attingunt formam intentam ab agente principali.

Præterea declaratur ratione, quia tribus modis intelligi potest instrumentum concurrere ad effectum principalis agentis; scilicet vel tantū remotè, attingendo scilicet aliquid præuium; vel tantū proximè, nempe attingendo immediatè formam intentam à principali agente, vel simul vtroq; modo: sed ratio instrumenti nō limitatur ad priorem modum, esto interdum ita possit concurrere: ergo non rectè in eo modo attingendi, distinguitur instrumentale agens à principali. Minor satis declarata est exemplis adductis. Et ratio reddi potest, quia etsi instrumētalis cōcursus sit inferioris rationis, tamen quia instrumentū non attingit per se solū, sed vt adiutū & confortatū à principali agente, ideò nulla est repugnantia, q; instrumentū immediatè attingat effectū principalis agentis. Vnde D. Th. 3. p. q. 77. art. 3. ad 3. & q. 79. art. 2. ad 3. dicit: *Nihil prohibet causam instrumētalem producere*

producere potiorem effectum, & vltra suam speciem. Ex qua ratione solutū manet fundamentum contrariæ sententiæ: neq; D. Tho. in alio loco nobis repugnat, sed potiùs huic sententiæ fauet: non enim ait instrumētum tantùm dispositiuè concurrere ad effectū principalis agentis, sed nō participare actionem principalis agētis, nisi media actione propria. Vnde Thomistæ colligunt, omne instrumentum duas habere actiones: vnam qua agit aliquid proprium, in qua nō completè exercet officium instrumenti, aliā propriè instrumentalem, qua immediatè influit in effectum principalis agentis. Quas actiones semper esse realiter distinctas contendit Ferrarien. 2. cont. Gent. c. 21. Caiet. verò 1. p. q. 45. art. 5. rectiùs dicit hoc non esse necessarium, nam interdū est vnica tantū actio, in qua secundum rationem vel accommodationem distinguimus aliquid, q; instrumentum ex propriis potest attingere, & aliquid quod attingit vt instrumentum. Ambo autem conueniunt in hoc, quod ad rem præsentem spectat, nempe instrumentum vt tale est, & per actionem quam vt instrumentum exercet, attingere immediatè & per se effectum principalis agentis, quātum attingibilis est, seu per se producibilis. Et re vera vix aliter saluatur ratio instrumenti naturalis, nisi impropriè & per denominationem extrinsecam, vt inferiùs declarabo. Et in hanc sententiam inclinat etiam Scotus in 4. d. 1. q. 1. Ferrar. Caietan.

Quarta expositio causæ principalis, & instrumentalis.

XIII. QVartus modus dicendi esse potest, instrumentalem causam eam esse quæ solùm agit vt mota ab alio: è contrario vero principalem causam esse quæ per se & sine motione alterius vim habet operandi. Quæ explicatio sumpta videtur ex his quæ in instrumētis artis experimur; illa enim nobis notiora sunt, & in eis non alius est operandi modus. Vnde D. Tho. 2. cont. Gent. c. 21. ratione quarta ait, instrumētum nunquam adhiberi ad causandum aliquid nisi per viam motus, nam de ratione instrumenti est, q; sit mouēs motum: & ratione quinta ait, instrumentum esse medium inter causam principalem & effectum, ita vt efficacia principalis agentis perueniat ad effectum, media motione instrumenti. Ex quo infe- C runt aliqui extremè dissidentes à tertio modo suprà tractato, quando simul concurrunt causa principalis & instrumentalis, immediatiùs attingi effectum ab instrumentali, quàm à principali, immediatiùs (inquam) immediatione (vt aiunt) suppositi, quia principale agens non agit nisi per instrumentū: immediatione autem virtutis dicitur agens principale immediatiùs agere, quia instrumentum nō agit nisi in virtute eius. Atq; hinc confirmatur ratione hæc sententia, nam instrumentum vt sic, non agit nisi in virtute principalis agentis: sed non potest instrumētum niti in operando virtuti principalis agentis, nisi quia ab illa mouetur: ergo ratio instrumentalis causæ rectè explicatur per hoc quod est agere vt motā ab alio: & consequenter causa principalis erit, quæ ad agendum non indiget motione alterius.

XIIII. An quis motionem vendicet sibi instrumentum à principali causa.

Sed neq; hæc sententia plenè rem declarat, aut satisfacit. Cùm. n. dicitur instrumentum agere vt motum ab alio, duob. modis intelligi potest. Vno modo de motu vel mutatione reali recepta in ipso instrumēto. & præuia ad actionē eius: & hoc modo intelligit illā propositionem Ferrar. 2. cōt. Gent. c. 21. Non tamen potest in eo sensu propositio esse vniuersaliter vera, imò vix inuenitur vera, nisi in instrumentis B artis, quæ per motum localem applicantur ad operādum: in instrumentis autem naturę, minimè: nā si phantasma est instrumentum, quam actionem in se priùs recipit vt agat? Nunquid recipit in se aliquod spirituale lumen? At id fictitium est, & subiecto materiali planè repugnans. Item, calor ignis est instrumentum eius ad generandum ignem, & calor vitalis, vel potentia nutritiua ad producendam carnem, in quibus nulla vera motio antecedens excogitari potest. Item, semen dicitur instrumentum generantis, quod postquam decisum est, nullam nouam motionem à principali agente recipit. Omitto super naturalia instrumenta, de quibus latè dixi in 3. p. q. 13. & 62. Addo deinde, non omnia quæ mouēt mota, agere vt instrumenta, propriè & in rigore, sed vt agentia principalia, saltem partialia. Nam quędam non alterant nisi alterata, vt piper nō calefacit, nisi calefactū: & tamen nō calefacit solùm per virtutē receptā, sed etiā per propriā & innatā, quę est virtus eminens ad calefaciendū; vnde in eo se gerit vt principale agens. Item, nō mouet homo baculū, nisi mouendo manū. Quāuis aūt hac ratione soleat dici manus instrumē- B tum, vel potiùs instrumentū instrumentorū, seu instrumentū ante instrumēta, vt Aristoteles dixit 4. de partib. anim. c. 10. tamen re vera est partiale mouens principale, nam in se habet partialē virtutē trahendi aut impellēdi aut subleuādi. Vnde in his sępè motio vni' rei solū est cōditio necessaria ad trahendū vel impellendum aliam, q; nō satis est ad tollendam rationem principalis agentis, & inducendam propriā rationem instrumenti. Imò & cœlum (vt multi volūt) non mouet nisi motum, & tamen non mouet vt instrumentum, de quo inferiùs. Itaq; ex ratione vel cōditione mouētis moti per realem mutationem in se receptam, non rectè distinguitur instrumētalis causa à principali, quia neq; omnia instrumēta ita mouentur ad agendum, & ferè eo modo quo contingit aliqua instrumenta moueri, contingit etiam moueri aliquas causas principales. Cuius signum est, quòd instrumenta artis etiam ad id agendum, quod ex propria virtute possunt, indigent aliquo motu, & per artem solùm fit, vt ille motus ordinatè fiat.

Alio ergo sensu potest dici instrumētum agere vt motum ab alio, id est vt subordinatum alteri, vel vt habēs vicem illius, vel etiam vt adiutum à principali agente, iuxta varia genera instrumentorum inferiùs declarāda. Et in hoc sensu est quidem verum, omne instrumentū agere vt motū ab alio (si tamē ita loqui licet) tamen hoc non est proprīū instrumenti strictè sumpti, prout nūc de illo agimus, & à principali causa illud distinguimus, quin potiùs commune est omni inferiori principio agendi, omniq; causę prętер primam. Nam in primis, omnes causæ secundæ agūt motæ à prima, id est cum concursu & auxilio primæ, vt infrà declarabimus: & tamen non sunt propriè instrumenta, sed causæ principales in suo genere. Scio nonnullos ex antiquis authoribus vocare aliquando causas secūdas instrumenta primæ, vt patet apud D. Thom. q. 3. de potent. artic. 7. vbi ita concludit: *Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis.* Idem sumitur ex 1 p. q. 105. articul. 5. Et eodem modo loquitur Damascen. in sua Physica, cap. 9. vbi ait illud esse dogma Platonis, quem in hoc censet præferendum esse Aristoteli. Idem Simplicius 1, Physic. text. 29. Vnde Scotus in 4. d. 1. q. 1. 5. *Ad quæstionem ergo.* ait dupliciter dici posse causā principaliter operari. Primò principaliter, id est independenter, & sic causas secundas

XV. Creaturæ negandæ Deī instrumēta. D. Thom. Damasc. Plato. Simplic. Scotus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

secundas non esse principales, sed instrumẽtales. Secũdò principaliter, id est per formã propriam & intrinsecã: & hoc modo ait causas secundas esse principales. In quo licet non satis explicet rationem causæ principalis, verè tamẽ dicit causas secũdas esse principales, & in doctrina Aristotelis certum est ita esse appellandas, vt ex 2. Phys. & 5. Metaph. in locis citatis sumitur. Et ex ipsa vocis proprietate constat non esse idem principaliter & independenter operari: vt ergo causa sit principalis, non oportet vt sit omnino indepẽdens. Et è conuerso, quòd causa sit dependẽs & indigens auxilio alterius superioris, non satis est vt sit causa instrumentalis. Prętereà, intellectus non censetur communiter instrumentum, sed principale principium suorum actuum naturalium, neque voluntas, & aliæ similes facultates, quamuis in agendo sint subordinatæ suis formis. Verũ est, has omnes facultates, imò & accidentia omnia, vocari ab aliquibus instrumenta, & rectè quidem, si nomine instrumenti intelligant omne principium quo operandi, quòd non est propter se, sed vt aliquod suppositũ eo vtatur: non verò si rigorosè loquamur de instrumẽtali causa & actione: sic enim calor non est propriè instrumentum ad calorem producendum, cùm non excedat effectus perfectionem principij, seu causæ.

Vera ratio instrumentalis & principalis causæ, quæ.

XVI. QVoniam ergo huius rei difficultas magna ex parte pendere videtur ex vsu terminorũ, ideò, ne in æquiuoco laboremus, oportet significationes horũ distinguere. Et incipiendo ab instrumento, seu causa instrumẽtali, vno modo distingui potest à causa principali per Antomosiam, seu omnino indepenInstrumenti acceptiones variæ. denter operante, vt Scotus dixit; & sic facilis est horum membrorum in cõmuni distinctio: sed non ita nunc loquor, quia existimo improprium esse sermonem. Secũdo dici potest causa instrumẽtalis omnis causa, vel virtus quæ alicui datur vt per eã operetur, quomodo etiã forma potest dici instrumentum suppositi, quãuis id non sit in vsu, quia forma cõstituit essentialiter ipsum suppositum: dicitur tamẽ de omni alia virtute superaddita suppositò: imò interdum etiam de partib. integrantib. præsertim organicis, vt de manu & brachio: quomodo Theologi vocant humanitatem Christi coniunctũ Verbi instrumentum, quod propriùs dicitur in ordine ad actiones miraculosas & supernaturales, quàm in ordine ad actiones connaturales humanitati. Atque hoc secundo modo sumptum instrumentum dicitur quęlibet virtus, aut principium agendi, data suppositò operanti, vt per eam operetur, etiamsi talis virtus sit sufficiens, & æquè perfecta, vel etiam nobilior, quã effectus. Causa verò principalis diuisa contra instrumentalem hoc modo sumptã, erit ipsummet suppositum operans, quatenus per se ipsum, vel per suam substantiam, aut per suã formã, vim habet operandi. Alio item modo dicitur instrumentum id quod loco alterius substituitur, vt actionem exequatur, etiamsi contingat tale instrumentũ esse nobilius actione vel effectu, ad quem destinatur, quo modo grauitas dici solet instrumentũ generantis, & impetus instrumẽtũ proiicientis, & sic causa principalis respectiuè opposita huic instrumento, erit illa, cuius vicẽ instrumẽtũ gerit. Et in moralib. est frequentiùs vsitatum hoc genus causis instrumentalis, seu ministerialis.

XVII. Vltimo ac propriissimo modo dicitur causa instrumentalis illa quæ concurrit seu eleuatur ad efficiendum effectum nobiliorem se, seu vltra mensurã propriæ perfectionis & actionis, vt calor quatenus concurrit ad producẽdam carnem, & in vniuersum, accidens quatenus concurrit ad producendam substantiam. Et de hoc genere instrumentorum multi dubitant non solùm in naturalibus, sed etiam in supernaturalibus, loquendo, vt loquimur, de instrumentis verè efficientibus, ac physicè attingentibus ipsos superiores effectus: vt videre licet apud Scotũ, & alios in 4. d. 1. & latiùs attingemus disp. sequenti, tractando de causa efficienti substantiarum. Nos autẽ supponimus in omni ordine rerum dari posse huiusmodi instrumenta, vt de naturalibus ostendemus citato loco, & de supernaturalibus diximus in 3. p. & de artificialibus omnes admittunt: quamuis in illis, vt dixi, forma præcipuè intenta ab artifice non attingatur per se & immediatè ab instrumento, sed resultet: quocunq; tamen modo fiat, excedit aliquo modo vim instrumenti secundum se considerati, & fit ab illo, prout ab arte dirigitur & mouetur. Hoc igitur proprio & rigoroso modo instrumentum sumimus, cùm illud à causa principali distinguimus.

XVIII. Atque ita causa principalis erit illa quę per virtutem principalem, id est vel nobiliorem, vel saltem æquè nobilẽ cum effectu, influit in actionem per quã talis effectus producitur. Quomodo non solũ causa prima, sed etiã secunda, tam vniuoca, quàm æquiuoca, sub nomine & ratione causæ principalis comprehenditur. Nec solùm causæ totali sed etiam partiali cõuenit illa ratio si virtute simili operetur, quia partialis causa propriè dicta dicit habitudinem ad compartialem eiusdem rationis & ordinis, ita vt neutra alteri subordinetur, sed ex vtraq; coalescat vna causa totalis principalis eiusdem ordinis, quæ partialiter est ex talibus causis, & ideò vtraq; est principalis, licet partialis. Et huiusmodi causa principalis rectè dicitur operari propria virtute, non solùm quia habet intrinsecam & innatam illam virtutem agendi, sed etiam quia habet illam per se proportionatã effectui, & non indigentem aliqua eleuatione: & licet interdum indigeat concursu superioris causæ ob generalem rationẽ entis participati, non tamẽ ob specialem improportionem cum effectu; ideoq; solum indiget cõcursu sibi ratione suæ perfectionis debito.

XIX. Instrumentum vt dicitur operari in virtute principalis agentis. Causa verò instrumẽtalis condiuisa principali sic sumptæ, erit illa quæ influit in effectum per virtutẽ inferioris rationis seu perfectionis, vt ratione & exemplis suprà declaratũ est. Et hæc dicitur operari in virtute principalis agentis, non quia non indigeat aliqua virtute intrinseca, id est in ea existẽte, ad suam actionem instrumentalem, siue illa virtus sit innata, siue superaddita rei, & siue sit permanens & durabilis cessante actione, siue sit fluens (vt aiunt) & in motu consistens: in variis enim instrumentis vario modo reperiri potest, aliqua tamen vis instrumentaria necessaria est, aliàs non posset à tali re vlla actio prodire, vt rectè suprà Scotus notauit, & latè declarauimus in 1. tom. 3. p. disput. 31. sect. 6. Dicuntur ergo hæc instrumenta operari in virtute principalis agẽtis, quia illa vis quæ in eis est, improportionata est & insufficiens, & solùm habet vim operandi iuxta mensuram virtutis & eleuationis principalis agentis. Vnde neque ei propriè vel propter se talis concursus aut eleuatio debetur, sed solùm debetur principali agenti, aut rationi illius. Et iuxta hanc interpretationem cessant omnes difficultates tactæ in aliis modis, imò multa quæ in eis dicuntur, excepto tertio modo, ad congruum sensum reducuntur.

Causa

Causa prima & secunda.

XX. ATque ex his facilè intelliguntur aliæ diuisiones causarum efficientium quæ sunt subdiuisiones dictorum membrorum. Quartò enim diuiditur causa efficiens in primam & secundam, vbi, si latè loquamur, diuidi potest causa efficiens in communi, quia omnis causa ab alia pendens, siue sit principalis, siue instrumentalis, potest dici secunda, stricțius tamen loquendo, subdiuiditur ibi causa principalis: nam quædam est omnino indepẽdens in operando, & hæc dicitur prima, alia verò est dependens, etiã si per virtutem principalem & proportionatã operetur: & hęc vocatur causa secunda. Quòd aũt vtrũq; genus causæ in rerum natura detur, euidentissimum est. Aut enim datur in rebus aliqua causa principalis dependens ab alia in operando; & ex hoc mẽbro necessariò infertur alterum, quia non potest in infinitum procedi in causis dependentib. & ideò in aliqua independente sistendum est; quod latiùs prosequemur infrà, demõstrando Deum esse. Admissa autem causa independente, necessariò etiam infertur alterum membrum, quia non possunt omnes causæ esse independentes, imò talis causa non potest esse nisi vnica, vt latiùs demonstrabimus infrà, tractando de actionibus primæ causæ: & in seriùs disputando de vnitate Dei. Et ideò de hac diuisione nihil amplius dicemus, quia circa hæc duo membra futura est ferè tota nostra disputatio de causa efficiente.

Causa vniuoca, & æquiuoca.

XXI. Interminorũ diuisio æquiuocæ causæ. QVintò diuiditur causa in vniuocam & æquiuocam; in qua partitione diuidi etiam potest causa in comniuni, si causam instrumentalem, æquiuocam appellemus. Quod tamen impropriè dicitur & præter communem vsum, vt notauit D. Th. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. quæst. 1. ad 4. ex Alexãdro, & Cõmentat. 11. Metaphys. comm. 24. Diuiditur ergo ibi causa principalis: & quidem diuidi potest in communi, quia causa prima etiam est æquiuoca. Sed quia causa prima non solùm æquiuoca, sed etiam omnino alterius ordinis esse supponitur; ideò magis accõmodatè illa diuisio datur de causa principali proxima. Quædam enim est, quæ efficit effectum eiusdem rationis: & hæc dicitur vniuoca, vt ignis dum generat ignem: & vniuersaliter causa, quæ operando per virtutem suæ formæ, similem reddit effectum, est causa vniuoca, & in suo ordine principalis, vt rectè notat D. Tho. 3. p. q. 62. art. 1. Alia verò est causa producens effectum alterius rationis; quam oportet esse nobiliorem effectu, alioqui principalis non esset, sed instrumentalis: & hæc appellatur causa æquiuoca; quia non conuenit formaliter cum effectu in eadem forma, sed eminenter illam continet. Rursus diuidi potest causa etiam principalis in eam quæ ex necessitate naturæ, vel cum libertate. Item, in eam quæ agit per motum vel mutationem ex præsuppositò subiecto, & eam quæ agit sine motu & mutatione, & absq; subiecto. Sed hæ diuisiones in superiorib. continentur; solumque declarant determinatas actiones, aut modos operandi dictarum causarum, de quibus omnibus in particulari est inferiùs disputandum.

D. Thom.

Instrumentum coniunctum, & separatum.

XXII. SExtò annotanda est diuisio causæ instrumentalis, seu instrumenti, in coniunctum & separatum: in quibus terminis solet esse magna æquiuocatio, & ideò diligenter aduertendum est, duobus modis intelligi posse instrumentum esse cõiunctum principali agenti (respectu enim illius dicitur coniunctum instrumentum, aut separatum) scilicet aut secundum esse, aut secundum causalitatem. Cõiunctum secũdum esse appello, quod est vnitum aliquo modo, vel per contactum, vel per aliquam præsentiam, vel per aliquam vnionem realem agenti principali: quomodo calamus est instrumentum cõiunctum, &c. Separatum autem huic oppositum erit quod nullo modo coniungitur agenti principali, vt est semen iam decisum. Et iuxta varios modos cõiunctionis & separationis potest esse latitudo, & varietas in his terminis. Secundum causalitatem coniunctũ appello illud instrumentum, quod ad causandum indiget actuali & proprio influxu & causalitate principalis agentis, quo modo etiã calamus est instrumentum coniunctũ. Vnde è contrario separatum instrumentum erit, quod in sua actione non requirit specialem influxum & causalitatem principalis agentis. Et hoc modo, si calor vocetur instrumẽtum ignis ad calefaciendum, licet sit coniunctus secundum esse, potest dici separatus secundum causalitatem, quia non indiget alio influxu ad calẽfaciendum præter propriam virtutem suã. Vnde fit, aliquando posse instrumentũ esse coniunctum vno modo, & separatum alio, vt patet in dicto exẽplo. Et è conuerso sacramenta dicuntur instrumenta separata humanitatis Christi existẽtis in cœlo, nimirum secundum esse, & tamen secundum causalitatem fortasse sunt cõiuncta, quia nihil possunt efficere, nisi actu influente cũ ipsis Christo per humanitatem suã. Aliquando potest esse instrumentũ vtroq; modo cõiunctum, vt visus, vel species impressa: aliquãdo vtroq; modo separatũ, vt grauitas geniti respectu generãtis. Quæ omnia clara sunt, si termini intelligãtur. Vnum solùm manet in re difficile, quo modo possit dari instrumentum separatũ secundum causalitatem, propriè & in rigore loquendo de instrumẽto iuxta vltimum modum suprà declaratum, nã si latiùs sumatur pro virtute per se sufficiente ad effectum, quæ vicem supplet illius causæ, quæ illam impressit, sic res est clara, vt in impetu proiectorum, grauitate, &c. Tamen in instrumento proprio, quod eleuari debet ad agendum superiorem effectum, vt est semen, v. g. illud est intellectu difficillimum. Sed huius rei expositio multa priùs explicanda postulat, quæ in sequentibus disputationibus tradentur.

DISPVTATIO XVIII.

De causa proxima efficiente, eiusq; causalitate, & omnibus quæ ad causandum requirit.

IN superiori disputatione ferè tantùm declarauimus quid nominis causæ efficientis, & pluriũ specierũ ac modorũ eius; nũc oportet distinctè tractare omnia, quæ ad hãc causam pertinent, per capita seu membra, quæ in aliis causis attigimus, scilicet, quæ res causet, quid causet, per quid, seu quo principio causet, quas cõditiones ad causandũ requirat, ac denique in quo actualis causalitas huius causę consistat. Quæ omnia possent quidẽ de causa efficiente in communi tractari, tamen, maioris claritatis gratia, visum est, hæc omnia priùs in causis creatis, quæ nobis notiores sunt, inquirere, posteà verò disserere de causa prima & increata, ac tandem de dependentia cæterarum ab ipsa. Non distinguimus autem tractationem de causa efficiente substantiarum & accidentium, quoniam, vt videbimus, hæc ita coniuncta

Universidad de Deusto
Biblioteca

coniuncta sunt, vt substantiarum productio nō nisi A mediis accidentibus fiat. Et eadem ratione non separamus disputationem de causa principali & instrumentali, quoniam tractando de causa proxima efficiente, cui per se & propriè actio tribuitur, simul videndum est, quib. principiis, quibusve instrumentis ad efficiendum vtatur.

SECTIO I.

Vtrùm res creatæ aliquid verè efficiant.

I. Variæ opiniones.

IN hac re fuit vetus sententia asserens res creatas nihil operari, sed Deum ad præsentiam earum omnia efficere: tribui autem actionem igni, aquæ, &c. propter apparentiam, & quia Deus veluti pepigit non efficere tales effectus, nisi ad talium rerum præsentiam. Hanc opinionem referunt Auerroes 9. Metaph. comm. 7. & lib. 12. comm. 18. & Albertus 2. Physic. tract. 2. c. 3. & D. Thom. 3. cont. Gent. c. 69. & 1. p. q. 105. art. 5. & in 2. d. 1. q. 1. art. 4. nullum tamen certum authorem pro ea referunt: in eam verò inclinare videtur Philo lib. 2. Allegoriar. dum ait, B *Deum esse vnicam causam efficientem*, & lib. de Cherub. & flam. glad. dum ait. *proprium esse Dei efficere, creaturæ autem pati*. Sed hæc facilè possent per Antonomasiam intelligi, sicut & aliæ Philosophorum locutiones, quas posteà referemus, agentes de actione Dei. Solet etiā hæc opinio tribui Petro Aliacensi. in 4. d. 1. art. 1. in fine: ibi tamen apertè fatetur, causas secundas verè ac propriè agere virtute propria, & ex natura rei, ac non sola voluntate Dei: addit tamen simul verum esse, creaturam nihil facere nisi ex voluntate Dei, & ipso etiam faciente, imò & faciente, vt ipsa faciat: & consequenter plus etiam Deo faciente, quàm si solus faceret: quæ pertinent ad necessitatē diuini concursus, & possunt verum & falsum sensum habere, vt posteà in propria disputatione videbimus: magis aūt fauet huic opinioni Gabr. in 4. d. 1. q. 1. artic. 3. dub. 3. vbi hanc sententiam reputat probabilem, & in fauorem eius affert illa verba 1. ad Corinth. 13. *Deus operatur omnia in omnibus*; & 2. ad Corinth. 3. *Non quòd simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis. sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ipse tamen non audet illam sententiam asserere.

Auerroes. Albert. D. Thom.

Philo.

Aliacensis à præcedente sententia alienus.

Gabriel.

II. Rationes præcedentis sententiæ.

Fundamentum pro hac sententia nullum video quod sit alicuius momenti: præcipuum tamen fuisse videtur, quia quantum efficientiæ tribuitur creaturæ, tantùm adimitur diuinæ potentiæ creatoris, nam vel Deus operatur omnia, vel non; hoc posterius derogat diuinæ efficaciæ: vnde infrà ostendemus esse omnino falsum & erroneum, quia implicat aliquid esse & non pendere à Deo. Si autem Deus omnia efficit, interrogo rursus an immediatè, & sufficienti virtute, an mediatè tantùm, & insufficienti virtute. Hoc posterius derogat diuinæ perfectioni. Si autem primum verum est, superflua est omnis alia efficientia, quia vna causa sufficiens & efficax, satis est ad effectum. Vnde, cùm *natura nihil faciat frustra*, nullam virtutem operandi contulit rebus creatis. Et confirmo, nam quidquid ponatur Deus facere cum causa secunda, poterit facere se solo, nam hoc saltem spectat ad infinitam virtutem eius, vt infrà patebit: ergo de facto ita facit. Patet consequentia, tum quia hoc magis decet diuinam virtutem & efficaciam; tū maximè, quia hoc videtur necessarium vt creatura fiat. Quod ita probo, nam creatura à solo Deo habet essentialem dependentiam, cùm sine illo fieri non possit, & sine quocunq; alio fieri possit: ergo nō potest esse creatura sine hac essentiali dependentia quā à solo Deo habet, quia nō potest esse sine his quæ essentialia sunt, ergo omnis creatura est per depēdentiam à solo Deo: ergo est per efficientiam solius Dei, nam efficientia & depēdentia vel sunt idem, vel sunt correlativa: ergo nulla creatura habet efficient...m in aliam, & consequenter nulla est causa secunda, quæ aliquid efficiat.

III. Secunda sententia: Auicembro.

Secunda sententia negat creaturas corporales posse quicquam efficere, sed de spiritualibus id concedit. Hanc refert D. Thom. citatis locis ex Auicembron, in lib. Fontis vitæ, qui dicebat nullum corpus esse actiuum, sed quandam virtutem spiritualis substantiæ intimè existentem in corporibus efficere omnes actiones, quæ per corpora fieri videntur. Fundamentum eius fuisse videtur, quia agens esse debet intimè præsens passo: corpora autem non possunt ita sibi esse præsentia, nam quantitas impedit illum intimum illapsum vnius rei in aliam, quem actio requirit. Vnde aiebat quantitatem non solùm non esse actiuam, verùm etiam actionem impedire. Et cō- B firmatur, quia substantia corporea est infima omnium, & dissimillima primo agenti, & ideò nec inferiorem habet substantiam sibi subiectam, in quā possit agere, nec similitudinem potest habere ad Deum in agendo. Quare Augustinus 5. de Ciuit. cap 9. expresè dicit, *corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas*.

Augustin.

IIII. Tertia sententia: Auicenna.

Tertia sententia fuit, res corporeas posse efficere accidentia, non tamen substantias; spirituales autem substantias creatas, posse efficere aliquas inferiores substantias. Hanc refert ibidem D. Tho. ex Auicenna lib. 1. sufficient c. 10. & lib. 9. suæ Metaph. c. 4. & 5. Qui in ea re videtur duos errores habuisse. Vnus est, quòd vna substātia creata spiritualis potest creare aliam, nam prima causa increata solam vnam intelligentiam, eamq; perfectissimam immediatè efficit, illa verò creat secundam, & secūda tertiam, & sic vsque ad infimam. Alter error asserit hanc infimam substātiam spiritualem infundere substantiales formas in materiam dispositam à proximis agentibus corporalibus, quæ substantiales formas efficere non sufficiunt. Fundamentum eius quoad priorem partem fuit, quia ab vno non est nisi vnum proximè & immediatè. Quoad posteriorem verò, quæ ad rem præsentem magis spectat, quia hæc agentia corporalia nihil agunt nisi mediis accidentibus, quæ sunt insufficientia principia ad efficiendas formas substantiales. Et confirmat hoc, quia experimento constat C multas substantias generari, quę non habent proximas causas sufficientes ad introducendas tales formas, vt cùm generantur animalia ex putrefactione, ob dispositiones accidentales, quæ casu seu fortuitò concurrunt: ergo signum est esse quasi paratam aliquam spiritualem virtutem superiorem ad inducendas formas substantiales, quoties dispositiones accidentales sufficienter concurrunt: ergo ab illa virtute fiunt omnes generationes substantiales.

Prima assertio de efficientia causarum creatarum. V.

VI.

DIcendum tamen est primò, agentia creata verè ac propriè efficere effectus sibi connaturales, & proportionatos. Quam veritatem non tantùm sensu & ratione existimo esse euidentissimam, sed etiam iuxta doctrinā Catholicam, certissimam. Vnde, sicut ob priorem causam oppositā sententiā D. Th. stultam

stultam appellauit, ob posteriorē, vocare possumus temerariam & erroneam: ideoq; meritò reiicitur ab omnibus Philosophis, & Theologis: Aristoteles enim quamuis nunquam oppositam sententiam expresè retulerit aut refutauerit, tamen vbiq; vt euidentissimum supponit naturales causas aliquid facere. Imò omnes antiqui Philosophi, quorum opiniones ipse refert 1. Phys. & 1. Metaph. & alibi sæpè supponunt causas naturales aliquid efficere, & ideò laborarunt in explicando, quid, & ex quo facere possint, cùm ex nihilo nihil fiat. Plato etiam, quē superiori disputatione ex Damasceno citaui, hoc sensu vocat causas naturales instrumēta primę causæ, quia virtutem habent agendi ab illa deriuatam & dependentem. Quo sensu dixit etiam Trismegistus mundum esse instrumentū Dei, & ab eo semina accepisse vt omnia producat. Et eodem modo Philo lib. de congress. quærendæ eruditionis causa, dixit Deum huic infimo generi rerum permisisse seminare, atque gignere. Quos Philosophos secuti sunt Commentator, & alij posteriores. Ex Patrib. verò August. lib. 3. de Trinit. c. 7. 8. & 9. videtur in modo loquendi dictos Philosophos imitatus, dū ait *indidisse Deum elementis, & aliis causis creatis seminales rerum rationes*. Quæ nihil aliud sunt, quàm principia actiua & passiua generationum & motuū naturalium, quę Deus posuit in reb. creatis, vt elegāter exposuit D. Tho. 1. p. q. 115. art. 2. & in 2. d. 18. q. 1. art. 2. vbi Durandus, Heruæus, Ægid. & alij: & Capreol. in 1. d. 42. art. 3. Rursus idem Augustinus 7. de Ciuit. c. 30. de Deo loquens ait: *Sic omnia quæ creauit, administrat, vt etiam ipse proprios exercere & agere motus sinat*. Quam sententiam confirmat & celebrant Scholastici omnes, vbicunq; vel de causarum efficiētia, vel de hominis libertate disputant, qui videri possunt citatis locis, & in 2. d. 1. vbi præsertim Durand. q. 5.

Trismeg. in fin. 9. & in Timand. citato in fin. Philo. Commen. August.

D. Thom. Durand. Heruæus. Ægid. Capreol.

V. Experimento probatur assertio.

Et probatur primò experientia, quid enim sensu notius, quàm quod Sol illuminet, ignis calefaciat, aqua refrigeret? Quòd si dicant experiri quidem nos fieri hos effectus præsentibus his rebus, non tamen fieri ab illis; planè destruunt omnem vim Philosophicæ argumentationis, quia nos non possumus aliter experiri dimanationē effectuum ex causis, aut ex effectibus causas colligere. Et huic experientiæ attestatur cōmunis consensus & vox omnium, qui ita de reb. his sentiunt. Secundò argumentor ab incōmodis, nam iuxta illam sententiam non possunt viuentia à nō viuentib. distingui, quia nō magis haberent res quedam principium suarū actionū, quam aliæ. Deinde frustra natura dedisset diuersis reb. varias qualitates & virtutes, quas in eis experimur. Imò neq; ex actione possemus huiusmodi qualitatū varietatem in elementis colligere, & cōsequenter neq; in aliis reb. Nam, si ignis non calefacit, sed Deus ad præsentiā ignis, quę naturaliter posset calefacere ad præsentiam aquæ: ergo ex illa actione non possumus magis colligere ignem esse calidum, quàm aquam. Si enim Deus æquè consentaneè ad rerum naturas potuit pacisci de calefaciendo ad præsentiam aquæ, ponamus id fecisse, tunc non liceret ex calefactione colligere aquam esse calidam; ergo nec nunc possumus inferre esse frigidam, aut ignem calidum.

Absurda ex oppositis colligentia.

C

VI. Dicere potest aliquis pactum illud non fuisse omnino arbitrarium, sed fundatum aliquo modo in naturis rerum, non quia illæ actiuæ sint, sed quia habent qualitates similes producēdis; & ita colligimus ignem esse calidum, eò quod Deus calefacit ad præsentiam eius, quia hoc pactum fundatum fuit in tali qualitate ignis. Sed hoc nō potest Philosophicè dici, tum quia eadē ratione iuxta naturas rerū debuisset Deus producere albedinē ad præsentiam albedinis; quia si ex se nō est magis actiua qualitas calor, quàm albedo: ergo ex natura rei non est magis debitū pactum illud calori, quàm albedini. Et idem argumentum fieri potest de quacunque alia qualitate, imò & de quantitate, & de substantia, & de quacunque re. Tum etiam, quia illud non habet locum in causis æquiuocis, in quibus non est similis forma vel qualitas neq; est necessariò eminentior, si ille nihil sunt acturæ. Præterea, iuxta illam sententiam superfluę sunt terræ dispositiones, pluuię, arationes, cœlorum motus, &c. si hæc omnia nihil agunt, sed sufficeret ad esse triticum, vt Deus ad præsentiam eius triticum generaret, & sic de rebus aliis. Præterea fit simile argumentum ex variis organis & instrumentis quibus Deus composuit corpora, præsertim viuentia, nam sicut quædam ex ipsa dispositione apparent apta ad recipiendum, ita etiam alia sunt ad agendum; quæ omnia essent superflua si hæ res nihil agerent. Denique hac de causa optimè dixit Aristoteles 2. de cœlo, c. 3. & 1. Ethicorum c. 7. *Omnia esse propter suam operationem*, quare nihil magis repugnat institutioni rerum, & fini earum, quàm omni efficientia carere. Præterea, si res creatæ nihil agerent inter se, ex natura rei omnes essent æquè incorruptibiles, quia ab agente creato nihil pati possent: frustra ergo Deus tot motus cœlorum, tantamque causarum multitudinem ordinasset, vt hæ rerum inferiorum species per generationum & corruptionum successionem diu cōseruarentur: faciliùs enim permanerent perpetuò eædem res à principio creatæ, si Deus ipse nihil corrumperet, quia res ipsæ inter se non secum pugnarent, nec se corrumperent. Similia multa incommoda possunt facilè excogitari, ex quibus intelligitur, totū naturę ordinem cōtra illā sententiam pugnare.

B

VII. Ratio à priori conclusionis.

Tertiò est ratio à priori, quia habere vim agendi non repugnat rebus creatis, sed potiùs est maximè consentaneum perfectioni earum: ergo cùm Deus cōdiderit vnamquamq; rem in natura sua perfectā, negandum non est tales creasse res, quæ habeant cōnaturalem virtutem agendi. Antecedens probatur, quia non omnis virtus agēdi requirit perfectionem infinitam: ergo sufficiet virtus finita creaturæ, vt efficacitatem aliquam habere possit. Antecedens patet, quia nulla probabilis ratio persuadet necessitatem infinitæ perfectionis ad omnē actionem. Quin potiùs, vt infrà videbimus, multum laborarunt Theologi, vt rationem inuenirent, quæ probet ad creandum requiri infinitam virtutem; ad alias ergo actiones & mutationes non requiritur talis virtus, præsertim in his agentibus, quæ non agunt absque dependentia à superiori.

VIII. Occurritur obiectioni.

Dices, in hoc ipso reperiri repugnantiam, scilicet quòd sit agens, & dependens in agendo à superiori agente; & ideò requiri infinitam virtutem in omni agente, quia si agit, sola sua virtute agit, & absq; dependentia ab alio. Quæ obiectio tangit fundamentum contrariæ sententiæ; de quo dicendum est latè infrà, tractando de necessitate diuini concursus; nūc respondetur breuiter, negando assumptum: sicut enim non repugnat esse, & dependenter ab alio esse, ita non repugnat agere, & depēdenter ab alio agere. Cur enim? An quia repugnat eandem actionem simul esse à plurib. causis totalibus? At hoc falsum est, si illæ causæ sint diuersorū ordinum, & essentialiter subordinatæ. Quocirca tātùm abest, vt hæc efficien-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia causarum secundarum deroget diuinæ efficacitati, vel authoritati, vt potiùs illam maximè cõmendet & declaret. Nam, vt D. Th. suprà argumentatur, ita communicauit Deus suam creatis rebus bonitatem, vt eis etiam dederit inclinationem & vim ad communicandum aliis id quod de bonitate ipsius Dei participant, vnicuiq; impertiendo iuxta capacitatem suam. Quia, vt ad hoc propositum dixit Plato in dialog. de Natur. *Bonus est Deus, & liuore non tangitur, neq; vllis inuidet*: & ideò omnia fecit bona, sibiq; similia in appetitu se communicandi, iuxta captum suum. Vnde quædam se materialiter communicant, alia formaliter: non ergo repugnat, quòd etiam efficienter se communicent.

D. Thom.

Plato.

IX. An Deus plus agat efficiens cum causis secundis, quàm si solus.

Igitur, quod Aliacus suprà dicebat, plus scilicet agere Deum efficiendo cum causis secundis, quã si se solo omnia efficeret, præsuppositiuè (vt ita dicã) verum est, formaliter aũt falsum, id est, si causa secunda aliquid efficit, supponitur Deus & effecisse ipsã causam secundã, & cõmunicasse illi perfectionẽ actiuã, in quo suam potentiã magis ostendit, & deinde agit cũ causa secunda, quidquid ipsa agit: & ita præsuppositiuè plus agit. At verò per ipsammet actionẽ, qua cũ ipsa causa secunda agit, nõ plus, neq; æqualiter agit, quàm si se solo ageret, quia non applicat totã efficaciam necessariam, vt solus agat. Vnde in tali modo agendi quamuis agat sufficiẽti virtute in ratione causæ primæ, non tamen sufficienti in omni genere. Neq; hoc est imperfectionis in Deo, quia non est ex indigentia, aut impotentia eius, sed ex voluntaria & prudentissima applicatione virtutis suæ. Quo sensu verum est etiam, quod Aliacus aiebat, nempè causas secũdas nihil agere, nisi ex voluntate Dei: requirunt enim, vt infrà dicemus, concursum Dei, quem Deus non necessitate, sed voluntate præbet: illa tamen volũtas nõ est omnino absoluta (seclusis miraculis) sed est accõmodata naturis rerum, & quasi ex quodam debito iustę distributionis: & ideò hoc voluntarium non impedit, quò minùs huiusmodi efficientia sit simpliciter naturalis reb. creatis. Sicut etiam ex volũtate Dei habent ipsam virtutem agendi, non tamẽ ex volũtate omnino superaddita, & quasi merè gratis adiuncta illi voluntati, qua vult tales creaturas esse; sed sunt connexæ hæ voluntates iuxta naturale debitum & connexionem ipsarum rerum. Vnde q voluerit Deus ignẽ calefacere, & aquam frigefacere, C non est merè voluntarium, sed suo modo debitum, ex suppositione quod voluerit tales res creare. Loquimur aũt de vi agendi connaturali, nam de supernaturali & infusa, alia est ratio, quæ ad nos non spectat. Atq; ita simul probata est conclusio posita, & solutum fundamentum prioris sententiæ.

X. Quòd verò in confirmatione tangitur de essentiali dependentia, infrà in disputatione de creatione ex professo tractandum est: nunc solùm dico cõmitti æquiuocationem in illa propositione; *Creatura essentialiter pendet à solo Deo*: potest enim intelligi illa propositio positiuè, & negatiuè: positiuè intellecta reddit hunc sensum: *Creatura essentialiter postulat pendere à solo Deo*: & hoc non est verum, in vniuersum loquẽdo, licet fortasse de aliqua actione, vel de aliqua re ob specialem conditionem id possit verificari: quòd spectat ad speciales quæstiones de creatione, vel de gratia, &c. Negatiuè autem intellecta, sensus illius est, quòd ratio creaturæ vt sic non postulat essentialiter dependentiam nisi à Deo. Et hoc est verũ, quia ex vi huius non excluditur, quin de facto, vel secundum aliquem modum productionis possit habere dependentiam à Deo, & ab aliqua creatura, vt per se constat. A

Ex principiis supernaturalibus eadem assertio tractatur.

XI. HActenus tractata est philosophicè conclusio posita, quia verò diximus etiam habere certitudinem iuxta fidei doctrinam, pauca de hac parte adiungere necesse est. Colligitur ergo hęc certitudo primò ex modo loquendi diuinæ Scripturę Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem*, &, *Producat terra animam viuentem*: vbi Basil. homil. 9. adnotat ex vi horum & similium verborum accepisse res naturales efficaciam continuo efficiendi rerum generationes & corruptiones, quòd latiùs prosequitur Ambros. lib. 3. Exam. à cap. 8. & lib. 5. & 6. ferè per totos. Vnde Marci 4. ait Christus, *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum*, &c. & infrà. *Vltro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum*, & Lucæ 21. *Arbores cùm producũt iam ex se fructum*, &c. & Sap. 16. miraculo tribuitur, quòd ignis suæ virtutis oblitus, iustos & indumenta eorum non consumpserit: & ibi tribuitur aquæ quod omnia extinguat, & draconib. quòd venenatos habent dẽtes ad occidendum; & diuinæ potestati tribuitur si interdum ab his actionib. impediuntur. Præterea sunt aliæ veritates fidei, quæ sine hoc principio subsistere non possunt. Prima ac præcipua est veritas liberi arbitrij, quòd non nisi in vi & modo agendi consistere potest, vt infrà ostendemus. Vnde Concilium Trident. sess. 6. can. 4. damnat dicentes, liberum arbitrium creatum *nihil omnino agere, mereq; passiuè se habere*. Qua definitione planè damnat primam sententiam suprà relatam, & nostrã conclusionem definit. Et (quòd à fortiori rem concludam) non solùm in naturalib. operationib, sed etiã in supernaturalibus: seu gratiæ operibus liberis, vult Concilium habere efficientiam humanam voluntatem. Ex quo obiter intelligũtur illa testimonia quæ Gabriel iii contrarium afferebat, in quibus specialiter sermo est de operibus gratiæ, quæ ita tribuuntur Deo vt primariæ causæ, vt non excludatur cooperatio nostra. Nam in eodem loco ait Paulus, & nos nõ esse sufficientes ex nobis, & sufficientiam nostram ex Deo esse. Et qui in vno loco ait Deum operari in nobis, in aliis ait cooperari nobiscũ, & nos esse cooperatores gratiæ Dei. B C

Basilius. Ambros. Marci. 4. Luc. 21. Sapient. 16. Damasc. Trident.

XII. Nec minorem efficaciam habet ratio, quæ ex efficientia actus peccati desumitur; nam si causa secũda non efficit, sed Deus ad præsentiam eius, nos non facimus volitiones malas, sed Deus solus eas nobis infundit ad præsentiam obiectorum: quod est blasphemum & erroneum, non solùm quia tunc non liberè peccaremus, sed etiam quia tunc non à nobis, sed à Deo peccaremus. Præterea sumitur optima ratio Theologica ex definitionibus Conciliorum circa Incarnationis mysterium, quibus docent esse in Christo duas operationes, duoque operandi principia, seu operatrices virtutes; de quibus legi potest Damascen. 3. lib. de Fid. cap. 15. Quæ omnia & similia vera esse non possunt, si in natura creata nulla est vis agendi. Tandem ex creatione animæ rationalis nascitur optimum argumentum; quia iuxta contrariam opinionem non minus verum est, hominem generantem creare animam rationalem, quàm ignem generare ignẽ: quia sicut Deus ad præsentiam ignis facit ignem, & actio tribuitur igni, solũ quia est conditio sine qua non, & qua posita Deus infallibiliter facit: ita Deus ad præsentiam humani seminis creat animam infallibiliter, & non sine illa conditione. Consequens autem est error in fide.

Secunda assertio.

XIII. DIco secundò. Non solùm substantiæ incorporeæ, sed etiam corporeæ habere possunt physicam & veram efficientiam. Hæc sequitur ex præcedente, eadem ferè demonstratione & certitudine; nã experientiæ, rationes, & testimonia adducta tam de causis naturalib. & materialibus, quàm de immaterialib. procedunt. Imò si de efficientia per actionem transeũtem sermo sit, notiùs & euidentiùs nobis est corpora agere, quàm incorporeas substantias. Quare nihil in huius conclusionis confirmationẽ addere oportet. Neq; fundamentum cõtrariæ sententiæ vllius est momenti, quia vt vnum corpus agat in aliud, non est necesse vt penetratiuè sit simul cum illo in eodem loco, sed satis est, quod sint sufficienter propinqua, vt ipsa experientia ostendit, & inferiùs latiùs declarandum est. Quocirca, quamuis quantitas non sit actiua, non tamen omnino impedit actionem. Sicut materia etiam non est actiua, non tamen impedit actionem formæ. Ita enim videtur quantitas ad B qualitates comparari, sicut materia ad formã. Vnde neutra impedit, sed potiùs cõfert suo modo ad actionem, si non agendo, saltẽ sustentãdo, & connaturali modo applicando principium agendi. Ad confirmationem autem respondetur, substantiam corpoream secundum se totam non esse in infimo ordine, neq; summè distare à Deo, sed solùm secundum materiam primam, & ideò de illa fatemur nullã habere propriam vim agẽdi: at verò secundum formam habent corpora maiorem perfectionem, & similitudinem ad Deum: & ideò secũdum illã habere possunt vim efficiendi. Augustinus autem in citatis verbis loquitur de causis efficientibus quæ se aliquo modo agunt, id est quæ dominium habent suarum actionum, & sese possunt applicare ad agendum. Sic enim ait: *Corporales causæ, quæ magis fiunt quàm faciunt, non sunt inter causas efficientes numerandæ, quoniam hoc possunt quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.*

Augustinus quam efficientiam negarit corporibus.

Tertia assertio.

XIIII. DIco tertiò. Quamuis causæ creatæ non possint efficere substantiam secundum se totam, seu per se primò, possunt tamen ex substantiali materia præsuppositа, substantiam generare, educendo substantialem formam. Hæc autem efficacitas corporalibus potiùs causis, quàm spiritibus creatis tribuenda est. Prima pars huius assertionis est certissima, C quia causæ creatæ non possunt aliquid creare, vt agentes de creatione ostendemus: substantia autem per se primò, ac secundum se totam, non potest fieri nisi per creationem, non enim potest fieri ex præsupposito subiecto, quia toti substantiæ nullum subiectum supponitur, cùm sit ens per se completum: ergo necessariò fieri debet ex nihilo, atq; adeò per creationem. Et hinc est quod substantia spiritualis creata nõ potest aliam sibi similem, vel in specie, vel in gradu procreare, quia talis substãtia cùm sit simplex in essentia, non potest nisi per creationem fieri. Et eadem ratione materialis substãtia quoad materiam non potest effici à causa creata, siue incorporea siue corporea: & hoc sensu dicimus substantiã secundum se totam ac per se primò, id est quoad totam entitatem, & nihil substantiæ supponendo, non posse effici à causa creata, sed de hac re plura in sequentibus dicenda sunt.

Secunda verò pars conclusionis de eductione formæ substantialis per propriam efficientiam causarum secundarum non est tam euidens & certa, sicut sunt superiores de efficientia absolutè, quia effectio huius formæ minùs sensibilis est, ideoq; minus nota nobis, quàm efficientia accidentium, & quia in hac efficientia explicanda, non parua est difficultas, vt sect. sequenti videbimus. Nihilominùs est hæc pars probabilior, præsertim absolutè sumpta, & non descendendo ad particulares modos explicandi hãc efficientiam. Et probatur primò, quia sicut videmus ignem calefacere, ita & generare ignem, & Solem producere mineralia, & terram actione etiam Solis germinare herbam, &c. Secundò, quia cùm hæ res non fiant per creationem, sed per generationẽ, neq; ex parte rei factæ, neq; ex modo quo fit, requiritur virtus infinita ad earum effectionem: ergo talis virtus non excedit capacitatem causarum creatarum: ergo est illis cõmunicata à prima causa, estq; illis cõnaturalis. Sed de hac parte plura in sectione sequente: non enim potest exactè probari & defendi, nisi priùs modus huius efficientiæ declaretur.

XV. Formæ substantiales à corporeis suppositis fiunt.

Tertia verò pars cõclusionis, nimirum quod hæc B efficientia non sit spiritibus creatis tribuenda, ex eo patet q̃ sunt improportionati ad huiusmodi actionẽ: causæ aũt corporales sunt magis proportionatæ & accõmodatæ. Inter res autem creatas non satis est quod aliqua sit magis perfecta, vt possit efficere minùs perfectã, nisi aliundè constet eã eminenter continere: spiritus aũt creati, licet sint perfectiores quã corpora, tamẽ cũ sint limitati ad proprium gradum, & singuli ad proprias significãdas perfectiones, non continent eminenter res corporeas, & cùm non sint formę in materia, sed omnino abstractæ, improportionatæ sunt ad formas in materiã inducẽdas: de qua itẽ re dicemus plura infrà, tractãdo de intelligentiis creatis, vbi ostẽdemus eas nec substantiales formas, nec qualitates posse in corporib. efficere: neq; enim possunt ad nutum suæ voluntatis corpora alterare. Quòd si hoc non possunt, multò minùs poterunt in materiã for, mam substantialẽ inducere, nã qui virtutem nõ habet disponendi materiã, multò minus habere potest vim eã informandi. Agentia verò corpora cum possint materiam alterare ac disponere, magis proportionata sunt vt eã possint informare, vel educendo ex ea, vel in eam introducendo substãtialem formã, iuxta formæ capacitatem & qualitatem.

XVI. Spirituales substantiæ formas substantiales efficere nequeunt.

Ad fundamentum ergo Auicennæ quoad priorem negamus à prima causa solam vnam intelligentiam, vel vnum effectum potuisse prodire, quia prima causa non agit naturæ necessitate vt ad vnum effectum sit determinata, sed est intellectuale agens, habens in se infinitarum rerum exmplaria, quarum effectionem sua voluntate & arbitrio definit. Fundamentum autem secundi erroris postulat difficultatem ad sequentem sectionem pertinentem. C

XVII.

SECTIO II.

Quodnam sit principium quo substantia creata efficit aliam.

I. SImul quærimus de principio principali & proximo seu instrumentali, quia vnum sine altero satis explicari non potest. Constat autem primò ex dictis sermonem tantùm esse de corporali causa, quia creati spiritus nullam substantiam efficere possunt, vt dictum est. Rursus cùm in sub-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Materia nullius actionis principium quo.

stantia creata sint materia, forma, & accidentia, constat secundò apud omnes materiam non esse principium huius effectionis: principium (inquam) quo, seu formale, nam principium quod suppositum est, sicut in cæteris actionibus: suppositum autem materiale licet constet materia, & forma, & subsistentia, ac præterea habeat accidentia, tamen vim agendi nõ habet à materia, quæ actiua non est, vt sæpe diximus. Subsistentiæ autem mentionem non facimus, quia illa solùm est modus quidam & terminus naturæ, præcedens quidem naturaliter omnem actionem, non tamen per se conferens vim ad agendum, vt latiùs infrà tractando de subsistentia dicemus. Tota ergo controuersia ad formam substantialem, & eius accidentia, seu naturales proprietates reuocatur.

II. Nullum accidens principalis causa substantiæ.

De quibus constat tertiò formam accidentalem non posse esse principiũ principale producendi substantiam, in quo omnes ferè conueniunt. Solet enim in contrarium citari Maior in 4. dist. 12. sed non contradicit, neq; vllus alius quem ego viderim. Nec potest esse vlla dubitandi ratio, quia causa principalis, vt ostẽdimus, esse debet, vel nobilior, vel certè nõ ignobilior effectu; cùm enim nemo det quod nõ habet; quo modo potest forma imperfecta habere in se, vel cõmunicare suo supposito principalem vim efficiendi perfectiorem formam, quam nec formaliter, neq; eminenter cõtinere potest? Est autem accidentalis forma imperfectior substantiali: ergo nõ potest esse principium principale educendi illam. Atq; hoc euidentius constabit ex dicendis, tum pertractando primam sententiam, tum etiam vltimam nostram assertionem confirmando.

III. Forma substantialis est principium principale quo efficiẽs agit.

Ex hoc vlterius sit, si in materiali substantia est aliquod principium quo principale ad efficiendam substantiam, illud esse non posse nisi substantialem formã: facta enim enumeratione nihil aliud superest. Atq; hoc communi etiam omnium consensu videtur esse receptum: quia cùm forma sit principalis actus supposiți, & quæ illi principaliter dat esse, illa etiam esse debet principale principium operandi, cũ operatio sequatur esse. Deniq; quia forma substantialis non potest esse principium instrumẽtale: ergo erit principium principale. Patet consequentia, quia neq; datur medium, neq; potest forma omnino excludi à ratione principij, cũ sit fons totius esse, omniumq; proprietatum. Antecedẽs autem patet, quia forma substantialis non supponit aliam cuius possit ipsa esse instrumentum, cùm ipsa sit omnium prima ac præcipua; loquor autem intra idem suppositum, nam si vna forma inferior ad superiorem, comparetur, poterit dici instrumentum illius, vt in superioribus tactum est, & in sequentibus attingemus. Atque hinc etiam omnes ferè habent pro comperto accidentia esse instrumenta formæ substantialis ad producendam substantiam, quia forma substãtialis non se sola & immediatè producit substantiam similem sed accidentibus vtens, vt experimento videtur constare, & probat argumentum pro Auicenna factum superiori sectione.

IIII. His ergo positis duo explicanda supersunt: primum quomodo accidens sit instrumentum ad producendam substantiam. Secundum quomodo forma substantialis sit principium principale ad educendam similem formam. Vnde duæ sunt difficultates præcipuę: prima est an accidens ita sit instrumentum vt immediatè attingat eductionem ipsius formæ substantialis: an verò dicatur instrumentum solùm quia dispositiuè operatur ad inductionem formæ substantialis, qui est effectus præcipuè intentus à principali agente. Secunda est, supposito, quod accidens immediatè attingat, an cum illo proximè etiam influat substantialis forma, vel tantum remotè, & quasi radicaliter.

Prima sententia circa efficientiam accidentium in substantiam.

V. Circa primum est prima sententia, accidentia solùm esse instrumenta hoc posteriori modo, id est tantùm dispositiuè concurrendo: quod potest intelligi vel de accidentibus quæ recipiuntur in passo, & sunt ipsæ formales dispositiones materiæ; quo modo id videtur intellexisse Philiponus 2. Phys. text. 27. & ideò hæc instrumenta reuocat ad materialem causam. In quo & contra Aristotelem loquitur, & contra rationem: Aristoteles enim semen & similia instrumenta ad efficientem causam reducit, & meritò, quia instrumentum non dicitur nisi quod per aliquam actionem influit in effectum: & ideò nullius causæ propriè instrumenta dicuntur, nisi efficientis. B Aliter ergo intelligendum est de accidentibus quæ sunt in ipso agẽte, & sunt facultates per quas proximè operat, & effectiuè inducit dispositiones in passum, per quas paulatim præparat materiam, donec proximè fiat capax formæ substãtialis: & hoc modo sunt instrumenta ad inducendam formam substantialem, non quia ipsam immediatè attingãt aut efficiant: sistit enim ac terminatur eorum actio in effectione accidentium sibi perfectè similiũ, sed quia vt subordinata sunt propriæ formæ, eorum actio tendit ad productionẽ similis formæ substantialis. Hãc opinionem tenuit Scotus in 1. d. 37. & in 2. d. 17. & latiùs in 4. d. 12. q. 3. quam sequitur Ocham in 2. q. 23. Fundamẽtum præcipuum est, quia non potest accidens, cùm sit ens imperfectius forma substantiali, efficere vllo modo illã. Respondent aliqui, licet accidẽs sit imperfectius in ratione entis, nihilominùs in ratione principij actiui esse posse aptius, atq; eo sensu dici posse perfectiùs in agẽdo. Sed hoc nõ rectè dicitur, quia vis agendi, præsertim in accidente, nõ est aliud ab entitate eius, vel si aliquo modo, saltem ratione, distinguatur, consequitur illam, & commensuratur illi: ergo non potest accidẽs, nobilius esse in agendo, quàm sit in essendo. Aliàs sub eadem distinctione posset quis dicere accidens esse principale C principium producendi substantiam, quia licet non sit nobilius in esse, potest esse nobilius in actione: quod est absurdum. Præterea, nunquam ex nobilitate actionis possemus colligere nobilitatem efficientis causæ quoad eius esse. Et (vt argumentatur Scotus) de Deo ipso posset quis dicere esse nobiliorem in actione quamuis non sit in esse.

Scotus. Ocham.

VI. Frequentior Thomistarum responsio examinatur.

Frequentior ergò responsio est, accidens etsi sit ignobilius, & ideò virtute propria non possit attingere productionem substantiæ, tamen in virtute suę formæ substantialis, cuius est proprietas, & virtus agendi, posse illius eductionem immediatè attingere. Sed instat Scotus, inquirendo quid sit illa virtus, in cuius vi & efficacitate dicitur accidens attingere. Aut enim est aliquid ab accidente distinctum, vel non. Si non distinguitur, ergo non magis potest in virtute illius fieri substãtia, quàm in virtute accidentis. Si verò distinguitur, vel est accidens, vel substantia; si accidens, idem procedit argumentum, siue illud dicatur esse absolutum, siue respectiuum, imò multò

multò minùs actiuum erit, si sit respectiuum, quàm si absolutum. Si verò sit substantia, non erit alia, nisi forma substantialis: atque ita potiùs forma ipsa erit virtus agendi, & principium quo accidens attingit eductionem formæ substantialis, quàm è conuerso. Respondent communiter Thomistæ ex Caietano 1. P. q. 53. ar. 3. & q. 77. art. 1. cùm dicitur accidẽs in virtute substantiæ facere substantiam, illud *in virtute*, non esse transitiuè sumendum, sed intransitiuè, quia non est sensus aliquam virtutem addi accidenti, qua producat substantiam, sed accidens per entitatem suam, eò quòd ipsa est quædam virtus substantiæ, posse attingere substantiam. Sed hæc responsio non videtur eneruare vim argumenti, quia cũ calor natura sua sit virtus & facultas substantiæ, cùm dicitur agere in virtute substantiæ, nihil aliud dicitur, quàm quòd calor natura sua habet talem actiuitatem: hoc autem videtur naturaliter repugnare, nam forma ignobilis non potest esse naturalis virtus sufficiens ad producendam formam meliorem.

VII. Et, ne videamur in vocibus sistere, vt explicetur difficultas quæ in re ipsa est, inquiro an actio illa qua educitur forma substantialis de potentia materiæ, B immediatè prodeat à solo calore, verbi gratia: à forma verò substantiali non nisi remotè & radicaliter, quatenus ab illa manat calor: vel sit actio immediatè ab vtraq; forma: ab vna vt à principali, & ab altera vt instrumentali. Si hic posterior sensus asseratur, cessat quidem difficultas in argumento tacta, nam hoc modo nullum est inconueniens formam imperfectiorem instrumentariè cõcurrere ad effectum perfectiorem: & tunc optimè exponitur illud *in virtute*, significat enim, id est adiutum à superiori virtute actu influente. Sed tunc insurgunt aliæ difficultates non minùs graues. Prima, quia experientię quę probare videntur accidentia attingere effectionem substantiæ, probant accidentia sola id efficere, quia vel substantia non est, vt cùm accidentia vini consecrati generant vinum: & idem argumentum, licet minùs efficax, fieri solet de ferro candente generante ignẽ. Vel certè, quia substantia non est applicata, vt in Sole inducente formas substantiales rerum minerarium in visceribus terræ, à quibus longissimè distat. Secunda, quia iuxta illam interpretationem iam ponitur forma substantialis principium immediatum alicuius actionis; quod superat perfectionem eius. C Nam quia ad hoc est improportionata, ideò recepit à natura formas accidentales per quas agat. Vnde oritur tertium argumentum, quod Scotus & Ocham indicarunt, nam si hic influxus immediatus necessariò concedendus est formæ substantiali, superfluus est immediatus influxus formæ accidentalis. Nam si generatio est vniuoca, forma substantialis, quæ supponitur immediatè influere, habet perfectionem & proportionem requisitam, vt sit principium proximum sufficiens ad formam sibi similem producendã; cùm enim calor sit hoc modo sufficiens ad efficiendum similem calorem, cur non erit forma substãtialis ad similem formam, cùm iam supponatur, influxum immediatum ei non repugnare? Quòd si generatio sit æquiuoca, cùm forma generantis sit eminentior, maiori ratione erit ad similem actionem sufficiens.

VIII. Quòd si propter has difficultates prius membrum eligatur, prout videtur etiam frequẽtiùs receptum, manet in primis in sua vi difficultas tacta, nam intelligi non potest quomodo instrumẽtum ignobilius se solo, & per vim sibi connaturalem absq; consortio A nobilioris agentis, efficiat effectũ nobiliorem. Nam q̃ illud instrumẽtum sit virtus alterius, quid refert? Quia inde solùm habet, vel quòd sit decisum ab alio, sicut semen ab animali, & inde nõ crescit virtus, quæ tanta est, quanta est perfectio quam in se recipit; non quanta est perfectio eius, à quo illam recipit, vel certè habet, quòd loco alterius substituatur ad agẽdum, vt grauitas loco generãtis: & hoc est quod mirabile, & repugnans apparet, scilicet, quòd natura substituat virtutem imperfectam, vt se sola, & sine actuali iuuamine superioris virtutis, efficiat vice principalis agentis nobiliorem effectum. Et præterea sunt aliæ difficultates contra illum dicendi modum. Præcipua est, quia sequitur formas substantiales nullam habere actiuitatem propriam, sed solùm quasi per accidens concurrere ad omnem actionem. Nam si Deus, verbi gratia, solùm produceret, & cõseruaret calorem, & posteà non immediatè influeret in actionem progredientem à calore, non esset causa per se, sed per accidens illius actionis: ergo similiter si forma substantialis ita comparatur ad omnem actionem caloris, non potest verè dici principium per se efficiens actionis, vel ad summũ dicetur principium principale remotum, & per denominationem extrinsecam, scilicet, quia principium proximũ agendi vicem illius habet, vel (vt veriùs dicam) impotẽtiam eius supplet, nam reuera forma ipsa per se nullam actiuitatem habet. Hoc autem videtur absurdum, alioqui substãtia nunquam esset per se actiua, aut generatiua sui similis, neque esset vlla actio à supposito substãtiali creato nisi ratione accidẽtium; hoc autem repugnat perfectioni substantiæ. Nam, vt argumẽtatur Scotus in 2. distinct. 16. si aliqua forma accidentalis est immediatè productiua sui similis, cur non erit etiam aliqua substantialis? Videtur etiam contra Aristotelem 2. Physic. c. 7. ibi enim triplicem causalitatem formæ tribuit, formalem, finalem, & efficientem: ergo sicut prima, & secunda propriè ac per se conuenit formæ, ita & tertia. Aristoteles.

Secunda sententia opposita circa actiuitatem accidentium in substantiam.

IX. Secunda sententia affirmat accidentia ita esse instrumenta substantiæ ad substantiam producendam, vt proximè & per se attingant productionem substantialis formæ in virtute aliarum formarum, quarum sunt instrumenta. Hæc est sententia Diui Thomæ 1. part. quæst. 45. artic. 8. ad secundum & tertium, & q. 77. artic. 1. ad tertium & quartum, & q. 115. artic. 1. ad quintum, & 3. part. quæst. 77. art. 3. Caiet. suprà. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 66. & Capreoli in 1. dist. 3. quæst. 3. artic. 2. & in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 3. Ægid. quodlib. 3. q. 1. ad secund. & in Examer. part. 2. cap. 11. Henric. quodlib. 14. quæst. 1. Heruæi quodlib. 3. q. 12. Et videtur hæc esse communis Peripateticorum sententia. Aristoteles enim vbique significat naturalem actionem & generationem fieri mediis accidentibus: vnde 1. de Generat. cap. 7. ait actionem, vtique corruptiuam, inter contraria tantùm esse: contrarietas autem propriè solum est inter qualitates: & lib. de sensu & sensibili inquit nihil agere aut pati quatenus ignis, aut aqua, aut quippiã simile est, *sed quatenus contrarietatem subit*, id est quatenus cõtrariis qualitatibus afficitur. Vbi Alexand. aduertit iuxta Peripateticam sententiam ignem non edere actionem quatenus ignis, sed quatenus calidus est, id est non per formam ignis, sed per calorem. Item 2. D. Thom. Caietan. Ferrar. Capreol. Ægid. Henric. Heruæus. Aristoteles. Alexand.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Anima, text. 10. & 7. Metaphys. text. 31. & lib. 3. de Generat. animal. docet Aristoteles semẽ esse instrumentum quo vnum animal effectiuè generat aliud.

Commentator.

Commentator etiam lib. 7. Metaph. comm. 22. & 31. & 12. Metaphys. comm. 18. inquit, eiusdem virtutis esse materiam præparare, & formam inducere: cùm igitur constet substantiam vti accidentibus ad præparandam materiam, dicendum est per eadem inducere formam.

X. Rationes secundæ sententiæ.

Rationes, quibus hæc sententia confirmatur, hæ sunt præcipuè: prima, quia forma substantialis non est per se immediatè actiua, sed per potentiam quæ sit qualitas ab ea distincta: ergo hęc formam substantialem inducit nisi media potentia accidentali. Antecedens patet primò inductione, nam videmus vnamquamque substantiam ad omnes alias actiones vti accidentibus: quod non solùm de materialibus, sed etiam de spiritualibus substantiis creatis verum est: ergo signum est excedere perfectionem & limitationem substantiæ creatæ esse simul principale & proximum principium suarum actionum. Item, quia forma substantialis per se ipsam solùm determinatur ad dandum formaliter esse, ad actiones verò est indeterminatum principium, quia ferè semper potest plures actiones efficere, ad quas per accidentia determinatur: & ideò non est proximũ principium actionis per se ipsam, sed per accidentia: ergo idem dicendum est de actione qua producit substantiam.

B

XI. Secunda ratio, quæ confirmat vltimam illationem præcedentis, est, quia actio per quam educitur forma substantialis, non est propriè actio condistincta à motu alterationis qui ad illam ordinatur ac tẽdit, sed est quasi terminus eius; & ideò non computantur quasi duæ actiones, sed quasi vna & eadem: sed tota alteratio quæ ad generationem tendit, fit mediis accidentibus, vt per se constat: ergo & ipsa generatio substantialis fit mediis accidentibus. Maior patet, quia forma substantialis, quæ educitur de potentia materiæ mediante motu, resultat in materia ex vi ipsius motus: ergo eadem actione, physicè loquendo, & mediante eodem instrumento fit. Et confirmatur, nam accidentia sunt instrmenta ad expellendam formam substantialem corrupti: ergo & ad efficiendam formam geniti.

Tertia ratio, quia actio propria solum fit inter contraria: ergo solum illud est principium proprium talis actionis, quod propriè habet contrarium: huiusmodi autem est qualitas, & non substantialis forma: ergo.

C

XII. Variæ experientiæ pro secunda sententia.

Quarta, ac præcipuè fundatur hæc sententia in experientiis, nam sæpè generantur substantiæ mediis accidentibus, quando nulla est forma substantialis à qua possit esse actio: quia vel longè abest, vel omnino non est. Respondet Scotus, quòd forma interdum distet, non obstare quò minùs in formæ eductionẽ influat, quia potest vi & efficacia sua attingere loca distantia. Et hoc modo existimat formas rerum mineralium immediatè educi à forma Solis. Quãdo verò nulla inuenitur forma proportionata, vel applicata intra sphæram suæ actiuitatis, tunc ait, formæ eductionem immediatè fieri à prima causa, ad quam spectat supplere defectus inferiorum agẽtium. Et hoc modo ait frequentiùs generari animalia, non solùm ea quæ ex putrefactione fiunt, sed etiam quę fiunt ex semine, in quo imperfecta est virtus & insufficiens ad educendam animam ex potentia materiæ. Sed prior pars huius responsionis repugnat A principio Aristotelico, agens & patiens debere esse simul, de quo paulò inferiùs. Posterior verò pars sapit opinionẽ Platonis, qui dicit formas substãtiales induci ab ideis separatis: nam si verum est Platonem non posuisse ideas nisi in mente diuina, perinde fuit ac dicere formas substantiales effici à prima causa. Quod etiam docuit Philoponus 1. Physic. in fine, vbi ait formas substantiales prouenire ab vniuersali naturæ artifice: Themistius verò lib. suo 1. de Anima, c. 24. & lib. 3. c. 52. dicit prouenire ab anima mundi. Auicenna verò, vt suprà citauimus, dicit prouenire ab infima intelligentia. A quibus differt Scotus quòd non omnes formas, sed plures & perfectiores etiam materiales dicit fieri ab agente separato, quod etiam videtur maius inconueniens, nam cùm hæ omnes formæ educantur de potentia materiæ, non requiritur virtus infinita ad earum effectionem: cur ego quædam ex formis habent vim ad efficiendas sibi similes, & non aliæ, & præsertim illæ quæ perfectiores sunt? Quapropter hæc experientia est quæ maximè videtur hanc sententiam confirmare, nam rationes certè non sunt adeò efficaces, vt mox videbimus.

XIII.

Priùs verò quàm hunc punctum definiamus, necesse est proponere secũdum, quem attigimus in ratione superiùs facta in fauorem prioris sententiæ, & multum refert ad intelligendam, rectèq; defendendam posteriorem sententiam, quanquam ab eius authoribus ferè omnino prætermissus esse videatur, scilicet, supposito quod accidentia sint instrumenta immediatè & per se attingentia eductionem formæ substantialis, an sint instrumenta separata ab ipsis formis quoad causalitatem, an verò coniuncta. Et consequenter an forma substãtialis dicatur principium principale huius actionis solùm remotè, & radicaliter; an verò etiam proximè & per se actu influens. Et quidem authores omnes posterioris sententiæ videntur censere accidentia esse instrumenta separata, nã rationes adductæ & experientiæ, si quid probant, hoc maximè suadent, nam videntur accidentia generare substãtiam, etiam quando nulla est substantia quæ cum illis concurrat. Et ita sentiunt

Palud. Richard. Argentin. Maior. Hispal. Albertus.

præter citatos authores Palud. in 4. distinct. 12. qu. 4. art. 1. concl. 3. & ibi Richard. art. 3. q. 2. & Thomas de Argent. quæst. 1. Maior quæst. 1. Hispal. quæst. 1. art. 3. notab. 3. Albert. art. 16. Qui omnes loquuntur de speciebus sacramentalibus quę sine substantia manent; & illis tribuunt quòd eandem efficientiam habeant in virtute substantiæ, quam habere possunt quando illi coniunctæ sunt, quod latè declarat etiam Ægidius Theoremate 48. de Eucharistia, Zimara etiam Theorem. 114. fusè tractans propositionem illam Auerrois, *idem esse agens disponens materiam & introducens formam*; sentit totam actionem esse immediatè à qualitatibus, à forma autem non nisi in quantum virtutem suam agendi communicat qualitati. Idem latè Caiet. 1. part. quæst. 53. artic. 3. Nihilominus tamen hæc sentẽtia habet difficultates suprà tactas inter confirmandum opinionem Scoti in superiori puncto, quia non apparet quo modo possit forma substantialis transfundere (vt ita dicam) totam suam vim agendi in accidentalem formam, ita vt pereunte etiam (si opus sit) substantiali forma, & conseruata sola accidentali, possit hæc sola efficere substantialem formam perfectiorem se, cùm actu non habeat esse tam perfectum, neque actu iuuetur à superiori forma.

Zimara.

Caietan.

Prima

Prima assertio ad resolutionem quæstionis.

XIIII. PRopter has difficultates difficile censeo iudicium ferre inter has sententias: breuiter tamen quod sentio proponam. Dico ergo primò, negandum non esse, quin accidentia ita sint instrumenta ad producendam substantiam, vt proximè & per se attingant eductionem formæ substantialis. Probatur primò ex communi sententia tot Philosophorum, quæ non est facilè reiicienda, vbi euidens ratio in contrarium non occurrit. Secundò, quia experientia, cui Philosophia maximè nititur, hoc multum confirmat, & nihil est quod repugnet, vt patebit soluendo obiectiones in contrarium. Tertiò, quia aliquando sæpè erit necessarium, totam efficientiam substantiæ tribuere causis vniuersalibus, vel etiam primæ, quod in Philosophia vitandum est, quoad fieri possit: quia recta dispositio vniuersi postulat, vt per causas secundas fiat quidquid commodè, & connaturaliter fieri potest. Quartò denique, quia hic modus efficientiæ consentaneus est naturę accidentalis formæ, quæ substantiæ datur non solùm ad ornamentum, & pulchritudinem, sed etiam ad exercendas actiones suas, vt de aliis actionibus inductione constat.

B

XV. Dices esse disparem rationem de hac actione & de aliis, nam aliæ actiones sunt accidentales, vt intellectio, visio, calefactio, &c. Hæc autem actio est substantialis, id est, per se primò terminata ad substantialem terminum: & ideò licet ad alias actiones accidentia sint apta ad instrumenta, non verò ad hanc, quia principium proximum agendi debet esse proportionatum actioni, & ideò si actio sit superioris ordinis, etiam principium esse debet. Vt verbi gratia, quia intellectio, est spiritualis actio, non dedisset natura aptum principium ad illam, si potentiam seu instrumentum materiale contulisset, etiamsi anima,, quæ est principale principium, sit spiritualis: sic ergo ad substantialem actionem non erit accidens accommodatum instrumentum, etiamsi forma sit substantialis. Ad hoc respondeti potest ex Caiet. 1. par. quæst. 54. artic. 3. generationem substantialem non esse propriam operationem vel actionem, sed esse terminum præcedentis motus seu alterationis, & ideò principium alterationis esse aptissimum instrumentum aut principium generationis. Quam responsionem aliqui moderni ita amplectuntur, vt in ea ferè fundent totam probabilitatem sententiæ Diui Thomæ de hac efficientia accidentium: & existimant ante Scotum neminem posuisse hanc actionem ab alteratione distinctam. Miror tamen, quòd potuerint in hanc sententiam induci, quæ mihi videtur & doctrinæ Aristotelis, & eorundem principiis, & euidenti rationi contraria.

C

Aristoteles.

Aristoteles enim toto primo lib. Physic. & 1. de Generat. hoc præcipuè agit, vt generationem substantialem ab alteratione distinguat: & in 5. Physicor. cùm ad tria Prædicamenta dicat esse per se motum propriè dictum, ait ad substantiam nõ esse motum, sed mutationem, quia non est ex subiecto in subiectum, sed ex ente in potentia in ens simpliciter. Vnde eisdẽ locis distinguit principia generationis à principiis aliorum motuum, quæ sunt propria materia vt est pura potentia, & substantialis forma, & priuatio.

XVI. Deinde illi authores æquiuocè vtuntur vocibus, cùm aiunt generationem esse terminum motus seu alterationis, nam potest dici terminus intrinsecè & propriè, & sic est planè falsum, nam talis terminus alterationis non est nisi qualitas, quæ per eam fit: imò in vniuersum impossibile est actionem esse terminum alicuius motus, quia de intrinseca ratione actionis est vt sit via, & quòd non per aliam actionem fiat, sed per se ipsam. Alio modo dici potest terminus successiui motus tanquam mutatio instantanea extrinsecè terminans motum. Quod duobus modis potest intelligi. Primò, quod illa sit quædam indiuisibilis mutatio, seu quoddam mutatum esse, quod reductiuè pertinet ad eundẽ motum, & in re est eiusdem rationis cum mutatis esse continuantibus motum. Et hoc dici non potest de generatione respectu alterationis præcedentis, quia neq; est eiusdem ordinis cum alteratione, neque ad illam vllo modo reducitur. Et præterea, quia mutatio terminans motum intra rationem seu latitudinem eius, confert aliquid ad consummandum terminum motus intra propriam rationem & entitatem, vt mutatum esse in quo primo non est motus localis, consummat illud vbi, quod per talem motum fit, & in eo instante incipit esse, cum anteà nondum esset: & idem est proportionaliter in alteratione, quia in eo instanti fit aliquis terminus qualitatis, qui anteà non erat. Per generationem autem non fit aliquis terminus qualitatis, intrinsecè & intra proprium genus pertinens ad consummationem eius, sed fit noua forma altioris rationis. Ergo non potest generatio hoc modo dici terminus motus seu alterationis. Alio igitur modo dici potest terminus extrinsecus tantùm propter immediatam consecutionem, vel concomitantiam. Et hic sensus est verus, tamen hoc non impedit, quo minùs generatio sit actio distincta: sic enim illuminatio est terminus motus, & est propria actio. Et creatio animę rationalis potest hoc modo dici terminus generationis quoad alterationem præcedentem, quam nemo negabit esse actionem distinctam, & à fortiori idem est de vnione illius animæ ad corpus, cùm hæc sit posterior actio, quam creatio animæ. Si ergo generatio hominis est actio distincta ab alteratione, licet sit terminus illo modo: idem à fortiori erit in reliquis. Atq; hoc maximè necessarium est, si supponamus (vt dicti authores supponunt) in instanti generationis totam præcedentem alterationem, & intrinsecum terminum eius desinere esse: sic enim generatio nõ potest dici terminus, nisi quia immediatè succedit post illam alterationem: ergo illa non potest non esse noua actio, quia immediata consecutio vnius post aliud non tollit nouitatem & distinctionem actionis.

Generatio an & qualiter termiuus alterationis.

XVII. Vnde tandem argumentor à priori, quia generatio est realiter, essentialiterq; distincta à tota alteratione præcedenti: ergo est per se propria & noua actio. Antecedens patet, quia est eductio nouæ formæ, realiter distinctæ à præcedenti, & fit in subiecto distincto, scilicet in materia prima immediatè; alteratio verò fit, vel in toto composito, vel saltem in materia, media quantitate. Deniq; quia tota alteratio duratione præcedit, & iuxta probabilem opinionem etiam eius intrinsecus terminus nõ manet. Consequẽtia verò probatur, quia illa actio est eductio nouæ formæ, quæ per se primò tendit ad nouũ compositũ per se vnum: ergo est per se noua actio. Dicent fortasse non esse propriam actionem, sed resultantiam quandam ex priori alteratione. Sed hoc dici non põt, præsertim si supponamus, accidentia

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ præcesserunt in corrupto, non manere in genito: nam aliqua forma non dicitur resultare ex aliqua actione, nisi quatenus resultat ex termino eius: quia vnaquæq; actio proximè sistit in suo termino. Vnde nihil resultat ex illa mediatè, nisi quatenus resultat ex termino eius: si ergo in instante generationis, neq; alteratio, nec termin⁹ eius manet, quomodo ex illa resultare potest substantialis forma? Dicēt fortasse, quia naturaliter succedit illi. At hoc non est resultare, nam resultātia dicit aliquem modum efficientiæ per naturalem dimanationem, quę esse non potest inter res, quæ proximè sibi succedunt, quando vni pereunti succedit altera, aliàs etiā ex forma corrupti dici posset resultare forma geniti. Quapropter hæc successio nō tollit necessitatem nouæ actionis, sed illam maximè requirit, vt ex vi eius possit forma introduci, qua expellatur altera, & consequenter accidentia, si ab illa pendebant.

XVIII. Vnde minùs etiam consequenter loquuntur qui cùm aliàs opinentur, accidentia quæ fuerunt in genito, non manere in corrupto, dicunt formam substantialem resultare in materia, virtute instrumentali accidentium quæ introducuntur per motum, cùm primùm ad certum terminum perueniunt: nam si illa iam non sunt, quomodo esse possunt instrumentaria virtus? Item, illa quæ perueniunt ad certum terminum intrinsecum, non sunt eadem, quæ anteà erant, & secundum illum terminum consequuntur formam iuxta illam sententiam; non ergo possunt esse instrumenta ad illam. Et præterea, vt suprà, disputando de materia accidentium, tetigimus, etiamsi eadem accidentia maneant, non possunt esse instrumenta ad substantialem formam: quia nullam habent propriam actionem præuiam, qua mediante eleuentur ad effectum principalis agentis. Quapropter hæc instrumentaria efficientia non accidentibus, quæ in passo fiunt, & materiam disponunt, sed accidentibus, quæ sunt in agente, à quibus illa alia procedunt, tribuenda est. Ex quo etiam fit, vt non possit verè dici forma substantialis resultare ab accidentibus disponentibus materiam. Deniq; quidquid sit de nomine resultātiæ, & quidquid sit an accidentia passi habeant etiam efficientiam in eductione formæ, negari non potest, quin illa C eductio sit noua actio, & maximè per se intēta, quia illa est propria actio, quæ fit in virtute substantiæ, nàm alteratio est actio propria ipsius accidentis secundum se, & est quasi medium ordinatum ad generationem, quæ est actio per se primò intenta. Sicut etiam nutritio est propriè ac per se actio; & augmentatio, teste Aristotele, est per se motus, quamuis neutra fiat, nisi præuia alteratione, & mediis dispositionibus, cum quibus possit partialis substantia aggenerari.

XIX. Aliter ergo respondendum est propositæ obiectioni, concedendo actionem qua educitur forma substantialis, esse substantialem ex parte termini, & esse nobiliorem omni actione vel alteratione, quam accidens potest virtute sua præstare, quod non solus Scotus inuenit, sed ante eum docuerunt Arist. lib. 2. Physic. tex. 14. & lib. 8. tex. 62. Auer. 4. libr. Physic. Comm. 129. Simplic. lib. 5. Physic. tex. 8. Idemq; secuti sunt post Scotum multi ex Thomistis, vt videre est in Capreol. 1. distinct. 13. artic. 3. ad argum. contra 1. conclus. Soncin. 7. Metap. quæst. 22. Ferr. 2. contra Gen. cap. 17. Et nihilominus dicunt, & rectè, hi authores, accidens proportionatum formæ substantiali posse esse ex natura sua instrumentum accommodatum ad talem actionem; quia licet in ratione entis sit inferioris ordinis forma accidentalis comparata ad substantialem, tamen in modo essendi habent proportionem, si vtraq; sit pendens à materia; & similiter commensurantur in ratione dispositionis & formæ, & eadem ratione possunt proportionari in ratione instrumentariæ virtutis & actionis, seu termini: nam sicut est connaturale substantiæ operari per accidentia sibi proportionata, ita est connaturale illi fieri per accidentales dispositiones sibi proportionatas, tanquam per instrumentum accōmodatum. Quapropter non est simile, quod obiiciebatur de potentia materiali respectu intellectionis spiritualis, quia ibi nulla esset proportio, nec in ratione subiecti, nec in ratione dispositionis, aut in alio genere: & ideò non esset accommodatum principium. Eò vel maximè, quod intellectus non est tantùm instrumentum, sed suo etiam modo principale principium intellectionis sibi connaturalis, vt sequente sectione dicam.

Sed potest quis instare, quòd, saltem in generatione hominis, non sint accidentia apta instrumenta, vt possint immediatè attingere actionem, qua B generatur homo: quia illa actio est vnitio animæ rationalis ad materiam, per quam proximè fit modus vnionis eiusdem animæ, qui modus immaterialis est, cùm realiter idem fit cum ipsa anima: ergo & illa actio vnitiua est spiritualis, nam est idem cum suo proximo ac formali termino: ergo non potest accidens materiale esse instrumentum ad talem actionem. Respondetur primò, concedendo totum, nam in conclusione non diximus accidentia esse instrumenta ad vniendam quamcunq; formam substantialem cum materia, sed ad educendam formam, vtique educibilem: ad vniendam autem rationalem formam satis est, quod accidentia seminis concurrant effectiuè ad disponendum & organizandum corpus: dispositiones autem ipsæ materialiter tantùm causent, & exigant illam vnionem; quod satis est, vt homo dicatur generare hominem, quamuis solus Deus, qui creat animam, effectiuè etiam illam vniat, vt tenuit Scotus in 4. distinct. 43. quæst. 3. artic. 3. & idem censet probabile ibi Richard. articul. 3. quæstio. 2. Idem etiam supponit Henric. Quodlib. 11. quæstio 14. dum ait, animam rationalem, creatam à solo Deo in corpore disposito ab agente naturali, se ipsam vnire absque efficientia noua extrinseci agentis, sed quasi per naturalem resultantiam vnionis ab ipsa anima: nam ex illa sententia etiam sequitur proximum agens in generatione humana, non attingere immediatè sua efficientia vnionum animę ad corpus, sed solùm remotè ratione dispositionum; quam opinionem tenent etiam Conimbricenses libr. 1. Physicor. quæst. 11. articu. 3. Secundò, si quis defendere v. lit, accidentia attingere instrumentaliter hanc vnionem, quod tenet Capreolus in 2. distinct. 15. quæstio. vnic. artic. 3. & clariùs in 4. distinct. 43. articul. 3. ad argument. Henrici & Aureoli contra 2. conclus. respondere potest, illam vnionem, tametsi in se immaterialis sit, participare tamen aliquas proprietates rei materialis, præsertim quòd à materia pendet in fieri & esse propter essentialem & actualem habitudinem ad illam: vnde etiam habet quandam extensionem ex parte illius; & propter hanc causam fieri posse, vt accidentia materialia eleuentur vt instrumenta ad illam vnionem faciendam: quod non videbitur difficile iis, qui credunt materiale phantasma esse instrumentum ad efficiendam speciem spiritualem.

Scotus. Richard. Henric. Conimbric. Capreol.

Secunda assertio.

XXI. Dico secundò. Negandum non est, quin forma substantialis suam habet propriam & principalem efficientiam circa eductionem similis formæ de potentia materiæ, immediatè per se ipsam simul influendo cum accidentali, & instrumentali principio, si in re coniuncta illi sit, & sufficienter approximata: quo fit, vt accidens in hac efficientia se gerat, vt instrumentum coniunctum formæ, & non vt omnino separatum quoad causalitatem. Tota hæc conclusio & intentio ac sensus eius, satis, vt opinor, declarata sunt in superioribus. Et ampliùs manifestantur, nam quando ignis, verbi gratia, generat ignem ex stupa sibi propinqua, dicimus ignem generantem non solùm per calorem suum instrumentaliter, sed etiam per suam formam substantialem principaliter influere in actionem, quæ ad eductionem formæ substantialis intrinsecè terminatur: non tantùm mediatè & remotè, quatenus dat B suo calori illud esse, & illam virtutem per quam causat, sed etiam quia proximè in suo genere simul influit cum suo calore. Et hoc ipsum seruari dicimus in omni eductione formæ substantialis, si aliunde ex parte agentis non sit impedimentum, vel ob carentiam existentiæ, vel ob distantiam loci. Fundamentum etiam huius assertionis sic expositæ, in superioribus insinuatum est: consistitque in duobus principiis. Vnum est formam instrumentariam per se solam, & quasi destitutam ab actuali influxu principalis agentis, non posse esse sufficientem in ratione causæ proximæ ad efficiendam formam se nobiliorem. Quod principium videtur mihi ferè ex terminis notum, qui si illa forma tunc non iuuatur actu à superiori, tantùm influit per id, quod in se actu habet: cùm ergo illud sit quid imperfectum, non potest per se solum efficere aliquid perfectius. Item repugnat calorem efficere formam substantialem sola propria virtute: sed quando se solo operatur sine influxu superioris formæ, tantùm operatur propria virtute: quia nullam aliam habet nisi illam, quæ connaturalis est suæ entitati, C seu quam habet ex vi sui proprij esse. Quòd autem habeat hoc esse à forma ignis, aut quòd natura sua sit facultas eius, aut quòd vice illius substituatur, vt quasi nomine eius agat: hæc (inquam) omnia cùm solùm addant calori relationes quasdam vel denominationes, satis esse non possunt, vt solus calor destitutus (vt sic dicam) omni superiori auxilio, sit sufficiens principium proximum, & immediatum talis actionis. Item quia aliàs calor eodem modo esset virtus producendi substantiam, sicut est virtus producendi calorem: quod ex ipso excessu substantiæ constat esse satis absurdum. Sequela patet, quia vtrumque habet calor, vt est quædam virtus substantiæ, & ab illa suum esse participat. Deniq; cùm virtus agendi caloris sub quacunque ratione nihil aliud sit quam entitas & perfectio eius, & hæc longè sit minor quàm in forma substantiali, intelligi satis non potest quomodo tota virtus, quæ per se sola sufficiens sit ad eductionem substantialis formæ in calorem transfundatur: non igitur potest solus calor loco totius principalis principij substitui.

Substantialis forma non est sufficiens ratio agendi non adiuncta forma quæ sit actio principalis.

XXII. Alterum principium in quo nititur assertio posita, est, hunc actiuitatis modum per se loquendo posse conuenire formæ substantiali materiali, si aliunde nō desint generales conditiones ad agendum requisitæ. Hoc autem principium videtur satis probatum in rationibus vltimo loco factis in fauorem opinionis Scoti, quas non parum confirmat Aristoteles 2. de generatione tex. 54. & 55. vbi reprehendens eos qui efficientiam formarum negabant, inquit: *Huc accedit quòd facultates per quas res gignuntur, variè instrumentarias corporibus attribuunt, atque interea causam, quæ ad formam pertinet, auferunt.* Nec satis est dicere formis attribui efficientiam, quia ab illis manant qualitates, per quas solas exercent omnes actiones suas, quia, vt suprà dicebamus, hæc non est propria & per se efficientia, sed tantùm remota & radicalis, nam actio quæ immediatè oritur à sola forma accidentali, à sola etiam illa per se & essentialiter pendet tanquam à principio proximo, vt omittam concursum causæ vniuersalis. Cuius signum est, quia si Deus conseruet calorem, verbi gratia, conseruari etiam potest omnis actio, quæ ab illo solo proximè procedit, vt etiam authores contrariæ sententiæ fatentur: ergo signum est, formam substantialem non esse principium per se talis actionis: ergo si forma nunquam potest actu influere cum facultate accidentali, nunquam habet veram ac propriam efficientiam; quod Aristoteles suprà reprehendit, & non parum derogat perfectioni substantialis formæ. Præterea nulla ostendi potest repugnantia in hoc efficiendi modo: ergo non est cur negetur: simili enim consecutione suprà probauimus habere causas secundas vim efficiendi: quia ad perfectionem creaturarum, & ad efficiaciam creatoris spectat, quòd habeant virtutem se communicandi, quantum naturis earum consentaneum est: ergo idem erit dicendum de formis substantialibus, quantum ad hanc efficientiam, si aliunde eis non repugnat: non potest autem ostendi vlla repugnantia, per se loquendo, neque ex parte formæ, quæ educitur, neque ex parte formæ educentis. Primum patet, quia illa forma & est finita, & fit (vt ita dicam) modo finito, id est per eductionem sine vlla admistione creationis. Secundum patet, quia illa forma non est minùs perfecta, neque est improportionata, cùm sit eiusdem ordinis: est enim actus materiæ nobilior vel æquè nobilis, & natura sua instituta, & maximè propensa ad generandum sibi simile.

lis forma materialis constituit suppositum potens efficere.

XXIII. Denique rationes secundæ sententiæ, vel non militant: vel non admodum vrgent contra hanc actiuitatem. Prima enim ratio ad summum probat non esse excludendam instrumentalem actiuitatem accidentium, non verò probat hanc influentiam formæ esse impossibilem, aut non esse necessariam. Duobus itaq; modis intelligi potest formam substantialem esse proximum principium alicuius actionis: vno modo exclusiuè (vt ita dicā) id est absq; consortio alterius principij proximi & instrumentalis. Et hoc modo non sequitur substantialem formam esse principium proximum alicuius propriæ actionis. Et hoc ad summum probant rationes factæ in illo argumento. Alio modo intelligi potest, quòd forma substātialis sit principium proximum, id est immediatè influens per suam substantiam in actionem seu effectum: non tamen sola, sed vt eleuans seu adiuuans instrumentariam virtutem, & vt determinata per illam ad talem actionem. Et hoc modo negamus excedere perfectionem formę substātialis esse proximū principiū principale agēdi alicuius

Secundæ sententiæ rationibus satisfit. Prima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuius actionis: quod non solùm in generatione substantiali, de qua nunc agimus, sed etiam in aliquibus operationibus accidentalibus verum esse ostendemus sect. seq. Neque rationes tactæ in illo argumento contra hoc procedunt: quia hic modus efficiendi non excludit accidentalem facultatem seu instrumentum.

XXIIII. Secunda. Tertia.

Secunda verò ratio ex falso fundamento procedit, vt ex dictis constat, nimirum quòd generatio non sit propriè actio ab alteratione distincta. Tertia verò parui est momenti, tum quia ad efficientiam in rigore sufficit contrarietas seu oppositio priuatiua, maximè vbi effectio non est per proprium motum successiuum, sed per mutationem instantaneam, qualis est generatio substantialis: tum etiam quia licet formalis contrarietas sit inter qualitates, tamen radicalis (vt sic dicam) est in formis substantialibus: & ideò non semper qualitas sola est principium actionis, sed interdum etiam forma, maximè quando per actionem, nō solùm qualitas contraria, sed etiam forma repugnans alteri formæ introducenda est. Deniq;, licet actio corruptiua, non sit nisi inter contraria, nihilominus qualitates ipsę non solùm efficiunt qualitates formaliter contrarias, sed etiam formas, in quibus est radix contrarietatis & repugnantiæ. Signum ergo est, quòd, licet actio incipiat à propria contrarietate, non tamen in ea sistit sed extenditur vsq; ad radicem eius: quid ergo mirum, quod ipsa etiam forma possit in suo genere esse principium talis efficientiæ, saltem prout attingit substantialem formā & radicem contrarietatis? Experientiæ verò, quæ vltimo loco afferebantur, non procedunt contra hanc conclusionem, quæ solùm ex hypothesi posita est, scilicet si forma sufficienter adsit: quid verò de illis dicendum sit, constabit ex assertionibus sequentibus.

XXV. Primam conclusionem secundæ non obstare, ostenditur.

Solùm potest contra has duas conclusiones afferri obiectio Scoti, nam videtur hæc secunda priori repugnare, quia si forma substātialis per se ipsam proximè influit ad efficiēdam similem formam, superflua est immediata actiuitas accidentium: si enim calor se solo sufficit in ratione principij proximi ad efficiendum similem calorem, cur forma ignis sola non sufficiet ad educendam similem formam, cùm iam supponamus posse imediatè influere in illam? Quod si illa sufficit, superuacaneum est aliud principium. Respondetur, primum necessarium fuisse, vt accidentia habeant instrumentariam actiuitatem: quia, vt statim dicemus, non solùm data sunt ad agendum in præsentia formæ: sed etiam in absentia illius, nam hoc sæpè necessarium est ad naturales generationes. Deinde hinc elicimus virtutem propriam disponendi & præparandi materiam, & virtutem instrumentariam educendi formam quando illa educibilis est, ex natura rei esse coniunctas, & ideò quamuis daremus ex parte formæ, quando illa sufficienter adest, non esse absolutè necessariam aliam vim actiuam, tamen quia hæc aliàs est per se necessaria & connaturalis, ideò tunc etiam concurrit, & multùm iuuat ad actionem. Tandem addi potest, fortasse etiam tunc esse necessariam illam virtutem, quia forma substantialis, per se sola nunquam est sufficiens principium actionis, cò quod ex se sit indifferens, & quasi generale principium actionis: & quia sicut forma substantialis ex parte materiæ requirit dispositiones accidentales, licet forma accidentalis illas non requirat, ita ex parte principii requirit consortium accidentalis instrumenti, vt de potentia materiæ educatur.

Tertia assertio.

XXVI. D. Thom.

Dico tertiò. Accidentia non ita sunt instrumenta coniuncta substantiæ ad formam substantialem educendam, quin possint totam suam actiuitatem circa substātiam exercere, etiamsi à substantiali forma distincta seu distantia sint. Hæc est clara Diui Thomæ sententia, quam sequuntur omnes authores suprà citati tam in secunda sententia prioris puncti, quàm in puncto secundo. Eamque probant naturales experientiæ suprà adductæ, & illa quæ, suppositio Eucharistiæ mysterio, sumitur ex actione specierum vini. Ratio autem à priori est, quia in his accidentibus, quacunq; ratione eorum entitas conseruetur disiuncta à propria substantiali forma, manet tota virtus agendi eis connaturalis, quia hæc in re non distinguitur ab eorum entitate: ergo si conuenienti modo applicentur alicui passo, habebunt circa illud connaturalem actionem, qua disponunt materiam eius ad formam ipsis proportionatam: sed cum hac actione, si ad terminum requisitum perueniat, ex natura rei coniuncta, est actio instrumentaria, qua educitur substantialis forma, quia hæc potest naturaliter separari ab vltima dispositione: ergo hanc etiam actionem possunt habere huiusmodi accidentia, etiamsi à propria forma distent, dummodo habeant totam intrinsecam perfectionem, vel intensionem necessariam ad agendum, & ad sufficienter disponendam materiam.

Quarta assertio.

XXVII. Dico quartò. Quando accidentia à sua forma disiuncta ita efficiunt substantialem formam, vt non possint à propria forma iuuari, necesse est, vt influxus propriæ formæ, qui ibi deest, per concursum alicuius superioris causæ suppleatur: quæ causa esse non potest aliqua intelligentia creata, sed esse debet aliqua causa corporea, vt Sol, vel alia similis, vel si hæc etiam desit, aut insufficiens inueniatur, per concursum primæ causæ totus ille defectus supplendus est. Hæc conclusio quoad priorem partem, necessaria consecutione sequitur ex præcedentibus, nam forma accidentalis sola, & destituta ope formæ substantialis, non est sufficiens principium, in ratione causæ proximæ substantialis formæ, vt in secunda assertione probatum est: ergo, quando deest illi influxus formæ substantialis, non potest consummare effectum principalis agentis nisi influxus ille aliunde suppleatur, quia nunquam potest fieri effectus sine sufficiente causa. Contingit autem sæpè accidentia sine influxu propriæ formæ pertingere actione sua vsque ad substantialem effectum: ergo tunc suppletur ille influxus per concursum alicuius causæ superioris, quia non est aliud principium, in quod talis actio referri possit, quia inferior causa non sufficit propter eandem rationem sæpè repetitam, & æqualis nulla interuenit. Declaratur deinde hęc assertio ex quadam communi sententia omnium Philosophorum: omnes enim sentiunt aliquos effectus substantiales tribuendos esse alicui causæ superiori, vel cœlesti, vt proximæ causæ principali, ob defectum causæ particularis, seu vniuocæ: sic aiunt animalia, quæ ex putrefactione generantur, fieri virtute cœlesti: idem de mineralibus,

ralibus, & de forma cadaueris idem multi sentiunt. At verò si sola accidentia sufficerent ad efficiendam formam substantialem sine iuuamine superioris causæ, nunquam oporteret recurrere in his effectibus ad causam superiorem; sed dicendum semper esset vnum quodque fieri à suo simili, vel formaliter vel virtute existente in suis accidentibus, absque alio influxu cœli, vel alterius causæ vniuersalis, præter eum quem habet cum cæteris causis. Vt verbi gratia, si verum esset, in ferro candente nullum esse formalem ignem, sed solùm intensum calorem, sufficientem ad disponendam materiam ſtupæ ad formam substantialem ignis, tunc licet tale ferrum generaret ignem, nec cœlum, nec Deus concurreret maiori concursu, quam si ignis generaret ignem, & consequenter illa generatio ignis non magis tribueretur causæ vniuersali, quàm si ignis generaret: ergo pari ratione, quando aurum generatur in visceribus terræ, non concurrit ibi Sol speciali aliquo influxu ad formam substantialem auri, sed accidentia quæ disponunt sufficienter materiam ad formam auri (hæc enim semper sunt necessaria in eductione cuiuscunque formæ) in virtute formæ auri inducent similem formam: ergo non generatur aurum à cœlo, sed ab auro, & cadauer à cadauere, & sic de omnibus aliis, hoc autem alienum est à sensu Philosophorum omnium dicentium, in illis euentibus causam vniuersalem supplere defectum particularis: ergo idem dicendum est, quoties similis defectus interuenit. Atque hoc magis declarabitur, discurrendo per nonnullos effectus in particulari.

XXVIII. Variis modis contingit accidentia esse separata à sua forma substantiali.

Variis enim modis contingere potest accidentia esse separata à sua forma substantiali. Primo modo, quia diuina virtute extra omnem substantiam conseruantur, vt in mysterio Eucharistiæ contingit. Et tunc accidentia separata, verbi gratia, species vini, propria quidem virtute, & generali cōcursu Dei disponunt guttam aquæ, verbi gratia, eis admistam, vt eam in vinum conuertant, cùm tamen perueniunt ad instans substantialis transmutationis, adhibent quidem eadem accidentia totam instrumentariam efficientiam, quam ex natura sua possunt adhibere ad eductionem formæ; tamen quia deest influxus substantialis formæ, necesse est vt præter concursum generalem, Deus adhibeat maiorem efficaciam, qua suppleat influxum illius formæ. De qua re dixi 3. Tom. 3. part. disput. 57. sect. 1. vbi authores retuli, qui ita philosophantur, & nihilominus vocant illam actionem naturalem, quia totus ille concursus debitus est, suppositio priori miraculo: in reliquis autem omnibus actio fit virtute & modo naturali.

XXIX. Alio modo contingit accidens esse separatum à propria forma substantiali, quia est in extraneo subiecto, sicut est intensus calor in aqua, aut ferro, vel sicut est lumen in aere: vocamus enim subiectum extraneum, non solùm quod est repugnans, sed etiam quod ex vi suæ formæ non habet tale accidens, nisi illud ab extrinseco agente recipiat. Accidens autem sic existens in extraneo subiecto, si sit eiusdem speciei cum dispositionibus requisitis ad formam introducendam, rarò est potens ad efficiendam sufficientem dispositionem ad formam illi connaturalem: vnde vel habere debet coniunctam formam in ratione principij actiui, vel omnino per accidens sequetur generatio ex materiæ dispositione, & tunc necessaria magis erit virtus causæ superioris. Et ratio est, quia calor, verbi gratia, separatus ab igne, vel ab animali, per se loquendo non sufficit ad disponendam materiam sufficienter ad formam ignis, quia existens in extraneo subiecto nunquam habet intensionem necessariam ad formam ignis; neq; etiam sufficit ad generandā carnem, vel introducendam animam, quia in extraneo subiecto non est ita temperatus, sicut dispositio animæ requirit. Quæ ratio generaliter procedit de quocunque simili accidente, nam in extraneo subiecto, vel non pertingit ad gradum, quem alia forma requirit, vel non habet coniunctas alias qualitates requisitas ad temperamentum talis formæ: & ideò, per se loquendo, non potest sufficienter disponere ad illam formam, & consequenter nec illam instrumentaliter in materiam primam introducere. Vnde in exemplo illo vulgari de ferro ignito, calor qui inhæret ferro, re vera non sufficit ad generandum ignem, habet tamen coniunctum aliquem verum ignem intimè illapsum in poris ferri à quo generatur ignis, calor verò ferri iuuat ad velocitatem, & vehementiam actionis. Accidit etiam interdum ex dispositione passi, vt licet proximum agens non introducat nisi calorem in aliquo gradu, per accidens resultet dispositio ad formam valdè diuersam, vt si materia sit humida, & ab igne calefiat, facilè resultat temperamentum calidi, & humidi, & forma aliqua misti, requirens illam dispositionem. Et hoc modo generantur plurima mista, præsertim imperfecta: forsasse etiam mineralia sæpè fiunt hoc modo. Aliquando enim probabile est fieri per se, per actionem sui similis, quasi per accretionem, & augmentum, non quidem vitale, sed per iuxtapositionem. Animalia item, quæ ex putrefactione, aut ex pluuia cadente in terram calidam generantur, hoc modo per accidens fieri videntur. Et in huiusmodi generationibus per accidens, non est creditu difficile requiri virtutem superioris agentis, à quo tales formæ introducantur: quia proximum agens, non solùm non habet substantialem formam similem vel æqualem, verùm etiam neque qualitatem, aut temperamentum per se sufficiens ad disponendam ac præparandam materiam, & consequenter, neque ad instrumentariam actionem sufficientem. Dispositiones autem quæ recipiuntur in passo, vt sæpe dixi, non concurrunt actiuè, etiam instrumētaliter, ad introducendam suam formam, quia vel iam in illo instante non sunt, sed aliæ resultantes ex forma, vel si sunt eædem, non habent ibi vllam actionem propriam, & ideò neque instrumentariam habere possunt: ergo in his omnibus generationibus, quæ veluti per accidens fiunt, meritò exigitur superior aliqua causa, quæ formam introducat. Et eadem ferè ratio est de introductione formæ cadaueris, quæ quasi per accidens fit, ne materia maneat sine forma, & non tam fit iuxta actionem agentis interficientis animal, verbi gratia, quæ sæpè tantùm est diuisio continui, sed fit iuxta dispositionem materialem, quæ in passo manet, aut præerat. Idem est, quando ex vehementi motu collisionis, aut percussionis corporum excitatur ignis, medio vehementi calore, quem motus ille causat in aliqua particula materiæ, ad illum bene dispositæ. Ac denique eadem ratio est de omnibus generationibus, quas per accidens fieri contingit.

Ferrum candens an verò ignitum in aliqua parte.

XXX. At verò si accidens existens in extraneo subiecto, non est eiusdem, sed superioris rationis respectu dispo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dispositionum, quibus inferior materia præparatur ad formam rei generandæ, fieri potest, vt medio illo accidente fiat alicuius inferioris substantiæ generatio, non solùm per accidens, ratione dispositionum materiæ, sed etiam per se ex intentione superioris agentis. Quod tunc accidit, quando principale agens, eò quod loco distat, mediatione (vt aiunt) suppositi diffundit virtutem aliquam per medium, vt per eam coniungatur passo immediatione virtutis, quomodo cœlum agit in hæc inferiora per lumen, aut alias influentias, quæ sunt qualitates superioris ordinis, & rationis à qualitatibus elementaribus, quibus proximè materia disponitur. Et de hoc actionis genere dici potest, quamuis principale agens videatur loco distare, non tamen cessare ab actuali influxu: quia est intra sphæram actiuitatis, & media virtute diffusa contingit passum. Et ita posset intelligi, actionem non esse à solo accidente, vt ab instrumento omnino separato, sed vt coniuncto in ratione causandi suo principali agenti. Verùm hoc pendet ex difficultate infrà tractãda de propinquitate necessaria inter agens, & passum, & ideò vsq; ad illum locum differatur.

XXXI. Vltimò potest accidens, quamuis non sit in extraneo subiecto, esse separatum à principali generante, quia tam ipsum accidens, quàm subiectum eius, est à generante decisum, & constitutum, vt in agendo obtineat vices suas. Et hoc maximè contingit in generatione animalium, medio semine, quod propriissimè est instrumentum separatum, non solùm subiecto, sed etiam loco, & interdum etiam tempore: contingit enim semen efficere generationem, quãdo generans iam non existit. Ex quo etiam clarè constat, tale instrumentum esse separatum in causalitate ab animali à quo decisum est, & ideò in hoc instrumento clarior apparet necessitas alicuius influxus superioris causæ, alioqui cùm semen sit res valdè imperfecta, non apparet quomodo possit se solo efficere rem longè perfectiorem tanquam causa proxima sufficiens. Nam quòd sit virtus à perfectiori re decisa, & vice sui relicta, licet sufficiat ad aliquam instrumentariam actionem, vt sentit etiam Aristoteles secundo de Generatione animalium, capitulo primo, tamen non potest esse satis, vt absolutè sit totale agens proximum. Neque etiam satis est, si quis dicat semen non tantùm esse instrumentum ratione accidentium, sed etiam ratione formæ substantialis, quæ est in spiritu incluso in crassiore parte seminis, in quo est seminalis, & instrumentaria virtus. Quamuis enim hoc sit probabile, non tamen sufficit, quia tota illa substantia, & eius forma est multò minùs perfecta, quàm anima quæ per eius actionem introducitur: indiget ergo maiori concursu, & iuuamine superioris causæ, maximè in generatione animalium, & viuentium perfectorum.

Lege Arist. 2. de Generat. animal. c. 1. & 3. & D. Tho. 1. p. q. 118. art. 1.

XXXII. Imò addunt aliqui, præsertim Scotus in secundo, distinctione 18. etiam ad dispositionem accidentalem organici corporis non esse sufficientem illam virtutem seminis, quia est tam varia, & multiplex illa actio, vt nullo modo appareat, qua ratione possit à simplici, & imperfecta virtute, & merè naturaliter agente perfici. Vnde Commentator, quem etiam Scotus citat secundo de cœlo, Commento sexagesimo nono, & sequentibus, ait semen agere & organizare virtute diuina. Et septimo Metaphysicæ, textu trigesimo primo, ait virtutem seminis esse diuinam, artificiosam, & intellectuali virtuti similem,

Organizatio fœtus à quo fiat.

A & ideò (inquit) *dubitat Galenus, an illa virtus sit creator, aut non.* Quod tractat Galenus lib. *de Fœtus formatione*, vbi se, etsi multùm hac in re laborasset, nihil tamen inuenisse, quod sibi satisfaceret, ingenuè & libenter confitetur: concludit tamen, mirabilem operationem seminis non esse absque aliquo rationis, & intellectus compote. Et verè est ita mirabilis illa actio, vt vix aut ne vix quidem possit intelligi. Si ergo ipsamet actio organizandi corpus vix potest intelligi in semine sine aliquo peculiari concursu, & iuuamine superioris causæ, quid mirum est, quòd ad ipsam substantialem formam ex materia subiecta educendam maiori ope & auxilio indigeat? Nam sine dubio est inter hæc magna differentia, & latum discrimen: cùm enim organizatio corporis non substantialis sit, sed accidentalis, rectè potest intelligi, ad totam illam esse quasi eminentem, & vniuersalem virtutem in semine, siue ratione formæ substantialis, siue ratione alicuius facultatis accidentalis: vtraque enim intelligi potest esse instrumentum animæ, sufficiens ad effi- B ciendum temperamentum primarum qualitatum proportionatum, & connaturale membris organici corporis: solùm videtur requiri aliqua diuersa applicatio, vt eadem virtus seminis possit tam diuerso modo varia membra disponere, & in ordinem mirabilem, qui in membrorum dispositione debita apparet, vi sua redigere. Et ad hoc fortasse iuuatur ab aliqua naturali facultate materni vteri, vel ab aliquo influxu cœlesti, vel certè (si opus sit) ab aliqua motione vel directione authoris naturæ. Eò vel maximè, quòd semen non perficit à principio, sua sola virtute, totam organizationem corporis, sed alicuius partis principalis; in quam sensitiua anima introducatur, quæ posteà paulatim perficit sui corporis organizationem, vt latè declarat Diuus Thomas prima parte, quæstione 118. articulo primo ad quartum. At verò, quantum ad productionem ipsius animæ sensitiuæ attinet, non solùm deest in semine virtus, quantum ad modum actionis, sed etiam quoad substantiam actionis (vt sic dicam) & ideò multò magis indiget, quoad hanc actionem actuali ope, influxu, & concursu superioris causæ, vt C rem hanc apud se diligenter perpendenti, facilè constabit.

D. Thom.

XXXIII. Obiectio contra dicta.

Solùm potest obstare, quia videtur esse, & contra debitum naturæ ordinem, & contra perfectionem horum agentium, vt semper in eorum generationibus causa superior, vel prima supplere debeat defectum causæ proximæ. Quando enim ex fortuito concursu causarum, & per accidens contingit, vt aliqua generatio fiat sine sufficiente causa proxima magis ex necessitate materiæ, quàm ex intentione alicuius agentis naturalis, tunc mirum non est, quod in forma introducenda vniuersalis causa supplere debeat defectum particularis. At verò, quòd in ipso modo generationis per se instituto à natura, causa proxima semper sit adeò imperfecta, vel tam imperfecto modo applicet virtutem suam, vt nunquam inueniatur sufficiens ad effectum, videtur esse & inordinata naturæ institutio, & magna imperfectio causarum particularium hoc modo generantium. Et confirmatur, nam agentia corporea inanimata habent, per se loquendo, sufficientem virtutem ad producendum sibi similia: ergo animantia, cùm sint longè perfectiora rebus inanimatis, debent illam habere. Confirmatur secundò,

dò, quia aliàs eadem facilitate dici posset, huiusmodi A causam secundam, nihil agere in eductione formæ substantialis, sed totum fieri à prima causa supplente defectum causæ particularis. Quod si hoc videtur inconueniens, quia non est consentaneum naturis rerum, etiam illud videri debet.

XXXIV. Pro solutione obiectionum quæstionis.

Antequam huic obiectioni plenè satisfaciam, explicare oportet, quæ sit causa vniuersalis, quæ hunc defectum particularis supplet, seu instrumentum eius adiuuat, quod in posteriori parte superioris assertionis proposuimus. In qua primum diximus, hãc efficientiam non posse tribui intelligentiis creatis, quia existimamus eas nullam habere vim ad efficiẽdum aliquid in corpora præter motum localem, vt inferiùs dicemus, de illis ex professo tractantes. Vnde actiones naturalium agentium per se non pendent ex concursu creatarum intelligentiarum, sicut neque in esse ab eis pendent, & ideò, quando indigent maiori ope & concursu, non ab eis illum cõcursum aut iuuamen expectant, sed ab aliqua alia causa, cui per se subordinentur. Non desunt tamen, qui dicant intelligẽtias, licet per se ipsas non possint hoc modo in corpora influere, tamen per cœlos, vt B per instrumenta sua, posse. Sed quàm sit hoc intellectu & creditu difficile, statim dicam. Superest ergo, vt huiusmodi causa vniuersalis sit vel cœlum, vel ipsemet author naturę Deus: nam prẽter has non potest alia causa superior excogitari. Et cœlum quidem ex se videtur agens proportionatum, quia cùm sit corporeum, & aliunde sit cuiusdam superioris ordinis ac perfectionis, eminentiorem virtutem habet alterandi corpora inferiora, vt ipsa etiam experientia, per se satis nos docet. Et ideò mirũ non est, quod virtutem habeat etiam substantias generãdi: ergo & iuuandi accidtiaẽ ad substantiarum generationem.

XXXV. Duo tamen, eaq; non contemnenda, interueniũt impedimenta, quæ hanc cœlorum influentiã in substantiales formas rerum generãdarum videntur difficilem reddere. Primum impedimẽtum est, vniuersale respectu omnium, quæ in terra, vel aliis elementis generantur, siue viuentia sint, siue inanimata, quia scilicet, vel cœlum agit ad eductionem formarum substantialium per sola sua accidẽtia, vel etiam per suam formam substantialem immediatè. Si dicatur primum, insurgit eadem difficultas, in qua versamur, quomodo illa accidentia sine actuali influxu suæ, vel alterius formæ substantialis, per se sufficiant ad substantialem formam educẽdam. Nisi fortè quis respondeat accidentia cœlestia esse perfectiora entia quàm sint formæ materiales rerum generabilium, præsertim inanimatarum. Sed hoc absolutè falsum est; nam vt infrà ostendam, forma substantialis non solùm ex genere, sed etiam vniuersè & in singulis est perfectior ens quolibet accidente. Et in aliquibus est perfectius ens quolibet accidente. Et in aliquibus est per se incredibile, vt de forma auri, argenti, & gemmarum, &c. Eò vel maximè, quòd corpora cœlestia proximè efficiunt hos effectus, mediis qualitatibus quas aeri, & aliis corporibus intermediis imprimũt, vt sunt lumen: & si fortè sunt aliæ qualitates insensibiles, quæ non sunt perfectiores ipsa forma aeris, nedum aliis omnibus. Si ergo ob hanc causam necessaria est propria & actualis efficientia ipsius formæ Solis, vel aliorum astrorum, obstare videtur, nimia distantia localis, quo modo enim potest forma Solis immediatè per se ipsam efficere formã auri in viscẽribus terræ à se tam longè distantibus & remotis? Propter quam difficultatem Scotus dixit posse aliquam formam immediatè agere in distãs, quod vix possunt audire, aut ferre cæteri Philosophi: pugnat enim hoc Scoti dictum cum Aristotelico dogmate ab omnibus Philosophis recepto. Nec huic difficultati satisfaciet qui dixerit, quòd sicut efficiẽtia accidentium Solis penetrat vsque ad intima terræ, ita etiam efficientia formę Solis. Non est enim vtrobique similis ratio; nam accidentia diffundunt virtutem suam, mediis aliis accidentibus à se productis: forma autem substantialis non potest suam virtutem diffundere, mediis formis substantialibus, vt per se facile constat, quia neque corrumpit corpora intermedia, nec potest formas substantiales formis addere sicut accidentia. Quòd si formas Solis solùm mediis accidentibus diffundit virtutem suam, deuoluuimur in priorem difficultatem, quia iam non immediatè influit ipsa forma Solis in eductionem alterius formæ, sed per accidentia tantùm.

XXXVI. Ad hanc difficultatem duobus modis responderi potest. Primus est, cœlum aut Solem per suam formã substãtialem simul cum accidentali virtute influere immediatè in hæc inferiora, immediatione virtutis, etiamsi non sit illis immediatè coniunctus immediatione suppositi. Hic autem modus dicendi, & difficultatem non paruam habet, & modus probabilis defendẽdi illũ, explicari non potest vsque ad sectionem quartam, in qua declarabimus, quomodo agẽs debeat esse passo coniunctum, vt in illud agere possit, & ideò vsq; ad illum locum differatur. Secundus modus est has formas substantiales non effici sola virtute principali cœlestis influxus, sed necessarium esse, vt author naturæ maiorem concursum adhibeat, quo effectum causæ proximæ suppleat; cœlo autem attribui hos effectus, vel generali ratione, secundum quam dicitur Sol, & homo generare hominem, quam inferiùs declarabimus, tractãdo de causis essentialiter subordinatis, vel interdum specialiori titulo, scilicet, quia cœlum gerit vicem causę proximæ, & adhibet totam efficientiam, quam vel ad disponendam materiam, vel ad educendam formam per instrumentariam actionem qualitatum adhibere solent causæ particulares per instrumentarias virtutes, etiamsi per proprias formas immediatè influere non possint. Et fortasse hoc modo efficit Sol aurum, vel alia mineralia.

XXXVII. Viuentia an possint cœlũ efficere.

Secundum impedimentum minùs generale est de formis viuentium; nam cùm cœlum non sit animatum, etiamsi distantia localis non impediat, quò minùs per formã suam influere possit nihilominùs imperfectior gradus videtur obstare, ne in has formas viuentium possit influere. Respondent aliqui quamuis cœlum non viuat, nihilominùs eius formam ratione suæ differentiæ specificæ esse simpliciter perfectiorem his viuentibus, quę à cœlo generantur. Quę responsio sumi potest ex D. Thom. 1. part. quæst. 115. art. 3. ad 3. vbi ait, corpora cœlestia sua vniuersali virtute continere in se quidquid in inferioribus generatur, & quæst. 105. art. 1. ad 1. ait, effectum assimilari agenti, vel secundum speciem, vel secundum virtualem continentiam: *Et sic* (inquit) *animalia ex putrefactione generata & plantæ, & corpora mineralia assimilantur Soli & stellis, quorum virtute generantur.* Sed in primis licet respectu imperfectorum viuẽtium seu animalium probabile sit, quod in ea responsione assumitur, tamen respectu animalium perfectorum non videtur verisimile, quia & in operationibus, & in modo operandi videntur multùm excedere perfectionem cœli. Deinde, cùm gradus vitæ vt sic, perfectior sit gradu non viuentium, impossibile videtur

D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

formam, quæ non est anima, eminenter continere aliquam animam, vt possit esse principiũ principale causandi illam; nam forma quę eminenter continet animam, continet etiam gradum vitæ, non quidem secundum totam potentialitatem eius; sed secũdum actualẽ ac pręcisam perfectionẽ eius, non potest aũt intelligi, quòd forma sub inferiori gradu contenta, eminẽter contineat perfectionẽ superioris gradus.

XXXVIII. Est igitur alia responsio, cœlum propria virtute non posse efficere formas viuentium; tamen quia non agit, nisi vt motum ab Intelligentia, ideò in virtute Intelligentiæ, cuius est instrumentum, posse efficere huiusmodi formas. Ita respondet Diuus Thomas prima parte, quæstione 70. articulo quinto ad tertium: vnde in prioribus locis videtur loqui de cœlo vt coniuncto Intelligentiæ, seu prout illam includit. Sed hæc etiam responsio mihi est ad intelligendum difficilis, quia non existimo Intelligentiam imprimere cœlo aliquid præter localem motum, qui non deseruit ad augmentum virtutis actiuæ, sed solùm ad variam eius applicationem, vt satis significauit Aristoteles libro 2. de Generatione, cap. 9. textu 55. *Nam impulsus propterea continuam parit generationem, quòd Solem procreandarum rerum authorem admoueat, & remoueat.* Et ratione patet; nam quid est quod angelus imprimit cœlo præter motum, cùm qualitates vllas ei imprimere non possit? nam materia corporalis solùm quoad motum localem obedit angelis, vt idem Diuus Thomas tradit prima parte, quæstione 110. articulo 2. & 3. Quod si nihil præter motum Intelligentia cœlo imprimit, quomodo potest virtutẽ eius augere ad augendum aliquid vltra propriã perfectionem; nam motus localis per se non est actiuus, neque dat virtutem agendi. Neque in hoc sunt comparanda agentia physica, quales sunt cœli, cum instrumentis artis, in quibus motus deseruit ad formã artis, quia hæc nihil aliud est, quàm modus resultans ex vario situ, aut loco alicuius corporis, & partium eius: quæ variantur per motum: at verò agentia physica inducunt proprias & perfectas formas, quæ per se no resultant ex motu, sed tantùm per accidens, quatenus per motum applicatur virtus agendi. Præterea cœlum natura sua non est instrumentum Intelligentiæ, quia nec habet naturalem habitudinem ad illam, neque aliqua Intelligentia ex natura sua est coniuncta cœlo, aut destinata ad motum eius, sed tantùm ex arbitrio, ac beneplacito authoris naturæ. Neq; etiã ratione solius motus localis fit instrumẽtũ aliàs quisquis applicat ignem aut aliam causam agẽtẽ, vteretur illa vt instrumẽto physico, & ob eã causã posset ignis applicatus aliquid amplius agere in virtute applicantis, quod est planè falsũ. Sequela patet, quia nihil amplius habet cœlum ab Intelligentia, quàm applicationem, neque aliquid magis vel minùs habet cœlum, eò, quòd ab Intelligentia magis vel minùs perfecta moueatur, vel à quacunq; alia re, dũmodo æqualem motum recipiat. Denique cùm dicitur cœlum efficere viuentia in virtute Intelligentiæ viuentis, interrogo an Intelligentia simul cum cœlo actu per se ipsam & immediatè influat, & efficiat animas viuentium, vel solùm per cœlum, ita vt actio Intelligentiæ sistat in motione cœli, à quo immediatè reliqua efficientia oriatur. Primum est falsum, & contra doctrinam Diui Thomæ, vt sæpe diximus & magna ex parte coincidit cum opinione Auicennæ. Si autem secundum dicatur, non expeditur difficultas, quomodo instrumentum non habens in se sufficientem formam, possit efficere effectum absque actuali adiutorio superioris & principalioris causæ. Veriùs ergo & meliùs dicetur cœlum propria quidem virtute non posse efficere animas, vt in dicta secunda responsione supponitur, tamen efficere illas in virtute Dei, vt authoris, & generalis prouisoris naturæ, qui suo maiori concursu supplet quidquid virtutis deest in proximis causis.

Cœlum cum intelligentia viuens generare nequit.

XXXIX. Dicendum est ergo, quotiescunque in his rebus inferioribus deest influxus formæ substantialis ad similem educendam, illam suppleri virtute causarum cœlestium in his effectibus, qui non excedunt perfectionem & virtutem earum: in his verò, qui illas superant, suppleri per efficientiam primæ causæ, ad quam spectat generalem concursum necessarium præbere causis inferioribus, iuxta naturalem capacitatem & indigentiam earum. Vnde non solùm in cuentibus seu effectibus, qui per accidens contingunt, sed etiam in his, qui veluti per se comitantur naturas aliquarum rerum, & consequuntur ex naturali modo agendi earum, pertinet ad authorem & prouisorem naturę Deum, vt hoc modo cum causis secundis ad agendum concurrat. Quapropter interdum est debitus hic concursus Dei ex generali ratione naturæ vniuersalis, ne peruertatur ordo vniuersi, aut materia sine forma maneat, vel in nihilum transeat, sicut aquam moueri sursum ad replendum vacuum, est solùm ex causa naturæ vniuersalis, & ideò creditur fieri ex solo imperio, & impulsu authoris eius, nisi fortasse id muneris sit à Deo commissum alicui Intelligentiæ, quia motus localis non excedit actiuitatem, & ministerium eius, de quo aliàs. Aliquando verò debetur talis concursus ex propria natura & conditione alicuius agentis particularis, quod non est aptum alio modo communicare, vel propagare naturam suam, vt in generatione animalium perfectorum accidere credimus, & in hominis generatione est certissimum: longè tamen altiori & nobiliori ratione. Nam quia hominis anima non solum perfectior, sed etiam altioris & superioris ordinis est, quàm reliquæ omnes, ideò ad hominis generationem non solum maior concursus authoris naturæ, sed altior etiam modus efficiendi animam necessarius est, scilicet, per creationẽ. Quo fit, vt humanum semen, neque instrumentaliter possit ad illam efficiendam operari: sed tantum ad organizandum corpus. In aliorum vero animalium eriam perfectorum generatione, quia animæ materiales sunt, educuntur de potentia materiæ, & ideo potest semen instrumentaliter saltem concurrere ad earum effectionem, non tamen sine ope superioris causæ, quæ suppleat assistentiam (vt sic dicam) & actualem influxum principalis formæ.

Quo sensu Deus in genere causæ formalis suppleat.

LX. Neq; in hoc est aliqua imperfectio vel inordinatio naturę, vt suprà obiiciebatur, sed est naturalis conditio seu indigentia, quam secum affert modus generationis, & propagationis, quem talis species naturæ sua postulat. Sicut quod ad hominis generationem requiratur infusio animæ per creationem, non est imperfectio aut inordinatio naturę, sed cõditio naturaliter consequens ad talẽ hominis naturã, & ideo non est extraordinaria illa acto, sed debita ex cõmuni lege, suppositã institutione talis naturæ: sic ergo in præsenti dicendum est, non omnino eadem, sed proportionali ratione. Quocirca sicut in homine non est ex imperfectione, quod vnus homo, neque principaliter, neque instrumentaliter, possit efficere animam suæ similem, ita in aliis animalibus non est ex imperfectione, quod non possint totam virtutem princi-

Obiectio præmissa explicatur.

principalem ad eductionem suarum formarum necessariam adhibere, sed solùm instrumentariã. Nam veluti medium quendam locum obtinent, & quia comparatione animæ rationalis minùs perfectas animas, vtpote materiales, habent, ideò aliqualem efficientiam, saltem instrumẽtalem adhibere possunt ad illas efficiendas, quod non potest homo: quia verò comparatione inanimatorum longè perfectiores sunt formæ viuentium, ideò plura requiruntur ad earum effectionẽ, & exquisitus ac peculiaris modus generationis, & inde prouenit, vt causæ particulares non possint adhibere totam virtutem principalem, sed tantùm instrumentalem ad illas efficiendas. Nec verò, quia principalis virtus non inuenitur in eis sufficiens, ideò neganda est eis etiam instrumentaria actio, quia ad hanc inueniuntur sufficienter proportionatæ, & non ad illam: natura autem dedit vnicuique speciei corruptibili, virtutem & actionẽ ad propagãdam naturam suam, quantum dare potuit iuxta capacitatem & modum operandi eius: & ideò dedit homini, vt saltem disponendo ageret, aliis vt instrumentaliter; aliis verò etiã vt principaliter. Quo- B circa locutio illa, qua D. Thom. & alij, vt suprà vidimus, vocant causas secundas instrumenta primæ, secundum quandam maiorem proprietatem verificatur in viuentibus, præsertim perfectis.

D. Thom. 1. p. quæst. 45.

XLI Scio posse excogitari alios dicendi modos; nam quia in perfectioribus animalibus semen non perficit generationem; nisi vt coniunctum fœminæ, ideò aliqui putarunt animam ipsius fœminæ habere peculiarẽ influxum principalem in substãtiali formatione fœtus. De aliis verò imperfectis viuentibus, præsertim plantis, dicunt aliqui, formam geniti substantialiter non excedere formam ipsius seminis, vt apparet in tritico, & aliis eiusmodi. Sed hæc & similia plures habent difficultates, quas hoc loco persequi non licet, quia pendent multùm ex scientia de anima, & ideò omnium probabilior videtur sententia, quam exposuimus, & ipsamet experientia docet hæc viuentia esse per se minùs sufficiẽtia maioribusque auxiliis indigere, non solùm ad substantialem formam inducendam, sed etiam ad materiam disponendam, & organizandam, vt in plantis constat. Imò & inter inanimata, simplicia corpora faciliùs generantur, quàm mista: nullum ergo est inconueniens C fateri indigere viuentia concursu superiori ad sibi similia generanda, quamuis ipsa non careant aliqua virtute & actione sibi proportionata & connaturali. Atque hoc modo abundè satisfactum esse putamus fundamentis prioris sententiæ: probant enim secũdam & quartam assertionem nostram, nihil tamen vrgent contra primam & tertiam, vt in discursu illarum satis declarauimus. Secundam autem sententiam non existimamus esse contrariam doctrinæ à nobis traditæ, nec fundamenta eius aliquid obstare possunt, vt ostensum est.

SECTIO III.

Quodnam sit principium, quo substantiæ creatæ efficiunt accidentia.

I. Quæ stringi solutionis nodus.

RAtio dubitandi est, quia vel substantia efficit accidens, medio accidente, vel se sola, & per se ipsam. Si primum dicatur, sequitur processus in infinitum; nam si vnum accidens fit, mediante alio, peto de illo alio quo principio fiat, si medio alio accidẽte, de illo redit eadem quæstio: si verò sistimus in aliquo, quòd proximè fit à substantia, id debuisset dici de primo, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Si autem ob hanc rationem dicatur, substantiam efficere accidens per se ipsam, sequitur primò, nullum accidens esse principium efficiendi aliud. Sequitur secundò, potentias & facultates ad operandũ in substantiis creatis non esse aliud ab earum formis. Vel certè, si ad euitanda hæc incommoda, dicantur quædam accidentia fieri immediatè à substantia per se ipsam: alia verò, mediis accidentibus, oportebit huius distinctionis & discriminis aliquam rationem reddere, & quænam accidentia vno vel alio modo fiant, aperire. Ac rursus exponere oportebit, quando vnum accidens est *principium quo* efficiendi aliud, an sit principale, vel instrumentale. Hinc enim apparet, accidens ad summum posse agere vt instrumentum substantiæ, quia solùm est entis ens (vt loquuntur Philosophi) & à substantia, & propter substantiam, tanquam propter finem habet totũ suum esse. Aliunde tamen videtur debere esse principium principale, cùm effectus non excedat perfectionem eius.

II. Ad hanc rẽ explicandam, suppono, duobus modis posse fieri accidẽtia. Vno modo per propriam actionem, vt cùm sit lumen per illuminationem, aut vbi per proprium motum localem. Secundò per resultantiam naturalem vt relatio resultat ex fundamẽto posito termino (si est modus à fundamento distincto) vel sicut resultat figura ex diuisione, aut ex moto, vel termino motus localis, & propriæ passiones rerum censentur etiam hoc modo fieri. Tertiò autem modo posset intelligi fieri accidens concomitanter cum substantia absque resultantia ex illa, vt quantitas, verbi gratia, cum materia prima, quem modum nunc omittimus, quia si verus est, ad alterutrum ex pręcedentibus reuocari potest, vt explicabimus, & quia in eo productionis modo, quod fuerit principium efficiendi substantiam, erit principium efficiendi accidens, quod cum illa fit.

Prima assertio de naturali dimanatione.

III. Dico ergo primò; Quando accidens fit per naturalem dimanationem, principium proximum illius secundum talem efficientiæ modum, quicunq; ille sit, potest esse substantia, si tale accidẽs sit immediatè connexum cum illa: interdum verò potest resultare, medio accidente, si cum illo habeat propinquiorem connexionem. Tota hæc conclusio cõmuniter recepta est, & potest primò inductione declarari; nam intellectus, verbi gratia, proximè manat à substantia animæ, & quantitas à materia vel forma. Vnde respectu harum proprietatum non potest assignari aliquod principium intrinsecum accidentale: est ergo substantiale. At verò figura, verbi gratia, aut vbi resultat, media quantitate; & albedo resultat ex tali mistione primarum qualitatum. Hanc etiam conclusionem probat ratio dubitandi in principio posita, quia si accidens cõuenit substantię ab intrinseco, non potest semper cõuenire, medio accidẽte, vt intrinseco principio eius, sed aliquod accidens & substantia debent esse necessariò immediatè cõnexa: non est tamen necesse, vt omnia intrinseca accidentia sint eiusmodi. Et ratio diuersitatis inter ea est facilis, quia quædam eorum habent immediatiorem ordinem ad substantiam, quàm alia.

IV. Video responderi posse, licet aliquod accidens sit intimè & immediatè connexum cum substantia, non esse tamen necesse vt connectatur per dimanationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem effectiuam accidentis à subſtantia, ſed ſolùm propter naturalem aptitudinem, & inſeparabilitatem, ſicut ſuperiùs dicebamus probabiliter opinari nos poſſe de materia & quantitate. Et iuxta hoc non erit neceſſarium, aliquod accidens dimanare immediatè à ſubſtantia, ſed recipi immediatè in ſubſtantia ab eodem agente, à quo ſubſtantia producitur. Nihilominùs tamen ſupponit concluſio poſita contrariam ſententiam, vt probabiliorem, nimirum proprietates accidentales, præſertim illas, quæ conſequuntur aut debentur rei ratione formæ, cauſari à ſubſtantia, non ſolùm materialiter & finaliter, ſed etiam effectiuè per naturalem reſultantiam, vel immediatè, ſi ſit prima proprietas, vel mediatè, ſi ſit ſecunda. Quod tenet Diuus Thomas prima parte quæſtione 77. articulo ſexto, vbi loquitur de potentiis animæ; eſt autem eadem ratio de quacunque forma & proprietatibus conſequentibus illam, ſeu debitis ratione illius. Eſtque hoc valdè veriſimile, quia cùm forma ſubſtantialis ſit vt actus primus, accidentalis verò vt ſecundus, probabile eſt habere formam ſubſtantialem aliquam vim, vt ab ea manent accidentia ſibi propria. Item quia hoc modo meliùs intelligitur naturalis connexio inter formam & proprietates, & ordo per ſe inter illas. Et hoc valde confirmat ſenſibile exemplum aquę reducentis ſeſe ad priſtinam frigiditatem: illa enim reductio fieri non poteſt, niſi per naturalem reſultantiam à forma, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt: ergo eadem ratione idem ſentiendum eſt de quacunq; proprietate naturaliter connexa cum forma, præſertim ſi aliunde nulla ſit repugnantia, aut dependentia ab aliquo extrinſeco. Et in illo exemplo aquæ manifeſtè conſtat, veram eſſe cõcluſionem poſitam, ſcilicet aliquod accidens poſſe immediatè reſultare effectiuè à ſubſtãtiali principio. Nam illa intenſio frigoris nullum habere poteſt propinquius principium vnde reſultet, quàm ſit forma ſubſtantialis aquæ.

III. Naturalis reſultãtię quiditas declaratur.

Sed antequam vlteriùs procedamus, declarare ſemel oportet, quidnam ſit hæc naturalis reſultantia, an ſcilicet ſit vera efficientia & cauſalitas actiua, nec ne. Quia, ſi eſt vera efficientia, interueniet ibi propria actio accidentalis; nam cauſalitas effectiua in actione conſiſtit, vt infrà videbimus: atq; ita forma ſubſtantialis erit principium immediatum & vnicũ alicuius actionis accidentalis, & multiplicabuntur actiones in productione formæ & proprietatum eius, critq; per ſe actio ad hęc omnia, quæ comproducuntur, vel concreantur cum aliis, quæ omnia videtur aliena à communi Philoſophorum doctrina. Si autem illa non eſt vera efficientia: ergo neque efficientia dici poteſt, quia quod non eſt verum aurum, abſolutè non eſt aurum, neque tale dici poteſt, niſi propter aliquam analogiam & proportionem, quæ in præſenti nulla apparet, imò neq; intelligi poteſt, quid ſit hæc reſultantia, ſi non eſt efficientia. Circa hoc Caietanus prima parte, quæſtione 54. articulo 3. indicat, hãc dimanationem eſſe naturalem ſequelam abſque operatione media; non tamen declarat, quid ſit illa naturalis ſequela, aut quomodo fiat ſine actione vel operatione media. Et quæſtione 77. articulo primo ad ſecundum & tertium, expreſsè ait hanc reſultantiam eſſe per efficientiam ſine actione media, & putat eſſe ſententiam Diui Thomæ ibi ad tertium, vbi tamen non ait dimanationem accidentium à ſubiecto eſſe ſine actione, ſed *non eſſe per aliquam tranſmutationem, ſed per naturalem reſultationem.*

Caietani opinio.

D. Thom.

IV.

Quocirca, ſi in rigore loquamur, veriùs exiſtimo hanc reſultantiam, non eſſe ſine vera actione, quamquam non ſemper reputetur actio, per ſe diſtincta, neque vt propria mutatio. Hoc, vt exiſtimo, ſatis probatin communi ratio facta, quia, aut hęc eſt vera efficientia, vel nulla, non poteſt enim dari medium: Si ergo eſt vera efficientia, interuenit actio. Si non eſt efficientia, neque etiam eſt reſultantia, aut naturalis ſequela cauſalis, ſed illatiua tantùm, quia, poſito vno, ponitur aliud propter naturale debitum. Sicut inter materiam & formam cœli, eſt naturalis illatio, non tamen dimanatio vnius ab alia. Aliqui videntur inter hæc aſſignare medium, dicẽtes, hanc non eſſe efficientiam, ſed quaſi efficientiam, quæ in hoc ſolùm conſiſtit, quòd cauſa efficiens ſubſtantiam, ratione illius determinatur, vt ei det proprietates illi proportionatas. Sed inprimis hæc re vera nulla efficientia eſt, ſed ſolũ connaturalitas, quę inter potentiam paſſiuam naturalem, & actum etiam intercedit. Deinde, exemplum de reductione aquæ cogit, vt maiorem ac veriorem efficientiam fateamur. Denique, etiam illo poſito, neceſſe eſt dicere, quod ad rem ſpectat, cauſam efficientem ſubſtantiam, concomitanter efficere proprietatem diſtinctam, non tamen ſine actione concomitante, quia repugnat rem diſtinctam fieri ſine diſtincta actione, quãdo ex illa re nõ cõponitur ipſe primarius terminus alterius actionis, quia actio ſolũ eſt quidã modus ipſius termini formalis ac per ſe, vt infrà dicam, quã rationem ſtatim ampliùs declarabo.

V. Duplex diſtinctionis genus.

Præterea argumentor in hunc modum; nam hæc naturalis reſultantia interdum per ſe ſola fit, & ſepara im à productione illius rei à qua reſultat: interdũ verò ita eſt coniuncta cum illa, vt nunquam ſit poſterior, ſed omnino ſimul cum illa, vt, verbi gratia, quando aqua ſe reducit ad priſtinam frigiditatem, illa eſt naturalis dimanatio, vt Caietan. fatetur dicta quæſtione 54. articulo 3. in fine, vbi etiam idem ait de motu grauis geniti in ſuperiori loco, qui ablato impedimẽto, naturaliter reſultat ex grauitate. Quotieſcunque autem reſultantia ſit hoc modo, euidentiſſimum eſt non fieri ſine efficientia & vera ratione ac mutatione, vt in dictis exemplis manifeſtè patet: & ratio eſt, quia ibi incipit eſſe aliquid in ſubiecto, quod anteà non erat. Et per ſe incipit abſque noua productione alterius rei: ergo incipit per aliquam efficientem cauſam, & per propriam actionem ac mutationem: vnde illa eſt propria frigefactio, & motio localis. Atque eadem ratio eſt, quotieſcunque aliquod accidẽs de nouo aduenit alicui ſubiecto præexiſtenti, per ſe ſolùm, ſeu abſq; alio priori accidẽte; nã, ſi plura ſimul inter ſe connexa aduenient, illud, quod eſt primum & radix aliorum cenſetur per ſe aduenire, reliqua concomitanter. Dices. Ergo quando relatio aduenit fundamento ex poſitione termini, interuenit ibi noua actio per ſe, quia ſolùm illud accidens relatiuum tunc de nouo aduenit tali ſubiecto. Reſpondent aliqui, concedendo ſequelam: alij negant, quia ſatis eſt, quòd reſultet ex poſitione termini. Alij exiſtimant nullam interuenire actionem, quia huiuſmodi relatio non eſt res, aut modus ex natura rei diſtinctus à fundamento, de quo ſuo loco videbimus.

VI.

Ex hac verò reſultantia, quæ tempore ſeparatur à productione, ferendum eſt iudicium de quacunque alia, etiamſi ſit in eodem inſtante cõiuncta; nam ſimultas in duratione non tollit diſtinctionem. Eò vel maximè, quod licet hæc naturaliter ſint ſimul, poſſent

poſſent ſupernaturaliter ſeparari, quod eſt ſufficiens argumentum diſtinctionis. Aſſumptum declaratur; nã dum creat Deus ſubſtantiã animę, poſſet ſuſpendere emanationem potẽtiarũ ab illa, & poſt aliquod tempus permittere illam, ſeu dare concurſum ad talem dimanationem, & tunc illa poſterior dimanatio eſſet propria efficientia ac vera actio, eadem ratione qua dictum eſt de frigefactione aquæ reducentis, ſe ad naturalem ſtatum: ergo etiam quando ſimul tempore fit, eſt propria & diſtincta actio. Prætereà ſuprà tacta eſt ratio à priori, quia huiuſmodi accidentales formæ, ſeu proprietates, ſunt res diſtinctæ à ſubſtantia: ergo licet fiant cum ipſa ſubſtantia, vel ab ipſa reſultent, neceſſe eſt, vt fiant per actionem diſtinctam, licet concomitantem vel conſequentem aliam. Patet conſequentia, quia illa duo, ſcilicet, ſubſtantia & proprietas, non fiunt æquè primò tanquam duę partes vnius compoſiti termini, ſed abſolutè ſit priùs natura ſubſtantia, & deinde reſultat vel additur ei accidens propriũ. V t cùm creatur anima, actio creaturæ per ſe terminatur ad ſolam ſubſtantiam: illa enim tantùm ex nihilo fit, & per ſe terminat illam actionem: ergo vt ei addatur aliqua res diſtincta, neceſſaria eſt alia efficientia, & cõſequenter noua actio, licet ex naturali connexione neceſſariò comitetur aliam. Adde, principium proximum talis efficientię iuxta noſtram ſententiam, etiam eſſe diſtinctum; nam eſt ipſamet intrinſeca ſubſtantia, quæ eſt terminus prioris actionis. Item principium materiale ſæpe eſt diuerſum, vt in dicto exemplo creationis animæ nullum eſt materiale principium, ipſa verò ſubſtantia animæ eſt materiale principium ſuarum potentiarum. Terminus etiam proprius eſt in re diſtinctus, vt ſupponimus: ergo interuenit ibi actio in re diſtincta, quamuis Phyſicè, & in cõmuni modo loquendi tanquam vna computẽtur, quia habent intrinſecam connexionem & dimanationem.

VII. Diſcrimẽ nonnullum inter prędictos modos naturalis dimanationis.

In quo eſt notanda differentia inter duos modos reſultãtiæ naturalis, quos ſuprà diſtinximus. Quando enim dimanatio talis eſt, vt nunquam poſſit per ſe & ſeparatim fieri, ſed ſolùm vt connexa priori actioni & termino eius, tunc illa non cenſetur propria & per ſe actio, & multò minùs mutatio, ſed quaſi complementum accidentale prioris actionis. Et ideò ad huiuſmodi accidentia vel proprietates dicitur non eſſe per ſe actio, aut motus. At verò quando talis reſultantia per ſe & ſeparatim fit, vt in reductione aquæ, tunc cenſetur per ſe actio & propria mutatio tendens per ſe ad talem accidentalem terminum. Quæ differentia non eſt tam in re, quàm in denominatione ſumpta ex ſeparatione, vel ex concomitantia actionum.

Corollaria ſuperioris doctrinæ.

VIII. Atque ex rationibus factis colligitur primò: tunc ſolùm hanc reſultantiam eſſe cum vera efficientia & actione, quando id, quod reſultat eſt à parte rei diſtinctum ab eo, à quo reſultat. Nam, ſi ſolùm ſit ratione diſtinctum, licet metaphyſicè vnũ dicatur conſequi ex alio, non poteſt ibi vera efficientia interuenire, nec dimanatio phyſica, ſed ſolùm metaphyſica conſecutio. Vt ſi dicamus, ex eo quòd forma eſt formale principium eſſendi, reſultare quòd ſit etiam principale principium agendi, & idẽ eſt de omnibus ſimilibus attributis, quæ iuxta noſtrum concipiendi modum, attribuuntur rei vt proprietates eius, licet ab hac non diſtinguantur actualiter in re ipſa. In his enim omnibus non poteſt interuenire efficientia realis, quia hæc non eſt in conceptibus, ſed in ipſis rebus. Vnde neceſſariò requirit diſtinctionem in re inter principium & terminum.

IX. Quæ accidẽtia reſultent à ſubſtantiali principio.

Secundò infertur ex eiſdem principiis, hanc reſultantiam naturalem à principio ſubſtantiali ſolùm interuenire inter ea accidentia, quæ ita ſunt cõnaturalia, vt ſimpliciter ſupponant ipſam ſubſtantiam, cuius ſunt proprietates. Quod ideò aduerto, quia iuxta probabilem opinionem, aſſerentem diſpoſitiones tempore præcedentes ad formam in inſtanti generationis intrinſecè terminari in tali gradu, quẽ talis forma requirit, & eaſdem numero manere: iuxta illam (inquam) opinionem, hæc accidẽtia in inſtanti generationis non manant à forma, etiamſi ſint proprietates maximè connaturales illi, vt eſt calor reſpectu formæ ignis, vel frigus aquæ, non quia talis forma nõ eſſet ſufficiens ad illã effectionẽ per modum reſultantiæ, ſed, quia ſupponitur qualitas iam per ſe producta ab agente per totam mutationem tempore præcedentem, & terminatam in inſtanti generationis, prius natura, quàm introducatur forma.

X. Quæſtiũcula reſpondetur.

Sed quæres, eſto non interueniat hæc reſultantia in inſtanti generationis, an immediatè poſt intercedat per modum conſeruationis. Reſpondeo hanc quæſtionem non eſſe peculiarem de his qualitatibus, quæ ordine naturæ antecedunt, ſed de omnibus proprietatibus, quæ à principio reſultant ex formis, quæri ſimiliter poſſe, an illa reſultantia ſit tantũ per modum productionis in primo inſtante vel tempore, quo res producitur vel comproducitur, an verò perſeueret per modum conſeruationis toto tempore, quo durat ipſa proprietas, ita vt ſicut in illuminatione non tantum perſeuerat lumen, ſed etiam actio illuminandi, ita in anima habente intellectum, non tantum perſeueret intellectus, ſed etiam emanatio intellectus ab anima, & ſimiliter in igne vel aqua non ſolum perſeueret calor aut frigus, ſed etiam actualis emanatio à ſua forma. In qua dubitatione nihil video poſſe certa ratione definiri, ſed vtrumque poſſe coniecturis fieri probabile: nam poſtquam illa proprietas ſemel effecta eſt per naturalem dimanationem, non eſt cur indigeat continua conſeruatione, cum iam habeat eſſe perfectum, & ſit in ſuo ſubiecto connaturali. Aliunde verò apparet probabile illã actualẽ dimanationẽ non ceſſare, quia principiũ eius eſt præſentiſſimum & coniunctiſſimum, & ſemper habet eandem vim ad continuandam illam. Item, neceſſe eſt, vt illa proprietas actu conſeruetur à Deo: ergo, cum ſit ibi principium intrinſecũ & proximum, quo mediante poſſit conſeruari, magis naturale eſt, vt illo mediante conſeruetur. Item, hoc modo melius explicatur maior reſiſtentia, quæ, cęteris paribus, eſſe poteſt in expellenda proprietate à proprio ſubiecto, quàm ab alieno. Vnde hæc pars videtur veriſimilior, qua ſuppoſita, conſequenter dicendum eſt, licet in primo inſtanti generationis aquæ, verbi gratia, frigiditas non manet à forma eius, quia iam inuenit aqua frigiditatem productam à generante: deinde verò, ceſſante iam actione generantis, conſeruari ab intrinſeca forma per naturalẽ dimanationem eodem modo, ac ſi à primo inſtanti ab illa manaſſet.

XI. Vnitas & diſtinctio naturalis reſultantię.

Tertiò infertur ex dictis, hanc emanationem ſeu reſultantiam naturalem eſſe aliquid in re diſtinctum & à forma reſultante, & ab illa, à qua reſultat, & ab actuali etiam informatione, nam hæc omnia inter-

Universidad de Deusto
Biblioteca

utcnire possunt absque naturali resultantia: ergo est aliquid distinctum ab illis. Antecedens patet; nam frigus est in aere actu informans illum, estque accidentaliter coniunctum formæ eius, & tamen non manat ab eis forma: calor verò est etiam coniunctus & informat, & præterea dimanat à forma: ergo aliquid addit dimanatio. Dices, licet hoc ita videatur, comparando accidens proprium ad extrinsecum, tamen in ipso accidente proprio non videtur resultantia hæc aut dimanatio esse aliquid distinctum ab ipso vt actu informante. Sed contra hoc est primò, quia aliud est informare, aliud dimanare: illud pertinet ad rationem causæ, hoc ad rationem effectus. Secundò in exemplo suprà posito de dispositione vltima, quæ in primo instanti non manat à forma, inuenitur accidens proprium actu informans, & coniunctum propriè formę, & ab illa non resultans, quæ tamen in tempore subsequente resultat seu conseruatur; ergo hæc resultantia est aliquid distinctum ab accidente proprio, actu informante. Tertiò declaratur in hunc modum; nam hæc resultantia, cùm sit quoddam efficientiæ genus, non fit sine concursu primæ causæ: potest ergo Deus suspendere hunc cõ- B cursum, & impedire ne intellectus, verbi gratia, manet ab anima, & deinde per solam suam efficaciam ponere intellectum in anima, quia nihil repugnat, quòd se sola faciat, quod mediãte anima fieri potest præcisè considerata ratione efficiendi: ibi ergo manet substantia animæ & entitas, atque actualis inhæsio intellectus absque actuali dimanatione intellectus ab anima, sed à solo Deo: ergo signum est illam dimanationem esse aliquid distinctum, quidquid enim est in re separabile, distinctum etiam esse necesse est. Atque hinc confirmatur, quod suprà diximus, nempè hanc naturalem resultantiam non esse sine aliqua actione: nam id, quod addit resultantia supra entitatem formæ accidentalis inhærentis, solùm est quidam modus dependentiæ intrinsecæ proprietatis à sua forma, vt à principio actiuo: dependentia autem à principio agente, & actio idem sunt, vt infrà videbimus.

XII. Occurritur obiectioni. Sed obiicies; Ergo omnis actio, quæ naturaliter & sine libertate fit, est naturalis quædam resultantia, quia sicut posita aquæ forma, resultat per veram a- C ctionem & dependentiam talis proprietas, & ab vna proprietate interdum etiam talis resultat alia, vt docet Diuus Thomas prima parte, quæstione septuagesimaseptima, articulo septimo, ita, posito Sole, verbi gratia, resultat naturaliter lumen in aere, media illuminatione. Respondeo quoad hoc esse aliquam similitudinem: differentiam tamen esse, quia resultantia naturalis est omnino intrinseca, & quodammodo pertinet ad cõsummatam rei productionem, quia solùm tendit ad constituendam rem in connaturali statu per se sibi debito ex vi generationis: actio verò propriè dicta, & quæ à naturali resultantia distingui solet, est magis extrinseca, & supponit, per se loquendo, rem iam constitutam in suo perfecto, & naturali statu, Vnde etiam communiter dici solet naturalem resultantiam tribui generanti, & non esse à forma vel proprietate intrinseca, nisi quatenus vicem obtinet generantis, & est quasi instrumẽtum eius. Vnde est illud axioma: *Qui dat formam, dat consequentia ad formam*, quia ad generantem spectat constituere genitum cum debitis proprietatibus: in reliquis verò actionibus propriis iã operatur res propria virtute, & illi vt principali agenti in suo genere tribuitur actio. Et hinc oritur alia differentia, quam A statim attingemus: satis enim de naturali resultantia dictum esse existimamus.

Secunda assertio de propria efficientia accidentali.

XIII. Dico secundò. Quando accidens fit per propriã actionem à naturali resultantia distinctam, principium proximum efficiendi illud, semper est aliquod accidens. Hæc assertio tangit quæstionem communem de distinctione potentiæ actiuæ à substantia in rebus creatis, quæ solet tractari tam de substantia angeli & potentiis eius, quàm de anima & eius potentiis, de aliis etiam formis & earum virtutibus actiuis. Et conclusio posita est consentanea doctrinæ Diui Thomæ, vbiq; constituentis distinctionem in omnibus creaturis inter proximam facultatem agendi & subsistantialem formam, vt videre licet in 1. parte quæst. 54. art. 3. & quæst. 77. art. 1. quibus locis Caietanus eam defendit, & Capreolus in 1. dist. 3. q. 4. Soto in Logica cap. de propr. quæst. 2. Ægidius quodlib. 3. quæst. 10. Heruæus quodlib. 1. quæst. 9. & probatur primò inductione facta in omnibus effectibus quos experimur. Nam inprimis videmus elementa nullam efficientiam accidentalem exercere, nisi mediis qualitatibus primis, quas esse verè ac propriè accidentia manifestum est. Deinde ipsum etiam localem motum naturalem non habent, nisi mediis qualitatibus: quamquam enim ille modus ad naturalem resultantiam pertineat, potest tamen inde argumentum a fortiori desumi. Prætereà cœlũ, quantum nos experiri possumus, agit per qualitates à sua substantia distinctas, nempe per lucem seu lumen, & inde sumimus argumentum alias influentias occultiores proximè fieri per qualitates accidentales; nam si illa, quæ videtur omniũ maxima & perfectissima ita fit, multò magis aliæ. Rursus mista inanimata, vt metalla, gemmæ, & alia huiusmodi, si quas actiones habent, videntur manifestè illas exercere per virtutes accidẽtales: cuius signum inter alia est, quòd illę virtutes possunt intẽdi, remitti, ac destrui, in quo pendent à temperamento primarum qualitatum. Quod argumentum fieri etiam potest in herbis & plantis, quæ virtutes habent ad varias admirabiles actiones attrahendi aut expellendi, & quædam habẽt virtualem calorem, alię frigus, &c. quę virtutes in eis temporis decursu, vel mutatione sui temperamenti remittuntur, cùm tamen substantia maneat eadem: signum est ergo, has virtutes esse accidentia. Mysteriũ etiã Eucharistiæ hoc nobis confirmauit; nam videmus, secluſa substantia, conseruatam esse totã vim agendi, quæ erat in accidentibus.

XIV. In actionib. etiam spiritualium. Hinc vlteriùs ascendendo ad actiones animæ in quolibet gradu eius, quantũ ex sensu coniicere possumus, principia accidentaliũ operationũ accidentia ẽt sunt vt patet de calore vitali seu nutrimentali, & de virtute attrahẽdi aut expellẽdi excremẽtũ & similã; nã inprimis ipsa diuersitas actionũ videtur esse sufficiens argumentum distinctionis inter virtutes. Et præterea hìc etiam habet locum argumentum factũ quòd hę virtutes intendũtur, & remittuntur. Deinde in operationibus sensuum videtur hoc manifestum; nam pręter diuersitatem operationum ipsa diuersitas organorum indicat satis virtutes proximas illarum actionum esse per se distinctas, atque adeò esse accidentales. Et in homine certè necessariò debent esse ab anima distinctæ: alioqui essent spirituales entitates, quod verisimile non est, vt & suo loco latiùs est probandum. Iam verò de ipsis spiritualibus actionibus & principiis earum, non possumus nos A tam claram experientiam habere, tamen quia de illis non possumus, nisi ex his, quæ experimur obseruata proportionali ratione, philosophari, meritò colligimus de illis idem esse ferendum iudicium.

XV. Potẽtis actiua omnis realiter à substantia distinctæ. Ex hac igitur inductione satis probabiliter colligit Diuus Thomas in omni suppposito creato proximam virtutem agendi & operandi esse distinctam à substantia eius, & consequenter esse accidens. Addendum verò est, omnem efficientiam substantiæ præter generationem substantialem, esse efficientiam alicuius accidentis, quia substantia non potest efficere substantiam, nisi per generationem, & ideò quidquid præter generationem substantialem efficit totum illud est accidens: ergo principium proximum efficiendi accidens, semper est aliud accidens. Vnde confirmatur; nam principium proximum efficiendi ipsam generationem substantialem est accidens, idque dupliciter. Primò parando viam ad generationem substantialem, præuia aliqua accidentali actione. Secundò cooperando instrumentaliter ipsi substantiæ in eductione formæ substantialis, vt superiori sectione vidimus. Ergo multò B magis erit principium proximum efficiendi omnem accidentalem actionem, siue principale, siue instrumentale, quod statim videbimus. Patet consequentia, quia magis improportionata est substantia ad accidentalem actionem, quàm ad substantialem generationem: & e conuerso magis proportionatum principium est accidens ad accidentalem actionem, quàm ad substantialem generationem.

XVI. Rationes predictæ illationis. Ratio autem à priori difficile redditur, quamquã Diuus Thomas plures probabiles afferat citatis locis, quas Scotus & alij multis argumentis impugnãt. Caietanus verò post Capreolum fusè & copiosè satis eas defendit, sed id & operosum & inutile esse existimo, quia re vera illæ non sunt demonstrationes, neque est, cur à prudenti Philosopho in re tam abdita expetantur. Nisi enim probetur, excedere perfectionem substantię creatæ esse proximum & vnicum principium accidentalis actionis, non potest à nobis reddi ratio à priori, cur hæ creaturæ, quæ nunc sunt & operantur, semper indigeant accidentali principio ad huiusmodi operationes, quia nos C non cognoscimus proprias rationes harum creaturarum, vt ex eis peculiares causas huius indigentiæ seu necessitatis sumamus: ergo si à priori procedamus, necessariò sistendũ est in cõmuni ratione creaturæ, vt sic, vt sapienter Diuus Thomas obseruauit. At si ex generali ratione creatæ substantiæ fundamentum sumitur, consequenter dicere necesse est, esse impossibile creare Deum substantiam, quæ per se ipsam solam immediatè operetur. Quod tamen difficilè suaderi aut probari potest, quia ille modus operandi non videtur exigere infinitam perfectionem in genere entis aut substantiæ: omnis autem perfectio, quæ hanc illimitationem non requirit, videtur communicabilis creaturæ: si autem communicabilis est, vnde constat, non esse communicatam? aut quomodo ex generali ratione creaturę ostendi potest dicta necessitas?

XVII. Nihilominùs dicendum est, licet hoc demonstrari non possit, ex inductione facta probabiliter satis colligi, substantiam creatam ex limitatione sua habere, vt per sese non possit esse principium totale ac proximum accidentalis actionis seu formæ. Cuius ratio esse videtur improportio & distantia, quæ est inter tale principium & talem actionem ne possint coniungi, nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est facultas seu potentia accidentalis. Et ideò sola substantia infinita, quæ omnẽ proportionem excedit, omnemq; ne vincere potest improportionem, sufficiens est per se ipsam ad omnem huiusmodi effectum vel actionem. Possumusque hoc ita confirmare, quia omnis operatio substantiæ, præter substantialem generationem, aut tendit ad substantialem generationem efficiendam, aut non. Actio quæ est prioris generis, meritò requirit principium proximum accidentale, quia est accidentalis dispositio ad substantiam. Nam, si substantia, quæ generatur talis est, vt sine dispositionibus accidentalibus præuiis fieri non possit, quid mirum quod substantia, quæ illam generat accidentales etiam dispositiones requirat, quæ simul sint virtutes agendi & disponendi ad similis substantiæ generationem? Dices, hanc rationem rectè procedere de agente vniuoco, & eiusdem rationis; non verò de æquiuoco, in quo potest esse virtus altioris rationis. Respondetur, si agens æquiuocum sit finitum, vt de illo nunc agimus, proportionaliter iudicandum esse de illo, ac de vniuoco agente: nam si eminenter continet formam substantialem rei generandæ per formam substantialem suam: dispositiones etiam accidentales ad illam formam continebit eminenter per nobiliorem dispositionem seu proprietatem accidentalem suam; nam cùm forma substantialis sit in suo genere limitata & finita, non potest per se solam eminenter continere perfectiones diuersorum generum, neque esse per se apta ad vtramque actionem. Quod etiam satis declarat modus agendi omnium corporum tam inferiorum, quàm cœlestium, vt inductione suprà facta expositum est. Sicut enim nulla est forma substantialis, cuiuscunque ordinis, aut perfectionis sit, quæ non habeat in sua materia dispositiones, seu proprietates sibi proportionatas, ita nulla est forma, quæ ad disponendam aliam materiam ad aliquam formam substantialem, siue æqualem siue inferiorem, non vtatur propriis dispositionibus vel proprietatibus accidentalibus vt propriis agendi principiis.

Inductio in actionibus ad generationem substantialem ordinatis.

XVIII. In operationibus nõ ordinatis ad substãtialem generationẽ. Operationes autem, quæ non ordinantur ad substantialem generationem, quantum ex rerum experientia coniectare possumus, solùm sunt aut operationes vitæ sensitiuæ, & intellectiuæ, aut varij ac diuersi motus locales. Omitto illuminationem, & intentionales actiones specierum sensibilium; nam de his satis constat ab accidentibus sensibilibus fieri. Neque etiam numero operationes vitæ vegetatiuę, quia omnes per se tendunt ad aliquam aggenerationem substantialem. De qua eadem est ratio, quæ de prima generatione; nam etiam fit, præuia alteratione & dispositione accidentali, interuenientibus etiam aliquibus localibus motibus, attractionis, scilicet, & expulsionis. Aliæ verò actiones & operationes transeuntes, etiamsi fiant per eminẽtes virtutes, semper fiunt aut alteratione per se primò terminata ad aliquam ex primis qualitatibus, de quibus iam ostensum est principia proxima earum esse aliqua accidentia, aut solùm consistunt in motu locali attrahendi, aut impellẽdi, &c. Quòd igitur ad operationes cognoscendi & amãdi in gradu sensitiuo requirãtur facultates accidẽtales, ratio inprimis sumi potest ex ipsa varietate operationũ, & ex varia dispositione, quam in suis organis requirunt. Itẽ ex eo

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd tales actiones immanentes sunt in ipsis principiis proximis à quibus eliciuntur. Vnde si illæ potentiæ nihil aliud essent, quàm ipsæmet formæ substantiales, omnes illæ operationes manerent in solis substantialibus formis. Ex quo vlteriùs fieret, quod tales operationes in homine essent spirituales, sicut est ipsa forma. Imò etiam fieret, vt semper, & in omnibus deberent esse spirituales; nam omnis forma habens operationem propriam & independentem à materia vt à subiecto, debet esse per se subsistens, & independens etiam in suo esse à materia, vt à subiecto; nam independentia in operatione indicat, qualis sit independentia in esse. Et hoc est potissimum principium, vnde colligimus humanę animę subsistentiam & immaterialitatem, scilicet, quia operatio eius intellectualis non dependet à corpore vt à subiecto, quamuis pendeat vt à ministrante species. Si ergo operatio sensitiua eodem modo esset independens à materia, omnis etiam anima sensitiua esset independens, & ita vtraque esset immaterialis, & spiritualis. Igitur ex modo talis operationis materialis optimè colligitur, formam substantialem non esse per se aptam ad exercendam talem operationem absque facultate media, quæ etiam debet esse materialis, & adueniens materiæ vt iam informatæ tali substantiali forma.

A Atque hinc tandem facilè suaderi potest, virtutes quæ sunt in rebus creatis ad varios locales motus efficiendos, esse accidentales. Primò quidem, quia, si præcipuę operationes, & magis intimæ, ac vitales requirunt huiusmodi facultates: ergo multò magis motus locales. Secundò, quia in rebus naturalibus experimur motum localem, etiam maximè naturalem, fieri media facultate accidentali, vt grauitate, aut leuitate: ergo multò magis, cùm magnes trahit ad se ferrum, aut rhabarbarum pellit bilem, id faciũt facultatibus accidẽtalibus; idẽ ergo erit in omnibus similibus. Tertiò, quia motus localis, quamuis in hoc sit perfectior cæteris, quod minùs trãsmutat substãtiã aut subiectũ, tũ in hoc maximè à substãtia distare videtur, quod neque ad illam per se ordinatur, neq; cum illa ferè habet conuenientiam, aut similitudinem, & ideò mirum non est, quod forma substantialis per se ipsam non sit apta ad hunc motum efficiendum absque facultate accidentali. Constat igitur in vniuersum agentia creata efficere accidentia per principia proxima accidentalia.

XX. Virtutes componuntur à subiecta ratione distãtes.

XIX. In operationibus intellectualibus.

In operatione autem intellectuali non procedit hæc ratio sumpta ex materialitate actionis; procedit autem alia de diuersitate operationum, & in anima rationali est alia peculiaris ratio, quia per suam entitatẽ substantialẽ informat corpus; non aũt informat per intellectũ aut voluntatem, quia hę potentię ideò nõ sunt organicę quia materiã nõ informãt. Quæ ratio non cõprehẽdit angelos, & ideò in eis est hæc res magis dubia, vt Duran. voluit, & infrà suo loco videbimus. Nihilominus tamen generalis illa ratio, etiã in eis est satis efficax, quæ sumitur ex diuersitate operationum; nam vbicunque operatio intellectualis accidentalis est, est magna diuersitas in operationibus illius gradus, præsertim in operibus intellectus & affectus; ergo cùm substantia creata sit de se indifferens ad huiusmodi operationes eliciendas & recipiendas, verisimiliùs est ad illas determinari & quasi accommodari per proprias facultates & potẽtias. Item, omnis substantia intellectualis, hoc ipso, C quod creata est, necessariò habet operationem intellectualẽ accidentalem, vt de homine cõstat, & de angelis infrà suo loco ostendemus. Indiget etiã aliis principiis accidẽtalibus, vt speciebus intẽtionalibus & habitibus: quid ergo mirum, quòd indigeat virtute accidentali proportionata operationi? Eò vel maximè, quòd omnis natura intellectualis debet in se habere virtutem per se primò ordinatam ad operationem intelligendi vel amandi, quia cùm instituatur propter hanc operationem, non debet institui absque virtute per se primò ordinata ad illam. Virtus autem per se primò ordinata ad operationem accidentalem, cùm ab illa sumat speciem, accidentalis etiam est. Et huc tendere videtur ratio Diui Thomæ, quòd essentia substantiæ creatæ vt sic tantùm ordinatur ad suum esse: virtus verò ordinatur ad operationem accidentalem, & ideò distinguuntur ad eum modum, quo distingui solent potentiæ per varios actus. Quamuis enim hæc ratio videatur supponere essentiam creatam distingui ab esse, & comparari ad illud, tanquam potentiam receptiuam, vel actiuam ad actum, tamen abstrahendo ab hac quæstione, potest dicto modo accommodari ratio.

B ex parte huic conclusioni contradixerint, vel tractandũ de potentiis animæ, vel de potentiis angelorum, vt patet ex Gregorio in secundũ distinctione decimasexta, quæstione tertia: Scoto quæstione vnica, & in quartũ, distinctione quadragesimaquinta, quæstione tertia. Durandò in primũ, distinctione secunda, quæstione secunda, & in secundũ, distinctione tertia, quæstione quinta, Marsilio in primũ, quæstione septima, articulo septimo, & in secundũ quæstio. decimaseptima, articulo secũdo, & aliis Philosophis in secundũ de Anima, cum quibus ibi agendum est, & de angelis infrà nonnihil dicemus. Solùm nunc aduerto, esse differentiam inter Scotum, ac Gregorium, & sequaces, quod Gregorius nullam omnino ponit distinctionem in re inter formas & facultates earum. Vnde fit, vt concedat animam per idem principium proximum intelligere, velle, videre, audire, &c. quod satis absurdum est. Scotus autem ad hoc vitandum ponit distinctionem formalem inter potentias & formas. Sed si per distinctionem formalem intelligat Scotus distinctionem, quæ in re non sit actu, sed ad summum virtute, & fundamentaliter, ac mente perficiatur, solùm in modo loquendi differt à Gregorio & aliis: si verò intelligat veram distinctionem actualem quæ in re sit, saltem modalem, primum non contradicit cõclusioni positæ, quia modus ille accidens quoddam erit, quod satis est ad veritatem dictæ assertionis. Deinde immerito negat propriissimam distinctionem realem, nã, vt statim dicam, proxima difficultas operandi nõ est modus aliquis, sed aliqua propria entitas ac vera forma, & ideò si in re distinguitur à forma substantiali, non distinguitur vt modus, sed vt res, atq; adeò propriè realiter. Præsertim, quia si aliquæ rationes sunt, quæ probent distinctionem in re, non minus probant distinctionem realem, quàm modalem, & econtrario, si rationes, quæ ab ipso & aliis fiunt contra sententiam Diui Thom. essent alicuius momenti, æquè procederent contra distinctionẽ modalem.

XXI. Quia ratio res præcedãtiam illationis, & sequelæ eorũ fundamentata, Gregorius, Scotus, Durand, Marsilius.

Non tamen censeo expedire nunc illa argumẽta sigillatim proponere, tum quia mihi non videntur difficilia, tum etiam, quia à Caiet. & aliis sufficienter soluuntur, tum denique, quia omnia ferè eò tendunt, vt probent, sine necessitate non debere res multiplicari; hìc autem non interuenire sufficientem necessitatem probãt, vel soluẽdo rationes D. Thomę, vel

XXII.

vel quia substantia, cùm sit nobilior, sufficere potuerit ad id propter quod efficiendum accidens adiungitur. Et peculiariter vrgere potest contra nos ratio sumpta ex priori assertione; nã si potentiæ fluunt ex essentia per veram efficiẽtiam: ergo continet eminẽter ipsas potentias: ergo sufficiens erit per se ipsam efficere quidquid per potentias potest. Respondetur tamen sufficientem necessitatem esse, vt substãtia creata habeat principia accommodata accidentalibus actionibus, quæ necessitas sufficienter probatur inductionibus & rationibus suprà factis, neq; enim de omnibus rebus demonstratio fieri potest. Nec refert quòd substantia sit perfectior; tum quia nõ semper quod perfectius est, potest efficere quidquid potest res minùs perfecta, tum etiam quia inde ad summum habetur, substantiam esse principale, seu radicale principium: non verò etiam proximum; plus autem est esse vtroq; modo principium, quàm altero tantùm. Quo sensu dicere etiam possumus quid perfectius esse substantiam cum sua potentia quàm solam. Denique etiam manus est perfectior, quàm calamus, & tamen non potest scribere sine calamo. Ad vltimam obiectionem primùm occurrere B possumus sensibili exemplo, nam aqua per suã formã est sufficiens vt ab illa resultet frigiditas & tamen sine frigiditate non est sufficiens ad frigefaciendum alios. Neganda est ergo consequentia, & ratio reddi põt primò, quia virtus formę, aut principii potest esse limitata, tũ ad perfectionẽ proprii suppositi, tũ ad talem modum actionis seu dimanationis, sicut grauitas per se mouet ipsum graue, in quo existit, non aliud. Secundò, quia interdum formalis potentia seu facultas est ita accommodata actioni, vt non quælibet virtualis sufficiat, vt intellectus agens, aut solus, aut cum phantasmate virtualiter continent speciem intelligibilem, & tamen non possunt per se concurrere ad intellectionem, sed per speciem quam efficiunt. Tertiò & maximè, quia non censeo essentiam continere eminenter passiones, sed tantùm instrumentaliter; nam ideò, vt dixi, ille effectus tribuitur generanti: fieri autem potest vt aliquid sit aptum instrumentum ad efficiendum aliud, seu aliam facultatem, & non ad efficiendum immediatè actionem illius facultatis, vt in instrumentis artis manifestè conspicitur.

SECTIO IIII.

Quæ accidentia possint esse principia agendi.

I. Difficultatis ratio.

CIrca doctrinam superioribus sectionibus traditam, nonnulla breuiora dubia explicanda supersunt. Primum est, quod in titulo huius sectionis propositum est quod potest vniuersè intelligi, tam de actiuitate accidentium in substantiam, quàm in alia accidentia, tamen quia accidens non efficit substantiam, nisi præuia actione alicuius accidentis, vt dictum est, ideò tota quæstio reuocari potest ad propriam efficientiam, quam accidentia habent in alia accidentia. Et hinc nascitur ratio dubitandi, quia accidens dicitur esse proximum principium producendi accidens, vt sit illi proportionatum: ergo tale oportebit esse accidẽs, quod est principium actionis, qualis est terminus actionis: erit ergo quantitas principium proximum efficiendi quãtitatem, & vnum vbi, alterius vbi, &c. In contrarium autem est, quia ex communi Philosophorum sententia sola qualitas est principium proximum a- A ctionis, & non omnes qualitates, sed aliquæ, cuius etiam ratio inuestiganda est.

II. Accidens ab accidẽte naturaliter emanare potest.

In hoc præmittenda est distinctio suprà posita de actiuitate per naturalem resultantiam vel per propriam actionem, & supponendum, sermonem esse tantùm de hac posteriori, quod pro tota disputatione semel dictum sit, quia illa resultantia per modum vnius cum rei productione computatur, quòd si aliquid singulare interdum circa illam notari potuerit, non omittemus. In præsenti ergo, sicut suprà diximus à substantia posse resultare accidẽs, ita à quolibet accidente poterit resultare aliud, vel realiter: vel saltẽ moraliter distinctum, si capax sit talis proprietatis: sic enim à quantitate resultat figura, vel relatio æqualitatis, si est modus distinctus, & ab vna relatione, vt multi aiunt, potest resultare alia, vt à paternitate similitudo, &c. Et ratio est, quia vnaquæque essentia, qualiscunque sit, potest esse principium suæ proprietatis intrinsecæ per naturalem resultantiam eius.

III. Sola qualitas inter accidẽtia veræ effectionis principium.

De propria ergo efficientia accidentali dicendum est primò, solam qualitatem esse posse principium proximum eius. Hæc assertio primum probari po- B test experientia; nam actiones omnes, quæ tendunt ad substantiam, fieri solent mediis qualitatibus, vel primis, vel quę eminenter contineant primas: actiones etiam vitales mediis qualitatibus fiunt: facultas etiam mouendi localiter, semper est aliqua potentia de prædicamento qualitatis, adeò vt etiam ad motum proiectorum censeant Philosophi necessarium esse impetum impressum, qui sit qualitas motiua. Secundò potest probari facto breui discursu per cætera prædicamenta: quantitas enim non est productiua alterius quantitatis vt experientia probat. Et ratio est primò, quia quantitas consequi- Inductione probatur in quantitate. tur materiam, & ideò imitatur naturam eius, est- que ad recipiendum & non ad agendum. Secundò, quia quantitas re vera non est per se producibilis de nouo, imo (iuxta nostram sententiam) neque concomitanter, ita vt, quæ anteà non erat, nunc esse incipiat per actiones naturalium agentiũ, quia existimamus quantitatem esse coæuam materiæ. Sed solum fit, vt quantitas quæ prius erat vnius rei simul cum materia incipiat esse alterius, vnde, si addatur rei præexistenti, fit augmentatio, vel propria vel impropria iuxta diuersos modos illius mutationis. Semper tñ fit illa mutatio, vel additio, præuia alteratione, & generatione vel aggeneratione, cuius principiũ proximũ est qualitas & ideò quãtitas non habet actionẽ cuius possit esse principium: termini enim quantitatis, qui interdum resultant facta diuisione continui, &c. magis fiunt per naturalem resultantiam, quàm per propriam efficientiam, de qua agimus.

IV. In relatione.

Rursus relatio ex omnium sententia non est actiua: & frequenter ratio reddi solet, quia relatio est minimæ entitatis: & à fortiori id confirmatur ex relationibus diuinis, quæ secundum propria non sunt actiuæ, vt Theologi tradunt, ex illo certo principio quod actiones Trinitatis ad extra sunt indiuisæ. Sed omissis relationibus diuinis (de quibus propriam rationem esse existimo, quia solùm sunt ad subsistẽdum, & subsistentia vt sic, non est principium agẽdi, sed tantùm terminus naturæ, quæ est principium operandi, vt latius differitur in materia de Incarnatione, & Trinitate) de relationibus creatis ratio reddi potest iuxta probabilem opinionem, quia nullam rem addunt suo fundamento: vnde non sunt actiuę, nisi

Universidad de Deusto
Biblioteca

nisi ratione illius, quòd si illud non sit actiuum, non A est vnde habeãt efficientiam: illud autem nunquam inuenietur actiuum, nisi quando est aliqua qualitas. Accedit quòd relatio vt relatio non potest esse principium efficiendi rem absolutam, cùm sint diuersi ordinis, & sit ordo præposterus vt res absoluta consequatur relatiuam. Neque etiam potest relatio facere relationem, quia relatio propria non per se fit, sed quatenus resultat posito fundamẽto & termino.

V. In actione.

Vlteriùs actio non est verè ac propriè principium agendi; nam, vt infrà ostendemus, est ipsa causalitas agentis, & in hoc consistit eius ratio: causalitas autẽ non est principium agendi, sed est à principio, quod supponit. Item, si comparetur actio ad suum terminum, non est principium agendi illud, sed via ad illud seu dependentia illius à suo principio: si verò comparetur ad res alias, non potest per se ipsam esse principium alicuius, quia nec potest esse principium alterius actionis: non enim naturaliter loquendo, ex actione sequitur actio immediatè, sed ad summum ratione termini: neque etiam potest esse principium alterius termini, quia nullum principium pertingit terminum, nisi media actione. Et nulla actio potest B excedere suum intrinsecum terminum, seu per se ipsam alium attingere, quia cum illo identificatur, & solùm est quidam modus illius. Sed instabit aliquis

Actiones immanentes an vera efficientia principia.

de actionibus immanentibus, quæ interdum sunt principia efficiendi aliquid: multi enim dicunt intellectionem efficere verbum realiter distinctum: alij putant cognitionem efficienter causare amorem, vel delectationem, & veriora exempla sunt, quòd actus immanentes effectiuè causant habitus, & interdum vnus actus causat alium eiusdem potentiæ vt assensus principiorum assensum conclusionis, & intentio finis electionem medij. Hallucinantur autem qui putant in hac efficientia actum immanentem non se gerere vt principium producendi aliquid aliud, sed esse ipsam productionem eius: repugnat enim actualem productionem esse rem distinctam à re producta: habitus autem est res distincta ab actu quo producitur. Item, quia si actus comparetur ad actum, ille qui procedit ab alio, intrinsecè est actio immanens: ergo intrinsecè ac per se est productio quædam: ergo alius nõ est productio illius. Alij pro- C pter hoc argumentum limitant assertionem, vt verum habeat extra actiones immanentes. Sed neq; est necessaria limitatio, neque aliqua illius ratio probabilis afferri potest: cur enim illuminatio etiam non erit actiua, aut effectus, qui à lumine proueniunt, nõ tribuentur ipsi illuminationi vt principio agendi. Verùs ergo dicitur, sicut illuminatio habet suum proprium terminum intrinsecum, ad quem ipsa terminatur, hic autem est principium omnis vlterioris actionis, si quæ est, quæ ad rem illuminatam consequatur: ita actiones immanentes, vt actiones sunt, habere suos intrinsecos terminos, qui sunt qualitates, & has esse principia proxima vlterioris actionis, quando contingit subsequi: hoc autem ita esse, inferiùs probandum est latiùs disputando de actione: nunc autem solo argumento facto satis confirmatur: quomodo enim actus immanens esset principium producendi habitum, qui est vera qualitas, nisi ipse esset qualitas, aut cur in ipso habitu distinguimus rationẽ qualitatis ab intrinseca productione seu dependentia qua fit ab ipso actu, & in eodem actu non distinguemus rationẽ qualitatis ab intrinseca dependentia vel actione, qua fit à sua potentia, cùm habitus & actus proportionaliter cõparentur?

VI. In passione.

De prædicamento passionis nihil ferè addere oportet, quia, vt infrà ostendam, actio & passio in re non distinguuntur actu, sed tantùm fundamentaliter, vbi actio passionem habet adiunctam: vnde, si actio non est principium agendi, multò minùs passio, & rationes factæ, æquè applicari possunt. Solùm potest obiici de motu locali, qui est mutatio quædam & cõsequenter passio; nam passio, & mutatio latè sumpta, idem sunt; motus autem causat calorem, vnde videtur esse principium eius. Respondetur tamen, motum localem per se nihil efficere, sed esse tantùm viã ad vbi, deseruit tamen ad actiones, vt conditio necessaria vel vtilis, aut ad applicandum principium agendi, aut ad remouenda impedimenta. Et hoc modo interdum per accidens causat calorem, interdum etiam frigus, de quo aliàs.

VII.

Præterea de loco seu vbi vt sic, cõstat non esse principium agendi: nam si locus sumatur pro superficie continente, eadem ratione non est principium agendi, qua neque quantitas, quia talis locus non est aliud in re ipsa à superficie, sed addit aliquem respectum vel denominationem ad rem extrinsecam, quæ B omnia nihil pertinent ad rationem agendi. Dixi autem sermonem esse de loco vt sic, seu quatenus locus est, quia quatenus est locus, vel naturalis vel violentus, potest habere aliquam actionem in locatum, sed illam non habet nisi ratione aliquarum qualitatum, vt ex Philosophia constat. Si verò loquamur de vbi, prout est intrinseca præsentia seu modus locati, sic etiam manifestum est, non esse principium alicuius actionis: est quidem interdum conditio agendi propter propinquitatem vt posteà dicemus, non tamen est ratio seu principium agendi, vt experientia ipsa satis constat. Ratio autem non videtur esse alia, nisi quia ille tantùm est quidam modus rei præsentis, & per se non affert propriam entitatem, & ideò neque actiuitatem per se confert. Item, quia non potest intelligi quid per se agat, non enim potest aliud vbi producere in alio corpore; nam vbi non fit per se nisi per modum localem: vna autem res non mouet aliam localiter per suum vbi: sed vel impellendo, vel attrahendo, aut alio simili modo. Ex quo à fortiori cõstat, neq; situm, neq; tempus seu durationem, aut quando, neque habitum seu esse vestitum, esse principia agendi secundum eas rationes præcisas secundum quas prædicamenta constituunt, quia situs in re non distinguitur ab vbi nisi aliqua denominatione, relatione, aut figura: habitus verò solùm addit denominationẽ quandam extrinsecam: tempus autem, & in vniuersum duratio, vel non est aliquid in re distinctum à re quæ durat, vel ad summum est modus, & ideò omnia ista formaliter & vt sic non sunt actiua; sed res cum quibus identificantur, possunt esse actiuæ, vt si res, quæ durat, est qualitas, aut vestimentum potest esse actiuum ratione aliquarum qualitatum. Relinquitur ergo vt inter accidentia sola qualitas sit per se principium agendi. Et ratio reddi potest, quia inprimis sola qualitas præter quantitatem habet entitatem propriam re distinctam à substantia, & ideò est propriissimè forma accidentalis, & proprius actus, quod necessarium est ad rationem principij agendi, & vt propriam actiuitatem habeat. Deinde est talis entitas, quæ consequitur formam, & ideò imitatur naturam eius, eique tribuitur vt ei sit instrumentum aut virtus proxima agendi, præsertim cùm substantialis forma per se sola, non sit sufficiens principium proximum huiusmodi actionum.

Vnde qualitas habet actiuitatem præ cæteris habeat.

Dices;

VIII. Dices; Si hæc ratio valida est, probat omnem qualitatem esse principium alicuius actionis, quia omnis qualitas consequitur formam, & consequenter imitari debet naturam eius. Præsertim quia sicut forma substantialis est quidam actus, ita & qualitas: omnis verò actus sicut dat esse, ita & operari. Et confirmari potest, quia vnumquodq; est propter suam operationem: alioqui frustra esset vt dicitur secundo de Cœlo, capite 3. & 1. Ethicor. capite 7. Nihilominùs dicendum est, neque omnes species qualitatis ab Aristotele numeratas, neque omnes qualitates sub singulis speciebus contentas esse actiuas, sed solùm tres primas species quoad aliquas qualitates sub eis contentas. Declaro singula; nam inprimis ab vltima incipiendo, figura per se non est principium alicuius actionis, vt affirmat communis sententia, quæ sumitur ex Diuo Thoma 2. 2. quæstione 96. articulo 2. ad secundum, & libro 2. contra Gentes capite 76. & 3. contra Gentes capite 105. & his locis Caietanus & Ferrarius, idem habet Scotus in 4. dist. 1. quæst. 5. & Caietanus Thien. 4. de Cœl. capite vltimo, & sumitur ex Aristotele 12. Metaphysicæ, capite 3. textu 14. & 6. Ethic. capite 4. & 2. Physi. textu 2. quibus locis ait, artefacta, vt sic non habere principium motus vel actionis. Huius ratio alia non est, nisi quia forma, quæ fit per artem, solùm est figura, quæ non est principium agendi. Hinc etiam Diuus Augustinus 10. libro de Ciuitate, capite 9. & 11. eorum confutat errorem, qui figuris seu imaginibus astronomicis vim aliquam agendi inesse putabant, inde demonstrans omnia illa fieri pacto & virtute dæmonum. Ratio autem est, quia figura, vt sumitur etiam ex Aristotele, libro primo Physicor. cap. 5. textu 46. nihil rei addit, nisi quandam compositionem, aut ordinem partium, ex quo consurgit modus quidam quantitatis, qui est figura, & ideò non potest esse principium per se agendi, tum, quia tantùm est quidam modus, tum etiam, quia est modus quantitatis, & proprietas consequens illam. Vnde, cùm quantitas per se actiua non sit, neque figura esse potest. Et confirmatur tandem, quia nihil est quod figura per se faciat, quia vna figura non potest aliam similem efficere: neque enim statua faciet statuam, neque qualitatem aliquam, vel quidpiam simile facere potest.

Quot, & quæ qualitatis species actiuæ sint.

Figura.

D. Thom. Caietan. Ferrar. Scotus.

B. Augus.

IX Obiectio. Albertus.

C Dices; Figura saltem ad motum localem multùm deseruit acuta incisioni, circularis circulari motui, propter quod Albertus 4. de Cœlo in fine significat, figuram acutam esse vim agendi motum, vel saltem illam cum aliis conditionibus, scilicet, grauitate & duritie componere illam potentiam, & idem sentit Durandus in 1. distinct. 45. quæstione 2. num. 8. vbi etiam addit, figuram sigilli esse per se principium similis figuræ impressæ in cera. Respondetur tamen huiusmodi figuras solùm esse dispositiones ex parte instrumenti, aut corporis, vt faciliùs tali modo moueatur, vel moueat, vel quia ipsum minùs resistit, dum ab artifice mouetur, vt in motu sphęræ, vel quia ei minùs restituitur, vt in motu incisionis; nam quò instrumẽtum est acutius, eò pauciores partes contingit, & ideò minorem resistentiam inuenit. Et è contrario; quãdo incisio fit sine motu corporis scindentis per motum alterius, vt in flumine, ideò acuta figura est dispositio ad illam scissionem, quia deseruit, vt faciliùs resistat aquæ fluenti, eò quòd per pauciores partes rectè attingit rem acutam, & ita minorem impetum imprimit. Et ita etiam in figura sigilli, quia quædã partes sunt acutiores aliis, & quædam prominentes, aliæ quasi concauæ, ideò faciliùs scindunt aut deprimunt quasdam partes ceræ, quàm alias, & inde consurgit figura, non quia vna sit per se principium alterius, sed quia motis secundum locũ quibusdam partibus, consurgit talis figura. Cuius etiam signum est, quia veluti contrario modo cõsurgit figura in cera, quàm erat in sigillo. Partes enim, quæ eminebant in sigillo, sunt quasi concauæ in sigillato, & è conuerso.

In cæteris autem tribus speciebus qualitatis reperiuntur qualitates actiuæ. Nam habitus potentiarũ sunt principia eliciendi actus, & è conuerso actus (qui in prima etiam specie collocantur, & dispositiones sunt) habitus interdum efficiunt. Potentia verò est actiua & actuum & habituum. Passibiles etiã qualitates, actiuæ sunt, vt de calore constat. In omnibus autem his speciebus reperiuntur aliquæ qualitates, quæ non sunt principia agendi, vt in specie habitus, ille qui proximè ordinatur ad aliquod esse, & non ad operari, in quo ordine solet sanitas numerari, quæ satis impropriè dicitur habitus. Vnde in naturalibus fortasse nullum est exemplum, quod immeritò aliqui adhibent de speciebus intelligibilibus; nam illæ re vera sunt principia agẽdi. In supernaturalibus verò commune exemplum est de gratia, quæ est in essentia animæ: sed certiùs est de charactere, de quo aliàs. In specie item dispositionis sunt multi actus, qui nihil agunt quando, scilicet, potentia, vel non indiget habitu, vt in visione, vel non tali, qui possit per actus effici, vt in actibus supernaturalibus. Multi etiam actus non sunt actiui aliorum actuum, neque habituum, vt patet in omnibus sensibus, & in fruitione Dei & similibus. Potentia item distingui solet in actiuam & passiuam, inter quas passiua vt sic non est principium agendi, quamquam incertum est, an detur aliqua qualitas, quæ sit pura potentia passiua, vt suo loco videbimus, vbi etiam tractabimus, an potentia resistendi sit potentia actiua, an passiua. Inter passibiles etiam qualitates multæ sunt non actiuæ suarum similium, vt albedo & colores alii, quamuis efficiant intentionales species. Alię verò vtrumq; efficiunt, vt lux vel calor. &c. Difficile autẽ est reddere rationẽ huius varietatis. Generalis esse videtur, quia substantia ad suam consummatam perfectionem indiget tota hac varietate, & ideo diuersas qualitates à natura recepit, quę pro sua diuersitate ad diuersos effectus ordinarentur: vnde quædam institutæ sunt ad agendum, aliæ ad informandam vel ornandam substantiam, & quasi vltimo expellendam capacitatem illius. Quæ omnia pertinent ad munus formæ, & ideo qualitates, quæ non sunt actiuæ, neque sunt otiosæ, neq; carent aliqua participatione vel conuenientia cum forma. Et ita soluta est dubitandi ratio. In particulari vero exponere, quę qualitates sint huius vel illius rationis, ad hunc locum non spectat.

X. In primis qualitatis speciebus aliquæ actiuæ, aliquæ non.

SECTIO V.

Vtrùm sola accidentia sine concursu formarum substantialium efficiant alia accidentia.

I. Ommunis modus loquẽdi in hac materia est, accidentalem formam esse principium proximum: substantialem vero esse principale principiũ omniũ actionũ suppositi, etiã accidẽtalium. In quo autẽ cõsistat hæc ratio principalis principii, vel quis sit influxus eius, aut doctores id nõ declarãt, vel si aliquid obiter dicũt, insinuãt in hoc solũ cõsistere, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quòd forma est radix & pirncipium facultatis accidẽtalis, quæ illi data est à natura, vt ei sit proximum principium ad eliciendam actionem. In ipso autem exercitio actionis accidentalis non creditur substãtialis forma habere iusluxum proximum & actualẽ. Et ratio reddi potest, tũ ex illo principio, quod substantia creata nõ potest esse principium proximum accidentis, tum etiam, quia ad efficiendum accidens, sufficiens principium est aliud accidens.

II. Ad vitales functiones non accidẽs solũ, sed substantia etiam proximè influit.

Nihilominus censeo distinctione esse vtendum, nam inter has actiones quædam sunt vitales, alię verò minimè. De prioribus dicendum videtur non solam facultatem accidentalem, sed etiam ipsam animam per substantiam suam in illas proximè in suo ordine influere. Hanc cõclusionem videtur suadere experiẽtia; nam hæ actiones vitales tam intimo modo fiunt, vt ab ipso primo principio vitæ, quod est anima actualiter procedere videãtur: vnde fit vt licet oculus præsentẽ habeat imaginem, & ab illa recipiat speciem, si anima non attendat, non videat. Nec refert, si quis dicat id prouenire ex distractione imaginationis, aut sensus cõmunis, tũ quia idẽ argumentũ faciã de sensu cõmuni & imaginatione. Quod si dicatur, tunc speciẽ sensibilem non transcendere sensum externum, inde sumemus argumentum contra priorem euasionem. Nam, si species obiecti sensibilis præsentis, & immutantis sensum externum, non peruenit ad sensum internum, quando anima non attendit, ideò est, quia species exterioris sensus non communicatur interiori sensui, nisi medio actu sensus exterioris. Ex quo fit, vt exterior sensus priùs natura sentiat, quàm interior cooperetur: nam hæc cooperatio videtur subsequi operationem sensus exterioris: ergo ratio cur in prædicto casu sensus exterior non sentit, non prouenit ex interiori sensu, sed potiùs ideò interior sensus non tangitur specie illius obiecti, quia sensus exterior non percipit illud. Alia ergo causa quærenda est cur tunc sensus exterior nõ efficiat suum actum, quæ non videtur esse alia, nisi, quia tunc anima non influit, nec cooperatur illi. Dices, rationem esse quia non cooperatur, nõ quidem per suam substantiam, sed per spiritus animales, qui necessarij sunt ad sensum & motum. Sed licet verum sit, hos spiritus esse necessarios, tamen hoc ipsum confirmat argumentum & experientiam adductam. Nam ad hos actus vitales requiritur non solùm proxima facultas, sed concursus etiam spirituum, qui non casu illuc confluunt, sed virtute alicuius facultatis ministrantis illos spiritus ad illum actum: ergo necesse est, vt sit aliquod commune principium actu vtens illis duabus facultatibus, & ex naturali inclinatione vel sympathia ordinans actionem vnius ad actum alterius.

III. Præterea hoc confirmat alia experientia, qua suprà probabamus esse in homine vnam tantùm animam, quia nimirum ex nimia attentione ad opus vnius facultatis impeditur in opere alterius, vt si nimis attentè aliquid homo inspiciat, non audiet loquentem, & ne id tribuatur defectui spirituum, etiã attentio intellectus impedit operationem sensus, & quo est altior & perfectior, eò plus minuit etiam phantasiæ motum, aut repræsentationem & (quod magis est) etiam opera nutritiuæ partis impedit, vel suspendit. Si autem vnaquæque facultas sola per seipsam haberet suam operationem, nulla esset ratio, cur vnius operatio impediret operationem alterius, nam multiplicatis virtutibus, si vna ab altera non pendet, neq; ambæ ab vno tertio, cuius virtus, dum vtriq; applicatur, minuatur in singulis, nihil est curarum operationes non possint simul multiplicari, & exerceri æquè perfectè. Præterea sumitur à cõtrario optimum argumentum ex connexione operationum; nam dum intellectus intelligit, volũtas excitatur ad amãdum, &c. hoc autem ideò est, quia eadem anima per vtramque potentiam actu operatur: nam sola veluti habitualis radicatio, seu remota dimanatio ab eadem anima, non esset satis ad hanc actualem causalitatem seu motionem, & excitationẽ, si vnaquæq; operatio à sua sola potentia actualiter prodiret sine connexione in aliquo communi principio. Et inde etiam oritur dependentia inter appetitum vitæ & cognitionem, vt nihil possit esse amatum, nisi sit pręcognitum. Ratio autem à priori sumi potest ex proprio modo operationis vitalis, quæ requirit hanc intimam connexionem cum suo principali principio formali, vt modo consentaneo ad naturam suam fieri possit, & vt suum principium vel suppositum vitali modo afficere valeat; quantum enim experientia assequi possumus, in hoc consistit actualis vita, & primaria differentia viuentium à non viuentibus. Et confirmatur; nã ob hanc causam censent omnes visum separatum, non posse videre, seu visionem elicere, neq; intellectum intelligere. Contra hanc autem sententiam possunt nonnulla obiici, quæ prudens omitto, quia vel difficilia non sunt, vel multa necessariò attingunt, quæ ad scientiã de Anima spectant. Quod verò aliquis interrogare potest, ad quid nimirum sint necessariæ facultates accidentales, & vitales, si forma ista etiam actu influit; ex dictis in sect. præced. habet sufficiens responsum. Forma enim est veluti vniuersale principium, potentia verò necessaria est, vt particulare magisque accommodatum, ac proprium, vt ibi latiùs declaratum est. Statim etiam alias leuiores obiectiones dissoluemus.

IV. Accidens ad vitale, ita necessarius ut proxima ejus substãtia.

De actionibus autem accidentalibus, quæ vitales non sunt, dicendũ est, posse fieri à solis accidentibus. Hoc patet in calore, qui existens in aqua, & in quolibet alio subiecto, absq; forma ignis calefacit. Similiter albedo ad efficiendam sui speciem intentionalem, non indiget superiori concursu. Item, hinc oritur vt si res habeat duas qualitates actiuas, æquè possit vtriusq; simul, ac alterius tantùm actionem exercere, vt aqua simul frigefacit & humectat, quantùm potest, &c. Deniq; hoc probat ratio dubitandi superiùs proposita, quia si perfectio effectus cõsideretur, ad illam communicandam sufficit virtus & perfectio similis vel eminentioris formæ accidentalis: ex modo autem actionis non requiritur illa tam intrinseca dependentia, & ideò non est cur necessaria sit. Vnde obiter soluitur illa ratio, quatenus contra priorem assertionem fieri potest. Quamquam enim dubitari possit, an operatio vitæ sit perfectior in sua entitate, quàm facultas, à qua procedit: nunc autem, supponendo potentiã esse perfectiorem, dicimus propter specialẽ modum talis operationis necessarium esse actualem influxum immediatũ principii principalis. Neq; repugnat hoc modo formam substantialem influere in actionem, si habeat principium accidentale, quo proximè determinetur ad illam actionem: non enim semper forma accidentalis dicitur principiũ proximum, quia sola illa immediatè influat, sed quia est principium determinans formam substantialem ad talem actionem. Sicut causa particularis dicitur proxima respectu primæ, non quia prima non immediatè influat, sed quia particularis est in suo genere determinans actionem.

Sed

V. Ad nullius accidẽtis nõ vitalis productionẽ exercit immediatè substãtia.

Sed quæret aliquis circa posteriorem partem, est A to non sit necessarius influxus formæ ad has actiones, an sit possibilis, & vtilis, id est, an calor existens in igne iuuetur à forma ad calefaciendum: & consequenter, an, cæteris paribus, vehementiùs calefaciat, quàm existens in alio subiecto. Contra priorem etiam partem obiici potest, nam interdum videtur actio vitalis exerceri ab aliqua potentia separata ab anima, vt in semine. Ad priorem partem respondeo nullum inueniri sufficiens signum illius influxus, & ideò non esse leuiter & sine fundamento asserendũ. Quod etiam confirmat Eucharistiæ mysterium, vbi accidentia vini æquè agunt sine influxu suæ formæ. Video dici posse Deum supplere illam efficientiam ob fidem mysterij; tamen vbi nulla necessitas cogit, non oportet recurrere ad diuinam causalitatem. Ad posteriorem partem probabile est, semen quoad spiritum in eo supplantatum, viuere vita vegetatiua, ad quam spectat modus ille vitalis, qui videtur esse in generatione viuentis: atque ita videtur sentire de semine Aristoteles 2. de Generatione animal. capite primo, quia habet virtutem organizandi corpus, & B generãdi, quod videtur opus animæ vegetatiuæ. Neque ab illa sententia discrepare videtur Diuus Thomas 1. p. q. 118. a. 1. ad. 1. Secundò, quidquid de hoc sit, respondetur, actiones animæ vegetatiuæ quoad substantiã eiusdem esse rationis cum his, quæ ab extrinseco principio fiunt: omnes enim sunt aut motus locales, aut alterationes, vel eductio formæ substantialis, vnde solùm habent rationem actionis vitalis ex peculiari habitudine ad animam vt ad principium coniunctum in eodem supposito se mouente. Sicut locutio hominis est actio vitalis, locutio aũt angeli in corpore assumpto non est vitalis, licet sint similes in exteriori specie. Sic ergo actio seminis vt est ab illo, nõ est vitalis, sed merè naturalis actio: qp autem in artificio (vt sic dicam) seu in ratione agendi seruet modum vitæ, referendum est in aliud superius principium, vt tactum est suprà.

Organizatio an actio vitalis.

Aristot. D. Thom. Vide Vallesium lib. controuers. medicas.

SECTIO VI.

Vtrùm accidens sit instrumentum tantùm in productione alterius accidentis.

I. QVIDAM contendunt accidens dicẽdum esse principium tantùm instrumentale. Et communiter hæc opinio Diuo Thomæ tribuitur, qui illam insinuat in 1. distinct. 3. quæst. 4. artic. 3. ad 2. ideòque sectatores eius frequentiùs illã sequuntur, hisque rationibus confirmant. Prima, quia accidens est essentialiter subordinatum substantiæ in esse, & consequenter etiam in actione. Secundò, quia accidens accipit à substantia totam virtutem agendi. Neq; obstat, quòd causa principalis proxima etiam accipit virtutem agendi à prima, nam causa secunda & prima sunt diuersi ordinis, & nõ repugnat causam principalem inferiorem accipere virtutem à causa superioris ordinis: accidens verò est in agendo eiusdem ordinis cum sua substantia, & cum ea cõstituit vnũ proximum agens integrum, & ab ea recipit virtutem agendi: hoc autem modo accipere virtutem ab alio eiusdem ordinis, constituendo cum illo vnũ proximum agens, est proprium causæ instrumentalis. Tertiò, quia tale est agere, quale est esse: sed accidentis esse est substantiæ, est enim accidens entis ens: ergo agere accidentis principaliter est substantię: ergo accidentis solùm est instrumentaliter. Et C hoc confirmat modus loquendi Philosophorum omnium, qui attribuunt omnes has actiones substantiis vt primis agentibus.

II. Scotus. Palud. Maior. Aegid.

Contrariam sententiam tenent frequentiùs alij Doctores, vt videre licet in Scoto in 4. dist. 12. quæstio. 3. Paludano quæst. 4. concluf. 1. Maiore quæstio. 1. Ægidio quodlib. 3. quæstio. 1. & Theoremate 43. Ad declarandum autem fundamentum huius sententię supponendum est non esse hic quæstionẽ de causa principali vt quod, seu quæ operatur, sed de principio principali quo. Constat enim priori modo suppositum esse quod operatur: si autem sumatur formaliter, vt est per se causa accidentalis actionis, accipi debet vt substat formæ accidentali, quæ est principium talis actionis: sic enim dixit Aristoteles, Polycletum per accidens efficere statuam, artificem autem per se. Hoc ergo modo dicitur accidens causa principalis *vt principium quo*, suppositum verò vt substans accidenti *vt principium quod*. Et sic probatur hęc opinio, quia forma accidentalis propria virtute efficit aliud accidens: sed causa principalis est quę propria virtute operatur: ergo. Maior patet, quando calor efficit calorem, & in vniuersum vnum accidens aliud simile: vel quando nobilius accidens efficit ignobilius, vt lux calorem: tunc enim perfectio effectus non excedit perfectionem accidẽtis, quod est principium agendi: ergo nec virtutem eius excedit: ergo tunc accidens propria virtute est principium talis actionis. Iuxta quam rationẽ intelligenda est hęc sententia de accidente, quando hoc modo operatur: nam si eleuetur inferius accidens ad efficiendũ aliud superioris rationis, non negabitur esse instrumẽtũ. Secũda ratio sit, quia illud est principale principium agendi, cui assimilatur effectus: sed per calefactionem vt sic, effectus sit similis causæ in calore: ergo calor est principale principium illius actionis. Tertia, quia calor per se separatus à substãtia eadem vi, & efficacia exercet actionem suam ita vt non indigeat iusluxu substãtiæ, neq; alterius causæ quæ illum suppleat, vt de accidentibus Eucharistiæ, quantum ad actiones accidentales, omnes fatẽtur. Quarta, quia albedo v.g. non efficit intentionales species vt instrumentum substantię, cùm ad illam actionem omnino per accidens substantia se habere videatur.

III. Hæc controuersia, suppositis quæ dicta sunt in secundo dubio, solùm videtur esse posse de modo loquendi, nam ad rem solùm spectat, quem influxum requirat accidens à substantia, vt suam propriam actionem perficiat. Hoc autem constituto & declarato, solùm de significatione nominis controuerti potest, cùm quæritur an dicendum sit instrumentũ, vel principale principium. Itaque potentiæ animæ ad actiones vitales, meritò dici possunt instrumenta coniuncta animæ, quatenus ità illi subordinantur sicut principali formę, vt sine actuali influxu, & quasi motione illius, suas operationes efficere non possint. Quamuis alia ratione possint dici principia principalia, saltẽ partialia, quia scil. virtus quã in se habẽt, & qua cooperãtur ad effectũ, est ex se proportionata & cõmensurata tali effectui, quia nõ excedit perfectionẽ ipsius facultatis, loquor. n. de actibus cõnaturalibus. Vnde etiam possunt potentia & forma cõparari vt principium vniuersale & proximum: vtrumq; verò principale & sufficiens ac totale in suo ordine: tamẽ quia inter illa duo principalius est forma, cui subordinatur potentia, ideò hæc subordinatio & dependẽtia nomine instrumãti significari põt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IIII. At verò in aliis accidentibus, quæ non ita pendent in sua actione à substantiali forma, multò minor ratio instrumenti reperitur respectu talium actionum. Vnde, quod ad rem attinet, verissimè existimantur principia principalia talium actionum, vt argumenta posteriori loco facta conuincunt, quia ex vi illius perfectionis solius, quam habent ex sua specie vel entitate, eliciunt tales actiones. Item, quia sola talis forma per se sufficit ad dandum supposito esse per se ac formaliter requisitum ad talem actionem, vt in aqua calida esse per se requisitum ad calefaciendum, tantùm est esse calidum. Sicut ergo calor est forma per se, ac ex propria ratione dans esse calidum, ita re ipsa est principium principale calefaciendi. Neque ad hoc refert aut obstat, quòd accidens sit in substantia, & propter substantiam, & à substantia, quia non agimus vnde, vel à quibus causis habet accidens virtutem agendi: fatemur enim habere illam materialiter à substantia, & finaliter propter illam, & fortasse etiam efficienter mediatè vel immediatè per dimanationem naturalem: sed agimus an formaliter habeat in se totam virtutem sufficientem, & necessariam ad illam actionem. Et sic dicimus habere illam, & hoc solùm contendimus significari, cùm dicitur principalis causa, non *vt quod*, sed *vt quo*. Cui principio nulla ratione obstat, quòd accidens sit entis, id est, substātiæ ens, & quod totum suum esse sit alterius: quin potiùs illa particula *vt quo*, hæc omnia innuere & significare videtur. Vnde etiam ipsa forma substantialis quatenus est principium quo respectu sui suppositi, est suo etiam modo entis ens. Ne verò de nomine sit contentio, illud etiam dabimus priori sententiæ, quòd si nomine instrumenti seu causæ instrumentariæ solùm significetur (vt re vera interdum significatur) illa habitudo, quam habet accidens ad substantiam, quatenus illi datum est vt substantia per illud tanquam per instrumentum suum operetur, & ad hoc accipit virtutem ab ipsa substantia, & ab eadem in suo esse sustentatur & pendet, sic vocari potest instrumentum, propriùs tamen appellatur virtus aut potentia substantiæ.

SECTIO VII.

Vtrùm causa efficiens esse debeat in re distincta à recipiente, vt agere possit.

I. EXPLICVIMVS principia per se agendi causarum creatarum, superest vt dicamus de conditionibus requisitis ad agendum, quæ licet variè numerari soleant, tres tamen videntur grauiores & difficiliores: & ad eas omnes aliæ reuocantur. Supponendum autem est omne agens creatum indigere passo ad actionem, quia, vt suprà dictum est, & infrà etiam ostendetur, non agit creando, sed ex præsupposita materia. Conditiones ergo requisitæ ad agēdum, exigendæ non sunt inter causam & effectum: sic enim non erunt requisitæ ad agendum, sed consequentes actionem. Sunt ergo prærequisitæ inter agens & passum, seu inter causam efficientem & materialem. Prima igitur conditio est distinctio necessaria inter agens & passum. Secunda, propinquitas necessaria, suppositā distinctione. Tertia, dissimilitudo & proportio: quamquam hæc tertia quodammodo ad rationem agendi pertinere videatur, vt posteà videbimus.

Quæ conditiones inter agens & passum requisitæ ad actionem.

II. Omitto conditionem existendi, quia, vt sæpè dixi, hanc non reputo conditionem condistinctam in re ab agente seu principio agendi: vnde meritò dixit Aristot. 4. Metaphysic. cap. 4. text. 16. *Ea quæ non sunt, quonam pacto aut loquentur, aut ambulabunt?* Præterea, quia hæc conditio includitur in omnibus aliis: nam si necesse est agens & passum esse propinqua, multò magis necessarium erit vt sint: quomodo enim erunt loco propinqua, quæ in rerum natura non sunt? Item suprà ostendimus ad agendum etiam per resultantiam, non satis esse immediatè anteà fuisse, multò ergo euidentiùs est, ad propriam efficientiam necessariam esse existentiam. Quod in naturali efficientia nemo negabit: id autem præsenti instituto sufficit, intelligendum autem est cum proportione, scilicet, vt quod per se ipsum agit, in se existat: quod verò tantùm per instrumentum separatū agit, virtualiter tantùm in instrumento existat, quia solùm per denominationem extrinsecam ab illo, agere dicitur: illa autem virtualis existentia nihil est aliud, quàm quòd instrumentum ipsum existat. Quā existentiam etiam in diuinis instrumentis necessariā esse alibi ostendimus. B

III. Omitto præterea aliam conditionem, quæ in agente materiali solet requiri, scilicet, quod sit extēsum, & quantitatiuo modo existens. Hæc enim conditio in tantum necessaria est his rebus ad agendum, in quantum intrinsecè pertinet ad naturalem modū essendi earū: an verò, separato diuinitus illo modo existendi, possint agere naturaliter, non tam est Metaphysica quæstio, quàm Theologica, quā satis attigimus in tomo 3. tertiæ partis, d. 49. sect. 1.

Difficultas præsentis quæstionis, & variæ sententiæ proponuntur.

IIII. HIs suppositis, in hac sectione tractanda est prima conditio. In qua difficultas oritur primò ex multis exemplis, in quibus ostendi videtur non esse necessariam distinctionem in re inter agens & passum, primò ob naturales emanationes, nā ab eadē anima manat intellectus, & in eadem recipitur. Secūdò in actionib. immanentibus cognoscendi, & præsertim amandi, nam eadem anima per eandem volūtatem elicit amorem, & recipit. Tertiò in moribus physicis, nam grauia & leuia se mouent, & viuentia propriùs, & aqua se frigefacit, &c. Vltimò obstat ratio, quia licet illa conditio sæpè intercedat in his quæ agunt actione transeunte, quia illis naturale est agere in alia, tamen nulla est ratio quæ necessariò exigat conditionem illam. Si enim aliqua esset, maximè illa vulgaris, quia non potest idem simul esse in potentia ad recipiendum, & in actu ad agendum: hæc autem non videtur vrgens, quia, vt Scotus argumentatur, potest esse in actu virtuali seu eminenti, & in potentia formali, id est, habere vim eminentem ad efficiendam talem formam, & capacitatem ad recipiendam formaliter illam: in hoc enim nulla inuoluitur repugnantia. In contrarium verò est axioma illud ab Aristotele traditum 7. & 8. Physic. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur:* quod adeò receptum est, vt tanquam fundamentum & principium habeatur demōstrationis, qua ostenditur Deum esse. C

V. Aliquorum opinio. Scotus. Ant. Andr. In hac re quidam existimant hanc conditionem non esse necessariam in omnibus agentibus, licet in multis interueniat. Ita opinatur Scotus in 1. d. 3. q. 7. & in 2. d. 2. quæst. 10. & 9. Metaphys. quæst. 14. & ibi Antonius And. q. 1. Greg. in 2. d. 6. q. 1. artic. 3. Iandun. 8. Phys. q. 12. qui nituntur argumentis factis.

Quibus

Comment. Quibus fauet Comment. 3. de Cœlo com. 28. dicens idem posse à se ipso pati actione æquiuoca. Alij frequentiùs indistinctè acceptant axioma Aristotelis: & hanc conditionem vt omnino necessariam in omni agente requirunt, non solùm quoad transeuntes, sed etiam quoad immanentes actiones. Quod disertè declararunt Capreol. in 1. d. 3. quæst. 3. & Ægid. quodlib. 3. quæst. 16. & quodlib. 5. quæstio. 15. Ferrar. 1. contra Gentes, 23. Vbi tamen excipit efficientiam per naturalem resultantiam: quod fortasse (si consequenter loqueretur) non esset necessarium. Alij verò distinctionibus variis vtuntur, vt in progressu explicabimus. A

Capreol. Ægidius. Ferrar.

Nonnullæ suppositiones ad quæstionis resolutionem.

VI. Agens non necessario à patiēte distincti supposito. PRimò ergo statuēdum est non esse necessarium, agens distingui supposito à passo recipiēte. Hoc satis patet inductione facta: idque expresè docet Aristoteles 7. Physicorum in principio, & 8. Physicor. cap. 4. Vnde infert, idem posse mouere se ipsum, si distinguatur in partem per se mouentem, & partem per se motam, quomodo ait animalia mouere se ipsa motu locali, & ferè eodem modo mouent se viuentia motu augmentationis: agunt enim directè in alimentum, quod in se conuertunt, & sibi vniunt, & ita augentur. Sic etiam non est inconueniēs, idem mouere se per accidēs, sicut mouetur anima, motò corpore. B

VII. In eodē supposito varie agens à patiente distinctum. Secundò supponendum est in eodem supposito agente in se ipsum variis modis posse distingui agens à patiente. Primò secundum diuersas partes integrātes: secundò iuxta diuersas partes substantiales & essentiales: vt si per formam agat, & per materiam recipiat, qui duo modi habere possunt locum in corporibus, non tamen vniuersè in omnibus agētibus, prout nunc loquimur, nam etiam res spirituales agunt in se. Tertiò possunt distingui, vt saltem alia sit facultas agendi, & alia recipiendi. Quę distinctio potest esse aut omnimoda & realis, aut saltem vt includentis ab incluso: quorum omnium exempla posteà afferemus.

VIII. Variæ actiones, de quibus est quæstio. Tertiò distinguere oportet varias actiones, & per quam regulam colligere possimus. Inter actiones ergo primum numerari potest naturalis dimanatio seu resultantia: deinde motus Physici ac materiales, qui ex genere suo actione transeunte perficiuntur, qui, claritatis gratia distingui possunt in suas species, alterationis, augmentationis & motus localis, omitto generationem substantialē, nam per se notum est, idem non posse generare se ipsum. His adiungi potest motus localis spiritualium rerum se ipsas mouētium: is enim partim similis est motibus corporum, quia se habet tanquā actio transiens, partim est dissimilis, quia non est motus Physicus, id est extensus ex parte subiecti. Denique præter has omnes est efficientia per actiones immanentes sensus, aut appetitus, intellectus, aut voluntatis. C

IX. *Prima assertio de resultantia naturali.*

DIco ergo primò. In resultantia naturali, quāuis contingat proximum efficiens non esse distinctum à recipiente, tamen simpliciter ille effectus reducitur in efficientem causam distinctam à passo. Prior pars patet argumento superiùs facto de potētiis animæ ab eadem fluentibus, nam licet in anima distingui possit ratio agendi & recipiendi illas potētias, vt Ferrar. suprà aduertit, tamen cùm illa distinctio, rationis tantùm sit, nihil ad præsens refert: maximè quoad primam proprietatem quę immediatè à sola substantia resultat, nam secunda fortè emanat mediante prima, licet proximè in substantia sola recipiatur, vt sentit D. Thom. 1. p. q. 77. art. 7. Atq; idē est de substantia & potentiis angelorū. In rebus autē materialibus semper ferè potest in re distingui principium efficiens (saltem *vt quo*) huius emanationis à ratione recipiēdi proprietatem dimanantem: manat enim à forma, nō tamen recipitur in illa, cùm nō sit forma subsistens, sed recipitur in materia, vel in composito ratione materiæ. Solùm potest instari de quantitate, si fortasse manat ab entitate materiæ, & in ea recipitur, quod incertum est.

Posterior pars conclusionis constat ex superiori sectione, diximus enim proprietatem non manare à substantia vel essentia vt à principali agente, sed vt ab instrumento generantis: ergo ille effectus generanti tribuendus est vt principaliori causę. At verò generans distinctum est à genito, & à potentiis eius. Dices, reductionem huius effectus in generantem solùm esse tanquam in causam remotam, & per accidens, quæ dedit formam, à qua facultates aliæ manant: hic autem, vt suprà dixi, non inquirimus reductionem per accidens, sed per se, & in causam proximam: aliàs facilè diceremus omne quod fit, ab alio fieri; etiam distincto secundum suppositum: ab alio: (inquam) vel qui proximè agat, vel qui remotè dederit virtutem operandi. Respondetur non esse hāc reductionē in causam per accidēs, sed in causam principalē per se primò quidem, ex intentione & ordinatione naturę, nam virtus illa data est vt operetur tanquā instrumentū alterius, cuius vicem quōdammodo gerit. Vt proiecta non per accidens, sed per se dicunt moueri à proiiciente, qui impressit impetū, nō solùm quia dedit virtutem agendi, sed quia illam dedit cum hāc habitudine, vt esset instrumētū, quod vice sui operaretur. Deinde, quando essentia nō cōtinet eminēter has facultates, sed tantùm instrumētariè, probabile est requiri maiorē influxum generātis, seu authoris naturę, quàm si illa causa esset propria & principalis, cui omnino esset tribuendus effectus: quia hoc ipso, quòd principium proximū non continet formaliter, neq; eminenter effectum, non potest esse propria & ādæquata causa eius, etiam in ratione causæ proximę & principalis. Quare, si in tota aliquā specie non inuenitur illa eminēs virtus respectu proprietatum naturaliter consequentium ipsam, necesse est proprietatem quæ est in genito, fieri à simili proprietate, quæ est in generante, aut manare à forma cum aliqua reductione ad authorem totius speciei vt principaliter efficientem. X.

Secunda assertio de motu, & actione Physicis.

XI. DIco secundò. Omnis causa efficiens per motū Physicum & actionem transeuntem, distinguitur in re aliquo modo à materiali causa recipiente effectū. Hæc cōclusio est consentanea menti Aristotelis qui fortè nil aliud intendit in cit. loc. nam agit de motu Physico rerum corporaliū, in solis Physicis motibus inductionē facit, semperq; in rationibus suis supponit talē motū habere partes, ex parte mobilis. Et quoniā in motu alterationis & augmētationis minor est difficultas, in illis priùs explicat breuiter cōclusio. Nam inductione facta, nulla inuenit alteratio propria quæ ab aliquo agēte in se ipsum

Universidad de Deusto
Biblioteca

per se primò fiat, id est, secundum eandem partē: cōtingit quidem, idem per vnam partem alterare se ipsum in alia, si sint dissimiliter affectę: tamen secundum eandē non contingit, vt inductione in omnibus cōstat. Solùm est vulgaris instantia de reductione aquę ad pristinā frigiditatem, & idem est de quacunq; simili reductione, in superiorib⁹ enim ostendimus illam actionē non fieri ab agente extrinseco, sed ab intrinseco. Respondetur tamen, illam actionē pertinere ad naturalem resultantiam, de qua in prima conclusione locuti sumus: & ideò solet illa actio tribui generanti, vt notarūt Capreol. in 2. d. 6. q. 1. a. 3. Ægid. quodl. 2. q. 16. Henric. quodlib. 11. quæst. 6.

Capreol. Aegidius. Henric.

XII. Et hinc facilè constat, in motu etiam augmentationis non agere idem in se ipsum per se, nam ille motus non fit nisi præuia alteratione: sed alteratio non fit ab eodem in se ipsum secundum eandem partem: ergo neq; augmentatio. Ratio autem à priori huius partis nulla alia esse videtur præter eā quam Arist. tetigit, scilicet quia non potest esse idem secundum idem simul in actu & in potentia. Cui rationi valde obstat obiectio suprà facta. Quia procedit hæc ratio ad summum de alteratione vniuoca, id est procedēte à qualitate eiusdem rationis, non verò de alteratione æquiuoca, quę procedit à qualitate virtuali seu superioris rationis: nam tunc nulla esset cōtradictio, q̄ eadem pars haberet qualitatem virtualem, & careret formali, & id ò ageret in se. Propter q̄ Scotus & alij suprà citati existimant rationem Aristotelis non esse vniuersalem, quod est re vera dicere, non esse efficacem Præsertim quia, vt infrà videbimus, ipse vtitur ea ratione etiam in motu locali, in quo actio semper est æquiuoca: virtus enim motiua semper est alterius rationis à forma, seu termino motus localis.

XIII. Alij hac ratione vtuntur. Alteratio materialis, quæ fit à substantia materiali, procedit actiuè à forma, nam materia non est principium agendi: recipitur autem in composito ratione materiæ, quæ est principium patiendi, atque ita, etiamsi contingat idem secundum eandem partem integralem agere in se ipsum, nihilominùs distinguitur agens à patiente quoad principia agendi & patiendi. Sed hæc ratio planè est contra mentem Aristotelis, qui non agit de principio formali quo: satis enim erat constans, materiam & formam habere diuersa munera in rebus corporalibus: sed agit de principio quod, vel integro, vel saltem partiali, vt rectè notauit D. Thom. q. 22. de veritate art. 3. & constat ex 8. Physicorum, c. 4. Alioqui cùm agit de motu grauium & leuiū, non oportuisset recurrere ad generans, sed ad formam efficientem, & ad materiam recipientem motū. Neque in animalibus oportuisset distinguere partem per se mouentem à parte per se mota, quod de partibus integrantibus apertè intelligit Arist. ibid. text. 28. Nec deniq; ascendendo ad motum cœli, oporteret separatum motorem eius assignare, sed intrinsecam formam, quę esset principium actiuum motus, & materiam, quæ esset receptiuum.

Per partem per se mouē. tem, & partē per se motā. nō intelligit Arist. formā & materiam.

D. Thom.

XIV. Iuxta mentem ergo Aristotelis dicendum est, idem compositum materiale non posse alterare se ipsum per se, seu secundum eandem partem integralem. Ratio autem huius ita reddi potest, quasi declarando seu cōsummando primam rationē Aristotelis: Quia, si substantia habeat in aliquā parte qualitatem formalem, & non virtualem, vel neutram habeat, nō potest ad illam eandem qualitatem se mouere, vt optimè probat ratio facta. Si verò habeat in illa parte qualitatem virtualem, aut qualitas etiā formalis, est connaturalis eidem parti, vel est violenta, vel neutra. Si est naturalis, semper habebit illā, quia proprietas connaturalis ab intrinseco semper cōuenit. Quòd si talis fortasse sit, vt violenter tolli aut minui possit, tunc ablato impedimento, reducet se illa res ad statum connaturalem, tamen illud erit per modum resultantiæ naturalis, & actio principaliter reducetur in extrinsecum principium, quod est generans. Si autem illa qualitas sit violenta, impossibile est, vt eadem res per qualitatem virtualem caloris, se ipsam formaliter calefaciat calefactione violenta & præternaturali. Exemplum esse potest piper, quod vim habet calefaciendi linguam aut ventrem, & tamen non potest calefacere se ipsum, quia talis calefactio esset sibi violenta. Huius autem ratio non facilè redditur. Quod enim quidam aiunt naturæ lege cautum esse, ne quid sibi interitum aut incommodum paret, non videtur satisfacere, nam idem viuens dum ab intrinseco corrumpitur, sibi interitum parat: parum autem videtur referre, quòd hoc sit secundum diuersas partes, per vnam alterando aliam, vel per eandem secundum diuersas qualitates. Et ratione patet, nam illa qualitas virtualis, est sufficiens ad efficiendam formalem in subiecto capaci, & naturaliter ac necessariò agit: ergo si subiectū, in quo est virtualis qualitas, est capax formalis, & caret illa, ex necessitate naturæ efficiet illā in se, neq; ob illam naturæ legem potest continere actionem suam, nisi aliunde impediatur, quia non est agens liberum.

Comment. Phys. 2. c. 4. q. 2. arti.

XV. Adde, nonnullos sentire, calidum naturale in viuentibus exiccare se ipsum, & consumere naturale humidum, non solùm secundum diuersas partes, sed etiam secundum eandem, vt videre licet in Ægid. quodlib. 2. quæstio. 17. Vbi tamen ait illam consumptionem humiditatis fieri per resultantiam naturalem nimiæ siccitatis ex calore natiuo. Sed id censeo impossibile, nam cùm illa actio sit violenta, non potest resultare naturaliter ab intrinseco, quia est implicatio in adiecto, quia *violētum est, quod est ab extrinseco, passo non conferente vim.* Vnde censeo id, quod supponit Ægidius, esse falsum & impossibile, nimirum quòd eadem pars animalis homogenea, id est secundum se totam eodem modo disposita, modo sibi cōnaturali, per calorem sibi natiuum, siue formalem, siue virtualem, minuat humiditatem sibi cōnaturalem, se ipsam violenter exiccando: quia impossibile est, quòd eadē forma in eadem parte materiæ requirat dispositiones, aut formaliter, aut eminenter repugnātes: aliàs in se ipsa & in sua inclinatione inuolueret repugnantiam.

XVI. Si ergo aliqua substantia, vel tota, vel in aliqua parte, habet calorem verbi gratia, virtualem in tanta intensione, puta vt quatuor, vel simul necessariò habebit tantundem calorem formalem sibi connaturalem: vel certè tale habebit temperamentum, talēque dispositionem naturalē, vt resistat & impediat, ne illa qualitas virtualis suam formalem actionem in eadem parte exerceat: & hac ratione nihil potest se ipsum secundum eandem partem ab intrinseco alterare violenta alteratione. Quod maximè declarātur in his mistis, quæ habent virtuales qualitates actiuas primarum, nam illæ supponunt temperamētum accommodatū primarum qualitatum, & aliarū dispositionum quæ ad illas consequuntur: ergo fieri non potest vt in eadem parte dissoluatur tale temperamētum per intrinsecam actionē illius facultatis virtua-

Ratio ab qua virtualis qualitas subiectū alterat.

virtualis. Et hoc confirmat exemplum illud de pipere, ita .n. est dispositum & affectum aliis qualitatib⁹, & dispositionibus, vt eius calor virtualis, non habeat vim calefaciēdi ipsū vltra connaturalem gradū caloris, quem requirit, quatenus tale mistū est. Alij existimant nō oportere aliam rationē reddere, nisi quia qualitas non est actiua in subiecto in quo est, etiamsi nulla alia cōditio desit. Sed hoc mihi non probatur, quia est manifesta petitio principij, huius enim causam & rationem inuestigamus.

Ad idem probandum alia ratio.

XVII. Alia verò ratio reddi potest, cur piper non calefaciat se, nimirum quia fortasse non habet vim totalem seu integram calefaciendi, nisi aliunde iuuetur. Constat enim experientia applicatum manui non calefacere, sed indigere aliqua excitatione vel alteratione, & aliqua commistione cum intrinseco calore animalis, & idem dici potest de vino & similibus. Vnde quamuis nulla ex his rebus per se sola se ipsum alterare possit suà qualitate virtuali, tamē postquam incipit ab extrinseco alterari, & cum extrinseco agente coniungi, nullum est inconueniēs, quòd consequenter adiuuet ad sui alterationem, aut corruptionem: iam enim integrum alterans satis distinctum est à patiente. Sic igitur alteratio violenta nunquam potest esse eiusdem in se ipsum per qualitatem virtualem.

XVIII. Alteratio indifferens per se ab extrinseco.

Alteratio autem indifferens, id est, nec violenta, nec naturalis, esse non potest in eo, qui habeat qualitatem virtualem ad talem alterationem faciendā, quia illa qualitas naturaliter ac necessariò agit quantum potest: ergo vel inuenit in subiecto suo dispositionem naturalem repugnantem suæ actioni; & sic eius actio esset violenta: vel nullam inuenit repugnantem dispositionem, & sic dimanatio erit naturalis, quia est ab interna & natiua qualitate, & ex intrinseca naturæ necessitate. Vnde, si quæ datur alteratio, vel actio ad qualitatem indifferens, vt est illuminatio in aere, semper ac necessariò est ab extrinseco agente. Et ratio est clara, quia si sit ab intrinseca forma, vel immediatè, vel mediante aliqua qualitate connaturali eidem formæ, iam non erit indifferens, sed connaturalis illa qualitas.

XIX. Ratio adequata pro cōclusione.

Ex his ergo omnibus ità concluditur ratio. Omnis qualitas vel est violenta, vel naturalis, vel indifferens. Si sit violenta & indifferens, euidēter est ab extrinseco agente. Si verò sit naturalis, est à generante; vel si dicatur esse ab intrinseco, est per naturalem dimanationem, de qua non est sermo in hac conclusione. Accommodando autem hunc discursum ad rationem Aristotelis, dicendum est, illud principium; *Non potest esse idem simul in potentia & in actu*, esse verum, etiam de actu virtuali, adhibita duplici limitatione. Vna est, vt sit sermo de actu qui est principium motus Physici & merè naturalis, vt excludamus actiones immateriales, & vitales, de quibus nūc non est sermo. Alia est, vt intelligatur de re existente in suo naturali statu, nam in præternaturali statu contingit quidem esse in actu virtuali, & potentia, formali, vt est in aqua calida, quæ virtute est frigida, tamen actio illius virtutis solùm est naturalis resultantia, & tribuitur extrinseco agenti, vt dictum est. Vnde si quis velit, non vocare hanc continentiam virtualem, sed instrumentalem, prior moderatio satis erit.

Idem in potentia & in actu ex virtuali non potest, quali ter verum.

XX. Ex his facilè est conclusionem probare in motu locali, applicando discursum factū & inductionem, quæ ex Aristotele citatis locis in hunc modum fieri pōt: Aut corpus mouetur naturaliter, aut violenter, aut motu indifferenti. Secundo & tertio modo semper motus prouenit à causa extrinseca: sub his enim duobus membris comprehendimus omnes motus, quos Aristot. præter naturam appellauit, siue sint contra naturam, quos violentos vocamus, siue sint omnino extra debitum, seu extra principiū intrinsecum proprię naturę, vt est motus circularis ignis in propria sphæra, & si quis est alius similis. Motus autem naturalis aut est animalium se mouentium, aut rerum inanimatarum in propria loca tendentium. In vtrisq; autem distinguitur efficiens à patiente, nā corpora inanimata à generante mouentur ad sua loca naturalia, in animalibus verò distinguitur pars per se moués à parte per se mota, & ita non se mouet totum nisi quasi per accidens.

Difficultas de motu grauium, & leuium.

XXI. CIrca quam inductionem tres præcipuè difficultates occurrunt. Prima est illa vulgaris de motu grauium & leuium; sed quia illa purè Physica est, & licet magna contētione tractetur inter diuersimodè opinantes, vix potest esse in ea dissensio nisi in modo loquendi: ideò, omissis multis argumentis, annotabo breuiter punctum difficultatis, & quomodo in ea sentiendum & loquendum censeam. Multi ergo absolutè dicunt grauia & leuia à se ipsis moueri in sua loca. Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 10. Gregorius distinct. 6. quæst. 1. artic. 3. Mairon. dist. 14. quæst. 6. Abulensis Matth. 22. quæst. 224. Buridan. Iandunus, Niphus, Saxon. 8. Physic. Alij existimant hęc corpora merè passiuè se habere ad hos motus: moueri autem vel à cœlo, vel attracta à suis locis naturalibus, vel à medio, seu à loco contrario expellente. Hæc & alia referunt Richardus in 2. distinct. 14. ar. 2. q. 4. Zimara 2. de Anima, text. 54. Gregorius suprà; quæ, vt improbabilia, omitto. Communis ergo sententia est moueri principaliter à generante. Sumitur ex Aristotele citatis locis, præsertim 8. Physicor. à text. 29. & 4. de Cœlo, capite tertio, & idem sentit Commentator his locis, quamuis interdum varius esse videatur. Idem tenet Diuus Thomas eisdem locis, & 1. part. quæst. 18. art. 1 & 1. Contra Gentes, capit. 97. Caietanus, & Ferrariensis his locis, & Capreolus in 2. distinctione 6. articul. 3. Ægidius, quodlib. 5. quæstione 16. Albertus 8. Physic. tractatu 2. capitulo 4. Et frequentiùs expositores 8. Physicorū. Et hæc sententia rectè explicata vera est: multi tamen etiam Thomistæ in ea explicanda valde errant.

Opinio Scoti. Gregor. Mairon. Abulens. Burid. Iandun. Niphus.

Opin. Com. D. Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Aegid. Albert.

XXII. Quidam enim ita existimant hanc motionem esse à generante, vt in ipso mobili nulla sit intrinseca virtus actiua motus, sed solùm naturalis potentia passiua, ratione cuius illis debetur talis motus. Contra quam sententiam sunt euidentes rationes Scoti, & aliorum, quia est euidens, generans non posse immediatè imprimere hunc motum per formam aut qualitates quas in se habet, absque qualitate indita ipsi mobili, à quo effectiuè manet ille motus, quia contingit non esse generans, vel ita esse distans, vt non possit immediatè mouere. Alij verò distinctione vtuntur: nam quando graue (inquiunt) immediatè postquam genitum est, incipit moueri deorsum, tunc immediatè mouetur à generante, ipso passiuè tantùm se habente, quia tunc potuit generans per se imprimere motum. At verò, quando graue mouetur aliquo tempore transacto post generationem, tunc aiunt non moueri à generante, sed à se actiuè. Ita Soncinas 9. Metaphysicæ, quæ-

Vatii modi explicandi cōmunem & veram opinionem. Soto 2. Phys. q. 1. lib. 3. q. 2. Iauell. q. 9.

Soncin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stione 8. & tribuit Commentatori, & idem sequũtur Caietanus Thiennensis 8. Physicorum, & Paulus Venetus in sum. de Cœlo, cap. vigesimoquarto. Sed apud me est distinctio improbabilis, tum quia hic motus semper est eiusdem rationis, & ab eodẽ principio naturali fit; tum etiam quia, etsi graue incipiat moueri immediatè post instans suæ generationis, nondum mouetur intrinsecè à generante, quia nondum est motus; immediatè autem post illud instans, & fieri potest vt generans iam non sit, vel saltem paulò post, adhuc durante motu; & quamuis sit, tamen immediatè post instans generationis iam distat à re genita: suppono enim generans in suo loco manere: ergo non potest per se immediatè efficere motum in genito. Ergo solùm dicitur mouere, quia in instante generationis impressit illi impetum, quo immediatè post mouetur: ille autem impetus non est nisi grauitas: quidquid enim aliud fingatur, vanũ est. Quia generãs per se nõ imprimit: nisi quod per se consequitur generationem: generationẽ autem rei grauis per se non consequit nisi grauitas, quantum ad præsens attinet: ergo à grauitate intrinseca ipsius grauis, fit tunc ille motus, eodẽ modo, quo fit post quodlibet tempus. Estq; id maximè consentaneum rationi, cùm grauitas semper sit eadẽ, & eandem habeat virtutem, & distantia temporis sit impertinens.

Thiennens. Pauli Venet.

XXIII. Resoluitur difficultas.

Dicendum est ergo, quotiescunque res inanimata tendit in suum locum naturalem, intrinsecã grauitatem, vel leuitatem esse principium efficiens proximum, non verò principale, illius motus. Hoc ferè est euidens experientia, & rationibus factis contra priores modos explicandi cõmunem sententiam. Item, quia cùm illi motus per se ac necessariò conueniant his corporibus, necesse est assignare aliquod principium actiuum illius motus, per se etiam ac necessariò illis conueniens: nullum autem est aliud præter intrinsecam formam & grauitatem, nam generans, vt dicebamus, contingit omnino non esse, vel valde distare, & reliquæ omnes causæ vel nullæ sunt, vel saltem sunt merè contingentes. Et hæc est sine dubio sententia Aristotelis, nam lib. 8. Physicor. capite 4. text. 32. cùm distinxisset duplicem potentiam, remotam, scilicet, & proximam, subdit; *Frigidum potestate calidum est, cùm autem mutatum est, ignis est: comburit verò, nisi quicquam prohibeat & obstet:* & addit: *Non secus se res habet in graui & leui, namque ex graui fit leue, vt ex aqua aer, hoc enim potestate erat primũ, & iam est leue, protinuque aget, nisi aliquid impediat.* Et infrà; *Sed si id quod impedit, amotum fuerit, aget.* Et quarto libro de Cœlo, capite primo, text. 2. ait, grauia & leuia habere in se *fomenta* seu *incitamenta motus:* & clariùs capite tertio, textu 25. comparat graue & leue ad corpus sanabile, dicens, sicut hoc ad sanitatem, ita illa ad sua loca proficisci. Subdit verò discrimen, dicens; *Excipitur tamen hoc: hæc enim, graue* (inquam) *ac leue, in se ipsis mutationis principium habere videntur, illa verò non in se ipsis, sed foris, vt sanabile & accrescibile:* vbi necesse est loqui de principio actiuo: passiuum enim etiam est in subiecto sanabili. Vnde de illo, & de accrescibili subdit; *Quamquam & hæc interdum ex se ipsis mutantur, & paruo facto in externis motu, alterum in sanitatem, alterum in incrementum accedunt.* Item 4. Phys. cap. 9. text. 85. ait; *Densum & rarum, quatenus grauitate & leuitate prædita sunt, lationis esse efficientia:* Quatenus verò sunt durum, & molle, non habere principium mouendi, sed vel resistendi, vel patiendi alterationem.

Aristot. grauium, & leuium motũ attribuit leuitati aut grauitati vt proximo principio.

Neque obstat, quòd idem Aristotel. 2. de Generat. capite secundo, text. 8. dicit grauitatem & leuitatem non esse principia agendi, nam ibidem etiam ait, neque esse principia patiendi: loquitur enim de principio agendi vel transmutandi aliud, vel patiendi vel alio, actione vel passione, quę ad generationẽ vel corruptionem tendat, de qua ibi loquebatur. Item, dicere possumus loqui de proprio principio & principali, cui simpliciter tribuatur actio, & consequenter de propria efficientia, & actione. Hæc enim, quę grauitati, aut leuitati conuenit; potiùs est resultantia quædam naturalis, eo modo quo est efficientia, non est dubium quin grauitas sit principium eius. Quæ etiam est sententia Diui Thomæ in 1. 2. quæstione 36. articulo secundo, & in tertio contra Gentes, cap. 23. ratione quarta, & aliis locis quę notat Capreolus suprà, & Bergomensis in Concordant. dub. 690. & 691. Qui etiam illa loca conciliant cum aliis, in quibus D. Thomas negare videtur, hæc corpora habere in se principium actiuum motus, scilicet, quòd ibi intelligat de principio principali, hîc de instrumentali, seu ibi de *principio quod*, hîc de *principio quo*.

XXIV. Aristotelis testimonia in contrarium inducuntur & explicantur.

D. Thom. Capreol. Bergomenſ.

Sed quæres, an hoc principium internum sit sola grauitas, an etiam substantialis forma: varię enim loquuntur authores. Respondetur, si loquamur de principio per se proximè & actu influente, illud esse solam grauitatem, quia in illa est sufficiens vis ad efficiendum illum motum, & terminum eius non minùs quàm sit in calore ad calefaciendum. Quod declaratur ex mysterio Eucharistiæ, nam æqualẽ grauitatem habent species panis, & æquali motu mouebuntur deorsum sine forma, ac si adesset ibi substantia panis. Si verò sit sermo de principio intrinseco remoto, sic forma substantialis est principium, quia ab illa manat atq; resultat naturaliter grauitas, sicut aliæ proprietates naturales.

XXV. Forma grauis non mouet nisi leuis tamen mouet, quia ratio leuitatis.

Nihilominùs tamen addendum est vltimò, hunc motum naturalem principaliter esse tribuendum generanti, qui formam, &, mediante illa, grauitatem indidit, à qua motus resultat: sicut proiicienti & imprimenti impetum tribuitur motus qui ab illo manat. Quia vt impetus impressus, licet sit vera virtus motiua, & in se habeat sufficientem vim ad illum motum, nihilominùs non mouet, nisi vt instrumentum proiicientis, & vice eius; ita grauitas non mouet nisi vt instrumentum generantis, & vice eius. Hęc est mens Diui Thomæ, & aliorum authorum, quos citaui in vltima sententia; & Aristotelis in citatis locis, qui in hoc sensu sæpè alibi dicit, inanimata non habere in se principium vnde est motus, & hoc discrimen semper assignat inter ea & animantia, vt videre licet 2. de Cœlo, capite secundo, textu 9. & 1. de Anim. capit. 2. text. 19. & lib. 2. cap. 2. textu 13. Et hoc discrimen viuentium à non viuentibus communi omnium consensu receptum est, vt notat Diuus Thomas 1. contra Gentes, cap. 97. Ratio autem huius attributionis est, quia perfectio horum inanimatorum non consistit in motu ad sua loca, sed in esse, seu permanere in suis locis: qui status seu perfectio, per se loquendo: conuenire potest his rebus in eodem momento, quo esse incipiunt ex vi suæ generationis: & ideò sicut aliæ proprietates & naturales dispositiones, quæ per se conueniunt rei genitæ ex vi generationis, à generante dari censentur, ita etiam & naturalis locus. Atque hinc vlteriùs fit, vt quacunque ratione naturalis locus vel impediatur, vel auferatur, via seu regressus ad illum, eidem

XXVI. Talis motus generanti primò & per se tribuitur.

eidem generanti semper tribuatur, quia semper eodẽ principio & eadem denominatione naturali fit: & quia eiusdem est terminum, & viam, seu motum ad illum conferre. Atque hoc modo explicauit hanc rem Diuus Thomas 3. contra Gent. cap. 23. dicens; *Forma est principium motus localis, in quantum alicui corpori secundum suam formam debetur aliquis locus, in quem mouetur ex vi suæ formæ tendentis in locum illum, quem quia dat generans, dicitur esse motor.* Sic etiam suprà dicebamus reductionem aquæ tribui generanti, quia naturalis ac perfecta frigiditas, per se loquendo, debita est aquæ ex vi suæ generationis, & formæ. Solùm est differentia, quòd motus ille reductionis aquæ ad frigiditatem est immediatè à forma substantiali: hic autem reductio ad naturalem locum est, media virtute motiua. Huius autem ratio non est, nisi quia frigiditas est prima passio, esse autem in tali loco, nõ est prima seu immediata passio, sed mediatè conueniens ratione alterius, putà grauitatis aut leuitatis: hoc autẽ nil impedit, quò minùs vtraque sit dimanatio naturalis ex vi generationis.

XXVII. Quę immediatè actiones tribuantur generanti.

Et ex hac ratione colligitur discrimen, ob quod actiones inanimatorum in exteram materiam nõ tribuuntur generanti, vt dum ignis calefacit, &c. licet consequantur naturaliter formam, & facultatẽ datam à generante. Item, cur motus augmentationis, per quem genitum ad perfectam quantitatem tendit, non generanti, sed ipsi genito tribuatur. Ratio enim est, quia hæ non sunt proprietates naturales aut perfectiones debitæ rei genitæ instanti quo generatur, ex vi suæ generationis. Dices, cùm aqua calida calefacit, non solus ignis dicitur calefacere, sed etiam ipsa aqua; & lapis, si descendendo impellat aliquid aliud, verè dicitur illud mouere: ergo verè etiam dicetur efficere suum motum, atque adeò mouere se tanquã suppositum in se sustentans principium proprium illius actionis. Hac enim sola ratione aquæ calidæ actio calefaciendi tribuitur. Respondetur, in aliquo sensu non esse inconueniens admittere illam locutionem, vt notauit Ferrariens. primo contra Gentes, capite 97. & significauit Capreolus suprà, scil. quatenus denominat quasi materialiter suppositum habens in se proximum principium talis motus. Quia tamen illud principium gerit vicem alterius, cuius est instrumentum, ideò, simpliciter & absolutè loquendo, in illud refunditur actio, sicut clarè constat in exemplo de proiectis.

XXVIII. Obiectioni satisfit.

Dices tandem, Quamuis hæc congruentia data satis declaret modum illum loquendi philosophicum esse, & habere in re aliquod fundamentum: quid tamen refert ad efficientiam realem, & conditiones ad illam necessarias declarandas? Nam ex dictis satis concluditur potentiam verè actiuam, vt in aliquod subiectum efficiat, non necessariò debere esse in subiecto distincto, neque in distincta parte illius subiecti. Respondetur, meritò ac sapienter hoc fuisse à Philosophis consideratum ac declaratum, vt significarent, res vita carentes non accepisse à natura virtutem ad perficiendum se, per se loquendo, sed harũ rerum naturam solùm postulare, vt in sua naturali perfectione generentur. Et hinc constituerunt differentiam inter viuentia, & non viuentia; quam etiam Plato in Phædro, & dialogo decimo, de legibus assecutus est, quod viuentia talia instituta sunt à natura, vt possent se ipsa perficere, seu actuare (de creatis propriè loquimur) non viuentia autem per se non habent nisi quietem in ea perfectione, quam à generante recipiunt, nisi aliunde impediantur. Quia tamen optimè instituta sunt, eam perfectionem accipiunt cum debita connexione suæ essentiæ, & proprietatum inter se, quæ tota authori talium rerum, seu generanti meritò tribuitur. Et ideò quotiescũque huiusmodi res ex accidente impediuntur ab statu naturali, & posteà, ablato impedimento, ad illum redeunt, talis reditus non censetur esse per propriam actionem, sed per naturalem resultantiam, & ideò nõ tam ipsis, quàm generanti tribuitur.

Difficultas de animantibus se loco mouentibus.

XXIX. SEcunda difficultas circa eandem inductionem Aristotelis est de motu animalium se mouentium, nam in eis non videtur distingui agens à patiente. Quam difficultatem Aristoteles dissoluit, dicens, *animal non se mouere per se primò*, id est, ita vt vnaquæq; pars se ipsam moueat, sed per vnam partem, scilicet, integralem, & organicam, mouere aliam, vt experientia ipsa videtur ostendi: & ita distingui ibi agens à patiente, saltem secundum partes. Sed vrgetur difficultas, quia hic processus inter partem mouentem, & motam, non procedit in infinitum, non est enim inter partes proportionales, sed æquales, seu alicuius certæ magnitudinis, neque ille processus in causis per se ordinatis locum habet: sistendum est ergo in aliqua prima parte mouente: illa autem non potest mouere nisi mota, id enim de omnibus motoribus corporeis docet ipse Aristoteles septimo Physicorum, capitulo primo, textu tertio, & maximè verum habet in corpore mouente aliud quasi impellendo, quomodo pars vna animalis videtur aliam mouere. Sumo ergo primam partem mouẽtem in animali, & inquiro, à qua illa moueatur: non ab alia, cùm illa sit primò mouens in illo ordine: ergo à se. Neque enim est aliud principium, in quod reducatur; nam ille motus tribui non potest generanti, cùm vitalis sit, & non sit per naturalem dimanationem, sed ex appetitu animalis. Nec satisfaciet, qui respondeat, motum illius partis esse ab anima vt informante partem illam, recipi autem in eadem parte ratione materiæ, quia, vt suprà obiiciebam, hoc modo dici posset quodlibet corpus mouere se ipsum ratione formæ, & moueri ratione materiæ.

XXX. Eadem difficultas est de motu cordis, qui perpetuus est, dum animalis vita durat, estq; inter duos terminos, & ex pulsu tractuque componitur. Vnde, licet eo modo semper duret, non tamen est perfectè continuus, nam inter dilatationem, & contractionẽ aliqua quies necessariò intercedit. Huius ergo motus nulla est alia causa efficiens, præter cor ipsum, quod cùm homogeneum sit, non potest distingui in partem per se mouentem, & per se motam, sed totum per se primò se mouet. Nec potest motus ille attribui generanti propter easdem rationes nuper tactas, scilicet, quia est motus vitalis, & in eo consistit perfectio viuentis, aliàs motus augmentationis deberet etiam tribui generanti.

XXXI. Quæ sit potentia loco motiua animalis.

Ad priorem difficultatem, si verum esset, vt nonnulli existimant, virtutem actiuã motus animalis nõ esse aliam ab appetitu, qui immediatè actu suo excitat neruum, qui est prima pars, quę mouet alias, sic facilis esset responsio; nam appetitus, si est sensitiuus, est in corde, si rationalis, in anima ipsa: & per actum suum formaliter immanentem, & virtualiter

Universidad de Deusto
Biblioteca

transeuntem, mouet primam partem animalis: & ita distinguitur ibi agens à patiente, quia vel appetitus est in distincta parte animalis: vel certè se habet vt motor quidam separatus. Veruntamen hæc responsio supponit falsam sententiam, nam re vera virtus motiua animalis, prout actiua est, distincta est ab appetitu, vt probatur latiùs in scientia de Anima. Sunt verè, qui existiment hanc potentiam motiuam vel esse animam ipsam secundum substantiam suam, vel certè esse in sola illa: qui consequenter aiunt solam animam vt informantem neruum, mouere illum per se ipsam, seu per potentiam, quæ est in ipsa, & per neruum vt per instrumentum mouere proximã partem, &c. Et ad obiectionem superiùs factam responderi poterit, iuxta hanc sententiam, concedendo in illa prima parte motus animalis, seu in neruo, nõ distingui partem integrantem per se mouentem, & per se motam; sed solùm partem essentialem. Neque id esse inconueniens, quia ibi anima, eò quod in se habeat totam mouendi virtutem, se gerit ac si esset mouens quod, & separatum. Et ita hoc non repugnat intentioni Aristotelis. Imò dici posset satis esse, quòd nullum mobile corporeum integrum, & totale se ipsum per se primò moueat, quamuis secundum aliquam partem inchoantem motum illam moueat sine alio instrumento, sed solùm ratione suæ formæ, sicut infrà dicemus de motu cordis. Quo sensu posset probabiliter defendi hæc responsio, etiamsi potentia motiua quæ est in neruo, non sit in sola anima, sed in ipsa parte vt composita ex corpore & anima: quod videtur probabilius, præsertim in brutis animalibus.

Toletus lib. 2. de Anim. c. 4. q. 9.

XXXII. Galenus. Vlteriùs verò addere possumus, primum instrumentum motus animalis esse musculos, qui ex neruis & quibusdam ligamentis, & carne compacti sunt, vt Galenus latiùs explicat 12. de vsu partium, cap. 3. Hoc autem instrumentum nõ ita mouetur à se, quin alia concurrant ad eius motum, ratione quorum dici possit ab alio moueri. Nam inprimis non potest ipsum inchoare motum, quin alia pars animalis immota maneat, cui ipsum innitatur: in omni enim animalis motu experientia ipsa constat, non posse fieri motum vnius partis, nisi quiescente alia: illa ergo pars quiescens etiam pertinet ad instrumentum motus, & dicitur mouens per se immotum; & ita ratione illius distinguitur mouens à prima parte animalis mota simul & mouente: quod notauit Albertus lib. 3. de anim. tract. 4. cap. 8. Addere item possumus ex Diuo Thoma, Commentatore, & aliis 3. de Anim. cap. 10. etiam cor esse aliquo modo fundamentum huius motus, tum quia nerui ab ipso fluunt, tum maximè, quia concurrit mediis spiritibus animalibus, ad mouendum musculum, nam constat etiam experientia hanc virtutem motiuam sine spiritibus exerceri non posse: quos spiritus cor aut cerebrum (iuxta varias Philosophorum sententias) mittit ad eam partem, qua inchoandus est motus: ergo verisimile est illos spiritus deseruire etiam aliquo modo vt instrumenta motus: ipsi autem spiritus mouentur impulsi seu agitati ex efficacia alicuius virtutis existentis in corde, vel cerebro, quæ ipsa immota manens impellit spiritus, intercedente appetitu. Sicut virtus expulsiua excrementorum naturaliter expellit immota manẽs. Nec necesse est, vt omne corpus moueat actu motum, sed satis est, quod alias sit mobile, vel certè, quod moueatur per accidens ad motum totius; sed de illo axiomate iterum infrà dicetur.

XXXIII. Ad posteriorem partem difficultatis, quia motus cordis cùm naturalis sit, ex contrariis componi videtur (nam consistit in continuo accessu, & recessu inter eosdem terminos, non in modum circulationis, sed per dilatationem, & constrictionem) ideò Philosophis omnib. admirabilis ille motus visus est. Vnde quidam dixerunt non esse à natura particulari & intrinseca, sed ab vniuersali natura, & extrinseco motore. Quam sententiam ridiculam appellat D. Thomas opusculo 15. Et meritò, quia finis illius motus non est aliquid pertinens ad vniuersalem naturam, sed ad particularem ipsius animalis, nimirum refrigeratio, & moderatio caloris vitalis ipsius cordis, medio aëre per respirationem attracto: & ideò est absolutè necessarius ad vitæ conseruationem, non est ergo ex natura vniuersali, sed ex particulari ipsius animalis: ergo oportet vt in ipsa natura animalis sit proprium principium illius motus, quia ea quæ sunt ab intrinseco necessaria, & perpetua, in ipsamet natura debent habere internum principium.

Vide Zimaram Theorem. 94. & Themist. 1. de Anima in Paraphrasi, cap. 2. Qualis sit motus cordis, explicatur.

XXXIV. Ait igitur Diuus Thomas in citato opusculo, illũ motum effectiuè prouenire ab ipsa anima, quatenus est naturalis forma corporis. Quia verò statim occurrebat obiectio suprà tacta, quòd hoc non satis est, vt distinguatur in partem mouentem & motam ad sensum Aristotelis: ex quo sequitur, totum cor se per se primò mouere; addit Diuus Thomas, motum illum tribuendum esse generanti: quia ad modum propriæ passionis ex ipsa forma naturaliter resultat, quã sententiam Capreolus & Ferrariensis suprà sequuntur. Quod sanè difficultatem non paruam habet: primò in explicando, quo modo ab vna, & eadem facultate naturaliter agente possit tam varius motus resultare, quia virtus naturaliter agens est determinata ad vnum; dilatatio autem & contractio, seu accessus, & recessus ab eodem termino, sunt contrarij motus. Neque enim est simile de motibus animaliũ, qui etiam naturales dici possunt, quatenus quadam naturæ necessitate fiunt: illi enim proficiscuntur ab appetitu, qui cognitionem sequitur, & variari potest iuxta varias apprehensiones, quæ etiam variãtur iuxta varias applicationes obiectorum: motus autem cordis non procedit ab appetitu, sed ex mera proprietate naturali. Neque etiam videtur simile, quod Diuus Thomas adducit de motu circulari cœli, in quo includitur accessus & recessus secundum diuersas partes ad aliquem partialem terminum; tum quia in motu circulari illud reperitur sine vlla contrarietate motuum, & cum vera continuitate partiũ motus: hîc autem videtur esse vera contrarietas inter partes huius motus, vnde vera quies inter eas intercedit. Tum etiam, quia ille motus circularis nõ est ab interno principio actiuo, sed ab extrinseco motore. Hæc verò difficultas æquè procedit, siue dicamus illum motum fieri à generante per resultantiam naturalem, siue ab ipso animali per propriam actionem, nam semper fit à facultate naturaliter agente. Et ideò nihil aliud dicendum occurit, nisi sensitiuam animam, eò quòd nobilior forma sit, habere posse facultates naturales quæ in modo operandi superent inferiores formas: huiusmodi autem est hæc facultas motiua, quæ est in corde: & ideò non omnino determinatur ad vnum, nisi intra suam quasi sphæram, id est, intrà illos terminos, ad quos per dilatationem accedit, recedit autem per contractionem. Ex quibus partibus componitur integer motus qui physicè vnus est, quamuis non sit mathematicè continuus.

XXXV. Hoc tamen supposito, difficile est motum illum tribuere generanti. Primò, quia est actus vitalis: actus autem vitæ est à principio intrinseco, vnde non debet reduci in extrinsecum. Fortasse non desit, qui neget motum illum esse vitalem, quia non fit per appetitum, & cognitionem. Hoc tamen improbabile est, & contra omnes Philosophos: licet enim dubitent, an ille motus sit ab anima vt vegetatiua, vel sensitiua, vt latè Zimara Theorem. 12. tamen omnes cõueniunt esse ab anima vt anima est, cùm sit quasi fundamentum vitæ. Quintò, absurdum videtur, meam respirationem tribuere generãti, & dicere, quòd ego non respiro; at respiratio etiam est actio naturalis, quæ fit sine interuentu appetitus, imò ex ipso motu cordis, & pulmonis fit. Tertiò, vix poteſt reddi ratio, cur etiam nutritio non tribuatur generanti, nam etiam est merè naturalis, & incipit extrinsecè tantùm ab instanti generationis, & perpetuò durat ex se, & vt nutritio est (secus vt augmentatio) non tendit in aliquam perfectionem debitam ex vi generationis, sed ad conseruandam vitam, reparando quod perditur. Sic ergo motus ille cordis incipit extrinsecè ab instanti generationis, & semper durat de se, & non tendit ad aliquem locum debitum animali, seu cordi ex vi generationis, sed fit ab ipso viuente ad conseruationem vitæ, cui motus ille deseruit, saltem vt causa per accidens, vel ad remouendum & expellendum aliqua corrumpentia, vel ad attrahendum aliquid refrigerans. Et ideò non existimo inconueniens hunc motum attribuere ipsi animali, & asserere, secundum eandem partem integralem mouere & moueri: satisque esse, quòd rationes agendi & recipiendi sint diuersæ: Aristoteles enim solùm de motu totius animalis dixit, fieri per motionem vnius partis in aliam. Iuxta quam responsionem consequenter fatendum est, non oportere *agens & patiens vt quod* distingui in hoc motu physico, eò quòd vitalis, & tantùm partialis sit: quod nullum est inconueniens, vt magis ex tertia assertione patebit inferiùs: & videtur esse satis consentaneum menti Aristotelis lib. de communi animalium motu, in fine.

Difficultas de motore cœli.

XXXVI. Tertia difficultas est, quia Aristoteles solùm fecit inductionem in sublunaribus corporibus: omittit autem cœlestia, vel potiùs ex illis ad hæc argumentum facit: non videtur autem efficax, saltem ad inferendum cœlum moueri ab alio motore vt quod, sed ad summum ab alio vt quo, id est, à propria forma. Quid enim, si quis dicat formam cœli esse quoddam speciale genus animæ, ad quam talis motus naturali necessitate consequitur, non per vnam partem integrantem in aliam, sed in qualibet parte per se ipsam, mediante sola forma, & facultate naturali, sicut paulò anteà dicebamus de motu cordis? Respondetur, verum esse, Aristotelem non assumpsisse in sua inductione corpora cœlestia, sed ex inferioribus, quæ nobis sunt nota, argumentari ad superiora, quæ minùs nota sunt. Erit autem efficacissimum argumentum, si supponamus motum illum nõ esse ita naturalem illis corporibus secundum proprias & particulares naturas, sicut est motus cordis, aut grauium & leuium: quia ille motus neque ordinatur ad conseruationem vel perfectionem aliquam illorum corporum, neque ad aliquem locum naturaliter eis debitum. Quo discursu vtitur Diuus Thomas 3. contra Gentes, capite 23. ratio. 4. vt probet, motum cœli non esse ab intrinseca forma. Tunc enim motus à forma naturaliter manat, cùm locus comparatus per talem motum debetur mobili, ratione suæ formæ, vt patet in omnibus corporibus naturalibus: locus autem, quem cœlum acquirit per motum circularem, non est ei debitus ratione formæ, quia nihil ad perfectionem vel inclinationem formæ eius refert habere potiùs hoc vbi, quàm aliud, scilicet in ordine ad diuersas partes suas, verbi gratia, habere Solem in hoc hemisphærio potiùs, quàm in alio. Accedit dici non posse, cœli formam ob solum motum localem esse animam, vt in superioribus tactum est, & inferiùs etiam dicetur, tractando de Intelligentiis creatis. Vnde, etiam si quis contendat illum motum ita esse naturalem cœlo, sicut sunt alij motus corporum naturalium, nihilominùs debet illum motum reducere in authorem cœli, tanquam in eum qui impetum impressit ad illum motum; sicut grauia & leuia dicuntur moueri à generante. Quod si quis negaret, cœlum habere authorem, sed ex se esse, & habere inclinationem & facultatem naturalem ad illũ motum, talis error confutandus esset aliis Metaphysicæ principiis, nam ex solo motu physico id fieri nõ potest, vt infrà latiùs dicemus: quamquam per se incredibile sit, rem quæ indiget motu, vel ad suam perfectionem, vel etiam ad suam actionem, habere ex se esse absque alterius communicatione, seu productione.

Vide Zimaram Theorem. 94.

Resolutio.

XXXVII. Ex difficultatibus præmissis conclusio elicitur, & ratione probatur. Ex his ergo satis videtur inductione constare, omnem motum localem corporalem ac physicum requirere motorem seu efficientem causam distinctam à moto. Ratio autem huius necessitatis primò redi potest ex illo principio Aristotelis, quòd *nihil potest simul esse in potentia, & in actu.* Quod tamen limitandum est, & accommodandum eo modo quo diximus de motu alterationis. Quamquam re vera adhuc minorem vim habere possit in motu locali: eò quòd localis motus, aut terminus eius, per se loquendo, non sit principium, seu virtus, aut actus à quo procedit similis motus, sed facultas aliqua motiua superioris rationis ab ipso motu. Esset autem efficax illud principium in corporibus, si verum esset aliud axioma satis receptum, & Aristoteli tributum, quod *corpus non mouet localiter, nisi motum etiam localiter:* nam siue ille motus requiratur, vt ratio mouendi, siue vt conditio, iam supponitur, corpus debere esse actu motum, vt mouere possit. Et inde optimè infertur non posse esse mobile à se, quia non potest simul esse in actu & in potentia. Veruntamen illud axioma non est receptum ab omnibus, & videtur nonnullas instantias pati: nam magnes immotus manens attrahit ferrum, &c. Sed dicendum est dupliciter posse vnum corpus mouere aliud. Primò, per se & immediatè, nihil aliud impримendo præter motum: & tunc re vera nunquam mouet nisi motum localiter. Secundò contingit moueri localiter, præuia alteratione, & hoc modo magnes attrahit ferrum: & tunc quidem contingit vnum corpus manens immotum, mouere aliud. Tunc verò saltem ob eam rationem, quod ille motus fit media alteratione, necessarium erit motorem à mobili distingui: & ita ratio facta erit efficax in motu locali, vel immediatè ratione sui (vt sic dicam) vel mediatè, ratione alterationis, si mediante illa fit.

XXXVIII. Aliam verò rationem adduxit Aristoteles 7. Physicorum, textu 2. vt probet, corpus non posse à se

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alia Aristotelis ratio examinatur.

à se per se primò localiter moueri: quæ in summa A hæc est. *Omne quod mouetur, est diuisibile in partes: ergo non potest se per se primò mouere.* Probatur consequentia, quia quod mouet se per se primò, non quiescit, ex eo quòd aliud quiescat, aut mouere desinat, nam cũ se moueat, non pendet ab alio in suo motu. At verò, cùm mobile habet partes, quiescente parte eius, vel quiescit totum, & sic non mouebatur per se primò, sed ab ea parte, qua quiescente, moueri desinit: vel adhuc mouetur; & sic etiam sequitur non se mouere per se primò, sed ab ea parte à qua moueri dicitur, quiescente alia. De qua ratione multa scripta sunt ab expositoribus, multique illam existimant esse demõstrationem, vt Alexander, Simplicius, Auerroes, Diuus Thomas: qui differunt. Nam Auerroes putat esse demonstrationem à posteriori tantùm: Diuus Thomas autem vult esse à priori, significans diuisibilitatem mobilis esse causam ob quam non possit moueri per se primò. Aliis autem videtur sophistica ratio & inefficax.

Alexan. Simplicius. Comment D. Thom.

XXXIX. Et sanè videtur esse æquiuocatio in termino illo *per se primò*. Duobus enim modis intelligi potest aliquid moueri per se primò. Vnus est, quòd motus to- B tius mobilis ita conueniat toti, vt à nullo alio pendeat, etiam à partibus. Et hoc sensu rectè probat ratio non posse corpus mouere se per se primò. Sed hoc nil refert ad concludendum, necessariam esse distinctionem inter motorem, & mobile: quia illa dependentia totius à partibus potest esse tantùm materialis, & nõ effectiua, nisi fortè respectiuè, id est, in quãtum vnaquæque pars mouet se ipsam, vt statim declarabitur. Alio ergo modo dici potest aliquid mouere se per se primò, quia secundum omnem suam partem mouet, & mouetur, ita vt nulla pars moueat aliam, neque totum vt sic, sed vnaquæque moueat se ipsam, & ita partialiter concurrat ad motum totius, qui ex motibus & motionibus omnium partium cõsurgat. Et quidem, si aliquid se moueat hoc modo, propriissimè dicetur ita se mouere per se primò, vt in eo non distinguatur mouens à mobili. Quòd autem non possit aliquod corpus ita se mouere, non potest efficaciter concludi prædicta ratione, etiamsi vtrumque illius membrum concedatur. Primò enim fieri potest, vt, quiescente parte, totum omnino quiescat secundum omnem suam partem: non quia totum à sola vna parte moueretur, sed quia dum vna pars desinit se mouere & quiescere, resistit alteri, & impedit illam ne se moueat: quod non solùm in diuersis partibus, sed etiam in diuersis mobilibus videre licet: nam si duo lapides deorsum moueantur, vnus post alium, si prior detineatur, impediet etiam alium, ne descendat, non quia illum ante moueret, sed quia resistit motioni, qua ipse se mouebat. Deinde fieri potest, vt quiescente parte, non quiescat totum secundum omnem suam partem, sed tantùm secundũ illam, quæ quiescere dicitur, secundum alias verò adhuc moueatur, vt cùm, quiescente radice arboris, reliquæ partes agitantur. Et ex hoc etiam non sequitur, quòd totum priùs moueretur à sola illa parte, quæ adhuc se mouet, sed solùm sequitur, illam concurrisse ad integrum motum totius simul cum aliis partibus.

XL. Vnde illud axioma; *Quod mouet se per se primò, non quiescit ad quietem alterius*, duplici distinctione limitandum est. Per se enim verum est, non quiescere vnum mobile, quiescente alio à quo non mouebatur: per accidens autem, & quia ponitur impedimentum, fieri potest vt quiescat. Rursus, si illud aliud quod quiescit, non sit omnino extrinsecum, sed pars mõ- Explicat. Aristot. hui axioma. uentis & mobilis, rectè fieri potest, vt, quiescente illo, desinat moueri totum per se primò, id est, non secundum omnem suam partem, non quia totum non se moueret per se primò, sed quia mouebatur partialiter ab illa parte: hæc enim duo inter se non pugnãt, vt per se manifestum est. Quòd ergo totum vt totũ à partibus pendeat, non obstat, quò minùs motus totius per se primò proueniat ab eodem totõ. Et declaratur apertè, nam aliàs eodem modo probaretur non posse corpus per se primò moueri ab alio, quod est apertè falsum: nam cœlum per se primò mouetur ab Intelligentia, & terra per se primò mouetur, cùm fertur deorsum, licet à generante. Et sequela patet, nam in his etiam verũ habet, quod si pars cœli quiesceret, totũ quiesceret, vel saltè nõ per se primò moueretur sicut anteà: quia motus per se primò totus pendet à motu partis materialiter, vt à parte integrante. Sicut è cõtrario tota terra per se primò quiescit in centro, & tamen si pars desineret quiescere, totũ iam non per se primò quiesceret, non quia totum quiesceret effectiuè à parte, sed quia quies totius consurgebat quasi materialiter ex quiete partis. Et dum tota aqua est frigida, per se primò dici potest tota frigescere, & tamen si pars incipiat calefieri, iam non tota est per se primò frigida, sicut anteà, non quia totum actiuè frigesceret à parte, sed quia frigiditas vt conueniens per se primò toti, consurgebat quasi materialiter ex frigiditate partium. Ex dependentia ergo motus totius vt per se primò moti, vel mouentis à motu vel motione singularum partium, non potest concludi totũ moueri à parte nisi partialiter, & (vt sic dicam) respectiuè, id est, quatenus vnaquæque pars se ipsam mouet: quæ dependentia non tollit quò minùs idem se ipsum moueat. Vnde non video, quomodo illo discursu dictum axioma demonstretur. Aliæ ergo probationes adductæ probabiliores sunt.

Tertia assertio de motu spiritualium rerum.

XLI. Dico tertiò. Causa efficiens per motum vel actionem aliquo modo transeuntem, in re spirituali non semper distinguitur in re a causa materiali seu recipiente motum, nisi ad summum, quantum C ad rationẽ agendi & recipiendi. Hæc conclusio præcipuè ponitur propter motum localem Angelorum, quem voco aliquo modo transeuntem, quia, quantũ est ex ratione talis motus, fieri potest ab vno agente in aliud suppositũ: & quia re vera per se non est actus immanens in potentia, per quam proximè efficitur. Hoc ergo motu certum est Angelum, Intelligentiã, vel ánimam seperatam posse se ipsam mouere, efficiendo in se motum: nã, vt infrà suo loco attingemus, motus quo substantia spiritualis mouetur, non est in alia re distincta, sed in ipsamet substantia quæ mouetur. Et est ferè ex terminis euidens, quia res non dicitur moueri per denominationem extrinsecam, sed per veram mutationem realem, quæ aliquam efficientem causam necessariò habere debet, & non aliam nisi ipsammet substantiam spiritualem motam, quãdo ipsa se mouet. Tunc ergo non potest causa efficiens à recipiente distingui suppposito, quia supponimus, idem suppositum se mouere: neque etiam potest distingui in partem per se mouentem & motam, quia non habet partes: ergo ad summum distingui potest ratio efficiendi à ratione recipiendi motum, vel terminum eius. In quo etiam variæ sunt opiniones:

Spiritus se ipsum potest loco mouere.

nes: suppono tamen vt probabiliùs, motum illum A immediatè recipi in substãtia Angeli, nam sicut corpus per quantitatẽ est præsens loco, ita Angelus immediatè per substantiam suã: non enim habet quantitatem, neq; in eo fingi potest aliud accidens, quo mediante sit capax præsentiæ localis. Loquor autem de proximo, & immediato subiecto illius præsentię, quidquid sit, an ad illam actionem requiratur aliqua actio vel contactus virtutis respectu corporis: id enim ad præsens non refert, nam id quod fit in Angelo per motum localem, non est actio in corpus, sed est realis præsentia eius: hæc autem immediatè afficit substantiam Angeli: eadem ergo substantia est ratio recipiendi talem motum, quia in eodem proximo subiecto sunt motus & formalis terminus eius.

XLII. Quod sit principium proximum motus localis in spiritu. De ratione autem efficiendi illum motum variæ sunt opiniones, nam quidam ponunt fieri immediatè per voluntatẽ: vnde supponẽdo, vt nos supponimus, voluntatem esse rem distinctã à substantia, fit, rationem proximam efficiẽdi illum motum esse distinctam in re à ratione recipiendi. Qui aũt negant B potentiã voluntatis distinguí in re à substantia, fortasse dicerent actualem volitionem se mouendi, esse proximam rationem efficiendi illum motum, & illam esse à substantia distinctam. Alij autem non existimant voluntatem aut volitionem esse principiũ proximum ac per se efficiendi motum illum, sed esse peculiarem virtutem motiuam, volitionem autem esse applicationem seu imperium illius virtutis motiuæ, quæ, sicut in nobis, & aliis animalibus distinguitur ab appetitu, ita in Angelis à voluntate. Illam autem virtutem aliqui existimant non esse in re distinctam à substantia. Iuxta quorum opinionem etiam ratio agendi, & recipiendi hunc motum nõ distinguuntur in re, sed ratione tantùm. Nos autem probabiliùs existimamus virtutem illam motiuam, etiam si credatur in re distincta à voluntate, esse etiã in re distinctam à substãtia Angeli, ex generali principio suprà posito, quòd proxima facultas ad actionem accidentalem in creatura, est accidens à substantia distinctum: & ita concludimus, proximum principium quo efficiẽdi motum illum, esse in re distinctũ à subiecto in quo recipitur. Et ratio est, quia C hoc principium est potentia merè actiua, quæ non agit nisi in præsupposito subiecto: ergo requirit in illo potentiam passiuam à se distinctam. Et hoc confirmat definitio illa Aristotelis 9. Metaphysicor. dicentis, *Potentiam actiuam esse principium transmutandi aliud in quantum aliud*: de qua paulò inferiùs plura dicemus.

XLIII. Neque contra hanc conclusionem obstat principium illud Aristotelis: *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*: nec rationes quibus ab ipso confirmatur, nam, vt suprà notaui, Aristoteles locutus est de motu Physico & materiali, hic autem motus Intelligentiarum non est huiusmodi, & satis dubia res est, an Aristoteles illum motum cognouerit, vel potiùs existimauerit Intelligentias esse omnino immobiles. Vnde inductio eius Intelligentias non comprehendit, vt per se constat. Neque etiam illa ratio, quæ supponit mobile esse diuisibile in partes. Ratio autem alia, quòd non possit res simul esse in potentia & in actu, optimè hic dissoluitur per distinctionem de actu virtuali & potentia formali: & ad summum probat distinctionem principij quo agendi à subiecto recipiente. Angelus enim existens in cœlo est in potentia formali vt sit in terra: actu tamen habet virtutem qua possit se mouere, & facere præsentem terræ. Neque hic habent locum limitationes suprà positę, cum quibus diximus illud principium esse verum etiam de actu virtuali; nam vna limitatio erat vt intelligeretur respectu motus Physici: hic autem motus de quo agimus, non est Physicus. Alia verò, scilicet quòd oporteat rem esse in prętenaturali statu, hîc non est necessaria, quia in hoc superant res viuentes eas quæ non viuũt, quod possunt se mouere etiam quando in suo naturali statu existunt: & ideò in eodem possunt habere actum virtualem simul cũ potentia formali ad aliquem motum.

XLIV. Rerum ab intrinseco localiter se mouentium tres ordines.

Vnde ex discursu hactenus facto licet colligere tres ordines rerum se mouentium localiter aliquo modo à principio intrinseco. Primus est earum quę solùm ita mouentur quando sunt in præternaturali statu, & in his licet principium motus in eis sit, non tamen vt earum proprium, sed vt instrumentum seu virtus alterius: & huiusmodi sunt res inanimatæ. Aliæ verò sunt res quæ propriè se mouent à principio intrinseco vt sibi proprio, nõ tamen perfectè, & per se primò, sed per vnam partem mouendo aliam, & ita quasi per accidens mouendo totum; & ad summum possunt vnam sui partem per se primò mouere, illam scilicet quæ est veluti fundamentum motus aliarum. Et huiusmodi sunt viuentia corporea. In tertio verò, & superiori ordine sunt res quæ non solùm se mouent per intrinsecum principium vt proprium, sed etiam se per se primò mouent secundum se totas quia non habent partes, & ideò in eis principia agendi & recipiendi vt quod; distingui non possunt, sed ad summum principia quibus. Estque hoc consentaneum perfectioni harum rerum, quia inter creaturas viuentes perfectissimum gradum possident.

Quarta assertio de actionibus immanentibus.

XLV. Dico quartò. In causa efficiente actum immanentem non solùm non distinguũtur semper principia vt quod agendi, & recipiendi, verùm potiùs non semper necesse est in re distingui principia vt quo, licet sæpè ita accidat. Prima pars huius assertionis est manifesta, sequiturque ex ipsa ratione actionis immanentis: recipitur enim in ipso operante, & ideò necesse non est vt suppositum agens distinctum sit à recipiente, neque etiam vt secundum diuersas partes agat & recipiat. Tum quia sæpè non habet partes; tum etiam quia hæc actio in eadem potentia recipitur à qua elicitur, & ideò etiam in supposito habente partes sit, & recipitur in eadem parte. Atque hinc reddi potest ratio in generali secundæ partis conclusione, nam cùm actio immanens non solùm in eodem supposito, sed etiam in eadem potentia eliciente maneat; nil vetat, quò minùs etiam in proximo principio quo, agente & recipiente illam, non inueniatur in re distinctio.

XLVI. Vt autem hæc pars & tota conclusio declaretur ampliùs, & probetur, oportebit magis in particulari has actiones immanentes distinguere, & quomodo in singulis assertio locum habet, declarare. Omnes igitur hę actiones aut ad cognitionem pertinent aut ad appetitum: & esse possunt vel in parte rationali, vel in sensitiua. Rursus in omnibus illis cõsiderari potest vel principium quo principale seu substantiale, vel proximum seu accidentale. In his ergo actionib⁹ quatenus sunt in parte sẽsitiua facilè

distin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

distingui potest principium quo principale agendi & recipiendi: nam illud est anima, vt ex definitione animæ manifestum est: hoc verò est corpus. Nam iuxta veram doctrinam, hæ operationes sensitiuæ, cùm materiales sint, recipiuntur in corpore, vel in toto composito ratione materiæ. Prout verò hæ operationes reperiuntur in parte intellectuali, nõ distinguitur in eis principale principium agendi & recipiendi, nisi tantùm ratione, nam vtrumque munus exercet eadem substantia simplex Angeli vel animæ. Quod enim quidam aiunt, in ipsamet substantia distingui illa duo, quia agit per esse tanquam per actũ, & recipit per essentiam tanquam per potentiam: & falsò supponit distinctionem in re inter esse & essentiam actualem; & illa etiam admissa, non consequẽter dicitur; nam supposita illa opinione, esse non est ratio agendi, sed est conditio sine qua essentia non ageret: similiter autem est conditio, sine qua essentia non reciperet operationem: ipsa autem essentia existens seu habens talem conditionem, est principium agendi, & recipiendi talem operationem. Vnde in anima Christi, etiamsi, iuxta illam sententiam, nõ habet esse existentiæ creatum, nihilominus principium principale eliciendi intellectionem creatam, nõ est ipsum esse increatum, sed substantia ipsius animæ secundum proprium esse essentiæ.

XLVII. At verò in principio proximo, & accidentali alia ratio esse videtur de actionibus cognoscendi, quàm de actionib. appetendi tam in rationali parte, quàm in sensitiua. Nam in actionibus cognoscendi, semper aut ferè semper distinguitur proximum principium agendi, à principio proximo recipiendi. Ratio est, quia ad efficiendam hanc actionem præter facultatem vitalem requiritur species supplens vicem obiecti, & loco illius concurrens ad actum. Et ita principium agendi est potentia vt informata specie, principium autem recipiendi est solà potentia, quia obiectum seu species eius non iuuat ad recipiendum, sed solùm ad agendũ, quare distinguitur aliquo modo principium proximum agendi & recipiendi. Dico autem *aliquo modo*, quia non distinguuntur nisi vt includens, & inclusum: est enim improbabilis opinio eorum, qui existimant, totam rationem agendi esse speciem, & potentiam esse solùm rationem recipiendi, quam meritò impugnat Scotus in secundo distinctione 3. quæst. 8. immeritò tamen eam tribuit Diuo Thomæ, qui nullibi eam insinuauit: estque valde improbabilis, quia actus vitæ necessariò esse debet actiuè ab intrinseca facultate vitali. Certum ergo est, eandem cognoscitiuã potentiam, in qua proximè recipitur actus cognoscendi, esse simul principium proximum efficiendi eundem actum: differt tamen, quia recipiendi est adæquatum principium, proximum, non tamen agendi, sed simul cum specie iuxta probabiliorem doctrinam, de qua videri potest Capreolus in 2. distinct. 3. quæst. 2. & Scot. in r. d. 3. q. 7. Ægid. & Ferrar. locis statim citandis.

In cognoscitiuis operationibus ratio agendi à recipiendi distincta.

Intellectionẽ non sola species, sed intellectus etiam efficit.

Scotus. Capreol.

XLVIII. Solùm afferri potest instantia de actu illo, quo Angelus se videt absque iuuamine speciei per suam substantiam, iuxta veriorem sententiam, licet alij aliter sentiant, vt infrà videbimus tractando de Intelligentiis: intellectio ergo illa idem habet adæquatũ principium agendi & recipiendi, nimirum substantiam & intellectum Angeli. Fortasse quis respondeat illũ actum tribui generanti seu authori naturæ, eò quòd merè naturalis sit, & ad conuenientem naturæ statũ à primo instanti creationis ab intrinseco necessarius. Sed hæc attributio in propriis actibus vitalibus non videtur adeò extendenda, præsertim loquendo in rigore physico, nam moraliter faciliùs potest vsurpari, vt paulò post dicam. Itaque non censeo inconueniens, illud admittere in his actibus si necesse sit, vt in assertione significaui, & statim magis declarabitur. In illo tamen actu non est tam absoluta necessitas, sed aliqua distinctio in re intelligi potest inter principium proximum efficiendi, & recipiendi illũ actum, nam cùm substantia Angeli ad alias intellectiones vno tantùm modo cõcurrat, scilicet vt principium principale, ad illam concurrit duplici modo seu titulo, scilicet vt principale principium, & vt obiectum, ac veluti vltima forma sui intellectus in esse intelligibili. Atque ita principium proximum illius actus, non est sola potentia intellectiua, sed vt constituta suo modo in actu primo, per suam substantiam sibi coniunctam in ratione obiecti intelligibilis actu. Potentia verò proximè receptiua, ac tota ratio recipiendi illum actum, est solus intellectus; neque sub hac ratione habet substãtia maiorem concursum ad illum actum, quam ad alios. Ità ergo fit, vt etiam in eo actu adæquatum principium proximum agendi & recipiendi distinguantur, vt includens & inclusum.

De actionibus verò appetitus & voluntatis specialis est difficultas, quia hæ potentiæ non indigent speciebus, & ita videntur per suas solas entitates esse principia agendi & recipiendi suos actus. Propterea dicunt aliqui ad actus appetitus concurrere effectiuè cognitionem obiecti. Ita Soncinas 9. Metaphysic. quæst. 10. 11. & 13. quod etiam multi Theologi tenẽt, vt latiùs traditur in 1. 2. Hæc tamen sententia mihi non probatur: existimo enim notitiam obiecti solùm concurrere ad actum appetitionis vt conditionẽ necessariam per modum applicationis obiecti: quia voluntas non mouetur nisi à bonitate obiecti. Quapropter, si motio illa vt est ab obiecto, non est effectiua, vt re vera nõ est, sed finalis & metaphorica, quod etiam Soncinas fatetur suprà quæst. 12. & alij, vt est à cognitione non est cur sit effectiua: quia præsentato obiecto bono non indiget appetitus extrinseco agente vt feratur in illud, sed ex naturali inclinatione ferri potest, seu potiùs anima, vt viuens per illam.

Alij dicunt appetitionem finis, quamuis à sola voluntate fiat, esse tamen tribuendam generãti seu authori naturæ, appetitionem autem mediorum non fieri à voluntate sola, sed mediãte appetitione finis, recipi autem in sola voluntate. Atque hac ratione distingui in hoc actu principium agendi & recipiendi. Nam vel ipsa principia interna distincta sunt in re aliquo modo, vel certè si in ipso agente proximo non distinguuntur, actio tribuitur extrinseco agenti. Ità sentiunt de intentione finis Thomistæ, Caietanus 1. 2. quæst. 9. art. 4. Ferrar. 3. contra Gent. cap. 89. vbi D. Thom. id significat, & Capreol. in 2. distinct. 25. & ibidem Ægid. quæst. 5. Sed licet hæc attributio secundum quandam moralem considerationem sustineri possit, eò quòd homo non ita se mouet moraliter in intentione finis vt sic, sicut in consultatione & electione mediorum, de quo alias, tamen quoad realem efficientiam non videtur probanda, neque negandum, quin homo ipse sit qui propria virtute, & non vt instrumentum alterius efficit intentionem finis: maximè in actibus contentis intra ordinem naturæ, quos voluntas propria virtute elicit cum solo concursu generali: non ergo potest hæc actio magis tribui Deo quàm calefactio ignis. Præsertim quia non solùm est actio vitalis, sed etiam sæpè est libera, vnde nullo

In intellectione qua se Angelus intelligit, quæ distincta ratio agendi à recipiendi.

XLIX. Obiectum cognitionis effectiuæ actus voluntatis.

L. Finis supponitur ab appetente tanquam ens.

Caietan. Ferrar. Soncin. Capreol.

nullo modo fit per naturalem resultantiam, neq; est debita secundum illum connaturalem statum quem res postulat in instanti suæ generationis.

LI. Scotus. Henric.

Quapropter meritò Scotus in 2. distinctio. 25. & Henricus quodlib. 9. quæst. 5. & alij negant illum actum esse tribuendum generanti. Idemque dicendum est de multis aliis simplicibus actibus, quos voluntas elicit ex se sine alio priori actu, vt est desiderium, aut complacentia, vel simplex amor alicuius boni cogniti. Accedit quòd discursus ille non habet locum in appetitu sensitiuo, qui non operatur propter finem formaliter: vnde in eo non est electio, priè, quæ ex intentione finis, vt ex proxima ratione agendi, procedat, sed omnes actus appetendi proximè procedunt ex ipsa naturali inclinatione talis appetitus: ergo vel dicendum est omnes actus huius appetitus tribui generanti, quod est ridiculum, vel certè fatendum est eandem omnino potentiam per se ipsam esse principium proximum agendi & recipiendi talem actũ. Atq; ita concedunt Scotus, Henricus & alij suprà citati, & latè Antonius Andr. 9. Metaphys. quæst. 1. Nec video quid incommodi inde sequatur, vt propter illud vitandum, Soncinas, Iauellus, & alij tam scrupulosè inquirant in omni potentia agente & recipiente aliquod comprincipium agendi, & non recipiendi, ideoq; confugiant ad efficientiam notitiæ respectu amoris: quę si aliis rationibus non ostenditur necessaria, ob hãc causam immeritò asseritur. Nullum enim aliud incommodum ipsi afferunt, nisi quòd idem secundum idem, esset agens & patiens, & consequenter secundum idem esset in potentia & in actu, quæ est implicatio contradictionis. Hoc verò inconueniens, si superiùs dicta considerentur, & termini intelligantur, nullum est: nam eandem facultatem esse in actu primo & in potentia ad actum secundum immanentem, nulla est repugnantia, quia actus primus non includit formaliter secundum, sed virtutem ad eliciendum illum, quam potest habere eadem facultas quę est potentia receptiua eiusdem actus: estque hoc consentaneum naturę talis actus, cùm sit immanens: & hoc est quod alij dicunt, eandem, scilicet, facultatem esse posse simul in actu virtuali, & in potentia formali. Vnde simul eodem actu secundum rem constituitur res actu agens & recipiens: & sicut eadem res est actio & passio secundum diuersas habitudines, ita eadem facultate secundum rem potest suppositum constitui in ratione agentis & patientis in potentia: quare in hoc sensu nõ est inconueniens quòd idem secundum idẽ constituatur agens & patiens, si cum proportione sumantur, id est, vtrumq; in potentia, vel vtrumq; in actu, & illud *secundum idem*, tantùm reduplicet vel designet eandem rem, nõ verò eandem habitudinẽ, seu eandem rationem formalem conceptam, ac præcisam mentis operatione.

Aut. Andr.

Corollaria superioris doctrinæ, & formalis quæstionis resolutio.

LII. EX his quæ hactenus diximus, vt quæstioni propositæ formaliter & vniuersè respondeamus, sequitur primò non esse de ratione aut necessitate causæ agentis vt sic, quòd distinguatur à patiente secundum diuersas partes substantiales, siue essentiales, siue integrales, sed in agentib⁹, in quibus hæc necessitas reperitur, id prouenire ex peculiari aliqua ratione, non ex vi efficientiæ vt sic. Hæc omnia constant ex dictis, nam prior pars in tertia & quarta conclusione demonstrata est, reliquæ in superioribus. Quòd enim in viuentibus materialibus requiratur distinctio partium integrantium ad se mouendum prima actione vitali, quæ est per nutritionem, prouenit primò ex ratione alterationis materialis, quæ ibi interuenit, secundum quam non potest idem agere in se ipsum, nec simile in simile, vt dicitur primo de generatione, text. 48. eiusque ratio in prima & secunda assertione declarata est: prouenit secundò ex aggeneratione substantiali, non enim potest eadem pars se ipsam substantialiter formare, vt per se constat. Tertiò prouenit ex eo quòd ad verum augmentum necesse est nouam quãtitatem addi præexistenti, quia non potest eadem pars per suam solam quantitatẽ augere se ipsam. Vnde eo modo, quo in rebus inanimatis potest inueniri supposítalis distinctio (vt ita dicam) inter agens & patiens, quia necesse est vt differant in esse simpliciter, & in substantialibus formis: eademq; distinctio necessaria est inter quodcunque generans & genitũ, quia idem suppositum nõ potest generare se ipsum, eò quod ad generandum necessariò supponatur. At verò ad nutritionem seu ad substantialem aggenerationem, si consideretur patiens in initio actionis seu alterationis, etiam esse debet suppositum distinctum, quia necesse est vt sit substantia dissimilis: in ipso autem instanti aggenerationis non est iam suppositum distinctum, sed noua pars eiusdem suppositi: quia per illam actionem conuertitur, & vnitur præexistenti supposito. Causa verò efficiens per accidentalem actionem vel motionem, in rebus inanimatis solet esse supposito distincta, maximè quãdo patiẽs mouetur per se primò, id est secundum omnẽ suam partem, tamen id non prouenit ex necessitate causę efficientis vt sic, sed ex imperfectione, & propria conditione rerum inanimatarum, vt declaratum est. Similiter obseruare oportet, hoc esse intelligendum de causa particulari & per se, nam si sit sermo de causa prima & vniuersali, clarum est debere esse supposito distinctam ab effectu, & à subiecto patiente, si per mutationem agat, quia non potest agere in se ipsam, eò quod purus actus sit. Et similiter si causa sit per accidens, & remota, id est quæ produxit proximam causam, eiq; dedit virtutem agendi, sic etiam erit suppositum distinctũ, quia supponit, substantialiter produxisse causam proximam. Vnde axioma illud Aristotelis; *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, quamuis intellectum de proximo mouente & per se, non semper verificetur de alio supposito tamen indifferenter intellectum de aliquo mouente, siue proximo, siue remoto, particulari aut vniuersali, semper inuenietur quodlibet mobile moueri ab aliquo supposito distincto, vel (vt terminis Metaphysicis vtamur) quodlibet patiens pati ab aliquo efficiente suppositaliter distincto. Hoc tamen demonstrari non potest per medium purè Physicum, sed p Metaphysicum, scil. quia nulla causa agens particularis habet à se virtutem agendi, sed ab alio supposito, neq; etiam potest per se agere sine concursu superioris causæ, vt infrà constabit ex his, quæ de Deo & prima causa dicemus.

C

LIII. Ex dictis illatio.

Secundò sequitur ex dictis, non esse de ratione

Universidad de Deusto
Biblioteca

augmentum imperfectum per iuxtapositionem, necesse est, vt secundũ diuersas partes fiat actio. Idemq; est de alteratione, si contingat rem inanimatam alterare se ipsam, ita vt ei tribuatur actio: solùm enim accidere potest secundum diuersas partes, si contingat esse inæqualiter affectas, quod est per accidens in huiusmodi rebus. Rursus, quòd in animalibus se mouentibus localiter id fiat per distinctionem partis integrantis mouentis & motæ, non prouenit ex ratione efficientis aut mouentis vt sic, sed ex eo quòd tale efficiens, & tale viuens est imperfectum: & ideò non participat intrinsecam & naturalem vim ad mouendum se totũ per se primò; quod fortasse etiã prouenit ex materialitate ipsius corporis, quod non potest ita moueri ab anima, sed per partes, & diuersa organa seu instrumenta. Hinc tamen fit probabile, non repugnare huic viuenti, quòd aliquam sui corporis partem integrantem possit per se primò mouere, id est, non per aliam priorem partem integrantem, sed per se ipsam. Tamen in illamet parte, & in vniuersum, in omni agente materiali distinguentur essentialia principia agendi & patiendi, quod non prouenit ex præcisa ratione efficientis causæ particularis vt sic, sed ex particulari imperfectione substãtiæ materialis, quæ non est actiua secundum se totam, sed tantùm ratione formæ.

LIIII. Tertiò sequitur ex dictis, non esse de ratione causæ efficientis vt sic, vt ratio agendi & patiendi sint in re distinctæ, vel subiecto, vel entitate integra, aut partiali, sed quotiescunque id reperitur (quod est frequens) prouenit ex aliqua particulari ratione. Hoc etiam totum patet ex dictis: nam hæc conditio interdum deest, ergo non est per se, & vniuersaliter necessaria ex vi efficientiæ. Igitur, quòd ratio agendi, & patiendi subiecto distinguantur, ibi solùm necessarium est, vbi actio, vel à supposito distincto, vel per partes realiter distinctas exercenda est, & inde prouenit illa necessitas. Quæ quidem necessitas vniuersalis est in actione vniuoca, ex illo principio, quòd *idem non possit simul esse in actu & potentia.* In actione autem æquiuoca non ita vniuersaliter vrget illud principium, neque aliud quod vniuersale sit, & ideò in diuersis causis ex diuersis principiis oritur, vt explicatum est. Rursus, quòd illa principia agendi & patiendi debeant esse re distincta in tota sua entitate, etiamsi contingat esse in eodem subiecto, & in eadem parte integrali eius, vel ex eo prouenit, quòd principia illa sunt substantialia, & propria rerum materialium, nimirum materia, & forma, vel certè, si sint accidentalia principia, præsertim illud, quod est ratio agendi, id prouenit ex eo, quòd actio non est immanens, sed ex suo genere est transiens, vt patet in motu grauis, quatenus grauitas consideratur vt principium actiuum eius. Et idem à fortiori est in motu cordis, & clariùs in motu angeli se mouentis. Præterea quòd principium proximum agẽdi & patiendi, cùm nec subiecto, nec entitate integra distinguuntur, saltem differant in re aliqua, quam includit principium agendi, & non patiendi vt sic, inuenitur in quibusdam agentibus actione immanenti, non tamen prouenit ex communi ratione agentis vt sic, vt ex dictis constat, neque etiam ex cõmuni ratione actionis immanentis vt sic, quia nulla est ratio, cur actio immanens vt sic illam distinctionem postulet, imò quodammodo magis erit immanens, si in eodem omnino principio maneat, à quo proximè elicitur. Prouenit ergò ex eo quod talis actio sit per quandam assimilationem, & ideò requirit A vltra intrinsecam facultatem, principium proprium talis assimilationis. Atq; ita relinquitur, vt in actione immanente quæ illam assimilationem non requirit, neq; ex alia particulari conditione sua postulat aliquod principium coadiuuans per modum efficientis, sed solùm concurrens in genere finis aut formæ extrinsecæ: respectu (inquam) talis actionis non oporteat principium agendi esse in partiali etiam entitate distinctum à principio recipiendi. Et est sanè hic modus agendi satis consentaneus voluntati, tum ob libertatem eius, tum ob communem rationem appetitus, ad quem spectat vt ex sola sua inclinatione & efficacitate ferri possit in obiectum sibi propositum. Posset autem hìc considerari nonnulla diuersitas in principio agendi & recipiendi actum appetitus, nam, vt suprà dixi, ad actum vitæ concurrunt effectiuè & immediatè in suo ordine, nõ tantùm potentia, sed etiam substantialis forma: at verò ad recipiendum actum proximè & immediatè videtur cõcurrere sola potentia. Sed hæc differentia & est incerta, nam fortasse accidens, & maximè actus vitalis, non solùm attingit, inhærendo, potentiam accidentalem, sed etiam ipsam substantiam. Et quidquid B in hoc asseratur propter alias rationes, propter præsentẽ causam nõ est necessariũ, quia re vera nullũ est incõueniens, q; cadẽ facultas, quæ est proximũ principiũ suscipiendi actũ immanentem, sit per se ipsam sufficienter cõstituta in actu primo, tanquã sufficiens principium proximum effectiuum eiusdem actus.

Non desunt tamen nonnullæ obiectiones contra vltimam partem huius resolutionis. Prima ac præcipua sumitur ex Aristotele 9. Metaphys. text. 2. vbi dicit, *Potentiam actiuam esse principium transmutationis in alio, vt aliud est*: ergo repugnat potentiam actiuam adæquatè esse principium transmutandi se ipsam. Vnde statim subdit, *Potentiam patiendi esse principium mutationis passiuæ ab alio, in quantum aliud est.* Et 5. Metaphysicæ, cap. 11. text. 17. eodem modo definit potẽtiam agentem & patientem: ergo ex præcisa ratione agentis & patientis requiritur distinctio inter ea, saltem quoad principia agendi & patiendi. Vnde Aristoteles 1. de Generat. cap. 7. magnum absurdum existimat, quòd idem à se ipso patiatur. Et 1. Metaphysic. cap. 3. hoc ponit principium: *Neque id quod subiicitur, suam ipsius mutationem efficit*: & hoc dicit fuisse initium inueniendi causam efficientem distinctã à materiali. Secũda obiectio, & vulgaris, est, quia idẽ non põt referri realiter ad se ipsum, sed causa efficiẽs refertur realiter ad effectũ: ergo nõ potest idẽ secundũ rẽ agere in se ipsum. Et confirmatur, nã si secundũ eandẽ rem est simul in potentia actiua & receptiua, cur non semper se immutat? Confirmatur secundò, quia agens debet approximari passo: idem autem nõ potest sibi ipsi secundum idem approximari.

Ad loca Aristotelis respondeti potest primò, in illis definitionibus loqui de potentia purè actiua, & purè passiua, præter eas verò dari quasdam potentias simul actiuas & passiuas: de quibus procedit doctrina data, quando sunt completè actiuæ suorum actuum. Vnde secundò dicitur, Aristotelem lib. 5. Metaphysicæ idem magis declarasse, cùm dixit, *Potentiam actiuam esse mutationis principium in alio, aut quatenus aliud est.* Et hoc modo dici potest voluntas, quatenus efficit suum actũ, esse principiũ agendi in se, nõ quatenus actiua est, sed quatenus est in potentia. Verius tamen existimo, Aristotelem esse locutũ de trãsmutationib. physicis, quæ per actionem transeuntẽ fiunt, vt latiùs infrà ostendam, tractando de potẽtia, prout

prout est species qualitatis. Et de eadem mutatione A loquitur Aristoteles in primo de Generatione, disputat enim ibi de illa mutatione, quæ ad generationem & corruptionem tendit. Similiter loquitur in primo Metap. vbi in vniuersali loquitur, quomodo est euidens materiam & efficiens in generationibus & mutationibus Physicis non concurrere in eandẽ causam. Ad primam rationem respondetur, relationem realem non esse inter agens & passum, sed inter agens & effectum: & hoc modo, etiamsi aliqua potentia agat in se ipsam: agit tamẽ effectum distinctum à se, inter quem & ipsam potest esse relatio realis. Ad primam confirmationẽ respondetur, si potẽtia naturaliter agat, ideò nõ semper agere, quia non semper habet obiectum applicatum, quo indiget nõ vt coefficiente, sed in alio genere causæ, finalis, vel formalis extrinsecæ: sicut ignis non põt agere sine combustibili, nõ quia illo indigeat vt coefficiente, sed vt materia. Si aũt causa sit libera, etiamsi reliqua omnia sint applicata, põt non agere, solùm ex naturali perfectione sua. Ad secundam confirmationem respondetur, identitatem esse summam, vel eminẽtiorem propinquitatem, si alioqui non desit virtus B ad agendum, & capacitas ad recipiendum.

Relatio fundatur in actione inter effectum & causam intercedente.

Potestas actiua corporalis operatione cessante aliquando.

SECTIO VIII.

Vtrùm causa efficiens debeat esse simul coniuncta, vel propinqua passo vt agere possit.

HÆC quæstio tractatur ex professo ab Aristotele de motibus Physicis in 7. Physic. c. 2. tamen quæstio vniuersalior est, ac propriè Metaphysica, complectitur enim omnem efficientem causam. Vnde à Theologis tractari solet tam de Deo 1. part. quæst. 8. & in 1. distinct. 37. quàm de angelis 1. part. quæst. 52. & 1. distinct. 37. & in 2. distinct. 2. nos autem hìc agimus de causis finitis, nam de Deo posteà dicemus. Tractatur autem quæstio de actione transeunte, qua vna res agit in aliam, nam in immanente, & quandocunque res agit in se ipsam per se primò, id est, secundum eandem partem, clarum est non posse agens à patiente distare: quando verò agit vnum suppositum in aliud, vel idem suppositum per vnam partem in aliam, possunt esse vel immediatè propinqua, vel inter ea interponi corpus aliquod, aut pars corporis, vel spatium aliquod. Et nõ est dubium inter Philosophos, quin possit causa efficiens agere in rem distantem per propinquã, sed difficultas est, quando proximè & immediatè agit causa per virtutẽ quam in se habet, & non per aliam, quam diffundit, an oporteat immediatè contingere sua quãtitate vel præsentia, eam rem in quam agit, vel possit immediatè in eam agere, etiamsi spatio distet. Cum qua difficultate coniuncta est alia, nimirum, quando causa agit per rem propinquam in distantem, quo modo per propinquam attingat distantem.

LV. Contra prædicta obiectio primo.

LVI. Potentia actiua, & passiua ab Aristotele vocatur actiua, quia actiuum est.

II. *Prior sententia refertur, & fundatur.*

SVnt ergo in hac re duæ celebres sententiæ. Prima est posse efficientem causam agere in passum distans: atque ita non requiri immediatam propinquitatem, sed solùm intrà certam sphæram actiuitatis: non est enim dubium, quin virtus finita certum terminum habeat in spatio vel distantia quam potest attingere, quia, vt experientia constat, fortiùs agit res in propinquum, quàm in distans. Maior ergo virtus requiritur ad agendum in rem distãtem: cùm ergo virtus finita sit, habet etiam in hoc limitatã sphæram, in quo omnes conueniunt; tamẽ intra illam ait hęc sententia posse agens immediatè efficere in passum distans. Ita tenet Auicenna in suo lib. de Anim. sect. 4. c. 4. in eandem sententiam citãs Hippocratem. Item Alexander Aphrodisæus 1. Met. comm. 18. Scotus in 1. d. 37. & ibid. Ocham, & Gabr. Bassol. Maironis, & alij Schotistæ. Quamquam Scot. de causis Physicis fatetur, nunquam agere in distans per vnam formam, vel qualitatem, quin per aliam aliquid agant in propinquum, quamuis necesse non sit, vt per eandem attingant propinquum, & remotum, quod an sit consequenter dictum, posteà videbimus.

Auicenna. Aphrodis. Scotus. Ocham. Gabr. Bassol. Mairon.

III. Variis experientiis fundatur præcedens sententia.

Probatur autem hæc sententia, facta inductione per omnia genera actionum: Primò in generatione substantiali, Sol generat in terra varia mista, vt mineralia, vel etiam animalia, quæ ex putrefactione generantur, illa autem actio immediatè manare debet à forma substantiali Solis, nam accidentia per mediũ diffusa, vel substantialem generationem non attingunt, vel ad illam non sufficiunt.

IIII. Secundò in motu alterationis videntur quædam esse quæ alterant rem distantem, non alterando propinquam. Primum exemplum adduci solet de imaginatione, quæ efficaciam habere dicitur ad inducendam nouam qualitatem, alterando membrum distans, vel rem aliam, vt Auicenna suprà ex Hippocrate tradit. Secundum exemplum est de fascinatione oculi, nocet enim interdum oculus, alterando rem distantem, vt de aliquarum fœminarum oculis testis est experientia, vt Aristotel. etiam notat sect. 20. Problem. 34. Alexand. lib. 2. Problema. in 50. Albert. lib. 22. de Animal. cap. 5. Marsil. Fiscin. lib. 13. de immortalit. animæ, ca. 4. & de Basilisco affirmat Isidorus lib. 12. Etymolog. cap. 4. olfacto suo necare serpentes, hominem aspectu interimere, & aues volantes, quamuis procul distent, lædere. Similia ferè refert Plinius lib. 8. histor. cap. 31. vbi eandem vim tribuit Catoblepæ, quòd necet hominem oculos eius videntem, & cap. 22. similiter ait, luporum visum esse noxium, vocemque homini adimere ad præsens. Tertium exemplum esse potest de Torpedine pisce, qui piscatorum manus à longè stupefacit, & Aristotel. lib. 9. histor. cap. 37. ait: *Torpedo pisces quos appetit, afficit facultate torpendi, quam in se habet, & ita illos capit, & vescitur, & ad hoc abdit se in arena & limo.* Quod est signum, non agere per medium: & ibidem alias similes experientias refert. Idem refert Plinius lib. 32. cap. 1. vbi expresse ait *Torpedinem id efficere procul & è longinquo, etiam si hasta, aut virga non attingatur.* Tum exemplum sit de quadã herba nomine *Aproxis*, cuius radix è longinquo concipit ignem, vt refert Plinius libro 24. capite decimo septimo, vbi idem refert de Naphta quodam genere bituminis, ge quo idem Plinius libro secundo, cap. 108. Quintò, sæpè contingit, vt res distans vehementiùs alteretur, quã propinqua: ergo signum est agens sua vi immediatè agere in distans, nam per qualitatem, quæ remissa est in medio, non posset intensiorem qualitatem efficere in extremo. Antecedens patet multis experientiis, nam ignis vehementiùs calefacit aquam existẽtem in lebete, quam fundũ lebetis, & oleum superpositũ in charta papyracea feruere facit multò vehementiùs quam papyrum; & stupam aliquantulũ distantem ita calefacit intẽsiùs, quam aërem medium, ve interdũ illã inflãmet; & Sol vehemẽtiùs calefacit speculum aut terram, quàm aërem medium. Ne-

Plin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

que est mirandum, quòd agens interdum plus agat in distans, quàm in propinquum, si passi dispositio inæqualis sit. Et confirmatur hoc ipsum aliis exemplis, nam Sol clariùs illuminat partes aëris, quas per fenestram attingit aut respicit per lineam rectã, quã eas quæ sunt ad latus, seu ad lineam obliquam: ergo signum est non illuminare illas: quæ sunt è regione tantùm per partes aëris intermedij, sed immediatè per seipsum. Patet consequẽtia, quia respectu partium aëris intermedij æquè propinquæ sunt, & æquè applicatæ aliæ partes aëris, quæ vel è regione Solis sunt, vel tantùm ad latus: si ergo illuminatio partium remotarum tantùm fit, mediante parte proxima, æquè illuminabuntur partes remotę, quæ æquè vicinę sunt propinquiori, etiamsi respectu Solis diuersum habeant aspectum, nam illa pars, quantum est de se, æqualiter agit versus omnem partem sibi propinquam. Similis experientia est de manu, vel alia re obiecta igni aut Soli per fenestram fornacis, v. gratia, quòd vehementiorem calorem sentit directè obiecta igni, quàm ad latus posita, etiamsi respectu aëris medij æquè sit propinqua: ergo signum est, ignem immediatè attingere manum distantem, si directè B oppositа sit per medium non impeditum. Cuius etiam signũ est, quia si interponatur aliquid, seu claudatur fenestra fornacis, subitò cessat vehemens sensus caloris, qui proueniebat ex actione ignis, & tamẽ medium adhuc retinet totum calorem quem conceperat: ergo signum est, quòd actio proueniebat immediatè ab igne, & non tantùm à medio.

V. Tertiò principaliter afferunt̃ experientiæ de motu locali, qui variis modis fit à mouente corporeo (nam de incorporeo infrà dicam) scil. impulsu, tractu, vectione, & volutatione. Et de impulsu quidẽ afferri solent experientiæ proiectorum, & grauium & leuium, quorum motus ad pulsionem reducũtur, vt notat Diuus Thomas 7. Physicorum, capite secũdo. Sed non sunt alicuius momenti, nam proximũ principium instrumentale illius motus non solùm est propinquum, sed etiam inexistens mobili: ille aũt impulsus vel generatione communicatur, de qua an requirat propinquitatem, iam propositum est; vel imprimitur per aliquem contactum quantitatiuum: mouens enim corporeum non potest à se immediatè pellere mobile, nisi illud contingendo: quid autem C imprimatur per illum contactum, seu quid sit impulsus, non est hoc loco declarandum: tractatur verò ab Aristotele, lib. 4. Physicor. cap. 8. & 8. Physicor. capit. vltim. & 3. de Cœlo, capite secundo. Et hinc etiam constat, volutationem, cùm pulsionem includat, eandem propinquitatem requirere, quam pulsio requirit. De vectione autem per se notum est requirere contactum, cùm id quod vehitur, quasi per accidens moueatur ad motum vehentis. Solùm ergo in tractione afferuntur exempla in fauorem dictę sẽtentię. Primum est de magnete trahẽte ad se ferrum distans. Secundum esse potest de succino eleuante paleas. Tertiũ ferè eiusdem rationis est, quod cõmuniter afferri solet de pisce *Remora*, alias *Echeneide*, qui prętereuntem nauim detinet, vt refert Aristot. lib. 2. histor. ca. 14. Plin. lib. 9. histor. c. 25.

VI. Quartò fit inductio in actionibus potentiarũ animę, nam phantasia existens in cerebro mouet immediatè appetitum, qui est in corde, & appetitus mouet immediatè manus aut pedes. Similiter sensus externus suo actu videtur imprimere speciem imaginationi. Neq; enim est verisimile, aliquid agere per totũ medium, vt v. g. si pes calefit, speciem caloris contiA nuè ascendere vsque ad caput, vbi est phantasia, vel sensus communis.

VII. Quintò fit eadem inductio in actionibus Intelligentiarum, quæ tantùm potest esse duplex, scilicet vel localis motio, siue corporis, siue alterius spiritus, vel locutio: quæ tantùm est ad rem aliam intellectualem. Hæc igitur posterior actio ex sententia omnium, potest heri ad rem distantem, vt constat ex Diuo Thoma 1. part. quæst. 89. artic. 7. & 8. & quæst. 107. art. 4. & quæstione de anim. art. 18. ad 13. & non fit sine aliqua efficientia, quia per illam angelus, ad quem alter loquitur, accipit facultatem intelligendi quod anteà non poterat, nempe cogitationem liberam alterius, non videtur autem posse nouam facultatem accipere, quin aliquid noui in eo fiat. Eò vel maximè, quòd nõ solùm facultatem accipit, sed etiam excitatur ad audiendum, non potest autem excitari, nisi aliquid ei imprimatur. Vnde D. Thomas 1. part. q. 107. art. 1. ad 3. sic inquit; *Sicut sensus mouetur à sensibili, ita intellectus ab intelligibili: sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens angeli ad attendendum.* Sicut ergo signum sensibile non excitat sensum, nisi imprimendo ei aliquid; ita locutio angelica non excitat audientẽ, nisi imprimẽdo ei aliquid, v. g. aliquã speciẽ intelligibilem. Vnde idem D. Thom. quæst. de Anima, art. 20. ad 11. agens de simili actione, qua Intelligentiæ efficiunt species in anima separata, inquit; *Cùm huiusmodi actio non sit situalis, non oportet hic quærere medium deferens situaliter, sed idem hic operatur ordo naturæ*; indicans hanc actionem non requirere propinquitatem, sed subordinationem. Similibus .n. verbis, similiq; ratione dixit in 1. p. locutionem angeli non impediri propter distantiam. De altera verò actione Intelligentiæ, quæ est motio localis, quod ẽt fieri possit ad rem distantem, docent Durandus, Gabriel, Ocham, Scotus, & Heru. in 1. d. 37. Et videtur verisimile ex eodem fundamento, quòd angelus ex se non habet situm; neq; agit ad modum rei corporalis, sed per intellectum & voluntatem: ergo eius efficacia non requirit situalem propinquitatem, sed virtutem voluntatis. Cùm enim tantùm volendo moueat, quid necesse est, quod ibi substantialiter adsit, vbi mouere vult?

VIII. Ratiões sẽtẽtiæ præcedentis. Sextò potest formari ratio in hunc modum, quia virtus actiua creaturæ aliquam habet (vt ita dicam) quantitatem perfectionis: ergo non est verisimile esse ita limitatam, vt non possit per se ipsam immediatè agere nisi in puncto aut superficie indiuisibili: ergo potest agere immediatè intra aliquam distantiam quantam, vel quantificabilem: ergo potest immediatè attingere etiam partes distantes illius sphęræ, seu spatij. Declaratur & confirmatur primò hæc ratio, nam cùm ignis calefacit aquam, medio aëre, solùm habet sibi immediatè propinquam vltimam superficiem aëris sibi vicini: ergo iuxta oppositam sententiam, in illam solam immediatè per se ipsum aget, imò & in illam aget immediatè per solum calorem quem habet in vltima superficie sua: & per superficiem aget in partem immediatam, & per propinquiorem partem in remotiorem, quasi diuidendo actionem per omnes partes proportionales propinquas & remotas: hic autem modus agẽdi videtur per se incredibilis, & nõ parua habere incõmoda. Primũ ob rationẽ factã, quia irrationabile videt̃ omnẽ agẽdi virtutem quantũuis magnam coarctare ad ipsummet spatiũ, in quo est agens, vel ad summum ad vltimam superficiem sibi contiguam: nam virtus agendi potest

potest esse maior & minor, & eius efficacia non solũ A consistit in effectu, sed etiam in modo agendi, & in maiori sphæra actiuitatis. Item sumo superficiem aëris proximam igni, & inquiro in quid agat immediatè. Dicetur agere immediatè in partem sibi propinquam: vnde cùm nulla sit adæquatè propinqua secũdum se totam, consequenter fatendum est non habere immediatum subiectum, vel indiuisibile, vel definitè magnitudinis, in quod totum immediatè agat, sed tantùm agere immediatè in propinquum quasi confusè sumptum: hoc autem videtur incõueniens, quòd scilicet actio determinata, qua in instanti, verbi gratia, fit à calore, vel lumine, quod est in hac superficie, non habeat determinatum subiectum, in quo per se & immediatè fiat. Item, ille modus agendi, quasi enumerando omnes partes proportionales, per has in illas agendo, cùm illæ infinitæ sint, vix apparet intelligibilis, præsertim in actione, quæ non successiuè extenditur per subiectum, sed per modum vnius tota simul, & in instante fit.

IX. Tandem confirmatur secundò, quia ex illo principio sequitur, per se loquendo, non habere agentia B naturalia sphæram actiuitatis, nec terminum in illa. Patet sequela, nam si consideretur id in quod immediatè ac per se possunt agere, nullam habent sphæram, sed solam superficiem sibi proximam. Si verò consideretur id totum, in quod possunt agere mediatè, per propinquum attingendo remotum, nulla est certa sphæra, neque vllus terminus illius actionis; nam quocunque termino signato ad quem intrinsecè perueniat actio, per illum poterit vlteriùs progredi, quia in eo termino est aliqua virtus agendi: ergo illa virtus aliquid aget in sibi propinquum. Dico autem, per se loquendo, nam ex resistentia passi fieri potest, vt ad illum terminum tam debilis perueniat virtus, vt proximæ partis resistentiam vincere non possit, nec per se, nec in virtute agentis distantissimi: sed hoc est accidentarium ob resistentiam. Quamquam etiam illud difficillimum sit ad explicandum, scilicet, quomodo qualitas recepta in medio possit vincere in virtute agentis remoti resistentiam partis sibi proximæ, quam ipsa per se, & sua virtute vincere non possit, si agens C remotum per se immediatè nihil agit in partem remotam resistentem, sed solùm per virtutem receptam in parte propinquiori. Sed de hoc posteà, nunc autem argumentum vrget, per se loquendo, & ablata resistentia à medio. Atq; ita sit, vt Sol possit in instante illuminare aërem in infinitum: quod est planè falsum, quia nunc magis illuminat partem propinquam, quàm remotam aëris, vt in lucerna est euidens: ergo si nimium extendatur actio, finietur tãdem. Adde, quod neque huius effectus ratio reddi poterit: cur enim lucerna minùs illuminat partem remotam, quàm propinquam, si non illam, sicut hãc per se immediatè illuminat? Ex hoc autem capite optimè redditur ratio, nam cùm potentia sit finita, non æquè superat rem sibi vicinam, ac distantem, & ideò maior propinquitas confert ad maiorem perfectionem actionis; at verò si tantùm agit in remotum per propinquum, communicabit parti remotę totã intensionem qualitatis, quam communicat propinquæ: quia illa qualitas est actiua suę similis, & pars remota est capax illius, & est immediatè propinqua parti proximæ: signum ergo est non fieri illo modo actionem, sed agens per se ipsum immediatè attingere totam sphæram.

Secunda sententia refertur, & declaratur.

X. SEcunda sententia principalis est, in omni efficiẽtè causa esse conditionem necessariam ad agendum, vt sit propinqua & indistans ab illa re, in quam primò & immediatè agit, ita vt si vtrumque agens scilicet & passum, quantum sit, sint contigua, & actio incipiat ab vltima superficie in qua se tangunt: atque ita contactus virtutis supponat semper contactum quantitatiuum: si verò agens sit spirituale, proportionali modo sit propinquum secundum præsentiam substantialem. Hæc est sententia Aristotelis 7. Physicor. capit. 2. & 1. de Generat. cap. 6. quam vbique D. Thom. defendit, præsertim 1. part. quæst. 8. art. 1. & 3. cont. Gent. cap. 68. Quibus locis Caietan. Ferrarien sis, & alij Thomistæ. Capreolus. in 1. distinct. 37. & ibi Durand. quæstione prima. Et idem significat Richardus art. 2. quæst. 1. Albertus, & alij idem supponunt; cùm ex operatione Dei inferant præsẽtiam eius. Idem Albert. 7. Physicor. tractat. 1. c. 4. vbi Commentator, Aphrodisæus, & aliter communiter. Fauent etiam huic sententiæ sancti Patres, imò & Scriptura sacra, dum significant, in ipso etiam Deo colligi rectè immediatam præsentiam ex immediata operatione. De quo argumẽto dicemus latè, posteà, agentes de immensitate Dei. Hæc verò sententia ab Aristotele non probatur ratione aliqua, sed sola inductione, & experientia, quę satis est sensibus nota, quantum ex frequentibus effectibus sensibilibus esse potest. Erit autem inductio perfecta, si ostenderimus nunquam accidere vt naturalis actio aliter fiat, vel saltem nullo experimento id suaderi posse: hoc autem solutione obiectionum constabit. Atque ita concluditur argumentum, nam modus agendi communis omnibus agentibus nuturalibus in aliqua intrinseca, & naturali necessitate fundatur: sed hic mod⁹ est per immediatum contactum, & propinquitatem: ergo signum est hanc esse necessariam conditionem omni agenti naturali, vt agere possit.

Aristot. D. Thom. Caiet. Ferrar. Capreol. Durand. Albert. Aphrod. Auerroes.

XI. Ratio autem huius necessitatis à quibusdam redditur, quia sicut res non potest transire de loco ad locum, nisi per medium, ita actio agentis non potest immediatè transmitti ad rem distãtem, nisi priùs attingat mediũ, & per illud quasi continuè pueniat ad distans. Hęc verò ratio apud me inefficax est, quia actio nõ transit eadem numero ad rem distantem per mediũ, sicut idem numero corpus transit ad extremum locum per medium: vnde non rectè dicitur actio transire ad extremum, sed virtute agentis educi de potentia subiecti distantis; in quo, ex vi illius rationis aut similitudinis, nulla apparet repugnantia.

Variæ rationes necessitatis præsentiæ agentis ad passum.

XII. Alij rationem sumũt ex limitatione agentis finiti, quod ob defectum suæ virtutis indiget præsẽtia passi ad agendum. Et potest hæc ratio confirmari, quia si agens posset agere in distans, eadem ratione agere posset in quacunq; distantia, nam si non indiget actione in mediũ, quid refert, quòd passum magis vel minùs distet? Sed inprimis authores huius sentẽtię, & præsertim D. Thomas, non limitat illam ad agentia finita, sed etiam in Deo hanc conditionem requirit: ergo non oritur ex limitatione virtutis. Deinde ex limitatione virtutis ad summum videtur oriri limitata sphæra. Cur autem ex quacunq; limitatione virtutis inferri debet tanta limitatio ad proximum & immediatum passum, si ratio efficientis vt sic eam conditionem non requirit? Maximè, quia non omnis virtus est æquè limitata, vt superiùs argu-

D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentabamur. Et eadem ratione non apparet efficax illatio, quæ in confirmatione fit: qui enim negant illam summam propinquitatem esse necessariã simpliciter ad actionem, non negant esse vtilem, vt agẽs optimo modo agat, imò & asserunt esse necessariam, vt agat tota virtute & quantum potest: & hinc putant oriri, vt, cæteris paribus, naturalia agentia agant vniformiter difformiter per spatia: atque ita nihil sequitur eorum, quæ in illa confirmatione inferuntur. Nam sine dubio ex ipsis terminis constat, maioris virtutis esse vincere rem distantem, quam propinquam: & eadem proportione maioris virtutis erit vincere rem magis, quam minùs distantem, sicut maioris est virtutis ad distantiorem locum iacere lapidem. Vnde Capreolus supra ad octauum argumentum ait, rationem huius non esse sumendam ex aliqua imperfectione aut ordine potentiæ agentis & recipientis, sed ex eo quòd agens est quodammodo actus ipsius passi, & passum est quodammodo in potentia ad agens: actus autem & potentia ex sua ratione postulant esse indistantes, vt nimirum inter se rationem actus & potentiæ exercere possint. Quæ ratio, licet ad conuincendum intellectum proteruum non sufficiat, tamen, supposita sufficiente rei experientia, mihi videtur propinquiùs attingere, magisque indicare propriã causam huius necessitatis. Vt autem hanc rem ampliùs declaremus, & sententiam Aristotelis defendamus, explicare oportet modos propinquitatis & distantiæ, & varios modos agendi per propinquum in distans.

Capreol.

Quæstionis resolutio.

XVII. Varij modi distantiæ & indistantiæ agentis ad passum.

ESt ergo aduertendum, passum posse distare ab agente, quia inter illa mediat spatium omnino vacuum, quod licet naturaliter non contingat, possent tamen ita intelligi, & oportet de illis dicere, qualiter tunc in actione se haberent, quia non parum cõferet ad rem explicandam. Secundò, potest passum distare ab agente, interposito aliquo spatio medio nõ vacuo, sed pleno tali corpore, vt in illud nihil agere posset. Tertiò intelligi potest, quòd agens aliquid agat in medium, non tamen per eandem virtutem, vt si in aerem agat per lucem, in terram verò per formam substantialem. Quartò denique intelligi potest, quòd passum distans coniungatur agenti per medium, in quod agens etiam operatur, & per eandem virtutem. Hoc autem ipsum intelligi potest variis modis euenire. Primò quòd agens remotum immediatè solùm inferat actionem in passum sibi propinquum, & per qualitatem in illud impressam, fiat actio in passum remotum, ita vt habitudo per se & immediata illius actionis, vt est in passo remoto, tantùm sit ad virtutem seu qualitatem impressam in partem proximam; ad ipsum verò agens non nisi remotè, in quantum dat vel conseruat illam virtutem. Secundò intelligi potest, quòd agens agat in remotum, media virtute collata parti proximæ, simul & actualiter influendo cum illa in partem remotam: ita vt nec sine illa, ac per illam possit attingere remotum, neque etiam sola illa, licet ibi conseruata, sufficiat ad actionem, quæ fit in parte remota, sine actuali influxu ipsius agentis. Tertiò intelligi potest, actionem agentis diffundi ex necessitate ad remotum per proximum, non necessitate causalitatis proximæ partis passi in partem remotam, sed solùm necessitate ordinis (vt ita dicam) quæ necessitas oriri potest, vel ex parte agentis, quod natura sua determinat sibi hunc modum agẽdi quasi per lineam non interruptam; vel ex parte passi, quod applicatum naturali agenti, priùs necessariò patitur in parte propinqua quam in remota.

Prima assertio.

XIIII. Vactio non iacentis ala in distans actio.

PRimò igitur dicendum est causam efficientem nihil posse agere in passum distans, si spatium vacuum interpositum sit. Hæc assertio communiter recepta est, ita vt neque authores primæ sententiæ illam negare videantur: nam Scotus etiam si admittat aliquam actionem generatiuam ex materia distante, dicit tamen aliquam aliam actionem debere per medium diffundi, quamuis hoc solùm de agentibus naturalibus fateatur. Non potest autem hæc assertio positiua (vt ita dicam) experientia probari, quia nunquam datum est huiusmodi vacuum inter corpora, potest tamen probari experientia (vt ita dicam) negatiua, & prouidentia vniuersalis naturæ, seu potiùs authoris eius, qui ita res condidit, & talem propensionem seu motionem eis indidit, vt vacuum omnino vitent, etiam si necesse sit propria loca deserere. Huius autem ratio potissima fuisse videtur, vt quædam corpora per alia possent suas actiones exercere, & distantia corpora per intermedia aliorum, & præsertim cœlestium corporum influxum participarent. Quod non obscurè significauit Aristoteles text. 1. Meteor. dicens: *Necesse est illum* (id est, inferiorem mundum) *summis cœli conuersionibus quodammodo* (id est per intermedia elementa) *proximum esse, vt omnis eius facultas inde constituatur, atque regatur.* Nec satisfaciet, qui dixerit naturam non horruisse vacuum, & tam solicitè contiguitatem corporum procurasse ob necessitatem simpliciter, sed solùm ob maiorem commoditatem & vtilitatem. Tum quia tanta naturæ solicitudo maiorem indicat necessitatem, tũ etiam quia si verum esset naturalia agentia posse attingere distans absque medio, sæpè esset vtilius ad actionem nullũ habere interpositum reale medium, quia magis esset expedita sphæra, minusque circa illam occuparetur virtus agentis, iuxta ea quæ statim dicentur.

Quare corpora horrent vacuum.

Aristoteles.

Secundò probari potest alia experientia, quæ licet ex re omnino oppolita sumatur, eandem tamen radicem habere videtur, nimirum quòd si spatium interpositum inter agens & patiens, aliquo corpore repleatur, quod interrumpat actionem agentis, omnino impeditur actio in passum distans, etiamsi alioqui constitutum sit intra sphæram actiuitatis agentis: ergo eadem ratione si medium esset omnino vacuum, non posset actio agentis transire in passum distans, quia non minùs interrumperetur actio per vacuum, quàm per illud plenum. Respondeti potest, corpus illud interpositum non ideò impedire actionem in vlteriora corpora, quia interrumpit actionem agentis, sed quia tota virtus agentis circa corpus illud occupatur (vt ita dicam) vnde fit vt sphæra eius ibi terminetur. Dicunt enim, sphæram non semper esse cãdem seu eiusdem magnitudinis aut distantiæ, sed iuxta capacitatem aut resistentiam medij. Fieri enim potest, vt corpus pedale propter suam densitatem plus resistat, quàm magnum corpus rarum, & ideò in se finiat ac terminet sphæram agentis. Sed quamuis hæc responsio habere possit aliquam speciem veritatis, quando corpus interpositum verè habet rationem passi, in quo superãdo & (vt ita dicam) penetrando, occupatur virtus agentis, tamen, quando corpus interpositum est omnino incapax talis actionis, ita vt ad illud nullo modo applicetur virtus

XV.

virtus agentis secundum illam actionem, quomodo A potest detinere illam, aut agenti resistere ne in vlteriora corpora efficiat? Exemplum est in Sole illuminante, cuius actio impeditur interpositio in fenestra corpore opaco, quod est incapax lucis, & non resistit illuminationi sui positiuè, sed negatiuè per incapacitatem, quomodo etiam vacuum dici potest resistere, quamuis ex diuersis principiis: ergo virtus illuminatiua Solis non occupatur quasi conando, & agendo circa illud corpus, sed solùm non agit in illud, sicut etiam non agit in vacuum: ergo illud corpus non aliter impedit transitum (vt sic dicam) illius actionis, quàm interrumpendo continuationem, & quasi lineam seu radium eius: ergo æquale impedimentum oriretur ex vacuo interposito. Atq; hæc experientia videtur mihi valde efficax ad probandam conclusionem positam, de ratione verò eius inferius dicemus.

XVI. Quod in medium plenũ efficax non possit non possit in distans.

Secunda assertio.

HInc dicitur secundò. Quando passum distat ab agente per interpositum reale medium, nihil potest agens efficere in distans passum, si non po- B test etiam agere in totum medium. Patet manifestè ex dictis. Primò, quia si medium interpositum non esset necessarium ad sustinendam, & quasi deferendam actionem agentis, omnino per accidens se haberet illud medium ad actionem: esset ergo impertinens, quod illud medium esset reale, vel vacuum. Secundò hoc probat experientia de corpore denso interposito, quod solùm impedit vlteriorem actionis transitum, quia est incapax actionis agentis. Tertiò, quia ratio quam ex vacuo colligebamus, solùm erat, quia in eo interrumpitur actio agentis; & hoc erat sufficiens impedimentum actionis: sed hæc eadem interruptio interuenit, quando medium proximum agenti non est capax actionis seu influentiæ eius: ergo. Atq; ita videmus Solem non illuminare terram, nisi illuminando omnia intermedia corpora: quod si aliquando interponitur Luna, quam Sol suo lumine penetrare non potest, actio illuminandi, terram nõ attingit.

Tertia assertio.

XVII. Quis virtute quid agit in distans, deber & in medium agere.

DIco tertiò. Vt agens efficiat in passum distans, C non satis est, vt per aliam virtutem seu actionẽ omnino distinctam agat in medium, sed necesse est, vt per eandem seu subordinatam virtutem, qua agit in distans, incipiat agere in medium sibi propinquum, & per totum illum diffundat actionem seu influentiam vsque ad passum distans. Hæc assertio est directè contra Scotum & alios; probatur tamẽ ex dictis, quia, vt agens agat in distans, necesse est vt priùs tempore vel natura agat in propinquum, & continuè in totum medium: ergo necesse est, vt illa continuata actio profluat aliquo modo ab vna & eadem virtute agentis. Patet consequentia, quia si sunt duæ virtutes, & ab eis dimanant duæ actiones, formaliter sunt ibi duo agentia, quamuis materialiter sit vnum ratione vnius suppositi, vel subiecti: ergo non satis est, quòd per vnam virtutem agat in proximum, vt per aliam possit agere in distans. Probatur consequentia, quia illæ actiones tantùm concomitanter se habent, & vna non potest dici per aliam continuari, & sine interruptione fieri. Vt verbi gratia, quamuis possit ignis agere per calorem & siccitatem, vt per calorem agat in passum distans, non satis est, quod per siccitatem agat in medium propinquũ, quia hoc est per accidens ad actionem caloris vt sic; necesse est ergo vt per calorem agat in propinquum, quia illud est per se necessarium ad continuationem m actionis. Imò, licet possit contingere, quòd actio vni* virtutis sit necessaria ex parte passi, vt actio alterius virtutis possit ad illud pertingere, vt verbi gratia, si necessaria esset actio, & dispositio siccitatis ad actionem caloris, non satis esset, quòd vna virtus præageret disponendo, vt altera immediatè ageret in distãs, nihil agendo in propinquum, quia illa dispositio est merè materialis, & est impertinens quòd proueniat ab alia virtute cõcomitante in eodem subiecto, quia per hoc non fit actio alterius virtutis continuè per totum medium; quod tamen esse necessarium ad actionem, ostensum est duabus conclusionibus præcedentibus.

Sunt tamen duo obseruanda. Vnum est, quando XVIII. dicimus actionem debere esse ab vna virtute, non es- Notabile. se sensum, illam virtutem debere esse vnam formam, vel vnam entitatem, sed debere esse adæquatũ principium vnius actionis, etiamsi coalescat ex pluribus formis, siue æqualiter agentibus, siue subordinatis. Aliud obseruandum est, cùm dicimus actionem in B propinquum & remotum debere esse quasi continuatione vnam, non debere intelligi de rigorosa & Physica continuatione, qualis est in illuminatione si medium sit continuum, sed satis esse, si sit continuatio secundum quandam subordinationem, & causalitatem. Non enim est necesse, cùm agens operatur vsque ad aliquam distantiam, quòd in tota illa producat qualitatem eiusdem rationis: potest enim in corpore sibi propinquo quandam qualitatem efficere, in remotiori verò diuersam, vt Sol, v.g. in corporibus cœlestibus quæ sub se habet, producit solũ lumen, in aere verò vsque ad terram producit cum lumine calorem: in terra autem secundum profunditatem eius non producit lumen, sed calorem tantùm, & medio calore efficit alias formas. Idem cõsiderare licet in aliis astris, quæ, pprias habent influẽtias, quas vsq; ad penetralia terræ diffundũt, nõ tamẽ idem agũt in omnib* corporibus intermediis, sed in vnoquoq; operantur, iuxta capacitatẽ eius, id quod proportionatum est ipsius dispositioni. Tum ergo, cùm qualitates seu termini producti in diuersis corporibus sint distincti, nõ põt efficientia diffundi per modum vnius continuæ actionis: necesse est tamen, vt per qualitatem in vicino corpore productam, pducat aliã in remoto, & per illam similiter in remotiori, & hoc modo dicitur continuari actio per subordinationem & causalitatem. Cùm enim necesse sit actionem cõtinuè fieri per modum vnius, vt in assertionibus ostensum est, & non sit necessaria cõtinuatio in eadem specie actionis vel qualitatis, necesse est vt sit per dimanationem vnius ab alia; alioqui nullam connexionem habebit actio quæ fit in distans, cum actione quæ fit in propinquum, sed omnino per accidens se ambæ hæ actiones habebunt; quòd fieri non posse probat ratio facta in tertia assertione.

C

Quarta assertio.

DIco quartò. Quamuis necesse sit, vt causa effi- XIX. ciens sit propinqua & indistãs à passo, in quod primum agit, non est tamen certum, quòd semper Agens aliquod in extensum spatium & omnes partes eius põt agere immediate. agat per propinquum in distans, tanquam per instrumentum seu virtutem agendi, sed probabile est interdum agere in totũ aliquod passum immediatè per suam propriã virtutẽ: & similiter, quãdo agit per

Universidad de Deusto
Biblioteca

propinquum vt per instrumentum in distans, non est necesse, vt agat per illud tanquam per instrumentum separatum in causando, sed tanquam per coniunctũ, ita vt simul cum virtute per medium diffusa, influat immediatè ipsum agens vnica & eadem actione. Prima pars est ipsa conclusio Aristotelis, & communis sententia, quam defendimus: & præter eius inductionem probatur manifestè ex præcedentibus assertionibus & probationibus eorum, quibus ostensum est non posse agens diffundere actionẽ suam vsq; ad rem distantem, nisi per modũ vnius actionis nõ interruptæ: ergo necesse est vt inchoetur actio à passo omnino vicino, & indistante, alioqui à principio inchoaretur interrupta. Atq; hoc non parũ confirmant aliquæ experientiæ, quibus videmus agens per se tantũ intendere actionem in remotum, & nihilominus nõ exercere illã nisi per mediũ, quamuis illa actio, prout fit in medio, sit prorsus inutilis, nisi ad hoc saltem deseruiat, vt per illam deferatur actio in passum distans, in quo agens habeat effectum per se intentũ, v.g. obiectum visibile non diffundit species ad oculum nisi per mediũ. Cuius rei nonnulla sunt euidentia signa: vnũ est de speculo, in quo fit reflexio specierum, quæ etiam fit in aqua: non posset autẽ fieri nisi vsq; ad illa corpora multiplicarẽtur species. Aliud est quod iuxta dispositionem medij, vel perturbantur, vel cõmodè deferuntur species. Item, est illud suprà tactum, quòd quacunque ratione aliqua pars medij sit incapax specierum, impeditur actio, ne ad oculum perueniat. Hæc autem actio specierum per se & ex intentione naturæ tota ordinatur ad oculũ, quia in illo solo possunt species habere effectũ, ad quem institutæ sunt: esset ergo inutilis talis actio specierũ in medio, nisi esset necessaria, vt per illam posset actio peruenire ad oculũ distantem: ergo signum est propter hanc necessitatem, talem fieri actionem. Idemq; iudicium ferẽdum est de omni simili actione, etiamsi tam certis experimentis non innotescat.

XX. Illatio ex omnibus dictis.

Ex his ergo omnibus colligo, naturalem modum agendi causæ efficientis esse quasi per continuatã lineam suæ actionis à proximo in distans. Atq; hæc deberet esse ratio sufficiens conclusionis, suppositis experientiis adductis, etiamsi alia ratio deesset, quia nimirum hæc causa determinat sibi ex natura sua talem agendi modum. Sæpè enim ita iudicamus de naturis rerum ex his quæ experimur, etiamsi vlteriorem rationem illius naturalis conditionis reddere non valeamus. Vt v.g. obiectũ visus solùm multiplicat species per lineam rectam; obiectum autem auditus etiã per obliquam, & per quoscunque poros ingreditur, vt experientia constat, ex qua rectè colligimus hunc esse naturalem modum agendi talium obiectorum: cuius sufficiens ratio est, quia talis proprietas consequitur naturam vtriusque sensus. Conamur tamen huius naturæ aliquam rationem inuestigare, dum dicimus sonũ esse qualitatẽ quandã consequẽtem motum, & imitantẽ naturã eius: & ideò per quascunque vias ingredi posse: colorem verò magis quieto & subtiliori modo agere, & ideò solùm via recta species diffundere. Sic ergo in præsenti, si velimus rationem aliquam vel coniecturam illius naturalis conditionis agentium inuestigare, certè non est contemnenda illa quæ à Capreolo tacta est: nam omnis actus requirit coniunctionem cum potentia vt suam causalitatem in illam exerceat: sicut ergo in actu formali requiritur intima vnio, ita actus efficiens requirit saltem indistantiam non ob imperfectionẽ, sed potiùs ob perfectionẽ quam includit ratio actus, seu actuatio. Vel si hoc referendũ est in aliquã imperfectionẽ, illa sumenda est ex parte effectus, qui, cùm sit dependens à sua causa, postulat coniunctionẽ & indistantiã ab illa, vt ab ea manare possit, sicut titulus requirit coniunctionẽ cũ fonte vt ab eo manet. In quo etiã potest latitudo quædam considerari iuxta varias causarum perfectiones: nam causæ & effectus corporales, non possunt secundũ se tota esse sibi immediatè præsentia, vel indistantia, & ideò appropinquantur saltem secundũ extrema. Res vero spirituales creatæ secundum se totæ coniunguntur, seu præsentes sunt effectui aut passo, quãuis non semper necesse sit esse intimè præsentes toti passo, & omnib. partib. eius, possunt enim adesse vni parti, & per illam agere in totũ: quomodo Intelligentia mouens cœlum, existimatur esse in Oriente, At verò Deus vbicunq; agit, totus & in toto adest, nõ solũ ex immensitate, sed etiã ex perfectione agendi, vt infrà suo loco videbimus. Dixi autẽ hunc modũ agendi, inchoando actionẽ à passo indistante, esse connaturalẽ efficienti, quia nunc non disputamus, an Deus supernaturaliter possit hũc modum agendi immutare. Credimus autem id nõ repugnare diuinis instrumentis, etiamsi nulli agenti creato possit esse connaturale: de qua re dixi in 1. tom. 3. part. disput. 31. sect. 7.

XXI.

Atque hinc vlteriùs intelligi potest, ex necessaria propinquitate inter passum & agens, non statim inferri necessarium etiam esse vt agens per propinquam partem medij agat in remotam tanquam per instrumentum, satis enim erit, si agat per illam vt per medium necessarium ad continuationem actionis, seu vt actio sine interruptione fiat, quia neque experientiæ, neque rationes hactenus adductæ plus probant. Quocirca quando actio per medium variatur in proximo passo & remoto secundum varias qualitates & terminos actionis, tunc certè necessarium videtur, vt virtus diffusa in medio propinquo, sit instrumentum ad agendum in remotum, vt nuper dicebamus, quia aliàs nulla esset continuatio nec subordinatio per se inter illas actiones. At verò quando actio est tota eiusdem rationis in parte proxima & remota medii, non videtur per se necessarium, saltem ex vi propinquitatis necessariæ inter passum & agens, quòd pars propinqua sit instrumentum ad agendum in remota: quia illa actio per se habet suam continuitatem & integritatem, quæ ex naturali modo operandi talis causæ necessaria est, vt ostendimus. Dixi, *quantum est ex vi propinquitatis necessariæ*; nam si qualitas diffusa per medium sit actiua sui similis, ex natura rei sequitur vt existens in parte propinqua, possit iuuare ad agendum in remotam: siue per modum instrumenti, siue per modum partialis agentis: hoc tamen potest esse quasi per accidens, & solùm concomitans ad actionẽ primi agentis.

XXII.

Quapropter si contingeret qualitatem diffusam per medium non esse actiuam sui similis, tunc nõ oporteret partem proximã esse instrumentũ, sed tantùm medium ad actionẽ. An verò ita aliquando eueniat, mihi non est certũ, non video tamen repugnantiam ex vi eius conditionis necessariæ ad agendum quam nunc tractamus, scilicet, propinquitatis. Possetq; esse exemplum in obiecto visus, nam videtur ita multiplicare species per medium vsq; ad sensum, vt species recepta in medio diaphano non sit effectiua sui similis, quod inde probari videtur, quia vltra certã distantiã obiectum non potest speciem sui efficere: q non accideret si species in medio recepta efficeret sibi similem. Quod argumentum in fundamentis primæ sententiæ tactum est, & in responsionibus videbimus, quàm sit efficax. Aliud exemplum esse potest de impetu qui imprimitur lapidi proiecto, nam contactus proiicientis tantùm est in vna parte lapidis, & tamen impetus non recipitur in sola illa parte, sed in toto corpore proiecto: neque etiam pars impetus impressa illi parti efficit aliam similẽ in parte vicina, tum quia impulsus non est effectiuus alterius impulsus, sed motus localis tantùm, sicut grauitas non est effectiua grauitatis, sed localis motus, tũ etiam quia impulsus non imprimitur nisi per contactum totem: vna autem pars non potest hoc modo contingere aliam sibi continuam: videtur ergo verisimile impetum imprimi toti mobili, & omnibus partibus eius immediatè à proiiciente, medio contactu in sola vna parte eius. Quidquid verò sit de specialibus exemplis, tamen, in communi loquendo, ad saluandum illud axioma de necessaria propinquitate inter agens & primum passum, non cogimur dicere esse necessariam efficientiam vnius partis passi in aliam. An verò aliquæ experientiæ vel rationes satis ostendant eam efficientiam non semper intercedere, aut non esse per se necessariam, videbimus, tractando argumenta primæ sententiæ.

XXIII. Medij partes propinquiores agenti nõ agunt in remotas sine illius ope.

Denique hinc etiam ex parte pendet vltima pars assertionis, nam, etiamsi partes medij proximæ agãt in remotas, videtur experimento probari non agere sola virtute in se recepta, neque omnino destitui actuali influxu primi agentis, alioqui nõ tam esset vehemens actio eiusdem medij in quibusdam partibus, & tam remissa in aliis æquè sibi propinquis, inæqualiter verò applicatis respectu primi agentis, quod in solutionibus argumentorum pressiùs examinandum est. Nunc verò solùm dicimus ex hac propinquitate & conditione necessaria ad agendum quam nunc tractamus, non sequi agens tantùm agere in partem distantem per virtutem receptam in parte proxima, vt per instrumentum quasi separatum in causando, id est, per se solùm agens absque actuali influxu principalis agentis, tum quia neq; id est necessarium, vt passum fit absolutè propinquum agenti, à quo emanet actio continuè & sine interruptione: tum etiam, quia tunc ex ipso agente & virtute recepta in medio quasi cõponitur vnũ integrũ agens, q contingit alteram partẽ, & ideò potest in illã agere per totam suam virtutẽ. Quod declaro hoc simili, nã quãdo ignis calefacit aërẽ sibi propinquũ, non agit in illũ per solum caloreẽ quem habet in vltima superficie qua cõtingit aërem, nec per solã aliquã vicinam partẽ, etiamsi fingatur in quacunq; quantitate, quæ nõ nisi merè gratis determinari potest: agit ergo immediatè per totũ caloreẽ, quem in se habet, & in omnib. suis partibus, (suppono. n. omnes esse intra sphæram actiuitatis) & tamen nõ omnes partes ignis agentis sunt immediatè propinquæ aëri patienti: at verò quia ex omnibus coalescit vnũ agens, q per suũ terminum contiguũ est aëri patienti, id satis est vt oẽs illæ partes per modum vnius integri agentis immediatè influant in passum. Idemq; esset si duo ignes inter se discontinui, eidem parti passi applicati essent, ita vt ab vtroq; simul per modũ vnius integri agentis vna actio manet: ergo similiter intelligi potest q agens coniunctũ primæ parti passi iam affectæ sua qualitate per modũ vnius agat, & influat in vlterius passum, siue concurrant vt duo agentia partialia, siue vt principale & instrumentale agens. Sed hæc omnia in responsionib. ad primam sententiam magis elucidabuntur.

Argumentorum solutiones.

XXIIII.

AD primam ergo experientiam de substantiali generatione cõmunis responsio est, accidentia quæ proximè adsunt, efficere substantialẽ generationem in virtute formæ substantialis, quamuis illa distet. Quæ responsio habet difficultatẽ tactam, sect. 3. quia licet accidentia possint esse instrumenta ad efficiendã substantiã, non tamen possunt esse sufficientia principia, si sint separata quoad causalitatem. Et ideò si forma substantialis longè distans nullo modo potest cũ accidentali virtute actu influere ad generationẽ substantialem, non potest per sola accidentia esse sufficiens principiũ talis generationis. Quapropter probabiliter dici potest illã virtutem instrumentalẽ diffusam à cœlo vsq; ad locũ terræ in quo fit generatio substantialis, nõ agere vt virtutẽ separatã, sed vt coniunctam in causalitate: & formã cœli actu influere cũ illa, si alioqui effectus nõ superat in perfectione ipsam formã cœli. Nec inde fit cœlũ agere immediatè in distans, quia non agit nisi vt coniunctum virtuti suæ per mediũ diffusæ vsque ad passum distans. Dices, Forma cœli & virtus accidentalis eiusdem cœli sunt diuersæ virtutes agendi: sed tota alteratio præcedens fiebat à cœlo media virtute accidentali tantùm: ergo illa non sufficit vt forma cœli possit posteà influere media sua forma substantiali ad generationẽ substantialem alterius. Respondeo, formam & virtutem accidentalem ipsius cœli non esse duas virtutes solùm concomitanter, & quasi per accidens coniunctas, sed esse subordinatas vt principale & instrumẽtale principium: & ideò, quamuis forma substantialis attingat generationem, quæ fit in distanti loco, non agit formaliter ac propriè in distans, quia media virtute sua illi coniungitur. Eritq; hoc faciliùs & clariùs, si quis teneat formam substantialem cœli non solùm concurrere per se vt principium principale ad eductionem formæ substantialis, sed etiam ad præuiam alterationem, quod suprà diximus esse probabile. Quòd si fortasse alicui hoc non placet, necessariò dicendum est cœlum solùm concurrere instrumentaliter ad has generationes per virtutẽ accidentalem diffusam per mediũ: iuuari autẽ ad has generationes perficiendas ab aliquo superiori agente.

Quod sit agens præsens generationi substantiali.

De alteratione corporis per imaginationem.

XXV.

AD secundum de alteratione negatur assumptum, nimirum aliquam causam alterare rem distantem, non alterando propinquam. Et ad primum exemplum de imaginatione respondetur, aut esse sermonem de corpore ipsius animalis, cuius est phantasia, vel alterius: loquendo de alieno corpore, nego alterius phantasiam habere vim alterandi illud: neque hactenus vllum probabile experimentũ allatum est, quod id ostendat: neque ex vi rationis est verisimile, quia actus imaginationis est immanens, & non est vnde habeat virtutem ad naturaliter alterandum alienũ corpus. Si verò sit sermo de proprio corpore ipsius animalis, quod imaginatione operatur, dicendum est imaginationem non mouere corpus, nisi mediante appetitu sensitiuo, ad cuius motũ excitantur humores, & spiritus vitales, quibus mediantibus alteratur corpus: motio autem appetitus per imaginationem non est alteratio, sed vitalis quædam affectio, de qua inferiùs dicam. Appetitus autem, cùm sit in corde, quod est principium motus animalis, & spirituum vitalium, facilè poterit huiusmodi motum

Universidad de Deusto
Biblioteca

motum vel alterationem excitare, nihil agendo immediatè in distans, sed mediantibus partib. propinquis: quamuis etiam in illa motione intercedat specialis ratio, eò quòd fiat per naturalem symphatiâ potentiarũ in eadem anima radicatarũ, vt infrà dicetur, & latiùs traditur in libris de anima, & in 1.2. q. 22. & attigit D. Thom. q. 26. de verit. artic. 6. ad 11.

De fascinatione.

XXVI. AD secundum exemplum, sunt qui negent illam vim fascinationis. Sed non est cur experientiam à Philosophis, & Medicis comprobatam, & ferè communi sensu receptam negemus. Fatemur ergo fascinationem naturaliter accidere: modũ autem eius declarat Diuus Thomas 1. p. q. 117. artic. 3. ad 2. & 3. contra Gentil. cap. 103. Et in primis dicendum est, fascinationem non fieri ipso actu vidéndi tanquam principio quo fit alteratio in aliud, quia actus immanens, vt suprà dicebamus de actu imaginationis, non est per se actiuus in aliquem. Deinde dicendum est alterationem illam fieri ab aliqua qualitate venenifera existente in oculo, aut in interna corporis dispositione, complexione, aut humoribus, quæ communicatur spiritibus vitalibus, qui imaginatione, & attentione animi commouentur, & ad oculos perueniunt. Rursus hinc fit, vt mediis illis spiritib. aer proximus inficiatur, & vsq; ad certã distantiam alteratio perueniat, & sic noceat alteri, quãuis aliquantulum distet. Et fortasse interdũ fit, vt ipsimet spiritus infecti vsq; ad illam personã in quam intuitus directè figitur, emittantur: & ita facilius & vehementiùs noceant: & Aristoteles suprà significat interdum fieri fascinationem ipso flatu corrupto, & vsq; ad aliam personam transmisso. His ergo modis potest naturaliter fieri fascinatio absq; immediata actione in distans. Omitto (quod D. Thom. suprà aduertit) interdum accidere huiusmodi nocumentum ex malitia dæmonum, qui ex pacto occulto cooperãtur ad huiusmodi damnum inferendum. Aduertit etiã ibi D. Tho. hanc alterationem faciliùs accidere in infantibus & pueris, quia ob tenerum corpus quamlibet externam impressionem faciliùs patiuntur. Plura de huiusmodi actione legi possunt in Plinio lib. 7. cap. 2. & lib. 33. cap. 10. Abulens. paradox. 4. capite 16. Richard. quodlib. 3. q. 12. Idem seruata proportione dicendum est de quocunq; nocumento quod à venenatis animalibus infertur, vel aspectu, vel olfactu. Et idem est de tertio exemplo Torpedinis, de qua expressè Plinius ait, *quòd odore, & quadam aura sui corporis afficit membra*: non ergo immediatè agit in distans, sed vel alterando mediũ, vel etiam noxium aliquem vaporẽ spirando. Nec refert quòd sub arena aut limo se abscondere dicatur, quia nõ est necesse vt intelligamus omnino delitescere sub terra, ita vt vel caput, vel os non relinquat apertum ad nocendum.

D. Thom.

Plinius.

Richard.

Possitne agens intensiùs agere in distans quàm in propinquum.

XXVII. IN quarto & quinto exemplo delarandum est, an & qua ratione contingat agens vehementiùs agere in rem distantem, quàm in medium propinquum, & an tunc illa vehementior alteratio fiat immediatè in distans sine cooperatione medij. Et quidem Aristoteles sect. 24. Probl. q. 5. & 8. aduertit, cùm aqua in vase calefit in initio calefactionis: dum aqua adhuc est frigida, fundũ vasis sentiri calidius: posteà verò iam aqua feruescente ita vt manum vrat, fundum vasis esse magis temperatum, ita vt manu sustineri

Fundum lebetis cur frigidius quàm feruẽti aqua superposita.

A possit. Rationem verò assignat, quia in principio actionis, dum aqua frigida est, totus calor concluditur in fundo vasis, neq; ascendere permittitur, at verò quãdo aqua iam est calidior, quasi permittitur respirare calor & ascendere, & inde fit vt fundũ lebetis temperetur. Ob quã causam dicit ibidẽ, balneas calidiores esse hyeme quam æstate. Atq; inde consequenter fit, vt actione procedẽte & aqua nimium calefacta, & calefactione rarefacta, calidiores partes sursum ascendant, & crassiores ac frigidiores descẽdant deorsum, & inhæreant fundo vasis, & illud temperent, & ideò minùs calidum censeatur. Hic autem nomine caloris non est intelligenda sola qualitas aut accidens caloris: hic enim neq; ascendere aut descendere potest, neque detineri ne ascendat, nisi ratione subiecti: sed intelligendæ sunt exhalationes seu vapores calidi, qui actione ignis excitantur. Neque enim potest ille ascensus vel descensus metaphoricè tantum declarari, id est, quòd dicatur calor impediri ne ascendat, solùm quia passum resistit ne calefactio vlteriùs progrediatur versus superiorem partem. Nam hoc sensu, nullius momenti esset ratio, nimirum fun- B dum lebetis in principio esse calidius, quia tunc calor impeditur ne vltra ascendat, nam quod actio vltra progrediatur, per se nil impedit, quo minùs illa pars inferior æquè calida maneat, vt per se notũ est. Oportet ergo intelligi propriè de aliquibus exhalationibus calidis, quæ, dum detinentur ratione proximi corporis nimium frigidi & densi, faciunt vt calor illius partis, & maior sit, & vehemẽtiùs sentiatur, dum verò, calefacto proximo corpore, & consequẽter rarefacto, ascendere permittuntur, minor calor in illa infima parte sentitur: maximè quòd in poris, vbi illæ exhalationes erant, loco illarum succedunt frigidiores partes aquæ, quæ, vt sunt grauiores, ita naturaliter magis descendunt: & ex eo capite magis etiam temperatur ille calor.

Ex hac verò ratione Philosophi sic expositа, fa- XXVIII.
cilè intelligitur, ex hac experientia non haberi agens intensiùs agere in propinquum, quàm in distans, nisi transmittendo aliquod agens proportionatum, quod illam intensionem proximè efficiat. Nam in dicto exemplo, dum in principio actionis fundum vasis nimiùm calescit, id prouenit ex igne vicino, & ex ignitis vel calidis exhalationibus in ipsismet poris fundi inclusis: dum verò, procedente actione, superiores partes aquæ calidiores videntur, id prouenit non solùm ab igne remoto, quamuis eius actio multum iuuet, sed etiam ex vaporibus calidioribus ascendentibus, & penetrantibus aquam ipsam, & ob hanc causam vehementiùs illã calefacientibus. Accedit etiam, quòd aqua ipsa, dũ incipit prope fundum vasis magis calefieri, statim ascendit leuior effecta: descendit autem, quæ superiùs erat, grauior & frigidior: & ita fit, vt pars distantior aquæ sit calidior, non quia ita distans, magis sit calefacta, sed quia priùs fuit propinqua, & ibi magis calefacta. Nunquam verò illa pars aquæ, quæ proximè insidet fundo vasis, vehementiùs calefit, quàm ipsummet vas, seu fundum eius, per quod actio transmittitur, nisi fortasse in fine actionis, quãdo iam omnino superatur aqua, ita vt contingat totam exhalari & corrumpi. Quod inde prouenit, quòd ratione suæ humiditatis faciliùs in aërem, vel in aliquod mistum imperfectum commutatur. Item, quia cùm sit minùs densa, quàm vas, faciliùs eam penetrant vapores seu exhalationes calidæ ascẽdentes. Iuuat etiam, si quis est aër circumfusus. Atq; ita

ita semper tota actio & intensio eius fit per aliquod A ad agendum in remotum, saltem quoad illum gradũ medium.

XXIX. Papyrus cur mox calida, qui oleum superimpositum.

Ad eundem modum dicendum est ad similes experientias suprà adductas, nimirum de oleo, quod vehementiùs videtur calere, quàm papyrus, qua mediante calefit. Nam oleum statim ac incipit calefieri, facilè etiam rarefit, & penetratur à vaporibus ascendentibus, & ipsum etiam subtilius & leuius effectum statim ascendit: crassiores autem & humidiores partes descendunt: atq; ita idem accidit in hoc exemplo, quod in superiori. De stupa autem, quòd inflammetur per interpositum aërem, ipso aëre nõ inflãmato, non ita est manifestũ experientia: fortasse enim aër inflammatur priùs, licet non ita sensu percipiatur, sicut in stupa, propter huius dẽsitatem. Atq; idem dici potest ad exemplum de radice herbæ *Aproxis*, & de bitumine *Naphthæ*.

Stupa cut interserat, aeinter ipsã, & ignem ita rarè nõ inflammato.

XXX. Posset verò aliter responderi, admittendo, quod in argumento assumitur, inflammari aliquando materiam remotam, non inflammata proxima: & dicendo id prouenire ex dispositione materiæ absque intensiori actione ignis in remotum, quàm in propinquum. Quòd declarabitur facilè, si supponamus non esse necessarium vt in aliqua materia sumus calor antecedat vt inflammetur, sed sufficere vt antecedat calor intensus in eo gradu, cum quo & forma stupæ verbi gratia, conseruari non possit, & si illi sit adiuncta sufficiens siccitas, satis disponat ad introductionem formæ ignis. Sic ergo fieri potest, vt aër medius sit calidus vt septem, & non inflammetur ex defectu siccitas, stupa vero statim ac peruenit ad illum gradum, inflammetur: atque ita actio ignis calefacientis nunquam fuit intensior in materia remota, quàm in propinqua, sed habuit alium effectum propter aliam passi dispositionem. Obiectioni respondetur. Dices, in illo instanti, in quo inflammatur illa materia, iam est calida vt octo. Respondeo, Si ita est (non est enim certum de primo instante) tamen id non prouenit ex sola actione ignis distantis, sed est per naturalem resultantiam à forma iam concepta. Quæ resultantia, si non superest aliqua resistentia in materia, in momento fit: atque ita fieri dicendum est, si ponamus, omnia accidentia in corruptione perire. Si tamen manere potest aliquis gradus contrariæ qualitatis, interueniet aliqua C successio, breuissima tamen & imperceptibilis, quia resistentia est minima, & actiuitas magna. Sed quid de actione ipsius formæ substantialis, quæ fit in distanti materia, & non in medio? Communiter dicitur fieri per naturalem resultantiam, suppositа sufficienti dispositione: vel fieri à dispositionibus accidentalibus, ibi existentibus, in virtute substantiæ. Nobis autem respondendum est iuxta primam assertionem, vel formã ignis simul cum virtute sua posse illuc attingere, & simul influere ad eductionem illius formæ: vel certè, si hanc vim nõ habet substãtialis forma, necessarium esse vt per aliquã superiorem causam ille concursus suppleatur, sicut quando contingit rem aliquam per motum ita calefieri vt inflammetur, introductio illius formæ alicui causæ vniuersali tribuitur.

Obiectioni respondetur.

XXXI. Alius modus explicandi additus experimento.

Alius modus respondendi ad has experiẽtias esse potest, admittendo, posse agens intensiùs facere aliquam qualitatem in passum distans, quàm in propinquum, non tamen immediatè agendo in distans, sed per medium. Hic tamen modus actionis dupliciter concipi potest. Primò, vt medium non deseruiat tanquam coefficiens instrumentale, aut partiale

XXXII. Hæc autem virtus esse potest aliquando qualitas diuersæ rationis ab alia quæ intenditur, & tunc non est res difficilis, vt in exemplo suprà posito de speculo & aëre calefactis à Sole, quia illa calefactio fit medio lumine, accidere potest vt mediante lumine aëris, vt virtute agendi, vehementiùs Sol calefaciat speculũ distans, vel aliam rem similem, quàm aërem propinquum, ob maiorem passi capacitatem & dispositionem: & in hoc non video repugnantiam. Sicuti enim potest causa agens per virtutem diffusam aliquẽ effectum habere in remotum, quem non habet in propinquum, vt omnes concedunt, & signatim Diuus Thomas in secunda distinct. 15. quæst. 1. artic. 2. ad sextum, & Comment. 8. Phys. & lib. 2. de cœlo, com. 34. ita maiori ratione potest intensiùs alterare partem remotam, quàm propinquam. Alio denique modo intelligi potest, hoc fieri per qualitatem eiusdẽ rationis, vt v. g. quòd Sol per aërem remissè illuminatum, intensiùs illuminet speculum distans, ita vt lumen aëris medij, etiãsi sit in se remissius, vt cõiunctum primo agenti concurrat siue instrumentaliter, siue partialiter, ad lumen in speculo efficiendũ, etiam quoad maiorem gradũ intẽsionis. Et hic modus est difficilior creditu, quia supponit qualitatem remissam, saltem vt coniunctam priori agenti, posse concurrere ad intensionem qualitatis eiusdem speciei, in eo gradu, in quo illi est dissimilis, & ab illa exceditur: quod an possit accidere, examinabimus sect. seq. vbi plura dicemus de illo exemplo speculi, de eiusque actione reflexa.

Cur agens per lineam rectam efficaciùs operetur.

AD experientias alias, quæ in confirmatione il- XXXII.
lius secundi argumenti afferuntur, respondeo, satis probabiliter persuadere secundam partem vltimæ assertionis. Nec mihi occurrit aliqua alia probabilis responsio aut euasio: non enim video, cur præsentia Solis per lineam rectam respectu huius partis aëris remoti conducat ad maiorem illuminationem eius, nisi quia ipse Sol cum aëre sibi propinquiori simul in illam influit, in aliam verò partem aëris non ita è regione propositam, sed ad latus verbi gratia fenestræ, nõ põt ita influere, etiãsi respectu ipsius medij illa pars sit æquè propinqua. Dicet fortasse aliquis, lumẽ receptũ in medio agere in virtute Solis in alte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

alteram partem aëris per lineam rectam obiectam Soli, in aliam verò cadentem ad latus solùm agere virtute propria: & ideò magis illuminare illam partem, quàm hanc. Sed hoc & merè gratis, ac voluntariè dictum est, & intelligi non potest, quæ res subsistit illis vocibus, neque in quo consistat illud discrimen, si Sol ipse in neutram illarum partium per sese actualiter influit. Nam, hoc supposito, quid est agere in virtute alterius, nisi agere vt virtutem diffusam ab illo, & vicem eius habentem? sed illa virtus recepta in medio est vna & eadem: ergo respectu cuiuscunque partis medij agit vt virtus diffusa à Sole, & vice illius: ergo æquè agit in virtute Solis. Neque explicari potest, quid conferat illa situalis positio (vt ita dicam) vel præsentia Solis, vt ob eam causam dicatur agere in virtute Solis in vnam partem, & non in aliam, si ratione illius applicationis Sol ipse per se non magis influit.

XXXIII. Quod tandem sic confirmo ac declaro, nam quãdo accidens agit in virtute alterius absque actuali influxu eius, si tale accidens conseruetur sine alio in cuius virtute agere dicitur, eandem potest habere actionem. Hoc patet in grauitate, vel impetu mouente in virtute generantis vel imprimentis: & idem est de calore aquæ, si calor dicatur calefacere in virtute ignis: imò & qui aiunt calorem summum efficere dicto modo formã ignis in virtute ignis sine alio actuali influxu eius, consequenter aiunt calorem separatum æquè ac coniunctum igni, posse in virtute ignis efficere formam alterius ignis. Itaque in præsenti, si lumen receptum in parte aëris viciniori Soli, efficit dicto modo lumen in alia parte in virtute Solis: ergo si illud lumen conseruaretur in vna parte, ablato Sole de medio, eodem modo illuminaret eãdem partem, quam nunc illuminat. Consequens autem est plane falsum, tum quia aliàs etiam nunc æquè illuminaret partem aëris sibi vicinam non obiectam Soli: quia non magis, neque ita abest nunc Sol ab illa parte, quàm abesset ab alia, si omnino tolleretur: tum etiam, quia in igne & calore experimento constat oppositum, vt in eadem confirmatione, quã tractamus, propositum est. Igitur necessariò dicendum videtur, Solem actu influere cum parte proxima medij ad illuminandam aliam directè sibi obiectam, non verò æquè posse influere in aliam partem C à latere existẽtem, etiam si ipsi aëri medio æquè propinqua sit: & inde prouenire, vt illæ partes non æquè illuminentur vel calefiant.

De actione magnetis, & similibus.

XXXIIII. In tertio argumento de motu locali prima ac precipua experientia est de magnete: de quo, sicut de multis aliis experimentis quæ hìc tractamus, multa Coimbric. eruditè congerunt Conimbricenses libro septimo Physicorum, capitulo secundo, quæstione prima. Breuiter tamen, quantum ad rem præsentem spectat, admittimus tractationem illam fieri effectiuè à magnete. Alexand. enim libro secundo, quæstion. naturalium, cap. 3. existimauit, ferrum nõ trahi à magnete nisi vt à fine, ipsumque interna & innata virtute quasi naturali põdere, se mouere ad magnetem. Hoc tamen reiiciunt Albertus 2. Metaphys. tract. 3. c. 6. D. Thomas 7. Physic. lect. 3. text. 10. & D. Thom. Galen. Albert. Galenus libro tertio de facultatibus naturalibus, capite vltimo. Primò, quia motus naturalis à virtute intrinseca, ex quacunque distantia fit, vt in terra & igne patet: ferrum autem non tendit ad magnetem ex quacunque distantia, sed ex certa ac definita: non ergo ipsum tendit, sed trahitur. Secundò, quia ferrum non mouetur ad magnetem, nisi in debita proportione qualitatis existant, moles enim ferri nõ trahetur à paruo magnete: ergo id est propter actionẽ, quæ non sequitur à proportione minoris inæqualitatis. Tertiò, quia dicitur experientia constare, si magnes perungatur sanguine hirci, aut succo allij, aut cepæ, non posse attrahere ferrum: ergo id est, quia virtus eius attractiua inde debilitatur.

Addendum subinde est, magnetem imprimere XXXV. ferro aliquam qualitatem motiuam, qua illud ad se trahat. Ita docent omnes authores, nam sicut proiectio fit per qualitatem impressam, ita & tractio: est tamen differentia, quia impulsus imprimitur per immediatum contactum quantitatiuum, non verò hæc qualitas attractiua: & ratio est, quia institutæ sunt à natura ad contrarios effectus. Nam per impulsum separatur mobile à mouente, quod illud tangit: per tractionem verò trahitur mobile versus motorem, vel etiam donec contingat illum. Præterea, talis est hæc attractio magnetis, vt non solùm per se ferrum ad se trahat, sed etiam ipsi ferro participationem eius B virtutis communicet, nam ferrum attractum, aliud ferrum ad se trahit, & illud attrahit aliud, vt quasi catena ex eis conficiatur: quemadmodum Augusti- Augustin. nus refert 21. de ciuit. cap. 4. & nos etiam aliquando experti sumus: hoc ergo est signum apertum, imprimere magnetem ferro qualitatem, quæ & vim habet mouendi ipsum ferrum, & efficiendi aliam similem, qua ferrum ad se trahat.

Vltimò addendum est, vt argumento proposito XXXVI. respondeamus, magnetem non imprimere eam qualitatem ferro nisi per medium, alterando, scilicet, illud vsque ad ferrum: quamuis enim hæc alteratio medij sensibili experimento non percipiatur, tamẽ, cùm facilè fieri possit, ex aliis experimentis & rationibus colligimus, in illa etiam alteratione seruari naturalem modum agendi efficientis causæ. Neque enim obstat, quòd medium ipsum non trahatur ad magnetem: quia necesse non est, vt qualitas diffusa per medium eundem effectum habeat in medio, quẽ habet in distanti passo: sicut in superioribus dictum est, ob diuersam passi dispositionem accidere, vt virtus diffusa per medium efficiat in distans corpus noC uam qualitatem, aut qualitatis intensionem, quam non facit in ipsum medium. Sic ergo accidere potest in præsenti, vel vt qualitas diffusa per medium non sit eiusdem rationis cum ea quæ imprimitur ipsi ferro, vel certè quòd licet sit in se eiusdem speciei, non habeat eundem effectum trahendi, in medio, quem habet in ferro propter peculiarem proportionem, aut dispositionem ferri.

Solùm potest obstare alia experientia, qua constat XXXVII. magnetem immutare ferrum, etiam interposito medio denso, vt experimento etiam percipitur, & Augustinus suprà refert, dicens, posito ferro super argentum, & magnete subtus, moueri ferrum ad motum magnetis, *concitatissimo cursu ac recursu, prout magnes ab aliquo agitatur, argento* (inquit) *medio nihil patiente.* Neque enim videtur verisimile posse magnetẽ tam densum mediũ totum alterare & penetrare. Sed nihilominus, cùm Augustinus ait, *argento nihil patiente*, planè intelligit de passione illa sensibili, qualis erat motio & concitatio ferri: de alteratione autem inuisibili, Augustinus ibi nihil disputat. Neque est adeò difficile creditu, quòd magnes penetret corpus illud intermedium sua alteratione, vel quia porosum est, vt est lignum: vel quia paruam habet profunditatem quale

quale fortasse erat argentum illud, cuius meminit A Augustinus: sicut etiam influentiæ cœlestes penetrant corpora etiam densissima & in magna distantia propter magnam vim agendi. Hæc enim vis magnetis existimatur esse quædam participatio cœlestis proprietatis, vt dicit Diuus Thomas quæst. 5. de verit. art. 10. ad quintum. quæst. vnica de anima art. 1. Fortè etiam contingere potest, vt illa actio licet non penetret totum corpus densum, interuentu circumfusi aëris, cõtinuè perueniat vsq; ad ferrum. Atq; ad eundem modum iudicandum est de succino eleuante paleas, & idem est de argento viuo trahente particulas auri, & de quacunq; alia re simili, vel medicinali radice aut herba, quæ vim habet trahendi aliquid, aut etiam expellendi.

XXXVIII. Retenta qui nuncm retardet.

Quod verò spectat ad retentionem Echeneidis, quamuis alioqui ille sit mirabilis naturæ effectus: & difficillimum explicatu, qua virtute possit tam paruum animal, tam vehementem molem retardare: tamen in præsenti nihil infert difficultatis, nam Plinius expressè ait, *id facere nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo*: non ergo quidquam a- B gitin distans. Quid verò imprimat naui ad detinendam illam, tractat latè Scaliger contra Cardanum exercit. 218. & contra eum Conimbricens. suprà art. 5. Ego verò censeo rem esse occultissimam, quæ necessariò reducenda est in aliquam virtutem superioris rationis, quæ vim habeat talem ac tantam ad resistendum illi impulsui nauis, vt ab eo debilitari non possit. An verò id fiat ab hoc animali imprimendo aliquam qualitatem naui debilitantem vim illius impetus: vel solùm adhærendo per virtutem sibi innatam, sicut homo detinet lapidem proportionatum ne cadat: vel denique, an hic pisces vim talem habeat sistendi se ipsum, & quasi adhærendi loco suo, vt etiam ab impellente nauim rapi aut dimoueri non possit, mihi incertum est. Quocunq; tamen horum modo eueniat, non dubium est, quin ex virtute mirabili & occulta proueniat, adiuuante fortasse speciali aliqua & connaturali influentia cœ- Ambrosi. lesti. Imò addit Ambrosius lib. 5. Hexamer. c. 10. ad finem, imitatus Basilium homil. 7. Hexameron, *ex munere & potentia creatoris tam paruum animal tantam accepisse virtutem.*

Scaliger. Conimbric.

De actione phantasiæ, & similibus.

XXXIX. In quarta difficultate soluenda laborant, qui existimant notitiam existentem in phantasia effectiuè concurrere proprio influxu Physico ad actum appetitus. Vnde quidam vtramque potentiam vel in cerebro, vel in corde collocant, vt vicinæ sint & inter se agere possint, cùm tamen verior doctrina habeat, phantasiam in cerebro, & appetitum in corde esse, vt alibi latiùs ostendendum est. Alij nescio quas qualitates dicunt diffundi à cerebro, medio actu phantasiæ vsque ad cor, vt immutent appetitum. Sed hoc figmento simile est: quia illæ qualitates nec sunt species obiecti, aut ipsiusmet actus phãtasiæ: essent enim inutiles, cùm appetitus non possit speciebus vti: nec possunt esse qualitates aliquæ, quasi deferentes ad potentiam appetitiuam notitiam obiecti, quæ est in phantasia: quia potentia ipsa appetitiua nunquam percipit illam notitiam: neque notitia vnius potentiæ potest alteri manifestari, aut formaliter, aut obiectiuè, nisi mediante alia specie, aut notitia sui. Alij deniq; cõuicti argumento fatentur, notitiam existentem in cerebro immediata actione influere per propriam efficientiam in appetitum. Neque putant id esse inconueniens, eò quod illæ duæ facultates in eadem anima coniungantur, quæ est principium principale illius actionis: nam sicut virtus principalis potest cooperari suæ virtuti instrumentali, etiamsi vsq; ad locum distantem diffusa sit, ita è contrario virtus aliqua instrumentalis poterit cooperari virtuti principali, etiam in loco distanti, si vsque ad illum virtus ipsa principalis diffusa sit, dummodo in illa etiam parte, vbi fit actio, sit aliud instrumentum magis proprium & proportionatum tali actioni. Quæ responsio, supposito illo primo fundamento, est inter reliquas minùs improbabilis, & de instrumentis diuinis adhiberi solet, quod attingere possint immediatè ad distans, quia virtus principalis ibi adest. Absolutè tamen (quidquid sit de miraculosis actionibus) non satisfacit, quia iam admittitur efficientia ab aliqua forma, aut qualitate seu actu, quæ transilit ad distans quasi per saltum absque continua actione per medium.

Et ideò nos faciliùs has angustias euademus, ne- XL. gando notitiam concurrere actiuè ad actum appetitus, sed tantùm vt conditionem repræsentantem obiectum, qua posita, appetitus efficit suum actum per naturalem sympathiam harum potentiarum. Et ad hoc optimè confert radicatio illarum facultatum in eadem anima: illa enim, seu suppositum per illam est, quod principaliter operatur, & vtitur his facultatibus: & ideò, dum per vnam percipit obiectum sibi conueniens, per aliam illud appetit: non quidem quia per vnam efficiat in aliam, sed quia ex obiecto per vnam apprehenso excitatur ad operandum per aliam, quæ excitatio non est per immutationem realem & effectiuam, sed per Metaphoricam seu finalem, & ideò non requirit localem propinquitatem, sed animalem, vt sic dicam. Atque idem proportionaliter dicendum est de appetitu & potentia motiua: quanquam enim dici posset, omnem motionem inchoari ex corde, & mediis spiritibus ac neruis procedere vsq; ad partem, in qua exercetur, vel apparet motus, tamen, quod ad præsens attinet, applicatio potentiæ motiuæ per appetitum non est per actionem propriam & physicam vnius potentiæ in aliam, sed per subordinationem potentiarum in C eadem anima: quo modo etiam intellectus & sensus applicatur ad operandum per voluntatem & appetitum, de quo latiùs Philosophi in libris de anima & Theologi in 1. 2. De efficientia verò specierum sensibilium in sensibus internis, mediis externis, alia est ratio, & longè diuersa, nam hìc re vera propria efficientia interuenit, quæ per medium fieri debet, vt ab oculo dicuntur species visibiles tendere vsque ad sensum communem per neruum opticum: hæc enim actio talium specierum non est propriè vitalis, aut immanens, sed est proueniens ab extrinseco: mediis illis instrumentis, & ideò per medium propriè diffunditur, sicut aliæ actiones naturales.

De actione rei spiritualis in corpus.

XLI. Hactenus dictum est de agentibus & patientibus corporalibus inter se; in quinto verò argumento agitur de actione rerum spiritualium in corpora, & inter se. Et quoad priorem partem de actione spirituum in corpora, consequẽter loquendo, dicendum est, necessariã esse immediatam propinquitatem intelligentiæ ad corpus, vt illud possit mouere localiter: suppono enim spiritum creatum

Universidad de Deusto
Biblioteca

nullam aliam actionem posse in corpus exercere, quod infrà ostendam, de intelligentiis disputando. Vnde, si angelus ad mouendum corpus potest imprimere impetum, medio alio corpore, quod non localiter moueat, sic quidem ad mouendum localiter aliquod corpus, sufficiet illi adesse immediatione virtutis: necessarium tamen erit, vt immediatione suppositi sit præsens illi corpori, in quo primo incepit illam virtutem imprimere. Si tamen (quod probabilius censeo) non potest angelus illam virtutem imprimere per intermedia corpora nō mota, necessariū erit, vt angelus mouens proximè adsit immediatione suppositi ei corpori, quod immediatè mouet. Et hoc modo aiunt Philosophi vnamquāque intelligentiam mouentem cœlum, adesse ei orbi quem mouet. Sic etiam Theologi dicunt angelos suppositaliter adesse illis corporibus, quæ assumunt, & in quibus apparent. Et quoties Scriptura dicit angelū mouere, vel deferre aliquem hominē, significat ibi angelum substantialiter adesse, aut cū re, quam mouet, moueri. Quod non esset necessarium, nisi oporteret angelum adesse, vbi mouet. Atq; hoc planè supponit D. Thom. 1. p. q. 52. & 53. & 55. art. 2. ad 3. & q. 113. art. 6. ad 3. & clariùs in locis infrà citandis. D.Thom.

XLII. Neque obstat, quod res spiritualis non habeat situm: habet enim substantialem & realem præsentiam definitam, secundum quam necesse est passo cōiungi, quando agit in illud. Nec modo disputo, an operatio sit ratio illius præsentiæ, quod Theologi aliqui asserere videntur: vel è conuerso, an præsentia illa secundum se sit prior, vel etiam independens ab operatione, quod plures affirmant, & mihi probabilius videtur: sed assero, ad operationem necessariam esse præsentiam substantialem, quam fortasse vocauit *tactum spiritualem ad corpus*, Diuus Thomas quæst. 6. de potentia, art. 7. ad 12. Et apertiùs q. 16. de malo, art. 1. ad 15. dicit, quòd angelus non agit immediatè in aliquod corpus à se distans, & affert Damascenum dicentem: *Angelus vbi est, ibi operatur.* Qui videndus est libr. 1. de Fide cap. 16. & 17. & libr. 3. cap. 2. Damasc.

XLIII. Neq; etiam obstat, quod angelus moueat per intellectum & voluntatem, quia, vt inferiùs suo loco dicam, non mouet per has potentias vt proximè eli- C cientes motum, sed dirigendo & applicando potentiam exequentem, quam oportet esse coniunctam passo. Quam responsionem insinuat D. Thom. loco nuper citato de potentia: cùm enim obiecisset in argumento 12. *mouens & motum debere esse simul*: angelum autem non esse simul cum corpore, ex eo quod velit illud moueri, respondet: *Imperium angeli requirit executionem virtutis: vnde oportet quòd sit quidam tactus spiritualis ad corpus, quod mouet*: & quodlib. 6. art. 2. ad 2. quod erat simile, respondet, actionem angeli radicari in essentia eius, à qua procedit virtus & operatio: & ideò necessarium esse substantiam eius aliqualiter coniungi rebus quas mouet, quia mouens & motum debent esse simul. Et declaratur præterea quia si efficacia in mouendo pensanda esset ex modo, quo voluntas attingit suum obiectum, sicut voluntas angeli indifferenter velle potest propinquū, & distans quantumuis: ita eadem efficacitate posset mouere corpus propinquum, & distans quacunque distantia: consequens autem est planè absurdum, quia, cùm virtutem habeat finitam, non est verisimile posse æquè operari in rem quantumcunq; distantem, sed habere terminum in sphæra actiuitatis suæ. Sicut ergo aliter comparatur potentia motiua ad subiectum, quam voluntas ad obiectum, ita etiam in absoluta conditione propinquitatis & distantiæ: potentia enim mouens agit realiter & transeunter in subiectum quod mouet, & ideò oportet vt sit realiter indistans ab illo: secus verò est de voluntate vt versatur circa obiectum, in quod realiter non agit, neque ipsum immutat. A

De actione spirituum inter se.

LXIIII. Altera pars illius argumenti erat de actione vnius angeli in alium, vel in animam separatam quæ actio etiam esse potest aut locutio, aut motio localis. De hac eadem est ratio quæ de motione corporis: nec video rationem differentiæ quæ assignari possit. Vnde D. Thom. in loco proximè citato generaliter ait, substantiam angeli debere coniungi rebus quas mouet: non enim dixit *corporibus*, sed *rebus*, vt indicaret doctrinam esse generalem. Suppono autem sermonem esse, quando vnus angelus mouet alium verè ac physicè efficiendo in illo motum, nam si tantùm moueat moraliter per imperium, illam tantùm requirit præsentiam quæ ad imperium sufficit, de quo eadem est ratio quæ de locutione, nam imperium locutione fit. D.Thom. B

XLV. De locutione autem vnius angeli ad alium non possumus hîc ex professo dicere, nam est res Theologa, & ad explicandum difficilis: in genere tamen loquendo, altero è duobus modis in illa procedi potest. Vnus est, angelum loquentem nihil agere in eum cui loquitur: & sic facilis est in præsenti responsio, quia is angelus cui alius loquitur, non comparatur ad illum, vt subiectum vel passum ad agēs, sed tantùm vt obiectum ad actum immanentem, & ideò mirum non est, quod locutio possit esse immediatè ad angelum quantumcunq; distantem. Iuxta hunc autem dicendi modum ad argumentum factum respondendum est, locutionem vnius, & excitationem alterius non fieri per actionem transeūtem ab vno in alium, sed quasi per quādam sympathiā naturalem, quia dum vnus angelus vult vt alius percipiat suum actum, vel conceptum, statim alter vtitur specie, quam habebat illius actus vel conceptus, vt attendat loquenti. Nec video, quo alio modo possit illa sententia explicari: statim verò inde apparet quanta in ea sit difficultas, quod nimirum facultates radicatæ in diuersis essentiis vel substantiis habeant inter se naturalem sympathiam & connexionem, ac concomitantiam in agendo, non casualem, sed infallibilem, ac per se, sine actione vnius in aliā. Cui difficultati accedit alia, si angelus habet innatas species actuum alterius, cur non possit illos intueri statim ac sunt si velit, etiamsi alius ipsum non excitet & quasi applicet per ordinationem seu voluntatem suam. Rursus accedit difficultas de illuminatione qua vnus angelus non solùm loquitur, sed etiam docet alium: ad quam, etiamsi illa sympathia admittatur, non videtur sufficere. Tandem, quidquid sit de locutione in rigore sumpta, extendi potest difficultas ad omnem actionem speciei intelligibilis: est enim probabile vnum angelum quatenus est obiectum actu intelligibile, posse quantum est de se imprimere speciem sui vel suorum actuum in alium angelum, si tali specie careat. Et, quidquid sit de angelis inter se, respectu animæ quæ separatur à corpore, id est magis receptum: posita ergo tali actione manet integra difficultas, si illa non impeditur per distantiam. Quæliter angeli mutuo colloquantur.

Alter

XLVI. Alter ergo dicendi modus esse potest, admitten- A do aliquam actionem intellectualem vnius spiritus in alium per realem effectionem alicuius speciei intelligibilis, vel alicuius intensionis, aut modificationis eius. Qua suppositā potest adhuc dupliciter responderi ad difficultatem tactam. Primò excipiendo hanc actionem à generali regula tradita. Quem modum insinuat D. Thomas in citata quæst. de anima, & in quodlib. 6. art. 10. Et rationem vtroque loco significat, quia idem est in angelis ordo, quod in corporibus situs: & ideò actio purè intellectualis non pendet ex situ aut medio, sed ex ordine naturæ. Et in 1. par. quæst. 107. artic. 4. addit, operationem intellectus abstrahere à loco & tempore: & ideò locutionem quę per illam fit, non impediri ob distantiam. Et potest hoc confirmari, nam incredibile videtur non posse vnum angelum loqui ad alium, nisi sint indistantes suppositō & substantia, nam per medium non potest deferri illa actio. Hæc verò sententia re vera videtur parum consequens ad omnia dicta, quia valdè eneruat principium positum, totamque rationem eius. Item quamuis in angelis B non sit situs, est tamen præsentia substantialis: ergo differentia assignata nulla est ad excludendam necessitatem huius præsentiæ ad dictam actionem: aliàs neque esset necessaria indistantia inter angelos, vt vnus localiter moueret, vel detineret alium. Item iuxta illam rationem, Deus ex vi actionis qua creat vel illuminat angelum, non esset intimè præsens in illo per essentiam, sed solùm ratione immensitatis: quod est contra Diuum Thomam, & veriorem doctrinam, vt infrà videbimus. Sequela patet, quia etiam Deus agit in angelum, vt spiritus in spiritum: ergo est eadem ratio de illo. Erit ergo propter hæc probabilis vltimus dicendi modus, quod ad hanc etiam actionem, & ad locutionem angelicam, si illam actionem requirit, necessaria sit indistantia. Inter quas sententias aliis relinquo iudiciū, quæ simpliciter probabilior sit: solùm assero hanc tertiam esse magis consequentem ad rem quā nunc tractamus, nisi eligatur prima, cuius difficultatibus satisfacere difficillimum est. D.Thom.

De sphæra actiuitatis.

XLVII. Vltima difficultas proposita in sexto argumento facillimè soluitur ex secunda & tertia parte vltimæ assertionis, quas probabiliter suadet, & contra superiores assertiones nihil probat. Quamuis enim demus habere vnumquodque agens naturalem sphæram actiuitatis certæ magnitudinis, in quam possit per se & propria virtute, actionēque agere, non sequitur posse immediatè agere in partem remotam illius sphæræ, non agendo in propinquam, quia non potest agere nisi continuata actione, inchoando illam à passo sibi propinquo, & indistante, & continuè diffundendo illam per totam sphæram: hunc enim modum agendi determinat sibi quæcunq; causa efficiens. Neque est inconueniens quod causæ omnes, etiamsi sint virtute inæquales, æquè determinent sibi hanc passi propinquitatem, quia hoc non prouenit solum ex limitatione vel imperfectione virtutis, sed ex natura huius causalitatis: limitatio autem sphæræ prouenit ex limitatione virtutis, & ita iuxta inæqualitatem virtutis erit etiam inæqualis sphæra, si cætera paria sint. Rectè autem videtur probare argumentum illud, non limitari agentia naturalia ad agendum per se, & per suam propriam virtutem in solam superficiem vlti- A mam corporis sibi contigui, sed intra aliquod certum spatium, quod possunt sua virtute attingere, etiamsi per possibile vel impossibile vna pars medij non agat in aliam: quod in vltima conclusione asseruimus.

XLVIII. Non probat autem argumentum illud (quamuis ad hoc etiam tendere videatur) esse impossibilem illum modum agendi per partem propinquam in remotam per totum spatium, ita vt quantumuis per partes proportionales diuidamus partem remotam à propinqua, imò & superficiem proximam à reliqua magnitudine, semper possit effect⁹ actiuè procedere ad remotum per propinquum, quia in hoc modo agendi nulla inuoluitur repugnantia: quia qualitas recepta in medio, aut in qualibet parte medij, vel in superficie, potest esse actiua, & passum est etiam aptum ad recipiendam talem qualitatem, & pars remota est in debita proportione respectu propinquioris, vt ab illa pati possit; quia actio procedit vniformiter difformiter à principio sphæræ vsq; ad finem: ergo concurrere possunt omnia necessaria, vt actio semper fiat per propinquum in remotum. Neq; enim obstare potest infinitas partiū proportionalium, quia similis infinitas est in successione actionis. Non ergo asserimus hunc modum esse impossibilem, sed asserimus in primis non esse necessarium, vt omne agens requirat propinquitatē & indistantiam passi in quod primò agit. Neq; etiā sufficere ad definiendam sphæram actiuitatis agētis, per se, & ex vi quantitatis ac limitationis virtutis eius. Asserimus deinde, etiam quando actio illo modo procedit per partem propinquam in remotam, non ita fieri ab vna parte in aliam, quin agens simul & actualiter cum omnibus agat intra sphæram suæ actiuitatis: & ideò efficacior sit actio in partem remotam per propinquam, quàm si sola pars propinqua per virtutem in se receptā ageret in remotam. Et vtrumq; horum assertum est in vltima conclusione, & videtur sufficienter probari ex omnibus dictis & contentis in illa vltima difficultate.

SECTIO IX.

C Vtrum causa efficiens ad agendum requirat passum sibi dissimile, & in qua proportione.

I. Dubitandi difficiles rationes.

RAtio difficultatis primò sumi potest ex dictis sectione quarta, vbi ostensum est interdum agens agere in se ipsum etiam secundum eandem partem; non potest autē idem sibi esse dissimile secundū eandem partem: ergo non est necesse vt semper passum sit agēti dissimile. Dicetur fortasse, quā- Primā. do aliquid in se agit, semper operari per virtutem alterius rationis à forma quā in se agit, & ita in principio actionis esse sibi dissimile, quatenus nō habet formaliter illam formam, sed tantùm virtualiter.

II. Secundā.

Sed contra hoc argumentor secundò, nam interdum aliquid agit in se ipsum etiam per eādem qualitatem formaliter: calor enim vel frigus alicuius corporis, quando circumdatur ab agente contrario solet se ipsum intendere, & quasi fortificare ad resistendum, vel debellandum aliud, vt patet in calore ventriculi, qui hac ratione tempore hiemis fortior est, vt experientia ostendit, & testatur Hyppocrates aphorismo 15. Idem patet in aere existente in cauernis vel locis infimis, qui tempore hyemis calidior est. Nec potest hoc tribui extrinseco agenti, cùm Hyppocrat.

illud

Universidad de Deusto
Biblioteca

illud contrarium sit, & non possit qualitatem sibi oppositam intendere. Neq; etiam potest tribui dimanationi naturali ab intrinseca forma, tum quia hæc ex se semper est maxima quæ esse potest, cùm sit merè naturalis; neq; est cur augeatur propter circumstans contrarium, imò inde potiùs deberet impediri: tum etiam quia non solùm in naturali, sed etiam in præternaturali subiecto inuenitur ille modus actionis, nam etiam aqua in puteis calidior fit tempore hiemis.

III. Tertia. Tertiò est simile argumentum, quia interdum vna res agit in aliam sibi similem in qualitate & intensione, etiamsi actio per eandem qualitatem fiat. Assumptum patet cõmuni exemplo de ferro, quod licet in se non habeat summum calorem, sed vt sex v.g. intendit similem calorem in paleam vel stupam, ita vt illam comburat. Et ad eundem modum calor, & lumen medij intendi solet per reflexionem à calore vel lumine corporis extremè distantis, etiamsi illud in se calidius vel lucidius non sit intensiuè, vt cùm Sol directè calefacit aerem & terram, calor aeris intenditur ex reflexione terræ, & similiter intenditur lumen aeris ex reflexione speculi, &c. cùm tamen nec calor in terra, nec lumen in speculo potuerit esse intensius, quam in aere ex actione Solis, cùm magis distent à Sole quàm aer.

IIII. Quarta. Quartò si ob aliquam causam esset necessaria hęc dissimilitudo, maximè vt agens superet in virtute agendi passum: sed ob hanc causam non est necessaria, tum quia fieri potest vt aliunde proueniat illa superior virtus, nimirum ex maiori densitate, aut ex aliis conditionibus subiecti: tum maximè, quia non semper videtur necessarius ille excessus ex parte agentis, alioqui nunquam passum posset re agere in suum agens. Quia vel superatur ab illo in virtute, vel non: si non superatur, & nihilominus ab illo patitur, iam in agente non requiritur excessus virtutis si verò superatur & nihilominus in illud reagit: ergo ad reagendum non requiritur excessus virtutis: at verò reactio, vera ac propria actio est, & causalitas effectiua: ergo ad hanc non semper est necessarius excessus virtutis: ergo nec dissimilitudo in forma seu ratione agendi. Tandem fieri potest vt actio sit coæua agenti, vt illuminatio Soli: tunc autem nunquam intercedit dissimilitudo inter agens & patiens, quia semper fuerunt similia.

C

Notationes ad resolutionem quæstionis.

V. Dissimilitudo inter agens & passum pro initio actionis attendenda. Aduertendum est, cùm inquirimus, an efficiens requirat passum sibi dissimile, non esse sermonem de fine actionis, sed de initio, seu de dispositione & proportione, quæ antecedere debet inter agens & passum ad actionem, quia hîc inquirimus conditiones requisitas ad agendum, non eas quæ consequuntur actionem. Et præterea, quia in fine actionis non tam comparabitur passum ad agens, quàm effectus ad causam. Quo fit, vt dissimilitudo in termino actionis non possit esse de ratione causæ efficientis, cùm potiùs intentio agentis sit reddere passum sibi simile. Quod si id interdum perfectè non assequitur, prouenit ex imperfectione effectus, & hæc aliquando oritur ex debili virtute agentis, quod non potest vincere resistentiam passi; aliquãdo ex incapacitate passi, & nobiliori virtute agentis, quod vniuersale est, seu causa æquiuoca agens per formam superioris ordinis, quam effectus non potest secundum eandem rationem recipere: & ideò fit A similis secundum aliquam analogiam, vel rationem communem, non verò perfectam.

VI. Reliquæ actio potest esse eadem. Rursus obseruandum est, cùm inquirimus dissimilitudinem, quæ antecedere debet inter passum & agens, non esse sermonem de anteceßione in tempore aut duratione, sed ordine naturæ & causalitatis: illa enim prior, licet sæpè intercedat, per se necessaria non est, vt rectè conuincit vltimum argumentum in principio factum. Neq; enim dubitandum est, quin possit actio esse coæua agenti, quando illa succeßionem non requirit, & absq; resistentia fit. Vnde, si illa sit actio naturalis, & ex sua specie talis sit, vt possit reddere passum perfectè simile agenti, à principio perficiet illam similitudinem: nam agens naturale, statim ac est, agit quantum potest, & ideò si agit sine resistentia, a principio producit effectum perfectum: ergo secundum realem durationem in ea actione passum nunquam est dissimile agenti. Nihilominus tamen ordine naturæ intelligi potest dissimile, quia tale passum ex se, & secluſa actione agentis, non haberet similitudinem cum illo. Et ita actio illa non sit circa passum, vt iam simile, sed potiùs reddit illud simile: atque ita formaliter sit ex dissimili.

Resolutio quæstionis.

VII. Agit quodlibet in dissimile in forma, ad id in materia simile. Aristoteles. Sic igitur explicato quæstionis sensu, facilis est eius resolutio: dicendum est enim causam agentem efficere non posse in passum, nisi quatenus est sibi dissimile in forma, seu termino actionis. Hoc est veluti primum principium in Philosophia: tradit illud Arist. 1. de Generat. capit. 7. tex. 46. vbi ait maximam partem veterum summa animi consensione affirmasse, rem nullam similem à simili quicquam pati: *quod alterum nihil magis agens, aut patibile altero sit.* Et text. 48. idem confirmat, quia aliàs eadem ratione idem à se ipso afficeretur. Quod in sequentibus declarat, dicens hanc dissimilitudinem necessariam esse secundum formã seu speciem, nam in materia, seu genere subiecto, potiùs requiritur similitudo inter agens & patiens, quod paulò inferiùs declarabimus. Idem principium supponit Arist. eodem primo lib. de Gener. c. 9. dum ait *agens agere, quatenus est actu, pati verò passum vt est in potentia.* Quod etiam docet toto libr. 1. Physicor. & libr. 3. in principio, & lib. 7. à tex. 35. & lib. 8. à principio. Et expositores his locis generatim ita sentiunt, quamuis nonnulli in aliquibus particularibus actionibus nõ rectè id declarent, vt respondendo ad difficultates videbimus.

VIII. Conclusionis ratio. Ratio autem tacta, est, quia agens agit quatenus est in actu, & ad agendum requirit passum, quod sit in potentia; sed id quod est in potentia vt sic, est dissimile ei quod est in actu vt sic: ergo. Maior quoad priorem partem constat, quia agere, est communicare, seu dare esse, & ideò necesse est, vt tale esse supponatur actualiter in causa, vel formaliter, vel eminenter iuxta modum & dignitatem agentis; nemo enim dare potest, quod in se aliquo modo non habet. Et eadem ferè ratione probatur altera pars eiusdem propositionis, quia dum agens cõmunicat suũ esse passo, reducit illud de potẽtia in actũ: ergo passum vt tali actioni substernitur, supponitur in potentia. Et ideò in primo Physicorũ, priuatio ponitur inter principia ad generationem necessaria ex parte materiæ, quæ principia in omni mutatione, vel actione quę sit ex subiecto, proportionaliter necessaria sunt.

Absurda ex opposito cõclusionis. ria sunt. Ab incommodis etiam optimè confirmauit conclusionem Aristoteles, quia aliàs nulla esset ratio, cur ex duobus similibus vnum potiùs in aliud ageret, quam è conuerso. Item, quia idem posset se ipsum intendere. Item, nullus esset finis actionum, sed post perfectam pugnam inter contraria, & comparata victoria, & assimilato passo, tunc denuo inchoaretur actio. Ac deniq;, vt Aristoteles ait, *hoc modo nihil vindicari poterit, neq; ab occasu, neq; à motu.*

Corollaria ex præcedenti resolutione.

IX. Atque ex his rationibus sequitur primò, dissimilitudinem per se necessariam inter causam agentem & patientem, solùm esse eam, quæ est inter habitum & priuationem, seu inter rem constitutam in actu, vel existentem in potentia: nam si in passo supponatur capacitas ad recipiendam formam, & agens habeat virtutem ad producendam illam, nullam aliam dissimilitudinem ex parte passi requirit, nisi quod careat tali forma: quia neque ex ratione motus aut actionis, neque ex alio generali principio, alia potest in vniuersum requiri. Vnde, quòd in rebus generabilibus, & corruptibilib. inueniatur non solùm hæc dissimilitudo, sed etiam positiua oppositio & contrarietas, non est ex ratione causæ efficientis vt sic, sed ex eo, quòd tales res ita sunt institutæ, vt mutuam inter se pugnam & actionem habere possint, & ex se inuicem generari & corrumpi secundum speciem. Est autem animaduertendum, inter causas efficientes quasdam esse vniuocas, alias verò æquiuocas: quas voces iam suprà explicuimus: agimus autem de causis principalibus, nam ex illis facile est doctrinam ad instrumentales accommodare. In causis ergo vniuocis dicta conditio propriissimè & formaliter intercedit: nam, cùm agens introducat in passum formã eiusdem rationis cum illa, per quam agit, supponit in passo carentiam eius, & consequenter supponit formalem dissimilitudinem cum illo.

X. At verò causa æquiuoca non inducit in passum formam eiusdem rationis, atq; adeò formaliter similem suæ formæ per quam agit, & ideò propriè nõ supponit in passo formalem dissimilitudinem, id est carentiam illius formæ, secundum speciem, quam in se habet: sed supponit dissimilitudinem inter passum, vt actioni supponitur, & vt per actionem perficitur, & consequenter etiam supponit in passo carentiam illius similitudinis, quæ inter formam aliquam formaliter sumptam, & aliam quæ eminenter continet illam, intercedere potest. Et ratio est clara: Primò, causa æquiuoca non facit formalem similitudinem, sed eminentialem tantùm (vt ita dicam) ergo proportionalem tantùm dissimilitudinem præ requirit, nam sola priuatio formæ, quæ terminat actionẽ agentis, ad actionem necessariò supponitur. Et enim ad actionem non requiritur, quod passum careat forma, quæ est formaliter in agente, si illam non est formaliter, seu eiusdem rationis recepturum; sed solum oportet, vt careat illa forma, quæ in ipso est introducenda, & futura est terminus actionis, etiamsi in agente solùm sit virtualiter seu eminenter, quia priuatio ad actionem requisita, nõ opponitur formaliter illi formæ, quæ est principiũ actionis, sed illi, quæ futura est terminus ad quem actionis, cùm talis priuatio habeat rationem termini à quo. Sic igitur dissimilitudo necessaria inter huiusmodi agens & passum non oportet vt sit formalis, sed sufficit eminentialis, vt declaratum est. Et hac ratione vnum graue potest mouere aliud deorsum, etiamsi sint in grauitate similia, vel etiamsi simul deorsum moueantur, & in hoc etiam sint similia: quia formalis terminus illius motus non est grauitas, sed vbi inferius, quod quodammodo cõtinetur virtute in grauitate, & ideò illius priuatio, non verò priuatio grauitatis, necessaria est ad illum motum. Et idem est de omnibus similibus, præsertim in actibus immanentibus, in quibus semper actio potentiæ æquiuoca est: de qua communiter dici solet, non tam tendere ad producendum simile, quàm ad producendum proportionale, id est actũ secundum consentaneũ primo, & qui sit perfectio eius, in quo non formaliter, sed virtute & eminenter cõtinetur. Ideoq; in illa etiam actione inter principiũ actiuum & passiuum quatenus talia sunt, supponitur tantùm dicta eminentialis dissimilitudo, nimirũ q in altero contineatur eminenter actus, quem alterum nõ habet formaliter, donec illum recipiat à principio actiuo, quæ dissimilitudo semper reperitur, siue illa principia in re distinguantur, siue tantùm ratione, vt in solutione ad primum magis constabit.

XI. Secundò sequitur ex dictis ad efficientiam per se requiri, vt causa agens habeat vim in passum, & circa capacitatem eius: quia aliàs impossibile esset sequi actionem. Hoc sequitur ex dictis, nam ob hanc causam necessaria est prędicta dissimilitudo inter agens & passum, vt in agente, quatenus est in actu, possit esse vis ad subiiciendũ sibi passum, quod est tantùm in potentia. Et confirmatur, nam, sicut impossibile est formam informare materiam, nisi habeat vim informatiuam proportionatam materiæ, ita neque agens potest in suo genere actuare subiectum, nisi habeat vim in illud: quia in vniuersum actus secundus requirit actum primum proportionatum. Vt tamen hoc ampliùs declaretur, aduertendum est, ex quatuor capitib. oriri posse, vt inter aliqua duo non sequatur actio, loquor de naturalibus agẽtibus. Primò, si in illis nõ sit virtus actiua. Secundò, si in altero sit virtus, in altero verò non sit capacitas illius formæ, quam aliud agere potest, ob quam causam ignis non potest calefacere cœlum: & ideò Aristoteles non posuit negationem principium generationis seu mutationis, sed priuationem, quia debet esse in subiecto capaci. Ideò etiam dixit in 1. de Generat. requiri inter agens & passum dissimilitudinem in forma, & similitudinem in materia, ratione cuius passum sit capax formæ agentis. Quod tamen non est eodem modo in omnibus agentibus verum: nam cœlum agit in hæc inferiora, quamuis cum illis in materia non conueniat, & intelligentia mouet corpus, cum quo non conuenit in materia. In agentibus ergo, quæ agunt actione vniuoca & corruptiua, est simpliciter vera illa propositio, & de illis propriè locutus est Aristoteles, nam ibidem dixit, agens quod conuenit cum passo in materia, pati etiam ab illo: secus verò esse de agente superiori, quod in materia non communicat. In agentibus ergo actione æquiuoca solùm requiritur illa conuenientia secundum communem aliquam rationem: loquimur enim de agentibus creatis, in quibus nullum potest alterare vel generare aliud, nisi aliquo modo conueniant in materia, saltem in communi, quia oportet vt vtrumque sit materiale. In motu etiam locali id reperitur, quòd mouens & motum, semper conueniunt aliquo modo in capacitate recipiendi motũ sibi proportionatum: nihile-

Ex quibus capitibus inter duo non fit actio. Primum. Secundum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hil enim creatum mouere potest localiter, nisi ipsum etiam sit mobile, vt de corporibus constat, & de intelligentiis etiam infrà dicemus. Sed hoc quodammodo extrinsecum est ad rationem agentis: intrinsecum autem est, quod in passo sit capacitas illius formæ, cuius actiua vis est in agente. A

XII. Tertium. Tertiò impedietur actio, si illa capacitas iam sit in actum reducta, quia tunc etiam cessat vis agentis in passum, eò quod iam factum sit, quidquid ab illo fieri poterat; quod coincidit cum his quæ hactenus diximus, nempe nihil posse agere in sibi simile, quatenus tale est: quod tam est verum in agentibus vniuocis, quàm in æquiuocis, loquendo de proportionata similitudine, quæ inter ea & effectus eorum esse potest, vt ex superioribus constat. Ratio enim proportionalis ex hac eadem radice oritur, scilicet, quia iam tota vis talis causæ expleta est in tali passo, & ideò nihil ei supereſt agendum. Dices, etiamsi passum sit in actu per vnam formam vel qualitatem adhuc manere posse in agente vim ad introducendam aliam similem, alioqui tota hæc quæstio reducetur ad illam, an, scilicet, duo accidentia solo nu- B mero differentia possint esse in eodem subiecto. Respondeo, non posse, quia postquam subiecti capacitas vno actu completa est, iam non manet in potentia ad alium similem actum, & quoad hoc verum est esse valdè coniunctam hanc quæstionem cum illa de pluribus accidentibus solo numero differentibus in eodem subiecto. Nam si in eadem materia possent esse plures formæ substantiales, vel specie, vel numero differentes, posset naturale agens inducere alteram formam in materiam, quæ tantùm vnã haberet: ergo similiter, si subiectum posset habere duo accidentia omnino similia, quamuis haberet vnum, posset aliud recipere à simili agente, vel etiam à se ipso, & ideò diximus suprà disp. 5. sect. 9. nõ posse accidentia solo numero diuersa, & omnino similia simul recipi in eodem subiecto.

XIII. Quartum. Quartò tandem, supposita virtute ex parte agentis, & capacitate in passo, cum dissimilitudine & priuatione, adhuc potest impediri actio ob resistentiam passi. In quo est obseruandum, ad actionem vt sic per se non requiri resistentiam in passo, sicut etiam diximus non esse necessariam contrarietatem, C vel oppositionem positiuam, nam priuatio vt sic non resistit, sed potiùs parat viam ad actionem: quidquid ergo resistit, reducitur ad positiuam contrarietatem vel repugnantiam, & ideò per se non requiritur ad actionem, quin potiùs ex se impedit, vel retardat actionem. Vnde, quod actio sit successiua, & non instantanea, ex resistentia passi prouenit, nisi interueniat motus localis, cui est intrinseca talis successio, vt ex Philosophia constat, & inferiùs in tractatu de actione, & passione attingemus. Hinc ergo fit, vt, quando vltra dissimilitudinem passi interuenit etiam resistentia, si tanta sit, vt vel superet, vel æquet virtutem agentis, impediatur actio; & ideò est commune Philosophorum axioma, & quasi primum principium, ad efficiendum necessariam esse proportionem maioris inæqualitatis, id est, in qua maior sit virtus in agente, quàm resistentia in passo. Quod sumptum est ex Aristotele citatis locis, & patet facilè, quia agens vt agens vincit passum, saltem quantum ad id quod agit: ergo necesse est vt secundum eam rationem viribus illud superet, aliàs quo modo vincere posset? Atque hoc in solutione quarti argumenti ampliùs declarabitur.

Argumentorum solutiones.

SVpereſt igitur, vt argumentis satisfaciamus: & ad primum quidem rectè ibi responsum est, & ex omnibus quæ diximus, declarata est responsio, & potest ampliùs declarari. Nam idem potest simul & secundum eandem partem esse in actu primo, & in potentia ad actum secundum, quod alij dicunt in actu virtuali, & potentia formali, & ita secundum eas duas rationes, siue re, siue ratione tantùm, & habitudine distinguantur, habet ad se quandam dissimilitudinem, non propriam & formalem, sed eminentialem & virtualem, quæ satis est ad actionem, vt diximus.

De Antiperistasi.

XIIII. Quorundam opinio. IN secundo argumento petitur vulgaris difficultas de Antiperistasi, quæ purè Physica est, & in 1. de Generat. cap. 7. solet ex professo tractari, & ideò pauca attingam huic loco necessaria. Dicunt ergo quidam ad rationem illam, quamuis eadem qualitas non possit se ipsam intendere directa actione, tamen reflexa posse, quam aiunt eo casu interuenire in hunc modum: Quod res calida v. g. à suo contrario obsessa, quasdam species in illud immittit, quæ sunt veluti instrumenta ad agendum in illud: cùm autem ipsum contrarium illis speciebus resistat, illæ in suum agens reflectuntur, atque ita illud intendunt. Ita docent Marsilius 1. de Gnerat. q. 17. & 18. Albertus de Saxonia, quæst. 15. Venetus in summ. de Generat. cap. 23. & in summ. Meteoror. cap. 3. & alii. Sed hæc sententia dicit incredibilia, & non soluit difficultatem. Primo enim fingit species intentionales sine fundamento. Deinde facit illas instrumentum alterationis materialis, quod inauditum est. Rursus facit illas cuntes, & redeuntes, cùm tamen sint accidentia, nisi fortasse dicat esse aliqua corpuscula, quod incredibilius est; vel nisi dicat illum reditum esse Metaphoricum, per reactionem; quod verum esse non posse, iam patebit, probando alterum membrum, scilicet non solui difficultatem. Quod patet primò, quia illæ species, quidquid illæ sint, sunt instrumenta agentis, à quo manant: agunt ergo in virtute illius: ergo non possunt excedere in agendo virtutem eius: quomodo ergo possunt illud intendere, etiamsi ad illud reuertantur? Secundò, hæc actio sæpè fit absq; diffusione aliqua seu actione per medium, vt quando agentia contraria sunt proximè vicina, & alterius virtus roboratur in se: tunc enim nullæ sunt species, quæ redire ad ipsum possint, quia nec recipiuntur in contrario, vt supponitur, nam propter resistentiam eius dicuntur redire ad suum principium; neq; etiam in medio, quia nullum est. Deniq;, interdum hæc actio fit circa subiectum, cui talis qualitas repugnat vt in aqua puteali, non ergo potest esse per actionem reflexam eius.

XV. Aliorum sententia. Vide Tabb. 1. de Gener. quæst. 14. Iniungas. Alij ergo dicunt vnum contrarium à fortiori circumdatum ex naturali appetitu suæ conseruationis esse colligere & vnire, suamq; actionem in se conuertere, vt se tueatur. Additq; Niphus 1. de Gener. tex. suo 195. in recognit. dub. 2. vnum contrarium per se habere vim ad agendum per aliquam sphæram, & quia à contrario obsistente impeditur ne diffundat illam extra se, eam in se conuertere, & ita se intendere. Sed hæc etiam opinio & falsa est, & difficultatem non soluit. Probatur, quia iam admittit non solùm simile agere in simile, sed etiam idem in se

inse ipsum secundum eandem formalem qualitatem. Nec refert, si dicatur, hoc accidere ob circunstans contrarium, & quasi ex metu illius; nam vel ad illam actionem est in ipsa qualitate intrinseca virtus naturalis, vel non: si est, ergo à principio ac semper efficiet in se illam actionem & intensionem absque occasione contrarij, quia naturalis virtus naturaliter exequitur totam vim suam absq; alia occasione, dummodo non sit impedita. Si verò nõ est in re virtus sufficiens ad illam actionem, non efficiet illam, etiamsi contrarium non vrgeat. Simile argumẽtum fiet, inquirendo an illa maior intensio sit naturalis talirei & qualitati, vel non. Nam si est naturalis, habebit illam semper ab intrinseca natura dimanantem, neque expectabit necessitatem tuendi se à contrario vt illam faciat. Si verò est præternaturalis, non potest ab intrinseco ex ipsamet qualitate prouenire. A

XVI. Rursusq; inquiram, an illa maior intensio occasione instantis contrarij ab intrinseco acquisita, ablato contrario antequàm dimanuat, perseueret in re, an non. Nam si perseuerat signum est esse naturalem, & à principio ac per se semper fuisse futuram B absque occasione contrarij agentis, si nullum fuisset impedimentum. Si verò non perseuerat, ergo nunquam potuit ab intrinseco fieri, nam perfectio, quæ ab intrinseco manat, non tollitur absque extrinseco agente. Deniq; vix intelligi potest, quid significent illa verba, quòd agens se se colligit, & magis vnit, aut quod ad se actionem conuertit. Aut enim significant, quòd sese condensat, & omnes partes suas in minorem locum redigit: & hoc facilè improbatur argumentis factis, applicando illa proportionaliter, quia vel ille motus aut condensatio est naturalis, vel non: si est naturalis, semper inerit, per se loquendo: si non est naturalis, non fiet ab intrinseco propter instans contrarium. Id quod etiam confirmat experientia, non enim experimur in omnibus rebus quæ à suis contrariis patiuntur, huiusmodi motus: oporteret aũt in omnibus fieri, si id naturaliter proueniret ex vi appetitus se tuendi à contrario. Quod autem addebatur, nempe conuertere agens actionem in se, quia impeditur, ne illam diffundat, nullã habet verisimilitudinem; quia ex eo, quòd cesset agens ab actione in aliud non fit capax actionis in se, nec maioris intensionis. Aliàs, res existens in vacuo, hoc ipso se intenderet, quòd non potest agere in aliud. Item, C quia effectio maioris intensionis excedit popriam virtutem: ergo licet agens impediatur, ne in actionem sibi proportionatam prodeat, non ideò potest efficere in se actionem quæ propriam superet virtutem.

XVII. Alij ergo non inuenientes viam ad declarandam hanc actionem, negant esse in reb. talem actionem, & ad experientias respondent esse apparentes, non veras: & huiusmodi apparentiæ variæ excogitantur causæ, quæ fictæ sunt, & sensui repugnant: quãquam Galenus lib. 3. de simplicium medicam. facult. 3. in hanc sententiam propensus sit.

XVII. Duplex modus declarandi actionem per antiperistasim. Dicendum est ergo, duob. tantùm modis intendi qualitatem aliquam occasione circundantis contrarij, scilicet vel ab extrinseco agente, quòd ea occasione ibi includitur ac detinetur, vel è conuerso, quia per eam occasionem recedit extrinsecum corrumpens, & statim res ab intrinseco se reducit ad naturalem statum, qui illam maiorem intensionem postulat: & ita fit, vt nunquam qualitas intendat se ipsam. Priorem modum tetigimus sectione præcedẽte, vbi

Balneæ æstiuales ven. ex Aristotele diximus balneas in hieme esse calidiores, quia à medio frigidiori calor in eis includitur, atque impeditur ne foras erumpat: quod de calidis exhalationibus declarauimus. Sic etiam venter animalis calidior est in hieme, quia animales spiritus intus retinentur, eò quòd frigiditas acris cutem & poros stringit, vt Galenus notauit declarans citatum aphorismum Hippocratis, & eleganter Aristot. sect. 2. Problem. q. 29. vbi alia exempla adducit. Et ex eadem causa (vt opinor) prouenit, quòd in hieme aqua putei sit calidior, quia, nimirum, aliquæ exhalationes calidæ in cauernis terræ generatæ impediuntur, ne ascendant, existente medio densiori & crassiori propter maiorem frigiditatem. triculus cur hieme calidiores. Galenus. Aristoteles Idẽ de aqua puteali.

In qua tamen experientia duo sunt difficilia. V- XIX. nũ, vnde sint ibi tales exhalationes. Aliud, quomodo possint, cùm sint tenuissimæ, agere in aquam, quę frigidissima est. Ad primum verò dicendum est, virtute Solis, & aliarum influentiarum cœlestium generari huiusmodi exhalationes ex terra, quæ ob dẽsitatem suam & siccitatem, quam, per se loquendo, maiorem habet in inferioribus partibus, apta materia est vt ab ea huiusmodi exhalationes excitẽtur. Et fortasse plurimæ ex his æstiuo tempore ibi generatæ, postèa diutius ibi detinentur ob causam suprà dictam. Illæ autem, cùm sint subtiliores aqua, illi facilè miscentur, dum ascendere conantur, & ita facilè poterunt eius frigiditatem temperare, saltem continuè in illam reagendo. Fortasse etiam aer inclusus in cauernis vel poris terræ, cùm natura sua calidus sit ob eandem causam calidior est, & ad illam actionem iuuat. Alter modus huius actionis declaratur aliis exemplis: primum est de aqua puteali, quæ tempore æstatis est frigidior, nam exhalationes calidæ, à quibus calefieri posset, ibi non consistũt, sed celerius ascendunt: tum quia medium eò quòd sit calidius & rarius, non impedit, tum etiam quia eo tempore illę exhalationes subtiliores sunt propter vehementiorem Solis influentiam. Atq; ita remoto agente contrario, aqua ab intrinseco frigidior fit, non quã natura eius postulet, sed quàm anteà esset dum à contrariis suis plus pateretur. Hoc etiam modo euenit, vt aqua frigida Soli in æstate aliquantulum obiecta, frigidior fiat, nam calor extrinsecus efficit in medio, vel in externa superficie aquæ, aut in vase quod illã continet, aliquam raritatem, & tunc si quid vaporis calidi aquam circundabat, vel ei permistum erat, euaporatur facilius, & inde fit vt aqua ad naturalem statum magis se reducat; & fortasse etiam condensatur amplius non solùm ob dictam causam sed etiam occasione vitandi vacuum: atq; ex hoc etiam capite frigus crescit. Legatur Aristoteles sect. 24. Problem. q. 13. & 1. Meteor. c. 12. Altero ergo ex his duobus modis possunt omnes experientiæ similes declarari, vt nunquam necesse sit admittere idem intendere se ipsum secundum eandem qualitatem: nam quando illa intensio est ab intrinseco per naturalem dimanationem, tribuitur generanti.

An multitudo agentium, seu densitas materiæ vnius conferat ad intensionem actionis.

IN tertio argumento duæ petuntur difficultates: XX. vna est an qualitas existens in densiori subiecto Quorundam sententia affirmans. possit in alio rariori intendere sibi similem vltra suum gradum; seu, quod idem est, an plura agẽtia partialia vel plures partes eiusdẽ agentis propter maiorẽ applicationem ad idẽ passum sibi simile in quali-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tate, & æquale in gradu, possint intendere qualitatem eius. Multi enim ita affirmant, vt Marsilius 1. de Gener. quæst. 19. & Soto 2. Physic. quæst. 2. & Niphus 1. de Generatione suo text. 195. dub. 2. quæst. 2. Ratio eorum est, quia virtus agentis non solùm crescit ex intensione formæ, sed etiam ex multitudine, dicente Aristotele 8. Physic. textu 80. in maiori magnitudine maiorem virtutem existere: ergo si tota illa virtus magis applicetur eidem passo, vt fit, quando agens est densius, maiorem etiam effectum faciet. Et confirmatur communi exemplo suprà posito de ferro candenti, & de duobus luminosis æqualibus, & æquè applicatis eidem partiaeris. Item de actibus æqualibus multiplicatis, qui intendunt habitum: & de guttis æqualibus æquè cadentibus, quæ tandem cauant lapidem. Et confirmatur secundò, nam aer in hieme congelat aquam, quia, nimirum, intendit frigiditatem eius vltra eum gradum frigiditatis, quem in se habet, nam si ipse esset tam frigidus, etiam condensaretur, & fieret aqua.

Marsilius. Soto.

XXI. Neque existimant hi authores hanc suam sententiam esse contrariam doctrinæ traditæ de dissimilitudine requisita inter causam efficiẽtem & passum: sed aiunt, sicut simile agit in simile secundum formam, si sit dissimile in gradu, ita etiam posse id quod est simile in forma & gradu, agere in aliud simile, si sit dissimile in virtute & potentia: ita verò in præsenti accidere: nam calidum vt quatuor valde densum, licet non excedat in gradu aerem, neq; manum æquè calidam, excedit in virtute & potestate. Quia hæc non commensuratur soli intensioni, vt dictum est. Et declaratur præterea, quia illud calidum densum habet vim producendi in alio totam formam, quàm in se habet; quia ergo in passo rariori non potest illam multiplicare ob incapacitatem eius, auget illam intensiuè.

XXII. Reiicitur sententia relata.

Hanc sententiam existimo falsam, & contrariam principio posito: quod hoc sensu accipiendum est, scilicet, nullam rem posse quippiam agere in aliam sibi similem secundum eam formam, in qua similes sunt, neque ei posse addere perfectionem seu intensionem, si supponantur esse perfectè similes, id est non tantùm in specie, sed etiam in gradu intensionis, quod Aristot. citato loco de Generatione dicit, *si sint omnino similes.* Quocirca ad argumentum factum dicendum est, multitudinem formæ cum æquali intensione, siue in vno agente valde denso, siue in multis quantumcunq; applicatis, non sufficere vt intendat in alio similem formam vltra illum gradum, quem talis forma habet in agẽte. Hæc est communior sententia, quam tenet Paulus Venetus in summ. de Generat. cap. 23. Albertus de Saxonia 1. de generatione, quæstione 15. & Astudillo quæstione 21. & optimè Victoria in relectione de augmento charitatis.

Resolutio quæstionis.

Venetus. Saxon Astudillo. Victoria.

XXIII. Ratio à priori est iam tacta, quia agens actione sua intendit assimilare sibi passum, quo fine consecuto, cessat eius actio, sed si passum factum est simile in forma & gradu, iam est perfectè simile: igitur non vltrà progreditur actio. Nec dici potest nondum esse perfectam similitudinem factam, quia passum non est assecutum tantam formæ multitudinem, quanta est in agente: tum quia multitudo vel paucitas formæ non pertinet ad rationem ipsius formæ seu qualitatis, sed prouenit ex subiecto seu quantitate: & ideò illa non est dissimilitudo in forma, sed inæqualitas in quantitate: vnum enim album non dicetur dissimile duobus albis, quia non est plura, sicut illa, sed dicetur inæquale: per actionem autem non intenditur talis æqualitas, sed similitudo in forma. Tum etiam, quia talis similitudo, vel potiùs æqualitas est impossibilis, supposita capacitate subiecti rari aut densi, seu, quod idem est, supposito quòd passum sit vnum, & agentia plura. Neque etiam est verum eam inæqualitatem compensari posse maiori intensione, tum quia sunt quantitates seu perfectiones diuersarum rationum; tum etiam quia potiùs per illam maiorem intensionem fieret noua dissimilitudo in gradu, manente eadem inæqualitate in multitudine formæ.

XXIIII. Secunda ratio est, quia in forma remissa, quantumuis multiplicata in multis ac differentibus subiectis, aut in multis partibus eiusdem subiecti, non est virtus sufficiens ad efficiendam maiorem intensionem in simili forma: ergo. Patet antecedens, quia inprimis non est ibi formaliter talis virtus, cùm non sit formaliter talis intensio in ea forma. Suppono enim intensionem non esse aggregationem plurium similium graduum in eadem parte subiecti, sed proprium & per se augmentum eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti: quod augmentum v. g. vt octo non esset, etiamsi duo calores vt quatuor in eadem parte subiecti ponerentur, de quo inferiùs suo loco dicam, hæc ergo perfectio multò minùs esse potest formaliter in multitudine formæ remissæ existente in multis subiectis, vel partibus subiecti. Neque etiam est ibi eminenter, cùm illa forma secundum speciem sit eiusdem rationis, secundum gradum autem sit inferioris rationis in singulis partibus subiecti, & consequenter in omnibus etiam simul sumptis. Nam in multis rebus eiusdem rationis non est eminentior virtus, quàm in singulis, cùm eminentia virtutis postulet formam seu naturam superioris rationis. Neque etiam potest dici esse virtualiter illa intensio in illa forma ob multitudinem eius, quia continentia virtualis vt ab eminentiali distinguitur, solùm tribuitur virtuti instrumentariæ: non potest autem hoc modo attribui illa intensio multitudini formæ inferioris intensionis, & eiusdem rationis, tum quia talis forma, dum agit sibi similem, non tam se gerit vt instrumentum, quàm vt proprium principium agendi, vt suprà dictum est, tum etiam quia non potest signari principale agens in cuius virtute dicatur efficere illum effectum: imò illa multitudo formæ per se non est instituta vt sit instrumentum alicuius actionis, sed est quasi aggregatio quædam instrumentorum eiusdem rationis.

XXV. Absurda ex opposita sententia.

Tertiò argumentor ab incommodis, quia ex opposita sententia sequitur primò, tres res calidas, vt quatuor posse se efficere ad inuicem summè calidas, si duæ simul iunctæ intendant calorem tertiæ vsque ad quintum gradum, & illa rursus alias reddat sibi similes, & ita procedant vsque ad summum. Secundò similiter sequitur, aquam calidam vt quatuor secundum omnem partem posse se reddere calidiorem in quocunq; gradu, nam duæ partes extremę v. g. efficient in intermedia, & intendent eius calorem, & illa rursus efficiet in partes extremas, & sic procedet actio vsq; ad summum. Hæc tamen, & similia, sunt planè falsa, & contra experientiam. Tertiò sequitur per actus remissos intendi habitum, ita vt ad intensiorem actum inclinet, quod etiam est falsum, vt suppono.

Vt

Vt respondeamus fundamento contrariæ sententiæ, aduertendum est primò, aliud esse virtutem agendi crescere ex multitudine formæ, aliud crescere quoad vim producendi effectum perfectiorem intensiuè: illud enim generalius est, & ex illo non rectè colligunt hoc posterius authores illius sententiæ. Augetur ergo illo modo virtus agendi non intensiuè, sed extensiuè, & ideò non augetur vt possit intensiorem effectum producere, quàm sit ipsa forma, quæ est ratio agendi: sed vt suum adæquatum effectum faciliùs, velociùs, fortiùs, & ad maiorem distantiam, cæteris paribus, possit efficere. Vnde dici potest augeri quoad modum faciendi, non quoad rem, quam potest facere. Et similiter, quando multitudini formæ adiungitur densitas partium subiecti, multùm iuuat ad hunc modum actionis, quia tota illa multitudo formæ melius applicatur passo, & ideò conducit ad promptiorem actionem, non tamen potest se sola conducere ad meliorem effectum, quàm in virtute formæ contineatur, quia illa applicatio solùm est conditio, quæ per se non conducit ad agendum, nisi supposita virtute.

XXVI. Secundò est obseruandum, sermonem esse de multitudine formæ, quæ omnino æqualis est in essentia & gradu formæ passi: nam si contingat qualitatem agentis esse quoad essentiam & speciem alterius rationis ab ea quæ sit in passo, & eminenter continere illam, quamuis in suo ordine esset remissa, posset esse principium efficiendi inferiorem qualitatem in suis gradibus intensam, vt in superioribus tactum est: nam illa superior qualitas in quocunque gradu ratione suæ essentiæ posset eminenter continere totam latitudinem inferioris qualitatis. Neque tunc simile ageret in simile, etiamsi qualitas v. g. vt vnum, qualitatem vt vnum intenderet, quia essent diuersarum rationum, & illa potiùs esset quædam proportio, quàm propria similitudo. Deinde contingere etiam potest, vt multitudo formæ conducat ad intensiorem effectum, quando effectus non adæquat intensionem formæ agentis, vt v. g. quando vna lucerna illuminat aerem, non producit in illo tam intensum lumen, quã in se habet, & ideò rectè fieri potest, vt duæ lucernæ simul sumptæ & inter se æquales intensionis, lumen intensius in aere producant, quàm quælibet per se posset: tunc enim cessant rationes factæ, quia passum nunquam est factum perfectè simile agenti: cùm ergo in agente non solùm sit maior multitudo formæ, sed etiam intensior forma, potest in eo esse virtus ad intendendum effectum. Vnde in quolibet illorum agentium per se erat forma productiua totius illius intensionis: quòd autem vnum agens per se solum totam illam non produceret, prouenire poterat, vel ex indispositione passi, vel ex distantia, vel ex alia simili causa. Et tunc multitudo formæ intensæ optimè conferre potest ad intensiorem effectum producendum, qui tamen non excedat intensionem causæ.

XXVII. Duo similia, sed 2 inæqualia agẽtia an mutuo iuuent in actione.

Maior difficultas est, si concurrerent simul duo agentia inæqualiter intensa, an possent se iuuare ad producendum intensiorem effectum, qui licet non excedat absolutè totam intensionem causæ, excedat tamen intensionem alterius partialis agentis habẽtis formam minùs intensam, ita vt licet qualitas remissa, quantacunque in multitudine sit, per se non possit qualitatem sibi similem in gradu intendere, tamen cum consortio intensioris qualitatis possit ad eam intensionem iuuare, & cooperari. Tunc enim videntur etiam cessare rationes factæ, nam in tali agente totali, est absolutè intensior forma, & virtus sufficiens ad illum effectum: & inferiores gradus qualitatis coniuncti superioribus possunt concurrere ad quoscunque gradus alterius qualitatis similis, vt v. g. quando calidum vt octo intendit calorem vt quatuor, non tantùm concurrit ad quintum gradum v. g. per quintum sui caloris, vel per superiores, sed per totum suum calorem: sicut è contrario, quando facit primum gradum, non id efficit per primum, sed per totum suum calorem. Cuius signum est, quia ad efficiendum primum vel quintum gradum maiorem vim habet calidum vt octo, quàm calidum vt quinque, vel vt vnum, cæteris paribus, nam & maiorem resistentiam vincet, & velociùs aget: ergo signum est non agere solùm per gradum similem, & cæteros se habere concomitanter, & quasi per accidens ad illam actionem, sed reuera ad illam concurrere. Et ratio est, quia, vt omnes iuuent & concurrant, satis est quòd in omnibus & singulis sit essentia caloris, quamuis non sit in singulis gradibus illa peculiaris similitudo, quæ est inter gradus eiusdem omnino rationis, satis enim est, quòd illa similitudo sit in tota forma, quæ est principium agendi. Sic igitur etiam plures formæ remissæ, coniunctæ intensiori, poterunt concurrere cum illa ad intensiorem effectum producendum. Est ergo hoc probabile, nec rationes factę ita contra illud militãt, vt facilè ex dictis pateat, & potest conferre ad saluandas aliquas experientias, vt in superiorib. tactum est, & statim etiam videbimus.

Non tamen omni difficultate caret, nam si forma remissa, cõiuncta intensiori agit ad intensionem sibi similis, cur non potiùs aget ad intensionem sui ipsius? Item, quia alias calidum vt octo æquè vicinum duobus calidis vt quatuor, cum vno, & per illud ageret ad intensionem alterius, & è conuerso. Posset tamen responderi, ex peculiari dispositione passi, aut partialis agentis prouenire, vt vnum partiale agens remissum magis cooperetur intensiori agenti ad intendendam similem formam in alio subiecto, quàm in se, vel quàm aliud simile, vt ex dicendis faciliùs constabit. Est ergo hoc probabile, de quo plura inferiùs.

XXVIII.

Ex his ergo satis est expeditum fundamentum contrariæ sententiæ. Ad primam verò experientiam à nobis allatam de ferro candenti communis omnium philosophorum consensus & responsio est in eo esse aliquem ignem inclusum in poris, quamuis nos lateat: à quo igne in candentis ferri poris incluso prouenit illa maior intensio, quàm sensibus facilè experimur, quamuis vehementia & celeritas actionis prouenìat ex consortio ferri, & densitate illius. Signum autem, quòd ibi sit aliquis ignis inclusus & contentus (vt modo diximus) in poris ferri, sumi potest ex fulgore, qui ab igne semper prouenit, vt dixit Plato in Timæo. Item, hoc ipsum ostendi potest ratione neutiquam contemnenda, quia ferrum non est sine poris, in quibus solet esse aer: ergo cùm calefactio vehemens interceserit, versus erit in ignem, vi & efficacia calefactionis tam intensæ ac vehementis. Ac denique nunquam fit tam vehemens calefactio in aliqua materia, aut subiecto talis calefactionis capaci, quin aliquæ exhalationes ab ea secernantur, & inflammentur, seu in ignem vertãtur. Alij respondent longè alia ratione, esse nimirum in ferro summum calorem qui esse potest, & hoc sine forma ignis propter alias dispositiones repugnantes

XXIX. Ferrum candens qualiter ignem generet.

igni,

Universidad de Deusto
Biblioteca

igni & conseruantes ibi formam ferri. Sed difficile creditu est illas dispositiones, quę in ferro, tanquam in subiecto sibi proportionato, & connaturali connaturaliter existunt, non impedire etiam tantam intensionem caloris, cùm illi etiam repugnent ex natura rei. Aliam responsionem suprà ego insinuaui, quòd in materia sicca & disposita potest generari ignis absq; præuia calefactione summa; quod potest facilè defendi, & eo posito non sequitur esse in ferro summũ calorem. Prima verò responsio sufficiens est.

XXX. Actus remissi an augeant habitum.

Ad experientiam de actibus remissis adductam respondetur potiùs probare oppositum, quia iuxta communem sententiam non intendunt aut augent habitum: quamuis hoc lõgiorem expositionem requirat, quam suo loco magis ex professo trademus. Ad aliam de guttis cadentibus respondetur singulas aliquid agere, quia paulatim disponunt subiectum, quod reddunt aliquantulum mollius, aliàs si subiectum maneret æquè indispositum, nihil plus agere posset secunda, quàm prima, nec centesima, quàm tertia: quælibet tamen agit in passum dissimile, nam ex se v.g. erat siccum, & in principio humectari incipit iuxta proportionem & virtutem guttæ cadentis: quia verò posteriores inueniunt passum magis dispositum, plus agunt, nulla tamen agit vltra propriam intentionem & virtutem. Ad tertiam de gelu, negatur in primis aerem plus frigefacere aquam, quam ipse sit frigidus, sed, ad summũ, potest impedire omnino, ne ab extrinseco agẽte calefiat: & tunc ipsa aqua se reducit ad summam frigiditatem, quam natura sua potest habere. Quòd si illa frigiditas sufficit ad congelationem, iam non prouenit ab aere: si verò non sufficit (vt reuera videtur non sufficere, aliàs aqua in suo naturali statu existens semper esset congelata) etiam tunc quærenda erit alia causa illius congelationis præter aerem, qui aer, solùm dicebatur infrigidare. Existimo autem congelationem prouenire ex diminutione humiditatis aquæ, atque adeò ex aliqua influentia cœlesti exiccante, nam illa siccitas sic affecta & attemperata cum tali densitate & frigiditate materiæ, congelationem perficit, nulla ergo qualitas ibi interuenit, quæ à remissiori qualitate eiusdem rationis intendatur.

De actione reflexa.

XXXI. Altera dubitatio in eodem argumento petita est de actione reflexa, in qua fatentur aliqui formam remissam posse intendere se ipsam, nedum sibi similem. Quam sententiam ita absolutè & vniuersaliter sumptam suprà reiecimus, & iterum statim aliquid contra illam addemus. Alij dicunt per reflexionem multiplicari radios Solares. v.g. circa eandem partem medij, nam quia ex se possent (inquiunt) vlteriùs pertransire, maiorem sphæram obtinentes ideò cùm corpori occurrunt, quod eorum diffusionem impedit, ad idem passum à quo reuerberantur, redeunt, & ita fit reflexio. Sed nisi hæc dicantur per Metaphoram, planè sunt falsa, & rationi apertè contraria, nam finguntur esse radij corpuscula quædam, quæ à Sole oriantur; quod de omni agente fuit placitum Democriti; ab Aristotele, & omnibus Philosophis reiectum, vt generatim notauit D. Thom. 1. p. quæst. 115. art. 1. & specialiter de lumine quæst. 67. art. 2.

D. Thom.

XXXII. Explicandæ quæstionis

Duobus ergo modis intelligi potest, actionem in medium esse intensiorem propter reflexionem. Primò, quia dum agens principale in minori sphæra operatur, intensiùs agit in partibus eius, quàm si actio eius ad maiorem sphęram diffunderetur, quod principium per se quidem apparet probabile, nam virtus finita ad plura applicata, minor est in singulis: ergo è conuerso collecta ad pauciora, fortiùs aget in singulis: ergo etiam aget intensiùs, intra latitudinem tamen suæ virtutis & intensionis. Sic igitur ignis calefaciens hanc aulam, cùm posset multò maiorẽ sphæram simul calefacere, quia tamen actio eius intra cãcellos aulæ detinetur, intensiorem calorem facit in hoc aere, quàm alias faceret, & idem proportionaliter est de Sole illuminante. Quamuis autem tunc dicitur intensio esse maior propter reflexionem, tamen reuera illa reflexio sic exposita, ex parte corporis in quo fit, solùm est impedimentum, ne actio vlteriùs progrediatur. Ex parte autem principalis agentis est efficacior actio, maiorque suæ virtutis applicatio.

primus modus impugnatur.

XXXIII. Sed hic modus explicandi reflexionem, & actionem per illam, quamuis in eo quod affirmat, probabilis sit, non tamen solus sufficit, vt videtur, ad saluandum omne id, quod experientia ostendit in huiusmodi reflexione. Primò quidem, quia si corpus, in quo fit reflexio, solùm deseruiret vt diffusionis impedimentum, ratione cuius virtus primi agentis quasi vnita ad minorẽ sphæram, fortiùs in illam agit, quodlibet corpus obiectum in eodem puncto, & æquè impediens extensionem sphæræ, æqualem faceret reflexionem: nam æqualem omnino occasionem præberet primo agenti, vt fortiùs intenderet actionem suam, & vires suas (vt ita dicam) duplicaret: cõsequens autem est apertè contra experientiam, nam res nigra v.g. cæteris paribus, non facit æqualem reflexionem lucis, ac res alba; nec res alba facit æqualem, ac speculum. Secundò, quia si reflexio illo tantummodo fieret, æqua proportione id deberet fieri per totam sphæram, nam illa fortior actio, vel applicatio virtutis, æqua proportione ad totam illam fit. Consequens autem est contra manifestam experientiam, nam fortior reflexio fit in partibus propinquioribus corpori, à quo fit reflexio vt per se satis constat.

Corpus quod reflectit, non agit in illud contra quod reflectit.

XXXIV. Quocirca dicẽdum necessariò videtur, in hac dicta reflexione interuenire propriam efficientiam illius corporis, in quo reflexio: illud enim recipit à primo agente formam seu qualitatem actiuam, & illa affectum iterum agit in passum sibi proximum, quod est ipsum medium, per quòd prima actio agẽtis vsq; ad illud corpus deuenit. Et ideò illa prima actio agentis vocatur directa, altera verò vocatur reflexa. Hic autem modus non aliter probatur, quam ex sufficienti enumeratione, & quia per se est probabilis, & nullã inuoluit repugnantiam, quia sæpè accidit vt vna res per formam extrinsecus receptã iterum agat, sicut aqua calida per calorem. Non tamen caret suis difficultatib. nã in primis interrogari potest, cùm medium eandem qualitatem recipiat à primo agẽte, cur non ipsum potius agat in aliud à quo dicitur fieri reflexio, quàm ab illo patiatur. Respondetur id prouenire ex peculiari dispositione, vel cõditione talis corporis, & qualitatis, nam lumen v.g. non videtur per se actiuum, nisi in corpore denso ac terso recipiatur, vel saltẽ non est æquè actiuũ, vt experiẽtia docet, ideò enim luna illuminata à Sole plus illuminat, quàm alię partes cœli, quia ita est lucida vt sit etiam dẽsa. Quoniam ergo reflexio luminis semper fit in corpore denso ad medium rarum, ideò potiùs est illa actio à tali corpore, quàm ab alio. Simile quid

quid reperitur in reflexione caloris: communiter enim fit à corpore densiori, quòd fortiùs agit, vt suprà dictum est, propter multitudinem materiæ.

XXXV. Probatio facta.

Sed tunc oritur secunda difficultas, quia hinc sequitur, vel primùm agẽs intensiùs calefacere aut illuminare rem distantem, quam propinquã, propter dispositionem eius, aut rem illã distantem in qua fit reflexio intẽdere similem qualitatẽ in medio solùm ob maiorem multitudinem materiæ: cùm tamen in illo sit vel minùs intensa, vel ad summum æqualiter: vtrumq; autem repugnat dictis in superiorib. Hoc est argumẽtum, quo mouentur maximè illi, qui dicunt in actione reflexa simile in gradu intendi à simili, vel idem à se ipso. Sed hoc partim impugnatum est suprà, & præterea potest facilè refutari, quia actio reflexa, vera actio est, & non potest fieri sine sufficiẽte virtute, nihilq; habet speciale nisi denominationem, quia flectitur versus agens à quo directè recipitur forma, à qua est actio reflexa. Et ideò posset quis respondere hanc reflexionem nunquam fieri nisi vel per qualitatem diuersæ rationis, vel adiuuãte aliqua simili qualitate, vt v.g. cùm speculum per lumen calefacit actione reflexa, tunc dicitur reflexio fieri per qualitatem diuersæ rationis, & cessat facilè difficultas tacta, vt suprà dictum est, quia licet lumẽ non sit intẽsius in speculo, quam in aere, potest intẽsiùs calefacere, quia est qualitas superioris rationis, & aliũde iuuatur ex densitate subiecti & multitudine formæ magis applicatæ. At verò cum fit reflexio inter ipsamet lumina, non habet locum dicta responsio, & ideò tunc nõ deerit qui neget, esse in re talem actionem reflexam, qua lumen medij maius reddatur, sed ita apparere quia corpus illud tersum, aut albũ, vehementiùs mouet visum. Sed hoc non apparet credibile, quia experimur ipsum aerem clarius lucere, cùm fit reflexio, & obiecta in eo posita meliùs videri. Dici etiam posset non intendi lumen in medio, sed nouum fieri à corpore per reflexionem: neq; esse inconueniens duo lumina esse simul in eadem parte aeris. Sicut quando fit reflexio in speculo, probabile est nouam speciem visibilem eiusdem obiecti causari in medio per reflexionem. Sed hæc multiplicatio luminum, licet perspectiuis placeat, à Philosophis non est recepta, neq; est cõsentanea iis quæ suprà dicta sunt de indiuiduatione accidentium. Et ideò dici aliter potest lumen receptum in corpore dẽso esse diuersæ rationis ab illo quod recipitur in aere: quod difficile creditu est. Aut etiam dici posset iuuari ab aliqua qualitate subiecti: sed hæc omnia & alia quæ facilè excogitari possunt, sine fundamento affirmarentur, ad fugiendam potiùs difficultatem quàm expediendam illam.

XXXVI. Quocirca necessariò videtur admittendũ aliquod ex dictis consequentib. dummodò non intelligatur qualitas remissa, aut se sola intendere sibi similẽ, sed in virtute & cum consortio principalis agentis: hoc enim esse probabile in superiorib. declaratum est. Si ergo dicamus Solem, v.g. ob maiorem subiecti capacitatem, intensiùs illuminare speculum distans quã aerem medium coadiuuante ipso medio vt instrumento, vel partiali agente: tunc facilè est intelligere speculum sic illuminatum iterum agere in aerẽ sibi vicinum, & intendere lumen: neque enim est inconueniens vt in eadem qualitate quidam gradus fiant ab vno agente, & alij ab alio, quando agunt diuersis actionib. & non æquè primò, sed cum aliquo ordine vt hìc contingit. Si verò dicamus in actione directa non illuminari intensius speculum remotum, quàm aerem medium, sic dicendum est, eò quòd speculum est aptius ad agendum per lumen receptũ quam aer, statim ac illuminatur, coniungi virtualiter primo agenti, & iuuare illud, ac iuuari ab illo, ad intendendũ lumen aeris. Atque ita possunt hi duo modi dicendi probabiliter defendi, quamuis omnib. pensatis inter hos duos modos prior videat facilior, meliusq; declarare actionem reflexam & difficultates vitare.

De reactione.

XXXVII. In quarto argumento petitur difficultas de reactione, & quomodo in illa saluetur maior proportio necessaria ad causalitatem effectiuam. Sed hæc difficultas latissimè tractatur in primo libro de Generat. & pendet maximè ex intelligentia differẽtiæ quæ est inter potentiam agendi & resistendi, quã nos infrà trademus, tractando de potentia. Nunc ergo breuiter dicitur, resistere alicui, formaliter non esse agere in illud: potest enim res interdum resistere, etiamsi nihil agat in aliud. Ex quo fit, vt ad agendum non sit necessarium, vim agendi vnius esse maiorem vi agendi alterius, sed per se solùm requiri, vt actio vnius superet resistentiam alterius. Hinc ergo fieri vt passum reagat in suum agens, etiamsi ab illo vehementiùs patiatur: quia licet superetur in actiuitate, nihilominùs potest actiuitate sua aliquantulum superare resistentiam alterius, & ita non agit, in illud quatenus maius vel æquale est ipsi, sed quatenus aliquo modo est inferius. Sed hæc intelligẽtur meliùs, explicatis rationibus potentiæ actiuæ & resistitiuæ, & proportionib. earum: quòd infrà prestabimus. Vltimum argumentum superiùs solutum est.

SECTIO X.

Vtrùm actio sit propria ratio causandi efficientis causæ, seu causalitas eius.

I. Declarauimus principia & conditiones necessarias causæ efficiẽti vt sit proximè apta ad causandum, superest vt explicemus quid sit illud quo formaliter constituitur actu causans, illud enim nos vocamus proximam rationem causandi, seu causalitatem vniuscuiusque causæ. Et, vt sæpè dixi, non est sermo de relatione causæ, quæ resultare dicitur effectu iam producto, quia manifestum est illam non esse causalitatem, cùm potiùs supponat causalitatem tanquàm rationem in qua fundatur. Est ergo sermo de causalitate, prout nostro modo intelligendi dicit proximam rationem fundandi relationem, illa enim ratio est quæ constituit & denominat causam in actu, prout dicitur esse prior natura suo effectu.

Aliquorum opiniones.

II. Prima. Difficultas verò est, an hæc causalitas sit ipsamet actio qua agens agit, an verò sit aliquid aliud præter actionem, nonnulli enim Thomistæ negant causalitatem agentis esse actionem ipsam, vt Soncinas 5. Metaphys. q. 4. & Iauell. q. etiam 4. qui refert Heruæum quodlib. 2. q. 1. & quodlib. 4. q. 8. Fundamentum esse potest, quia causalitas agentis aliud esse debet ab effectu agentis: nam causalitas non causatur, sed per illam causatur effectus: actio autem est effectus agentis: ergo non est causalitas eius. Probatur minor, tum quia actio nihil aliud in re est, quàm effectus vt manat ab agẽte, tum etiã, quia ipsa actio,

Soncin. Iauell.

Universidad de Deusto
Biblioteca

actio, etiam formaliter sumpta, oritur ab agente & à virtute eius: ergo ipsa etiam est effectus agẽtis, & indiget causalitate qua causetur. Secundò, quia transacta actione adhuc manet vera causa efficiẽs: nã Sol postquam produxit aurum, est vera causa efficiens eius, & verum est dicere aurum pendere à Sole vt ab efficiente, & tamen actio non durat.

III. Quòd si interroges ab his authoribus quæ sit ratio causandi huius causæ, nil aliud respondent, nisi, causalitatem efficientis esse, dare esse effectui. Quia verò hæc verba cõmunia etiam sunt aliis causis, præsertim formæ, addunt explicationem, scilicet quòd sit dare efficiendo, seu quod sit efficere seu producere. In quo dupliciter deficere videntur: primò, quia idem per idem dicunt: secundò quia vel inuiti recidunt in opinionem quam reprobant: quid enim est efficere nisi agere? à quo autem res denominatur agere nisi ab actione? ergo perinde est dicere causalitatem efficientis causæ consistere in ipso agere, ac consistere in actione, nisi quòd his posterioribus verbis formaliùs declaratur, non solùm per ipsum concretum, seu per denominationem agentis, quæ eadem est cum denominatione causæ efficientis in actu, sed per abstractum & per formam denominantem.

IIII. Secunda. Alij ergo, vt à prædicta sententia omnino recedant, dicunt causalitatem agentis non posse esse aliquid extra agens, sed debere esse modum intrinsecum ipsi agenti: nam in aliis causis causalitas vniuscuiusq; est modus eius intrinsecè illam afficiẽs: ergo idem erit in causa efficiente: actio aũt propriè dicta, vt talis est, non est modus agentis, sed aliquid extra ipsum agens. Et confirmatur, nam huiusmodi actio, quæ sit in effectu, non interuenit in omni causalitate effectiua, vt patet in creatione, & tamen ibi est vera causa efficiens: ergo causalitas efficientis vt sic nõ consistit in actione, sed in aliquo intrinseco ipsi agenti, quidquid illud sit. Confirmatur secundò, quia vna causa efficiens respectu vnius effectus adæquati vnam habet causalitatem, & tamen sæpè non habet vnã, sed plures actiones, vt ignis vna causalitate generat ignem sibi similem, & tamen ibi interuenit actio qua transmutat materiam, & alia qua facit formam, & alia qua vnit illam, & alia qua producit totum compositum: hæ namq; actiones omnes in generatione hominis distingui possunt, & videtur eadem esse ratio de reliquis, nam ipsamet distinctio habitudinum & relationum indicat distinctionem actionum.

Resolutio quæstionis.

V. Efficientis causalitas ipsa actio. D. Thom. Alber. Dicendum nihilominus est causalitatem efficientis causæ in nullo alio posse consistere quàm in actione. Hanc sententiam docent his temporibus moderni scriptores doctissimi: & significatur à D. Tho. 5. Metaph. c. 2. in illis verbis, *Efficiens est causa finis quantum ad esse, quia mouendo perducit ad hoc quòd sit finis:* & inferiùs: *Efficiens est causa in quantum agit.* Idem sentit Albertus 2. Physic. tract. 2. c. 6. Et probatur, nam id est causalitas causę agentis, quòd illam constituit, vel potiùs denominat, actu agentem: sed hoc est actio, nihilq; aliud esse potest: ergo. Maior constat ex ipsa quæstionis expositione suprà tradita, & ex ipsis terminis: quia causa in ratione causæ causalitate cõstituitur; idem autem est esse causam efficientem in actu quod esse agens. Minor ex terminis videtur etiam clara, quia per illud constituitur causa actu agẽs, quod immediatè intelligitur adiungi vltra potentiam agendi, nam causa dum intelligitur habere tantùm potentiam agendi, non intelligitur actu agens: ergo debet esse aliquid vltra hanc potentiam per se ac necessariò requisitum intrà latitudinẽ huius causæ: hoc autem non est nisi actio ipsa, qua sublata intelligi non potest potentia vt actu agens, & illa posita, necessariò est actu agens: propter quod dixit Aristoteles relationem agentis proximè fundari in actione, 5. Metaph. c. 14. ergo illa est propria causalitas agentis. Aristoteles

VI. Secundò, quia causalitas vniuscuiusq; causæ est id quo proximè per se ac intrinsecè attingit effectũ, & quo è conuerso effectus pendet à tali causa: est enim causalitas quasi via seu tendentia ad effectum. Vnde inter causam & effectum quasi inter duos terminos versatur: quia per causalitatem causa influit in effectum, & effectus procedit à causa: sed actio est id quo causa efficiens actualiter attingit suum effectum, & quo effectus pendet à sua causa, nam est ipsamet dependentia effectus facti à causa faciente, vt statim significabimus, & latiùs tractabimus infrà disputando de actione: ergo.

VII. Tertiò à sufficiente enumeratione, quia ad hanc causalitatem necessaria est actio, & præter illam nihil aliud necessarium est: imò nec probabiliter excogitari potest: ergo. Maiorem suppono vt certam, maximè in præsenti materia vbi de causis creatis agimus; solùm enim de creatione dubitari posset, sed nunc de illa non agimus, quãquam etiam in illa verum habeat, vt infrà ostendemus. Minor constabit clarè ex solutionibus argumentorum oppositæ sententiæ, nunc breuiter declaratur hoc modo: quia, si aliquid aliud mediat inter potentiam agendi & actionem quod sit causalitas agentis, vel illud est prę uiũ ad actionem, & aliquo modo radix eius, vel subsequens ad actionẽ & ex illa resultans, vel aliquid concomitanter se habens: nihil horum probabiliter dici potest. Probatur primum membrum, nam, quidquid est præuium ad actionem, non pertinet ad actuale causalitatem efficientis, sed vel ad rationem causandi per modum principij quo, aut quod, vel ad conditionem requisitam ad agendum: cuius signum est, quia si sistatur in toto illo præuio, & ad illud non sequatur actio, nondum intelligitur causa actualiter causare, siue id fiat per præcisionem intellectus, siue quia in re suspendatur actio positis omnib. aliis prę requisitis, siue id supernaturaliter fiat, siue ex libertate causæ: statim verò ac intelligitur actio in re poni, impossibile est quin causa actu causet. Secũdum mẽbrum contrario modo facilè suadetur, nã quidquid consequitur ad actionem, est vel terminus eius, vel aliquid posterius termino: ergo multò minùs pertinere potest ad causalitatem primæ causæ quàm ipsa actio, nam ille est propriè effectus vel primarius, vel secundarius talis causę. Tertium item membrum facilè probatur, quia si solùm cõcomitanter se habet: ergo est per accidens ad actionem: ergo illo secluso manere potest actio: ergo illo etiam secluso manebit causalitas agentis: ergo non potest in illo consistere hæc causalitas. Eò vel maximè, quòd intelligi aut declarari non potest quid sit illud distinctum ab actione & à principiis eius, & omnib. conditionibus prævijs ad illam, quod nihilominus sit necessarium ad illam. Neq; huius necessitatis potest aliqua probabilis ratio reddi. Relinquitur ergo vt sola actio esse possit causalitas agentis.

Soluuntur

Soluuntur argumenta obiecta in contrarium.

VIII. Actio an appellari queat effectus agentis. AD fundamentum ergo prioris sententiæ respondetur, actionem propriè ac formaliter nõ esse ipsum effectum productum ab agente, sed esse modum talis effectus ex natura rei ab illo distinctũ: cuius argumentum sufficiens est quòd potest manere effectus sine tali modo, aut variata dependentia, quòd idem est. Est enim ille modus emanatio seu dependentia effectus à causa agente: potest autem effectus nunc dependere ab hac causa, & posteà ab alia, & ita potest variari in illo dependentia circa eundem effectum, & tũc nihil aliud variatur quàm causalitas agentis, de qua distinctione actionis à termino nonnulla in superioribus tetigimus, & dicemus plura in sequentibus, partim tractando de creatione, partim inferiùs tractando de actione & passione. Quòd si nomine effectus comprehendamus non solùm rem productam, sed quidquid à virtute agentis manat, sic concedimus actionem esse aliquo modo effectum agentis, cùm sit dependens vel potiùs ipsamet dependentia ab illo: esse autem effectum hoc lato modo non repugnat causalitati: quin potiùs in omnibus causis quas hactenus tractauimus, causalitas est effectus causæ, vnio enim est effectus formæ, atque etiam materiæ in suo genere; & est causalitas vtriusque secundum diuersas habitudines. Et ratio generalis est, quia causalitas semper prouenit à causa, & ideò licet non propter se causetur, concausatur tamen, ideoq; latè loquendo sub effectu comprehenditur. Nec verò propterea necesse est, vt causalitas alia causalitate causetur, aut actio alia actione fiat, quia de ratione causalitatis est vt habeat immediatam habitudinem ad causam, & sit quasi medium aut vinculum inter causam & effectum. Atque ita comparatur actio ad suum terminum, & ad principium seu causam efficientem à qua manat: ipsa verò actio non manat media alia actione, aliàs procederetur in infinitum, sed actio est ipsamet emanatio: sicut terminus motus sit per motum, ipse autẽ motus non fit per alium motum, quia est ipsamet via ad terminum. Ex quo fit (vt ad secundum argumentum respondeamus) impossibile esse vt cessante vel transacta actione duret causa in actu: potest quidem durare res quæ fuit causa in actu, non tamen durabit in ratione actu causantis, cùm actu non influat in effectum: vnde nec talis effectus potest verè dici iam actu pendere à tali causa, sed dependisse aliquando in suo fieri: quam dependentiam non habuit nisi ratione actionis, quæ tunc etiam fuit, quando à sua causa manauit.

Actio non fit per aliam actionem.

Agens in actu constituit per actionem in actu.

IX. Causalitas agentis non est modus alterius agentis intrinseca. Ad argumenta posteriori loco posita negamus causalitatem agentis debere aut posse esse modum intrinsecum ipsius agentis, distinctum ab actione, quæ ab agente manat, & est in termino ipso, vel in passo. Quod in naturalibus agentibus quæ agũt sola actione transeunte, videtur manifestum: quia illa nõ mutantur, neq; aliquid acquirunt ex eo quòd agant. Neque est vlla necessitas fingendi talem modum, cùm actio sit sufficiens vt effectus manet à suo agẽte. In his verò quæ agunt actione immanente, si nihil aliud agant quàm ipsummet actum immanentem, etiam est manifestum, in facultate agente non esse alium intrinsecum modum distinctum ab ipso actu, vel actione immanente, qui sit causalitas talis actus: nam ipsamet actio immanẽs immediatè manat à suo principio: & quidquid aliud addatur tanquam medium inter potentiã in actu primo sufficienter constitutam & actionem, erit gratis confictum, & sine necessitate; & præter omnẽ communem doctrinam, quæ in his potentiis non cognoscit nisi aut actus ipsos, seu actiones, & principia earum, quæ sunt vel species, vel habitus. Et in voluntate nihil est actuale in quo primò exerceatur libertas voluntatis, nisi actio elicita ab ipsa voluntate: illa ergo est causalitas effectiua talis potentiæ. Quia tamen res quæ sit per talem actionem, manet in ipsa potentia, ideò talis actio est modus afficiens causam agentem, non quia hoc sit de ratione causalitatis agentis vt sic. In iis denique quæ per actum immanentem aliquid extra se agunt, videri potest, causalitatem qua talis causa extra se agit, esse actum vel modum in illa manentem; tamen reuera non est, quia ille actus qui manet in tali causa, non est formalis causalitas quæ constituit rem actu causantem extra se; sed est aut proximum principium agendi, aut applicatio principij proximi à quo oritur causalitas. Quòd videre licet in Deo ipso, qui maximè agit ad extra per actum in se manentem: nam cùm hic actus in Deo sit æternus & immutabilis, actualis tamen eius causalitas in tempore ponitur: quia Deus non actu causat, donec effectus fiat: & ideò talis causalitas non potest esse aliquid in ipso Deo, qui mutari non potest, sed in creatura, quæ fit aut mutatur. Nunquam ergo causalitas agentis est modus intrinsecè afficiens ipsum agens vt sic.

X. Nec verè necesse est vt in hoc sit omnimoda similitudo inter omnes causas: quia non est omniũ eadem ratio, causę enim materiales & formales sunt intrinsecæ: causa verò efficiens ex suo genere est extrinseca. Et comparando inter se materiam & formam, hæc est quodãmodo magis intrinseca, quatenus est magis propria, & determinans materiam afficiendo illam. Et ideò inter causalitates harum causarum est quædam proportionalis dissimilitudo. Nam causalitas formę est modus intrinsecus, & in re idem cum forma, causalitas autem materiæ potest dici intrinseca, quatenus est intimè in ipsa materia: non est autem modus ita identificatus illi sicut formæ: causalitas autem agentis per se est extrinseca: & tam distincta ab agente, quàm ipse effectus: quòd si interdum in agente manet, aut ab eo non realiter sed tantùm modaliter distinguitur, id est accidentarium ad rationem agentis vt sic: prouenitque, vel ex eo quòd agens simul est patiens, vel ex eo quòd res quæ fit, non est omnino distincta ab agente, sed modus eius.

XI. Ad primam cõfirmationem negatur assumptum, nam etiam in creatione causalitas consistit in actione, vt argumentum paulò antèa factum ostendit, nam cùm illa causalitas temporalis sit, non potest consistere in modo intrinseco agenti: ergo debet consistere in actione extrinseca: qualis autem sit illa actio, & in quo subiecto, dicemus postea.

XII. Ad secundam confirmationem respondetur argumentum illud retorqueri posse in contrarium: nam vbicunque est vna causa formaliter, id est vna causatio, ibi est vna actio, & è contrario vbi multiplicantur actiones, multiplicantur etiã causalitates: signum ergo est hanc causalitatem in actione consistere. Quocirca, si generatio ignis sumatur vt includit alterationem præcedẽtem & generationem substantialem: fatemur quidem illas esse duas actiones, tamen eodem modo sunt duæ causalitates: si verò sit sermo de sola causalitate substantiæ, negamus ibi

Lege Scotũ 7. Metaph. q. 10. & Anto.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Andr. q. 4. Soncinatè q. 23. Zimar. theore. 100. Durand. in 2. d. 1. q. 4. ad vltim.

esse plures actiones, sed est vna & eadem, qua & sit totum compositum, & educitur forma de potentia materiæ, & vnitur illi, nam in his omnibus solùm denotantur plures habitudines quas eadem actio habet ad suum subiectum, vel ad terminum formalem aut totalem. In generatione autem hominis peculiari ratione distinguitur actio productiua formę ab vnitiua (quidquid aliqui dicant) quia illa forma non pendet à materia vt à propria causa suæ productionis, pendet tamen in vnione: actio autem qua forma vnitur & compositum fit, non est distincta: quia compositum non potest aliter fieri, quàm vniendo formam materiæ.

SECTIO XI.

Vtrùm causa efficiens aliquid efficiendo corrumpat aut destruat, & quomodo.

I. SI nomen ipsum causæ efficientis attentè consideretur, non videtur significare causam quæ tollit esse, sed quæ dat esse: & ideò in omnibus quæ hactenus de hac causa diximus, solùm explicuimus causalitatem huius causę quatenus dat seu influit esse: quia verò Philosophi ita communiter loquuntur de causa efficiente, vt non solùm censeant efficere rerum generationes, sed etiam corruptiones, quod non est dare esse sed potiùs tollere, ideò ad complementum huius disputationis necesse est vt de hac etiam re pauca dicamus, & explicemus an hæc etiam vera efficientia sit, & qua causalitate, ac virtute fiat.

II. Varij modi res destruendi.

Aduertendum est ergo dupliciter posse rem aliquam corrúpi, seu definere esse: prima quia non esse vnius rei consequitur ex esse alterius. Secundò, quia res absolutè priuatur suo esse quasi immediatè & absque consecutione ex alio esse. Priori modo corrumpitur lignum, quando ex illo generatur ignis, quia esse ligni non potest simul esse in eodem cum esse ignis. Posteriori autem modo corrumpitur lumen in aere per absentiam Solis: nullum enim esse introducitur in aere repugnans cum esse lucidi, sed simpliciter perit illa forma recedente causa conseruante. Quanquam etiam ipsum esse Solis in alio hemisphærio dici possit naturaliter incompossibile cũ esse luminis in aere huius hemisphærij: sed illud est valde remotè, extrinsecè, & per accidens; propter defectum conditionis necessariæ ad agendum, & non propter repugnantiam, quæ intrinsecè, & per se sit inter lumen & vbi.

Resolutio quæstionis.

III. Actione positiua nunquam directè acquiritur.

HOc supposito, duo principia videntur certa: primum est corruptionem aut desitionem rei nunquam fieri per efficientiam positiuam & propriam, nisi quatenus carentia alicuius esse consequitur ad effectionem seu positionem alterius esse. Probatur, quia positiua efficientia solùm fit per positiuam actionem: actio autem positiua immediatè ac per se non tendit ad non esse: ergo non potest per illam positiuè effici corruptio aut destructio alicuius rei, nisi quatenus per illam fit esse alicuius rei, cùm quo necessariò coniunctum est non esse alterius. Maior probata est sectione præcedente, & ex ipsis terminis idem constat, nam efficientia & actio idem sunt, sicut efficiens & agens. Minor probatur, tum quia actio realis seu positiua (idem enim sunt) A necessariò tendit ad terminum realem, vt inf. à suo loco ostendetur, & in transeuntibus à nemine negatur: terminus autem realis aliquod reale esse recipit per actionem: ideò enim est terminus eius. Vnde etiam qui negant realem terminum in actionibus immanentibus, negare non possunt quin ipsamet actio quatenus positiuè fit, aliquod esse reale accipiat à sua causa efficiente. Quòd si per illam actionem aliquid immediatè corrumpitur (id est, absq; alterius termini, vel rei productione) solùm est in quantum esse illius actionis, quodcunq; illud sit, incompossibile est cũ alio esse quod destruitur. Est ergo in vniuersum verum, per efficientiam positiuam nihil immediatè destrui, sed solùm consequenter ad aliud esse, quòd per actionem fit: quę consecutio semper fundatur in aliqua repugnantia talium rerum. Et confirmatur ex illo vulgari axiomate, quòd nullum agens intendens ad malum, operatur; ipsum autem non esse vt sic habet rationem mali: nunquam ergo positiua efficientia per se tendit ad non esse, sed ad aliquod esse, ex quo aliud non esse consequitur.

IIII. Obiectio dissuadens.

Dices, quamuis hoc sit verum in agentibus naturalibus, non tamen in voluntariis: potest enim Deus B velle aliquid non esse non vt aliud sit, sed solùm vt illud non sit: & vnus homo sæpe hoc modo intendit alterius mortem: vnde in artificialibus per se primò tendit sępè actio ad destructionem. Respondetur, licet agens voluntariũ per se possit intendere destructionẽ rei: non tamen posse illam exequi & efficere per actionem: quæ ex se primariò tendat ad non esse, propter rationem superiùs factam. Vnde etiã Deus ipse, dum aliquam rem vult destruere, aut id obtinebit per solam suspensionem influxus absq; positiua actione, vel si positiua actione vti velit, necessariò facturus est aliquid, ex quo talis corruptio sequatur. Homo autem, qui non potest rem destruere per solam suspensionem influxus, eò quòd res ab ipso non pendent in suo esse, vtitur semper actionibus, quæ communiter non sunt nisi mutationes locales corporum, quæ ad suos proprios terminos directè ac p se tendunt: & inde per accidens sequitur corruptio vel destructio, quæ licet sit per se intenta quoad extrinsecam intentionem agentis, per accidens tamen seu consequenter, fit per talem actionem.

V. Destructio rei directè intenta, nisi per carentiam efficiendo.

Secundum principium est. Quando alicuius rei desitio non consequitur ad positiuam effectionem C alterius, sed per sola fit, non fit per efficientiam propriam, sed per carentiam efficientiæ. Hoc principiũ sequitur ex præcedente, quia actio positiua non est nisi ad aliquod esse positiuum: ergo dum nullum esse communicatur, non potest actio positiua intervenire, in hoc autem genere desitionis & corruptionis nullum esse communicatur, sed solùm auferetur: ergo non potest fieri per veram actionem: ergo necessario fieri debet per carentiam actionis, quia non potest interuenire alius modus causalitatis, qui ad efficientem causam pertineat. Dices, hoc genus causæ tantùm videri per accidens: qualis est illa quæ remouet causam per se: at verò huiusmodi causa corruptionis nõ tantùm est per accidens, sed per se: ergo non tantùm est per absentiam causæ, sed per positiuam efficientiam. Minor patet, tum ex Aristotele dicente, quod sicut præsentia nautę est causa conseruationis nauis, ita absentiam esse causam submersionis eius: tum etiam, quia non potest ille effectus in causam magis propriam ac per se reuocari. Et in hoc fundari videtur illud commune axioma, *si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis,* quòd

Explicatur axioma Aristotelicum.

quod in causis propriis per se & adæquatis maximè A notum est. Respondetur, ex hoc ipso axiomate colligi causam per se corruptionis (si tamen aliquam habere potest) non esse quærendam positiuè agentem, sed non agentem potiùs, cùm causa debeat esse proportionata effectui. Vnde in illo etiam exemplo Aristotelis absentia nautæ non est causa agens, sed potiùs non agens. Quare, si ad submersionem nauis cõparetur quatenus quidam effectus positiuus est, solùm est causa per accidens eius, verè ac physicè rem considerando, licet moraliter & imputatiuè censeatur per se, si tenebatur adesse: si vero comparetur solùm ad carentiam auxilij, seu defensionis nauis, huius negationis poterit altera negatio dici causa per se: habent enim inter se proportionem, & intrinsecam ac immediatam consecutionem. Ad hunc ergo modum, si causa per se influebat esse, & influxum auferat, dicetur causa per se desitionis talis esse, non quia positiua actione efficiat desitionem, sed quia proportionato modo est proprium principium & origo talis desitionis. Vnde licut priuatio dicitur esse non per positiuum esse, sed per carentiam esse, ita dicitur fieri non per positiuam actionem, sed per carentiam actionis. Et eadem proportione causa efficiens per se eius non dicitur talis, quia positiuè illam efficiat, sed quia tollit influxũ, quo per se causabat illud esse, quòd per talem corruptionem destruitur. Quin potiùs omnis causa, quę positiuè efficiendo, destruit aliud, vt sic, seu quatenus efficiés est, non est causa per se, sed per accidens destructionis alterius.

Corollaria superioris doctrinæ.

VI. In omni re definitione mutationis re pertur, non in qualibet actione.

EX his principiis possumus nonnulla notatu digna inferre circa rerum mutationes vel corruptiones. Primò enim sequitur, in omni corruptione seu amissione alicuius esse realis interuenire aliquã mutationem, non verò semper necessariò interuenire aliquam actionem. Patet ex secundo principio posito, adiuncta definitione mutationis: Nam teste Aristotele mutatur res quãdo se res aliter habet quã prius: quando ergo aer ex illuminato fit tenebrosus, mutatur: fit igitur in eo aliqua mutatio: & tamen illa non fit per actionem, vt constat ex secundo principio posito, est ergo ibi mutatio sine actione, & idem est in omnib. similib. Ratio autem est, quia illa mutatio est purè priuatiua, & non positiua. Quo fit, vt hoc tantùm contingat in mutationib. accidentalib. C si proprie & secundum communem cursum naturæ de mutatione loquamur: quia subiectum accidentis potest interdum amittere illud, etiamsi aliud nõ acquirat: subiectum autem substantialis formæ non potest substantialiter mutari amittendo vnam formam quin acquirat aliam. Et ideò dixi, *proprie & secundum communem cursum naturæ de mutatione loquendo:* nam Deus posset suspendere influxum formæ substantialis conseruando materiam; vel si mutationis nomen ad annihilationem extendatur, posset omnino rem mutare ab esse ad non esse absque vlla actione. In quo est etiam notanda differẽtia inter causas liberas, & naturales, quòd causæ liberæ possunt suspẽdere suum influxum ex intrinseco dominio ac potestate absque vlla priori actione vel mutatione in se vel in alio: & ita etiam possunt causare hãc mutationem priuatiuam, vel in se ipsis, si mutabiles ipsæ sint vt causæ creatæ, vel in aliis, vt Deus: causæ autem naturaliter agentes non possunt suspendere suum influxum, nisi aliquid aliud prius mutetur, quod e-

VII. Actio secundariò tẽdens in destructionem semper est dependẽs à subiecto.

Secundò sequitur ex dictis, quoties corruptio vel desitio rei fit per actionem positiuam, quæ ex se habeat cõsequenter causare talem corruptionem, necessarium esse vt talis actio fiat ex præsupposito subiecto. Ratio est, quia corruptio aut desitio non fit ex via actionis physicæ (sic enim loquimur) nisi quia illud esse quod fit per talem actionem, habet naturalem repugnantiam cum esse quod destruitur: hæc autem repugnantia naturalis esse non potest nisi in ordine ad idem commune subiectum, quod maneat sub vtroque termino, quia inter res per se subsistentes, & nullum habentes ordinem ad subiectum, non potest esse naturalis repugnantia, ob quam in rerum natura simul esse non possint: ergo necesse est vt talis actio sit ex præsupposito. Et hinc est vt propria Annihilatio nequit esse ex subiecto. B annihilatio fieri non possit à Deo per positiuam actionem, quia annihilatio nihil rei relinquit quod possit esse subiectum actionis. Item, quia vel actio fit in subiecto, & sic non destruit illud, & consequenter non efficit annihilationem; vel fit sine subiecto, & sic nihil per illam fieri potest quod repugnet toti esse alterius rei: nihil ergo per talem actionem potest annihilari. Quod si quis obiiciat actionem qua fit anima rationalis, non esse ex subiecto: & tamen ad eam sequi corruptionem alterius, nempè embrionis: Respondetur negando minorem, sed propriè illa corruptio sequitur vel ex actione qua sufficienter disponitur materia ad introductionem animæ rationalis, vel ex actione qua ipsa anima vnitur corpori, vel ex vtraque in suo genere, vt infrà explicabitur: vtraque autem ex his actionibus est ex præsupposito subiecto, creatio verò solùm est ordine naturæ prę suppositæ ad actionem vnitiuam; consequens autem naturaliter ad actionem dispositiuam. Difficiliùs posset quis instare de illa actione qua panis conuertitur in corpus Christi, quæ non est actio ex præsupposito subiecto, & tamen ex vi illius definit esse substantia panis. Sed hæc difficultas altior est quàm vt hoc loco tractari possit: & ideò ad illam excludendam dixi sermonem esse de actione & desitione naturali: illud autem mysterium totum supernaturale est. In eo tamen nihilominus verum existimo, aut ibi non consequi desitionem panis ex vi solius actionis physicæ, & naturalis connexionis rerum, vel si aliqua talis actio ibi interueniat, illam versari aliquo modo circa subiectum: & quantitatem panis sine substantia conseruatam, vicem talis subiecti subire, vt latiùs in proprio loco disputaui.

VIII. Illatum tertium. Aristot.

Tertiò infero, quotiescunque corruptio aut desitio fit per positiuam actionem, interuenire ibi vnam simplicem actionem, duas autem partes mutationes, positiuam vnam, alteram priuatiuam. Tribus enim modis contingit aliquid mutari, vt Aristoteles proponit in quinto Physicorum. Primò ex aliqua forma in carentiam eius: & tũc fit mutatio, nulla verò interuenit actio, per se loquendo, vt dictum est, sed carentia actionis conseruatiuæ. Secundò fit mutatio ex pura priuatione in formam, vt ex tenebroso in lucidum, tunc sicut vna interuenit actio, ita etiam vna simplex mutatio positiua. Tertiò con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tingit aliquid mutari ex vna forma in aliam, vt cùm ex calido fit frigidum, & ex ligno ignis. Et tunc vna simplex interuenit actio, qua educitur, vel vnitur forma, quæ de nouo introducitur in tali subiecto: nam ad expellendam aliam nulla alia actio necessaria est, vt diximus: mutatio verò duplex fit: nam subiectum illud duplici titulo aliter se habet, scilicet & carendo forma quam anteà habebat, & eam habendo quàm anteà non habebat. Quæ duæ mutationes adeò distinctæ sunt, vt re ipsa interdum separentur, vt in primis duobus membris declaratum est. Item vna est generatio, altera est corruptio substantialis vel accidentalis, vel interdum vna est intensio, & altera remissio. Denique vna est positiua, altera priuatiua. Vnde, quantum inter se differunt vnius formæ informatio, & alterius priuatio, tantùm inter se differunt illæ mutationes. Possunt autem illæ mutationes partiales dici, quia physico modo componunt vnum integrum transitum ab vno termino positiuo in alium, qui in Philosophia appellatur conuersio vnius rei in aliam. Dices, sicut interuenit ibi mutatio positiua & priuatiua, ita interuenit actio positiua, & carentia actionis qua opposita forma conseruabatur, vel à causis naturalibus, vel saltem à Deo: alterum enim horum semper necessarium est: ergo est eadem ratio de actione & mutatione. Respondetur, solùm esse discrimen quòd ratio mutationis saluatur in noua priuatione quatenus est in fieri: ratio verò actionis minimè, sed requirit positiuum influxum: quod ex earum definitionibus, & essentialibus rationibus constat.

IX. Quartum illatum.

Quartò infertur, corruptionem, quæ per aliquam efficiétiam fit, per eadem principia, siue principalia, siue instrumentalia, & cum eisdem conditionibus fieri, quibus fit generatio vel productio, ad quam talis corruptio sequitur. Probatur ex dictis, quia non est alia efficientia neque alia actio, ad corruptionem, quàm ad productionem: ergo eadem principia quibus fit vnum esse, tollitur aliud. Nec potest aliquod principium positiuè concurrere ad tollendum esse, nisi quatenus concurrit ad dandum aliud esse. Ex quo in superioribus dicebamus contra nonnullos modernos, formam in passo introductam ab agente, non concurrere effectiuè ad expellendam oppositam formam, vt calorem ad expellendam frigiditatem, & sic de aliis, quia forma introducta in passo non est principium efficiens suę generationis: ergo nec corruptionis oppositæ formæ. Item, quia si illa efficientia est positiua, aliquid positiuum per eam fit: sed forma introducta in passo positiuè nil efficit, quo expellat aliam formam, sed immediatè sequitur expulsio alterius formæ: ergo.

X. Soto 2. Phys. q. 4.

Vnde nõ est simile, quod adduci solet de vno corpore expellente aliud ab eodem loco: quod effectiuè videtur illud expellere: quanquam enim Scotus in quarto, distinctione duodecima, quæstione tertia, hoc etiam negare videatur, re tamen vera non est similis causa. Nam duo corpora sese contingunt, & vnum pellit aliud: & quod expellitur, non amittit locum per meram desitionem, sed per realem mutationem & tendentiam in alium locum, ad quem effectiuè mouetur ab expellente corpore: & ideò non solùm ibi interuenit incompossibilitas formalis illorum corporum in eodem spatio, sed etiam specialis actio positiua, qua corpus ab vno loco pulsum, in alium transfertur, quæ distincta est ab ea qua aliud corpus in locum alterius introducitur. Secus verò est, quàdo forma introducta in vno subiecto expellit aliam, nam illa quæ expellitur, non mutatur positiuè, sed merè priuatiuè desinit esse: & ideò non potest ibi specialis efficientia interuenire. Est ergo ibi sola expulsio formalis, & in vniuersum quælibet causa in suo genere ita concurrit ad non esse vnius termini, sicut concurrit ad esse alterius: quia ergo calor introductus in subiecto, non calefacit illud actiuè, sed formaliter tantùm, ideò non expellit frigus actiuè, sed formaliter tantùm. Secus verò est de calore, qui est in generante: ille enim est principium efficiens alium calorem, & consequenter expellens oppositum frigus. Atque eadem proportione calor productus in ligno (& idem est de omni simili dispositione) licet accidentalem formam directè oppositam excludat tantùm formaliter, substãtiam verò ipsam corrumpit dispositiuè: quia hoc modo causat introductionem oppositæ formæ: &, vt dictum est, in eo genere causæ vna forma concurrit ad non esse vnius termini, in quo concurrit ad esse oppositi termini. Vnde, quia accidens ex propria B ratione & virtute sua habet disponere ad formam substantialem sibi connaturalem, & formaliter expellere contrariam dispositionem: ideò dici potest in hoc genere propria vi corrumpere substantiam. Quòd si accidentia illa, & dispositiones passi effectiuè etiam concurrunt ad eductionem suæ formę, eodem efficientiæ genere concurrunt ad corruptionem alterius: vel si ad illud prius non habent efficiẽtiam, neque etiam ad hoc posterius. Atq; ita in vniuersum verum est, illa tantùm esse principia efficientia corruptionem, quæ efficiunt generationem, quando corruptio per efficientiam fit, nam quando accidit per solam carentiam efficientiæ. non indiget proprio principio agendi, sed solùm necesse est, vt illud, quod erat principium agendi vel conseruandi rem, ab agendo cesset.

DISPVTATIO XIX.

De causis necessariò, & liberè seu contingenter agentibus: vbi etiam de Fato, Fortuna, & Casu.

PRæter omnia, quæ de causis efficientibus creatis in superiori disputatione dicta sunt, superest disputandum de modo agendi talium causarum: quod in hanc disputationem reseruauimus, quia peculiarem habet difficultatem, & quia ex eo pendet celebris illa distinctio de effectibus necessariis, & contingentibus, & plurium causarum cognitio. Dicemus ergo in primis de causis necessariò agentibus, deinde de liberis; ac tandem de contingentibus: ex quibus constabit, quid sint in naturalibus causis, *Fatum*, *Fortuna*, & *Casus*.

C

SECTIO I.

Vtrùm in causis efficientibus creatis sint aliqua necessariò agentes, & qualis sit illa necessitas.

I. Datur causa necessariò agens quæ requisita ad agendum adsint.

HÆc quæstio est facilis, & ideò breuiter dicendum est primò, dari in causis creatis plures, quæ necessariò operantur, si omnia, quibus ad operandum indigent, adhibeantur. Hoc constat experientia, & inductione facili; nam Sol necessariò

necessariò illuminat, ignis calefacit, & sic de aliis. Ratio A petitus bruti licet naturaliter operetur non semautem sumenda est ex intrinseca conditione & determinatione naturæ, vt in sequente assertione declarabimus. Additur verò illa conditio, *si omnia necessaria adsint*, quia supponenda est causa sufficiens, & proximè apta, & cum omnibus conditionibus ad agendum requisitis. Nam, si aliquid horum desit, non sequetur actio, non quidem ex indifferentia vel indeterminatione causæ, sed ex defectu alicuius cõcausæ, vel ex defectu virtutis, aut conditionis necessariæ ad operandum. Inter hæc autem necessaria ad agendum non debet numerari ipsa actio, vt per se notum est, quia aliàs nihil speciale de his agentibus diceretur, sed id quod commune est omnibus, non solùm agentibus, sed etiam rebus, nimirum, si habeant formam, qua in tali esse seu ratione constituntur, necessariò fieri consequens, vt sint tales. Sicut enim, si albedinem quis habet, necessariò est albus, ita si actionem exercet, necessariò efficit, quæ est tantùm necessitas consequentiæ (vt aiunt) seu conditionata, non consequentis, seu absoluta, quæ est impertinens ad propositum, quia in ea non possunt causæ distingui. Vt ergo sit sermo de vera ac propria B necessitate, non est includenda ipsa actio, cùm dicitur causa necessariò agere, si omnia requisita adhibeantur. Ex quo à fortiori sequitur non debere etiam in his annumerari, quidquid est posterius actione, & ad illam consequens, vt per se clarum est, imò, proprie loquendo, quod est huiusmodi, non potest dici necessarium ad actionem, sed potiùs necessarium ex actione.

Quæ sint ista requisita.

II.

Igitur sub ea conditione includi debent omnia, & sola illa, quæ sunt præuia ad actionem. Hæc autem plura numerantur ab authoribus, vt videre licet apud Scotum in 9. Metaph. quæst. 14. ad secundum, Antonium Andream quæst. 1. ad secundum, Zimaram theorem. 112. qui sex ponunt conditiones. Prima est, vt causa habeat integram ac sufficientem virtutem agendi: quæ est per se nota, quia actio supponere debet potentiam sufficientem, & vt necessariò agat, supponi debet simpliciter, & absolutè potens: at non est absolutè potens sine potentia sufficiente. Secunda, vt habeat passum capax, & sufficienter approximatum, quia agentia creata nihil possunt agere nisi ex præsupposito subiecto, & quia sunt finita, requirunt illud intra proportionatam sphæram, extra quam non habent vim agendi. Tertia, quæ C hinc sequitur, est, vt medium, si quod interiectum est inter agens & passum, sit expeditum, & capax actionis agentis, supponimus enim agentia nihil posse efficere in distans nisi per medium. Quarta, vt nihil sit impediens actionem æqualis virtutis ad resistendum: quia nihil potest vincere agendo, nisi in virtute actiua excedat, & ideò supra ostensum est ad actionem necessariam esse proportionem maioris inæqualitatis. Quinta vt passum non sit iam in termino, seu habeat totam formam quam agens potest efficere. Propter hanc enim solam causam grauitas non mouet terram existentem in centro: & continetur hæc conditio in secunda, nam passum requiritur ad actionem in eo statu in quo sit capax actionis: postquam autem est in termino, iam non est capax actionis. Denique hæc conditio coincidit cum illa suprà tractata, quòd agens & passum debent in principio esse aliquo modo dissimilia.

Scot. Ant. And. Zimara. Primum & secundum sequitur ad agibile.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

III. Sextum.

Sexta conditio adhibetur, vt si aliqua actio naturaliter prærequiritur, illa iam præsupponatur, vt ap-

IIII. Septimum.

sed hæc conditio non est nobis necessaria, quia hoc est quod in assertione asserimus, nimirum aliquas causas non esse in operãdo liberas, sed positis requisitis ex necessitate agere. Octaua item conditio addi Octauum. potest vt causa habeat necessarium concursum primæ causæ. Sed de hoc concursu inferiùs ex professo agendum est. Quod verò ad præsens spectat, hæc conditio aut non ex prærequisitis, aut in superioribus, prout à nobis explicatæ sunt, continetur. Nam si sit sermo de actuali concursu, hic non distinguitur ab ipsa actione: & ideò sicut actio non comprehenditur in conditionibus prærequisitis ad agendum, ita neque actualis concursus. Si verò sit sermo de aptitudinali concursu (vt ita dicam) seu de sufficiente applicatione & coniunctione primæ causæ ad concurrendum, sic quidem necessaria est illa conditio: continetur tamen in eo quod diximus necessariam esse causam habẽtem integram virtutem, & omnem concausam: nam virtus causæ secundæ sine virtute primæ, vel non est integra, vel si dicatur integra & totalis in suo genere, indiget coniunctione omnis alterius causæ necessariæ in quocunque genere vel ratione causandi. Quocirca sub ea conditione comprehenditur omnis concursus superioris causæ, cui inferior sit essentialiter subordinata: siue hæc subordinatio in efficientibus solùm sit inter creatas causas & increatam, siue etiam inter creatas causas inter se; quòd infrà videbimus.

V. An sint aliqua naturalia agentia ad plures indifferentia effectus.

Septima conditio addi potest, vt causa naturalis nõ sit æquè indifferens inter plures effectus, nam tunc hoc ipso quòd causa non est libera, sed naturalis, nõ faciet ex necessitate alterum, & consequenter neutrum faciet, quia nõ est maior ratio de vno quàm de alio: & quia libera non est, non poterit ad vnum determinari magis quam ad alium, nisi aliũde indiffe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

rentia tollatur. Exempla solent adhiberi multa, affe-
remus tamen ea quæ sufficiant ad radicem huius in-
differentiæ explicandam. Primum est de igne existê-
te in centro terræ in figura circulari, qui secundum
omnem suam partem æquè distet à supremo loco:
ille enim non moueretur in vnam partem potiùs
quàm in aliam: quia nulla est ratio vel causa deter-
minans. Neq; etiam moueretur versus omnem par-
tem, quia aliàs diuideretur in omnem suam partem.
Secundum est de vitro perfectè plano superpositio
lapidi perfectè plano, supra quod cadat aliud saxum
perfectè planum, non enim franget illud, quia vel
diuidet in omnem suam partem quod impossibile
est, vel non est maior ratio cur quasdâ partes potiùs
quàm alias diuidat. Tertiũ vulgare est de bruto ha-
bente simul duo obiecta æquè amabilia, quòd ad
neutrum moueretur. Quartum de causis superiori-
bus valentibus efficere contraria, quæ ex se non pos-
sunt ad alterum determinari, si cum ea indifferentia
ad agendum applicentur. Quintum & difficilius est
de omni causa naturali, quæ licet definita sit ad for-
mam efficiendam in vna specie, est tamen indiffe-
rens ad varia indiuidua illius specici.

VI. Sed nihilominus dicendum videtur, hanc condi-
tionem reducendam potius esse ad aliquam ex̃ supe-
riùs positis, seu ad defectum alicuius. Nam hæc con-
ditio indifferentiæ per se considerata, est quodam-
modo repugnans cum propria determinatione na-
turalium agentium, nam illis proprium est esse de-
terminata ad vnũ: quomodo ergo possunt ex se ha-
bere indifferentiam? Neque enim satis est si dicatur
esse determinata ad vnum secundum communem a-
liquam rationem: hoc enim modo etiam agens liber
rum est determinatum ad vnum, scilicet ad bonum
in communi. Si verò dicatur agens naturale esse de-
terminatũ ad vnum in specie, non tamen in indiui-
duo: primò hinc fit ad summũ reperiri in his agẽtib.
indifferentiam in vltimo exemplo indicatã, nõ verò
quæ in aliis significantur. Et adhuc contra illam ob-
ilci potest, quia hoc ipsum videtur præter conueni-
ens institutum naturæ, nimirum quòd hæc agentia
condita sint cum aliqua indifferentia, & quòd ipsa
non possint sese determinare: nam hoc modo essent
ex se ineptissima ad agendum. Prætereà in primis
quatuor exemplis, quatenus veritatem aliquam cõ-
tinent, non videtur carentia actiõnis oriri ex indif-
ferentia, sed ex aliquo impedimento, vel defectu ali-
cuius conditionis necessariæ ex suprà positis. Verbi
gratia. In primo exemplo valde probabile mihi est
ignem in eo casu non fore ab intrinseco mouẽdum.
Ratio autem oritur ex æquali actiuitate, & resisten-
tia omnium partium: inter conditiones autem re-
quisitas ad agẽdum ex necessitate, vna erat vt virtus
æqualis non resistat actioni, in illo autem casu om-
nes partes ignis æquè inclinant ad motum sursum
per lineam rectam respectu vniuscuiusque, & ita in-
ter se æqualem habent actiuitatem, & resistentiam,
& inde fit vt nulla moueatur. Nec verò per illas qua-
si contrarias propensiones omnino diuiduntur in-
ter se. Primò quidem, quia magis inclinantur ad suã
conseruationem quàm ad suum locum. Secun-
dò, quia ipsa diuisio deberet fieri per motum loca-
lem, vnde hoc ipso, quod moueri non possunt, nec
diuidi possunt.

VII. Secundum exemplum in primis non potest na-
turaliter accidere, quia non potest naturaliter per-
fectè planum æquè primò cadere super planum, si-
cut nõ potest planum æquè primò separari à plano,
quia oporteret vel dari vacuum, vel aerem in instan-
te replere totum illum locum. Sic enim è contrario
sequitur, si planum æquè cadat super planum, aut a-
liquam partem aeris in instanti simul egredi, ita vt
tam cito pertranseat remotum spatium, sicut pro-
pinquum, aut manere ibi penetratiuè, aut certè, si
aer manet medius, illa duo plana non se contingere.
Necesse est ergo vt planum cadens priùs secundum
vnam partem contingat, quàm secundum aliam:
quanquam circa hoc ipsum possit eadem difficultas
suboriri, cur scilicet priùs secundum vnam partem
cadat, & contingat quàm secundum aliam, si pla-
num est æquale, & æqualis ponderis secundum om-
nem partem. Propter quod vel aliqua extrinseca
causa huius inæqualitatis quærenda est, positis tali-
bus corporibus & tali motu, scilicet quòd medium
non est æquè diuisibile secundum omnem partem,
vel aliquid huiusmodi. Aut certè si nihil horum in-
tercedat, dicendum est illud planum quod æquè ca-
dit, non posse excludere omnem aerem intermediũ,
atque ob hanc causam non contingere vitrum, nec
confringere illud. Ratio verò est quia vel minima
B particula aeris, dum non potest penetrari, nec simul
pertransire aliquod spatium, resistit cuicunq; graui
cadenti ne illuc expellatur: sicut è cõtrario nulla vis
quantumuis magna potest simul secundum omnem
partem separare duo plana: quia non potest simul
ingredi aer ad replendum vacuum. Itaque in eo casu
non sequitur effectus, quia datur medium sufficiens
ad impediendum.

Quòd si vrgendo difficultatem demus aut aerem VIII.
simul egredi, aut casum illum fieri per vacuum, duo
dici possunt verisimilia. Primum est, quòd saxũ na-
turaliter ageret, quantum posset, & ita non diuide-
ret vitrum, sed ita comprimeret vt corrumperet, &
in aliam naturam commutaret, sicut videmus acci-
dere in tritico mola contrito: illud aũt corpus quod
inde consurgeret, posset esse continuum: nam si esset
in particulas diuisum sicut est farina, vix posset reddi
naturalis ratio, cur quædam partes potiùs quàm aliæ
diuiderentur, nisi reducendo illam varietatem vel
inæqualitatem in effectu, ad aliquam inæqualita-
tem in contactu & alteratione inde consurgente
propter poros ipsorum corporum, vel propter ali-
quas alias causas ibi concurrentes. Vel certè si con-
tactus ille non esset satis vt inde resultaret alteratio
C sufficiens ad corrumpendum vitrum, non est incõ-
ueniens, sed necessarium dicere non fore confrin-
gendum. Ratio est, quia dum vnum corpus super a-
liud cadit, non frangit illud nisi propter aliquem
motum localem inæqualiter factum in partib. cor-
poris confracti: nam dum vna pars eius priùs depri-
mitur quàm alia, quæ nec resistere potest propter
defectum virtutis, nec cedere, aut flecti propter du-
ritiem, fit confractio: in dicto autem casu, non pos-
set vitrum moueri localiter, quia & secundum om-
nem partem æquè contingitur, & impellitur, & à
corpore supposito etiam simul & æquè resistitur se-
cundũ omnem partem. Vnde si illud non esset æquè
planum vel æquè solidum, & secundum aliquã par-
tem faciliùs cederet, secundum illam confringere-
tur vitrum. Atque ita in illo exemplo nunquam ces-
sat actio ob indifferentiam, sed ob impedimentum
æqualiter resistens.

In tertio exemplo negari etiam facilè potest, illam IX.
æqualitatem posse naturaliter accidere in omnibus,
quia non possunt illa obiecta simul æquè cõsiderari,
& obiici: vel etiam si demus simul repræsentari æquè
amabilia,

Ignis orbicularis in centro terræ existens quorsum rẽderet.

Vitrum perfectè planũ, planè planũ saxum con-

Cuiusmodi agens contingere dum.

obiectis mouendum bonum.

amabilia, dicemus simul etiam amari, priùs tamen A
ad vnum quam ad alterum assequendum moueri,
eò quod motus versus illam partem ob aliquam cir-
cumstantiam, vt facilior apprehenditur. Denique,
si admittamus æqualem apprehensionem in omni-
bus circumstãtiis, tam respectu appetitionis, quàm
executionis, concedendum videtur non esse in ap-
petitu bruti facultatem vt se determinet ad vnum
potiùs quàm ad aliud ob carentiam libertatis. Vnde
illa indeterminatio non prouenit ex indifferentia,
sed potiùs ex naturali necessitate ac determinatio-
ne in modo operandi, & defectu conditionis neces-
sariæ ad sic operandum; qui defectus ex causis in
suo genere æqualibus, & inuicem sibi resistentibus
prouenit. Nam, vt diximus, non potest appetitus
sensitiuus operari, nisi cum sufficiente propositio-
ne, & motione obiecti: hæc autem deest in illo ca-
su, quia neutrum illorum obiectorum apprehen-
ditur absolutè vt amandum & prosequendum, pro-
ut necessarium est, vt effectus appetitus necessariò
sequatur. Ratio autem ob quam illa apprehen-
sio seu iudicium in eo casu non habetur, est, quia B
illa obiecta mutuò se impediunt, dum in suo mo-
do causandi, æqualiter mouent ac resistunt. Atque
ita etiam in eo casu desunt conditiones suprà enu-
meratæ.

X. Quomodo agens naturale non potest quin efficiat.

In quarto exemplo negare possumus in primis es-
se aliquam naturalem causam, quæ per se sit æquè
indifferens ad efficiendos effectus contrarios: quin
potius Aristoteles, vt infrà videbimus, in hoc con-
stituit differentiam inter potentias liberas, & natu-
rales, quod illæ sunt potentiæ ad oppositа vel con-
traria: hæ autem minimè, sed ad alterum tãtùm op-
positorum. Quod intelligendum est per se, & cæ-
teris omnibus eodem modo se habentibus, nam per
accidens contingit ex effectu eiusdem naturalis a-
gentis sequi effectus contrarios, vt suprà in Antipe-
ristasi declarauimus. Ex diuersa item dispositione
materiæ contingit, vt idem Sol molliorem reddat
ceram, & lutum obduret: & ex vario causarum con-
cursu contingit etiam vt Sol ad varios, vel repugnã-
tes effectus concurrat: semper tamen agit cum na-
turali necessitate ac determinatione, suppositis om-
nib. causis simul concurrentibus. Imò semper, quã- C
tum est ex se, eodem modo inchoat actionem illu-
minando & calefaciendo: ac deinde iuxta passi dis-
positionem, vel concursum aliarum causarum ea-
dem necessitate proportionatus sequitur effectus.
Et hoc sensu dixit Arist. 2. de Gener. tex. 18. natura-
le agens idem eodem modo se habens (nimirum in
se & respectu aliorum) natum esse semper facere i-
dem. Igitur ob virtutem agendi contraria, nulla et-
iam est indifferentia in causis naturalibus; quia nũ-
quam possunt per se sola efficere contraria, sed ad-
iunctis aliis; quibus positis ex necessitate faciunt v-
num vel alterum effectum.

XI. Quoduis efficiens vnde hanc potius singularem effectũ quã alium in eadem specie efficiat.

In quinto exemplo nonnulla maior est ambigu-
itas circa indifferentiam, vel determinationem cu-
iuscunq; causæ naturalis ad indiuiduos, vel singula-
res effectus. In quo est opinio non improbabi-
lis, quod licet virtus causæ naturalis absolutè consi-
derata sit indifferens ad multa indiuidua per mo-
dum causæ superioris & sufficientis ad omnia illa;
tamen in particulari applicata ad hoc passum cum
his circumstantiis, est naturaliter determinata ad
talem formam in indiuiduo efficiẽdam: cùm autem
dicimus causam necessariò agere adhibitis omnib.
requisitis, sermo est de omnibus in particulari quæ
ad actionem requiruntur. Probabiliùs verò est, vt
suprà attigi, hanc determinationem ad indiuiduum
effectum prouenire ex concursu, & diffinitione pri-
mæ causæ; quo posito dicendum est, hanc conditio-
nem ẽt contineri in prærequisitis ad agendum, iux-
ta ea quæ à nobis explicata sunt. Indiget. n. causa se-
cunda concursu primæ determinato ad particularẽ
effectum, quo concursu exhibito in actu primo, &
aliis omnibus requisitis adiunctis, talis causa neces-
sariò determinatur ad talem effectum in particula-
ri. Et ita etiã hoc modo nulla hîc interuenit indiffe-
rentia, quæ repugnet naturali necessitati agendi.
Neq; hæc vltima indifferentia, vt obiiciebatur, est
contra debitam naturæ institutionem quod natu-
ralia agentia nõ possint sese determinare ad indiui-
duos effectus, nisi determinatio incipiat à prima
causa. Sed hæc est naturalis imperfectio & indigen-
tia taliũ agentium, & quædã subordinatio quam ad
primã causam habent: propter quã veluti instrumẽ-
ta quædã eius censentur: & ideò sicut ab ea pendent
in operari, ita & in determinatione ad operandum
hoc indiuiduum potiùs quàm aliud. Imò ex hoc ef-
fectu rectè intelligimus opus naturæ esse opus in-
telligentiæ: & effectum quantumuis necessarium
respectu causæ particularis, esse liberum respe-
ctu vniuersalis. Constat igitur ex his omnibus in
naturalibus causis nullã esse propriam indifferen-
tiam quę necessitati agendi repugnet, quominus ta-
lis causa positis omnibus aliis concausis, & conditi-
onibus requisitis ad operandum, ex necessitate abs-
que omni prorsus indifferentia operetur.

Quæ sint causæ necessariò agentes.

SEcundò dicendum est, omnes causas, quæ ope- XII.
rantur absque vsu rationis, quatenus tales sunt,
operari cum prædicta necessitate. Hoc sumitur ex
Aristotele lib. 9. Metaph. cap. 2. vbi hoc discrimen Aristot.
constituit inter potentias rationales & irrationales,
quod potentiæ irrationales sunt determinatæ ad v-
num: rationales verò sunt indifferentes ad oppositа.
Quid verò intelligat per potentias rationales, &
an omnibus conueniat ille operandi modus, infrà
videbimus: nunc solùm asserimus facultates omnes
C quæ rationis vsu omnino carent, naturali necessita-
te suas operationes exercere. Quod etiam inductio-
ne confirmari potest: ita enim experimento constat
in omnibus rerum gradibus, vsque ad bruta ani-
malia.

Solùm posset de appetitu sensitiuo hominis du- XIII.
bitari: cui aliqui tribuunt nescio quod libertatis ve- Appetitus sensitiuus hominis, liberène an necessatio agat.
stigium. Imò sunt qui id extendant ad appetitum
brutorum, vt inferiùs iterum attingemus. Sed in ea
re, quæ in Theologia latiùs disputatur, veritas est, si
quod est participium libertatis in appetitu sensiti-
uo hominis, in tantum esse, in quantum est parti-
cipium rationis in cogitatiua hominis. Quod si in
hac non est vera ratiocinatio, vt re vera non est, ne-
que in illo per se sumpto est vera libertas, quę exclu-
dat necessitatem operandi positis omnibus requisi-
tis. Et ita hoc exemplo potiùs confirmatur & quasi
consummatur inductio facta. Ratio autem eius est,
quia adæquata radix libertatis est vsus rationis, vt
infrà videbimus, & ideò carentia vsus rationis, est c-
tiam adæquata causa carentiæ libertatis, & conse-
quenter necessitatis in operando. Quod si intrinse-
cam, & quasi positiuam radicem huiusmodi ope-
randi inquiramus, nulla est alia, nisi ipsa natura tali-
um rerum, vel facultatum, quæ ex natura sua habẽt

Ad quod duobus æquè propensis efficiat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hanc determinationem in modo operandi, eò quod non sint adeò perfectæ vt participare possint dominium suarum operationum. Item, quia indifferentia in operando intrinsecè & adæquatè oritur ex amplitudine rationalis facultatis, vt infrà declarabimus, sicut autem affirmatio est causa affirmationis, ita negatio negationis.

XIIII. Ex quo tandem inferre licet huiusmodi necessitatem tantam esse, vt non solùm per intrinsecam virtutem ipsius facultatis, verùm etiam per quascunque alias naturales causas auferri non possit, aut impediri quò minùs in actum prodeat. Possunt quidem, vt diximus, naturales causæ se impedire per resistentiam vel contrariam actionem: atque ita possunt etiam auferre omnia ad operandum requisita, tamen his positis, continere actionem necessarii agentis non possunt, quia rerum naturas immutare non valent, nec proprietates omnino intrinsecas auferre. Solus Deus videtur habere hanc potestatem, per illam enim effecit vt ignis non comburet tres pueros, & similia, tamen, si res attentè ponderetur, etiam Deus ipse non videtur posse facere, vt in sensu (vt vocant) composito, causa quæ natura sua necessariò agit, ab agendo cesset, positis omnibus requisitis ad actionem, sed solùm potest auferre aliquod ex requisitis, & ita simpliciter seu in sensu diuiso, potest facere vt talis causa non operetur. Vt in dicto exemplo Deus impediuit actionem ignis, negando igni concursum suum, id est non applicando virtutem suam ad operandum cum igne: hoc autem est vnum ex prærequisitis vt ignis agere possit. Non ergo fecit Deus vt ignis non ageret positis omnibus requisitis, sed aliquod ex eis abstulit. Nam si Deus statuisset dare concursum quantum est ex se, & alias conditiones requisitas integras relinquere, non posset illam actionem impedire: quia implicat tollere id quod naturale est absq; vlla contraria efficientia, vel saltem absq; denegatione auxilii seu efficientiæ necessariæ ex parte Dei. Quomodo enim potest naturalis actio impediri nullo posito impedimento? Aut quod aliud impedimentum intelligi potest, si nullum ex prædictis interuenit? Itaq; dicta suppositione facta, vt declarata est, tanta necessitate suboritur actio, vt impediri non possit nisi tollendo aliqua ex parte suppositionem. Differentia autem inter Deum & alia agentia creata in hoc est, quod positis omnibus quæ extra Deum requiruntur ad actiones naturalium agentium, potest ipse sola sua voluntate impedire actionem, negando id quod ex parte sua necessarium est: aliæ verò res creatæ hoc non possunt, sed solùm per actionem vel resistentiam oppositam, aut certè, quia per aliquam motionem localem possunt aliquod impedimentum ponere, vel materiam aut aliam conditionem necessariam auferre. Atq; ita satis constat qualis & quanta sit hæc necessitas.

SECTIO II.

Vtrum inter efficientes causas sint aliquæ absq; necessitate, & cum libertate operantes.

I. HÆc quæstio est grauissima, & latissima, & magna ex parte pendet ex difficultatibus Theologicis, quæ oriuntur ex supernaturalibus mysteriis gratiæ, & prædestinationis diuinæ: hoc verò loco solùm est tractanda, quantum ex naturalibus principiis definiri potest. Si ergo naturalem rationem spectemus, videtur multis rationibus probari nullam esse posse causam efficientem absque intrinseca necessitate agendi. Primò quidem, quia prima causa à qua omnes aliæ manant, ex necessitate naturæ operatur: neque aliud potest ratione naturali intelligi: ergo multò magis omnes causæ quę sub illa operantur. Antecedens supponitur communiter ex sententia Aristotelis, & aliorum Philosophorum: & patet ratione, quia nisi Deus ex necessitate naturæ operaretur, non esset immutabilis, nam posset nunc aliter se habere quam priùs. Prima verò consequentia probatur, quia secunda causa non agit nisi mota à prima: ergo si prima necessariò mouet secundam ad operandum, secunda necessariò mouetur: ergo & necessariò operatur: quia nec stare potest motio actiua sine passiua, neque actualis motio ad operandum sine actuali operatione, tum quia non potest esse motio sine suo termino, tum etiam quia non potest frustrari diuina motio.

Partis negatiuæ argumenta. Primum.

II. Atq; hinc fit secunda ratio, quæ procedit etiam si non supponamus primam causam agere ex necessitate, sed liberè, quia licet hinc rectè sequatur respectu primæ causæ effectus non esse necessarios, tamen eadem efficacia videtur inferri sub prima causa nullam esse aliam quæ non ex necessitate operetur, quia nulla est quæ operetur non mota ab illa: omnis enim causa secunda indiget moueri à prima, sed omnis causa mouens mota, ex necessitate operatur, quia quod mouetur, non est in potestate eius, sed mouentis, cuius motionem nec ipsa ponere potest, nec impedire, quod autem mota operetur, necessariam habet consecutionem, vt priùs argumentabamur. Secundum.

III. Tertia ratio fit, quia superiori sectione ostensum est omnem causam operantem absque ratione, ex necessitate agere: si ergo aliqua causa quidpiam efficit absque necessitate, erit aut homo, aut intelligentia creata (vt iam primam causam omittam, quia hîc de creatis potissimè sermo est) sed de neutra causa ex his dici id potest sequendo rationem naturalem. Quod primò de intelligentiis probatur, quia ratione naturali solùm cognoscuntur, vt motrices orbium cœlestium: sed in ea actione non possunt existimari causæ liberè agentes, aliàs motus illi non essent necessarii, neque ineuitabiles, possentq; intelligentiæ creatæ suo arbitrio inuertere ordinem vniuersi. Vnde propter hanc causam positæ sunt à Philosophis intelligentiæ secundæ æquè immutabiles ac prima: ergo cùm eadem sit ratio de hoc effectu & de aliis, censendæ sunt intelligentiæ causæ in omnibus necessariò agentes, quantum ratione naturali cognosci possunt. Et hinc à fortiori probatur altera pars de homine: primò quidem, quia vel agere absque necessitate pertinet ad perfectionem, vel ad imperfectionem: si ad perfectionem, cùm intelligentiæ illam non participent, quomodo eam tribuemus hominibus? Si ad imperfectionem, cur potiùs illam tribuemus hominibus quàm brutis? Secundò, quia homo subiectus est influentiis cœlestibus sicut aliæ res inferiores; sed inferiores causæ habent ex influentia cœlesti necessitatem quandam in effectibus suis: ergo ex eadem participant necessitatem humanæ actiones & mores: quod experientia ipsa & Astrologorum prædictiones satis persuadere videntur. Tertium.

Quarta

IIII. Quarta. Quarta ratio sit, nam si aliqua causa absq; necessitate operatur, necesse est habere aliquam facultatem seu potentiam, quæ vim habet continendi suam operationem, etiam positis omnibus requisitis ad operandum; sed nulla est in rebus creatis talis potentia: ergo nec libertas seu carentia necessitatis in agendo. Maior constat à cõtrario ex dictis sectione præcedenti: nam causa secunda nihil operatur, nisi per aliquam facultatem suam: illa autem facultas est principium necessariæ operationis, quæ illam necessariò exercet, positis omnibus requisitis: ergo vt aliqua actio sit necessaria, oportet vt aliqua potẽtia habeat oppositum operandi modum. Probatur autem minor, nam si quæ esset huiusmodi potentia, esset aut intellectus, aut voluntas, nam in inferioribus omnibus diximus nullam esse huiusmodi: sed intellectui non potest hoc attribui, quia ex necessitate præbet assensum, cognita sufficienter veritate, vt experientia notum est: est ergo intellectus de se potentia terminata ad vnum. Quòd si interdum nõ satis determinatur, id solùm est ex insufficienti applicatione obiecti, vel ob rationes propositas inter se pugnantes, & quasi resistentes sibi inuicem: quod non satis est ad indifferentiam in operando, vt in inferioribus potentiis proportione seruata suprà declarauimus.

V. Neq; etiam voluntas videtur habere illum operandi modum, nam intellectus est perfectior potẽtia quam voluntas: ergo si ille non participat hunc modum operandi, neque etiam voluntas. Deinde, quia voluntas non operatur nisi mota, & determinata efficaciter ab intellectu: nam voluntas est potentia cæca, quæ non potest exire in actum nisi ducatur ab intellectu, nec potest ei resistere, si efficaciter moueat & imperet, aliàs poterit esse defectus in voluntate, etiamsi intellectus, quantum in se est, faciat ad dirigendam illam, quod Philosophi morales non admittunt.

VI. Et confirmatur primò hæc ratio, nam voluntas (& idem est de intellectu) in potissimis actibus suis ex necessitate operatur, vt in dilectione boni vt sic, & in intentione vltimi finis: ergo in omnibus. Patet consequentia, tum quia vnius facultatis vnus est operandi modus: tum etiam, quia vel operari ex necessitate melius est, quam operari sine illa, vel non. Si est melius; ergo si voluntas assequitur illum modum operandi in perfectissimis actibus, assequetur in omnibus. Si non est melius; ergo qua ratione non habet voluntas perfectiorem operandi modum in omnibus actibus suis, & maximè sibi propriis, non habebit in reliquis.

VII. Confirmatur secundò, quia si voluntas est libera in aliqua operatione sua, vel eam libertatem habet in instanti quo operatur, vel priusquam operetur, non in eodem instante, quia iam tunc necessariò operatur: quia sicut res quando est, necessariò est, ita quando operatur, necessariò operatur. Neq; etiam prius quàm operetur, quia tunc nullam exercet actionem non necessariam. Et præterea, quia etiam tunc ex necessitate non operatur.

Notationes quibus sensus quæstionis exponitur.

VIII. QVamuis hæc quæstio generalis sit de omnibus causis creatis, imò extendi etiam possit ad increatam: specialiter tamen illam tractabimus de humanis actionibus, tum quia & nobis notiores sunt, & de illis frequentiùs disputatur: tum etiam quia de omnibus inferioribus agentibus supponimus, non habere in eis locum alium modum agendi nisi ex necessitate, vt sectione præcedenti tactum est. de superioribus verò non possumus nos philosophari nisi secundum quandam proportionem ad res nostras, quatenus cum eis in intellectu & voluntate conuenimus. Vt autem de vocibus constet, aduertendum est has voces necessitatis, & libertatis, & liberi ac necessarii variis modis accipi posse. Propriè enim, & dialectico more loquẽdo, necessarium opponitur tam impossibili, quam possibili nõ esse, quo modo necessaria actio dicetur quæ non potest non esse aut fieri, subintelligendo semper illam Hypothesim, scilicet positis omnibus requisitis ad agendum, & de hac necessitate actionis diximus sect. præcedenti. Alio verò modo sumi solet necessarium prout opponitur voluntario, quo modo vt actio necessaria dicatur, non satis est vt non possit non exerceri, sed etiam oportet vt voluntaria non sit. Quod potest dupliciter accidere, scilicet vel negatiuè, vel contrariè; priori modo dicuntur necessariæ omnes actiones rerum carentium cognitione, etiamsi maximè naturales sint: nam licet Metaphoricè dici possint spontaneæ, quatenus sunt conformes appetitui naturali & Metaphorico, tamen propriè non sunt voluntariæ, cùm non sint ex cognitione, sine qua voluntarium esse non potest, vt constat ex 3. Ethic. capit. 1. & tractat D. Thom. 1. 2. quæst. 6. artic. 1 & 2. Posteriori modo dicitur necessarium, quod est violentum & coactum, quia est contra proprium appetitum elicitum, vel perfectum, vt est rationalis, vel imperfectum, vt est sensitiuus. Et hoc modo actio bruti, si ex mero appetitu procedat, quamuis sit necessaria primo modo, non tamen his posterioribus modis: quia non est violenta, nec merè naturalis, sed spontanea: erit autem hoc modo necessaria actio si brutum contra proprium appetitum aliquid agere cogatur, & quoad hoc idem est de humana actione. Quo modo dicitur 2. ad Corin. 9. *Non ex tristitia, aut ex necessitate,* &c. Quanquam humanæ actiones aliis etiam modis dici possint necessariæ, etiamsi voluntariæ, imò quamuis liberæ sint, nimirum, quia ex necessitate præcepti fiunt, de qua dicitur 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, potestatẽ autem habens suæ voluntatis.* Vel quia fiunt ex subiectione quadam seruili, quomodo dicuntur necessariæ actiones fui, præsertim si eas faciat ex timore.

Liberum & necessarium multiplicitèr sumitur. D. Thom. 2. Corint. 9. C

IX. Cùm autem liberum necessario opponatur, tot fere modis dicitur, quot necessarium ipsum. Si enim *liberum* dictum credatur à verbo *libero*, ita vt actio libera dicatur quæ ab omni necessitate libera est, illa actio erit omnibus modis libera, quæ nullam habet ex prædictis necessitatibus, quod vix reperietur nisi in diuina actione: quanquam etiam in aliquibus humanis suo modo inueniatur, in eis maximè quæ honestæ sunt, & tantùm ex consilio & appetitu rectitudinis ac iustitiæ fiunt. Atq; ita sumitur interdum *liberum*, vt excludit non tantùm necessitatem propriam, sed etiam seruitutem, quo modo in Scriptura, sanctificati per gratiam vel gloriam, dicuntur peculiariter liberi; vtiq; à seruitute peccati. Aliter dicitur actio libera quæ coacta nõ est, sed voluntaria: quæ libertas non excludit necessitatẽ primam, quæ consistit in determinatione ad vnũ cum impotentia suspendendi actionem, sed excludit tãtùm violentiam & coactionem: quo modo euidentissimum est dari actiones non necessarias, non

Ad Rom. 6. & 8. 2. ad Cor. 3.

solùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

solùm in nominibus, sed etiá in brutis, quamuis eò perfectiores sint in hominibus illæ actiones, quo ratio voluntarij in eis perfectior inuenitur. Ex quo aliqui, præsertim hæretici, sumpserunt occasionem dicendi hominis actiones non alia ratione esse liberas, nisi quia sunt perfectè voluntariæ, ita vt *liberum* non a verbo *libero*, sed à verbo *libet*, dictum sit. Vltimò tamen ac propriissimo modo dicitur actio libera, quæ verè libera est ab ea necessitate quam in agendo habent res naturales, & irrationales, vt superiori sectione declaratum est. Et de hac libertate seu nõ necessitate disputamus propriè in præsenti quæstione: & in hoc sensu disputata fuit semper etiam ab antiquis Philosophis: nullus enim vnquam dubitauit, vel dubitare potuit an operentur homines in multis actionibus suis spontaneè, & propria voluntate sese mouentes & applicantes ad opus præuia cognitione, sed an in hoc ipso voluntario misceatur necessitas, & determinatio ad vnum, hoc est, quod in controuersiam vocatum est.

Primus error libertatem negans.

XI. IN hac ergo re fuit antiquus quorundam Philosophorum error, qui dixerunt omnes effectus & actiones causarum vniuersi, etiam humanarum voluntatum, necessitate quadam fatali prouenire, orta ex connexione causarum omnium, & cœlorum ac stellarum influxu. Ita refert Augustinus 4. libr. Confess. cap. 3. & lib. 5. de Ciuitat. cap. 1. vbi Ludouicus Viues signat Democritum, Empedoclem, & Heraclitum pro hac sententia, quæ solet etiam cõmuniter Stoicis tribui, sed immeritò, vt inferiùs dicam. Hunc errorem posteà secuti sunt multi hæretici, vt Simon Magus, Bardesanes, Priscillianus, Manichæus, & alij, vt constat ex Augustino, & aliis antiquis scriptoribus. Eundemq; errorem excitarunt his temporibus hæretici, vt latè referunt moderni Doctores, qui contra illos sapientissimè disputarunt. Veruntamen non eodem modo nec sub eisdem principiis, vt existimo, hunc errorem docuere, nam quidam astrorum influctiæ necessitatem hanc tribuerunt, alij diuino concursui seu motioni, vel efficaciæ diuinæ voluntatis, vel gratiæ. Rursus quidam omnino, & in omnibus actibus tam internis, quàm externis tam bonis, quàm malis; alij verò solùm in moralibus seu honestis actionibus, non verò in ciuilibus seu indifferentibus libertatem negarunt.

Aug. lib. de hæres. c. 35. 46. & 70. Clemens li. 3. Recog. Rossens. artic. 36. Ricard. ar. 7. Bellarm. latè lib. 3. de gtat. & lib. arbitrio. & sequentib.

XII. Nullus autem ferè ex prædictis Philosophis aut hæreticis declarauit satis an hæc necessitas, quam humanis actionibus attribuunt, oriatur ex intrinseca hominis natura, an verò solùm ex actione alicuius intrinsecæ causæ: hoc enim tantùm posteriori modo hanc necessitatem declarant. Veruntamen si consequenter locuti sunt, necesse est vt senserint, necessitatem hanc fundari etiam in intrinseca hominis natura, quia nimirum nulla est in eo facultas natura sua indifferens in actionibus suis. Quia si res non violenter, sed iuxta naturæ suæ debitum moueantur, ita vnaquæq; res mouetur, sicut ex se apta nata est moueri; cùm ergo influxus cœlorum, ac concursus Dei non sit violentus, sed naturalis, si ex huiusmodi causis homo semper necessariò operatur, signum est natura sua postulare huiusmodi operandi modum. Omitto eorum sententias, qui hanc necessitatem tribuerunt aut diuinæ gratiæ, aut peccato originali, quæ non sunt causæ naturales, sed merè extrinsecæ, & præter vel supra naturam, nam horum errorum pertractatio ac confutatio non ad Metaphysicum, sed ad Theologum pertinet: quoniam consideratio de peccato originali & gratia, & aliis similibus causis, naturalem rationem excedit. Contra hos ergo errores duo à nobis ostendenda sunt. Primum esse in homine facultatem aliquam actiuam, quæ ex se, & ex sua intrinseca ac particulari natura non est determinata ad vnum tantùm, sed indifferens ex se ad hoc vel illud operandum, & ad operandum & non operandum positis omnibus requisitis ad agendum. Deinde ostendendum est nullam extrinsecam causam impedire semper hunc operandi modum. Ita enim ostensum erit dari inter causas agentes creatas nonnullas, quæ non ex necessitate naturæ, sed ex libertate operari possint, & sæpè de facto ita operentur.

Hominem sæpè operari liberè demonstratur.

XIII. DIco ergo primò euidens esse naturali ratione, & ipso rerum experimento, hominem in multis actibus suis non ferri ex necessitate, sed ex voluntate sua & libertate. Hæc conclusio probatur primò ex communi consensu Philosophorum. Ita enim de libertate hominis sensit Aristoteles, & Peripatetici, vt constat ex Aristotele libr. 9. Metaph. cap. 1. & sequentib. vbi distinguit potentias rationales ab irrationalibus & prioribus tantùm concedit intrinsecam vim per se operandi contraria, nimirum ex interna libertate; & 3. Ethicorum à principio libertatem hanc statuit vt totius moralis doctrinæ fundamentum. Eandem agnouit Plato, vt constat ex Gorgia, & ex lib. vltimo de Republica, Stoici etiam à necessitate fati quam in aliis rebus asserebant, voluntates humanas excipiebant, vt testis est August. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. Vbi Viues ex Plutarcho lib. 1. de Placitis refert Stoicos de libertate humana idem cum Platone sensisse. Cicero etiam in libro de Diuinatione, & de natur. Deor. vt hominis libertatem defenderet, diuinam præscientiam negauit, quod putaret hanc pugnare cum libertate humana, quam vel ipso rerum experimento credidit esse euidentem. Atque ita, vt Augustinus suprà dicit, *vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Signum ergo est veritatem hanc satis esse lumine naturali perspicuam, cùm à sapientioribus Philosophis, eorumq; Scholis communi consensu recepta sit. Patres etiam Ecclesiæ, & Scholastici omnes, & Philosophi Catholici veritatem hanc constantissimè defendunt, quos omnes nunc referre non est necesse, sed eos tantùm qui ex Philosophis, & Philosophiæ principiis hanc veritatem tractarunt, vt Euseb. lib. 6. de Præparat. Euangelic. per totum. Greg. Nissen. in quatuor vltimis libris de Philosoph. qui ei attribuuntur, & reperiuntur apud Nemes. lib. de natura hominis, vt à cap. 32. vsque ad 42. de hac re disputat, & Damasc. lib. 2. de fid. cap. 25. & August. tom. 1. tribus libris de libero arbitr. in Tomo autem septimo disputans contra Pelagium, & liberum arbitrium defendens, ac cum gratia concilians, ex Theologicisq; principiis procedens, hanc naturalem veritatem vt certam supponit, & ostendit gratiam non destruere naturam, sed perficere. Atque eodem ferè modo procedunt Prosper, Ansel. Bernard. & alij Patres, qui de concordia liberi arbitrij cum gratia & præscientia scripserunt. Vnde obiter constat, hos & alios antiquos authores, cùm liberum arbitrium defendunt, non agere de libertate prout

Plato. Cicero. Eusebius. Nissen. Damasc. August. Prosper. Anselmus. Bernard.

prout solùm opponitur coactioni, sed etiam vt excludit necessitatem in operando: aliàs non laborasset in concilianda gratia, prouidentia, aut prædestinatione cum libertate, cùm sit euidentissimum, nos quæ voluntate agimus, non coactè, sed spontaneè agere. Difficultas vero solùm esse poterat de indifferentia in operando: in hac igitur defendenda, & cum diuina gratia & motione componenda, laborant.

XIIII. Experimento probatur affirmatio.

Secundò argumentari possumus ab experientia: experimur enim euidenter, situm esse in nostra potestate aliquid agere vel omittere, & adhoc vtimur ratione & discursu ac cõsultatione, vt in vnam partem potiùs quam in aliam inclinemur: est ergo electio posita in nostro arbitrio: alioqui, vt rectè dixit Damascenus suprà, fuisset nobis data superfluè hæc deliberandi, & consultandi vis. Huc accedit vsitatus modus operandi, & gubernandi humanas actiones per consilia, per leges, & præcepta, per exhortationes ac reprehensiones, per promissiones præmiorum, & comminationes pœnarum, quæ omnia superuacanea essent, si homo necessitate naturæ & non libertate sua operaretur.

XV. Obiectio ex. principium oppositum.

Dicet aliquis, his omnibus indiciis & experientiis solùm probari euidenter hominem ratione duci & moueri in suis operationibus, non verò eas liberè exercere. Nam ea omnia quæ in argumento proponuntur, nimirum pœnæ & præmia, exhortationes, consultationes, &c. solùm ad hoc conferre videntur vt actiones ipsæ, vel obiecta earum, vt appetibilia vel vt fugienda apprehendantur, ac iudicentur, non verò vt liberè eligantur. Vnde consequenter dicet, qui in contraria sententia fuerit pertinax, posita apprehensione, quæ ex omnibus illis causis & circumstantiis enascitur, hominem necessariò determinari ad hoc vel illud operãdum: apprehensionẽ autem ipsam, vel iudicium necessaria esse applicatis talibus causis: talium autem causarum applicatio sæpè est ab extrinseco, & tunc etiam nõ potest esse libera, sed necessaria ipsi homini: aliquando verò est à propria voluntate, vt cùm homo voluntariè consultat, aut inquirit vt eligat: & tunc de illamet voluntate dicetur ab alia apprehensione vel iudicio necessariò oriri: atq; ita sistendum semper esse in aliqua prima apprehensione, vel iudicio ab externis causis profecto. Et confirmari potest hæc euasio, nam etiam in aliquibus brutis experimur per inflictas pœnas coerceri ne aliquid faciant, adeò vt memoria præcedentis pœnæ ad hoc sæpe sufficiat. Et similiter inducuntur beneficiis, & aliquibus signis aut verbis per modum exhortationis aut excitationis, quæ omnia & similia, non ideò circa bruta fiunt, quia in potestate eorum sit agere vel non agere, sed quia iuxta diuersas apprehensiones, diuerso modo mouentur, spontaneè quidem, ex necessitate tamen, iuxta exigentiam apprehensionis: ergo ad hunc modum contendere quis potest moueri hominem ad operandum per exhortationes, consilia, &c. cum maiori quidem perfectione, quantum ad discursum mentis, & perceptionem rationum omnium, quæ determinare possunt appetitum aut voluntatem, non tamen quantum ad indifferentiam, vel necessitatis carentiam. Confirmari secundò potest, nam si ponamus Deum aliquando necessitare voluntatem hominis vtentis ratione (supponimus enim Deum id facere posse) in eo casu videretur homini ita operari proprio arbitrio, & voluntate sicut nunc operatur, quia ratione & voluntate sua se moueri experiretur, & nullum haberet principium ad cognoscendam necessitatem extrinsecus à Deo illatam: ergo non potest ex sola experientia satis colligi, esse in hominibus liberas operationes.

XVI. Dissoluitur obiectio.

Respondeo, hæc argumenta concludere, experimentum hoc non esse ita perspicuum ac per se notum, quin homini proteruo relinquatur aliquis tergiuersandi locus: alioqui nulla potuisset esse de hac re inter ipsos homines opinionum, aut errorum diuersitas. Veruntamen si modum nostrum operandi plenè considerare velimus, facilè prædictis obiectionibus occurremus. Itaque non solùm experimur mutata cognitione, vel apprehensione obiecti, sed etiam stante eadem situm esse in voluntate nostra, sedere aut stare, hac vel illa via incedere, & similia. Signum ergo est hunc varium operandi modum formaliter seu proximè non consistere in discursu, & apprehensione rationis, sed in libertate vel indifferentia. Prætereà experimur etiam post cognitam comminationem pœnæ aut promissionem præmij situm esse in potestate nostra ea ratione moueri aut non moueri: idemque est de precibus, exhortationibus, & similibus excitationibus. Denique post consultationem mediorum sæpè eligimus vnum præ alio, solùm quia volumus. Atque ita etiam constat non esse simile illud, quod de brutis afferebatur. Ad confirmationem verò de diuina potestate inferendi necessitatem, inprimis dicimus hanc naturalem euidentiam excludere miracula, aut extraordinarias actiones Dei. Vnde satis est si ex effectibus ostendamus esse in intrinseca facultate nostra hunc operandi modum; & consequenter non esse illi connaturale, aut rerum naturis consentaneum, quod extrinsecùs à Deo aliter moueatur: neque id affirmari posse de aliquo opere nostro, nedum de omnibus, nisi ex reuelatione constet.

XVII.

Deinde addere possumus, experimentum sumptum ab actionibus humanis moraliter prauis, quæ tribui non possunt diuinæ motioni inferenti necessitatem, absque manifesta impietate ipsi lumini naturæ contraria: prodeunt ergo malæ actiones ex libera determinatione nostra. Eò vel maximè quod Deus non solùm prohibet, sed etiam grauissimè punit has actiones: at hoc iniustissimum esset, si ad easdem necessitatem inferret. Vnde etiam constat pœnam & præmium non conferri homini solùm, propter subsequentes actiones, scilicet vt ad illas vel alliciatur, vel ab eis retrahatur: sed etiam præcisè ac per se propter bonum vel malum, quod in eis operatus est. Et propter eandem causam censetur homo dignus laude, & honore ob actiones suas, quæ omnia sine libertate intelligi non possunt. Et hinc etiam confirmatur, hunc esse communem modum sentiendi omnium hominum de humanis actionibus. Omnes enim iudicant esse dignos pœna eos qui malè operantur, eò quòd sic operari in eorum voluntate & potestate positum sit, & ideò indignè ferunt iniuriam illatam ab homine ratione vtente, non verò illatam ab amente, aut non aduertente, imò damnum ab his illatum inter iniurias nõ reputant. Vnde, vt rectè suprà aduertit Eusebius, ipsi etiam qui liberum arbitrium negant, dum grauiter ferunt iniurias sibi ab aliis hominibus illatas, & eas vindicare conantur, velint, nolint, eas liberè illatas confitentur: quia si non fuisset in aliorum potestate talia nocumenta non inferre, nulla ibi esset

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset ratio iniuriæ, aut iustæ iræ vel vindictæ. Et hinc etiam Damascenus lib. 2. de fid. cap. 7. dicit, neque virtutem, neq; vitium esse in eo quod à necessitate fit; quod etiam grauiter docuit Dionys. c. 4. de diui. nominib. & Aug. lib. de vera relig. c. 13. & 14. & epist. 46. dicens ablato libero arbitrio auferri iudicium, & iustam pœnam, vel etiã obiurgationem, & Chrysostom. homil. 60. in Matth. & in orationibus de prouidentia: & Clemens Alexand. lib. 1. Stromaton, & plerique alij.

Damasc. Dionys. Chrysost. Clemens.

XVIII. Vltimò possumus argumentari ratione à priori, quæ sumenda est ex modo & perfectione cognoscẽdi naturæ intellectus: quia libertas ex intelligentia nascitur; nam appetitus vitalis sequitur cognitionem, & ideò perfectiorem cognitionem comitatur perfectior appetitus: ergo & cognitionem vniuersalem & suo modo indifferentem sequitur etiam appetitus vniuersalis, & indifferens: cognitio autem intellectualis ita est vniuersalis & perfecta, vt propriam rationem finis & mediorum percipiat; & in vnoquoq; expendere possit quid habeat bonitatis vel malitiæ, vtilitatis aut incommodi: item quod B medium sit necessarium ad finem, quod vero indifferens, eò quòd alia adhiberi possint: ergo appetitus qui hanc cognitionem sequitur, habet hanc indifferentiam seu perfectam potestatem in appetendo, vt non omne bonum, aut omne medium necessariò appetat, sed vnumquodq; iuxta rationem boni in eo iudicatam: ergo illud bonum quod non iudicatur necessarium sed indifferens, non amatur necessariò, sed liberè: atque hac ratione, vt suprà dicebam, ad rationalem consultationem sequitur electio libera. Et confirmatur, nam Deus est agens liberum, quia liberè vult bona sibi non necessaria: ergo & creaturæ quæ participant intellectualẽ gradum, & in eo aliquo modo cum Deo conueniunt, participant etiam liberum operandi modum. Antecedens infrà probabitur inter disputandũ de perfectionibus Dei. Consequentia verò probatur, tum quia perfectissima libertas consequitur nostro modo intelligendi perfectissimam intellectualitatem: ergo iuxta participationem intellectualitatis, erit etiam participatio libertatis; tum etiam quia intercedit eadem proportionalis ratio, nimirum quòd creatura intellectualis potest percipere bonum aliquod vt necessarium, vel vt indifferens, seu vt bonũ simpliciter, aut tantùm secundum quid, seu habens adiunctum aliquid mali, incommodi, aut difficultatis: igitur creatura quæ participat intellectualem gradum, participat etiam libertatem.

Dari in homine aliquam facultatem liberam, demonstratur.

XIX. EX hac prima conclusione sequitur secunda, quæ non est minus euidens, scilicet esse in homine aliquam potentiam actiuam ex sua vi, & intrinseca natura liberam, id est, habentem tale dominium suæ actionis, vt in eius potestate sit eam exercere & non exercere, & consequenter vnam vel aliam seu oppositam actionem elicere. Omnes partes huius assertionis sunt ita connexæ, vt vna ad alteram consequatur. Itaq; in præcedente assertione probauimus vsum libertatis, quem in nobis experimur: ex hoc autem vsu euidenter colligitur facultas aliqua libera, sicut ex actu infertur potentia. Addimus verò hanc facultatem quatenus libera est, non posse esse nisi actiuam, seu è conuerso facultatem nõ posse esse liberam, nisi sit actiua, & quatenus actiua est. Quæ pars est valdè notanda ad rectè explicandam, & tuendam arbitrij libertatem. Probatur autem sic, nam passio vt passio non potest esse libera patienti, vt sic, sed solũ quatenus actio à qua talis passio prouenit, illi est libera: ergo libertas formaliter ac præcisè non est in potentia patiente vt sic, sed in potentia agente. Consequentia est manifesta, quia potentiæ passiuæ vt sic solùm respondet passio, sicut actiuæ actio: ergo, si passio non est libera nisi per denominationem ab actione libera, facultas seu dominiũ libertatis non potest esse in potentia passiua vt sic, sed in actiua. Antecedens autem probatur, quia actio si sit ex subiecto, vt nunc de illa loquimur, necessariò infert passionem, & è conuerso passio neq; esse potest nisi quatenus per actionem infertur, neque esse non potest si actio ab agente manet: igitur tota libertas & indifferentia est circa actionem vt actio est, non verò circa passionem nisi quatenus ex actione infertur: ergo potentia libera esse debet potentia actiua vt actiua, & non vt passiua.

XX. Passiua potentia vt sic non est libera.

Dices, Potentia passiua vt passiua potest esse ex se indifferens ad varios actus, vel modos contrarios, vt patet in materia prima, & in superficie ex se indifferente ab albedinem & nigredinem: ergo eadem ratione potest potentia passiua vt sic esse facultas libera. Respondetur negando consequentiam, nam ad libertatem non sufficit indifferentia ad varios actus, & carentiam eorum, sed necessaria est interna vis qua talis facultas possit eam indifferentiam ad alterutram partem determinare: hæc autem vis non potest esse in facultate passiua vt sic, sed in actiua. Ratio est, quia si facultas sit indifferens sine interna vi se determinandi, quantum est ex se semper ac necessariò manebit in eadem dispositione & indifferentia, seu carẽtia omnis actus, donec ab alia determinetur. Quod poterit quidem esse liberum alteri causæ efficienti determinationem, non verò recipienti. Vt si ponamus cœlum esse merè passiuè indifferens ad motum & quietem, intelligi non potest, quòd motus vel quies sint libera ipsi cœlo, quia ipsum non habet vim alterutrum horum definiendi sed respectu alterius agentis poterit ille motus denominari liber, si à voluntate libera proficiscatur.

C Et idem est in vniuersum de omni potentia passiua, quatenus passiua est: quia potentia passiua vt sic nõ potest suam naturalem dispositionem immutare: ideò enim vltra materialem causam requiritur efficiens, quia passum vt sic non potest se ipsum transmutare: ergo neq; etiam potest potentia passiua, quatenus passiua est, habere vim inchoandi suam determinationem, quia determinatio non fit sine aliqua immutatione, & consequenter neq; sine aliqua effectione.

XXI. Obiectio dissoluitur.

Dices, Potentia passiua vt sic potest resistere actioni, vel non resistere: ergo hac ratione intelligi poterit libertas in potentia passiua vt sic, nimirum si fingamus in potestate eius situ esse resistere agenti, vel non resistere. Vt qui dicunt amorem non elici à voluntate, sed illi imprimi ab obiecto cognito, vel à cognitione ipsa, dicent nihilominus, quamuis obiectum vel cognitio, quantum est ex se necessariò efficiant, nihilominus amorem esse liberum voluntati, quia in potestate eius est, resistere vel non resistere tali effectioni seu impressioni amoris. Respondetur primò, cùm voluntas nudè sumpta ex se sit indifferens ad recipiendum, vel non recipiendum amorem, intelligi non posse, quòd per se ipsam,

ipsam, suamque puram entitatem & potentiam passiuam resistat impressioni amoris; nam resistentia formaliter solùm esse potest ab aliquo contrario vel repugnante, non ab ipso subiecto capaci vt sic. Deinde hinc fit, vt talis resistentia non possit esse indifferens & libera, quia solùm oritur ex formali repugnãtia vel oppositione entitatum, & ideò si voluntas, verbi gratia, per suammet entitatem formaliter, resistit interdum impressioni amoris, semper ac necessariò resistet, quia semper habebit eandem formalem repugnantiã, quod si hanc non habet, nunquã resistet, nisi aliquid aliud adiungatur, quo repugnet, & resistat, & tunc in eo efficiendo vel non efficiẽdo, poterit cerni libertas. Vt in exemplo posito si admittamus in obiecto vel cognitione esse vim actiuam amoris, solùm poterit voluntas illi actiuitati resistere alterutro è duobus modis, scilicet, vel removendo obiectum seu considerationem eius, quod nõ potest præstare, nisi aliquid agendo seu volendo, vel non cooperando ipsi obiecto vel cognitioni, quod supponit voluntatem ipsam esse causam efficientem saltem partialem ipsius amoris, atque ita semper indifferẽtia libertatis reducitur ad facultatem aliquid B agendi, quatenus talis est.

XXII. Libertas creata in quo sita.

Dices tandem, in Deo esse perfectissimam libertatem, cùm tamen illa formaliter nõ consistat in facultate agendi. Quod probatur, tũ quia facultas agẽdi in Deo solùm est respectu actionum ad extra, libertas autem formaliter & per se primò est in ipso actu amoris, qui est immanens in Deo, vt nostro more loquamur, tum etiam quia, vt infrà dicemus, potentia actiua in Deo, est ratione distincta à voluntate; sola autem voluntas est potentia formaliter libera, vt paulò post dicemus. Respondetur nos loqui de libertate creata, quę proximè ac primariò exercetur circa actus ipsiusmet facultatis liberæ. Vt enim rectè notauit Scotus in 1. dist. 39. §. *Quantum ad primũ dico quòd voluntas*, libertas intelligi potest aut in ordine ad diuersos actus immanentes in ipsa potentia, aut in ordine ad diuersa obiecta, aut in ordine ad diuersos effectus extrinsecos. Hæc vltima habitudo, seu indifferentia est posterior, & quasi consequens libertatem, quatenus potentia liberè volens, est etiã efficax eorum, quæ vult, seu applicare potest potentiam, quæ illa efficiat. Secundus autem respectus est C formaliter requisitus, & per se sufficiens ad libertatẽ si in eo sit indifferentia; tamen habere hãc indifferẽtiã in ipsomet actu immediatè respectu obiectorũ sitiã in ipsomet actu immediatè respectu obiectorũ sitiã ne additione vel immutatione vlla est propriũ solius Dei, vt infrà ostendemus de ipso disputantes, & ideò libertas diuinæ voluntatis non est formaliter in facultate agendi, neq; etiam est in facultate recipiendi, sed in sola eminentia quadam ipsius purissimi actus. At verò libertas creaturæ non potest determinari ad obiecta, nisi intercedentibus aliquibus actibus secundis, qui addantur ipsi facultati liberæ, respectu quorum sit indifferens per modum actus primi. Et respectu eorundem dicimus libertatem inesse huiusmodi facultati, quatenus est actiua talium actuum, & non formaliter quatenus receptiua est, vel ipsorum actuum, vel alterius rei, quæ ad ipsos ordinetur.

XXIII. Sectãs Philosophorum sententiam.

Atque ita Philosophi omnes, præsertim Aristoteles, nostram libertatem declarant per potestatem agendi & non agendi, vel oppositum agendi, vt lib. 1. Magnor. Moral. capite 9. ait, *in nostro arbitrio esse bona, malaq; facere*, quod latè prosequitur 3. Ethicor. præsertim cap. 5. bona autem & mala moralia, de quibus ibi est sermo, formaliter ac propriè consistunt in actualibus ipsius voluntatis. Vnde etiam huic veritati consonant similes Scripturæ locutiones; *Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala, & nõ fecit*, Ecclesiastici 31. & illa; *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum*. Matth. 12. Quæ verba tractans Augustinus libro contra Adimant. Manich. cap. 26. *In voluntatis potestate* (inquit) *positum est ita mutari, vt bonum possit operari*. Et Methodius libro de lib. arbitr. per hoc libertatem declarat, *quòd homini data est potestas faciendi quæ velit*, & similia leguntur apud Basilium, homil. quòd Deus non sit author malorum, Nazian. orat. 1. & alios infrà referendos. Ac denique Concil. Trident. Sess. 6. cap. 4. & Can. 4. & 5. vt nostrę voluntatis libertatem tueatur, docet, eam in suis actibus non merè passiuè se habere, sed actiuè illos operari, insinuãs vsum libertatis consistere in actione, facultatem autem libertatis in potentia aliqua quatenus actiua est. Atque ita simul probatum relinquitur, inter causas efficientes creatas aliquas esse liberè agentes, quod in præsenti disputatione principaliter intendimus.

Ecclesiast. 31. Augustin. Method. Basil. Nazian. Trident.

Iam verò occurrebat declarandum, quænam sit hæc facultas sic libera in agendo. Item qualis sit indifferentia eius, & in quo posita sit. Sed hæc inter soluenda argumenta tractabuntur: singula enim ex argumentis propositis graues postulant difficultates.

SECTIO III.

Vtrùm in causis efficientibus possit esse aliqua liberè agens, si prima causa ex necessitate operetur: & in vniuersum an libertas actionis requirat libertatem in omnibus causis in illam influentibus, vel in vna sufficiat.

I. DRimum igitur argumentum petit in primis, an prima causa liberè operetur vel ex necessitate naturæ; sed hoc tractandum est infrà in propria disputatione de diuinis perfectionib⁹, sic supponimus non necessariò, sed liberè efficere quidquid propria extra se efficit, quod non solùm fide certum est, sed etiam naturali ratione sufficienter probari posse credimus, vt dicto loco ostendemus. Atque ita solutum manet illud primum argumentum, negando antecedens.

II. Adhuc tamen manet circa idem argumẽtum hypothetica quæstio, vtrùm licet Deus ageret ex necessitate naturę adhuc intelligi posset causa creata liberè efficiens: hæc enim quæstio controuersa est inter Scotum, & præcipuos sectatores D. Thom. Ille enim absolutè negat fieri posse vt causa secunda liberè efficiat, si prima agit ex necessitate naturæ: putaque Aristotelem, vel quemcunque alium Philosophum, qui illa duo simul docuit, scilicet, Deum necessariò, & hominem liberè operari, contradictoria docuisse. Fundamentum Scoti est suprà tactum in primo argumento, scilicet, quia causa secunda non agit, nisi mota à prima; vnde si prima necessariò agit & mouet, secundam eandem necessitatem moueri & agere, necesse est. Ita habet Scotus in 1. dist. 1. quæst. 1. dist. 4. quæst. 4. distinct. 38. ad 1. dist. 39. §. Quantum ad primum, & in 1. dist. 1. quæst. 3. & idem sentiunt sectatores Scoti, vt videre licet apud Cordubã in 1. lib. quæst. 55. dubio 4. & eandem sententiam sequuntur

Scoti sententia & fundamentum. Cordub.

Sf nonnul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nonnulli ex modernis Cõmentatoribus D. Thom. 1.part.quæst.19.art.8.

III. Alij verò antiquiores existimant ex illa hypothesi, quod Deus ex necessitate naturæ operetur. non sequi omnem causam secundam ex necessitate operari, sed posse esse effectum cõtingentem ratione causæ proximæ, quamuis prima naturali necessitate influat. Fundamentum est, quia quando effectus pendet à pluribus causis, potest habere peculiarem cõditionem, aut defectum ratione vnius causæ, & non ratione alterius. Sic enim ex duobus assensibus præmissarum, altero certo, & altero incerto efficitur assensus conclusionis incertus, & ex causa prima perfecta, & secunda defectuosa, sequitur effectus imperfectus, quia vt dicitur, bonum ex integra causa, & malum ex quocunq; defectu. Sic igitur, vt effectus sit liber aut contingens, sufficere potest libertas causæ secundæ, quamuis causa prima necessariò operetur. Nam, cùm effectus pendeat ab vtraque causa, vtriusque influxus requiritur, vt sequatur effectus: vt autem non sequatur, satis est quòd altera causa desit & pari ratione vt effectus necessariò sequatur, necesse est vtramque causam ex necessitate influere: vt autem sit liber vel contingens, satis est, vt altera possit non influere. Ita ferè Caietanus 1. part. quæst. 14.ar.13.circa ad 1.& quæst.19.art.8.& Ferrar.2. cont. Gentes, cap.67.circa rationem 5.& Capreol.in 1.dist. 38.qui hanc sententiam tribuunt D. Thom.eò quòd prædictis locis dicat, quamuis scientia Dei sit causa necessaria, ab ea prodire effectus contingentes, quia influxus eius modificatur in causa secunda, & similia habet idem Diuus Thomas quæst.2.de veritate art. 14.ad 5.& quæst.5.art. 9.ad 10. Eandem opinionem tenet Gabriel in 1.dist. 38. quæst. vnica art.1. part 2. illius, & Palacios disp.2.

Caiet. Ferrar. Capreol.

D.Thom. Gabriel Palac.

IV. Vtraque ex his sentẽtiis aliquid verum continet, neutra tamen exactè rem declarauit aut confirmauit: illa enim conditionalis seu hypothetica quæstio plures potest habere sensus, quos oportet distinguere; nam iuxta illos diuersis modis quæstio definienda est.

Primus quæstionis sensus, eiusq; resolutio.

V. PRimus igitur sensus est, si in prima causa non esset libertas in agẽdo, an posset esse in aliqua causa secunda. Et in hoc sensu negandum omnino est posse vllam causam secundam esse liberam, si prima non sit. Quo sensu verum est, quod Scotus ait, hallucinatos fuisse Philosophos dicentes, Deum agere ex necessitate naturæ, homines verò liberè, quamquam nec Scotus hunc sensum intendat, nec ratio eius illum probet, vt videbimus. Ratio ergo prima est, quia si Deus non habet libertatem, non est vnde creatura illam participet. Dices eodem modo argumentari quis posset, quia Deus non habet sensum, non esse vnde creatura illum participet. Respõdeo non esse simile, quia libertas vt sic pertinet ad perfectionem simpliciter, quæ si in Deo non sit formaliter, neque in creatura esse potest. Vnde similius argumentum est, quòd si in Deo non esset cognitio, etiam in creatura esse non posset, & consequenter neque intellectus, neq; sensus. Secunda ratio est, quia si aliqua causa secunda est capax libertatis, maximè intellectualis creatura: sed si in Deo non est libertas in agendo, neque in creatura intellectuali esse potest: ergo. Probatur minor; nam Deus est est intellectualis per essentiam, creatura per participationem: ergo quidquid perfectionis in gradu intellectuali excogitari potest vnde oriatur libertas excellentiori modo est in Deo. Vt, v.g. perfectio intelligendi, vniuersalis cognitio bonorum omnium, immaterialitas potentiarum, non necessaria connexio cum extrinsecis bonis, seu independentia ab externis rebus, vel si quid aliud eiusmodi est quod vel ex parte obiecti, vel ex parte subiecti seu propriæ naturæ esse possit ratio libertatis, quidquid (inquam) huiusmodi est, excellentiori modo in Deo inuenitur. Si ergo hæc omnia in Deo satis esse non possunt vt sit in agendo liber, neq; in creatura satis erunt.

VI. Libertas non potentia perfectio.

Obiicies; Libertas requirit perfectionem admistam alicui imperfectioni, nimirum potentialitati, vel mutabilitati, & ex hoc capite potest non esse euidens illa consecutio. Vnde nos etiã fatemur in creatura esse libertatem cũ indifferentia ad varios actus, non tamen in Deo. Respondetur negando assumptum; nam libertas præcisè & absolute sumpta, nullã includit imperfectionem, quia saluari potest cũ indifferentia ad obiecta, vel effectus, absque vlla compositione vel potentialitate respectu diuersorum actuum, solùmq; dicit dominium quoddam & independentiam, respectu talium rerum seu obiectorũ. Atque hoc modo est libertas in Deo, quia est libertas per essentiam; in creatura verò est tantùm per participationem, & ideò habet illam imperfectionẽ adiunctam, quam includit indifferentia ad diuersos actus, in qua quidquid est potentialitatis & compositionis, imperfectionis est; supposita verò hac imperfectione, ipsa indifferentia & dominatus in proprium actum, perfectionis est, quæ perfectio nõ posset participari à creatura, nisi in Deo esset ipsa perfectio libertatis pura & sine imperfectionibus. Neque contra hunc sensum procedit ratio secundæ sententiæ; nam illa supponit quidem, stante necessitate Dei in agendo, esse causas secundas liberas, cuius oppositum ostendimus sequi ex prædicta hypothesi.

Secundus quæstionis sensus, eiusq; resolutio.

VII. SEcundus sensus quæstionis est, si per impossibile contingeret, Deum agere ex necessitate naturæ; creaturam autem habere facultatem agendi ex natura sua liberam, an Deus propter suum naturalem modum agendi, impediret in creatura vsum libertatis, ita quod de facto non haberet actionem liberam, etiamsi haberet potentiam liberam. Et quidem pars negatiua videtur manifestè sequi ex quorundam Thomistarum opinione, qui existimant ad liberam actionem creaturæ satis esse, quòd per facultatem ex se liberam operetur, & quòd ab obiecto nõ necessariò trahatur, seu ad vnum determinetur. Hęc autem duo non auferret Deus, etiamsi ex necessitate naturæ tota sua potestate in voluntate, & cum voluntate creata ageret: ergo non obstante illo modo agendi Dei, adhuc creatura liberè ageret.

VIII. Hoc verò fundamentum falsum est, & magnam præbet occasionem errandi in hac materia. In primis enim non satis distinguit inter hæc duo, scilicet, habere facultatem liberam, & habere expeditum liberum vsum talis facultatis, cùm tamẽ valdè distincta sint; nam illud prius ad solam potentiam seu actum primum pertinet: hoc verò posterius ad actum secũdum. Quamuis autem actus liber esse non possit absque facultate libera, quia actus secundus & vitalis essentialiter supponit primum: at verò facultas libera potest esse absque vsu libertatis: non solùm quando nõ operatur, sed etiamsi dum operatur, impeditur,

peditur, ne illud dominium habeat suum actum, quod ex natura sua habere posset. Consistit enim hoc dominium in potestate non agendi id, quod quis agit, vel aliud agendi. Fieri autem potest vt agens alioqui ex se indifferens, ita feratur, vel determinetur ad agendum ab alio superiori agente, vt respectu talis actionis, seu modi agendi nõ habeat potestatem non agendi, & sic retinendo innatam facultatem liberam, potest priuari vsu libertatis. Confirmatur; nam omnes Theologi docent posse Deum inferre necessitatem voluntati nostræ; tunc autem non auferret facultatem liberam, quia hæc non distinguitur à voluntate ipsa, sed impediret liberum vsum eius, & in necessariũ cõmutaret. Sunt ergo illa duo distinguenda: potestq; facere Deus vt facultas ex se libera, & manens libera in actu primo circa aliquod obiectum; nõ liberè feratur in illud, sed ex necessaria aliqua motione, quæ vsum libertatis impediat. In quo videntur conuenire Theologi in 2. dist. 15: idq; supponit D. Tho. 1.2. q.6. art.4.& tenet Scot. in 4. dist. 49. quæst. 6. §. Duo ergo.

IX. Ex quo vlteriùs sequitur, falsum esse quod illa sententia supponit ad vsum & actum liberum satis esse facultatem ex se liberam, & obiectum ex se indifferens, seu quod per se nõ sufficiat ad inferẽdã necessitatem facultati. Nam hęc sententia supponit nullam aliam causam posse inferre necessitatem voluntati, nisi obiectum vel mediãte obiecto, quod falsum est; nam etiam Deus potest inferre necessitatem voluntati, non vt obiectum, sed vt agens infinitę potentię. Imò si voluntas solùm ab obiecto necessitatem pati posset, nunquam posset extrahi à suo connaturali operandi modo, aut necessariò moueri, nisi quando ipsa ex natura sua, & intrinseco impetu necessariò fertur. Nam obiectum vt obiectum non mouet voluntatẽ præternaturali modo, sed maximè cõnaturali & intrinseco, & ideò obiectum in suo genere nõ mouet necessariò potentiam alioqui liberam, nisi quando ipsa, respectu talis obiecti non est libera: ergo si voluntas solùm potest necessitari medio obiecto, re vera non necessitatur circa id ad quod de se ecto, re vera non necessitatur circa id ad quod de se erat libera, vt in patria voluntas necessitatur à Deo, vt obiecto clarè viso, quia ipsa de se respectu talis actus non est libera.

X. Atque ita fit, vt iuxta illam sententiam Deus nũquam possit necessitare voluntatem ad actum, ad quem ipsa ex se est libera; nã vel Deus proponit obiectum ex se sufficiens ad mouendum necessariò voluntatem, & tunc re vera voluntas non est ex se libera ad talem actum, & ita nullam patitur extrinsecam necessitatem, vel proponit obiectũ quod in suo genere non est potens necessariò mouere voluntatem, & ex vi talis obiecti nunquam voluntas necessariò mouebitur; nisi aliunde Deus inferat necessitatem. Dices; Potest proponi obiectum de se insufficiens ad necessariò mouendum, eo tamen modo, vel sub tali iudicio, vt necessitatem inferat voluntati. Respondeo primùm id fieri non posse absque iudicio falso, nimirum iudicando esse summum bonum, vel bonum necessarium quod tale non est, quod iudicium Deus immittere nõ potest. Deinde etiam illo posito voluntas tunc non moueretur vt potentia ex se libera, sed vt potentia determinata ad vnum, quia sicut natura sua fertur non tantùm in verum bonum, sed et in bonũ apparens, ita natura sua nata est necessariò fieri in bonum appetens necessarium. Atque ita nunquam saluatur quod voluntas possit necessitari à Deo ad actum quẽ ex se liberè eliceret. Quod sanè falsum est, & contra communem sententiam, derogatque omnipotentiæ Dei. Nam cùm ipse sit voluntatis author & dominus, potest quomodo voluerit ipsã mouere ac impellere vt necessariò agat, vel impedire, vt omnino non agat. Et confirmatur; nam potestas quam voluntas creata habet ad volendum vel nolendum, non est infinitæ efficaciæ, cùm sit cõmensurata finitæ virtuti talis potentiæ: ergo in vtraque potest vinci & superari ab extrinseco agente infinitæ virtutis, vt est Deus: potest ergo à Deo ita moueri creata voluntas ad volendum obiectum alioqui de se indifferens, vt voluntas sic mota impotens omnino sit ad resistendum, vel vtendum potestate, quam habet ad nolendum tale obiectum. Imò hoc pertinere ad diuinam omnipotentiam, aliquando docere videtur Augustinus; & non immeritò, cùm in illo effectu vel motione nulla inuoluatur repugnantia. Tunc igitur, quamuis voluntas ex se libera sit, & ab obiecto non moueatur ex necessitate, nihilominùs vsus ipse & actus non est liber ipsi volũtati, quia non permittitur à superiori agente vti sua libera facultate: neque ipsa habet potestatem respectu superioris agentis ad resistendum illi sua absoluta potestate vtenti.

Augustin. in Enchir.

XI. Igitur ad actum seu vsum liberum voluntatis nõ satis est facultas ex se libera cum indifferentia obiecti seu iudicij, nisi etiam superior causa nullam vim seu præternaturalẽ efficaciam inferat, sed volũtatem ipsam sinat suo connaturali modo operari, vt Patres etiam Ecclesiæ loquuntur, quos statim indicabo. Non est ergo solidum illius sententiæ fundamentũ. Quapropter videndum nunc superest, an posita illa hypothesi, quòd Deus ageret ex necessitate naturæ, & quòd in homine esset facultas ex se libera, nihilominùs rectè sequatur nullum fore tunc in voluntate creata vsum seu actum liberum.

XII. Si Deus ageret ex necessitate naturæ; nullũ in causis esset libertatis exercitium.

Et in hoc sensu dicendum videtur, data illa hypothesi nullum relinqui vsum libertatis in agente creato. Atque in hoc etiam sensu verè dicitur ab Scoto, errasse Philosophos ponentes Deum agere ex necessitate naturæ & admittentes effectus liberos & contingentes à causis secundis. Ratio verò Scoti nec procedit in hoc sensu, nec mihi probatur vt infrà dicam. Propria ergo ratio sumenda est ex paulò anteà dictis, quia Deus potest per infinitam suam potentiam ita mouere voluntatem vt necessitatem illi inferat, vt probatum est, idemque posset etiamsi ex necessitate naturæ ageret, quia tunc non ponitur esse minoris potentiæ, sed solùm minoris indifferentiæ seu libertatis: sed si Deus ageret ex necessitate naturę, dum in voluntatem ageret creatam, ageret quantã efficacia posset: ergo semper ageret necessitatem illi inferendo, atque ita nunquam esset in agente creato libertatis vsus. Minor patet, quia hæc est conditio naturalis agentis, vt agat quantum potest, quia non habet facultatem temperandi suam actionem, seu magis vel minùs illam applicandi, quia hoc non fit, nisi per potentiam liberam.

XIII. Obiectio dilu ta.

Sed dicerent fortasse Philosophi, Deum agendo ex necessitate naturæ, non semper agere quantum absolutè posset, sed quantum natura causarum secũdarum exigit à quibus determinatur vt magis vel minùs & vt hoc vel illo modo agat. Sed in primis nos non loquimur, nisi ex hypothesi, quòd diuina potentia habeat absolutam necessitatem in agendo. Deinde addimus, quacunque ratione dicatur Deus agere ex necessitate naturæ, & non ex libertate, non posse determinationem actionis suæ habere ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

capacitate naturali causæ secundę; nam potentia Dei non respicit adæquatè illam capacitatē, sed ampliorem: ergo non potest ab illa determinari. Cur enim ab ea ita limitaretur, vt nunquam posset plus agere, cùm maiorem habeat potentiam? Fateor quidem ex illa hypothesi, & ex infinitate potentiæ Dei sequi multa impossibilia; nihilominùs tamē illa posita, per locum extrinsecum sequitur Deum per potentiam suam semper ita mouere voluntatem creatam, vt ei necessitatem inferat. Ideòque Sancti Patres diuinæ sapientiæ, & liberæ prouidentię tribuunt, vt in agendo, & mouendo voluntatem creatam ita sese accommodet, vt ei vim non inferat, sed eam suo modo se mouere sinat. Vt videre licet apud Augustinum de prædestinatione & gratia cap. 15. Prosperum ad obiect. Gallor. capite 1. & 11. Cyrillum libro 4. in Ioan. cap. 7. Damascen. lib. 2. de fide cap. 30.

XIV. Neq; contra hanc decisionem quæstionis in hoc sensu procedit fundamentum secundæ sententiæ: quia ad libertatem actus, vel contingentiam effectus non satis est, quòd causa secunda sit secundum se libera seu contingens, sed oportet vt quatenus talis est suam actionem exercere sinatur, quia aliàs solùm materialiter (vt ita dicam) est libera: non verò agit vt libera: actio autem non sumit suam rationem & denominationem à causa materialiter sumpta, sed prout actu influente. Illa autem ratio non probat, necessitatem Dei in agendo non impedire liberum vsum facultatis creatæ. Neq; etiam D. Thom. ibi citatus, & in hoc vel in priori sensu contradicit, quia non agit de absoluta Dei necessitate in agēdo, sed de necessitate immutabilitatis, quæ non excludit absolutam libertatem, vt infrà declarabimus in disputatione de Deo.

Tertius quæstionis sensus, eiusq; resolutio.

XV. Si hunc, quē nunc præbet Deus cōcursum causis liberis, necessario daret, ipsę liberę manerent.

TErtius quæstionis sensus est, si Deus ageret ex necessitate naturæ, & non plus ageret, neque alium concursum aut motionem præberet voluntati liberæ creatæ, quam modò præbet, an tunc tolleret contingētiam actionis, & impediret vsum libertatis. Qui sensus est valde diuersus à præcedentibus, & ex pluribus suppositionibus procedit, vt satis constat. Vnde in proxima assertione præcedente diximus ex necessitate actionis Dei fore impedimentum vsus libertatis, quia motio esset maior, quàm nunc sit, Deo liberè concurrente: nunc autem inquirimus, si supponamus motionem non esse maiorem, neq; diuersam in magnitudine (vt sic dicam) sed solùm in modo dandi illam, quia nimirum eadem, quę nunc liberè datur, tūc ex necessitate naturæ daretur, an ex hoc præcisè sequatur impediri vsum libertatis, & tolli contingentiam rerum. Et in hoc sensu videtur procedere sententia & ratio Scoti.

XVI. Dicendum verò censeo, etiamsi prima causa ageret ex necessitate naturæ illo modo, non impeditura vsum libertatis, neq; ablaturam omnem cōtingentiam effectum causarum secundarum. Et quoad hoc approbo secundam sententiam suprà adductā, quia licet plures causæ concurrant ad vnum actum, vt ille sit liber, satis est quòd causa proxima libera sit, & quòd per cooperationem alterius causæ non extrahatur à suo naturali operandi modo: ita verò contingeret in eo casu: ergo. Maior sufficienter probatur fundamento secundæ sentētiæ; nam licet plures causæ concurrant, & omnes præter vnā, quantū est ex se necessariò operētur, si vna potest ex sola sua libertate non elicere actum, id satis est, vt effectus sit liber seu cōtingens: quia simpliciter potest non esse; neq; necessarius modus agendi cęterarum causarum impedit vsum huius potestatis in altera causa, vt supponitur ex dicta hypothesi. Et declaratur facilè probando minorem, quia Deus in eo casu non moueret fortiùs aut vehemētiùs voluntatem creatam, quàm nunc mouet, sed nunc motio Dei non extrahit volūtatem à suo cōnaturali operādi modo: ergo neq; tūc immutaret; nā, quòd illa motio vel cōcursus ex parte Dei liberè aut necessariò detur, nihil refert ad effectum quem ad extra producit, si ipse concursus, vel motio in se non est maior.

XVII. Vnde argumentor secundò, quia aliàs sequeretur actum voluntatis nostræ nunc nō esse liberum, quia Deus ad illum liberè concurrit: consequens autem est falsum, tum quia formaliter & immediatè ego nō habeo dominium in meum actū ob libertatem Dei, sed ob libertatem meam; tum etiam, quia aliàs appetitio equi vel leonis esset libera, quia Deus ad illam liberè concurrit: est ergo actus liber respectu alicuius causæ, qui ita fit ab illa, vt sit in ea potentia & facultas ad non efficiendum illum, non obstantibus aliis causis ad eundem actum cōcurrentibus, siue illæ quantum est ex se naturaliter, siue liberè concurrāt: ita verò se gerere voluntas creata in prædicto casu, vt ostensum est: ergo.

XVIII. Tertiò probari idem potest, non solùm satisfaciendo fundamento Scoti, sed etiam retorquendo illud; nam, si esset alicuius momenti, probaret etiam nunc tolli contingentiam effectuum, & vsum libertatis ab omni actu causæ secundæ, quatenus ab illa est, nihilq; esse liberum nisi per respectum ad libertatem primæ causæ. Consequens autem non solùm est contra rationem naturalem, sed etiam contra fidem, quia aliàs non possent actus liberi nobis imputari. Sequela verò probatur, quia etiam nunc causa secunda non agit, nisi mota à prima, seu concurrente prima: & nunc etiam causa prima priùs natura influit seu mouet eadem prioritate, qua moueret, si ex necessitate naturæ ageret. Est etiā hæc motio Dei nunc æquè efficax, vt supponitur, & probari etiam potest ipso argumento Scoti, quia non stat, Deum mouere, & creaturam non moueri: ergo posita Dei motione necessariò mouetur voluntas creata: ergo si talis motio data à Deo ex necessitate naturę, tolleret libertatem in actu voluntatis humanæ, etiā nunc tollit, quia æquè antecedit. Vel certè finūc nō tollit, quia licet aliqua ratione antecedat, tamen absolutè datur dependenter ab ipsa voluntate creata, vt mox explicabimus, eadem ratione in prædicto casu non tolleret, quia licet daretur necessariò ex parte Dei, nihilominùs daretur etiam dependenter à libero arbitrio creato.

XIX. Nec satisfacit responsio Scoti, scilicet, quòd si Deus ageret ex necessitate naturæ, motio eius esset simpliciter necessaria, & ita tolleret omnem contingentiam effectus; nunc autem est libera, & ideò non tollit illam: Hoc (inquam) non satisfacit, tum quia ad summum declarat saluari nunc contingentiā vel libertatem effectus respectu diuinæ voluntatis, non verò respectu causarum secundarum: tum etiā quia si intelligat, data illa hypothesi, motionem Dei fore absolutè necessariam, id est, necessariò ponendam in re, falsum sumit: solùm enim esset necessaria, quantum esset ex parte Dei: quia tamen simul penderet à voluntate creata, nec posset in re poni sine illa, ideò non esset absolutè necessaria. Itaque diceretur tūc Deus agere ex necessitate naturę, quia elicit ab intrinseca natura, & ex se determinatus ad concurrendum cum voluntate, tamen quia ille concursus non ponitur in re, nisi cooperante simul ipsa voluntate, ideò non poneretur in re cum absoluta necessitate, sed iuxta exigentiam cooperationis liberę voluntatis.

SECTIO IIII.

Quomodo stet libertas vel contingentia in actione causæ secundæ, non obstante concursu primæ, & consequenter quo sensu verum sit causam liberam esse, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere.

I. HÆc difficultas petitur in secundo argumento posito in principio sectionis secundæ, illamque etiam attingit Scotus illo argumento, quòd causa secunda, seu voluntas creata non potest quicquam agere, nisi mota à prima, sed dum mouetur à Deo, necessariò ipsa se mouet: ergo motus illius respectu eiusdem nunquam est liber & contingens. Maior in terminis est D. Thom. 1. p. q. 105. art. 1. ad 3. & art. 4. & 5. & probabitur infrà, dum agemus de dependentia secundarum causarum à prima. Minor autem est eiusdem D. Thomæ 1. 2. quæst. 10. art. 4. ad 3. vbi dicit: *Impossibile est, Deum mouere voluntatem, & voluntatē non moueri.* Et facile suaderi potest tum ex efficacia & perfectione diuinæ motionis, tū ex mutua relatione inter mouere, & moueri. Alio modo proponitur eadem difficultas; nam causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere: sed vnum ex requisitis vt causa secunda agat est motio Dei qua posita non potest agere, & nō agere, sed necessariò agit, sicut illa non posita, necessariò non agit: ergo repugnat illa definitio omni causæ secundæ, atq; ita respectu illius nulla est contingentia vel libertas, sed tantùm respectu primæ.

Prior dicendi modus proponitur.

II. HÆc difficultas est vna ex præcipuis huius materiæ, & occasionem præbet ampliùs declarandi quid sit causa libera, seu quas cōditiones requirat, vbi simul exponetur communis ac recepta definitio causæ liberæ. Authores ergo quos suprà retuli, ponētes totam rationem libertatis in indifferentia obiectiua (vt sic dicam) facilè expedient præsentem difficultatem, dicentes liberam potētiam esse illam, quę positis omnibus requisitis ex parte ipsius adhuc manet indifferens seu non determinata ad vnum, ex vi obiecti, & ideò nihil obstare vsui libertatis, quòd posita motione primæ causæ iam voluntas manet ad vnum determinata, ita vt non possit non exercere actum ad quem mouetur. Atq; in hoc sensu ad soluēdam priorem difficultatem applicatur cōmunis illa distinctio de necessitate in sensu composito & in sensu diuiso; nam quòd voluntas mota à Deo necessariò operetur, solùm est necessitas in sensu composito, & ideò non repugnat libertati actus sic necessarij. Ad posteriorem autem difficultatem respondebunt limitando maiorem & communem definitionem liberæ facultatis, quod, scilicet, sit illa, quę potest agere & non agere positis omnibus requisitis, nimirum ex parte intellectus, & ipsius voluntatis non verò ex parte Dei. Quam modificationem ante hos modernos authores indicauerat Almainus in suis moralibus, quam tamen non approbat, licet non satis eam impugnet.

III. Vnde prædicti noui Theologi aliam commenti sunt definitionem actus liberi, scilicet esse motum voluntatis factum ex tali iudicio rationis, quod per se, vel per obiectum quod proponit sufficiens non sit ad determinandam voluntatem ad vnum. Quam confirmant primò, quia tota libertas voluntatis oritur

XX. Atque hinc colligitur generalis regula, quæ sententiam propositam confirmat, scilicet, nihil obstare libertati vel contingentiæ actus seu effectus, quòd aliqua causa naturali necessitate ad illum concurrat, dummodo aliqua cum indifferentia efficiat, respectu cuius effectus denominetur liber. Ratio huius satis declarata est explicando fundamentum secundæ sententiæ: amplius verò illustrari potest nonnullis exemplis. Vnum est iuxta probabilem sentētiam, quòd cognitio seu obiectum cognitum concurrit effectiuè ad actum voluntatis; nam ille concursus, vt est à cognitione, naturalis est, & sine libertate, & nihilominùs actus est simpliciter liber propter indifferentiam voluntatis. Vnde, licet cognitio quantum est ex se ex necessitate naturæ influat, tamen quia eius influxus actualis in re non ponitur sine actuali influxu voluntatis, ideò absolutè nō est necessarius. Simile quid dici potest de influxu habitus concurrentis cum potentia libera: habitus enim ex se non habet indifferentiam aut propriam libertatem, sed ex necessitate naturæ operatur operante sua potentia. Aliud exemplum est de effectibus agentium naturalium, prout sunt ab ipsis, & à Deo: illa enim actio, quamuis à proximo agente sit ex necessitate naturæ, respectu primæ causæ est libera, quia iuxta veram doctrinam Deus liberè præbet concursum suū. Vnde ex potestate Dei absolutè potest illa actio esse & non esse, quamuis hæc potestas non sit in proximo agente. De facto tamen illa actio denominatur simpliciter naturalis, tum quia sicut ab agente proximo accipit suam determinationem & specificationem, ita & has denominationes; tum etiam quia ex generali quadā lege & definita voluntate, iam Deus concurrit ad has actiones iuxta exigentiam naturæ seu causæ secundæ. Quo sensu accipiendum est, quod dici solet, influxum causæ primæ modificari in secūda vel ex secunda. Sic igitur data hypothesi in qua versamur, actio esset libera ex habitudine ad causam secundam, quamuis prima ex necessitate naturę præberet concursum suum.

XXI. Vna & eadē actio an possit alteri esse libera: alteri verò necessaria.

Quocirca quod Scotus suprà sumit, non posse eādem actionem esse necessariam respectu vnius causæ & liberam respectu alterius, quia necessarium & contingens contradictoriè opponuntur, vel non est verum vel in quo sensu verum esse potest, non est ad rem. Quòd enim duæ causæ possint in eundem actum influere, altera liberè, & altera ex naturali impetu naturæ, demonstratum est; in hoc ergo sensu non repugnat, eundem effectum esse contingentem & necessarium respectu diuersorum; nam ob eandem causam non est contradictio, cùm contradictoria sumi debeant respectu eiusdem. Si autem necessarium sumatur non tantùm respectiuè, sed absolutè pro eo quod simpliciter non potest non esse: sic verum est repugnare, effectum esse necessarium, & habere contingentiam ab aliqua causa; tamen in hoc sensu non est verum esse necessarium illum effectū, ad quem concurrit aliqua causa necessariò agens: quia satis est quòd respectiuè & quantum ex vi illius causæ necessariò fiat, cùm quo stat, vt ex alio capite, seu respectu alterius, habere possit contingentiam, seu libertatem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

oritur ex iudicio rationis: ergo optimè & sufficienter definitur actus liber per ordinem ad tale iudiciũ seu, quod idem est, per ordinem ad omnia requisita ex parte intellectus & voluntatis. Secundò, quia ad libertatem sufficit indifferentia obiecti, & non requiritur indifferentia potentiæ, vt patet in voluntate diuina, quę de se semper est determinata ad vnum, tamen, quia obiecta creata sunt illi indifferentia, id satis est vt liberè ea velit: idem ergo satis erit ad liberum actum nostræ voluntatis.

Refutatur dicta sententia.

IV. TOta hæc doctrina procedit ex falso fundamento, vt in proxima sect. præcc. probaui, & occasio errandi fuisse videtur, quia non distinguitur satis inter radicem libertatis, & formalem libertatem potẽtię & actus. Indifferentia enim iudicij est radix libertatis, vt suprà tactum est, & est communis Theologorum sententia; non est tamen ipsa formalis libertas, quia ipsum iudicium non est liberum in se, neq; est proximè à potentia formaliter libera, vt dicam infrà, sed dicitur indifferens obiectiuè, seu ex parte obiecti, quia proponit obiectum ita indifferens, vt non trahat ex necessitate voluntatem. Atq; hinc fit vt iudicium indifferens sufficienter iudicet in tali natura, quæ sic iudicare potest, facultatem aliquam formaliter liberam, & consequenter etiam vsum seu actum liberum, si talis facultas modo sibi proprio operari sinatur, nullamq; extrinsecam vim patiatur, qua cogatur, vel propriùs loquendo necessitetur, vt in obiectum tendat alioqui de se indifferens. Hoc enim esse possibile, suprà probatum est, ex quo meritò intulimus, absolutè, & absq; prædicta limitatione non satis esse ad vsum liberum iudicium indifferens, & facultatem ex se liberam.

V. Prima illatio. Ex quo vlteriùs colligimus, non rectè limitari receptam descriptionem facultatis liberæ, scilicet; *Quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*, non rectè (inquam) limitari ad requisita ex parte iudicij, & ipsius voluntatis, quia concurrentibus omnibus requisitis ex parte iudicij, & existente ipsa facultate de se libera, potest in ipso vsu non esse libera, seu. quod idem est, potest actus non esse liber: ergo vt illa definitio comprehendat non solùm facultatem liberam in seipsa (vt sic dicam) seu C in actu primo, sed etiam vsum seu actum liberũ, non sufficiunt illa requisita. Vnde huius temporis hæretici, cùm videant nos operari ex iudicio & aduertentia rationis, & ab ipsis obiectis non ferri aut determinari ex necessitate, nihilominùs aiunt nos non liberè operari, eò, quòd ab ipso Deo necessitatem patiamur. In quo quidem errant asserentes ita Deum de facto in nobis semper operari, quod repugnat fidei, & diuinis Scripturis, ac rectæ rationi, non errant tamen in illatione, nimirum, quod si Deus infert extrinsecam necessitatem actui, non est de facto liber, nec etiam errarent si solùm dicerent, vel hunc modum operandi Dei esse possibilem, vel illo posito, non sufficere ad vsum liberum indifferentiã iudicij.

VI. Secunda illatio. Vel vlteriùs infertur, non satisfieri difficultatibus positis per responsiones illius sententiæ. Nam distinctio illa sensus compositi & diuisi, qua prior expeditur difficultas, licet rectè explicata satisfaciat, vt infrà videbimus, tamen ita generatim sumpta satis esse non potest; nam ostendemus necessitatem aliquam etiam in sensu composito, repugnare vsui libertatis, eumq; destruere. Et patet facilè ex dictis; nam Deus aliqua motione & actiuitate sua potest inferre ne- A cessitatem voluntati, & tunc actus non esset necessarius in sensu diuiso, quia voluntas de se, & secluſa illa motione posset non exercere illum actum: esset autem necessarius in sensu composito, quia posita illa motione non potest non exerci, & tamen illa necessitas in sensu composito tolleret vsum liberum, quia supponimus Deum tunc necessitare voluntatẽ quantum potest: aliquid ergo addere oportet vt illa distinctio satisfaciat. Rursus limitatio illa cõmunis definitionis libertatis, qua soluitur posterior difficultas, improbata iam est præterquam quòd est voluntaria, & occasionem præbet introducendi quemcunque similem pro libito in hac materia. Nam pari ratione posset quis dicere, posita quadam influentia cœli vel adhibita speciali dęmonis motione, nõ posse voluntatem nostram non operari sequendo illam & nihilominùs tunc liberè operaturam, quia positis omnibus requisitis ex parte iudicij & intrinsecæ facultatis, non necessariò sequitur illa operatio, etiamsi ex alia suppositione necessariò sequatur.

VII. Tertia illatio. Tandem constat ex dictis falsò excogitatam esse nouam illam definitionem actus liberi, nimirum esse illum, qui fit à voluntate ex iudicio rationis non B necessitante, quia potest actus aliunde esse necessarius, necessitate impediente liberum vsum, vt declaratum est: ergo illa definitio potest conuenire alicui actui absolutè necessario. Ratio autem prima, qua fundatur illa definitio, solùm probat iudicium indifferens esse radicem libertatis; non tamen inde fit definitionem actus liberi cõpleri ex hoc quòd procedat à tali iudicio, sed addendum est, quod procedat à facultate consentanea iudicio non impedita, nec extrinsecam necessitatem patiente, quòd cõmunis definitio illis verbis explicuit, vt *positis omnibus requisitis posset agere & non agere*. In secunda verò probatione falsum assumitur, cùm dicitur ad actum liberum ita sufficere indifferentiam obiecti, vt non sit necessaria indifferentia potentię: quomodo enim erit liber actus, si potentia non sit indifferens ad exercendum illum? aut cur obiectum in ratione obiecti dicitur indifferens, nisi quia non infert necessitatem potentiæ, sed eam indifferentem relinquit? Exemplum autem de voluntate diuina, aut falsum sumit, aut non est ad rem, quia affertur in eo quod non C est simile. Voluntas enim diuina, quamuis altiori & & perfectiori modo, verè tamen est indifferens de se ad volẽdum creata obiecta; non est enim ad hoc naturaliter determinata, aliàs quomodo esset libera? & licet ab ęterno se determinauerit, & in ea determinatione necessariò semper perseueret, tamen illamet determinatio (quicquid ipsa sit) est ex libertate: eiusq; necessitas non est naturæ, sed immutabilitatis, quæ non tollit propriam indifferentiam, quam ex se habet res libera. Tamen, quia in voluntate Dei non est efficientia proprij actus, neq; compositio ex potentia & actu, ideò illa indifferentia non est in potentia respectu actus, sed in puro actu respectu obiectorum; & ideò in hoc non est comparanda indifferentia libertatis creatæ cum diuina.

Definitio libertatis explicatur.

VIII. VT ergo difficultatibꝰ propositis satisfaciamus, retinenda in primis & explicanda est illa descriptio facultatis liberæ, in qua duo postulãtur. Vnum est, quòd illa sit potentia actiua, ex se & ex sua interna facultatate habens vim ad exercendam & suspendendam actionem suam. Aliud est quòd illa facultas dum

dum exercet actum, ita sit disposita, & proximè (vt A ita dicam) præparata ad opus, vt positis omnibus requisitis ad agendum possit agere & nõ agere. In prima huius sententiæ parte non est difficultas, nec ferè est necessaria noua explicatio, suppositis, quæ in sectione secunda dicta sunt; vbi ostendimus libertatem consistere in facultate actiua vt sic: ex hoc enim manifestè sequitur, libertatem requirere facultatem actiuam indifferentem ad agendum & non agendũ. Vnde, claritatis gratia, possumus in potentia libera duas potentias præscindere, seu quasi duas partes vnius potentiæ. Vna est ad volendum, seu exercendũ actum: alia ad nolendum, seu suspendendam actionem. Hæc enim posterior pars huius potestatis licet in se positiua quædam perfectio sit, tamen in vsu per solam negationem, seu carentiam actus talis facultatis exerceri potest, si de absoluta eius potestate loquamur, vt sumitur ex sancto Thoma 12. quæstione sexta, articulo tertio & aliis Theologis ibi, quia non velle vt sic potest esse liberum: non velle autem præcisè sumptum, non includit actum, sed carentiam actus, quæ si sit cum perfecta aduertentia rationis, & plena potestate volendi, libera erit. Dico autem, si de B absoluta potestate loquamur, quia moraliter seu ordinariè huiusmodi carentia appetitionis non exercetur absque positiuo actu qui sit, vel nolitio, qua refutatur obiectum propositum, aut alius actus circa illud, verbi gratia, amor, vel intentio eius, vel sit conuersio ad aliud obiectum repugnans, aut diuersum: vt experientia satis constat, quia difficillimum esset existente perfecta, & practica aduertentia rationis omnem actum voluntatis suspendere.

IX. Ex quo obiter intelligitur hanc indifferentiam facultatis liberæ primò ac præcisè satis saluari per habitudinem ad actum vel carentiam actus, quæ solet dici libertas quoad exercitium, quia per eam, ipsum exercitium actus indifferens est. Cùm tamen hæc facultas libera vitalis sit, atq; ita perfecta & spiritualis, vt in se ipsã, & in suos motus reflectere possit, quotiescunque potest non exercere liberè aliquem actum, potest etiam per alium positiuum actũ velle illam carentiam, seu nolle exercere talem actũ. Atque isto modo nunquam est libertas quoad exercitium sine aliqua libertate quoad specificationem; C nam quotiescunq; potest voluntas liberè non amare, potest etiam elicere aliquem actum, secundum suam rationem & speciem repugnantem amori, & ita est ibi aliqua indifferentia quoad specificationem actus. Præter quam potest alia intercedere in ordine ad contrarios actus respectu eiusdem obiecti quatenus potest vel liberè amari, vel etiam odio haberi. Quam duplicem potestatem includit etiam facultas libera secundum se & absolutè sumpta, quamuis necesse non sit, vt illam habeat circa omnia & singula obiecta, quia non oportet vt sit æquè libera circa illa omnia, vt inferiùs attingemus. Et hęc de priori parte huius sententiæ.

X. In secunda parte sententiæ propositæ declaratur non solùm ratio facultatis liberæ, sed etiam id, quod necessarium est ad vsum libertatis, seu actus liberi: hoc enim totum comprehendit prædicta definitio libertatis & meritò, quia tota difficultas libertatis, & vtilitas eius in ipso vsu, & exercitio libertatis posita est. Est autem considerandum, dupliciter posse dici aliquid requiri ad actum: vno modo tanquam prærequisitum ad actionem, alio modo tanquam intrinsecè, vel essentialiter inclusum in ipsa actione. Illud prius dici solet prærequisitum antecedenter, vel ex parte actus primi, siue illud sit proprium principium actionis, siue conditio prærequisita ad illam quocunque modo, vel in quouis genere causæ. Hoc autem posterius dici potest requisitum concomitanter, seu in ipso actu secundo, quia nõ distinguitur ab ipsa actione libera, quæ est actus secundus facultatis liberæ. Cùm ergo dicitur liberum esse quod positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere, intelligendum est de prærequisitis antecedenter & in actu primo, non de aliis. Et hoc ipsum insinuatur in prædicta sententia, cùm dicitur, debere facultatem liberam ita esse dispositam, & proximè præparatam ad opus, vt cum ea dispositione possit agere & non agere: in illa enim præparatione includuntur omnia illa prærequisita in actu primo ad operandum.

XI. Et quidem quòd ad vsum liberum sit necessarium cum illis omnibus dictam indifferentiam, & quasi duplicem potestatem integram manere, facilè ostendi potest. Primò, quia aliàs cessatio, v.g. ab opere, non esset ex intrinseca vi & facultate, sed ex defectu alicuius conditionis requisitæ: hoc autem nil confert ad libertatem: nulla est enim naturalis potentia tam necessariò agens, quę non possit interdum non agere ex defectu conditionis requisitæ, vt approximationis passiui, vel alterius similis. Imò, si quis rectè perpẽdat, illud non est posse non agere, sed est potiùs impotentia agendi, seu non posse agere cum tali defectu: libertatis autem indifferẽtia nõ fundatur in impotentia agendi, sed in potentia non agendi. Vnde, quando ipsamet voluntas caret aliquo actu propter naturalem inaduertentiam rationis, illa carentia actus non est ex potentia non agendi, sed ex impotẽtia sic operandi seu volendi, & ideò talis carentia nõ potest esse libera. Vt ergo facultas liberum vsum habeat, necesse est, vt positis omnibus conditionibus prærequisitis antecedenter, seu in actu primo, ex interna vi & facultate sua possit agere & non agere. Cùm autem dicimus ex interna vi & facultate (vt obiectionibus occurramus) non excludimus diuinum concursum, vel maius auxilium necessarium pro actuum qualitate, sed id Theologis relinquimus.

XII. Quòd autem dicta definitio intelligenda non sit de requisitis concomitanter, probatur, quia hæc, vt diximus, includũtur in ipsa actione; nam, sicut actio est requisita ad agendum, ita quicquid in actione includitur, potest dici requisitum. Est autem actio requisita, vt id, quo formaliter determinatur potentia, & constituitur actu agens, & ideò non potest includi in his conditionibus cum quibus potentia debet esse indifferens ad agendum & non agendum, quia inuoluitur manifesta repugnãtia: ergo neque etiam includi debet in illis requisitis totum id, quod est de intrinseca ratione actionis, seu in illa etsẽialiter includitur; nam eadẽ est de illis omnibꝰ ratio quę de ipsa actione. Atque hæc interpretatio illius definitionis colligitur ex communi sententia Theologorum in 1. dist. 38. & 39. & in 2. dist. 24. & ex doctrina Anselmi, quam statim explicabimus.

Expeditur prior difficultas.

XIII. Duplex motio nostrę voluntatis per diuinam. ATq; ex hac interpretatione facilè expediũtur duę difficultates in principio tactæ. Ad primã enim respondetur, duplicè intelligi posse motionẽ Dei respectu voluntatis nostrę. Vna est antecedẽs actualẽ cõcursum ad actũ voluntatis: alia cõsistens in

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipso actuali concursu. Prior parum nota est in Meta- A
physica, seu ex solis principiis naturę, tamẽ in Theo-
logia est certa, & quęcunq; illa sit, cõtinetur sub cõ-
ditionibus requisitis ad actum antecedenter seu per
modum principij aut actus primi. Nã, licet hæc mo-
tio fiat per actum vitalem, qui est actus secundus, re-
spectu potentiæ in qua inest: tamen respectu alterius
actus propter quem datur illa motio, comparatur
per modum principij, & ea ratione dicitur esse per
modum actus primi, vt iudicium de bono agẽdo est
principium actus voluntatis quo tale bonũ amatur:
vnde licet in intellectu sit actus secundus, tamen re-
spectu voluntatis cõparatur vt primus, & idem est de
aliis similibus. Posterior motio est magis nota lumi-
ne naturali, quia Physicè est magis intrinsecè neces-
saria ad actionem creaturę, computatur aũt illa mo-
tio inter requisita ad actũ cõcomitanter, quia cõcur-
sus Dei essentialiter includitur in actione creaturæ.

XIV. De priori igitur motione dicendum est, quòd, illa
posita, adhuc potest voluntas non operari illum a-
ctum, propter quem datur talis motio, quia, cùm illa
motio sit ex conditionibus prærequisitis ad actum
liberum, nisi relinqueret illam potestatem expeditã, B
tolleret vsum liberum; nam determinaret potentiã
ad vnum. Quæ autem esset libertas aut electio, vbi v-
na tantùm pars fuisset concessa? vt rectè dixit Euo-
dius ad Constantium, apud Turrianũ lib. 4. pro epi-
stolis Pontificiis c. 2. Et ideò Conc. Trident. sess. 6. c.
4. de huiusmodi motione præuia etam in operibus
gratiæ definit, illa posita adhuc esse in potestate vo-
luntatis non consentire. Neq; hoc est contra efficaciam diuinæ motionis, tum quia id non prouenit ex
impotentia, sed ex sapientia, prouidentia & voluntate ipsius primi motoris; tum etiam quia quando ipse
vult, etiam facit efficaciter vt voluntas infallibiliter
consentiat, quamuis possit non consentire. At verò
per se & absolutè non repugnat, stante hac motione
non moueri voluntatem illo actu seu motu libero,
propter quem talis motio datur, nec quoad hoc sunt
correlatiua mouere & moueri, quãdo vna motio cõ-
paratur ad alium actum vt principium eius, & non
tantùm vt via ad terminum. Quomodo aliàs dixit
Augustinus eum, qui sic mouetur, non posse non sentire
motionem; posse autem non consentire: sed hæc res C
habet in Theologia grauẽ & prolixã disputationẽ, à
qua nos cõsultò abstinemus, & ab omnibus opinio-
nibus abstrahentes ea responsione contenti sumus,
quã omnes sub prędictis verbis amplectuntur, licet
in eorum sensu sit dissensio, de quo nunc iudicium
non ferimus.

XV. De altera verò motione procedit propriè difficul-
tas quam tractamus; nam illa est qua per se & essen-
tialiter pendet actio causæ secundæ à prima, & vt di-
xi, non est aliud quàm ipse concursus Dei, de quo
cur motio dicatur, dicemus inferiùs, & tractando de
dependentia causę secundę à prima in operando. De
hac ergo motione verum est illa posita, nõ posse vo-
luntatem non moueri; negamus tamẽ id repugnare
vsui libertatis, quia illa motio non est ex conditioni-
bus prærequisitis ad actum, sed essentialiter inclu-
ditur in ipsamet actione voluntatis. Qualis autem
sit hic concursus seu motio Dei, & quomodo sit si-
mul cum influxu ipsiusmet voluntatis creatæ, & an
possit dici aliquo modo prior absque læsione liber-
tatis, ac deniq; quomodo sit in potestate hominis ha-
bere vel non habere hanc Dei motionem (hoc enim
etiam verum est, & ad libertatem necessarium) di-
cemus in loco paulò anteà citato.

Respondetur ad posteriorem difficultatem.

DEnique secunda difficultas iam ex dictis expe- XVI.
dita est: omissa enim priori motione, quæ neq;
ad nos spectat, nec de illa in argumento est sermo, de
posteriori seu concursu Dei negatur esse ex præ-
requisitis antecedenter, de quibus loquitur defini-
tio libertatis, vt explicuimus, & ideò fatemur illa po-
sita non posse voluntatem non moueri, quia iam
supponitur constituta sub actione sua, non tamen
sine determinatione sua libera. Atque in hoc sensu
optimè etiam respondetur per distinctionem illam
de sensu compositо, & diuiso: posita enim hac mo-
tione in sensu composito non potest voluntas non
operari, quia iam supponitur operans: vnde id non
repugnat libertati, quia in ipsamet suppositione in-
cluditur iam & supponitur vsus libertatis, de quo si-
cut de qualibet alia re verè dicitur, quando est neces-
sariò esse, licet simpliciter & absolutè (quod dicitur
in sensu diuiso) posset non esse. Et hoc ipsũ est, quod Anselmus.
dixit Anselmus lib. de Concordia præsc. à principio,
& lib. 2. Cur Deus homo cap. 17. & 18. necessitatem
ex suppositione antecedente tollere libertatem; nõ B
verò ex suppositione consequente. Suppositionem
enim antecedentem vocat omne id, quod nos dixi-
mus esse prærequisitũ antecedenter, seu ex parte a-
ctus primi ad actum liberum: vnde hanc suppositio-
nem antecedentem ipse vocat causam rei, & id. ò si
ex tali suppositione necessariò sequitur actus, tolli-
tur libertas, de cuius ratione est vt cum omnibus il-
lis prærequisitis maneat potentia integra ad agen-
dum, & non agendum, etiam in sensu composito re-
spectu talium conditionum antecedentium, vt de-
claratum est. Suppositionem autem consequentem
vocat omnem illam, quæ includit ipsammet actionẽ
creaturæ, quia iam illa supponit vsum liberum, vt
declaratum est. Vnde necessitas ex illa non potest ip-
sum liberum vsũ auferre, quia nõ est necessitas rei, D. Thom.
sed illationis tantùm, vt D. Thom. dixit quæst. 24. de
verit. art. 1. ad 13. Qui hanc doctrinam confirmat lib. D. Augustl.
2. Physic. lect. 15. in principio: fauet etiam D. August. 5.
de Ciuit. cap. 10.

SECTIO V.

*Quænam sit facultas in qua formaliter resident liber-
tas causæ creatæ.*

IN tertia & quarta ratione dubitandi I.
sectione secunda propositis petitur, vt Omnes 6. ra-
distinctiùs declaremus, quænam sint tiones nitun-
causæ creatæ, quæ in agendo non sub- tur eadem li-
duntur necessitati, & per quam facul- bertatis ca-
tatem hoc dominium habeant. Et quidem de causis pax.
principalibus seu operantibus vt quod, facilis est re-
solutio ex dictis: ostendimus enim res omnes ratio-
ne carentes, carere etiam libertate ob imperfectio-
nem suam. Quo fit, vt e contrario omnia agentia ra-
tionalia seu intellectualia, sint etiam agentia libera;
nam illa negatio vsus rationis est sufficiens & adæ-
quata ratio carentiæ libertatis: ergo opposita affir-
matio, est etiam adequata ratio oppositæ affirmatio-
nis. Et confirmatur; nam ostensum est in particulari
hominem esse agens liberum, licet in gradu intelle-
ctuali sit infimum omnium: ergo à fortiori dicendũ
est omnia agentia creata, quæ intellectum habent,
habere etiam libertatem. Quod iterum de intelligẽ-
tiis creatis in particulari dicemus infra de eis disputantes.

tantes. Neque contra hoc obstat argumentum sum- A
ptum ex motibus aut influentiis cœlorũ. Nam quod
attinet ad intelligentias motrices cœlorum, etsi in
aliis rebus liberę sint, possunt in mouendis cœlis ne-
cessitate aliqua duci, vel ex motione & imperio su-
perioris agentis, vel ex fine præconcepto, quem im-
mutabiliter diligunt atque intendunt. Quod verò
ad influentiam cœlorum attinet, dicendum est illam
non extendi directè ac per se ad res spirituales, & im-
materiales, tum quia solùm influunt per Physicum
motum, cuius res spiritualis incapax est, tum etiam,
quia res spiritualis est ordinis superioris, & ideò in
eam directè agere non potest res materialis. Animi
autem hominum in se immateriales sunt, & liberta-
tem habent, quatenus immateriales sunt, & per
immaterialem potentiam operantur, & ideò influ-
entia cœlorum non potest libertatis vsum homi-
nibus impedire, etiamsi indirectè medio corpore,
& affectibus eius possit illas in alterutram partẽ ma-
gis aut minùs inclinare, quam inclinationem potest
homo sua libertate superare, & astris dominari.

II. Ex quo vlteriùs constat, principium principale
Principalis essentialis libertatis actionis vitalis est principium. quo liberæ actionis, semper esse subſtantiam aliquã, B
seu subſtantialem formam spiritualem. Probatur,
quia huiusmodi principium vel est anima rationalis
vel aliqua superior subſtantia, sed anima rationalis
est immaterialis, & multò magis omnis superior
subſtantia: ergo. Et confirmatur; nam omnis forma
materialis, quatenus talis est, operatur absque in-
telligentia & ratione, & ideò operatur modo merè na-
turali: ergo forma, quæ est principiũ liberæ actionis
esse debet spiritualis.

III. Tertiò hinc etiam constat, principium proxi-
Proximum principium liberæ actionis semper est potentia spiritualis. mum actionis liberę esse potentiam aliquam subſtã-
tiæ spiritualis, quatenus spiritualis seu intellectualis
est. Quod addo propter animam humanam, quæ, li-
cet plures habeat facultates, multæ tamen earum
materiales sunt, quia non conueniunt illi, quatenus
intellectualis est, & ideò non sunt principium pro-
ximum liberæ actionis. Ratio huius assertionis est,
quia principium proximum debet esse accommo-
datum principali. Item quia res non habet dominiũ
sui actus, nisi quatenus intellectualis est: ergo non
habet hoc dominium, nisi per facultatem pertinen-
tem ad gradum intellectualem: hic autem gradus C
Liber actus, vel electivus, vel imperatus. immaterialis est secundum se, & secundum omnes
potentias sibi proximas: ergo. Solùm est animaduer-
tendum, dupliciter actionem aliquam denominari
liberam: scilicet, vt actum elicitum seu proximè in
ordine ad potentiam efficientem actionem, quomo-
do ipsum velle liberum est, vel vt actum imperatum,
seu remotè in ordine ad potentiam mouentem seu
applicantem inferiorem facultatem ad agendum,
quomodo ambulare est liberum. Cùm ergo agimus
de proximo principio actionis liberę, intelligendum
est de actione propriè libera in ordine ad suum im-
mediatum principium: & hoc modo dicimus, prin-
cipium proximum actionis liberæ esse facultatem
spiritualem; nam principium proximum actionis,
quæ solùm imperatiuè libera est, interdum esse po-
test facultas materialis, vt est potentia motiua secũ-
dum locum residens in membris corporis, quia illa
esse potest subordinata superiori sententiæ spiritua-
li, in qua est propria vis denominatiua in suum a-
ctum, & mediante illo in inferiorem potentiam &
actionem eius. Vnde etiam dici potest, quod licet a-
ctio imperatiuè libera physicè, & secundum suam
entitatem proximè fiat ab alia potentia; denomina-
tionem autem libertatis non habet nisi à superiori
potentia medio actu eius: illa ergo potẽtia quæ prin-
cipium proximum est actus per se ac immdiatè libe-
ri, spiritualis esse debet, ac per se spectans ad intelle-
ctualem gradum, quatenus talis est.

*Liberum arbitrium nõ in actu, vel habitu, sed in po-
tentia aliqua consistere.*

ATque hinc quartò concludimus liberum ar- IV.
bitrium creatum directè & formaliter consi-
stere in huiusmodi potentia, quæ prædictam vim, &
dominium habet in suum proprium actum. Neque
oportet immorari in refutandis eorum opinioni-
bus, qui dixerunt liberum arbitrium consistere in a-
liquo actu, vel in habitu, vel in potentia prout ali-
quo habitu affecta. Ex quibus opinionibus primam
tenuit Heruæus quodl. 1. q. 1. secundam Bonau. in 2. Heruæus. D. Bonau. Albertus.
dist. 25. art. 1. q. 4. tertiam Albertus in 2. dist. 24. art. 5.
Verum hæ opiniones aut probabiles non sunt, aut
aliter vocibus vtuntur. Homo enim liberum arbi-
trium habet, etiam quando nihil operaretur, aliàs a-
mitteret liberum arbitrium per solam cessationem
ab actu, quod absurdum est: non ergo potest liberũ B
arbitrium in actu consistere. Item homo est liberi ar-
bitrij, quia potest operari, & non operari positis o-
mnibus requisitis ad agendum; est autẽ potens pro-
ximè ad operandum per aliquam potentiam: ergo li-
bertatem habet proximè per aliquam potentiam a-
nimę: talis ergo potentia erit liberũ arbitrium. Dein-
de si libertas arbitrij consistit in aliquo actu, inquiro
an ille actus sit elicitus à potentia libera nec ne. Si
primùm dicatur, iam libertas antecedit illum actum:
est ergo in ipsa potentia ante actum. Si verò dicatur
secundum, ille actus necessarius est: quomodo ergo
in illo potest consistere arbitrij libertas.

Dicetur fortasse illum actum, etsi necessarius sit V.
posse esse principium liberę electionis aut delibera- Obiectioni respondetur.
tionis: ita enim visus est philosophari Heruæus. Exi-
stimat enim potentiam non esse aptam ad eliciendũ
actum liberum, nisi præcedat actus necessarius, qui
sit principium eius; nam liberum actum (inquit)
præcedit deliberatio, & deliberationem præcedit
voluntas deliberandi. Sed hoc intelligi potest de a-
ctu intellectus, vel de actu voluntatis. Verum ergo
est ante primum actum liberè elicitum, debere ne- C
cessariò præcedere actum intellectus, non liberum
nec propriè voluntarium, sed naturalem: quia cùm
nihil possit esse volitum quin sit præcognitum, ante
omnẽ volitionẽ antecedere debet iudicium aliquod:
illud ergo iudicium, quod antecedit primã volitionẽ
non potest esse ex voluntate profectũ, & consequẽ-
ter neq; liberum. Impropriissimè autem ac falsò di-
cetur, illud iudicium esse ipsum liberũ arbitrium, cò
quòd in suo genere possit esse fundamentum & orи-
go liberi vsus, quia solùm est cõditio requisita & ap-
plicatio obiecti vt potentia libera possit sua facultate
vti. Et quamuis daremus iudicium illud concurrere
actiuè ad actum liberè elicitum à voluntate, nihilo-
minus non in illo consisteret libertas; nam potiùs ip-
sum de se naturaliter influit, expectat tamen (vt sic
dicam) consensionem seu influxum voluntatis, in
cuius potestate est illum tribuere aut suspendere: nõ
ergo rectè tribuitur libertas illi iudicio seu actui in-
tellectus, vt principio in quo proximè resident.

Si verò id intelligatur de actu voluntatis, non est VI.
in vniuersum verum ante omnem actum liberum
voluntatis, præcedere aliquem actum naturalem,
qui sit principium actus liberi: quis enim est talis

actus

Universidad de Deusto
Biblioteca

actus, aut quæ necessitas cur antecedere debeat. Respondebitur, illum esse voluntatem deliberandi. Sed contra; nam in primis in Deo est perfecta libertas sine tali voluntate, præexistente in intellectu (modo nostro intelligendi) perfecta rerum scientia merè naturali ac necessaria. Angelus etiã in primo instante habuit actum liberum voluntatis absque præuia voluntate deliberandi per intellectum, sed supposita tantùm aliqua actuali cognitione intellectus, quã habuit concretam & receptam potiùs quàm propria voluntate acquisitam. Et similiter homo si in intellectu habet sufficientem propositionem & considerationem obiecti, etiamsi illam non habeat ex applicatione voluntatis, sed ex obiecti oblati excitatione, vel ex locutione aut infusione alterius, potest immediatè liberè velle aut non velle tale obiectum. Ac deinde, licet in homine sæpe antecedat illa voluntas deliberandi, seu aliquid ampliùs iuquirendi, vel considerandi de tali obiecto, etiam illa voluntas deliberandi non est naturalis, sed libera, quia, nihil est quod necessitet ad illam habendam: ergo neque illa voluntas deliberandi semper antecedit alium actum liberum circa omne obiectum, neque cùm antecedit semper est naturalis ac necessaria. Et ratio est, quia vt voluntas velit obiectum, non est necesse vt priùs voluerit considerationem obiecti, sed satis est, quòd talem considerationem habeat, siue illam considerationem habeat à natura, siue à voluntate, siue aliunde. De necessitate enim obiecti volendi solùm est, q̃ sit præcognitum; quòd verò illa cognitio hinc vel inde proueniat, accidentarium est. Et eadem ratione, etiamsi sæpe accidat consultationem & inquisitionem intellectus esse directè voluntariam, non oportet vt sit ab aliqua volitione naturali seu necessaria, sed potest esse à volitione libera, imò moraliter ita accidit, & ideò sæpe consideratio est culpabilis, quia cõsideratio poterat per liberã voluntatem haberi. Ex hoc ergo capite non est necesse vt aliquis actus naturalis voluntatis præcedat liberũ.

VII. An omnis intentio finis necessaria.

Aliter obiici potest, quia intentio finis semper præcedit electionem mediorum: intentio autem finis necessaria est; nam libertas, vt Aristoteles & Diuus Thomas sentiunt, solùm est in electione mediorum: ergo ex hoc capite ante actum liberum antecedit semper aliquis actus necessarius, qui est principium proximum & ratio electionis liberæ: ergo in eo ponenda est primò libertas arbitrij. Respondeo, & falsum assumi, & malè colligi. Non enim omnis intẽtio finis necessaria est, sunt enim multi fines particulares, quos non solùm quoad exercitium, sed etiã quoad specificationem, liberè volumus, solùmq̃ finem vltimum aut summum necessariò amamus, idq̃ue quoad specificationem tantùm, non quoad exercitium, saltem pro statu huius vitæ, vt paulò inferiùs attingemus, & ibi declarabimus quomodo libertas dicatur versari circa electionem. Deinde etiam quando intentio finis antecedit, libertas quæ est in electione mediorum non est ei attribuenda, vt proprio principio, sed facultati à qua est ipsa intentio & electio, tum quia adhuc incertum est an intentio sit proprium ac per se principium efficiendi electionem, vel tantùm dispositio præuia, seu conditio necessaria ad illam: tum maximè quia etsi intentio cõcurrat actiuè cum potentia ad electionem: tamen determinatio ad eligendum hoc medium præ aliis, non est ab intentione, sed ex virtute ipsius voluntatis, ex cuius influxu est intrinsecè voluntaria ipsa electio, & consequenter determinata ad hoc medium potiùs, quàm ad aliud. Nulla ergo ratione intelligi potest quòd facultas libertatis propriè resideat in aliquo actu, sed in potentia à qua proximè est actus liber.

VIII.

Et similibus argumentis facilè ostendi potest liberum arbitrium non esse aliquem habitum. Primò quidè, quia vel talis habitus esset naturalis, & congenitus cum potentia, vel acquisitus per actus (omitto habitus infusos, quia nunc de naturali libertate, & de actibus ordinis naturalis loquimur.) Primum dici non potest, quia iuxta veram doctrinam nullus est naturalis habitus, naturaliter inditus voluntati, si propriè loquamur de habitu, prout est qualitas distincta à potentia, addens illi facilitatem vel inclinationem, hanc enim non dat natura, sed vsus. Neque aliud docet experientia, vel ratio; nam inclinatio aut virtus, quam natura indidit potentiæ, non est aliud ab ipsa potentia. Vnde si fortasse Diuus Bonaventura, aut Albertus nomine habitus intelligunt habilitatem seu vim connaturalem talis potentiæ, solùm in nomine à nobis differunt. Secundum etiam dici non potest, quia habitus facultatis liberæ per actus liberos acquiruntur: antecedit ergo vsus liberi arbitrij huiusmodi habitum: ergo non potest ipsum liberum arbitrium consistere in tali habitu. Præterea est generalis ratio, quia habitus in tantùm potest esse principium actus liberi, in quantum possumus eo vti cùm volumus: non ergo dat ipse habitus libertatem, sed potiùs (vt ita dicam) illam accipit à potentia in qua residet, quatenus potentia est, quæ habitu vtitur, & in eius facultate positum est illo vti, vel non vti. Tertia ratio sit, quia habitus non dat posse operari; sed dat facilitatem in operando; vnde nullum actum naturalis ordinis potest voluntas efficere affecta habitu, quem absolutè non possit absq; habitu: liberũ autem arbitrium non necessariò requirit hãc facilitatem in operando, sed absolutam potestatem agendi & non agendi, positis omnibus requisitis: vnde homo ratione vtens à principio liber est antequã illam facilitatem acquirat: non ergo consistit libertas in aliquo habitu, neque in potentia simul cum habitu, cùm ipsa per se habeat absolutam potestatẽ. Solùm in habitibus per se infusis id videri potest probabile, quatenus hi habitus non tantùm dant facilitatem, sed ipsum etiam posse. Vnde concedi potest hos habitus complere ex hac parte intrinsecam libertatem respectu supernaturalium actuum. Quamuis etiam sine illis possit potentia, si aliàs habeat auxilium proportionatum, dici simpliciter libera ad tales actus, quia ad non eliciẽdos illos per se sufficit; ad eliciendos autem non tantùm per habitus, sed etiam per auxilia compleri potest. Neque in hac doctrina occurrit difficultas, nec Diuus Bonauentura, aut Albertus argumentum aliquod obiiciunt, quod nostra responsione indigeat.

Liberum arbitrium non esse potentiam, ab intellectu & voluntate distinctam.

IX.

SVpposito ergo facultatem liberam proximè positam esse in aliqua potentia animæ seu substantiæ intellectualis, inquirendum superest, quænam potentia illa sit. Et in primis non defuerunt qui dicerent, esse potentiam distinctam ab intellectu, & voluntate. Ita tenet Alexand. Alens. 2. par. q. 72. mẽb. 2. a. 1. 5. 3. vbi ait, liberum arbitrium propriè & specialiter sumptum, esse potentiam quandam motricem distinctam ab intellectu & voluntate. Veruntamen hæc

Sententia Alensis improbatur.

hæc sententia neque probari, neque intelligi potest. Aut enim est sermo de potentia motrice secundum locum, aut de potentia motrice aliarum potentiarũ ad actus suos. De priori probabile est esse in anima, vel etiam in intelligentiis distinctam ab intellectu & voluntate, siue ad mouendum se, siue ad mouendas res alias, vt suprà tactum est, & dicetur etiam infrà tractando de intelligentiis creatis. Veruntamen non potest libertas in hac potentia formaliter constitui. Primò, quia illa potentia propriè non elicit actum immanentem, sed actionem transeuntem, & ideò imperfectior est quam oportet, vt sit capax formalis libertatis. Secundò, quia illa potentia non exit in actum, nisi applicata per volũtatem, mouet enim angelus vel homo se aut alia, quãdo vult: imò in vniuersum principium motus in viuentibus perfectioribus est appetitus: ergo illa potentia non est libera actiuè, vt sic dicã, seu elicitiuè, sed passiuè seu imperatiuè: non est ergo in se potentia libera, sed subiicitur potentiæ liberæ. Vnde eius actus solùm est volũtarius per denominationem ab actu alterius potentiæ, non intrinsecè per se ipsam, quod necessarium est ad potentiam formaliter liberam, & paulò infrà exponam. Si autem sermo sit de potentia motrice aliarum potentiarum, talis potentia in creatura intellectuali non est alia à voluntate & intellectu; nã loquendo de motione obiectiua, sic intellectus mouet voluntatem; si autem de motione effectiua, seu applicatiua ad opus, sic voluntas est, quæ mouet & se, & alias potentias: non enim applicamur ad operandum liberè, nisi quia volumus: fingere ergo aliam potentiã & superuacaneum est, & intelligibile, quia non nisi appetendo & volendo inclinamur & applicamur ad operandum.

X.

Quòd si fortasse Alensis non re sed ratione distinguit potentiam hanc motricem potentiarum à voluntate, & hoc sensu vocat liberum arbitrium distinctam potentiam à voluntate, primùm solùm in verbis à nobis differet. Deinde non satis declarat munus liberi arbitrij: non enim adæquatè consistit in motione aliarum potentiarum, sed etiam in volẽdo quouis obiecto, cum potestate non volendi illud. Sit ergo constans & certum facultatem hanc, in qua proximè est formalis libertas, non esse aliam ab intellectu & voluntate. Quæ autem harum potentiarum sit, explicandum superest.

Libertatem formalem non esse in intellectu, sed in sola voluntate.

XI. Libertas non potest esse formaliter ex ratione & voluntate. Durand.

IN qua re tres modi dicendi esse possunt. Primus est intellectum & voluntatem simul ac formaliter complere libertatẽ arbitrij, ita vt vtraq; ex his potẽtiis formaliter libera sit in suis actibus, & ex vtriusq; libertate cõsistat perfecta libertas hominis cum suis humanis actibus. Hunc tenuit Durand. in 2. dist. 24. quæst. 3. Vbi primum ait intellectum simul cum voluntate esse potentiam formaliter liberam: putatq; esse sententiam Aristotelis 9. Metaph. cap. 3. vbi indistinctè ait, potentias naturales esse liberas. Deinde subiungit Durandus intellectum esse priùs & perfectiùs liberum, quia cùm proprium sit potentiæ rationalis esse liberam, quæ perfectiùs fuerit rationalis, erit perfectiùs libera: intellectus autem est perfectior rationalis potentia: imò ille solus est propriè & quasi essentialiter rationalis: voluntas autem solùm participatione seu subordinatione quadam, quatenus apta est ratione dirigi: ergo intellectus est etiam primariò liber. Et confirmatur; nam intellectus non solùm est liber, sed etiam est radix libertatis voluntatis; nam ex indifferentia iudicij, quod ad intellectũ spectat, oritur indifferentia electionis, quæ pertinet ad voluntatem: ergo libertas prior & perfectior est in intellectu; nam propter quod vnum quodque tale & illud magis. Tandem hinc tacitè concludere videtur Durandus liberum arbitriũ formaliter quasi coalescere ex intellectu & voluntate, Vnde & à Magistro ibi & à D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. definitur liberũ arbitrium esse facultatem voluntatis & rationis: illa enim particula & non copulatiuè, sed collectiuè sumenda est. Vnde munus liberi arbitrii non in solo iudicio, vel sola electione, sed in vtroque simul consistet.

XII. Libertas non est in solo intellectu formaliter.

Secundus modus dicẽdi esse potest libertatem esse formaliter in solo intellectu, & non in voluntate. Hunc non inuenio apud aliquem authorem: videtur autem posse satis probabiliter fundari in quadam sententia à multis recepta, nimirum voluntatem omnino determinari ad electionem à iudicio intellectus: ita vt nec sine illo possit determinari ad aliquid eligendum, neque illo posito possit ab illo discrepare seu non confirmari illi. Nam ex hoc principio apertè sequitur primò, potentiam voluntatis non esse formaliter liberam. Primò, quia nunquam est in potestate eius agere, & non agere, positis omnibus requisitis antecedenter, vt superiùs declaratum est: vnum enim ex his requisitis est iudicium rationis, quo posito non est in potestate voluntatis aut non agere, si iudicatum est esse agendum, aut agere, si iudicatum est non esse agendum. Secundò quia voluntas in sua determinatione magis passiuè, quàm actiuè se gerit, cùm necessitate quadam sequatur motionem alterius facultatis: at formalis libertas non potest esse in potentia vt mota, sed vt se mouente, sicut ostensum est. Tertiò declaratur exemplo potentiæ executiuæ, seu motiuę secundum locum: illa enim & mouere potest, & cessare à motu, & hunc motum efficere vel contrarium, & tamen non est formaliter libera, quia id non potest quasi se mouens seu determinans, sed tanquam mota, & necessariò sequens motionem voluntatis: ergo idem dicendum erit de voluntate, cùm pari necessitate obsequatur iudicio intellectus. Ex hac autem parte sic probata, necessariò cõcluditur altera, nimirum libertatem formaliter esse in intellectu quantum ad potestatem ferendi & non ferendi iudicium, quia aliàs nullibi relinquetur formalis libertas. Et potest etiam hæc pars confirmari argumentis Durandi.

Libertas in sola voluntate formaliter residet. D. Thom. Caietan. Capreol. Richard. Scotus, Henric.

Tertius modus dicendi est libertatem esse formaliter in voluntate, & non in intellectu. Hæc est D. Thom. 1. p. q. 83. art. 3. & 1. 2. q. art. 13. art. 1 adiuncto 6. & in 2. d. 24. quæst. 1. quibus locis idem tenent Caiet. Capreol. Conrad. & alii Thomistæ: consentiunt etiam Richard. dicta d. 24. & Scotus d. 25. & Henric. quodli. 1. q. 16. Et hanc sententiam censeo esse verissimam, quæ satis probata erit contra præcedentes, si ostenderimus non esse in intellectu formalem libertatem, quia nulla potentia præter voluntatem relinquitur, in qua esse possit. Id autem in hunc modũ demonstrari potest, quia intellectus secundum se neque est liber quoad specificationem sui actus, neque quoad exercitium: ergo nullo modo est liber: neq; enim alius modus liberratis excogitari potest.

XIV.

Prior pars probatur, quia intellectus ex natura sua determinatus est vt assentiat vero, & dissentiat falso: quòd si neutra harum rationum in obiecto sit, aut eam ipse non percipiat, neutrum actum elicere

potest,

Universidad de Deusto
Biblioteca

potest, quia non potest absque obiecto operari. Dices inter hæc membra dari posse medium, nimirum quòd in obiecto intellectus non clarè videat veritatem aut falsitatem: appareat tamen aliquo modo rationibus probabilibus, vel testimonio alicuius. Tũc ergo poterit intellectus esse liber quoad specificationem actus. Respondetur in primis, non posse intellectum ex se determinari ad speciem actus, nisi etiam possit se determinare ad exercitiũ, quia potentia non se determinat ad talem actum, nisi exercẽdo illum, & quia, vt suprà diximus, libertas primò & per se cernitur in exercitio actus: si ergo ostenderimus, intellectum non esse ex se liberum quoad exercitium actus, constabit etiam circa talia obiecta nõ habere formalẽ libertatem quoad specificationem.

XV. Præterea potest à priori declarari & probari, quia intellectus circa talia obiecta sic proposita, non ideò manet ex se quasi suspensus, & indeterminatus, quia habet intrinsecam vim & dominium sui actus, sed solùm quia obiectum non est satis applicatum, vt naturali impetu, quo inclinatur ad verum, ex necessitate in illud feratur. In quo cernitur magna differentia inter voluntatem & intellectum; nam intellectus non potest esse aliquo modo indeterminatus circa suum actum, nisi ob imperfectam propositionem obiecti. At verò voluntas etiam circa obiectum exactè propositum potest esse indifferens iuxta capacitatem obiecti. Et hac ratione in intellectu diuino nulla est propriè indifferentia quoad iudicium, quia semper est actus scientiæ euidens, & cum perfecta manifestatione obiecti; in volũtate autem est indifferentia, respectu obiectorum, etiamsi perfectissimè proponantur.

XVI. Et ratio magis à priori sumi potest ex diuersitate obiectorum intellectus & voluntatis; nam formale obiectum intellectus est veritas: in eodem autem obiecto non possunt esse veritas & falsitas, quia veritas cõsistit in indiuisibili, vt suprà tractatum est, & ideò per se, & quantum est ex meritis obiecti intellectus semper est determinatus ad vnum quoad speciẽ actus: vnde si interdum non satis determinatur, solùm est, quia obiectũ non satis proponitur seu apparet: non verò ex interna vi, & dominio ipsius intellectus supra actum suum. Voluntatis autem obiectum est bonum: potest autem idem obiectum esse simul bonum & malum, seu conueniens vel disconueniẽs in ordine ad diuersa, seu sub diuersis rationibus, & ideò stante perfecta obiecti propositione seu cognitione, potest esse potentia appetiua indifferens quoad specificationem ad prosequendum, vel refutandum tale obiectum: indifferentia ergo quoad specificationem per se ac formaliter non reperitur in intellectu, sed in voluntate.

XVII. Altera pars de necessitate quoad exercitium probatur, quia nulla potentia cuius actus non sit intrinsecè voluntarius, potest esse formaliter libera quoad exercitium: sed actus intellectus non est intrinsecè voluntarius: ergo intellectus non est potentia formaliter libera. Vt intelligatur antecedens suppono, duobus modis posse actum esse voluntarium: primò extrinsecè per denominationem ab actu alterius potentiæ mouentis seu applicantis aliam potentiam ad opus: quomodo deambulatio est voluntaria, quãdo quis sponte sua se mouet. Secundo modo est aliquis actus voluntarius intrinsecè & per se ipsum, vt actus amoris voluntarius est, quid enim magis spontaneũ quàm amare? & tamen per se loquendo, non est voluntarius per denominationem ab alio actu, sed per se ipsum. Non enim est necesse, vt qui amat, priori & distincto actu velit amare, & quamuis interdum aliquis pro libertate sua id facere possit, tamen est accidentarium ad voluntarium amorem: immediatè enim & absque priori actu potest quis amorem elicere: & ipsummet amare, intrinsecè est velle amorem. Sed est differentia, quòd in priori modo voluntarij, actus qui denominatur voluntarius ab alio, est obiectum, & effectus eius: obiectum quidem, quia in ipsum tendit prior actus; effectus autem, quia talis actus non solùm est volitus vt obiectum, sed etiam causatus; saltem mediatè, quatenus ex via actus volũtatis vel appetitus applicatur inferior potentia ad operandum. At verò actus qui per se ipsum est intrinsecè voluntarius, non comparatur vt proprium obiectum, vel effectus ad illum actum, quo est voluntarius, quia est voluntarius se ipso, & non est propriè obiectum vel effectus sui ipsius: habet ergo aliud obiectum in quod directè tendat, & est effectus potẽtiæ à qua elicitur, & solùm per quandam virtualem reflexionem quam in se includit, est voluntarius: vnde dici solet volitus per modum actus, non per modum obiecti.

XVIII. Actus voluntarius semper est a licitus ab a pectitu.

Ex quo intelligitur, nullum actum posse esse intrinsecè & per se ipsum voluntarium, nisi ille, qui est elicitus à potentia appetitiua. Probatur quia propriũ voluntarium, vt distinguitur à connaturali, formaliter prouenit ab aliquo actu elicito ab appetitu vitali: & ita in priori modo voluntarij actus ille, qui extrinsecè dicitur voluntarius, eam denominationem recipit ab aliquo actu elicito ab aliquoappetitu vitali, à quo imperatur: ergo actus qui per se ipsum est voluntarius, cùm non recipiat hanc denominationem ab alio actu elicito ab appetitu, necessariò debet esse elicitus ab appetitu vitali. Et ex ipsa ratione & modo talis actus potest etiam reddi ratio: nam actus elicitus à voluntate est per modum intrinsecæ & spontaneæ tendentiæ & inclinationis in obiectum: & ideò talis tendentia se ipsa etiam est spontanea: hic autem modus tendentiæ est proprius appetitiuæ potentiæ: ergo est etiam illius proprium quod actus eius sit per se ipsum intrinsecè voluntarius: cùm ergo intellectus non sit potentia appetens, constat actum eius non esse per se ipsum intrinsecè voluntarium, quæ erat posterior pars antecedẽtis assumpti.

XIX. Rationis v. sus radix est libertatis.

Prior verò pars, scilicet, solam illam potẽtiam esse posse liberam quoad exercitium, cuius actus est intrinsecè voluntarius, declaratur in hunc modum, quia exercitium actus, seu (quod idem est) determinatio potentiæ ad operandum, esse debet aut naturalis ex solo impetu naturæ, aut voluntaria ex inclinatione elicita operantis. Neque enim intelligi potest alia ratio ob quam causa aliqua exeat in aliquod opus, nisi vel quia est talis naturæ ex se determinatæ ad illud opus, vel quia vult & appetit talem operationem. Sed potentia libera quoad exercitium non determinatur ad opus ex solo impetu naturæ: ergo est determinanda voluntariè: ergo aut extrinsecè per voluntarium elicitum ab alia potentia: & sic non erit potentia formaliter libera, sed imperatiuè: quia ipsa non se mouet quoad exercitium, sed mouetur, & determinatur ab alio: Vel per volũtarium intrinsecum: & sic necesse est, vt talis potentia sit appetitiua: ergo vt potentia aliqua sit formaliter libera quoad exercitium, id est potens se ipsam determinare ad exercendum actum liberum, necesse est, vt sit potentia intrinsecè voluntariè operans per suum actum:

actum: cùm ergo intellectus non sit talis potentia, vt per se constat, rectè concluditur ipsum non esse potentiam formaliter liberam in exercitio sui actus.

XX. Quod quidem confirmari potest primò ex communi modo sentiendi, & loquendi omnium hominum: cùm enim possit homo de hac re vel illa considerare, si quis interrogetur cur potiùs in huius rei consideratione quàm alterius occupetur, respondebit id facere quia vult: imò & qui credit ea quæ non manifestè videt, credit quia vult, voluntate ratione regulata, si prudenter credit: & ideò dicũt Theologi credere esse meritorium, & pendere ex pia affectione voluntatis: ergo signum est intellectum nunquã liberè determinari ad alterutram partem nisi per voluntatem: ergo non est ipse in se formaliter liber. Et confirmatur tandem, nam quando actus seu exercitium actus intellectus, nõ habetur ex necessitate naturæ, non potest ab homine assumi, seu præferri carentiæ talis actus seu exercitij nisi per quandam electionem, qua hoc præfertur alteri: sed electio est actus voluntatis: ergo determinatio potentiæ ad exercitium actus semper est per imperium seu motionem voluntatis eligentis: atq; ita tota libertas talis actus est formaliter ex voluntate, & non ex intellectu.

XXI. Idemque maiori ratione concluditur, quando electio non solùm est de exercitio actus intellectus, sed etiam de specie eius, vt cùm quis eligit credere firmiter potiùs quàm discredere, vel dubitare: illud enim necesse est fieri per voluntatem determinantem intellectum, vt rectè dixit D. Thom. 2. 2. q. 2, artic. 1. ad tertium.

Ex probatione igitur huius partis relinquitur in primis satis improbata opinio Durandi: nam si intellectus non est formaliter liber, non potest liberũ arbitrium formaliter consistere in collectione seu aggregato vtriusque potentiæ intellectus & voluntatis. Dico autem *formaliter*, nam radicaliter pertinet intellectus seu ratio ad liberum arbitrium. Quo sensu dictum est, liberum arbitrium esse facultatem voluntatis, & rationis. Est enim voluntatis formaliter, rationis autem præsuppositiuè seu radicaliter. Neq; oportet cum Scoto, Henrico, & aliis disputare, qui negant rationem esse dicendam radicem libertatis, sed solùm conditionem necessariam ad libertatem: nam hi authores videntur de modo loquendi magis quàm de re contendere. Nam, quia cognitio solùm est necessaria conditio, præuia ad volitionem, ideò modum cognitionis solùm appellare volunt conditionem necessariam ad modum volitionis, qui in libertate cõsistit. Optimè tamen dici põt, radicem libertatis esse rationis seu intelligentiæ vsum: nam, si de potentiis ipsis loquamur, potentiæ appetitiuæ sequuntur cognoscitiuas, ita vt licet radix earum sit anima, immediatè tamen est radix potentiæ cognoscitiuæ, & mediante illa appetitiuæ: & ita perfectior appetitus radicatur proximè in perfectiori potentia cognoscente: ergo etiam hæc perfectio formalis libertatis oritur ex perfectione intelligendi seu ratiocinandi. Sicut ergo vna passio est radix alterius, ita libertas volũtatis dicetur radicari in intelligentia rationis. Et eadem est proportio inter actus, quia sicut est ordo per se inter potentias, ita inter actus earum: & quia moraliter illa est causalitas per se, fundamentũ autem totius esse moralis est libertas: igitur etiã indifferentia in actibus voluntatis prouenit ex iudicio rationis, vt rectè docet D. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. & aliis locis suprà citatis, quem Thomistæ eisdem locis sequuntur: & Son. Iauell. & alij 9. Metaph.

XXII. Solùm oportet obseruare dictos authores sæpè dicere indifferentiam actus voluntatis oriri ex indifferentia iudicij rationis: in qua locutione cauenda est æquiuocatio vocis *indifferentia*, nã attributa voluntati in ipsa potentia significat formalem libertatem, seu potentiam ad vtrumlibet: in actu verò eius significat immediatam habitudinem ad potentiam elicientem actum, cum proxima potestate ad oppositum. Vnde si in eodem sensu dicatur indifferentia actus voluntatis oriri ex indifferentia iudicij, non est vera sententia: quia in iudicio, vt antecedit voluntatem, non potest esse hæc formalis indifferentia, vt demonstratum est. Aliter ergo sumenda est indifferentia attributa iudicio vt radici libertatis, & potest dici indifferentia non formalis sed obiectiua, nam quia iudiciũ rationis pp̃ suam perfectionẽ & amplitudinem proponit in obiecto varias rationes conuenientiæ, vel disconuenientiæ: & similiter proponit medium non semper vt necessarium, sed vt indifferens, quia & discernit gradum vtilitatis & difficultatis eius, & simul inuenit, vel proponit alia media: ideò fundamentum est liberæ electionis voluntatis.

XXIII. Quod autem in iudicio non sit alia indifferentia, vel libertas necessaria, satis constat ex dictis suprà cõtra opinionem Heruæi. Et patet facile in libertate diuina, nam præsuppositis solis naturali scientia obiectorum omniũ possibiliũ, voluntas diuina liberè vult hoc vel illud extra se, propter solam indifferentiam vel non necessitatẽ obiectorum, quam per naturalẽ scientiam clarissimè & necessariò intelligit.

Atque ita satis factum est omnibus fundamentis Durandi: nam esse potentiam formaliter liberã non est idem quod esse potentiã rationalem, nec necessariò illud cõcomitans: sed solùm comitatur potentiã appetitiuã rationalẽ: ad potentiam autem rationalẽ vt sic solùm consequitur quòd sit libera formaliter aut radicaliter. Et hoc modo intelligendus est Arist. nono Metap. vbi indistinctè loquitur de potentiis rationalibus per modum vnius, solumq; intẽdit docere in parte rationali quam mentem appellamus, esse indifferentiam in operãdo: quomodo autem ad hanc indifferentiam concurrant singulæ potentiæ illius partis superioris, ipse non tractat, à nobis autem declaratum est.

XXIV. Secundò ex probatione eiusdem partis improbatã relinquitur secunda sententia, quæ formalem libertatem in voluntate negabat: nam si formalis libertas non est in intellectu, vt ostensum est, necesse est vt sit in voluntate, aliàs nullibi esset. Deinde est per sese valde improbabilis illa sententia, & aliena ab omni hominum sensu: omnes enim censent hominẽ esse liberum, quia, si vult, operatur, & si vult, cessat. Vnde etiam Scriptura sacra hãc potestatem indifferentem maximè attribuit voluntati 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habẽs suæ volũtatis*, & ideò etiam omnis bonitas & malitia omnisq; ratio præmij aut pœnæ in voluntate esse censetur, vt latiùs Theologi tradunt. Ac diserte Conc. Trident. sess. 6. c. 5. cùm docuisset esse in potestate hominis liberè cooperari vel resistere gratiæ, expresè declarat id facere hominem *libera sua voluntate*, vel sola, si resistat, vel adiuta Dei gratia, si cooperetur. Ac deniq; antiqui Patres hac ratione liberum ipsum arbitrium sæpè nominant *liberam voluntatem*, vt videre est in August. lib. 3. de lib. arb. c. 1. & seq. & in Damas. lib. 2. de fide, c. 25. interdum verò vocant liberum voluntatis arbitrium, vt patet apud Aug. lib. 5. de Ciuit. c. 9. & Ambr. lib. 2. de fide, cap. 3.

1. Corinth. 7
Trident.
August.
Damascen.
Ambros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXV. Atque ex hac parte, quòd voluntas sit formaliter A libera, potest confirmari altera, quod scilicet intellectus non sit formaliter liber: quia non sunt ponendi in homine actus eliciti à duabus potentiis per se liberi ex solis habitudinibus ad suas potentias: aliàs duplex inordinatio moralis esset in huiusmodi actibus intellectus & voluntatis. Itaque statim ac intellectus iudicaret hoc obiectum prauum esse eligibile in hoc actu præcisè sumpto, & ante alium consensum voluntatis esset malitia: quia de se est rationi dissonus, & alioqui est formaliter liber. Rursus in electione talis obiecti esset noua malitia, quia ille est nouus actus liber quem homo vitare posset, & de obiecto rationi contrario. Quòd si stante illo iudicio adhuc voluntas non consentiret, nihilominus homo dignus esset reprehensione ratione talis iudicij, non ratione alicuius voluntatis prioris, formalis aut virtualis, sed præcisè ob libertatē intellectus. Eademq; ratione inconsideratio aut error posset esse culpabilis ratione solius intellectus absq; interuentu voluntatis: quæ omnia sunt absurda, cùm nihil magis repugnet quàm esse peccatū absq; voluntario. Sicut ergo non est in homine alia formalis bonitas vel malitia B moralis, nisi quæ à voluntate prouenit: ita neq; est alia potentia formaliter libera præter voluntatē. Neq; hoc est contra perfectionē intellectus, quia simpliciter maior perfectio est esse regulā voluntatis, cui perfectioni repugnat libertas formaliter in eadē potentia, tum quia regula debet esse certa & de se immutabilis, tum etiam quia illa operatio quæ est regula, nō est per inclinationem & tendentiam in rem regulatā, sed per quandam commensurationem ad illam, quæ commensuratio non est indifferens, sed certa & determinata: voluntas autem, quia est quasi cæca, indiget regula, aut directione intellectus: quia verò tendit in suum obiectum per voluntariam inclinationē perfectam, capax est libertatis: & in hoc potest secūdum quid excedere intellectum, quamuis simpliciter sit in perfectione inferior.

SECTIO VI.

Quomodo causa libera determinetur à iudicio rationis.

I. Prima sententia. SVpereſt tamen respōdeamus ad difficultatem in C fauorem secundæ sententiæ propositam, quæ aliam quæstionem postulat: quomodo scilicet voluntas, dum liberè vult, à ratione determinetur. In qua discipuli D. Thom. suprà citati, & alij recentiores omnino contendunt non posse voluntatem determinari ad liberum actum, nisi præcedat in intellectu definitum iudicium practicum, vel, vt alij loquuntur, imperium quo hîc & nunc pensatis omnibus, definitam sententiam proferat, hoc esse homini eligendū: vel impulsum qui hac voce explicatur, *fac hoc*, efficiat. Ratio esse potest, quia voluntas non potest ferri, nisi in obiectum cognitum, & per rationem propositum, cùm sit appetitus rationalis 3. Ethic. c. 2. ergo donec ratio determinatè iudicet quid eligendum sit, non potest voluntas eligere: aliàs tenderet in obiectū incognitum: quia cognitio vera non est sine iudicio, per puram enim apprehensionem nondum cognoscitur an res sit talis, vel non sit: ergo & è conuerso stante illo definito iudicio, hoc est eligendum, non potest voluntas non eligere: quia aliàs etiam tunc sine ratione duceretur: & formaliter, vel virtualiter saltem ferretur in incognitum: quia non eligendo, vel formali, vel virtuali actu refutat illud obiectum, vel vult non amplecti tale medium sine vlla ratione, vel iudicio: repugnat ergo voluntatem sic operari. Propter quod fortasse dixit Bernard. lib. de grat. & libero arbit. habere semper voluntatem cognatam rationem, quia licet non semper ex ratione, nunquā tamen absque ratione mouetur.

II. Secunda sententia. Henric. Scotus. Andr. Hæc verò sententia non placet Henrico, neq; etiam Scoto & discipulis eius, vt patet ex locis citatis, & ex Antonio And. 9. Metaphys. q. 2. Et sanè ratio insinuata in superiori sectione referendo secundā sententiam apud me est irrefragabilis: nam si illud iudicium rationis est ita prærequisitum ad operandū, vt in suo genere sit causa necessaria ad actum liberum voluntatis: & illo iudicio posito voluntas non potest non consentire illi: ergo voluntas non est talis potentia, quæ positis omnibus absolutè prærequisitis ad operandum, possit velle & non velle: ergo non est potentia libera. Tota collectio videtur euidens iuxta principia superiùs demonstrata. Et declaratur ampliùs, nam posito iudicio, voluntas ex necessitate vult in sensu (vt aiunt) composito: quod facilè concedent authores illius sententiæ: adeò vt Medin. 1.2. quæst. 9. art. 1. dub. 2. post secundam conclus. dicat stante imperio efficaci ex parte intellectus nullam restare libertatem in voluntate ad contradicendum. Et subdit, non habere imperium hanc efficaciā ab ista voluntate per se loquendo, quia cùm non sit abitio in infinitum, necessariò deueniendum est ad vnum imperium intellectus anteuertens omnem actionem voluntatis, quod secum efficaciter rapiat voluntatem. Et Bellarminus, qui illam tenet sententiam lib. 2. de grat. & libero arbit. cap. 8. dicit, quòd sicut voluntas Beatorum est determinata ad amandum Deum posita visione Dei, ita in quacunque re particulari eligenda voluntas est determinata ad vnum quoad specificationem, & quoad exercitium, & re ipsa necessariò eliget: quando aderit præsens iudicium practicū particulare dictans hîc & nunc absolutè omnibus consideratis hoc esse eligendum. Media. Bellarmin.

III. Sed tunc interrogo rursus an illud iudicium sit absolutè & simpliciter necessarium, ita vt feratur ab intellectu ex vi solius obiecti, & medij euidentis, aut alterius causæ necessitantis intellectum ad tale iudicium: an verò sit actus simpliciter liber. Si primum dicatur, euidenter destruitur vsus libertatis, quia talis vsus neque cernitur in ferendo ipso iudicio, neque in actu voluntatis qui ad illud necessariò consequitur. Neque hîc iuuat quidquam sensus compositus, quia illa suppositio cum qua actus necessariò componitur, est in se simpliciter necessaria & non libera, & est antecedens tanquam causa necessitans ad subsequentem actum: qui modus compositionis in amore beatifico reperitur, nec potest actus voluntatis alio modo esse necessarius. Si verò dicatur iudicium illud esse liberum (vt tandem post inutiles & obscuras distinctiones concedit Iauellus 9. Metaph. quæst. 4.) interrogo rursus an illud iudiciū sit liberum elicitiuè ex vi intellectus, vel imperatiuè à voluntate. Primum dici non potest in sententia cum qua conuenimus, qui de hoc puncto disputamus, quòd intellectus non est potentia formaliter libera. Si verò dicatur secundum, vel proceditur in infinitum, vel omnino destruitur illa sententia, nam de illo actu volūtatis qui determinat intellectū ad tale iudicium, inquiro an determinetur ex alio iudicio intellectus, & de illo redibit idem argumentū, & sic procedetur in infinitum. Si verò ille actus liber volūtatis nō est ex determinatione similis iudicij prioris inferuntur duo, illi sententiæ contraria. Primum est A voluntatem non determinari in omnibus suis actibus liberis à iudicio intellectus: secundum est nunquam sic determinari, nisi in virtute alicuius prioris volitionis liberæ, in vi cuius cætera consequuntur, & ab ea participant libertatem.

IIII. Dicet fortasse aliquis stante illo iudicio impossibile esse voluntatem non consentire: posse tamen voluntatem tollere iudicium illud: & propterea actū eius esse liberum & non necessarium, sed hæc respōsio non satisfacit argumento proposito, sed tacitè & implicitè admittit illud iudicium esse liberum: aliàs non posset voluntas auferre illud: non declarat autem per quam voluntatem sit à principio liberum. Neque enim satis est si dicatur esse liberum indirectè, quia voluntas non impediuit illud, tum quia saltem potuit voluntas habere volitionem liberam qua impediret illud iudicium, de qua redit idem argumentum: tum etiam quia licet ad negationem actus fortasse possit sufficere voluntarium indirectum, tamen ad exercitium positiuum actus liberi & imperati non sufficit, sed necessarius est actus formaliter liber imperans & determinans potentiam. Alia præterea B euasio, quæ ex Iauello suprà sumi potest, non eneruat vim argumenti: ait enim, iudicium illud esse liberum radicaliter, quod habet ab intellectu, & nō à voluntate, sed hoc non est respondere ad dilemma factum, sed illud eludere, quia esse liberū radicaliter nō est aliud quā esse radicem libertatis, quæ est in voluntate, de quo non inquiritur, sed de libertate formali: nā illemet actus intellectus qui est radix actus voluntatis, est verè ac formaliter elicitus à sua potentia, & de illo inquiritur, an ex necessitate, vel cum indifferentia elicitus sit à potentia. Alij respondent distinguentes de indicio speculatiuo, vel practico, quia non speculatiuū, sed practicum determinat voluntatem. Et hoc aiunt esse liberum, etiamsi contingat speculatiuum esse naturale. Sed hoc non eneruat difficultatē propositā, nam si posito toto iudicio speculatiuo de obiecti conuenientia, vtilitate, honestate aut turpitudine, & aliis rationibus aut circumstātiis, iudicium practicum de tali re amanda seu eligenda liberum est, de illo redit totum argumentum factū, à quo nimirum determinetur intellectus ad tale iudicium. Si ab intellectu: ergo intellectus est liber, si à C voluntate, quid determinat illam? Atque ita concluditur, primam determinationem liberam voluntatis fieri sine tali iudicio: nullumque esse iudiciū omnino determinans voluntatem ad aliquem actum; nisi in virtute prioris volitionis liberæ.

V. Tertia opinio. Dicunt tandem aliqui illud iudicium practicum esse liberum ex vi voluntatis amantis illud obiectū: & voluntatem ipsam amare illud obiectum ex vi talis iudicij: atq; illos duos actus esse sibi inuicem causas in diuersis generibus causarum, quia & voluntas determinat intellectum vt ita practicè iudicet, & intellectus determinat voluntatem, vt velit talem rem. Neque repugnat (inquiunt) illa duo mutuo se antecedere & subsequi, quia id fit in diuersis generib. causarum. Voluntas enim determinat intellectum efficienter, intellectus autem voluntatem finaliter. Sed hæc doctrina mihi non probatur: primum enim nulla ratione fundatur, neque ad aliquid est necessaria: & aliunde vix potest mente concipi illa mutua prioritas & motio inter illos duos actus. Et præterea ostendo esse impossibilem, nam in omni actu vitali sufficiens applicatio obiecti necessarij ad actum simpliciter, & in omni genere causę antecedit talē actū. Nec fieri potest vt ipsamet obiecti applicatio, effectiuè proueniat ab actu ad quem ordinatur: sed iudicium rationis requiritur ad actum voluntatis vt applicans obiectum: ergo impossibile est vt iudicium rationis necessarium ad actum voluntatis effectiuè proueniat ab eodem actu. Maior inductione ostendi potest in omnibus aliis actibus vitalibus extra illum de quo agimus. Et ex naturalibus potest sumi argumentum proportionale, quia impossibile est vt agens, quod passo indiget vt agat non supponat absolutè & in omni genere causæ applicationem passi ad talem actionem, aut quod per ipsammet actionem sibi applicet passum. Et ratio reddi potest, quia agens est impotens ad agendum, nisi circa materiam applicatam: ergo impossibile est quod per illam actionem ipsammet applicationem efficiat, sed omnino debet supponere illam. Item quia aliàs talis actio vt applicatiua passi, non verfaretur circa illud vt applicatum, sed vt distans: quod statim declarabitur magis in re de qua agimus.

VI. Minor autē primi syllogismi certa est ex illo principio, quod nihil est volitum quin præcognitum. B Quòd si quis contendat iudicium rationis non tantum esse conditionem, & applicationem obiecti, sed etiam principium efficiens cum voluntate actum eius, non eneruat, sed auget vim argumenti, nam ex eo magis repugnabit illud iudicium esse effectiuè ex motione actus voluntatis, quòd ipsummet iudicium dicitur esse principium efficiens talem actum voluntatis. Et confirmatur præterea primò, quia voluntas non applicat aliquam potentiam ad actum suum, nisi volendo illum actum: ergo si voluntas directè applicat intellectum ad illud iudicium, id faciet per actum quo vult vt intellectus id iudicet: quid ergo mouet voluntatem vt hoc velit? Num aliud prius iudicium, an ipsum quod est volendum? si aliud: ergo non determinatur voluntas ad illum actum à iudicio quod vult, sed quod præcedit. Si illud idem: ergo illud iudicium per modum obiecti mouet voluntatem, priusquam de illo sit iudicatum vllo modo. Et confirmatur secundò, nam aliàs primus actus intellectus posset esse à voluntate ipsa, quod est contra omnium sententiam fundatam in illo principio: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Et sequela probatur, quia etiam de primo actu intellectus dici posset esse liberum, & voluntarium ex motione voluntatis, & nihilominus in suo genere esse causam eiusdem actus voluntatis quo ipse est voluntarius. Quod si in primo actu hoc est impossibile, vt re vera est, non est quia est simpliciter primus, sed quia tali modo est causa actus voluntatis, vt ad illum simpliciter & in omni genere causæ præsupponatur: hæc autem ratio procedit in omni alio actu: nunquam ergo fieri potest, vt iudicium intellectus sit liberum per actum voluntatis subsequentis ipsum. Vel aliter, fieri nō potest vt voluntas determinetur ad actum liberum, per iudicium quod ex eodē actu libero nascitur. Atq; ita fit vt vel determinetur per iudicium omnino necessarium, quod repugnat libertati, vel quòd determinatio libera non oriatur ex tali iudicio, quod est intentum.

Quæstionis resolutio.

VII. PRopter has ergo difficultates existimo ad liberam determinationem voluntatis non esse necessarium tale iudicium practicum omnino determinans ipsam. Quod præter discursum factum (qui videtur esse à posteriori, & ab inconuenienti) potest à priori

Universidad de Deusto
Biblioteca

priori,& ex re ipsa ita declarari,quia iudicium intellectus non mouet voluntatem, nisi medio obiecto quod proponit: sed obiectum propositum nõ semper infert necessitatem voluntati, aut determinat illam ad vnum, neq; hoc est necessariũ vt volũtas possit in obiectum tẽdere: ergo nec est necessaria ex parte iudicij,imò nec possibilis talis determinatio. Maior probatur, quia vel iudicium mouet tantùm ratione obiecti, vel ipsummet ratione sui habet peculiarem efficaciam ad determinandam voluntatem.Hoc posteriùs dici non potest, tum quia talis efficacia repugnaret libertati voluntatis,vt dictum est,tum etiam quia talis mouendi modus est alienus à munere intellectus, qui est illuminare & dirigere ac regulare voluntatis operationes: tum denique quia ille mouendi modus est proprius voluntatis, quæ in hunc finem peculiariter data est, vt alias potentias efficienter moueat quoad exercitium: ergo nõ potest fieri vt intellectus qui à voluntate efficienter mouetur, vicissim eodem modo illam moueat. Atque hoc docet expresiè D.Thom.1.2.q.9.art.1.& 3.

VIII. Sed obiiciunt aliqui, quia intellectus per imperium practicum efficaciter mouet voluntatẽ ad opus. Respondetur, imperium practicum intellectus, quo quis intelligitur sibi ipsi,vel suæ voluntati imperare, non esse aliud à iudicio perfectè practico, & omnino definito cum omnibus circumstantiis. Neque intelligi potest in intellectu actus impulsiuus voluntatis, nisi per modum iudicij: sicut respectu aliorum non intelligitur imperium nisi per modum locutionis intimantis quid agendum sit,& quidquid aliud in intellectu fingitur, & gratis asseritur,& explicari non potest quid sit,& est extra rationem intellectus, qui essentialiter & adæquatè est potentia cognoscitiua, & iudicatiua, & ideò non potest habere actum nisi per modum apprehensionis vel iudicij. Cùm ergo hoc imperium de quo agimus, non sit merè apprehensio,vt per se constat, non potest esse nisi iudiciũ practicũ. Neq; Aristot.aut D. Thom. imperium rationaliter vnquam declarant quàm per modum iudicij omnino practici,vt latiùs in 1.2.q.17. tractatur. Hocigitur iudicium ex se solùm mouet ex parte obiecti,vt declaratum est.Quòd si interdum videtur efficaciter impellere,solùm est in virtute alicuius actus efficacis eiusdem voluntatis qui præcessit:nam si voluntas efficaciter proposuit,vel intendit cõsequi hũc finem,aut elegit adhibere tale medium, intellectus nacta occasione hîc,& nunc iudicat omnino esse hoc faciendũ supposita priori voluntate. Et tunc voluntas omnino determinatur,non tam à iudicio, quàm à se. Cuius signum est, quia non absolutè, sed quasi conditionatè determinatur,scilicet si velit in intentione seu electione facta persistere. Vndesi à priori voluntate velit retrocedere,potest, & impedire huiusmodi imperium. Quando autem talis voluntas efficax non præcedit,impossibile est, vt imperiũ intellectus habeat illam vim impulsiuam efficacem, aliàs destrueret voluntatis libertatem, & laus aut reprehensio non esset voluntati sed intellectui attribuenda. Atq; hoc tandem fatetur Medina, propter D. Thom.authoritatem 1.2.q.17.art.5.

IX. Superest probanda altera pars,scilicet,quod volũtas ab obiecto proposito non semper determinetur ad vnũ,quæ certa est & recepta ab omnib. eamque ex professo probat D. Thom.1.2.q.10.artic.2. Nã perinde est dicere voluntatem non necessitari ab alio, quod non determinari ad vnum ab illo, vt probant argumenta superiùs facta,sed est certum non necessitari ab omnibus obiectis, ergo nec determinari ad vnũ:igitur quoad exercitium solum in patria ab infinita bonitate Dei clarè visi determinatur ad vnum, iuxta receptã doctrinam.Quoad specificationem verò à bono in communi aut aliis similibus obiectis, vt infrà attingemus. Non verò ab omnib.quia nõ in omnibus apparet aliqua necessaria ratio boni:Vel non apparet talis bonitas quæ non habeat admistam vel malitiam, vel incommodum aliquod,aut defectum. Quamuis autem obiectum non sic determinet voluntatem, potest esse ita sufficiens ad excitandam & alliciendam illam, vt ipsa sua libertate determinetur aut feratur in illud, quia si in obiecto repræsentatur aliqua ratio boni,illa est de se sufficiens ad mouendã voluntatem, ergo illa determinatio necessaria nõ est vt voluntas moueatur.

Responsio ad contraria fundamenta.

X. EX quo non solùm probata est nostra sententia, sed etiam responsum est ad fundamentum oppositæ sententiæ. Ex eo enim quod voluntas nõ potest ferri in incognitum,solùm habetur,necessarium esse iudicium intellectus, vt voluntas possit eligere, non verò sequitur oportere vt illud iudicium determinet voluntatem ad vnum. Quod eleganter dixit Bernard. lib.de Grat.& lib.arb.his verbis,*Est ratio data voluntati vt instruat illam,non vt destruat: destrueret autem si necessitatem illam imponeret, quominus pro arbitrio suo sese volueret.* Vnde cùm in argumento sumitur,necessarium esse vt intellectus prius iudicet quid eligẽdum sit, ambigua esse potest propositio; nam si sit sensus prius iudicare quid bonitatis,vtilitatis,aut cõuenientię habeat medium eligendum,& ipsa electio, vera est propositio:si verò sit sensus prius esse iudicãdum absolutè & omnino hoc esse eligendum, falsa est propositio. Nam reddit hunc sensum,quod pensatis & consideratis omnibus iam hîc & nunc est sub aliqua ratione necessarium hoc eligere, & ideò esse omnino eligendum: nulla est autem ratio ob quam tale iudicium sit necessarium ante omnem electionẽ: imò repugnat hoc libertati electionis,vt ostẽsum est. Sufficit ergo illud iudicium quo medium hoc iudicatur vtile,& pensatis omnibus aptum vt eligi possit: & idem est de quolibet obiecto bono, quod scilicet iudicetur sufficienter bonum vt amari possit. Nam sicut,vt visus ferri possit in obiectum,non est necesse,quod applicetur vt visum,vel vt videndum, sed vt visibile, ita vt voluntas moueatur ab obiecto satis est quod proponatur vt diligibile,quamuis non iudicetur omnino eligendum.

XI. Quod declaratur primò in diuina voluntate & intellectu: nam vt Deus in æternitate sua aliquid extra se determinatè ac liberè velit,non oportet vt ante omnẽ determinationem liberã præcedat nostro modo intelligendi in intellectu diuino hoc iudicium, Hoc mihi omnino amandum est,aut eligendum: esset enim tale iudicium temerarium ac sine fundamẽto,& in rigore falsum: nam includit quod tale obiectum extra Deum sit ipsi aliquo modo necessarium: solùm ergo antecedit iudiciũ quod tale obiectum sit conueniens aut eligibile: ergo idem intelligendũ est in voluntate creata.Secundò confirmatur ac declaratur,nam vt voluntas eligat vnum mediũ, non est necesse quòd ita de illo iudicet intellectus, vt de nullo alio iudicium habeat, quia voluntas solùm eget cognitione eius obiecti in quod fertur,ignoratio verò vel inconsideratio alterius obiecti est illi impertinẽs, per se loquẽdo,ergo si iudicet intellectus hoc mediũ esse

esse vtile,vel eligibile, etiamsi simul iudicet aliud esse vtile, potest voluntas vnum eligere, neq; est necesse vt intellectus priùs de altero determinatè iudicet esse eligendum,imò neq; esse eligibilius alio.

XII. Obiectioni respondetur. Dices, si iudicium intellectus est indeterminatũ, quomodo voluntatis electio esse potest determinata? Respondetur, non posse dici iudiciũ indeterminatum quando per illud iudicatur quale sit obiectũ, & quam conueniẽtiam vel amabilitatem habeat: sed dici potest vel multiplex iudicium,quando de pluribus obiectis iudicatur qualia sint,vel potest dici determinatum iudicium de obiecto indifferenti, id est non habente necessariam coniunctionem cum voluntate, licet aliquam bonitatem vel conuenientiã habeat,& talis determinatio iudicij licet non sufficiat imponere necessitatem voluntati, sufficit tamẽ vt ipsa pro libertate sua possit se determinare & sequi illud iudicium.

XIII. Sed vrgebis,nam si vnum tantùm adest iudicium, illud omnino sequetur voluntas, quia non habet aliud ad quod se vertat. Si verò adsunt plura,necessariò sequetur illud quod est de vtiliori medio, aut meliori obiecto, atque ita semper determinabitur à iudicio. Respondetur inprimis, posse esse iudicia de mediis æqualibus: & tunc voluntas nec poterit determinari à iudicio, nec necessariò erit suspensa; sed hæc est eius libertas, vt vnum possit eligere,& aliud omittere. Quòd si hoc non potest, non video quomodo possit dici libera, sed re vera id potest, quia ad hoc est libera, vt possit velle quod bonum est, & non velle quod necessarium non est. Estque illustre exemplar huius libertatis voluntas diuina, quæ inter hanc materiam, & aliam omnino æqualẽ & similem,& inter hos cœlos,& alios omnino æquales (& sic de aliis rebus) hos elegit creare præ aliis; quod non potest referri in iudicium inæquale, quia neque ex parte ipsorum, nec ex parte Dei est aliqua ratio qua possit fundari tale iudicium, quod verum sit: est ergo illa prælectio solùm ex determinatione libera diuinæ voluntatis. Rursus etiam quando obiecta vel media iudicantur inæqualia, censeo probabilius (licet minùs certum) non determinari voluntatem necessariò ad id quod est meliùs ex vi iudicij. Probatur, quia hoc ipso quòd neutrum proponitur vt necessarium,potest voluntas vtrumque non amare: ergo etiam potest indifferenter amare quodlibet illorum, prætermisso alio. Et in diuina voluntate multis videtur hoc necessarium, quia potuit meliora facere quàm fecit, & tamen noluit. Vnde omnes Theologi docent Dei Incarnationem fuisse optimum medium ad redimendos homines, idque necessariò iudicasse Deum priùs ratione quàm illud vellet, & nihilominùs stante illo iudicio potuisse Deum id non velle, sed aliud. Iudicium itaque de meliori,vel vtiliori medio non determinat voluntatem ad illud volendum. Dixi autem ex vi iudicij, quia ex vi prioris actus aut intentionis voluntatis fieri potest, vt omnino determinet ad eligendũ vtilius mediũ, si illa maior vtilitas necessaria sit ad consequendũ finẽ prout fuerat intentus: nam tunc iam nõ est tantùm vtilius, sed necessarium ad talẽ intentionem explendã. At si illa maior vtilitas non sit necessaria ad intentionem finis, iudicium de illa nõ determinabit voluntatem vt omnino tale velit mediũ.

XIV. Ex quo tandem constat quid dicendum sit,quando vnum tantùm adest iudicium: nam etsi intellect' de vno tantùm obiecto cogitet, & illud iudicet esse conueniens & dignum vt appetatur, & quantũ põt practicè inuitet voluntatem vt illud appetat: adhuc potest voluntas pro sua libertate illud non amare, quia ad non exercendũ actum præcisè non indiget alio iudicio,sed satis est,vt per illud,quod homo nũc habet, nõ iudicet hoc bonum hîc & nũc esse sibi necessariò diligendum. Vnde potest tunc voluntas vel suspendere actũ, vel diuertere intellectum,ne de illo obiecto cogitet, vel applicare illum vt de tali obiecto diligentiùs inquirat quanta sit eius bonitas,& an habeat coniunctum aliquam malitiam, vel discõuenientiam, ob quam possit non solùm non amare illud, sed etiam odisse. Nunquam ergo iudicium vt sic determinat omnino voluntatem, nisi alioqui obiectũ ob excellentiam bonitatis eam vim habeat,quod inferiùs attingemus.In hunc ergo modum optimè soluitur tota difficultas proposita, nostraq; libertas egregiè defenditur; & dilucidè intelligitur quomodo in voluntate formaliter sit,& quo modo ad illam, & ad vsum eius operetur intellectus.

SECTIO VII.

Quæ sit radix,& origo defectus causæ liberæ.

I. SED adhuc supersunt soluendæ tres difficultates tactæ in quarta ratione ꝓpositæ in sectione secunda, & confirmationibus eius. Prima est si voluntas pro libito possit velle aliquid contra iudicium rationis, quomodo verum sit dogma illud Philosophorum, & Theologorum plurium, non posse esse defectum in voluntate nisi præcedat in iudicio,vt quod erroneum sit,vel saltem imprudens,& inconsideratum. Quod principium tradidit Aristoteles libro tertio, Ethicor. capite primo 3. & 5.& lib. 6.capit.12. & 13.& libro 7. capit. 3.& lib. 3. de Anim.text.58. ex quibus locis sumptum est illud axioma:*Omnis peccans est ignorãs.* Quod etiam Sapiens docuisse videtur Prouerb. 14. dicens, *Errant qui operantur malum.* Et confirmari potest, nam alias contingere posset hominem semper prudenter iudicare per intellectum, & tamen esse vitiosum in voluntate: quod est contra omnem moralem Philosophiam & experientiam. Aristot. Prouer.14.

II. In hac difficultate Scotus & alij authores non reputant inconueniens concedere,posse esse moralem defectum in voluntate, nullo præexistente defectu in intellectu, quia ad deficiendum moraliter sufficit libertas voluntatis creatæ quidquid intellectus operetur, vt patet ex Scoto in locis supà citatis, cui consentiunt Gabriel & Nominales communiter in 3.distinctione 36. & Almain. tractatu 3. Moralium c.de Prudent. Prima opinio. Scotus. Gabr. Almain.

III. Et hanc ferè sententiam sequitur Adrian. quodlib.4. eam verò limitat,vel exponit,dicens,eum,qui malè operatur, semper habere iudicium practicum, quo simpliciter iudicat cõsentaneè ad suum affectũ, hoc sibi esse faciendum, seu hoc oportere à se fieri, supposito tali affectu,licet aliàs nihil ignoret,neque erret circa iudiciũ de omni honestate & malitia obiecti seu operis. Adrian.

IIII. Veruntamen hæc limitatio nec videtur consequenter addita, nec plenè satisfacere, quia non est necesse vt omnis paruus affectus volũtatis procedat ex illo iudicio practico,quo aliquid simpliciter iudicatur faciendum consequẽter ad priorem affectum. Aut enim ille affectus seu appetitus, qui præcedit tale iudicium practicum, est elicitus à voluntate; aut significat tantùm propensionem naturalem, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

etiam habitualem voluntatis. Neutro autem modo necessarium est quòd præcedat talis affectus, vel iudicium practicum illi conforme. Sumo enim primâ voluntatem prauam, quæ est in homine vel angelo priùs bene affecto, & disposito etiam in naturali, vel habituali inclinatione, in eo non præcedit iudicium practicum ex aliqua priori affectione vel mala, vel ad malum inclinante.

V. Responderi potest, etiam tûc præcedere aliquam inclinationem naturalem, vel elicitam, quæ licet in se mala non sit, tamen quia homo ex illa ita se duci sinit vt non prudenter sed inconsideratè iudicet aliquid sibi esse faciendum vel amandum, potest esse occasio peccandi. Vt v.g. in exemplo quo Adrian. vtitur, si quis habet affectum liberandi hominẽ à morte, & deinde intelligat non posse illum liberare nisi mentiendo, etiamsi ille prior affectus actualis & elicitus, non sit malus, potest homo iudicare absolutè, consentaneè ad illum affectum sibi esse mentiendũ. Similiter ex naturali amore sui non malo, vel etiam non elicito, iudicat aliquis hoc bonum delectabile sibi esse prosequendum. Atq; in hunc modũ ante omnem actum malum moraliter, & ante primum affectũ prauũ præcedit semper illud iudiciũ practicũ, quo aliquod obiectum minùs bonum, simpliciter apponitur vt amandũ, eligendũ, aut præferendũ etiã alteri maiori bono: quod iudicium dicitur practicè falsum, quia non est conforme appetitui recto.

VI. Sed adhuc superest difficultas, quia nunquam satis probatur, esse necessarium hoc iudicium ita absolutum, vt voluntas moueatur; quod suprà dicebam, non esse necessarium iudicium de obiecto amando, sed de amabili, nec de eligendo sed de eligibili, nec semper esse necessarium iudicium comparatiuum (vt sic dicam) scil. hoc esse eligibile præ aliis, sed sufficere absolutum, scilicet, hoc esse eligibile aut vtile. Vel si sit comparatiuum, potest esse cum æqualitate, vel cum excessu non simpliciter, sed in tali ratione boni, putà delectabilis, &c. v.g. si ex intentione sanitatis consequendæ quis consulat de duobus mediis, & iudicet vtrumq; esse aptum & vtile: hoc verò esse honestius, illud autem delectabilius, simulq; actu iudicet secundum rationem aut legem virtutis illud esse præferendum: iuxta inclinationem autem corporis aut sensus hoc esse anteponendum: nullum aliud iudicium practicum requiri videtur vt voluntas suo arbitrio eligat aliquod illorum: nulla enim necessitas alterius iudicij explicari potest; nam per illa quæ diximus iam est sufficienter propositum obiectum, & iudicium; solùm requiritur vt proponat obiectum, vt suprà dictum est ex sententia D. Thom. quam etiam habet 1.2.q. 82.a.4. & optimè quæst. 22. de verit.a.11. ad 5. & art.12. D.Thom.

VII. Et potest hoc ampliùs declarari, nam hoc iudiciũ absolutum, hoc est faciendum (vt aduertit Adrian. suprà, & est valde notandum ad intelligenda omnia quæ diximus) tres potest habere sensus. Primus est vt solùm dicat futuritionem actus, vt cùm dicimus Petrum esse eligendum ad Episcopatum; & hic sensus est impertinens ad actiones morales, vt per se cõstat. Secundus est, vt significet debitum legis, & honestatis. Et hic sensus etiam est impertinens in præsenti, quia clarũ est nõ esse necesse vt omnis qui libere operatur, sic iudicet, aliàs oporteret ad operandum malũ habere iudiciũ hæreticum, quale esset iudicare de tali actu, esse faciẽdũ in illo sensu. Tertius est vt significet necessariam consecutionem vnius ex alio, seu necessariam connexionem subsequentis operis cum priori proposito, vel intentione. Quo modo, qui decreuit vindictam sumere de inimico, oblata occasione statim iudicat esse occidendum. Et hic sẽsus magis ad rem spectat, tamen etiã videtur cuidẽs, tale iudicium non semper esse necessariũ ad operandum, vel bonum, vel malum: quia non semper intercedit illa necessaria connexio inter opus quod faciẽdum iudicatur, & aliquem antecedentem affectum, vt argumenta facta satis probant.

VIII. Addere vlteriùs possumus quartũ sensum, nimirum vt significet absolutam (vt ita dicam) hominis resolutionem de tali opere exequendo, aut obiecto volendo. Et hic actus, si attentè res consideretur, nõ potest antecedere decretum liberum voluntatis, sed subsequi, tum quia illud iudicium in eo sensu ex vi consultationis non potest inferri ex aliquibus præmissis, quę solùm ostendũt ex parte obiecti bonitatẽ, aut vtilitatem, nõ hominis resolutionem. Tum etiã quia illa resolutio est libera, & in re nõ est aliud, quã electio vel executio libera: nullum enim aliud obiectum illius iudicij in eo sensu intelligi põt; non posset autem homo verè iudicare de tali resolutione libera, nisi iam illam haberet. Tum deniq; quia cùm illud iudicium absolutè liberum sit, oportet vt ex aliqua voluntate libera oriatur: nõ est autem alia voluntas libera vnde oriri possit, nisi illa qua homo decernit facere id quod sic iudicat sibi esse faciendum: ergo in nullo sensu verum est, iudicium illud practicè falsum necessariò antecedere quamcunq; prauam deliberationem voluntatis.

Quæstionis resolutio.

IX. QVocirca in proposita difficultate dicendum cẽseo, posse nos loqui de iudicio, dispositione, aut defectu intellectus, qui antecedit deliberationem liberam voluntatis, vel qui subsequitur saltem ordine naturæ. Item sermonem esse posse aut de necessitate Physica, & absoluta, vt voluntas operari possit, vel de necessitate morali secundum ea quæ moraliter loquendo semper accidunt.

X. Primò ergo non existimo absolutè necessarium ad operandum malum per voluntatem, vt præcedat defectus erroris in iudicio intellectus, vel speculatiuo, vel practico. Quod mihi satis probant argumenta facta; & hoc fatemur sequi ex illo principio, quod nullũ iudiciũ intellectus per se sufficit ad determinandam voluntatem. Neq; oppositum fundari põt in verbis Aristot. cùm ipse nõ de errore, sed de ignorantia loquatur. Neq; in verbis Sapientis, tum quia non loquitur de errore antecedente volũtatem, sed potest intelligi de subsequente, vt iam dicam: tum etiam quia Adrian. illa verba exponit, & non male, de errore morum, non intelligentiæ, sicut errare dicitur qui discedit à recta via, etiamsi in intellectu nõ habeat iudicium falsum.

XI. Secundò assero, moraliter loquendo, nunquam voluntatem labi quin præcedat in intellectu aliquis defectus, saltem inconsideratio aliqua plurium rationum vel motiuorum, quę possunt voluntatem continere ab eo affectu in quo peccat. Hoc satis probat experientia, & de hac inconsideratione intelligi potest Philosophus: nam hæc inconsideratio dicitur quædam ignorantia practica. Imò de illa interpretatur D. Thom. verba Sapientis, 1.2. quæstione 78. art. 1. ad primum. Quia iudicium de agendis vel appetẽdis absolutè prolatum cum tali inconsideratione quidam error practicus est; nam est actus imprudẽs, & de se difformis appetitui recto. Non intelligo autem

Aliquis defectus intellectus moraliter præcedit defectum voluntatis.

autem esse necessarium etiam moraliter, & secundũ id quòd regulariter accidit, vt iudiciũ hoc sit vel formaliter comparatiuum, scilicet hoc esse eligendum præ alio; vel vt formaliter sit de obiecto vt omnino diligendo vel faciendo in aliquo sensu ex suprà positis: contra hoc enim sufficienter procedunt argumenta superiùs facta, sed intelligo moraliter ac regulariter interuenire iudicium quo absolutè iudicatur hoc obiectum, vel hoc opus hîc & nunc esse conueniens ob delectationem vel honorem, vel aliam similem rationem, & dignum vel sufficiens vt hîc & nunc expetatur. Hoc enim iudicium sufficit vt voluntas moueri possit, vt latè probatum est, & infrà dicam in disputat. de causa finali. Frequenter autem habetur tale iudicium illo modo absoluto & simplici; nam regulariter non habentur simul plura iudicia, nec comparantur varia obiecta inter se: nec plures rationes boni & mali eiusdem obiecti: imò licet hæc collatio aliquando antecedat, in eo momento quo homo liberè vult obiectum prauum, regulariter auertit oculos mentis ab aliis rationibus, & ad illam attendit, quæ mouerat voluntatem ad talem actum, & ita concipit prædictum iudicium. Et hoc satis est, vt illud censeatur practicè erroneum; nã virtute includit comparationem, & prælationem illius obiecti ad alia, & consequenter includit difformitatem ad appetitum rectum.

XII. Addito præceptum actũ liberum esse liberum rationis sequitur. Addo verò tertiò probabile esse ex consensu libero voluntatis circa res agendas, ex necessitate sequi in intellectu iudicium illud practicum de eisdem rebus, quo simpliciter iudicatur hoc esse agendum, in tertio & quarto sensu suprà declarato. Quod si hoc verum est, ratione talis iudicij meritò dici possunt errare semper, etiam secundum intellectum, qui operantẽ malum, non ex ore speculatiuo, sed practico, neque errore qui liberum consensum antecedat, sed qui ex illo sequatur. Dices, Si tale iudicium nullo modo antecedit consensum liberum: ergo non ponitur vt repræsentet voluntati obiectum, neq; vt inducat illam ad consensum: ad quid ergo est necessarius talis actus? Respõdetur, videri necessarium primò ex naturali sympathia & consensione harũ potentiarum, quæ necessaria fuit vt homo posset meliùs exequi quod faciendum decernit. Deinde, quia priùs tempore vel natura quàm homo consentiat, non scit se consensurum: & ideò necessarium est, vt statim ac consentit, sciat, & (vt ita dicam) sibimet notificet seu promulget suum consensum: hoc autem fit per illud iudicium.

XIII. Et hinc fit vlteriùs, vt si ille liber consensus sit de aliqua re agẽda, & ideò per aliquam actionem sit executioni mandandus, statim intellectus omnino practicè iudicet id esse agendum; & hoc est imperium, quod D. Thomas ponit in intellectu post efficacem electionem voluntatis. Si autem consensus voluntatis sit par simplicem amorem vel delectationem sine ordine ad aliam actionem exequendam, tunc in intellectu non sequitur iudicium de aliqua re agenda, quod sit quasi impulsiuum ad opus: sequitur tamen iudicium de tali consensu vt iam exhibito, & dici potest quasi quædam scientia approbationis, qua homo ex vi praui consensus liberi, quasi approbando illum consensum, practicè iudicat id sibi esse diligendum. Illud tamen non potest dici imperium respectu talis consensus voluntatis, quia imperium vt sic, respicit actum subsequentem: non enim imperatur quod iam factum est, sed quod faciendum est, vt rectè notat Diuus Thomas 1. 2. quæstione 17. art. 3.

Vide D. Tho. 2 cont. Gent. c. 48. & ibi Ferrar. circa illationem tertiam.

Atque hæc videntur satis de illa prima difficultate pro huius loci opportunitate.

SECTIO VIII.

Ad quos actus sit indifferentia in causa libera.

I. SEcunda difficultas superiùs tacta erat, quomodo voluntas dicatur potentia formaliter libera, cùm in præcipuis actibus suis inueniatur non libera. In qua difficultate, duæ quæstiones insinuantur. Vna est an voluntas possit quosdam actus liberè, alios verò ex necessitate elicere. Alia est, si vtrumque potest, quosnam actus liberè, quosue necessariò exerceat.

Prior punctus de duplici modo operandi voluntatis.

II. CIrca priorem partem referri potest hîc opinio Scoti in 1. distinctione 2. quæstione 7. & distinctione 10. quæstione 1. & in quodlib. quæst. 16. quibus locis asserit vnius potentiæ tantùm esse posse vnum operandi modum, & ideò, cùm voluntas natura sua libera sit in operando, nõ posse alium operandi modum in suis actibus habere: atque ita concludit voluntatem liberè exercere omnes actus suos: adeò vt asserat, Deum etiam se ipsum liberè diligere, & Patrem ac Filium (eadẽ ratione) liberè producere Spiritum sanctum. Sed in hac non potest esse controuersia inter Catholicos, si non sit æquiuocatio in voce libertatis. Scotus ergo in citato loco non sumit liberum prout opponitur necessariò, sed prout opponitur coacto, seu non voluntario. Expresè enim ibi fatetur (neque id potuisset sine hæresi negare) processionem Spiritus sancti esse omnino necessariam, ita vt implicet contradictionem illam non esse, aut Deum non se amare, contendit tamen necessitatem non repugnare libertati, sed potiùs firmare ac perficere illam: & è conuerso modum operandi naturaliter repugnare voluntati, quia liberum & naturale, sunt modi operandi non tantùm diuersi, sed etiam oppositi.

III. Veruntamen totus discursus Scoti fundatus est in nominum æquiuocatione: nam liberum clarè sumit pro voluntario perfecto, quod sequitur ad intellectualem cognitionem, & absque controuersia interdum admittit necessitatem: & nos gratis concedimus Scoto hanc acceptionem vocis *liberum*, non esse prorsus inusitatam: nam illa etiam Diuus Thomas interdum vtitur, vt patet ex quæst. 10. de potent. artic. 2. ad quintum, dum dicit, Deum liberè se amare. Nos verò, vt in sect. 2. annotauimus, non sumimus liberum hoc modo, sed vt aliquid addit suprà volũtarium: ab illo enim distinguitur à Philosopho 3. Ethicorum, cap. 4. & 5. non distinguitur autem respectu voluntatis humanæ, nisi liberum excludit necessitatem in operando, vt cæteri Theologi docuerunt in secunda distinctione 24. & 25. & Alens. 2. p. quæstione 72. membr. 3. art. 5. & Diuus Thomas quæstione 6. de malo, & satis constat ex iis, quibus suprà probauimus nos esse liberos à necessitate agendi. Alensis. D.Thom.

IIII. Hoc ergo vero sensu supposito, dicendum in proposito est, non repugnare eandem voluntatem quasdam res liberè amare, alias verò non liberè, sed necessariò. Patet inductione, quia volũtas diuina necessariò diligit ipsum Deũ, alia verò nõ necessariò, sed liberè, & idẽ inuenit seruata ꝓportione in volũtate creata.

Liberè quædam, alia necessario amare potest eadẽ voluntas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

creata. Ratio verò à priori est, quæ simul dissoluit A fundamentum Scoti si contra hoc applicetur, nã illa duo non includunt oppositionem, quia non sunt respectu eiusdem. Quòd enim idem actus simul & secundum idem sit liber & necessarius, planè inuoluit contradictionem, tamen quòd actus diuersi, & circa diuersa obiecta, vel per diuersa media, vnus procedat liberè, & alter necessariò ab eadem potentia, nulla est repugnantia. Neque necesse est vt alter modus operandi sit adæquatus tali potentię, nam potest esse potentia superior & vniuersalior: item potest circa vnũ actum habere duplicem potestatem, agendi scilicet, & non agendi, circa alium verò alteram tantùm, scilicet agendi. Denique in obiectis ipsis potest hæc differentia fundari, & inde sumitur ratio à priori, vt statim in alia parte proposita huius sectionis declarabitur.

V. Ex quibus intelligitur quid dicendum sit de hac eadem re sub illis terminis *liberè* & *naturaliter*: nam etiam in hac posteriori voce est æquiuocatio apud Scotum suprà: Interdum enim dicitur naturaliter operari quòd non solùm ex naturę impetu, sed etiam absque præuia cognitione, & consequenter absque B appetitu elicito operatur: atque hoc naturale excludit non solùm liberum, sed etiam voluntarium: quomodo dicemus terram naturaliter moueri, ignẽ calefacere, &c. Et in hoc sensu verum est, quod Scotus ait, non posse voluntatem liberè & naturaliter operari, etiam in diuersis actibus: quia necesse est, vt præuia cognitione, & voluntariè operetur. Alio tamẽ modo non minùs vsitato dicitur operatio naturalis, quæ est ex inclinatione naturæ vt omnino determinatæ ad vnum, etiamsi simul sit ex cognitione præuia, & ex appetitu vitali, ac denique voluntariè: quo modo dicuntur bruta naturaliter se mouere, aut aliquid appetere: & hoc modo dicit optimè D. Thom. D.Thom. 1.p.q.41.artic.2.& q.82.artic.1. & 2. non repugnare eandem potentiam voluntatis, quæ plures actus liberè exercet, aliquos naturaliter elicere: quia ipsa voluntas suam propriam habet naturam, à qua potest determinari ad aliquem actum, quamuis nõ determinetur ad omnes propter differentiam obiectorum, vt mox videbimus.

VI. Cur voluntas non nisi voluntarie moueri possit. Sed quæret aliquis cùm voluntas & voluntariè, & liberè operetur, cur repugnet ei habere alium modũ C operandi quàm voluntarium: non repugnet autem habere alium modum operandi quàm liberum. Respondetur, id contingere quia prior modus est adæquatus voluntati, non autem posterior, nam volũtas adæquatè est voluntas: non est autem adæquatè liberum arbitrium, nam hoc est quasi inferius, seu magis limitatum, nam liberum arbitrium necessariò includit voluntatem seu principiũ voluntarij actus, vt suprà declaratum est, & addit libertatem, id est, indifferentiam seu potestatem non operandi. Deinde ex obiectis potest magis explicari hæc ratio: nam adæquatum obiectum voluntatis est bonum, quod necessariò supponi debet cognitum, quia voluntas essentialiter est appetitus elicitiuus: & ideò necessariò operatur præuia cognitione, & per modum appetitionis: & hoc est operari voluntariè. Sub hoc autem obiecto adæquato possunt esse varia obiecta multum in bonitate differentia: & ideò etiam diuersimodè amabilia quoad libertatem, vel necessitatem. Denique actum elicitum ab appetitu, esse voluntarium, consistit in positiuo modo talis actus, ita intrinseco vt ab actu non distinguatur, & ideò est ab eo inseparabile; liberum autem in actu solùm superaddit denominationem à potentia, quatenus potens est ad non eliciendum seu suspendendum illum, quæ denominatio potest non conuenire actui, si voluntas non habeat talem potestatem in actum.

Posterior punctus, ad quæ obiecta necessitetur voluntas.

VII. CIrca posteriorem partem variæ quæstiones tractari possent de actibus necessariis voluntatis, vel in præsenti vita, vel etiam in futura. Sed illæ quęstiones propria habẽt loca, vel in scientia de Anima, vel in Theologia: hic verò solũ attinguntur, quatenus necessariæ sunt ad explicandum in generali varios modos efficientium causarum, & necessitatem vel contingentiam effectuum vniuersi, & ad soluendas difficultates circa hoc occurentes: huc enim tota hęc disputatio tendit. Præcipuè verò est tractanda quædam sententia multorum dicentium voluntatem solùm esse liberam in electione mediorum, non verò in amore vel intentione finis. Quæ sententia potest Aristot. habere fundamentum in Aristotele 3. Ethicorum, B capitul. 2. & 3. vbi dicit consultationem non esse de fine, sed tantùm de mediis. Ex quo potest confici argumentum: nam omne liberum potest in consultationem cadere: sed non potest cadere in consultationem nisi electio: ergo non est libera nisi electio. Maior patet, nam in omni libero est aliqua indifferentia, & ratio tendendi aut non tendendi: ergo potest cadere in consultationem an tale obiectum, vel talis actus expediat, nec ne. Et confirmatur primò, nam ita comparatur voluntas ad liberum arbitrium, sicut intellectus ad rationem: sed intellectus vt est ratio non versatur circa principia, sed circa ea quæ colligit ex principiis: ergo voluntas vt liberum arbitrium non versatur circa finem, sed circa ea quæ eligit propter finem; nam vt Aristoteles dixit, lib. 6. Ethicorum, cap. 2. *Sicut principia se habent ad speculabilia, ita fines ad operabilia.* Confirmatur secundò, quia necesse est omne variabile & mobile fundari in aliquo inuariabili & immobili: sed electio libera est de se variabilis: ergo debet fundari in aliquo inuariabili: fundatur autem in intentione finis: ergo hæc debet esse inuariabilis, & non libera.

VIII. Quomodo intentio finis necessaria sit. Sed hæc sententia moderatione indiget & declaratione. Supponamus ergo inprimis vulgarem distinctionem duplicis necessitatis & libertatis, scilicet quoad exercitium actus, vel quoad specificationem: quorum terminorum expositio satis ex superioribus constat. Rursus supponatur distinctio duplicis finis, scilicet proximi seu particularis, & vltimi seu vniuersalis: de qua partitione ex professo dicendũ est infrà in disputatione de causa finali: nunc breuiter, particularis finis dicitur quodlibet priuatum bonum, quod propter se amatur, vt sanitas, vel scientia. Vltimus verò dicitur ipsa felicitas hominis, siue hæc constituatur in aliqua re determinata, siue in communi sumatur; vel sub formali ratione beatitudinis absolutè, vel sub vniuersaliori ratione boni in communi. Præterea, omittamus nũc statum vitæ futuræ, & præsertim supernaturalis felicitatis iam obtentæ, de quo non pertinet ad Metaphysicum considerare, Theologi verò fusè disputant, an in eo statu voluntas ex necessitate determinetur etiam quoad exercitium ad dilectionem Dei, nam Scotus in 1. distinctione 1. Scotus. quæstione 4. etiam in eo statu negat habere locum hanc necessitatem in aliquo actu voluntatis: contrariam verò sententiam docet Diuus Thomas 1.p. D.Thom. quæst.

Capreol. Caietan. Ferrar. quæstione 82. art. 2. Capreol. in 1. distinct. 1. quæst. 3. A Caietan. dict. art. 2. Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 62. & alij communiter: quam sententiam nos vt veriorem supponimus: hic tamen solùm agimus de volũtate secundum naturam suam operante, & præsertim pro statu huius vitæ.

IX. Atque in hoc sensu dicimus primò, voluntatem nullum habere actum simpliciter necessarium quoad exercitium siue circa finem, siue circa media. Ita Diuus Thomas dicto loco 1. part. & 1. 2. quæstione 10. artic. 2. & Thomistæ communiter. Probatur autem à Diuo Thoma, quia voluntas in hac vita potest auertere semper cogitationem cuiuscunque boni sibi propositi. Quæ ratio non videtur vniuersalis seu in vniuersum vera; atque ita neque satis probare assertionem, nam prima cogitatio hominis est merè naturalis, quam homo auertere non potest: ergo non semper est in voluntate hominis cogitationem auertere. Quam difficultatem attigit Caietanus in eo articulo, & concedit primam cogitationem non esse in potestate voluntatis; & similiter concedit primum amorem seu primum voluntatis actum esse necessarium quoad exercitium, sicut docuit 1. 2. quæstione 9. articul. 4. Neq; putat hoc es- B se contra Diuum Thomam in priori loco, quia Diuus Thomas (ait) non simpliciter negat habere voluntatem aliquem actum necessarium quoad exercitium, sed negat pati voluntatem, illam necessitatem ab obiecto: quod verum est, quia prouenit solùm à naturali conditione & propensione ipsius voluntatis. Et similiter ait, voluntatem, quantũ est ex vi obiecti, posse auertere omnem cogitationem, & hoc solùm asserere D. Tho. cui non repugnat, quòd interdum ex tali dispositione aut alia causa non possit auertere talem cogitationem.

X. Ego verò in primis existimo interpretationem illam esse contrariam D. Thomæ, & veritati. Primum patet, nam D. Thom. 1. part. quæst. 82. art. 2. absolutè negat necessitatem quoad exercitium in nostra voluntate extra visionem beatam, & non loquitur tantùm ex parte obiecti, sed absolutè de ipsa voluntate. Secundum patet, quia sicut voluntas nullum actum habet nisi concurrente obiecto in suo genere, ita nullam necessitatem patitur in suo actu (loquor de intrinseca, & connaturali necessitate) quæ non cau- C setur ab obiecto in suo genere, scil. in ratione causæ finalis allicientis, & mouentis Metaphoricè. Vnde etiam in statu beatitudinis Deus clarè visus ita mouet voluntatem, vt in ratione obiecti & vltimi finis illam ex necessitate determinet ad vnum, nam etiam illa necessitas est intrinseca, & connaturalis voluntati vt charitate informatæ. Quod non repugnat D. Thomæ in alio loco 1. 2. quæst. 10. artic. 2. quia ibi loquitur de voluntate viatoris tendentis in beatitudinem: quin potiùs hæc doctrina sumitur ex eodem D. Thoma 1. part. quæst. 82. artic. 2. argumen. 2. cum solutione; erat enim argumentum, obiectum cõparari ad voluntatem vt mouens ad mobile: motũ autem necessariò consequi in mobili ex mouente. Respondet autem *quòd mouens tũc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas mouentis excedit mobile: ita quod tota eius possibilitas mouenti subdatur: cum autem possibilitas voluntatis sit respectu boni vniuersalis & perfecti, nõ subiicitur eius possibilitas tota alicui particulari bono: & ideò non ex necessitate mouetur ab illo.* Ergo clarè sentit Diuus Thomas totam possibilitatem voluntatis subiici bono vniuersali & perfecto: & ideò ex necessitate moueri ab illo. Vnde quoties rationem reddit Diuus Tho. alicuius actus voluntatis necessarij ab intrinseco, semper illam assignat ex parte obiecti, vt in citatis locis videre licet.

XI. Primus actus volũtaris in vtente ratione, non est quoad exercitium necessarius. Et hinc vlteriùs existimo, falsum esse quod Caietanus ait, nempe primum actum voluntatis in homine iam vtente ratione esse necessarium quoad exercitium: quamuis alij Thomistæ idem circa hoc sentiant, vt Ferrariensis libro primo, contra Gentes, capitulo 23. & clariùs libro tertio capite 89. & Capreolus, in secundũ distinctione 24. quæstione prima, ad octauum & distinctione 25. quæstione prima, ad septimum, qui etiam addit illum actum non esse actiuè à voluntate, sed passiuè tantùm, quod improbabile est, vt suprà attigimus disputando de causa efficiente. Et similiter falsum est quòd sit simpliciter necessarius, vt rectè docuerunt Scotus in quodlibet. quæst. 21. & Henricus quodlibet. 12. quæst. 26. & idem sentit Conrad. 1. 2. quæstione nona, articulo quarto & alij expositores ibi. Et probatur, quia voluntas nunquam mouetur necessariò quoad exercitium, nisi obiectum ipsum in suo genere sufficienter concurrat ad illam necessitatem, & omnino sibi subiiciat voluntatem: B sed obiectum quod per primam cogitationem proponitur non est huiusmodi, quia sæpè est quoddam particulare bonum ac deficiens: ergo. Item aliàs prima volitio Angeli fuisset necessaria quoad exercitiũ & cõsequenter nullũ in ea fuisset meritũ, quod est alienum à communi doctrina Theologorum, præsertim in Schola D. Thom. Item si fundamẽtum Caietani, aut Ferrariensis solidum esset, non solùm primus actus volũtatis totius vitę esset necessarius quoad exercitium, sed etiam primus in singulis diebus, vel quoties homo incipit per intellectum aduertere, & per voluntatem consentire. Consequens autẽ est plane falsum, & contra experientiam. Sequela verò patet, quia etiam prima cogitatio in singulis diebus est naturalis, & primus actus voluntatis est à sola illa, sua efficacia tendente in obiectum. Neutra verò ratio est vllius momenti, quia licet cogitatio sit naturalis, potest applicare obiectum non necessitans: & licet voluntas sola efficiat illum actum, potest liberè efficere, quia per suam met entitatem habet eminentem quandam vim ad faciendum illum actum, & naturalem inclinationem in illum, & simul etiam habet potestatem, qua possit cohibere, & suspendere illum.

XII. Primus volũtatis actus hominis primo vtẽtis ratione, non necessarius quoad specificationem. Ex quo præterea addo illum primum actum non solùm non esse necessarium quoad exercitium, verũ etiam nec quoad specificationem. Probatur proportionali ratione, quia fieri potest vt obiectum applicatum per primam cogitationem, non sit sufficiens ad inferendam necessitatem etiam quoad specificationem: nam potest accidere vt nõ sit beatitudo, nec bonum in communi, sed aliquod bonum particulare sensibus propinquius: vt sanitas, aut voluptas aliqua. Vnde infrà tractando de causa finali ostendemus, non esse necessarium vt primus actus voluntatis humanæ sit circa finem vltimum simpliciter. Et confirmatur, nam hic primus actus in humana voluntate potest esse & bonus, & malus moraliter, nam primum obiectum propositum, potest esse prauum: quod potest voluntas vel refutare, vel amplecti, atq; ita bene, vel malè operari. An verò idem quoad hoc sit in angelica voluntate, alterius est considerationis.

XIII. Ad obiectionem ergo factam contra rationem D. Thomæ respondetur quòd licet prima cogitatio homi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominis sit naturalis, & ideò non sit in potestate hominis non habere illam pro eo instanti, in quo illam naturaliter recipit, est tamẽ in eius potestate, statim ac sufficienter aduertit, illam tollere: & hoc est sufficiens vt voluntas non necessitetur quoad exercitiũ, cùm liberum illi sit vel consentire, vel non consentire, sed diuertere cogitationem. Deinde etiamsi prima cogitatio sit naturalis, iudicium tamen de obiecto diligendo, vel non diligendo, potest non esse omnino naturale: quia stante illa naturali cogitatione, potest voluntas applicare intellectum, vt ad iudicium ferendum magis rem consideret, & inquirat. Quod si intellectus nondum ità sufficienter aduertit; vt hoc sit in potestate voluntatis, nõdum est sufficiens rationis vsus actualis; & ideò etiam non est plena libertas: indeq; sequuntur motus, quos Theologi vocant indeliberatos.

XIV. Denique addo quòd licet cogitatio plena & perfecta esset omnino naturalis, si non proponeret obiectum vt bonum omnino necessarium, imò nõ solùm obiectum, sed ipsum actum, non ideò moueretur voluntas ex necessitate. Et hanc existimo esse rationem à priori conclusionis positæ. Nam voluntas quando fertur in obiectum, non solùm vult B obiectum, sed etiam virtute vult exercitium sui actꝰ; quia est intrinsecè voluntarius, vt suprà declaratum est: & ideò vt voluntas necessitetur quoad exercitiũ, necessarium est vt homo apprehendat & iudicet tale exercitium hic & nunc, vt bonum simpliciter necessarium, ità vt carentia talis actus sub nulla ratione boni apprehendi possit: hoc aũt in hac vita nunquã accidit circa aliquem actum voluntatis, vt experientia notum est, & quia nulla est ratio vel occasio talis necessitatis. Quod si quis fingat aliquem ex errore habere hîc & nunc tale iudiciũ de aliquo obiecto, & exercitio actus circa illud, concedã facilè ex hypothesi talem hominem necessariò operaturum: dico tamen, suppositionem humano modo esse impossibilem in homine non stupido, aut qui nõ careat sufficienter rationis vsu.

XV. Secundò dicendum est, licet circa finem sub vniuersalis boni ratione propositum voluntas feratur necessariò quoad specificationem, tamen dum amat vel intendit alios fines particulares, liberè ferri etiam quoad specificationem. Hanc assertionem existimo esse consentaneam doctrinæ Diui Thomæ in citatis locis; & quòad priorem partem declaratur & probatur primò, nam proposito bono in communi, licet non cogatur voluntas illud actu amare, non tamen potest illud odisse, quia nullam rationem mali in eo inuenit: & ideò si actum exercere vult, oportet vt sit amoris, & non odij. Et hæc est necessitas quoad specificationem. Idem est de fœlicitate in communi; nam, vt Augustinus sæpè ait, si homo interrogetur an velit esse beatus, nullus est qui respondeat, aut respondere possit se id maximè velle: hæc autem est necessitas quoad specificationẽ. Ratio autem est, quia in his & similibus obiectis nulla apparet ratio mali: supponimus autem nihil posse odio haberi nisi sub ratione mali, sicut nec amari nisi sub ratione boni.

Secunda assertio.

Aug. 13. de Trin. c. 4. & in lib. de lib. arbitr. sæpè.

XVI. Quoad alteram partem constat etiam facilè conclusio inductione, & ratione, nam qui intendit consequi scientiã, sanitatem aut similia bona, non ita ea diligit quin possit ẽt odio habere, vel refutare; nã in his particularibus bonis interdum inuenitur aliquis defectus, vel aliqua incõmoditas aut difficultas, ratione cuius displicere possunt volũtati. Quin potiùs sub hac ratione ẽt ipsius Dei amor liber est, nõ solũ quoad exercitiũ, sed etiam quoad specificationem: quia licet Deus secundum se sit vniuersale bonũ, apprehendi tamen potest per modum cuiusdam particularis boni, & in eo apprehendi potest aliqua ratio mali seu incõmodi, saltem in ordine ad effectus eiꝰ: multoq; magis potest inueniri hæc incommoditas vel difficultas in intentione vel amore ipsius Dei: & ideò facilè potest à voluntate refutari, & interdum etiam Deus ipse odio haberi.

XVII. Obiectio ex D. Tho. desumpta.

Sed obiiciet aliquis D. Thom. 1.2.q.10.a.1. dicentem, hominem naturaliter per voluntatem appetere quædam particularia bona, vt cognitionem veri, esse, & viuere, & similia: naturalis autem appetitio includit necessitatem saltem quoad specificationem. Vnde ibidem ad primum, declarat in huiusmodi appetitione voluntatem operari per modum naturæ: quando autem voluntas vt natura operatur, tẽdit cũ aliqua determinatione ad vnum, nam hic est modus operandi naturæ.

XVIII. Solutio & explicatio D. Thom.

Respondetur primò Diuum Thomam ibi nõ loqui de necessitate vlla etiam quoad specificationem, sed de modo operandi naturaliter, vt ex titulo articuli constat: illa autem vox *naturaliter* non significat ibi idem quod *necessariò*, nã apertè distinguit Diuus Thomas has duas voces in illo articulo, & in secundo. Significat ergo ibi *naturaliter moueri*, idem quod moueri ex propensione naturæ, intendit enim ibi docere Diuus Thomas voluntatem non tantùm habere naturalem propensionem ad priuata commoda, sed etiam ad bona propria aliarum potentiarum, vel partium totius hominis. Et hoc modo ait naturaliter appetere scientiam, vitam &c. Cum hac tamen naturali propensione stat libertas quoad specificationem in appetitu elicito horum bonorũ; quia, vt suprà dicebam, voluntas habet vim, vel suspendendi actum ad quem inclinatur, vel etiam eliciendi contrarium, quando in obiecto esse potest aliqua alia ratio in qua huiusmodi actus fundari possit. Et hanc esse mentem Diui Thomæ constat ex solutione ad tertium: vbi, non obstante illa naturali motione, vel propensione, addit, volũtatem ad nullum particulare bonum determinari, sed solùm ad bonum in communi. Vbi loquitur de determinatione quoad specificationẽ: nam, vt statim declarat a.2. etiam ad bonũ in cõmuni non determinatur voluntas quoad exercitiũ, sed tantùm quoad specificationem. Sed potest vlteriùs addi, respectu horũ bonorũ admitti posse aliquam necessitatem quoad specificationem, scil. vel per se loquendo, & seclusis extrinsecis rationibus: sunt .n. quædam ex his bonis ita consentanea naturæ, vt vix aut nullo modo possint odio haberi nisi valde per accidẽs & ob rationes valde extrinsecas. Imò ẽt propter has rarissimè hæc bona in se ipsis odio habentur, sed eorum inquisitio, & procuratio displicet propter suam difficultatem, vel quia impedit alia sensibilia commoda. Vel etiam possunt hæc necessariò amari, si apprehendantur vt simpliciter necessaria ad fœlicitatem: quamuis tunc non tam vt fines, quàm vt media, vel partes necessarij, & vniuersalis finis amentur.

XIX. Tertiò dicendum est, libertatem voluntatis euidentiùs & perfectiùs exerceri in electione mediorũ, adeò vt omnis actus liber, quatenus talis est, participet aliquo modo rationẽ electionis, & sub ea ratione possit sub consultationẽ cadere. Hanc conclusionẽ suadẽt rationes in principio huiꝰ dubitationis factæ.

Et

Et declaratur breuiter, quia ad intentionẽ finis fertur volũtas ex sola aliqua inclinatione naturali, quãuis liberè feratur: ad electionem verò mediorũ fertur ex vi appetitionis finis; quam ipsa voluntas vltra inclinationem naturalem sibi adiunxit: & ideò specialiori modo, magisq; ex propriis dicitur voluntas mouere se in electione mediorum, quam in intentione finis: tũc autem perfectiùs operatur liberè, quãdo perfectiùs seſe mouet: ergo. Præterea declaratur altera pars, quia libertas cuiuslibet actus prouenit ex variis rationibus quæ sunt in obiecto, vel in ipsomet actu, & ex formali, vel saltem virtuali collatione earum. Nã si sit libertas quoad specificationẽ, oportet quod in obiecto sit aliqua ratio boni propter quam diligi possit, & aliquis defectus, vel aliqua ratio mali propter quã possit odio haberi: si verò sit libertas tantùm quoad exercitiũ, oportet vt vel in subiecto vel saltem in ipsomet actu sit aliquis defectus, vel carentia bonitatis, ob quã possit apprehendi vt hic & nũc disconueniens, vel saltem non necessarius: atque ita quoties actus, & eius omissio est libera, sit inter has rationes quædam collatio explicita, aut implicita, & ita etiam sit quædam electio vnius actus præ alio, vel vnius actus præ omissione eius, aut è contrario.

XX. In hac verò electione vnius præ alio necesse est vt comparatio fiat in ordine ad aliquod tertium, vel ad aliquam rationem communem, ad quam sit voluntas aliquo modo affecta formaliter aut virtute vt possit habere aliquod principium vel fundamentũ electionis faciendæ, vt in argumentis in principio, propositum est, & ex re ipsa declaratur. Nam qui eligit inter bonum honestũ & delectabile, certè supponitur affectus ad bonum vt sic, aliàs non statim eligeret inter specialia bona, sed priùs secum statueret an bonum esset sibi prosequẽdum: & idem est in omnibus similibus. Sic igitur, licet tendentia in finem particularem, quatenus est motus in aliquod obiectum propter bonitatem suã, & in alia propter ipsum, sit amor vel intentio finis; tamen quatenus est actus liber, quo hoc bonum prefertur aliis, & virtualis electio huius boni, vt sit mediũ, vel certè pars fœlicitatis quam voluntas intendit in suis actibus. Et ipsemet actus intentionis vel dilectionis etiam vltimæ fœlicitatis, quatenus hîc & nunc exercetur liberè, & præfertur eius carentiæ, vel otio, est virtualis electio, qua talis actus hîc & nunc eligitur vt medium ad inchoandam vel obtinendam fœlicitatem. C Atq; hac ratione dici solet, omnem intentionem finis particularis esse virtualem electionem fœlicitatis, ad quam non semper est necesse vt præcedat intentio elicita ipsius fœlicitatis, sed sufficit naturalis ac necessaria propensio. Sic igitur omnis consultatio versatur modo proportionato circa electionem, & omnis actio libera participat aliquam rationem electionis: & ideò ipsa formalis ac propria electio, quæ procedit à propria & elicita intentione finis, censetur actio maximè libera: atque hac ratione liberum arbitrium dicitur quasi per Antonomasiam versari circa electionem, quamuis plures alios actus liberos habeat, vt declaratum est.

XXI. Et per hæc satis responsum est ad rationes positas in principio huius dubitationis. Ad difficultatem verò ex secunda sectione huc remissam, cuius occasione hanc sectionem fecimus, iam declaratum est quomodo eadem voluntas sit capax vtriusque modi operandi, liberè & necessariò. Cùm autem quæritur si modus operandi liberè est perfectior, quàm modus operandi necessariò, cur voluntas illum assequitur in quibusdam actibus, & nõ in omnibus & in minùs perfectis, & non in perfectioribus; dicendum est, operari liberè nõ semper, & in omnibus esse meliùs quam operari necessariò: sed regula perfectionis est, quod obiectum ametur pro dignitate & capacitate eius: ita vt si obiectum sit bonum summum ac summè necessarium, tota necessitate ametur, si verò sit obiectum minùs bonum, aut non necessarium, actus etiam circa illum sit sub dominio diligentis. Et hac ratione Deus diligit se necessariò, & alia liberè, cùm tamen actus eius sub omni ratione perfectissimus sit: idem ergo dicendum est seruata proportione in voluntate creata.

Liberène an necessariò operari per-fectius.

SECTIO IX.

An libertas causæ sit dum actu operatur.

I. Vltima difficultas resultans ex secunda sectione est, an causa libera actualem libertatem habeat cùm operatur, vel priùs quam operetur, quia si iam operatur, necessariò operatur, ita vt impossibile sit pro tunc non operari: & idem argumẽtum fieri potest de carentia operationis: si verò libertas semper respicit futurum, nullus actus in re existens erit liber, quia actus futurus vt sic, non est existens, & ita de facto nullus eris effectus liber: præterquàm quòd repugnat futurum vt futurum esse liberum, & postea in præsentia non exerceri liberè, cùm futurum non alia ratione sit futurum, nisi quia aliquando erit præsens.

II. Opinio Ocham, Gabr.

In hac difficultate Ocham, Gabriel, & alij Nominales in prima dist. 38. docent voluntatem non esse liberam respectu actus quem iam exercet, pro illomet instante, quo illum exercet, nisi vel quatenus procedit ex indifferentia, & libertate quam voluntas immediatè ante illud instans habuit; vel quatenus in eo instanti habet voluntas potestatem, vt in tempore immediatè sequente illum omittat, etiamsi omnes aliæ conditiones vel causæ ad illum concurrentes assistant, in quo aiunt causam liberam à naturali differre. Quam sententiã videtur amplecti Magister. Magister in 2.d.25.c.2.vbi dicit, liberum arbitriũ ad præsens, & ad præteritum non referri, sed ad futurum. Et fundamentum eius est suprà tactum, quia in præsenti iam voluntas est determinata ad vnum: & quia id quod est, quando est necesse est esse, vt ait Philosophus 1.de Interp.c.vlt. Vnde Boet.1. de cõsolat.prof. Boetius. vlt. ait, *ortum Solis & gressum hominis in hoc conuenire, quod, dum fiunt non possunt non fieri: differre verò, quia ortus solis etiam priùs quàm fiat, necessario erat futurus; gressus autem hominis non ita.*

III. Volũtas proptissimè libertatem exercet in instanti quo operatur. Scotus. Heruæus. Capreol. Gregor.

Hæc verò sententia falsa est, & mihi planè improbabilis. Quapropter dicendum est voluntatis libertatem propriè exerceri in comet instante, & circa eundem actum, quem præsentem elicit, seu exercet. Ita docuit Scotus id 1.distinct.39. & Heruæus quodlib.1.q.1. dubio 6. Capr. in 2.d.25. Greg. in 1.d.39. qui tamen aliquid falsum addidit, vt statim ostendam. Probatur hæc sententia primò ratione insinuata, quæ apud me est demonstratio, nam si voluntas in instanti quo elicit actum, non liberè procedit in actum, nunquã antea fuit libera in ordine ad illum actũ, quia tantũ fuit libera per respectũ ad illud instãs in quo erat liberè effectura talẽ actũ. Item quia si in illo instante non liberè, sed necessariò habet actũ: ergo pari ratione toto tempore præcedenti quo actu caruit, non liberè, sed necessariò caruit: & eadem

ratio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratio erit de tempore futuro: ergo re vera nunquam est vsus libertatis.

IIII. Secundò declaratur à priori, quia authores prioris sententiæ in eo errant quòd nō distinguunt prioritatem temporis & naturæ, & verum sensum compositum à diuiso. Voluntas ergo in eodē instante in quo actum liberum elicit, priùs naturâ quàm illum eliciat, intelligitur habere potestatem ad eliciendū illum, & deinde ex ea potestate intelligitur illum elicere: ergo in eodem priori naturæ intelligenda est potens ad eliciendum & non eliciendum talem actum: alioqui re vera non intelligitur libera ad eliciendum illum actum. Et confirmatur ac declaratur, nam in tempore immediato ante illud instans supponitur voluntas habens illam potestatem ad eliciendum & nō eliciendum actum. Et in illo instante priùs natura quàm illa potentia se determinet ad actum nihil est, quod ei potestatem abstulerit ad illum eliciendum: ergo retinet voluntas vtramque potestatem in illo instante, & ex illa elicit vel non elicit actum pro ipsomet instante. Quocirca si voluntas simpliciter & absolutè in eo instante sumatur cum omnibus prærequisitis ad agendum, re vera potest in illo non B elicere talem actum, quæ est potestas in sensu diuiso, aut in prioritate naturæ, quæ necessaria & sufficientissima est ad libertatem. Si verò consideretur iam in illo posteriori naturæ, in quo iam elicuit actum, iam non potest pro illo eodem instanti retrocedere: sed hæc solùm est necessitas compositionis ex suppositione consequente determinationem, seu actionē ipsius voluntatis.

V. Et confirmatur, nam Deus ex æternitate liberè dilexit creaturas, & tamen pro nullo instanti vel reali duratione caruit illa determinatione libera, quæ ita comparatur ad diuinam voluntatem sicut actus liber ad nostram: ergo libertas voluntatis non est tantùm respectu actus posterioris durationē reali, sed etiam respectu actus existentis in eodem instante, posterioris quidem natura, si talis actus sit verè elicitus & causatus à potentia; vel solùm secundum rationem aut intellectum, si solùm sit determinatio libera eiusdem actus. Aliàs non posset intelligi in Deo dilectio libera, quia neque ex æternitate liberè dilexisset, quia semper ac perpetuò dilexit, neque post instans æternitatis: quia multò minùs potest aut incipere diligere quod nunqnam dilexit, aut desinere quod dilexit, & prout ex æternitate dilexit. Idem argumentum sumi potest ex actione libera angelorū, quam in primo instanti suæ creationis habuerunt, cùm in illo habuerint meritum iuxta veriorem sententiam. Neque est vllius momenti quod Ocham significat, actum illum fuisse meritorium, quia fuit in potestate angeli in illo durare vel non durare tempore immediatè sequenti: hæc enim potestas poterat conferre, vt continuatio illius actus esset meritoria & cessatio esset carentia talis medij, tamen ad meritum in primo instanti nihil id conferebat, tum quia illa potestas non exercebatur in primo instante: nos autem non meremur formaliter per potestatem liberam, sed per vsum eius: tum etiam quia cessatio ab illo actu non potest conferre ad meritum, & tamen angeli mali, qui immediatè post primum instans cessauerunt ab illo actu, nihilominus in primo instanti meruerunt: ergo pro illo instanti fuit ille actus liber, saltem quoad exercitium. Atque idem argumentum fieri potest de merito Christi, de quo certiùs est incepisse à primo instante conceptionis suæ.

VI. Tandem possunt fieri proportionalia argumenta A in hominibus, nam vt suprà dicebam, homo potest in primo instanti vsus rationis habere actum liberū, tum bonum, tum etiam malum. Item quoties homo peccat, non demeretur vel amittit gratiam in tempore immediato ante instans, in quo exercet actum peccaminosum, vt est per se euidens: nemo enim peccat aut demeretur in eo quod facturus est, sed D. Augustin. in eo quod facit, vt latè Augustinus epistola 107. Ergo necesse est, vt in eodem instanti in quo actus peccati exercetur, sit liber: quia nemo verè peccat nisi tunc, quando potest vitare quod facit, vel facere quod omittit. Item, est simile argumentum, quando peccator conteritur: ille enim non consequitur gratiam ante nec post instans contritionis, sed in ipsomet momento in quo contritionem elicit, & in eodem tantùm se disponit sufficienter, cùm tamen dispositio debeat esse libera, & in eodem meretur gloriam: ergo in eodem & pro eodem exercet actum liberum.

Fundamentum prioris sententiæ iam solutum est. VII. Ratio contraria sententiæ dicitur. Aristoteles enim clarè loquitur de necessitate conditionata, & ex hypothesi consequente, & de eadem intelligendus est Boëtius: nam quod ait, ortum Solis, prius fuisse necessarium, non solùm est intelligendum de prioritate temporis, sed etiam de prioritate naturæ, seu causæ. Imò ideò in priori tempore verum fuit dicere effectum illum ex necessitate futurum, quia in sua causa habet necessitatem. Quod verò aiunt, non posse eandem potentiam simul efficere & non efficere, sophisma est consistens in vocum æquiuocatione: vtraque enim potestas simul est in eodem instante, non tamen ad exercendum vtrumque actum coniunctim, sed diuisim, id est vel vnum, vel alium pro suo arbitrio. Vnde, licet alteram partem potestatis exerceat, verbi gratia, eliciēdo actum, potestatem tamen retinet ad oppositum, quam posset in eodem instanti exercere, non quidem simul cum alio actu, nec faciendo compositionem cum illo, sed absolutè.

Addit tamen Gregorius suprà, facta suppositione, VIII. Actus voluntatis non necessario manet aliquod tempus durat. quod voluntas elicuit actū, nō solùm non posse pro eodē instante illum deserere, verū etiam neq; in tēpore immediatè sequente, quia existimat repugnare actū desinere in eodem instante in quo incipit esse. Sed neq; in Theologia, neque in Philosophia habet hęc sententia fundamentū. Non enim repugnat rem quæ fit, pro vnico tantùm instante durare: nam potest idem instans esse primū & vltimum esse rei: quæ est enim in hoc repugnantia? Respondet, repugnare quòd res simul incipiat & desinat. Sed, si inceptio sit per instans intrinsecum, desitio verò per instans extrinsecum ipsi desitioni seu intrinsecum ipsi existentiæ, nulla est repugnantia; quia nō sequitur quòd res sit, simul & non sit, sed solùm sequitur quod ita sit, vt neque immediatè anteà fuerit, neque immediatè post futura sit: quomodo ipsum instans habet esse, & in eo posset Deus creare angelum & non conseruare ampliùs: ergo ex hac parte nulla est necessitas continuandi actum liberum. Nec verò ex alia, nam angeli mali, vt est probabile, per vnum tantùm instans durarunt in bonis actibus: & qui peccat, nulla necessitate cogitur perseuerare peccādo: aliàs posset homo in hac vita pro aliquo tempore ex necessitate peccare, & non desistere à peccando; quod absurdissimum est. Et è contrario qui cœpit mereri, liberè perseuerat in meritō: aliàs nihil in ea perseuerātia boni operis mereretur: sed hæc res latiùs à Theologis disputatur.

SECTIO

SECTIO X.

An ex libertate causarum efficientium oriatur contingentia in effectibus vniuersi, vel sine illa esse possit.

I. Dupliciter aliquis actus dicitur contingens. NOT non sit ambiguitas in voce contingentiæ, oportet aduertere dupliciter posse dici effectum contingentem: vno modo quia casu, & præter intentionem agentis fit: quo sensu valde strictè & rigorosè sumitur vox contingentiæ: nunc autem non ita loquimur, nam de effectu casuali dicemus sect. vltim. huius disputationis. Alio ergo modo sumitur contingens, vt dicit quoddam medium inter necessarium & impossibile: quomodo à Dialecticis dicitur contingens complecti simul possibile esse, & possibile non esse: & in hac significatione sumitur in præsenti, & sic etiam sumptum videtur ab Aristotele 1. de Interpret. cap. vlt. vbi de futuris contingentibus disputat.

II. Secundò est obseruandum, effectum aliquem cōparari posse, vel ad suam causam proximam tantùm secundum virtutem intrinsecam eius, vel ad eandem vt coniunctam concursui, vel oppositioni aliarum causarum, quæ in toto ordine vniuersi illi occurrere, vel cum illa concurrere possunt; in quibus possumus vel primam causam comprehendere, vel tantum seriem & ordinem causarum secundarum. Atque hoc posteriori modo nunc loquimur, supponimus enim in ordine ad primam causam nullum effectum vniuersi ex absoluta necessitate euenire, quia omnes pēdent ex concursu eius, quem ipsa pro sua libertate negare potest: & ideò in ordine ad illam nulla est res tam necessaria, nullusúe effectus habens causam tam necessariò agentem, qui non possit esse & non esse, & in hoc sensu sit contingens. Nunc autem, etsi Deus agat liberè, supponimus esse paratum ad concurrendum cum causis secundis, & definita lege præbere suum concursum: & ideò contingentiam vel necessitatem effectuum naturalium ita cōsideramus in ordine ad causas secundas, ac si à prima non penderent, vel ac si prima non posset suum concursum negare, aut actiones harum causarum impedire, aut immutare. Nam miracula quæ in hoc Deus facere potest, Philosophia non considerat; neque etiā negat si vera sit, sed dicit esse exceptiones à generali regula, quæ ad ipsam non pertinent.

Quæstionis resolutio.

III. His positis facillima est præsentis quæstionis resolutio: & ideò dicendum est primo, in ordine ad causam proximam operantem ex necessitate naturæ nullum esse effectum contingentem per intrinsecam virtutem talis causæ, esse tamen posse cōtingentem ex imperfectione vel defectu talis causæ, quæ impediri potest ex concursu vel oppositione alterius causæ. Prior pars huius assertionis clara est, nam si causa est natura sua determinata ad vnum: ergo ita est potens ad agendum vt ex intrinseca sua virtute non possit non agere: ergo effectus ex hac parte non habet contingentiam, sed necessitatem. Vnde si quis respiciat ad solam virtutem intrinsecam causæ, & ad naturalem modum agendi eius, nō poterit inde colligere aut effectum nō esse futurum, aut posse non esse, sed potiùs habere necessitatem essendi, quantum est ex eo capite: ergo effectus non potest habere cōtingentiā ex hac habitudine ad huiusmodi causam. Nihilominus altera etiam pars cōclusionis æquè vera est, & facilis: nam licet causa proxima necessariò agat, impotens est ad resistendum omni contrariæ causæ sibi occurrenti, vel ad vincendam & superandam omnem resistentiam, quæ ab alia causa fieri potest: ergo ex hoc capite contingere potest, vt non eueniat effectus, qui aliunde necessariò eueniret quantum est ex virtute & modo agendi proximæ causæ: ergo talis effectus est contingens, nō ex virtute, sed potius ex defectu virtutis suæ causæ, adiuncto possibili concursu, vel oppositione aliarum causarum: sub quibus comprehendimus non solas efficientes causas, sed etiam materiales, & quouis modo resistentes, seu impedientes naturalem actionem causæ. Atque hoc modo rectè admittunt Philosophi contingentiam in effectibus causarum naturalium: quia contingens effectus est, qui à sua causa potest fieri & non fieri: sed hic effectus absolutè potest fieri, & non fieri à causa sua; siue id proueniat ex virtute, siue ex defectu virtutis, & ex impedimentis possibilibus: ergo.

Hinc tamen maioris claritatis gratia rectè distinguitur duplex effectus contingens, scilicet vel intrinsecè, vel tantùm extrinsecè. Priori modo dicitur effectus ab intrinseco contingens, quia manat à causa, quæ ex intrinseca vi & potestate potest dare contingentiam effectui. Non quod hæc contingentia aliquando sit modus intrinsecus inhærens ipsi effectui: nihil enim est aliud, quam denominatio sumpta ex potestatate & modo agendi suæ causæ: sed quòd talis denominatio à sola intrinseca virtute & perfectione propriæ causæ proueniat. Et hæc contingentia tantū est in ordine ad causam liberam. Posteriori autē modo, seu extrinsecè dicitur effectus contingens, quando carētia necessitatis quæ in illo est, solùm est ab extrinsecis impedimentis. Ex quo etiam intelligitur huiusmodi contingētiam non pendere ex libertate alicuius causæ, etiam primæ; quia solùm consistit in habitudine ad causam proximam quæ impediri potest: quæ habitudo eadem est, siue liberæ causæ interueniant, siue non, imò etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ, dummodo eāsdem naturales causas produxisset quæ nunc sunt. IIII. Contingens effectus & intrinsecè & extrinsecè.

Dico secundò. Effectus qui est contingens respectu causæ proximæ naturaliter operantis, si cōparetur ad totum ordinem ac seriem causarum vniuersi, & in his causis nulla intercedat liberè agens, saltē vt applicans alias causas, vel remouens impedimenta, non habet contingentiam sed necessitatem. Hæc sumitur ex D. Thoma 1. cont. Gent. cap. 67. ratione 3. vbi ait, *sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, ita ex causa contingente completa, si non impediatur.* Vbi rectè Ferrar. aduertit, intelligēdum id esse de effectibus causarū naturalium. Sumitur etiam ex Durando in 1. d. 38. q. 3. & Scoto in 1. d. 1. q. 1. d. 8. q. 2. & d. 39. sed clariùs eam proposuit Gabriel in 1. d. 38. q. vnic. artic. 1. Et probatur; quia si omnes causæ quę in omni genere ad effectum concurrunt, & illius productionem vel promouere, vel impedire possunt, agunt ex necessitate: ergo eadem necessitate talis sequetur effectus, qualis ex omnibus illis causis sic dispositis & applicatis sequi potest. Et declaratur, nam sicut naturalis causa proxima non impedita, & habēs materiā aptā sufficienter applicatā, necessariò producit proportionatū effectū, ita si eadē causa sit omnino V. Seclusis cautelis liberis in tota serie & collectione aliarum, nullius est effectus contingens. D. Thom. Ferrar. Durand. Scot. Gabriel.

Universidad de Deusto
Biblioteca

impedita, eadē necessitate nihil operabitur, vel si nō omnino, sed ex parte impedita sit, eadem necessitate faciet imperfectū, vel mōstruosum effectū: ergo si causæ omnes tā agentes quàm impedientes ex solo naturali ac necessario cursu ita conueniūt; & singulæ etiā cū necessitate operantur suo modo, id est, quæ impedit, necessariò impedit, & quę materiā applicat, necessariò, & sic de aliis; ergo talis effectus consideratus in ordine ad totā seriem & collectionem taliū causarum, non habet contingentiam, sed necessitatem.

VI. Neque in hac conclusione inuenio rationem dubitandi, nam tota hæc necessitas intelligitur subordinata voluntati diuinæ, vt in principio supposuimus, & respectu illius habet quilibet ex his effectibus contingentiam, id est, possibilitatem vt non eueniat: tamen in hoc ipso intercedit etiā libertas diuina. Et ita simpliciter & absque dubitatione verum est respectu totius ordinis seu collectionis causarum agentium, nullam posse esse contingentiam in effectibus, nisi in illa collectione causarum aliqua causa libera interueniat.

VII. Atque ex his duabus assertionibus obiter intelligitur, quàm sit difficile cum certitudine præcognoscere hos effectus contingentes futuros, etiam merè naturales, qui respectu vnius vel alterius, vel etiam plurium causarum habent contingentiam, & solùm habent infallibilitatem ac necessitatem respectu omnium simul. Est enim difficillimum saltem hominibus, vt angelos prætermittamus, omnes huiusmodi causas cognoscere, tum quia quædam sunt à sensibus remotissimæ, & valde occultæ, vt sunt astra seu virtutes eorum; tum etiam quòd in magna sint multitudine, & earum concursus, & oppositiones, variæ sint & multiplices: tum denique quòd hæ causæ nō agunt absque materia, cuius dispositio etiam est varia, & sæpè ignota: & ideò valde operosum est hæc omnia ita inter se conferre & obseruare, vt ex eis possit aliquid futurum in particulari præcognosci satis probabili coniectura, nedum infallibili certitudine. Pererius. Legatur de hac re Benedictus Pererius lib. 2. in Gen. cap. 2. & 3.

VIII. Quouis modo causa libera intercedat in naturaliū causarum serie effectus esse potest cōtingens. Dico tertiò. Si ad effectum quemlibet, etiam naturalium causarum causa libera concurrat, siue vt causa per se, siue vt causa per accidens, applicans agens, vel materiam, aut remouens prohibens, id satis est vt effectus sit simpliciter cōtingens, etiamsi ad totam collectionem & seriem causarum comparetur. Probatur, nam effectus contingens est qui potest esse & non esse ex vi suæ causæ: sed huiusmodi effectus comparatus ad totam collectionem suarum causarū, potest simpliciter esse & non esse, vel ex eo solùm, quòd inter illas causas aliqua libera interuenit, ex cuius arbitrio accidere potest, vt vel materia non sit dispositа ad talem effectum, vel causa proxima & per se absit, aut aliud simile impedimentum interueniat, quod satis est vt effectus non sequatur. Vt si agricola non aret terram, quod illi liberum est, impedietur naturalis fructus, etiamsi sint pluuiæ congruentes & omnes aliæ causæ concurrant: eademque ratio est de quocunque alio effectu postulante aliquem concursum causæ liberæ sine quo esse non possit.

IX. Discrimen inter naturales effectus & contingētes nō liberos. Atque hinc colligere licet differentiam inter hos effectus contingentes, quos lato quodam modo liberos appellare possumus, & priores naturales: quòd hi tantum secundum quid sunt contingentes respectu vnius, vel plurium causarum, non tamen respectu omnium collectiuè sumptarum: illi vero, scilicet liberi, sunt simpliciter contingentes, siue ad singulas siue ad omnes causas suas simul sumptas comparentur. Ex quo etiam fit vt hi effectus liberi multò minùs possint præcognosci in causis, quàm illi. Nam effectus naturalis, licet formaliter vt contingens est, non possit in causa cognosci vt certò futurus, id est, in sola causa proxima in se considerata, tamen in collectione, & collatione causarum omnium cognosci potest, quia iam non vt contingens, sed vt necessarius cognoscitur: at verò effectus simpliciter contingens, neque in vna, neque in omnibus causis simul certò præcognosci potest vt futurus, quia vtroque respectu est simpliciter contingens, atque adeò ex vi causarum indeterminatus & indifferens ad esse & non esse: & ideò nisi aliunde cognoscatur libera determinatio causæ sufficiens ad determinandum effectum, nullo modo potest ex vi causarum certò præcognosci.

X. Hic verò statim offerebat sese occasio disputandi de præscientia & prædictione horum effectuum contingentium quatenus futuri sunt: nam si antequam fiant, non habent in causis suis determinationem ad esse, vel ad non esse: ergo nulla potest esse determinata veritas in propositionibus quibus alterum horum futurum denunciatur: quod planè videtur consequenter concessisse Aristoteles, imò & ex professo probasse lib. 1. de Interpre. cap. 8. Ex hoc autem vlteriùs sequitur neutram partem, affirmantem, vel negantem huiusmodi effectum esse futurū, posse præsciri vt determinatè veram, etiam à Deo: nam quod non est verum, non est scibile: ergo quod non est determinatè verum, non potest etiam sciri vt determinatè verum. Atq; ita id concessit Cicero lib. de Fato, & Diuinat. vt Augustinus retulit 5. de Ciuit. cap. 9. Cicero.

XI. Futurorum cōtingentium veritas determinata. Sed hæc difficultas altiorem, & fusiorem disputationem postulat, de qua Theologi in 1. distinctione 38. & 1. part. quæstione 14. artic. 13. Nunc breuiter respondetur, determinationem veritatis in propositione de futuro contingente non esse sumendam ex eo, quòd causa à qua prouenturus est talis effectus, sit iam determinata ad illum in sua virtute & facultate, ab eo tempore vel instante ex quo verum est dicere illum effectum esse futurum, sed ex eo solùm, quòd aliquando talis causa in actione sua determinanda sit ad liberum effectum: nam hoc solùm enunciatur per illam propositionem, & nō quòd causa ex se, & ex sua virtute sit iam determinata ad talem effectum. Quapropter cum absoluta contingentia horum effectuum stare potest determinata veritas vel falsitas earum propositionum, in quibus illi futuri esse enunciantur, quia hæc veritas determinata non repugnat contingentiæ, magis quàm in propositione de præsenti. Quia licet effectus possit fieri, & non fieri, ex quo habet quòd sit contingens, tamen de facto alterum determinatè accidet, & inde habet quòd sit futurum contingens determinatè. Et in hoc putamus Aristotelem deceptum fuisse, & contra principia nostræ fidei locutum: quamuis non desint Catholici qui illum interpretari ac defendere conentur. Hinc verò vlteriùs fit, nō omnino repugnare, vt hi effectus liberi, antequam fiant, certò præsciri possint, ea saltem scientia, quæ propter suam infinitatem omnem veritatē, omneque obiectum scibile comprehendit ac intuetur eo modo quo est: in quo turpiùs errauit Cicero negans Deo præscientiā omniū futurorū. Neq; enim illa scientia hanc contingentiam destruit; tum quia non

non immutat seu alterat (vt ita dicam) suum obiectū, aliàs se ipsam redderet falsam, si sciendo effectū fore contingentem, faceret necessarium: tum etiam quia hæc scientia futurorum vt sic, non est causa eorum, sed pura intuitio: sed de his aliàs.

XII. Aliæ duæ difficultates supererant circa vltimā cōclusionem. Prima est an sola libertas causæ secundæ sufficiat ad dictam contingentiā, etiamsi per impossibile non esset libertas in causa prima: & hæc suprà tractata est: idem enim est quærere an cum illa hypothesi possit consurgere contingentia simpliciter in effectibus naturalib. & quærere an cum illa esse possit libertas & vsus libertatis in creatura. Nam si fuerit vsus libertatis, erit etiam contingentia simpliciter: sine illo autem non erit: & ideò responsio superiùs tradita hîc applicanda est. Altera difficultas est an è contrario sola libertas primæ causæ sufficiat ad contingentiam effectus, etiamsi nulla causa secunda esset libera: sed hæc facilem ex dictis habet responsionem, nam eo modo quo ille effectus est liber, potest dici contingens, prout nunc loquimur. An verò ita simpliciter loquendum sit, vt effectus, quatenus respectu Dei liberè fiunt, dici possint contingentes, attingemus inferiùs disputando de Deo, eiusque libera voluntate.

XIII. Atque hinc etiam expedita manet altera difficultas, quæ hîc tractari solet, in qua nimirum causa posita sit radix contingentiæ, an scilicet in libertate primæ causæ, vel in libertate secundæ, vel vtriusq; simul: dicendum est enim, si sit sermo de contingentia tantùm extrinseca, & secundum quid, radicem eius non esse positam in libertate aliqua, nec secundæ, nec primæ causæ, sed proximè in tali natura, & conditione causæ secundæ, quæ impediri potest, adiuncto tali ordine & serie aliarum rerum & causarum naturalium, ex quo foleat tale impedimentum occurrere. Prima autem causa, siue Deus, solùm dici potest prima radix huius contingentiæ, sicut est prima causa omnium effectuum vniuersi: quia nimirum tales causæ secundæ ab ipsa fuerunt & creatæ, & ita dispositæ & ordinatæ, vt ab eis huiusmodi effectus contingentes prouenirent. Ad hoc autem, formaliter loquendo, nil refert, quòd prima causa liberè hæc omnia produxerit: eadem enim contingentia sequeretur etiam si ex necessitate creasset hæc omnia, dummodo eodem modo illa ordinasset, & posteà cum illis concurreret. At verò loquendo de cōtingentia simpliciter, immediata illius ratio posita est in libertate causæ proximæ, & aliquo vsu eius, vt declaratum est: primordialis autem radix eius est libertas causæ primæ eo modo quo superiùs sect. 5. declaratum est.

SECTIO XI.

Vtrùm aliqua vera ratione possit fatum inter causas efficientes vniuersi numerari.

Varij errores.

I. Fuit vetus sententia aliquorum Philosophorum, qui effectus omnes vniuersi fato tribuebant. Constituebant autem fatum in quadam connexione & ordine causarum vniuersi, à quibus aiebant omnia ex necessitate prouenire, vt de Stoicis refert Cicero lib. 1. de Diuinat. sub fin. & Diogen. Laert. lib. 7. in vita Zenonis. Illam autem vim præcipuè tribuebant astris & sitibus ac dispositionibus eorum, adiunctis cœlorum motibus: hinc enim inuitabili necessitate prouenire varij aspectus & cōcursus causarum vniuersi; ex quibus aiebant eadem necessitate effectus omnes in hoc inferiori mundo euenire. Vnde definiebant fatum esse, *Causarum colligantiam, ex astrorum motibus, ac vi, efficaciam trahentem*, vt refert Albert. lib. 2. Phys. tract. 2. c. 19. ex Apulcio, & aliis. Hoc autem multi eorum non solùm de naturalibus effectibus, sed etiam de actionibus humanis tam studiosis, quàm prauis asserebant. Putabant enim cœlestia corpora eadem vi, & directa actione influere in humanas voluntates, ac in cæteras res, vt refert Augustin. 4. lib. Confess. c. 3. & lib. 5. de Ciuit. c. 1. Vbi etiam notat (quod etiam Plotinus refert Ænead. 3.) quosdam ex his adeò fuisse stolidos, vt negarint hanc dispositionem causarum vniuersi, cui fatalem necessitatem ascribebant, à diuina sapientia aut voluntate profectam esse, sed ex se habere intrinsecā necessitatem prorsus ineuitabilem.

II. Alij verò quamuis non negarent hunc causarum secundarum ordinē à diuina volūtate processisse, nihilominus ei tribuebant necessitatē omnino ineuitabilē, etiā respectu Dei: quia fortè credebant Deum agere ex necessitate naturæ. Quod ex hæreticis sensisse Petrum Abailardum, refert Castro cont. hæres. verb. Libertas, & verb. Futurum contingens: idemq; de Wiclepho refert, quòd dixerit omnia euenire tā ineuitabili necessitate, vt nec Deus ipse potuerit aliter res condidisse quàm condidit, nec aliter gubernare quàm gubernat: & ex eis sic conditis & gubernatis non posse alias actiones prodire quàm prodeāt. Plures etiam alij hæretici hanc sententiam de fato secuti sunt, prout à dictis Philosophis asserta est. Abailard. Castro.

III. Alij verò fati necessitatem non in astris, sed in diuina voluntate posuerunt, sic Seneca lib. 2. natural. q. cap. 35. *Quemadmodum* (ait) *rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superueniens præcipitat: sic ordinem fati æterna series regit, cuius hæc prima lex, stare decreto.* Et statim c. 36. definiēs fatū ait, esse *necessitatem rerum omniū, actionumq;, quā nulla vis rumpat.* Idem optimè lib. 4. de Veneficiis, ca. 7. Eiusdemq; sententiæ videtur fuisse Plato Dialogo vltimo de Repub. Quidam etiam noui hæretici (quod Caluino & sequacibus tribuere possumus) hoc genus fati introduxerunt: licet fortasse non sub eo nomine, docent enim omnia ex necessitate euenire, nō ex solo influxu cœlorū, sed ex superiori influxu Dei ita mouentis & applicantis omnes causas secundas ad agendum, vt ex necessitate illud agant ad quòd impelluntur, & nihil aliud. Hanc verò necessitatem subiiciunt diuinæ voluntati, & respectu illius dicunt esse simpliciter variabilem: quamuis supposita æterna Dei dispositione iam immutabili, qua statuit vniuersas res ita condere, gubernare, & impellere, vt omnia ex necessitate eueniant, quæ respectu creaturarum est necessitas simpliciter, respectu verò Dei est necessitas immutabilitatis.

Resolutio.

IIII. In hac doctrina de fato sic explicata multi continentur errores non solùm contra Catholicā fidē, sed etiam contra rationem naturalem, vt facilè ex hactenus tractatis constare potest. Propter quod & res ipsa ab Ecclesiā est damnata in nonnullis Conciliis, & à sanctis Patribus diligentissimè est impugnata; & nomen ipsum fati Catholicis omnib. odiosum est, quamuis nonnulli adiuncta sana interpretatione non putent esse omnino reiiciendum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Notantur & refelluntur dicti errores.

V. Primus. PRimò igitur tribuere causis secundis fatalem necessitatem independentem à Deo, planè stultum est, & contra rationem naturalem. Hoc non aliter probandum est, quàm demonstrando omnia pẽdere à Deo in fieri, esse, & operari: quod tribus disputationibus seq. prẽstabimus.

VI. Secundus. Secundò constituere necessitatẽ fati sub Dei causalitate & influxu, ineuitabili etiam ipsi Deo, repugnat rationi naturali. Probatur, quia vel duos errores, vel alterum tantùm includit ea sententia; sc. aut Deum non esse omnipotentem, aut saltem minimè operari liberè quidquid extra se operatur: nã si Deus has duas perfectiones habet, quæ potest esse dispositio, influentia, aut necessitas causarum secundarum quam ipse non possit sua omnipotenti & libera voluntate immutare, aut impedire? Quod autẽ in Deo sint omnipotentia, & libera voluntas, demonstrabimus infrà, de Deo & attributis eius disputantes. Est autem conclusio intelligenda de ineuitabili necessitate simpliciter: nã si sit termo de ineuitabilitate tantùm secundum quid, proueniente scilicet ex immutabilitate Dei, ex hac parte non erit error, si aliunde non misceatur, vt dicemus.

VII. Tertius. Tertiò constituere talem fati necessitatem quę ex astrorum & aliarum naturalium causarum influxu ad omnes inferiores causas dimanet, sub illis etiam voluntates humanas comprehendendo, est error etiam naturali rationi repugnans. Intelligitur autem hæc conclusio, etiamsi hæc necessitas ponatur pendens à diuina voluntate & per illam mutabilis. Probatur, quia huiusmodi fatalis necessitas destruit arbitrij libertatem. Quo titulo damnata est illa sententia in Conc. Brachar. I. c. 9. & à Leo I. epist. 91. c. 11. & 13. & contra illam multa congerit Euseb. lib. 6. de Præpar. Euang. c. 5. & seq. & latè etiam scribit Chrys. orationib. de Prouident. & August. dict. lib. 5. de Ciuit. ferè per totum: & Greg. Niss. seu Nemes. lib. 6. suæ Philosoph. Et Boet. lib. 6. de Consolat. & alij frequenter. Quin etiam Philosophi hoc genus fati oppugnarunt, vt sumitur ex Arist. lib. 1. Ethic. c. 1. & lib. 1. de Interp. c. vl. & Ammon. aliisq; interpretibus ibi, & lib. 2. Phys. c. 6. vbi Simpl. Themist. & alij, & Alex. Aphrodis. lib. de Fato, Plutrach. lib. de Fortuna; vide alia in Iulio Sirenno lib. de Fato. Fundamentum etiam illius sententiæ alium includit errorem, nimirum, cœlorum influxum directè & per se cadere in humanas animas & voluntates: quod est contra animæ immaterialitatem, & consequenter contra eius immortalitatem.

Brachar. Leo Pap. Euseb. Chrysost.

VIII. Quartò constituere fatum, illud attribuendo efficientiæ & influxui primæ causæ necessitantis omnes causas secundas, etiam rationales voluntates ad singulos effectus, error est tum contra fidem, tum etiã contra rationem naturalem. Probatur ex dictis, quia etiam hoc modo destruitur liberum arbitrium. Vnde in hoc etiam sensu dãnata est hęc necessitas fatalis quamuis non sub fati nomine, in Conc. Trident. sess. 6. Et ratione Philosophica declaratur, nam vel inter causas secundas sunt aliquæ, quæ natura sua non indigent ad agendum illa Dei motione necessitante, vel nullæ sunt huiusmodi: si dicatur hoc secundum: ergo nulla est ex se causa libera, & indifferens. Si verò dicatur primum, ergo vel prima causa semper extrahit secundam à suo naturali modo operandi, quod est alienum ab omni recta ratione, quia causa prima iuxta ordinarium prouidentiæ modum, solùm cooperatur secundę quantum illa indiget, vt inferiùs dicemus, vel certè non semper causa secunda illo modo necessitatur ad agendum à prima, quod intendimus: ergo hinc fit, falsam omnino esse positionem fati in prædicto sensu. A

Quo vero sensu possit Fatum quoad rem ipsam admitti.

IX. QVintò, constituere fatum in eo sensu vt solùm se extendat ad effectus naturalium causarum, ad quos neque angelica, neque humana creatura sua libertate vllo modo concurrit: & in iis effectibus ponere fatalem necessitatem, prouenientem ex serie & ordine causarum vniuersi, ineuitabilem per causas secundas, & per primam secundum ordinariam potentiam, & secundum modum operandi & concurrendi huiusmodi causis connaturaliter debitum, aut etiam ex immutabilitate alicuius decreti, vel præfinitionis ipsius Dei, non tamen ex absoluta potentia & voluntate eius: hoc (inquam) modo, constitutio fati non continet errorem vllum, sed veram doctrinam, quamquam in vsu verborum moderatio tenẽda sit, vt infrà dicemus. Hæc assertio tota constat ex dictis præcedente sectione, neque aliam probationem, aut declarationem adiungere oportet. Hoc autem sensu posuisse fatum Stoicos, & Platonem ex Plutarcho & aliis refert Ludouic. Viues in 5. de Ciuit. Dei, c. 1. & 10. nam illi à fati necessitate voluntates humanas & liberas actiones excipiebant. Vnde etiam Damascen. libro secundo de Fide cap. 25. tacito nomine refert, Philosophos non posuisse fatum circa humanas actiones, quæ contingentes sunt, sed circa necessarias. Et similiter Tertullianus lib. de Anima, cap. 20. inquit, etiam Philosophos distinxisse fatum, & arbitrij libertatem: & subiungit ex „propria sententia, *Et nos secundum fidem differenda suo iam nouimus titulo.* B C

X. Sed quæres an fatum respectu talium effectuum sit causa efficiens, vel quid sit: nam quidam censent fatum formaliter significare relationem, quandam, eò quòd Boetius de Consolat. prof. 4. definiat Fatum esse, *ordinem causarum secundarum diuinam prouidentiam exequentium*: ordo autem relationem importat. Ita sumitur ex D. Thoma 1. part. quæst. 116. articulo secundo, ad tertiũ. Sed dicendum est, huiusmodi fatum neque esse solam relationem: hæc enim nil ad efficiendum confert: nec esse vnam aliquam causam efficientem: nulla enim per se sola sufficit ad eam necessitatem inducendam, quam fatum indicat, sed esse collectionem causarum ita dispositarum ex diuina prouidentia, sicut necesse est vt talis effectus sequatur. Hoc cõstat ex ipsa explicatione fati quam tradidimus, & ex assertione posita. Illa verò causarũ dispositio, quam alij ordiné aut seriem vocant, non est relatio, sed dicit in singulis & in omnibus causis applicationẽ accõmodatã vt talis effect⁹ sequi possit: quę quidẽ applicatio nõ est relatio, licet fortasse sit fundamentum relationis, vel per modum relationis à nobis declaretur. Atque ita potest exponi D. Tho. suprà, de relatione pro fundamento: ex eodem D. Tho. Opusc. de fato, quod est 28. c. 5. vbi sentit fatũ dicere conditionem causæ. Et idem volunt, qui fatum numerant inter efficientes causas. Vide Alexandrum dicto opusc. de Fato cap. 2. Ex dictis autem intelligere licet sub hac collectione causarum non tãtùm comprehendi efficientes, sed etiã materiales: nã ex his magna ex parte pẽdet necessaria consecutio talis effect⁹; magis aũt reducitur fatum ad efficientẽ cau-

causam, quia hæc est quæ per se inducit effectũ suppositã tali materia, & aliis conditionibus ad agendũ requisitis. Rursus colligitur ex dictis, Fatum iuxta hanc interpretationem non semper esse causam per se omnium effectuum, aliqui enim sunt effectus per accidens, qui sunt casuales respectu particularium causarum, vt infrà dicemus, qui non habent causam per se, vt ibi probabitur. Vnde respectu collectionis omnium causarum naturalium necessariò eueniũt, non tamen possunt attribui alicui causæ per se & naturali, quæ Fatum appelletur, ita ergo est dicta conclusio limitanda. A

Quid de Fati nomine sentiendum.

XI. SExtò constituere Fatum in dispositione causarũ naturalium, quatenus diuinæ prouidentiæ subsunt, & iuxta illius prę ordinationem vel permissionẽ ac præscientiam infallibiliter operantur, in re ipsa non continet errorem, sed potiùs Catholicam doctrinam rationi etiam naturali consentaneam: modum autem loquendi corrigere vel satis explicare necesse est. Hæc tota conclusio sumitur ex D. Tho. 1. p. q. 116. artic. 1. & ex Augustino, quem ipse citat 5. de Ciuit. cap. 1. dicente: *Si quis Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguã corrigat.* Et priorem partem huius assertionis intendit Boetius loco suprà citato, dum nomẽ fati ad cõgruentem & veram significationem reducere conatur. Et ad eandem putant multi reduci posse sententiam Platonis, & Senecæ suprà relatam: non enim intenderunt negare nostri arbitrij libertatem. Quod sentire videtur etiam Plutarch. lib. 1. de Placitis, cap. 27. & Aristotel. libro de Mundo ad Alexand. sub finem, vbi optimè de hac re loquitur. Quin & Stoicos non aliter sensisse de fato, nec libertatem arbitrij abstulisse docet Augustin. 5. de Ciuitat. cápit. 10. vt suprà tactum est. Ac tandem declaratur, quia per fatum sic expositum nihil aliud significatur nisi quòd causæ secundæ subordinatæ sunt diuinæ prouidentiæ: quatenus omnes istæ causæ ordinatæ sunt à Deo ad hos effectus producendos, quod certissimum est. Deinde significatur quòd istæ causę secundæ nihil operantur quod non sit à Deo & præuisum, & præconceptum seu præfatum (nomen enim fati à fando dictum censetur) & aliquo etiam modo prę ordinatum, vel permissum, ac generaliùs loquendo, prouisum: quod etiam certissimum est, & rationi naturali consentaneum, vt infrà ostendemus disputando de attributis Dei. Atque hinc fit vt in ordine ad diuinam prouidentiam sit quædam infallibilitas, vel vt Boetius loquitur, immobilitas in effectibus causarum secundarum: quia nunquam possunt omnino subterfugere ordinem prouidentiæ Dei. Et hæc immobilitas nomine fati declaratur. Quæ non excludit contingentiam nec libertatem aliquarum causarum, quia nõ consistit in absoluta necessitate, sed in infallibilitate præscientiæ & prouidentiæ diuinæ, eiusque immutabilitate: cui correspondet similis necessitas in effectibus causarum secundarum, quæ dicitur necessitas ex suppositione seu consequentiæ: quia fieri nõ potest vt aliter eueniant quàm fuerint præsciti, vt superiùs Diuus Thomas explicat art. 3. Aduertendum est autem, etiam admissa hac significatione non rectè attribui Deo, vt ibidem notat D. Th. ex Boet. suprà, Nam fatum est dispositio causarum, vt est sub Deo, nõ verò est propriè ipse Deus, vel voluntas Dei, nisi causaliter, vt loquitur interdũ Aug. lib. 5. de Ciuit. c. 1. & Seneca, & Arist. suprà. Cõ- B C

sonat quę ipsum nomen Fati, quod à fando dictũ est, vnde significat id, quod effatum est, non ipsum, qui effatus est. Adde, neq; etiam tribui Fatum propriè in dicta significatione actibus liberis voluntatis creatæ, quia liberum arbitrium Deo subiicitur immediatè, & non aliis causis vel dispositioni earum, nisi p accidens, ac remotè: & ideò vel nullo modo, vel non nisi impropriissimè proprij actus liberi arbitrij possunt fato attribui, ipsammet Dei prouidentiam, & immediatum influxum eius fatum appellando.

XII. Atque hinc tandem constat vltima pars assertionis, quæ solùm est de vsu huius vocis fatum: cuius vsum ait D. Thom. recusasse sanctos Patres propter eos qui fatum in influxu siderum ponebant. Quod verum esse constat ex superiùs citatis, & ex August. lib. 5. de Ciuit. c. 9. & tract. 37. in Ioannẽ, & Gregor. hom. 10. in Euang. & Greg. Nissen. lib. 6. Philosoph. c. 2. vel aliàs Nemes. lib. de Anim. eius q; facultatib. c. 35. & 36. Et ratio est, quia *fatum* ex primæua impositione institutum est ad significandam rádicem fatalis necessitatis, quam absolutam necessitatem esse sentiebant, qui nomen fati inuenerunt; & ideò in propria significatione non potest attribui omnibus causis secundis, etiam vt diuinæ prouidentiæ subsũt. Ex quo etiam fit vt neque effectus naturales qui in hoc inferiori mundo eueniunt, dicendi sint fato euenire in illa proprietate, quia regulariter nunquã eueniunt sine interuentu alicuius causæ liberæ, vel angelicæ vel humanæ: ita vt neque pluuiæ, venti, & similes effectus, qui videntur maximè naturales, dicendi sint fatali necessitate prouenire: tam permittente Deo, vel ordinante sæpè impediuntur vel excitantur media aliqua actione bonorum, aut malorum spirituum. Hac ergo ratione nomen fati non est à nobis absolutè vsurpandum: si quis autem corrigendo significationem eo vti velit, non est cum illo contendendum: declaratio autem seu correctio est, vt nomen fati solùm significet seriem causarum diuinæ prouidentiæ subiectam, quæ illis necessitatẽ non imponit, sed vnamquamq; modo sibi proportionato agere sinit. Addit Alexand. Aphrodis. lib. de Fato c. 3. Fatum interdum significare cuiusq; rei naturam, habetq; illa significatio fundamentum in Arist. lib. 5. Phys. c. 6. tex. 57. vbi naturalem generationem, vel corruptionẽ fatalem vocant. Iuxta quam significationem, nec fatum habet maiorem necessitatẽ quàm natura, nec maiorem vniuersalitatẽ. Vnde sicut non omnia naturali ordine, vel necessitate eueniunt, sed quædam liberè, alia casu, ita nõ omnia fiunt fato. Veruntamen hęc significatio illius vocis, nec videtur esse in communi vsu, nec habere fundamẽtum in illius vocis Etymologia, qua fatum à fando dicitur, vt ex August. notauimus, quare vt fatum aliquid sit, diuina præscientia, & prouidentia excludenda non est.

SECTIO XII.

Vtrùm casus & fortuna inter causas efficientes numerari debeant.

I. DIsputatio de casu & fortuna coniuncta est cum disputatione de fato, quia sublata necessitate fatali, videtur fieri consequẽs vt multi effectus casu & fortuito in vniuerso eueniant. Cùmq; nihil possit fieri quod non habeat efficientem causam, fieri etiam videtur vt huiusmodi effectus casuales vel fortuiti aliquam efficientem causam habere debeãt,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ casus, aut fortuna nominetur. De hac ergo A causa inquirimus an sit, & qualis sit. Videtur enim, non esse aliquam ex his quæ necessariò aut liberè agunt, & ita nullã esse posse. Assumptum patet, quia causa necessariò operans vel semper, vel frequentiùs consequitur suum effectum: effectus autem casuales dicuntur esse ex iis qui rarò eueniunt: ergo non eueniunt à causa necessariò operante. Rursus causa libera semper operatur à proposito, & ex intentione finis: casus autem dicitur esse cũ præter intentionem aliquid accidit: non est ergo casus causa libera: ergo casus non potest esse aliqua causa efficiens.

De effectu casuali.

II. QVamuis hæc nomina *casus, & fortuna*, pro eodem sæpè vsurpentur, tamen in rigore habent diuersam significationem: & ideò dicemus priùs de casu, deinde de fortuna. Nomen igitur *casus* propriè significat potiùs effectũ quam causam: diciturq; de quolibet effectu inopinato, quod notauit Boët. li. 1. de Consolat. prof. 1. vbi non vult casum significare causam, sed effectum: tamen iam vsus obtinuit vt de causa etiam dicatur: non potest enim ille effectus ca- B rere aliqua causa: & ita egit de casu Aristoteles 2. Physic. & cum eo cæteri Philosophi: tamen explicato effectu intelligetur melius causa. Dicitur ergo effectus casualis, is qui per accidens, & præter opinionem vel intẽtionem coniungitur effectui per se alicuius causæ, vt quòd fodiens terram, inueniat thesaurum. Hoc constat ex communi significatione illius vocis: nam idem est effectus casualis, quod contingens rarò, & præter intentionem. Duo itaque videntur esse de illius ratione. Vnum est vt rarò eueniat, vt sentit Aristoteles 2. Physic. cap. 7. & ibi Auerroes, Alexan. Sanctus Thomas, Albertus & alij. Quamuis Auicenna hoc limitare voluerit sine causa, vt statim dicam. Cũ autem dicitur ille effectus rarò euenire, intelligendum est in sensu (vt ita dicam) composito, seu facta suppositione talis causæ: sæpè enim est rarus effectus, quia rarò ponitur causa; quamquam illa posita semper aut regulariter sequatur effectus: & tunc non est casualis, sed potest esse per se, nisi positio etiam talis causæ, vel concursus plurium causarum casualis sit. Alio ergo modo sequitur rarò effectus etiam posita causa: & hoc modo dicitur effectus casualis rarò euenire. Quia verò talis effectus semper prouenit ex concursu plurium causarum, oportet vt ille concursus non habeat certam & definitam causam in vniuerso: ex quo etiam sit vt rarò eueniat: & ideò Eclypsis non est effectus casualis, neque omnis alius qui regulariter coniungitur cum effectu per se.

III. Secundò est de ratione talis effectus vt præter intentionem agentis causæ eueniat, vt quod prætereũte Petro lapis cadat, dicitur esse casus fortuitus, quia fuit præter intentionem tum hominis transeuntis, tum lapidis cadentis, vel generantis quod illũ in centrum mouebat. Quod si ille concursus fuisset ab aliquo intentus, respectu illius non diceretur effectus casualis, sed per se in suo genere: est ergo de ratione casus quòd sit effectus præter intentionem agentis: quia est effectus per accidens.

IIII. Atq; ex hac explicatione intelligitur non esse in vniuerso effectus casuales respectu Dei, sed tantùm respectu causarum secundarum, seu particularium: & ratio est, quia nihil euenire potest præter intentionem Dei; eò quòd nihil possit subterfugere præscientiam eius. Dices, Interdum aliquid fit in rebus præter intentionem Dei, vt in humanis actib. peccata. Et fortasse etiam in effectibus naturalib. aliqui possunt contingere, qui licet sint præsciti à Deo, non tamen sint intenti. Respondetur in primis, respectu causæ operantis per intellectum & voluntatem non solùm requiri ad hoc quòd effectus sit casualis seu fortuitus, vt sit præter voluntatem, sed etiam vt sit præter scientiam vel opinionem operantis. Nam si ex actione mea aliquid sequatur quod ego futurum esse præuidi, non potest dici, esse mihi casuale vel fortuitum, etiam si esse possit vel non voluntarium, sed permissum tantùm, vel etiam aliquo modo inuoluntarium. Vnde Aristot. lib. 2. Magnor. Moral. c. 8. dicit, *ibi minùs esse fortunæ, vbi plus est intellectus.* Vt ergo Deo nihil casu accidat, satis est quod nihil præter eius scientiam & præscientiam eueniat. Addimus verò præterea aliud esse loqui de effectu qui est in peccato, qui semper est res aliqua, aliud de defectu, qui solùm est carentia debitæ perfectionis moralis: nam loquendo de effectu, ille non potest esse casualis respectu Dei, non solùm quia est præscitus, sed etiã quia nõ tantũ per accidens, sed per se causatur ab ipso Deo, & ita potest dici aliquo modo intentus, saltem quantũ ad voluntatem quam Deus habuit concurrendi ad illum effectum, concurrente etiam causa secunda. Et ob hanc rationem nullus effectus naturalis potest dici casualis respectu Dei, non tantùm propter præscientiam, sed etiam propter efficientiam per se, & aliquã intentionem talis effectus quam Deus habuit, hoc ipso quod voluit tales causas naturales procreare aptas ad talem effectum, & cum illis concurrere. Vnde aliqui etiam effectus qui respectu causarum particularium censentur casuales, respectu causarum vniuersalium, vt cœlorum (si per se concurrant ad talẽ effectum) non sunt casuales, vt monstra, & quædam alia quæ per accidens generari dicuntur. At verò defectus qui coniungitur effectui in peccato, vt non sit casualis, non oportet quod sit per se intentus, quia hoc est præter rationem eius, cùm nemo intendens ad malum operetur: satis ergo est vt sit præuisus, & permissus: maximè quòd à Deo semper est ordinatus ad pœnam, vel vt sit occasio alicuius maioris boni: ordinatus (inquam) non præordinatione quæ secundum rationem antecedat præscientiam, sed quæ sequatur. Atq; simpliciter loquendo nunquam potest casualis, vel fortuitus effectus talis esse respectu C Dei, vt rectè tradit D. Tho. 1. p. q. 103. art. 7. ad 2. & q. 116. art. 1. ad 2. & Aug. lib. 83. quæst. q. 24. Boet. 1. de Consol. prof. 1.

De casu, vt causam significat.

EX his quæ de effectu casuali diximus, facilè est declarare quid sit casus, vt hac voce significatur ipsa causa effectus casualis. Dicendum est enim non esse peculiarem aliquam causam per se institutam ad talem effectum, sed esse posse quamlibet causam efficientem creatam, quatenus ex accidẽte, & præter intentionẽ coniungitur cum effectu per se illius, alius effectus rarus, & omnino accidentarius. Hæc est sententia Aristotelis & aliorũ Philosophorũ in locis citatis: eáq; declarat D. Tho. 1. p. q. 16. art. 1. quia hic effectus dicto modo contingens vt sic non est absolutè ens neq; vnũ, sed secundum quid, scilicet vnũ per accidens: ergo non oportet vt habeat causam simpliciter, & per se, saltem naturalem, sed solùm per accidens: ergo casus non est determinata causa per se, sed solùm causa per accidens. Antecedens patet, nã effectus contingẽs est v. g. quòd fodiẽs sepulchrũ, inueniat thesaurum: hoc aũt non est vnum quid: & ideò

V. *Casus est causa per accidens.*

D. Thom.

ideò (ait D. Thom.) *nulla potest esse causa in natura, quæ* A *per se inclinet ad illum effectum, quia semper causa naturalis tendit ad aliquid propriè vnum.* Meritò autem loquimur de causa naturali, quia causa intellectualis potest per se intendere vt vnum id quod est per accidens, vt cõcursum illum causarum vel effectuum: & ideò inter causas intellectuales potest dari causa per se huius effectus, sicut paulò anteà de Deo dicebamus: tunc autem respectu illius causæ, effectus non erit cõtingens, quia non erit præter intentionem eius. Vnde potest in hunc modum concludi ratio, nam si casus esset causa per se, aut esset intellectualis, aut naturalis: non primum, quia causa intellectualis tunc est p se quãdo ex scientia, & intẽtione operat: effect⁹ aũt casualis est præter intentionẽ: nõ ẽt secũdũ, quia natura non inclinat ad vnum per accidens illo modo, ergo casus non est causa per se alicuius effectus.

VI. *Deus quomodo sit causa effectus casualis.*

Dices, Ergo nec Deus est causa per se effectus casualis vt talis est: consequẽs est falsum, nam esse casualem est aliquid in effectu: nihil autem est in effectu quod non sit per se à Deo? Respõdetur, esse casualem nihil rei addere effectui, sed denominatiB onẽ sumptã ex cõiunctione vel habitudine ad talem causam medio per se effectu eius. Deinde dicit, Deũ per se causare cõtingentiã effectuũ, quia ipse voluit vt tales effectus casu fierẽt, nõ tamen quòd in ratione casualium effectuum constituerentur per ordinem ad Deum: id enim repugnabat, sed per respectum ad causam creatam: quem respectum etiam Deus ipse causat, eo modo quo esse aut fieri potest.

VII. Rursus dices, Quisnam effectus est qui in huiusmodi euentibus sit omnino per accidens, & sine causa per se, cum omne id quod est per accidens, reducendum sit in causam per se. Respondetur, nõ oportere vt omnis effectus qualiscunq; sit, habeat causam per se, sed satis est, vt coniũgatur effectui per se alicuius causæ, & hoc sensu intelligendũ est, cùm dicit, reduci in causam per se. Et ita fit in præsenti, v. g. in exemplo de inuentione thesauri, quòd ibi aurũ fuerit genitum, per se fuit ab aliqua causa: ipsa item terræ fossio, per se & ex intentione fit ab homine. At verò coniunctio illa est ita per accidens, vt nullam habeat creatam causam per se, & ideò inuentio thesauri, quæ ex illa prouenit, dicitur effectus fortuitus, cuius causa per accidens partim est homo fodiens terram, partim is qui posuit aurum in illo loco: & idem est in similibus.

VIII. Vlteriùs verò est aduertendum, hos effectus per accidens & contingentes, non solùm euenire ex cõcursu causarum efficientium, sed etiam ex concursu fortuito efficientis causę cum materiali, sic enim generantur monstra, quæ rarò eueniunt ob dispositionem materię: tũc autem effectus non est casualis respectu materialis causæ, sed respectu alicuius efficientis. Quod non satis aduertit Auicenna libro primo, sufficient. cap. 13. & ideò dixit, effectus casuales non solùm esse qui rarò eueniunt, sed etiam qui ad vtrumlibet eueniunt, id est qui æquè possunt euenire, & nõ euenire alicui subiecto: vt respectu superficiei, quòd fiat alba, vel nigra. Sed hoc non rectè dicitur, nam casus non significat materialem causam, sed efficientem: respectu cuius nullus est effectus ad vtrumlibet contingẽs, nisi in causis liberis. Nam naturales sunt determinatæ ad vnum, in liberis autem talis effectus nõ est casualis ex eo capite, sed liber: erit aũt casualis si sit præter intentionem; quod nõ inuenitur ꝓpriè nisi in iis quę rarò coniunguntur effectibus per se intentis. Indifferentia aũt potentię materialis nihil refert vt effectus dicatur casualis, tum quia non sequitur effectus ex vi illius, tum etiã quia ex parte eius non est effectus per accidens, aut præter intentionem: nam hoc propriè pertinet æd causam efficientem, vt per se constat.

Auicenna.

IX. *Quidnam sit fortuna.*

Vltimò ex his facilè constat quid dicendum sit de fortuna, de qua multa fabulati sunt Gentiles, qui ignorantes causam multorum casualium effectuum, qui hominibus eueniunt, Deam quandam finxerũt, quam fortunam appellarunt, quæ esset horum effectuum, causa. Sed huiusmodi commentum impugnarunt inter alios D. Augustinus lib. 4. de Ciuit. c. 18. & Lactant. lib. 3. de ver. sapient. c. 28. & 29. & legi potest Albert. 2. Physic. tract. 2. c. 10. & Scotus in quodlibet. quæst. 21. Dicendum est ergo effectum fortuitum formaliter eiusdem rationis esse cum casuali, solùmq; differre, quia fortuitus dicitur specialiter in humanis rebus, seu respectu agentis à proposito ex ratione & intentione propria & elicita. Vnde fortuna causa est etiam per accidens eiusdem rationis cum casu, solùmque determinatè dicit vt sit causa agens à proposito quæ sit per accidens respectu effectus præter intentionem subsecuti. Vnde fieri potest vt idem effectus sit fortuitus & casualis, seu à fortuna & casu respectu diuersorum, vt inuentio thesauri est fortuna respectu hominis fodientis terram, casus verò respectu causæ naturalis generantis aurum. Quod si non fuit ibi genitum, sed ab alio homine repositum, etiam ille est causa vt fortuna: tamẽ respectu illius dicetur mala fortuna, respectu alterius bona; hæc enim nomina non significant diuersas causas per se, aut diuinas, sed denominationes sumptas ex effectibus prosperis vel aduersis. Atque ita explicuit rationem fortunæ Arist. 2. Phys. c. 5. & lib. de bona fortuna. Aristot.

X. *Fortunæ effectus diuinæ subiacent voluntati.* D. Auguſt.

Solùm sunt duo aduertenda. Vnum est fortunam ita esse sumptam ab aliquibus Philosophis, ac si effectus eius nulli omnino prouidentiæ subessent, & à nulla causa etiam suprema essent intenti, præuisi, aut ordinati. Et hac ratione reprehẽdit se ipsum aliquãdo D. Aug. vt 1. retract. c. 1. quòd vsus fuerit nomine fortunæ: nos verò omnem fortunam subiicimus diuinę prouidentiæ, quia nihil nobis casu accidit, q⁹ à Deo nõ sit vel ordinatũ, vel permissum, vt suprà declaratũ est: & elegãter dictũ est ab Aug. lib. 3. de Trin. c. 4. his verbis. *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non* C *de interiori inuisibili, at q; intelligibili aula summi imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, at q; pœnarum, gratiarum, & retributionum in ista totius creaturæ amplissima quadam immensáq; republica.* Idemque attigit lib. 83. quæ. in 24. Alterum obseruandũ est quosdam effectus in nobis fieri quos putamus fortuitos, eò quòd illorum causam ignoremus, cùm tamen non sint effectus, qui per accidens à nobis eueniant, sed per se in nobis fiant ab aliqua superiori causa, vt quòd aliquis nihil tale intendens aut præcogitans, aliquem bonum motum animi in se sentiat; vel quòd aliquis incessurus per hanc viam, quasi rapiatur desiderio & voluntate incedendi alia via, & ita effugiat hostium insidias, appellatur ab hominibus fortuna: habet tamen ille effectus causã per se intendentem illum, nempe Angelum aliquẽ, vel Deum ipsum. Et ideò dixit Aug. 1. retract. c. 1. & Auguſt. lib. 1. contr. Academicos vulgò appellare fortunam quæ occulto ordine regitur, & rationem & causam secretam habet. Quod etiam attigit Philosoph. lib. de bon. fortuna c. 2. Atq; hactenus de fortuna & de efficientibus causis creatis.

Auguſt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DISPVTATIO XX.

De prima causa efficiente, primáq; eius actione, quæ est creatio.

DE Deo glorioso duplex est in Metaphysica consideratio: scilicet quatenus est prima causa, & quatenus est primũ ens: & quamquam hæc posterior ratio secundum se sit prior, altera tamẽ quoad nos, & iuxta doctrinæ ordinem quem prosequimur, venit consideranda priùs, tum quia per effectus venimus in cognitionem Dei, tum etiam quia ad integram considerationem causarum entis vt sic, necessaria est præsens disputatio. Igitur de prima causa secundum se, & secundum eas perfectiones, quæ ipsi insunt, nihil nunc dicemus, imò neque de existentia eius; sed supponimus nunc esse Deum, quod infrà demonstrabimus. Supponimus item ipsum non habere causam, quia necesse est sistere in aliquo ente non facto, cùm non possit in infinitũ procedi. Dicemus ergo de efficientia huius primi entis in alia, & de dependentia aliorum ab ipso. Quæ triplex esse aut considerari potest, scilicet in fieri, in conseruari, & in operari: & de his tribus dicemus in hac & duabus disputationibus sequentibus. Dependentia autem in fieri potissimum in creatione consistit, tum quia hæc est propria dependentia entis in quantum ens, quam hîc inquirimus, tum etiam quia in hac actione consistit primum fieri (vt ita dicam) entium factibilium: & ideò de hac actione dicemus in hac disputatione: nam alij modi quibus prima causa potest res producere, & difficultatem non habent, & attingentur satis in disputationibus sequentibus.

SECTIO I.

An possit ratione naturali cognosci, creationem aliquorum entium esse possibilem, an etiam necessariam: vel (quod idem est) an vnum ens in quantum ens possit essentialiter dependere effectiuè ab alio ente.

I. D.Tho.1.p. q.45.art.1.

SVpponendum in primis est quid significet nomen creationis: nam quid res ipsa sit, posteà declarabitur. Significat ergò creatio effectionem alicuius rei ex nihilo, vt Theologi definiunt. Illa autem particula *ex nihilo*, vt distinguat hanc actionem ab aliis, excludit omnem concursum causæ materialis, & dependentiam rei quæ creatur, ab aliquo subiecto, vt rectè exponit Anselm. in Monolog. cap. 8. ita vt idem sit dictũ *ex nihilo*, quod *ex nullo subiecto*: atque ita distinguitur hæc actio ab alia quæ est per eductionem de potentia subiecti. Hæ namque duæ actiones adæquatè diuidunt omnem efficientiam: & ideò sicut per illam particulam sufficienter distinguitur creatio ab eductione, ita sufficienter etiam per illam explicatur ratio creationis. Vnde inferunt Theologi, quidquid creatur, debere esse subsistens, aut fieri per modum subsistentis, quia oportet vt fiat extra subiectum seu sine dependentia à subiecto. Quod autem existit sine depẽdentia à subiecto, subsistit, vel habet se ad modum subsistentis: quod dico propter accidens, si fieret à Deo separatum à subiecto, quod verè crearetur, quia haberet modum essendi subsistẽtiæ similem. Anima verò rationalis etiam si in corpore fiat, verè tamen fit ex nihilo, quia non fit ex ipso corpore: non enim ex eius potentia educitur, neq; ab eo pendet in suo esse: & ideò verè etiam subsistit dum in corpore fit, vt infrà dicemus, tractando de subsistentia.

D.Tho.supra art.4.

Rationes dubitandi.

II. Prima.

SIc explicata voce creationis videtur non posse cognosci, ratione naturali creationem esse possibilem: primò, quia quod Aristoteles, Plato, & alij graues Philosophi non cognouerunt, verisimile est cognosci non posse naturali lumine: sed illi Philosophi ita ignorarunt creationem vt tanquam primum principium ac per se notum haberent ex nihilo nihil fieri, vt constat ex Aristotele in 1. Physicorum: ergo.

III. Secunda.

Secundò de nullo ente potest demõstrari esse creatum: ergo nec potest demonstrari creationem esse possibilem. Antecedens patet, quia omne ens aut est subsantia, vel accidens: accidens autem si sit in subiectò nec creatur, nec creari potest, etiamsi maximè supernaturale sit, vt suprà ostensum est: accidens autem esse & fieri separatum à subiecto non potest interuenire naturali ratione. Substantia deinde aut spiritualis est, aut materialis: illa prior vix potest per rationem naturalem inuestigari an sit, nedũ demonstrari qualis vel vnde sit: ergo nõ potest cognosci euidenter quòd sit aliqua substantia spiritualis facta ab alio; & consequenter nec demonstrari poterit creationem esse necessariam vel possibilem propter hãs substantias. Substantia autem materialis semper fit ex materia: quod autem materia ipsa sit facta, aut efficientia alterius indigens vt esse possit, non potest demonstrari; vnde Plato & multi Philosophi posuerunt illam æternam & improductam: neque appareat naturale medium quo oppositum demonstrari possit. Nam si quod esset, maximè imperfectio, & potentialis materiæ: Sed cur dici non potest materiam ex se habere hanc suam entitatem, qumuis minimam & imperfectam? Neque enim est per se notum hanc imperfectionẽ potentialitatis passiuæ habere necessariam cõnexionem cum alia imperfectione potentialitatis obiectiuæ, quam includit res effectione vel creatione indigens.

IIII.

Tertiò, ad creandum requiritur virtus infinita; sed non potest demonstrari esse possibilem virtutẽ actiuam infinitam: ergo neq; esse possibilem creationẽ. Maior declaratur à posteriori, quia aliàs creatura posset habere virtutem creandi, quia si non repugnat ob infinitatem virtutis, non est cur repugnet: consequens autem per se satis absurdum est. Minor verò probatur, quia nullum est naturale medium demonstrandi virtutem infinitã in agendo: Aristoteles enim ex motu conatus est id demonstrare, non est tamen assecutus, vt infrà ostendam: est autem eadem ratio de quacunq; alia naturali ratione. Vnde multi ex creatione conantur demonstrare esse aliquam virtutem infinitam in agendo: sed hic est circulus vel petitio principij in hac re de qua disputamus.

V.

Quartò, repugnat ens in quantum ens fieri: ergo repugnat aliquid creari: consequentia constat ex definitione creationis: quia si aliquid fit ex nihilo, fit per se primò secundũ totã rationẽ entis, ergo fit per se primò, in quãtum ens. Antecedens probatur primò, quia si ens in quantũ ens, esset factibile, omne ens esset factibile: quia quod conuenit alicui rationi per se primò & secundũ quod ipsa, conuenit omni ei in quo talis ratio inuenit, hoc autẽ est planè falsum, quia

quia necesse est dari aliquod ens, quod fieri non possit: aliàs procederetur in infinitum in producentibus & productis, quod est impossibile. Secundò probatur idẽ antecedens, quia ens in quantum ens abstrahit ab entitate secundum esse existentiæ, & secundũ esse essentiæ: impossibile autem est fieri aliquod ens secundũ totum hoc esse: ergo impossibile est fieri in quantũ ens. Vnde etiam fit, esse impossibile fieri ex nihilo, quia impossibile est fieri secundum esse existentiæ quin supponatur secundum esse essentiæ: q esse non est omnino nihil: nam per illud distinguuntur res veræ à fictitiis, & chimericis: ergo.

Opiniones variæ.

VI. Cont. Gabriel. Vasquez.

IN hac re fuit multorum Theologorum opinio non posse demonstrari rem aliquam esse factam, vel fieri posse per creationem. Ita tenet Greg. in 2.d. 1.q.2. versus finem, & inclinat ibid. Gabriel. quæst. 2.artic.2. Tenet Bassolis in 1.d.1.q.1.artic.3. Qui authores à fortiori supponunt non posse demonstrari omne ens distinctum à Deo, esse factum ab ipso, aut non posse esse plura entia realia improducta. Quãtuis enim admissa creatione aliquorum entium, non statim euidenter inferatur esse impossibile dari duas naturas increatas, vel omne ens distinctum à Deo esse ab ipso factum, sed hoc propria demonstratione indigeat: tamen si creatio non esset possibilis, impossibile omnino esset omnia entia distincta à Deo, facta esse ab illo, quia euidẽs est multa esse entia, quæ non possunt fieri nisi per creationem, si fieri debeant: Vt res omnes spirituales, quæ cùm materiam non habeant, non possunt fieri ex præsupposito subiecto: item cœli, si supponamus eos non posse fieri per generationem, sicut natura, operatio, motus, & quidquid de illis experimur, satis videntur ostendere: item materia prima, quæ ex priori materia fieri non potest.

VII. D.Thom. Scotus. Ariminen.

Secunda sententia est, hanc veritatem posse demonstrari ratione naturali. Hęc est communior sententia Theologorũ, quã tenet D.Tho. in 2.d.1.q.1.a. 2.idemq; supponit in 1.p.q.44.a.1.& q.45.a.2. tenet etiam Alensis.2.p.q.6.a.6. Scot.in 1.d.8.q.1. Argentin. in 2.d.1.q.1. Heruæus quodlib.2.q.1. Henric. quodli. 8.q.6. Estq; hæc sententia conformior diuinis Scripturis: illæ enim docent ex hoc mundo visibili posse ostendi Deũ esse, quia ipsæ creaturæ clamant habere se aliũ authorẽ, vel factorẽ: quæ loca expendemus inferiùs cũ demonstrauerimus Deũ esse. Sancti etiam Patres eodem modo loquuntur, quos infrà eodem loco referam. Estque sine dubio hæc vera sententia, quæ non potest meliùs probari, quã afferendo media quibus hæc veritas demonstrari potest.

Resolutio quæstionis.

VIII. DVo igitur probare possumus: vnum est creationem esse possibilem: aliud est creationem actu esse, vel factam esse, vel exerceri in vniuerso ab aliqua causa efficiente. Ex quibus eliciemus tertium, nimirum dari in vniuerso, esseque necessariam vnam primam causam ad quam omnia alia entia quæ habent esse reducantur per creationem, tanquam ad primam originem sui esse.

Esse possibilem creationem, ostenditur.

IX. PRimò ergo creationem esse possibilem probare possumus à priori, si aliunde supponamus probatum Deum esse, & summè perfectum esse, quantum in latitudine entis esse aut intelligi potest. Nam, vt infrà citato loco dicam, quamuis absolutè nos nõ possimus cognoscere Deum vel perfectiones eius à priori, tamen supposito aliquo principio vel attributo à posteriori demonstrato, ex illo possumus colligere à priori aliud, vt immortalitatem ex immaterialitate. Sic igitur in præsenti supponimus demõstratum dari vnum supremum ens perfectissimum: imò etiam potentissimum, vt infrà probabimus, non ex creatione, ne petamus principium, sed ex aliis mediis. Iam igitur argumentor in hunc modum, nam effectio per creationem non est ita impossibilis, vt in se inuoluat repugnantiam aut contradictionem: ergo nec potẽtia ad agendum hoc modo est in se impossibilis, aut repugnantiam aut imperfectionem inuoluens: ergo talis potentia est de facto in aliquo ente, saltem in primo: ergo ex vi illius est possibilis creatio. Hæc vltima consequentia clara est, distinguere autem oportet illam vocem seu denominationem possibilis: vno enim modo negatiuè sumitur, prout idem est quod nõ repugnãs: alio modo positiuè pro eo quod potest esse aut fieri, quo sensu dicit denominationẽ ab aliqua potentia vel actiua, vel passiua. In antecedenti ergo sumitur possibile priori modo, in cõsequenti verò posteriori: nã vt creatio sit possibilis duo necessaria sunt & sufficiũt, vnũ, vt in se non repugnet, aliud, vt per aliquã potẽtiam sit possibilis: & ita supposito antecedenti consecutio est euidens.

X.

Primum autem antecedens probatur primò, quia nulla ostendi potest repugnantia, in eo quod aliquid ex nihilo fiat, in vero sensu à nobis declarato. Nõ enim fingendum est, vt quidã putarunt, ipsum nihil futurum esse materiã ex qua tale ens fiat, quod planè repugnat: nã illa particula *ex* non dicit tibi habitudinem materialis causæ, sed termini à quo: sic autẽ nulla est repugnantia, vt id quod ex se nihil erat, incipiat esse aliquid per effectionem alterius. Quod si velimus illam particulam *ex* iuxta habitudinem materialis causæ interpretari, non positiuè, sed negatiuè exponenda est, vt id dicatur fieri ex nihilo, quod non ex aliqua materiali causã fit: in quo etiam nulla potest repugnantia ostendi: cur enim, sicut fit aliquid in actu quod priùs erat possibile per potentiam actiuam & passiuam simul, non poterit etiam fieri in actu aliquid, quod fit possibile per solam potentiam agentis, eminentiorem, magisq; efficacem?

XI. Obiectioni satisfit.

Dices, Sicut repugnat aliquid fieri in actu quod priùs esset possibile per solam potentiam passiuã sine actiua, ita è conuerso repugnat fieri in actu aliquid, quod tantùm sit possibile per potentiam actiuã sine passiua: cur.n.non potest esse effectus à potentia patiente sine agẽte, si esse põt ab agente sine recipiente? Respõdetur satis perspicuã esse rationẽ diuersitatis: nã actio vt actio, dicit essentialem ordinem ad efficiens, & ideò implicat contradictionem esse actionem sine agente: actio verò vt actio non dicit essentialem ordinem ad passum, neq; ad passionem, loquendo de actione in tota sua latitudine, sed dicit habitudinem ad effectum, qui per illã fit, & dependet ab agẽte causa. Et similiter potentia passiua dicit adæquatã habitudinem ad actiuã, quia non potest recipere aliquid nisi ab aliquo illud recipiat: potentia verò actiua nõ dicit adęquatã habitudinẽ ad passiuam, vt infrà suo loco latiùs dicemus, quia non est de ratione potentiæ actiuæ, vt possit agere in aliquo, sed vt possit agere aliquid: & ideò potest aliquid esse possibile simpliciter per solam potentiam actiuam, non verò per solam potentiã passiuã. Præterea passiua est imperfecta: & sola non est simpliciter potens ad effectũ, nisi perfi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perficiatur per actiuam: actiua verò est ex suo genere perfecta: & ideò ex se nullam inuoluit repugnantiã vt aliqua potentia actiua sit in suo ordine adeò perfecta, vt se sola, & sine depẽdẽtia à passiua, in sese virtute contineat & effectum, & actionem. Et ita simul probata est prima consequentia, quę etiam est euidentissima supposito antecedente. Quæ enim maior repugnantia excogitari potest in huiusmodi potentia, quam in dicto modo efficiendi? aut quænã imperfectio, & non potiùs maxima perfectio?

XII. Et vtrumq; confirmari potest, si per illud *ex nihilo* intelligamus significari, vt tota res quæ per se primò sit vt adæquatus terminus actionis, qui vocatur vt q, omnino & secundum totam suam entitatem fiat, nulla eius parte, aut re præsuppositа: omnes enim hi sensus veri sunt, & eodem deuoluuntur. Sed in hoc ẽt indicatur magna perfectio ex parte virtutis actiuę, & nulla est repugnantia ex parte effectus vel effectionis eius. Nam quod res tota quę non erat secundum se totam accipiat esse, quænam implicatio est? Certè ex terminis nulla appareret maior, quam in eo quòd res quę tantùm erat inchoata secundum vnam partem, perficiatur per adiectionem alterius partis quę priùs nõ erat, nisi quod illud prius requirit maiorem vim in agendo. Nõ est ergo in huiusmodi potentia vel effectione aliqua repugnantia, sed tantùm maior perfectio. Solùm posset quis hæsitare qualis possit esse hæc actio sine subiecto: aut quomodo id non repugnet. Sed hoc explicabimus facilè in sequẽtibus, satis enim nũc est, quod in eo nulla ostenditur repugnantia. Eò vel maximè quod aliqui intelligunt creationem absque transeunte actione.

XIII. Supereſt probanda secunda consequentia, in qua est vis illius rationis, nimirum hanc potentiam ponendam esse in rerum natura saltem in primo ente, si in se nõ inuoluit repugnantiam vel imperfectionẽ. Hoc aũt probari põt primò ex illo generali principio, quod in primo ente est formaliter omnis perfectio simpliciter simplex, quod demonstrabimus infrà tractando de perfectione primi entis: Nam huiusmodi potentia ex proprio obiectiuo cõceptu dicit pfectionem simpliciter simplicem, dicit.n. perfectionẽ ex se non repugnantẽ, neq; inuoluẽtem impfectionẽ. Ex quo planè fit vt in latitudine entis melius sit habere illam, quàm non illam, in quo cõsistit C ratio perfectionis simpliciter: ergo talis potentia necessariò tribuẽda est primo enti. Idem ferè argumẽtum est, quòd hæc potentia necessariò includitur in omnipotentia, quia omnipotentia se extendit ad omne possibile, id est ad omne ex se non repugnans: sed de ratione primi entis est vt habeat omnipotentiam: ergo & quod habeat hanc potentiam. Totum antecedens demonstrandum est infrà tractando de attributis primi entis.

XIV. His accedunt rationes aliæ per se valde probabiles: nam hic modus agendi sine dependentia ab alia causa extra se siue efficiente, siue materiali, est valde consentaneus essentiali perfectioni primi entis. Primò quidem, quia modus agendi est proportionatus modo essendi: sed modus essendi primi entis est cum omni independentia: ergo modus etiam agendi proprius eius erit independẽs ab omni causa etiam materiali. Secundò, quia virtus actiua definita ad agẽdum in subiecto & ex subiecto, est valde contracta & limitata: ergo non est attribuenda primo enti, quia non est vnde possit in illo habere talem limitationem: nam virtus agendi est proportionata essentiæ: sicut ergo essentia primi entis eò quòd purus actus sit, non est vnde habeat limitationẽ, ita neq; virtus eius. Tertiò, quia rationi consentaneum est vt in Deo sit potentia altioris rationis, quàm in omni alio agente naturali seu creato: sed alia omnia indigent subiecto ad agendum: ergo diuina potentia non debet esse ita indigens: sed quò perfectior est, eò liberior debet esse ad agendum: maximè cùm ille excessus sit in gradu & in omni perfectione possibili.

Creationem esse de facto ostenditur. XV.

SEcundò addendum est (quo euidentiùs confirmabitur præcedens conclusio) creationem necessariam esse in entibus quę nunc sunt, ita vt sine illa esse non potuerint. Probatur primò inductione incipiendo à rebus materialibus. Et in primis inquiro de corporibus cœlestibus an facta sint, an infecta. Hoc posterius dici non potest primò propter rationem communem omnibus rebus finitis, de qua statim: deinde quia res multò nobiliores cœlis nõ sunt absque efficientia, vt patet maximè de homine. Item quia cœli adeò sunt imperfecti vt indigeant motu ad complementum suarum actionum, & præterea extrinseco motore qui illos moueat: eò quòd ex se mo- B tum illum habere nõ possint: ergo multò minus verisimile est ex se habere esse. Item videmus cœlos in omnibus suis virtutibus, sitibus, aspectibus, & motibus, ita esse constitutos, sicut expediebat ad conseruationem inferiorum rerum, & earum generationes & corruptiones: ergo est euidens argumentum non esse à se, sed condita fuisse à communi omnium authore. Quam rationẽ latiùs prosequemur infrà demonstrando Deum esse. Si autem cœli facti sunt, interrogo rursus an constent ex materia elementorũ, & ideò ex illa sint facti: & sic eadem ratio erit de illis quæ de rebus generabilibus, an verò constent ex materia altioris rationis: vel sint simplicia entia: & sic concluditur nõ nisi per creationem factos esse, quia si sunt simplicia, nullo modo potuerunt aliter fieri, vt per se manifestum est. Si verò constant superiori materia, ideò est quia sunt ingenerabiles: ideòq; per solam creationem fieri potuerunt. Adde quòd rationes quibus statim probabimus materiam rerum generabilium non posse esse infectam, æquè probant de materia cœlestium corporum.

Venio ergo ad inferiorem mundum quatenus ele- XVI.
menta & mista complectitur: & interrogo an hæc moles facta sit necne; non potest dici non facta, quia omnes species rerum quæ in illa sunt, in suis individuis fiunt: ergo in nulla specie illarum rerum potest esse aliquod individuum non factum, sed ex se habens esse; nam hæc esset magna differentia, & maximè essentialis inter tale individuum, & alia, & consequenter non essent eiusdem speciei. Vnde sicut Aristot. sæpè contra Platonem argumentatur, nõ dari hominẽ separatũ ab individuis, quia ille esset incorruptibilis, hęc verò corruptibilia, & ita nõ esẽt eiusdem speciei: ita nos dicimus, nõ dari hominẽ singularẽ, qui ex se habeat esse sine efficientia alicuius causæ, alias non esset eiusdem speciei cum aliis hominibus: & idem argumentũ est de reliquis speciebus, atque adeò de tota hac mole corporea elementariũ rerum. Nam licet elementa dici soleant à Philosophis incorruptibilia secũdum se tota, & corruptibilia secundum partes, non est id intelligendum de incorruptibilitate intrinseca per constitutionem naturæ, nam hoc modo eadem est natura totius & partium, præsertim homogenearum: sed de incorruptibilitate ex virtute & modo agendi naturaliũ causarũ, quia sic

sic nunquam possunt elemẽta secundum se tota corrumpi: absolutè tamen generabilia sunt, & ita nõ potuerunt ex se habere esse sine effectione: non est ergo non facta hæc corporum moles. A

XVII. Rursus ergo interrogo an facta sit ex nihilo, vel ex materia: si primum, habetur intentum: si secundũ (quod omnes ferè Philosophi existimarunt) interrogo rursus an materia ipsa facta sit, nec ne. Et quidem Philosophi ferè omnes materiam negarunt esse factam, sed asseruerunt esse coæternam Deo, & ex se ac omnino necessariò habentem esse. In quo errore fuisse Stoicos, & Pythagoreos, & Platonem ipsum, & Hermetem Trismegistum refert Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 1. & 8. & libro contra Valentin. cap. 15. & 16. & significat Irenæus libro 2. cap 19. Epiphan. verò hæres. 7. etiam Peripateticos adiungit. & Lactantius libro 2. de origine erroris dicit, & Poetas & Philosophos idem sensisse, & specialiter designat Academicos, & maximè Ciceronem libro de natura Deorũ. Quos Philosophos hæretici multi imitati sunt, vt Hermogenes, Manichæus, & alij, vt constat ex Tertulliano suprà, & Augustino libro de hęresib. in 46. & 59. & Gregor. Nissen. lib. de opi- B ficio hominis cap. 23. & Euseb. libro sept. de præparat. Euang. c. 8. & 9. vbi etiam Sabellio hunc tribuit errorem.

Materiã non factam, sed Deo coæternam qui asseruerint. Plato. Trismegist. Pythagorici. Tertull. Irenæus. Epiphan. Lactant. Cicero. Augustin. Greg. Nissen. &c.

In cęlestibus corporibus probatur conclusio.

XVIII. Veruntamen hoc esse alienum ab omni ratione naturali, præter dicta in priori assertione, & præter ea quæ communia sunt omnibus entibus creatis, ostendi potest primò ex imperfectione materię primæ, nam cùm illa sit infima omnium substantiarum etiam corruptibilium, incredibile est illam habere hanc perfectionem summã, quæ est ex se habere esse, cuius perfectionis aliæ species omnes rerum generabilium, & formæ illarum non sunt capaces. Vnde sumi põt secunda ratio, nã si materia est coęterna Deo, & ex se habens esse, vel vt sic fuit carens omni forma substãtiali, vel ex se habuit aliquã. Primum dici non põt, quia repugnat naturę materię, nã licet nõ implicet contradictionem, tamen est alienum à naturali ordine rerum, & ideò verisimile non est materiam ex se habere suam entitatem, & tamen habere illã in statu præternaturali, & absq; vlla formali perfectione, & consequenter absq; vsu vel vtilitate. Si aũt habuit formam aliquam ex se: ergo iam non sola mate- C ria, sed quædam substantia integra est ex se habens esse. Ex quo vlteriùs fit, totam illam substantiam esse simpliciter necessariam, & tam nõ posse nõ esse quã ipsam materiam primam, quia q, est independens ab alio in suo esse, non potest illud amittere. Vnde ẽt fiet illam materiam non posse deseruire ad alias generationes, quia semper manebit sub illa forma.

Materia non potuit fieri ex priori materia.

XIX. Dicet forte aliquis, materiam ex se habere suã entitatem perpetuam; & formam etiam habuisse perpetuam, non tamẽ ex se, sed à Deo. Sed hoc etiã dici non potest, tum quia repugnãtiam inuoluit, quòd ex se habeat esse, & non quidquid necessarium est ad esse: tum etiam quia aliàs illa forma ex necessitate naturæ manaret à Deo: nam si fieret liberè, vnde cõstaret esse æternam? est autem contra rationẽ naturalem dicere, Deum agere extra se ex necessitate naturæ. Et præterea sequitur, qua necessitate agit Deus illam formam, eadem conseruare illam: & cõsequẽter materiam ex necessitate semper esse sub illa forma, ideòque minimè posse ad rerum generationes XX. vel corruptiones deseruire.

Relinquitur ergo, materiam, cùm ex se non sit, indiguisse aliquo principio efficiente à quo facta sit: non potuit autem nisi per creationem fieri, quia non potuit fieri ex priori materia: ergo necessaria est omnino creatio alicuius rei, vt hæ res materiales possint existere. Dices. Non potuit effectio materiæ esse creatio, quia creatio est rei subsistentis vt diximus, materia autem non est res subsistens, quia non est id quod est. Respondent aliqui, materiam, licet non propriè creetur propter dictam rationem, creari tamen saltem impropriè seu largo modo. Dico autem duobus modis posse intelligi materiam fieri: primò per se solam ac separatam à forma: & tunc sine dubio crearetur propriissimè: nam & esset subsistens, & fieret per modum totius, quamuis ipsa de se sit pars, anima enim rationalis etiam est pars, & tamen propriissimè creatur. Imò si quantitas fieret separata, ,ppriè crearetur ex omnium sententia. Alio verò modo fieri potest materia (& ita credimus esse factam) existens sub aliqua forma: & tunc, propriè loquẽdo, totum compositum ex materia & tali forma dicitur creari, quia illud propriè est: fieri autem ei propriè tribuitur, cui & esse: tunc autem materia dicitur cõcreari, quod satis est ad demonstrationem quam intendimus: nam illi actioni quatenus per eam fit totum, & nihil ei præsupponitur, conuenit ratio productionis ex nihilo. Si autẽ accuratè velimus distinguere illam actionem compositam in plures partiales quibus constat, inueniemus totam rationẽ creationis quæ in illa est, prouenire ex ea parte quæ est effectio materiæ ex nihilo, vt suprà tactum est explicando eductionem formæ ex potentia materiæ. Atque ita Patres & Doctores Ecclesiæ absolutè & sine vllo addito docent ac demonstrant materiã esse creatam à Deo, vt videre licet in Tertulliano, Irenæo, Lactantio, Euseb. Epiphan. Gregor. Niss. & August. Lactant. August. Athanas. locis paulò antè citatis. Et Augustino etiam lib. 1. Genes. ad liter. c. 14. & 12. Confess. cap. 4. & Ambros. lib. 1, Hexam. cap. 1. & Athanas. lib. de Incarnat. Verb. in princip. & aliis passim.

Supererat dicendum ad complendam hanc induc- XXI.
tionem de intelligentiis, seu rebus immaterialibus. Veruntamen de illis nullum fieri potest speciale argumentum, pręter illud vniuersale sumptum ex hoc principio, quòd repugnat dari plura entia improducta, & quòd ens improductum seu à se, est infinitè perfectum in genere entis; quia neq; speciales rationes, neque differentiæ, neque aliqui effectus propriį intelligentiarum nobis innotescunt ex quibus demonstremus illas habere esse ab alio, & non à se. Loquor autẽ de demonstratione simpliciter, quia nonnulla coniectura sumi potest ex motu cœli, vt infrà ostendam; demonstrando Deum esse. Vbi etiam illud principium ex professo demonstrandũ est: nunc autem supponatur. Ex eo autem quod intelligentiæ habent causam efficientem, euidenter infertur necessariam esse creationem vt illę sint: quia cùm non habeant causam materialem, vt suprà tactũ est, non possunt per alium modũ productionis fieri. Quod optimè cõfirmat productio animæ rationalis, quæ esse nõ põt nisi creatio: quia nõ est eductio de potẽtia materię, vt suprà ẽt probatũ est. Quę ratio ,pbat necessariã esse creationẽ vt homines generentẽ, quia semper admiscetur (vt ita dicam) eorũ generationi. Vnde tam frequẽs est creationis vsus, quàm humanæ generationis. Nisi quis ita desipiat, vt dicat animas rationales pręexistere ante corpora, q, esset error nõ solùm in fide, sed ẽt contra rationem naturalem, vt suo loco ostẽdẽdũ est, quia ad præsens nõ refert. Nã etiamsi animę essent ante corpora, non tamen essent

à se,

Universidad de Deusto
Biblioteca

à se,& sine efficiente: quia, præter alias rationes ta- A ctas, cùm anima sit naturalis forma corporis,si ex se necessariò esset, ex æternitate existeret informando corpus: nam res quæ ex se habet esse, non potest habere illud in præternaturali statu, & quasi violento, qualis est status animæ extra corpus. Igitur siue anima incipiat cum corpore, siue ante illud, necessariũ est habere causam efficientem, & consequenter fieri per creationem.

Demonstratur prima causa creans.

XXII. TErtiò dicendum est (& colligitur ex dictis) necessariam esse in vniuerso vnam primam causam efficientem,quæ per creationem res alias effecerit. Hoc satis patet ex discursu facto in præcedente assertione. Et necessitas huius primæ causæ efficientis respectu cæterorum omnium entium demonstranda est latiùs in citato loco. Quòd autem, hac necessitate supposita, non potuerit illa prima causa absque creatione originem dare cæteris rebus, constat ex definitione creationis suprà datæ; quia non potuit prima causa ex aliqua materia res producere, quia non omnes res productæ habent materiam, & B in his quæ illam habent, ipsa etiam materia debuit produci. Solùm est aduertendum,species rerum generabilium potuisse fieri in suis primis indiuiduis ex materia prius tempore existente; & tunc non fierẽt per creationem in toto rigore; quatenus tamen necessariò supponũt creationem materiæ, eatenus dicimus esse necessariã creationem ad earum productionem. Et hac ratione nomen creationis, præsertim in vsu sanctorũ Patrũ, extendi sæpè solet ad nouam productionem ex præiacente materia creata, vt patet ex Aug.lib.1.con.adu.leg.& Proph. c.24.

Soluuntur argumenta,& quid Philosophi de creatione senserint.

XXIII. ADargumenta respondendo, in primo eorum petitur vt explicemus quid in hac veritate Philosophi senserint; & præsertim Aristot. De qua re multa disputauit Eugubinus lib. 7. Peren. Philosop. cap.3.& sequentibus.Sed quod ad alios Philosophos attinet,docent quidem illi sæpè mundum hunc creatum fuisse ab aliquo primo authore,tamen si rectè expendantur,non illi attribuunt veram creationem, C sed formationem ex præiacente materia,quam etiam *chaos* appellarunt,vt constat ex iis quæ referunt Tertullianus, & alij authores suprà citati, & Lactantius lib.7.c.3.Et hoc quidem illi explicarunt de effectione huius mundi sensibilis.De mundo autem superiori & intelligibili, id est de Angelis obscurissimè locuti sunt: nec mirum, nam cùm non potuerint illos ex chao formare, non apparet quo modo potuerint illos à Deo productos constituere: nisi fortasse illos etiam materiales fecerint, quãuis corpore subtiliores:nam illi pro comperto habebant, Deũ nihil posse producere,nisi vt artificem qui ex præiacente materia operatur. Et hoc significauit Anaxagoras, quẽ Arist.1.Met.c.6.tex. 18.laudat, eò quod dixerit omnia esse permista præter mentem: eamq; solã esse puram, & omni permistione liberam. Vnde & Galen. lib.de vsu p.c.10.reprehendit Moysem,quod dixerit, Deum imperio suo omnia produxisse.

Vide Aug. lib.11. de Ciui.c.4. & lib. 12..c 17. Lactantius.

XXIV. Aliis verò prætermissis,de Aristotel. multi cẽsent, illum non agnouisse creationem, vt Greg. in 2.dist. 1.quæst.1. & Henric.quodlibet.8 quæst.9. & Iandun. 2. Metaph. quæst.5. Marsil. in 2. q. 1. art.2.& Bessario lib.2. contr. calumniat. Platon. c.6. & idem videtur

Aristot. quid senserit. Gregor. Henric. Iandun. Marsil. Bessari. Plato.

Commenti. Simplicius. sentire Comment. 8.Physic. comm.4. & ibid. Simplicius. Et habet hæc opinio non parua indicia in principiis Aristotelis. Primò quia vbiq; admittit,& supponit illud principium, *Ex nihilo nihil fit.* Secũdò, quia omnes actiones definit per ordinem ad potentiam passiuam: & omnem actionẽ sentit habere cõiunctam passionem, & motum vel mutationem,vt constat ex 3.Physic.à principio. Quod si dicatur, Aristotelem illis locis loqui tantùm de actione & efficientia naturalium causarum:adhuc obstat,quia nũquam,etiam in Metaphysica, ad alium actionis modum doctrinam suam extendit. Quin potiùs 5. Met. c.12. definit potentiã actiuã per ordinem ad passiuã, dicens esse potentiam transmutandi aliud in quãtũ aliud: & c.21. eodem modo definit causam efficientẽ per ordinem ad motum: non ergo agnouit alium efficiendi modum. Quod etiam confirmat,quia res incorruptibiles posuit æternas, sentiens esse per se necessarias: & ideò 2.Met. c. 1. in plurali ait *Principia sempiternorũ non habere causas:* per sempiterna autẽ intelligere videtur motus cœlorum, & perpetuam seriem generationum & corruptionum: quorũ principia sunt cœli & intelligentiæ.

XXV. Alij verò existimant, Aristotelẽ cognouisse creationem, & Deum esse creatorem omnium.Ita sensit Auerroes 2. Metap. comm. 4. & 12. Metaph. comm. 44. & lib. de substan.orbis c.2.& Alex. Aphrodis.his locis,& D. Tho.ibid.& 1.p. q.44. & 2. contr. Gent. c.15.& q.3. de potentia,art.6. & 8. Physic.lect.2.Scot. in quodlib.q.7. & in 2.d.1.q.3.Thom.de Argen. q.4. Heruæus tractat. de æternit. Mundi, q.4.& alij.Et probatur, nam 2. Metaph. c. 1. dicit dari aliquod ens verissimum & perfectissimum omnium, quod sit causa cæterorum. Et loquitur planè de causa efficiente,vt ibi etiam Comment. exponit, dicens, solùm primum ens esse per se ens & verum: cætera verò acquirere ab illo esse & veritatem. Vnde per illud plurale *principia sempiternorum* solum Deum intelligere videtur Arist. vel propter eminentiam eius, vel propter plures causandi rationes.Præterea in 1.de Cœlo, c. 9.tex. 100. ponit quandam naturam immortalem ac diuinam, *vnde cæteris, aliis exactius, aliis offuscatius ipsum esse,viuereque dependet,* &c. de Generat.c.10. text. 59. ait non omnibus conuenire vt semper sint, quoniam quædam longè ab ipso principio absunt: *& idcirco* (ait) *Deus modo deficienti consulens, vniuersum complenit, cum generationem instituisset continuam.* lib. etiam 8. Physic. & 12. Met. coneludit esse vnum primum ens,& principem omnium: nõ esset autem princeps nisi esset principium omnium. Vnde Arist.12. Met. tex.38. ait cœlum & naturam pendere à Deo. Clarissimè etiam docet eisdem locis dari vnum finem omnium: ex quo planè fit dari etiam vnum efficiens, quia,vt infrà trademus,non potest esse finalis causalitas absq; efficiente, non potest autem dari vna causa efficiens omnium nisi interueniente creatione, vt suprà probatum est. Præterea 2.Met.c.2.probat illud principium, per quod maximè in cognitionem primæ causæ deuenimus, scilicet,non posse dari processum in infinitum in causis efficientibus. Deniq; in lib. de Mundo ad Alex. id clarissimè docere videtur, *Quasi flagitium* (inquit) *esset in disputatione rerum mundi præterire id, quod summum in mundo habetur.Itaq, vetusta fama est, & quidem hereditaria mortalium omnium, vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta. Nec verò vlla natura per se sufficit, orbata salute quam ille ferat.*

Aristo.

XXVI. Alij distinctione vtuntur, dicentes Aristotelem non cognouisse creationem cum nouitate essendi: co-

cognouisse autem creationem per modum dima- A nationis naturalis & æternæ à primo ente, & hoc modo posuisse res incorruptibiles manasse à Deo ex æternitate. Sed licet hoc de cæteris rebus possit sustineri,tamen de anima rationali non potest:nam ipse 2.de Gener.animal.c.3. ait, animam rationalem venire de foris.id est.nõ educi de potentia materiæ, & consequenter fieri per creationem. Potest autem de illa reddi specialis ratio, quia non fit nisi oblata creatione corporis,& propter compositum. Neque enim verisimile est Aristot. posuisse animam nõ factam,si reliqua omnia extra Deum cognouit esse facta. Neq; etiam dici potest ipsum sensisse omnes animas fuisse æternas,&postea in tempore vniri corporibus:nam idem Arist.12.Metaph.c.3. tex. 16. generatim ait formam non præexistere prius quam vniatur materiæ,& apertè comprehendit rationalem animam: nam subdit in illa esse singulare quod maneat posteriùs, id est post dissolutum compositum, in inceptione autem,eò quod simul cum composito incipiat,nullam admittit exceptionem. Hæc igitur pars verisimilior est, quanquam negari non possit B Arist. exiguam de hac re cognitionem habuisse, ideoq; perpauca de hac efficientia tractasse,quamuis 9.Metaph.c.1. satis insinuauerit agnouisse se potentiam actiuam,quæ non indiget motu, vel mutatione ad agendum.

XXVII. Ad secundum argumentum satis probatum est contraria inductione,quomodo demonstretur aliqua esse entia, quæ nõ nisi per creationem fieri possunt,quod nobis præsertim constat de materialibus rebus. De immaterialibus verò solùm ex hypothesi probamus,si quę sunt extra Deum,non nisi per creationem fieri posse,neque etiam esse posse si non fiat. An verò probetur ratione naturali dari huiusmodi substantias præter Deum, de animabus quidem rationalibus id supponimus ex scientia de anima, de aliis verò infrà videbimus, nam ad præsens non refert.

XXVIII. Ad tertium de maiori propositione,scilicet,quod ad creandum requiratur virtus infinita, dicturi sumus sect.sequenti,nunc solùm dicimus,ex aliis mediis sufficienter probari, & creationem esse, & dari in rebus potentiam quæ sit sufficiens principium illius,siue illa infinita esse debeat, siue finita sufficiat. C Vnde,si aliunde satis probetur requiri ad creandum potentiam infinitam,ex necessitate creationis sufficienter concludetur dari in rebus potentiam infinitam.Neque erit petitio principii,aut vitiosus circulus,quia vel non probamus creationem esse possibilem ex infinitate illius potentiæ, sed quia aliunde colligimus necessitatem eius,& nõ repugnantiam, tum illius, tum etiam potentiæ quæ sit principium eius,abstrahendo ab eo quod finita, vel infinita sit, vel si ex infinitate potentiæ concludamus creationem esse possibilem, sumimus ipsam potentiæ infinitatem vt demonstratam ex infinitate essentiæ & perfectionis diuinæ, quam ex aliis principiis colligimus,vt infrà videbimus.

Qualiter per creationem fiat ens in quanto ens. XXIX. Vide Caiet. 1.p.q.44. ar. 1. ad 2.

Ad quartum respondeo, propositionem illam, *per creationem fit ens in quantum ens*, multiplicem sensum habere posse: vnus est, si illud *in quantum* reduplicatiuè sumatur,& cadat in rationem entis abstractissimam, & communem Deo ac creaturis. Et hic sensus est falsus;nam significatur per illum,ens ex vi illius præcisæ rationis esse terminum creationis, quod falsum est. Et hunc sensum supponit quartũ illud argumentum, eumq; sufficienter impugnat: nihil tamen obstat veritati creationis,quia illa propositio in eo sensu non sequitur ex definitione creationis,vt patet. Nam si fiat ens reduplicando tantùm rationem entis finiti seu factibilis, id satis erit ad rationem creationis, nam sufficit vt res fiat omnino ex nihilo. Atque hic esse potest alter sensus illius locutionis, qui verus est, & ex eo solùm sequitur,omne ens finitum esse creabile, quod etiam est verum. Vltimus autem & proprius sensus est, vt illud *in quantum*,specificatiuè tãtùm sumatur. Et hoc modo est verissima propositio,quia per creationem per se primò fit res secundum totam rationem entis, eò quòd creatio nullã rationem entis in ea supponat. Nam iuxta doctrinam Aristotelis illud dicitur per se primò fieri,quod nullo modo supponitur in re quæ fit: fieri ergo ens in quantum ens, nihil aliud est, quam quod ipsamet ratio entis per se primò fiat in tali effectu per talem actionem. Ex hoc autem sensu non sequitur omne ens secundum rationem entis quam in se habet,posse terminare creationem: quia, vt ex dialectica constat,particula, *in quantum* specificatiuè sumpta non infert vniuersalem sensum seu distributiuum, quia nõ denotat adæquatam rationem seu causam prædicati,sed solùm designat partem vel rationem secundum quam cõuenit. Rectè tamen infertur ex illo sensu,ipsam rationem entis vt sic non reperiri vniuocè in entibus, quæ terminare possunt creationem & in ente increato, vt dicemus infrà hanc diuisionem declarando.

Ad vltimam probationem sumptam ex eo, quod XXX. esse essentię rerum supponitur creationi earum,qui existimant esse essentiæ secundum se esse aliquid æternum,dicerent fortasse creationem esse ex nihilo existentiæ,non verò essentiæ. At verò Vvicleph dixit creationem non esse productionem ex nihilo simpliciter,sed ex esse intelligibili ad esse extra Deum,vt refert Vvaldensis, tom.1. lib.1.capit.17. Scotus item in 2.d.1.q.2. ait creationem esse productionem ex nihilo, id est, non de aliquo secundum esse existentiæ, nec secundum esse essentiæ, non tamen ex nihilo,id est,de nullo modo ente,nec simpliciter nec secundum quid: supponit verò res habere esse cognitum prius quàm fiant. Veritas autem est, esse essentiæ creaturæ, aut esse cognitum seu intelligibile, antequam creaturæ fiant, nihil reale esse extra Deum, vt dicemus latè infrà, in disp. de essentia & existentia creaturæ. Quapropter illud esse nihil obstat quo minus per creationem fiat creatura ex nihilo,& in quantum ens.

Scotus.

Creatura nihil vnquam creauit.

SECTIO II.

Vtrum ad creandum requiratur infinita vis agendi, & ideò ita sit Dei propria,vt creaturæ communicari non possit.

NOn defuerunt Philosophi,qui non solùm de possibili,sed etiam de facto dicerent potentiam creandi communicatam esse creaturis,& angelum superiorem creasse inferiorem sibi proximum,& infimum creasse res corporeas. Quod opinatus est Auicenna, cuius opinionem suprà tetigimus tractando de eductione formarum: & iterum occurret infrà tractando de virtute actiua intelligẽtiarum creatarum. Vera tamen ac certa doctrina docet de facto nullam creaturam aliquid creasse, solùm enim Deum omniũ creatorem vera fides agnoscit,

I.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scit,& Sancti omnes docent,præsertim D.Augu. 12. de Ciuit.c.24. Tertull.lib.de præscript.hæretic.Damascen.lib.2.c.3.& Cyrill.Alex.lib.2. contra Iulian. sub finem. Ac tandem definitum est in c. Firmiter, de sum.Trinit.& fide Cathol. D.August. Tertul. Damasc. Cyrillus, Alexand.

II. Ex hoc autem certo principio eadem ferè certitudine colligitur nullam creaturam de facto habere potestatem creandi, quia non est verisimile dedisse Deum alicui creaturæ hanc potestatem,& non concedere seu permittere illi vsum eius : nam ad Dei prouidentiam spectat vt sinat creaturas proprios motus seu actiones operari; & quia aliàs frustra esset talis potentia in rerum natura.Item quia quod à nulla naturali causa vnquam factum est, meritò censetur impossibile per naturales causas. Atq; ita & Patres, & Theologi omnes eodem modo, & sub eadem certitudine negant creaturam habere naturalem vim creandi, qua negant vnam creaturam creasse aliam.

III. Quamuis autem hæc sint nobis certa ex reuelatione,inquirimus(quod præsentis muneris est proprium)an possint ratione naturali persuaderi,&cõ- B uinci,quod omnino pendere censemus ex quæstione proposita,nam si probauerimus potentiam creãdi ob infinitam perfectionem quã requirit, esse incommunicabilem creaturæ, demonstratum relinquetur id quod de facto fides docet. Si autẽ potentia creandi non includit essentialiter illam infinitatem,& ideò non repugnat communicari creaturæ, non poterit ratione probari non esse de facto communicatam,tam potentiam quam actum eius:pendebit enim ex libera Dei voluntate,cuius decretum si ex effectibus non manifestatur, per solam reuelationem potest nobis innotescere.

Ratio dubitandi ponitur, & sensus quæstionis aperitur.

IIII. RAtio ergo difficultatis in præsenti quæstione est, quia nulla est hactenus inuenta sufficiens ratio,nedum demonstratio, quæ persuadeat requiri ad creandum virtutem simpliciter infinitam.Loquor autem de virtute principali, quæ sua vi potest effectum producere: nam de virtute instrumentali nolumus ex professo disputare, eò quod res merè Theologica sit. Virtus autem principalis creandi, C variis modis intelligi potest: primò vt sit in illo ordine vniuersalis seu adæquata obiecto creabili:& de hac euidentissimum est , non posse communicari creaturæ. Neque hoc est (quod ego sciam) ab vllo authore in dubium reuocatum. Et ratio est clara, quia talis potentia habet obiectum infinitè perfectum Syncategorematicè:nam in illa latitudine obiecti, nullũ potest signari tantæ perfectionis, quin aliud maioris perfectionis creari possit,& ita in infinitum: ergo in potentia, quæ sua virtute continet totum illud obiectum requiritur virtus,&perfectio simpliciter infinita: quia neq; actu finita sufficere potest, aliàs posset æquari & superari ab aliqua parte obiecti sui , neque potest virtus illa esse infinita Syncategorematicè, quia simul & actu habet existentem totam suam virtutem &perfectionem. Neque etiam satis erit quod sit infinita secũdum quid, seu in aliquo ordine entium , nam in primis huiusmodi infinitum , est simpliciter & actu finitum , & præterea latitudo obiecti non clauditur sub aliquo genere vel ordine rerum,sed absolutè complectitur totam latitudinem entis creabilis: ergo potẽtia quæ totum illud continet & superat, non potest esse secundum quid tantùm infinita,sed simpliciter , & in tota entis latitudine.

V. Secunda ratio adhiberi potest , quia impossibile est potentiam aliquam productiuam se ipsam claudere sub obiecto suo adæquato: quia impossibile est aliquid posse creare se ipsum : sed omnis creatura continetur sub ente creabili,vt per se notum est:ergo nõ potest habere pro obiecto adæquato suæ potentię ens creabile vt sic:aliàs se ipsam clauderet sub obiecto suo. Et hac ratione nulla res generalis potest habere talem potẽtiam generandi, quæ pro obiecto adæquato habeat ens generabile. Neque aliquod indiuiduum potest habere potentiam , cuius adæquatum obiectum sit ipsa species. His ergo rationibus satis demonstratur potentiam creandi hoc modo esse infinitam,&Dei propriam,ac incommunicabilem creaturis.

VI. Alio item modo potest intelligi potentia creandi quæ vim habeat se sola, & absq; dependentia vel concursu alterius aliquid ex nihilo producere. Et hoc etiam modo existimo satis probari posse, talem B potentiam non modo,vt se extendit ad omne creabile,sed etiam vt determinata ad creandum quodlibet ens, esse infinitam & incommunicabilem creaturę,de qua re acturi sumus infrà disp.22.Nam quoad hoc eadem ratio est de potẽtia creandi, & de quacunq; facultate creata ad agendum ex præsuppositio subiecto:quia nulla esse potest independens in agẽdo à prima causa , talisq; independentia infinitam requirit perfectionem,vt ibi videbimus.

VII. Tertio igitur modo intelligi potest virtus creandi solùmper modum causę principalis proximę,dependentis in agendo à prima causa , & limitatæ ad certum ordinem vel speciem rerum creandarum,vt ad creanda corpora,vel has species Angelorum , vel aliquid simile. Et de hac potentia non apparet ratio sufficiens cur requirat perfectionem simpliciter infinitam , aut cur non possit communicari creaturæ, quia neq; ex parte obiecti habet infinitatem , cùm ponatur limitata ad obiectum finitæ perfectionis, neq; etiam ex modo agendi , cùm ponatur dependens à concursu alterius.

VIII. Nec satisfacit, quod multi aiunt, ex modo agendi colligi infinitatem , non ob independentiam actionis à superiori causa agente, sed ob independẽtiam actionis à causa materiali. Nimirum quia reducere aliquid de potentia in actum requirit aliquam virtutem :& quò illa potentia magis est elongata ab actu, eò maior virtus requiritur in agente: ergo quod ita est elongatum ab actu,vt in nulla potentia passiua contineatur, requirit infinitam potentiam in agente,vt fieri possit. Hæc (inquam) ratio non satisfacit, primò quidem quia independentia actionis à subiecto non videtur esse tanti momenti, nec tantam indicare perfectionem,vt requirat in agente virtutem infinitam simpliciter,cur et enim?Nam concursus materiæ quid finitum est:cur ergo suppleri non poterit per virtutem agentis superioris ordinis & perfectioris,esto infinita non sit? Deinde quia illa gradatio, vel proportionalis supputatio non est formalis, tum quia ad summum infert vim agendi superioris ordinis, quam sit omnis potentia definita ad agendum ex potentia passiua, siue propinqua,siue remota,seu magis aut minus elongata ab actu : tum etiam quia ille progressus intelligi debet respectu eiusdem , & cæteris paribus, nam fieri potest vt ad producendam formam perfectiorem ex propinqua potentia requiratur maior perfectio,quam ad producendam infimam formam A ex remota potentia. Sic igitur ad creandam rem infimam,v.g.materiam primam,sufficere poterit finita potentia, distincta tamen in specie ab omni potentia generatiua.

IX. Et augetur difficultas: nam virtus principalis ad agendum,dupliciter potest creaturæ tribui. Primò, vt connaturalis & debita, vel manans à principiis naturæ,vt est calor in igne:vel vt superaddita vel indita naturæ,sicut est lumen gloriæ in beato. Quamuis ergo gratis demus virtutem connaturalem agẽtibus creatis non posse extendi ad creationem, propter dictam improportionem , tamen de virtute superaddita naturæ nihil probat illa ratio,quia illa virtus esse potest supernaturalis, atq; ita superioris ordinis , ac proinde sufficiens ad vincẽdam illam improportionem.Ita enim respondent Theologi,cùm simile sit argumentum, scilicet, ad videndum obiectum intelligibile mistum ex actu,& potẽtia, requiritur lumen intellectuale alicuius perfectionis, & quo plus tale obiectum habet de actu, & minus de potentia,eò perfectius requiritur lumen ad viden- B dum illud:ergo si obiectum est purus actus nullam habens potentiam,requiritur infinitum lumen.Respondent(inquam)Theologi negando consequentiam , & asserendo satis esse lumen superioris ordinis. Cur ergo non possumus eodem modo respondere de potentia creandi?

Variæ sententiæ.

X. PRopter has ergo & similes causas nõnulli Theologi dicunt nulla sufficiente ratione ostendi repugnare simpliciter creaturæ potentiam creandi. Ita sentit planè Gabriel in 2.distinctione 1.quæstione 4. artic.3. Nam licet simpliciter doceat creaturam non posse creare, quærens tamen huius rei rationem,respondet non posse reddi aliam , nisi quia hæc est conditio creaturæ quam à Deo recepit, cuius ordinem transgredi non potest. Quod verò creaturæ hanc conditionem operandi receperint,dicit solùm constare experientia.Sed in primis hæc experientia ad summum habetur in agentibus, effectibusque materialibus, quomodo verò expertus est C Gabriel Angelos nihil agere,nec egisse vnquam nisi ex passo? Quomodo item expertus est vnum hominem,dum alium generat,non attingere efficiendo animam ipsam? Deinde solùm videtur fundari in conditione & ordine quem de facto creatura recepit à Deo,vel ergo sentit potuisse Deum aliã conditionem vel modum agendi concedere creaturæ, vel non satis quæstioni respondet. Eandem sententiam clariùs tenet Durand.in 2.d.1.q.4.qui negat ad creandum requiri virtutem infinitam , ac subinde negat repugnare creaturæ efficere aliquid absque mutatione ex subiecto , & soluit rationes omnes, quæ solent ad id probandum adduci. Durand.

XI. Posterior. Magister. D.Thom. Scotus. Ocham. Ægidius. Hentic. Nihilominus contraria sententia est communis Scholasticorum.Eam tenet Magister in 4.d. 5. & D. Thom 1.p. q.45.art.5.& sæpè alibi,& omnes eius sectatores, & Scotus quem sui etiam sequuntur in 4. d.1.q.1. Ocham in 2.q.7. quamuis sentiat non posse satis demonstrari. Idem Quodlib. 2. q. 9. Henric. quodlib.4.q.37.& Ægid.quodlib.5. q.1.

Resolutio quæstionis.

XII. ET mihi quidem posterior sententia vera & certa esse videtur, difficillimum tamen censeo cogitem demonstrationem ad illam confirmandam afferre. Cuius signum est, quia authores qui in conclusione consentiunt, in ratione reddenda summè dissentiunt:& singuli aliorum rationes impugnant. Quocirca apud me illa est efficacissima ratio, quæ ex principio fidei sumitur:& ideò potiùs dixi mihi esse certam assertionem,quam euidentem:nam sicut ex eo quod creatura nihil vnquam creauit,rectè ratiocinamur, nullam creaturam factam habere potentiam creandi:ita ex eo quod nulla creatura facta habet potentiam creandi, rectè existimo colligi nullam creaturam factibilem esse capacem huius facultatis. Hanc consequentiam probo primò,quia si talis creatura esset possibilis, constitueret sanè alium ordinem, & gradum creaturæ præter eos qui nunc sunt, quia haberet distinctum & altiorem operandi modum:ergo pertinuisset ad perfectionem vniuersi vt in eo esset talis creaturarum ordo seu gradus: ergo è conuerso, cùm Deus condiderit vniuersum sine tali creatura,signum est illam non contineri in ordine creaturarum, neq; esse possibilem:ideoq; ad B complementum vniuersi non pertinere. Quam rationem inferiùs locupletabimus,disp.38.cum simili discursu ostendemus esse in vniuerso intelligentias creatas.

XIII. Secundò explicatur ampliùs eadem ratio, quia inter substantias creabiles nullus esse potest altior gradus , quam sit Angelorum,seu intellectualiũ rerum : inter accidentia verò , si vt Philosophi loquamur,nulla sunt meliora quàm ea quæ his supremis substantiis connaturalia sunt. Si verò loquamur vt Theologi,nulla possunt esse meliora quam ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ & visionis beatæ:si ergo in his supremis ordinibus rerum non inuenitur potentia creandi,in nulla creatura possibilis est. Nã quod in gradu Angelorum possint fieri alii perfectiores in specie,quam sint omnes facti,non est satis vt habeant modum operandi tam diuersi ordinis & rationis.Et ideò August.3.de Trinit.ca.8. pro com- August. perto habet, si Angeli tam boni quàm mali creare non possunt,nullam creaturam posse.

Ratio Scoti expenditur.

XIIII. C TErtiò conatus est Scotus huius inductionis seu experientiæ quam supponimus, rationem aliquam reddere, & ex illa causam colligere ob quam nulla creatura factibilis creatrix esse possit, cuius discursum sic proponere possumus, & amplificare. Nam omnis creatura,vel est materialis, vel spiritualis: neutra autem ex his creare potest: ergo nulla. Patet consequentia , quia illa duo membra quæ includunt immediatam, & contradictoriam oppositionem, complectuntur omnes creaturas possibiles. Minor verò quoad priorem partem de creaturis materialibus probatur, quia vel substantia materialis crearet per materiam,aut per formam,aut per accidentia. Non per materiam,quia hæc non est actiua,neque esse potest: repugnat enim intrinsecè entitati & imperfectioni eius, quia essentialiter est pura potentia passiua. Vnde cùm hæc ratio communis sit omni materiæ creabili, fieri non potest materia prima quæ sit principium creandi. Et hoc sanè per se se, & ex terminis videtur notum, nam tanta perfectio quanta creatio indicat, planè repugnat cum tanta imperfectione quantam materia prima præ se fert.

XV. Neq; etiam materialis forma (de hac enim nunc agimus) potest esse creationis principium. Primò

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem quia talis est modus agendi, qualis est modus essendi: sed hæc forma habet in suo esse connaturalem dependentiam à subiecto: ergo & in omni actione cuius ipsa est proprium & cõnaturale principium. Secundò, quia talis forma non est connaturali modo producibilis per creationem propriã, sed vel per eductionem, vel per concreationẽ cum toto composito: ergo neq; ipsa potest esse principiũ creandi. Patet consequentia, quia ad summum esse potest principium producendi formam sibi similem, & modo etiam sibi proportionato, & connaturali ipsi formæ producẽdæ. Quod tertiò ita declaro, nam talis forma aut esset principium creandi materiam, aut formam, aut compositum: non materiam, quia talis forma est posterior materia, & ordine naturæ supponit illam vt esse possit, & ideò etiam illam supponit vt agere possit. Maximè quod forma adeò imperfecta non potest cõtinere eminenter ipsam materiam, & ideò non potest rem adeò sibi dissimilem procreare. Neq; etiam potest creare formam, quia non potest producere formam spiritualem cùm suum ordinem excedere non possit: neq; formam materialem producere potest, nisi modo connaturali ipsi formæ producendæ: non potest enim immutare ordinem rebus ipsis connaturalem: talis autem forma quando non concreatur materiæ, non est factibilis per creationem, sed per solam eductionem, quia non est capax proprii esse sine dependentia à materia.

XVI. Vnde etiam relinquitur, talem formam non posse esse principium creandi totam substantiam materialem, quia hæc creari non potest nisi ab eo qui potest creare materiam. Quod verò multò minus possit spiritualem substantiam creare, tanquam euidens supponitur, quia non potest transcendere suum ordinem in agendo. Et eodem discursu facilè concluditur non posse materialem substantiam secundum se totam, aut per se primò esse principium creandi, tum quia, vt dictum est, materia non potest esse principium agendi nedum creandi, tum etiam quia totum compositum non potest habere vim agendi, nisi ab his partibus ex quibus essentialiter constat: si ergo neq; in materia, neque in forma potest esse illa vis creãdi, aut proportio ad talem actionem, neq; in toto composito esse potest.

XVII. Restabat dicendum de accidentibus huius substantiæ, quod erat tertium membrum in illa priori parte propositum: sed de accidentibus generatim statim dicemus plura, nunc hoc membrũ sumimus vt satis probatũ ex dictis de substantiali forma: nam si hæc non potest esse principium creandi, propter naturalem dependentiam, quam habet à materia, multò minùs esse poterit accidens materiale, quod & magis dependens est, & minùs perfectum: præsertim cùm tractemus nunc de causa principali. Atq; hic discursus de rebus materialibus, mihi quidem videtur efficax, & æquè procedere de substantiis factis & possibilibus, nam fundatur in propria natura & imperfectione substantiæ materialis vt sic: & in connaturali proportione inter agere & esse, quæ immutari non potest. Nam licet Deus possit agere in creatura, vel per creaturam aliud, quam sit illi connaturale, non tamen potest facere quod sit connaturale alicui creaturæ, id quod est improportionatum naturæ eius.

XVIII. Venio ad alteram partem in principali argumento propositam de substãtia spirituali. Quam Scotus non aliter probat, nisi quia substantia spiritualis creata nihil potest efficere nisi medio accidente, sed medio accidente non potest quicquam creare: ergo nullus Angelus potest habere vim creandi. Maiorem ex eo probat quod Angelus nihil potest efficere nisi mediis actibus intellectus, & voluntatis: hi autem actus sunt accidentia, nec fieri potest Angelus in quo tales actus sint substantia, & non accidens vt ibi fusè probat, & nos nunc admittimus, quidquid sit de efficacia rationum eius quoad hanc partem, de qua dicemus infrà disputando de intelligẽtiis creatis. Minor autem probatur ab Scoto, quia accidens solùm posset requiri ad creandum vel tanquam actio ipsa, quæ terminatur ad rem creatam: & hoc dici non potest in præsenti, quia huiusmodi actio est in ipso termino, vt infrà videbimus: vnde talis actio non potest esse intellectio, vel volitio Angeli. Vel posset requiri accidens vt principium talis actionis: hoc autem esse non posse solùm probat ex generali principio, quod accidens non potest esse principium ad producendam substantiam. Quod quidem de principio principali omnes admittunt, & in hoc sensu videtur sufficiens præsenti intẽtioni: nam, vt diximus, solùm agimus de principio principali.

XIX. Veruntamen ipse Scotus extendit illam propositionem etiam ad principium instrumentale, quo sensu non est in vniuersum vera, vt suprà vidimus: an verò peculiari ratione vera sit de instrumento creationis, infrà dicam. Supponit autem hic discursus Scoti quoad hanc vltimam partem, quod si creatura posset creare, deberet creare substãtiam, quod meritò supponit: quia, vt suprà diximus, non potest creari, nisi aut res subsistens, aut per modum subsistentis: creatura autem non potest creare accidens per modum subsistens, seu separatum à subiecto: quia talis modus essendi non potest esse connaturalis accidenti, non potest autem creatura habere vim ad producendam rem modo præternaturali, aut sine aliis causis, à quibus natura sua necessariò pendet. Adde, quod accidens inhærens substantiæ, & impotens natura sua ad existendum aliter, non potest natura sua esse principium creandi accidens per se separatum, quia talis modus agendi superat modum essendi connaturalem tali accidenti.

XX. In quo deficiat discursus Scoti. Vnum ergo tantùm est in quo diminutus videtur hic discursus Scoti, nempe illud Dilemma, quod accidens tantùm posset requiri ad creandum, vel tanquam actio, vel tanquam principium actionis: nam præter hæc posset esse tertium membrum, scilicet, quod actus accidentalis prærequiratur ad applicandam vel dirigendam proximam virtutem agendi, nam hoc modo requiruntur etiam intellectio & volitio ad opera artis, & ad mouendum localiter. Posset ergo quispiam dicere vnum Angelum posse creare alium proximè & immediatè per substantiam suam tanquam per principium agendi, tamen vt illud principium agat modo libero & intellectuali, requiri actum voluntatis, vt applicantem illud principium, seu potentiam exequentem ad operandum, & actum intellectus vt dirigentem, atq; hoc modo nõ esse incõueniens, ad creationem substantię requiri actum accidentalem. Sic.n. in animalibus potentia generandi applicatur ad operandum per appetitum, & in homine per voluntatem, & intellectus, licet sit perfectior potentia quam voluntas, subordinatur illi quoad exercitium seu applicationem ad actum. Sic igitur virtus creandi, etsi

di, etsi substantialis esset & perfectior, posset subordinari voluntati, & per actum eius accidentalem ad suam actionem applicari.

XXI. Quid addendum Scoti discursui. Propter hanc ergo causam non censeo hanc probationem omnino efficacem quoad creaturas spirituales & intellectuales. Possunt tamen hîc applicari coniecturæ, quibus infrà probabimus non posse Angelos ad nutum suæ voluntatis transmutare materiam ad formam: nam si id verum est, multo maiori ratione non poterunt aliquid ex nihilo facere: de illis autem rationibus dicemus infrà. Præterea certum est nullam intelligentiam finitam posse creare aliam perfectiorem se, nam hoc est supra virtutem causæ principalis. Neq; etiam est cur possit creare materiales substantias, quia illas non continet eminenter, cùm sit ad definitam speciem limitata, & cùm proportionem nullam habeat cum corporalibus; ad alias verò spirituales substantias ita comparetur vt intra eundem gradum constinguantur tanquam species perfectæ, sicut distinguuntur species seu genera animalis. Vnde sicut per se loquendo, non potest vnum animal generare aliud diuersę speciei, etiam minus perfectæ, ita neq; vnus Angelus posset creare inferiorem, solùm ergo restat probandum quod nec sibi similem in specie creare possit. Cuius rei facilè redderetur ratio, si verum esset non posse intelligentias multiplicari numero intra eandem speciem. Sed quia illa opinio vera non est, ideò dici potest, saltem multiplicationem indiuiduorum non esse per se intentam à natura, sed solùm propter conseruandã speciem, ideoq; non esse connaturale indiuiduis incorruptibilibus habere propriam virtutem producendi sibi similia in specie. Deniq; accommodando discursum Scoti, potest addi coniectura, quia substantiæ intellectuales creatæ in operationibus sibi maximè propriis, quales sunt intellectus & voluntatis, non possunt quicquam efficere nisi ex præsupposito subiecto, ergo verisimile est non posse habere vim naturalem ad efficiendam actionem omnino substantialem, & independentem à subiecto.

Ratio qua Ochamus vtitur, perpenditur.

XXII. Aliam rationem adducit Ocham dicta quæst. 7. scilicet, quia omnis creatura aut naturaliter agit, aut liberè, sed neutro modo potest habere virtutem creandi: ergo. Minor quoad priorem partem probatur, quia talis causa naturaliter agens simul crearet quidquid posset, quia non penderet ex dispositione vel capacitate passi: crearet ergo infinita, vel in specie, vel in indiuiduo, quia nullus potest signari numerus finitus quem causare possit. Altera pars de causa libera probatur, quia licet non necessariò crearet illa omnia, tamen saltem posset velle, & cõsequenter posset creare simul illa omnia, quod est inconueniens. Sed hæc ratio minùs est efficax, quam præcedens; neutrum enim membrum satis impugnatur, nam licet talis causa naturaliter ageret, penderet tamen in agendo à diuino concursu, & ab eodem posset determinari ad agendum finita, & hæc potiùs quàm illa. Sicut nunc agens naturale applicatum passo ex se indifferens est ad producendum hanc vel illam indiuiduam formam ex infinitis, determinatur autem per concursum Dei. Sed inquit Ocham, inconueniens esse vt talis creatura suspendatur ab actione sua, si potest producere infinita. At hoc idem argumentum fieri potest de diuina potentia, nullum ergo est illud inconueniens, quia infinita non sunt producibilia actu simul omnia. Et eadem ratione impugnatur probatio alterius partis, quia ad voluntatem etiam diuinam applicari potest: non ergo posset talis creatura velle creare simul infinita, quia obiectum esset impossibile, vel si id vellet, inaniter & inefficaciter vellet: solùm ergo posset pro suo arbitrio hęc vel illa ex infinitis creare. Rectè tamen concludit argumentum, quod talis creatura posset intra eandem speciem, vel idem genus creare Syncategorematicè infinita, id est, non tot quin plura, saltem successiuè: quod etiam Ocham censet inconueniens, sed nullum est, nam Sol etiam potest sic in infinitum plura generare successiuè, quamuis ea quæ simul potest facere vel conseruare in quolibet instante, non solùm sint finita, sed etiam in determinato aliquo numero & quantitate, quia virtus finita saltem requirit huiusmodi terminum. Veruntamen hoc idem dici posset de virtute creaturæ ad creandum, si semel poneretur.

Expenditur prima ratio Diui Thomæ, cur ad creandum virtus infinita requiratur.

XXIII. Missis ergo rationibus, quæ vel in particulari procedunt de hac aut illa creatura, vel per media valdè extrinseca, Diuus Thomas ex proprio obiecto & modo creationis conatus est duas generales rationes afferre, ob quas in vniuersum omnis creatio omni creaturæ possibili repugnat. Priorem habet 1. par. quæst. 45. artic. 5. in corpore. Quæ sic formari potest. Effectus seu terminus creationis est proprius causæ vniuersalissimæ ita vt non possit alteri conuenire: ergo & creatio, & potentia creandi est ita propria primæ causæ, vt non possit alteri communicari. Consequentia est clara, quia illius tantùm potest esse actio & potentia, cuius potest esse effectus. Antecedens autem probatur, quia esse vt sic est proprius effectus vniuersalissimæ causæ, sed proprius etiam terminus seu effectus creationis est ipsum esse vt sic: ergo proprius terminus creationis, solius primæ causæ potest esse effectus. Maior patet, quia effectus vniuersaliores in vniuersaliores causas reuocandi sunt: ergo & vniuersalissimus effectus in vniuersalissimam causam; sed esse est vniuersalissimus effectus: ergo. Minor autem probatur, quia per creationem producitur ens in quantum ens: ergo per illam communicatur esse, vt sic secundum absolutam rationem suam, secundum quam est vniuersalissimus effectus, & proprius primæ causæ. Hanc rationem impugnat Scotus citato loco, & alii Scotistæ in 2. d. 1. & eam latè defendunt Caietan. 1. p. loco citato, & Ferrar. 2. cont. Gent. cap. 21. & Capreol. in 2. distinct. 1. quæstio. 3. Et quidem nonnullæ ex obiectionibus Scoti veram & facilem habent solutionem. Caietan. Ferrar. Capreol.

XXIIII. Esse qualiter dicatur proprius Dei effectus. Impugnat enim primò illam propositionem Diui Thomæ, quod esse est proprius effectus Dei, ac si sensus esset solum Deum efficere ipsum esse in qualibet creatura, & causas secundas non concurrere actiuè ad efficiendum esse existentiæ. Sed hic sensus est sine dubio falsus, vt infrà ostendam, disputando de existentia creaturæ, & non est intentus à Diuo Thomæ, sed solùm vocat esse proprium effectum Dei formaliter ac per se primò, vel quia solus Deus facere potest esse ex omnino non esse, vel quia solus pôt facere in qualibet re omnia quæ ad illius esse requiruntur. Et hi sensus sunt veri, non tamen defer-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uiunt ad rem præsentem, quia peteretur principium, cùm hoc ipsum sit probandum. Alius ergo sensus erit, quod solus Deus respicit esse factibile, vt sic tanquam adæquatum obiectū suæ potentiæ, & hoc etiam sensu est vera propositio, vt per se constat, & ex dictis in principio huius sectionis: & argumenta Scoti non procedunt contra illam. Quomodo verò deseruiat præsenti rationi, patebit ex dicendis.

XXV. Vniuersalior eff. ctus in vniuersaliorem causam reducendus.

Ex quo facile etiam constat quem sensum reddat alia propositio quod vniuersalior effectus in vniuersaliorem causam reducitur: quā etiā impugnat Scotus, quia vel est sermo de vniuersalitate perfectionis tam causæ, quam effectus: & sic licet generalis propositio esset vera, falsum tamen est, quod ens aut esse sit vniuersalissimus effectus, qui nō est perfectissimus, sed potiùs imperfectissimus omnium, cùm sit communissimus. Vel est sermo de vniuersalitate prædicationis: & sic nec propositio esset ad rē, neq; subsumptio vera, quia Deus non est hoc modo causa vniuersalissima. Sed hoc facilem habet respōsionē, quia sermo est de vniuersalitate proportiōata effectui & causæ. Vnde ex parte causę est sermo de vniuersalitate in causando: ex parte verò effectus, B est sermo de effectu vniuersali in multitudine, & cōsequenter de ratione obiectiua adæquata vniuersaliori in prædicando. Et hoc modo verissimum est, vniuersaliorem vel communiorem effectum, id est, rationem entis, vel talis entis quò vniuersalior est, eò respici à causa vniuersaliori, tanquam rationem obiectiuam per se primò, & adæquatam suæ potentiæ. Et ratio est clara, quia licet causa vniuersalis in se sit simplex, tamē dicitur vniuersalis per ordinem ad multa quæ eminenter continet, & potest efficere: ergo quò fuerit vniuersalior, eò cōtinebit, & poterit efficere plura: ergo eò habebit rationem obiectiuam vniuersaliorem in prædicando, id est, plura sub se continentem: ergo & è conuerso quò effectus fuerit hoc modo vniuersalior, eò in causam vniuersaliorem reducendus est, si adæquatè ac per se primò illi correspondere dicitur. Neq; contra hoc obstat, quod rationes vniuersaliores in prædicando sunt minùs perfectæ: nam licet hoc sit verum considerando illas rationes secundum mentis præcisionem, non tamen prout includunt omnia inferiora: hoc autem modo dicitur ens & alia similis ratio adæquata alicui potentiæ actiuæ; non enim attingit illam rationem prœcisam, sed totum quod sub illa cō- C tinetur. Et hoc modo ens creabile dicitur esse adæquatū obiectum diuinæ potentiæ, quæ omnia sunt satis manifesta. Alii respondent, esse vt sic, etiam in communi sumptum pro esse existentiæ, esse maximam perfectionem omnium. Sed de sensu huius locutionis dicemus inferiùs in prædicta disputatione, nunc enim necessaria non est.

XXVI. In quo sita difficultas rationis Diui Thomæ.

Maior sanè difficultas est in applicatione horum generalium principiorum ad concludendam propositionem intentam: quia ex illis ad summum videntur posse inferri duo, quæ suprà diximus esse certa. Vnum est quod creatura non possit creare independenter à prima causa. Quod verò id non possit cum concursu primæ causæ, minimè videtur inferri. Nam dare esse non est proprium primæ causæ, nisi cum prædicta independentia. Vnde in libro de Causis dicitur (quod Diuus Thomas etiam adducit) *secunda causa non dat esse, nisi in virtute prima, & in quantum participat operationem primæ*: quod non alia ratione verum est, nisi quia causa secunda tantùm agere potest per virtutem acceptam à prima, & dependens in actione sua ab actuali operatione Dei: ergo hoc modo potest creatura communicare esse, etiam per creationem, quantum est ex vi illius principii. Rursus ex illis principiis optimè concluditur non esse communicabilem creaturæ potentiam creandi, quæ habeat pro obiecto adæquato ens creabile, seu ipsum esse vt includit totam latitudinem esse participabilis. Hinc verò non potest concludi omnem participationem illius potentiæ creatiuæ vniuersalis, limitatam ac determinatam ad aliquod genus, vel speciem, vel certè ad aliqua indiuidua rerum creabilium, esse incommunicabilem creaturæ: neque enim huiusmodi potentia sic determinata in ipsis terminis inuoluit repugnantiam, neque ex illis principiis ostendi potest impossibilis. Primum patet, quia creatio leonis v.g. est specie distincta à creatione hominis: ergo ex terminis non repugnat dari potentiam creatam commensuratam creationi talis speciei, & non creationi secundum totam suam latitudinem. Sicut est manifestum in potentia generatiua seu eductiua de potentia materiæ, quæ prout se extendit ad omne generabile possibile, est propria solius Dei, maximè cum independentia: limitata verò ad certam speciem generationis potest communicari creaturæ cum dependentia à prima causa. Secundum patet, quia talis potentia creata, etiamsi sit ad creandum, non habebit pro obiecto vniuersalissimum effectum, sed determinatum, & particularem. Vnde quod Diuus Thomas subsumit, scilicet, per creationem produci esse absolutè, non quatenus hoc vel tale, est quidem verum de creatione in genere, non verò de hac creatione in specie: nam per hanc re vera producitur esse quatenus est tale, scilicet hominis, aut Angeli: & ideò non est necesse vt potentia quæ non respicit adæquatè creationem vt sic, sed talem creationem, sit vniuersalissima potentia: ergo non oportet vt sit propria primæ causæ.

Prępositio ex libro de Causis adducta explicatur.

Ad hanc difficultatem primò responderi potest XXVII. Prima euasio difficultatis. concedendo non amplius probari illo discursu, idq; non esse contra Diui Thomæ authoritatem, quia ille non videtur amplius concludere voluisse tali discursu. Quod patet, nam statim post illam rationem refert opinionem dicentium, posse creaturam creare per virtutem acceptam à Deo, & licet D. Thom. ibi vocet hoc, creare instrumentaliter, tamen re vera videtur solùm sumere illud *instrumentaliter* latè, prout etiam causæ secundę principales dicuntur esse instrumenta primæ causæ. Quod probari potest, nam hoc modo refert statim opinionem Auicennæ dicentis vnam intelligentiam creasse aliam: Auicenna verò non posuit intelligentiam creare, vt instrumentum in rigore sumptum, sed vt causam secundam principalem. In hac verò responsione duo incommoda relinquuntur, vnum quod ratio non defenditur, nec manet probata conclusio. Aliud spectans ad mentem D. Thomę, quod ratio qua statim probat creaturam nō posse esse instrumentum creationis, procedat etiam de causa secunda principali, quod tamen difficile est, vt inferiùs declarabimus attingendo rationem illam.

Secundò ergo respondere possumus efficaciam XXVIII. Secunda. illius rationis in eo consistere, vt ex formali obiecto & modo creationis eliciat non posse dari potentiam creandi, quæ ex se non respiciat, vt adæquatum obiectum esse secundum totam latitudinem entis participabilis (huiusmodi enim ens intelligendum est quo-

quoties in hac materia dicitur ens in quantum ens, A nisi illud *in quantum* specificatiuè sumatur vt dixi.) Vim autem illius illationis videtur D. Thomas ponere in illa propositione: *Producere esse absolutè, non in quantum est hoc vel tale, pertinet ad rationem creationis.* Potestq; ita formari deductio, nam per omnem creationem fit per se primò esse, non solùm in quātum est tale esse, sed etiam in quantum est esse: ergo omnis potentia à qua est talis actio, respicit vt formale & adæquatum obiectum ipsum esse, non solùm in quantum est tale esse, sed absolutè in quantum est esse: ergo talis potentia necessariò debet esse vniuersalis, & complectens omne ens participabile. Consequentia est clara, quia omnis potentia complectitur omnia quæ sub suo obiecto adęquato & formali comprehenduntur. Maior etiam constat ex doctrina Philosophi in 1. Physicor. suprà tacta, quam etiam bene declarat Caiet. 1. p. quæst. 44. art. 2. Nā effectus dicitur fieri per se primò secundum eam rationem quæ non præexsist ex parte effectus: nam si præexsist, iam non per se, sed per accidens fieri dicetur, nā cùm ignis generatur ex aere, non fit per se corpus, neq; e- B lementum, fit autem per se ignis. Sic igitur in omni creatione fit per se ens seu esse, non solùm vt tale, sed simpliciter vt esse: quia nulla ratio entis aut esse supponitur ad creationem, cùm sit ex nihilo.

Caietan.

Minor verò probatur, quia illa ratio secundum quàm per se primò attingit potentia suū effectum, videt esse formalis ratio obiectiua sub qua talis potentia attingit eundem effectum. Vnde fit, vt in causando tam vniuersalis & abstracta sit potentia, quàm est in ordine suo illa ratio formalis obiectiua quam per se primò attingit.

XXIX. Discursus adductus D. Thomæ explicans priorem declaratur.

Addere pręterea possumus ad confirmandam eādem deductionē alium discursum eiusdem D. Thomæ in eodem articulo in solutione ad 1. Quia quidquid creat aliquid, creat absolutè ens, & non tantùm applicando esse seu naturam entis ad hoc ens: ergo quantum est ex se potest creare quodlibet ens creabile. Explicatur antecedens, nam fieri non potest vt qui participat aliquam naturam producat absolutè illam, sed applicando illam ad aliquid, vt Petrus non potest esse causa naturæ humanæ absolutè, aliàs posset esse causa sui ipsius: vnde solùm potest esse causa vt natura humana sit in Paulo vel Francisco. Sicut autem hic homo participat naturam hominis, ita quodlibet ens creatum participat naturam entis, nō ergo potest producere absolutè naturam entis, sed C applicando illam ad hoc ens. Ergo sicut homo non potest per actionem vel productionem suam applicare naturam hominis ad hoc, nisi præsupponendo aliquid quo illa determinatio naturæ communis ad hoc indiuiduum fiat, ita in vniuersum nō potest ens per participationem communicare naturam entis nisi præsupponendo aliquid quo determinetur natura entis ad hoc: quod repugnat creationi. Ergo è conuerso omnis potentia quæ potest producere absolutè ens nihil præsupponendo, producit absolutè naturam entis, & non tantùm applicando illam ad hoc: ergo omnis potentia quæ potest sic producere, est vniuersalis potentia: vnde non potest esse ens participatum, sed ens per essentiam.

XXX. Obiectiones aliquot contra vtramque allatum D. Tho. discussum.

Sed adhuc non quiescit animus, sed in vtroq; discursu plures difficultates inuenit. Nam in priori illa propositio subsumpta, in qua est tota vis argumēti, scilicet, *omnis potentia per se attingens in aliquo effecturationem aliquam entis, est de se vniuersalis ad omnia quæ sub talirationi comprehenduntur*, nō videtur in vniuersum veram: nam cùm generatur triticum v.g. nō solùm per se generatur triticum, sed etiam viuēs, quia non præsupponitur ratio viuentis: generatur enim triticum aut herba ex terra non viuente, & tamen qui habet potentiam ad generandum triticum, non propterea habet potentiam ad generandum omne viuēs. Idem est cùm equus generat equum, non solùm ex non equo, sed etiam ex non animali, nempe ex semine: tunc enim per se generatur & equus & animal, & tamen illa potentia generatiua non respicit rationem animalis vt adæquatam, nec potest efficere generationes omnium animalium. Præterea, aliàs sequitur etiam Deum posse creare seipsum, quia quando creatur aliquod ens, non tantùm in illo fit per se ratio entis creabilis, sed etiam ratio entis abstractissimi, quia nulla ratio entis præsupponitur ex parte effectus: ergo si dicta consecutio vniuersalis est, adęquatum obiectum potentiæ creatiuæ non erit tantum ens creabile, sed absolutè & præcisè ens: ergo comprehendet sub se absolutè omne ens, etiam ipsum Deum. Nec dici potest, ens vt sic abstractum per se nō creari, quia ratio entis supponitur saltem in creatore: hoc enim non impedit productionem per se: nam ignis per se generat ignem: licet ratio ignis in generante supponatur; & ideò suprà dixi, rationem quæ per se fit, non debere supponi ex parte effectus, quia ex parte agentis non obstat.

Quod si respondeatur id non sequi, quia potentia creādi non attingit illam abstractissimam rationem entis, ratione vt sic præcisè sumptam, sed quatenus includitur in ratione entis creabilis; quod suprà dialecticis terminis diximus, nō attingere illam reduplicatiuè, sed specificatiuè: est quidem responsio optima, tamen per eandem infringitur tota vis rationis & discursus D. Thomæ. Nam eodem modo dicetur per potentiam creandi communicatam creaturæ, non fieri per se rationem entis creabilis vt sic, nisi quatenus includitur in ratione talis entis, atque ita etiam huiusmodi potentiam non attingere ens in quantum ens duplicatiuè, sed specificatiuè: & ideò non rectè colligi, talem potentiam deberet esse vniuersalissimam, & comprehendere ens omne creabile. Vnde claritatis gratia distinguere possumus inter fieri per se, & fieri per se primò, aserereq; ad illud primum sufficere vt res secūdum eam rationem qua per se fieri dicitur, non supponatur ex parte effectus: hoc verò posterius addere, quòd res secūdum talem rationē fiat vt proprius, & quasi formalis terminus potentiæ agentis, & non tantùm vt inclusus in formali termino. Per creationē ergo fit per se ens in quantum ens creabile, non tamen ex ratione creationis probari potest esse necessarium vt fiat per se primò secundum illam transcendentalem rationem: nam potest creari ab aliqua potentia per se primò quatenus tale ens. Licet autem illa propositio, quæ est fundamentum illius discursus admittatur de effectu per se primò, non tamen admitti potest de omni effectu per se, vt argumenta facta concludunt, non est ergo sufficiens ad concludendum intentum.

XXXI.

XXXII.

Nec minor est difficultas, sed fortasse maior in posteriori discursu, illa enim propositio: *Qui participat aliquam naturam nō potest absolutè illam producere, sed applicādo illā ad aliquid*, seu *ad hoc*; in hoc sensu est vera, quod non potest producere illam absolutè, id est in omnib. reb. in quibus existit, videlicet si illa natura sit specifica, nō potest producere illam in omnib. in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

diuiduis in quibus apta est existere: si verò sit natura A generica aut ratio transcendentalis, non poterit eam producere in omnibus inferioribus seruata proportione. Et hunc sensum probat optimè illa ratio, quia aliàs talis res posset efficere se ipsam. Iuxta hunc autem sensum, vel non est verum, vel saltem sine probatione assumitur, quidquid creat, creare absolutè ens: cur enim non poterit creare quædam entia & & non alia, vt hactenus argumentati sumus? Alium verò sensum potest illa propositio reddere, qui videtur magis intentus in illo discursu, nimirum, qui participat aliquam naturam, non posse producere illam naturam absolutè, id est secundum se totam, & secundum omnem partem eius, sed tantùm præsupponendo aliquam partem eius, eiq; aliam applicando: quo sensu verissimè dicitur, quidquid creat, creare absolutè ens, tamen illa propositio in eo sensu, siue vera, siue falsa sit, non probatur in prædicto discursu: nam licet aliquis produceret naturam sibi similem absolutè in dicto sensu, non sequitur quòd posset esse causa sui ipsius: nam posset producere talem naturam secundum se totam in vno vel alio in- B diuiduo, non tamen in omnibus, aut in vna specie (si natura sit generica) & non in omnib. Et pari ratione posset creare aliquod ens absolutè in dicto sensu, id est secundum totam entitatē, non tamen omne ens.

XXXIII. Vnde vlteriùs in bono sensu verum est, quòd qui participat aliquam naturam, non facit illam absolutè existere, sed est causa quòd sit in hoc indiuiduo, aut in hoc ente: non rectè tamen inde infertur, præsupponi ad actionem, per quam fit tale indiuiduum vel tale ans, aliquod principium indiuiduans, nam potest tota res cum toto suo principio indiuiduante per illam actionem fieri. Cùm enim natura specifica dicit fieri in indiuiduo, vel applicari ad indiuiduum, non est fingendum quòd vna res quæ fit, applicetur præexistenti, sed solùm dicitur applicari quia in vno indiuiduo fit, & non in sua abstractione. Vnde etiam quando Deus creauit Adamum, non creauit totam speciem humanam absolutè, id est abstractum, sed creauit illam applicando eam (iuxta illum modum loquendi) ad hoc indiuiduum, non quidem presupponendo in illo ex parte eius principium indiuiduationis, sed illud simul creando. Sic igitur, quamuis vnus angelus crearet sibi similem in natura, applicādo suam specificam naturam ad tale indiuiduum, nō oporteret, vt ad suā actionem supponeret principium aliquod indiuiduans alium angelum, sed quod C illud simul produceret. Maximè cùm hoc principium indiuiduans in singulis naturis nihil aliud sit quā ipsamet entitas naturæ, si sit simplex; vel principia quibus intrinsecè constituitur, si sit composita. Et confirmatur, quia aliàs eodem discursu probaretur, supposito vno angelo non posse Deum creare alium illi similem, quia vel per illam actionem crearet talem naturam specificam absolutè; & hoc non, quia per illam actionem non creat priorem angelum; vel producit applicando specificam naturam ad hoc indiuiduum; & sic oporteret ad talem actionem supponi principium indiuiduans. Quòd si tūc dicatur, vt verè dicendum est, applicari illam naturam ad hoc indiuiduum, producendo absolutè totā eius entitatem ex nihilo, idem omnino diceretur, etiamsi vnus angelus crearet alium sibi similem, vel in specie, vel in genere: nam quòd in ipso agēte supponatur similis natura, nihil obstat creationi, vt iam suprà dictum est.

XXXIIII. Fateor nescire me omnibus his difficultatibus satisfacere; nam contra posteriorem discursum positiuè (vt ita dicam) videntur mihi concludere non esse aptam ratiocinationem illam: contra priorem verò saltem ostendunt non conuincere, quia non omnia principia quæ in eo sumuntur, sufficienter probantur, quamuis non constet esse falsa. Et omnia reducuntur ad illud, quod omnis potentia creandi talis necessariò esse debeat vt se extendat ad omne creabile, Hoc autem non videtur satis conuinci ex his quæ hactenus diximus, & præcisè considerando terminum ad quem tendit creatio. Videndum autem superest an coniungēdo terminum à quo, & specialem habitudinem horum terminorum, & modū agendi proportionatū illis id possit efficacius inferri.

Iudicium de prædictis obiectionibus.

Est igitur vltima ratio eiusdem D. Thomæ dicto art. 5. ad 2. & 3. nam potentia creandi esse debet necessariò infinita: ergo non potest esse creata: & eodem modo inferri potest necessariò extēdi ad omne creabile, nam potentia simpliciter infinita, est etiam vniuersalissima, & obiectum eius esse debet infinitum quantum esse potest in ratione obiecti factibilis. Antecedens probatur à D. Thoma, quia virtus potentiæ non tantùm attenditur ex re facta, sed etiam ex modo; sed modus producendi ex nihilo indicat infinitam vim in agendo: nam ad producendum aliquid ex potentia remota, requiritur magna virtus, & ex remotiori maior: ergo ad producendum ex nulla potentia, seu ex nihilo requiritur infinita virtus. Eandem rationem habet Albertus in 2. distinct. 1. a. 7. & alij.

XXV. Vltima ratio quā D. Thomas probat assertionem.

Albertus.

Nonnulli fundant rationem hanc in eo, quòd inter ens & nihil est infinita distantia. Sed non rectè, vt Scotus suprà respondet, quia nullum ens distat à nihilo nisi secundum eos gradus entitatis quos in se habet. Vnde etiam D. Thomas in 4. distinct. 5. quæst. 1. art. 3. ad 5. ait, non esse distantiam infinitam inter ens & non ens ex parte ipsius entis, nisi quando ens est infinitum: quia vnum oppositorum tātum distat ab alio, quantum de reliquo participat. Et ideò materia quia est imperfectissima, dicitur ab Augustino prope nihil, angelus autem dicitur esse prope Deū, & vnumquodq; ens quo est perfectius, eò magis accedit ad Deum, & magis recedit à nihilo. Ipsum autē nihil potest quodammodo dici infinitè, vel potiùs indefinitè seu indeterminatè distare ab ente, quia nihil potest magis distare ab ente quam ipsum nihil, vel quia non habet vnam determinatam distantiam, sed potest habere maiorem & maiorem secundum varios gradus entis. Sed hoc non refert ad præsens, quia per creationem non transcenditur (vt ita dicā) tota hęc distantia ipsius nihili secundum totam latitudinem suam, sed solùm secundum eos gradus entitatis, quos recipit ens, quod creatur.

XXVI. Hēric. quodlib. 4. q. 3. Alibi in 2. d. 1. art. 4. quæst. 4.

A lij ergo communiter fundant illam consecutionem in maxima improportione, quæ est inter ens & nihil. Nam ad agendum ex potentia magis elongata ab actu, requiritur maior virtus: ergo qua proportione effectus fiet ex remotiori potentia, eadem requiretur maior virtus: ergo vbi elongatio actus à potentia est sine vlla proportione, ibi maior sine vlla proportione virtus requiretur, hæc autē non est nisi infinita: nam omnis virtus finita seruat aliquā proportionem ad alteram finitam. Qui argumentandi modus frequens est apud Aristotelem, vt constat ex 4. & 8. Phys. Ex quo simili proportione argumentatur Caietanus, nam si ad producēdum aliquid ex nihilo sufficeret virtus finita, sequeretur, æqualem virtutem requiri ad producendū aliquid ex aliqua materia,

XXVII.

teriā, & ex nihilo: sit enim virtus creatrix finita vt A quatuor: virtus autem producens ex materia remota sit vt duo: ergo virtus necessaria ad producendum ex materia duplo remotiori erit saltem vt tria: ergo ad producendum ex vlteriori materia duplo etiam remotiori, erit necessaria virtus vt quatuor: ergo tāta virtus requiritur ad producendum aliquid ex aliqua materia, quanta ad creandum.

Obiectiones contra prædictam rationem.

Contra hanc verò rationem multa obiiciūt Scotus, & Durandus suprà. Sed omnia eò tendunt, vt probent inter ens & nihil vel non esse distantiam, vel non infinitam: quod non refert ad rationem factam, iam enim ostendimus nō esse necessarium fingere illam infinitam distantiam propriam & positiuam, neq; inde sumi argumētum, sed ex improportione quæ indicat talem modum operandi, qui summam efficaciam in agente requirat. Veruntamen illa obiectio quam suprà proposuimus, videtur valde eneruare hanc rationem; optimè enim probat argumentum, virtutem creatiuam esse ex hoc capite improportionabilem virtuti eductiuæ de potentia materiæ: hinc tamen non rectè infertur fore necessariam infinitam simpliciter, nam satis erit si sit alterius ordinis, quæ solet etiam dici infinita secundum quid, quam admittere nullum est inconueniens. Et hoc satis est vt illa potentia non seruet proportionē respectu cuiusuis potentiæ, quæ solùm possit operari per eductionem formæ de potentia materiæ: quia proportio solùm seruatur inter ea quæ sunt eiusdem rationis, seu quātitatis. Et declaratur hoc amplius ex ipsomet discursu: nam cùm dicitur, ad producendū aliquid ex potentia magis remota requiri maiorem virtutem, sermo est de potentia passiua, & de maiori vel minori elōgatione ab actu ex defectu dispositionum, vel propter repugnantes dispositiones, & cōsequenter fit etiam comparatio inter virtutes actiuas solùm per eductionem de potentia passiua. At verò cùm infertur ad producendū aliquid ex nihilo maiorem requiri virtutem, illud *ex nihilo* non designat aliquam potentiam passiuam remotissimam ab actu, seu valde indispositam, sed designat potiùs carentiam omnis potentiæ passiuæ: ergo non potest concludi quòd potētia productiua ex nihilo sit maior vel infinita per augmentum (vt ita dicam) potētiæ eductiuæ, sed solùm quòd potentia sic actiua, scilicet ex nihilo, est alterius & superioris ordinis ab omnipotentia tantùm eductiua, etiamsi potens sit ad educendam formam ex quacunq; potentia reali, quæ remotissima sit. Atq; ita non sequitur illud in- C conueniens, quod potentia creatiua & eductiua sint æquales, quia sunt improportionatæ. Adde, quòd si non essent cætera paria, sed ad diuersos effectus inæqualiter perfectos compararentur, non esset illud magnum inconueniens, vt etiam suprà argumentando in principio proposuimus.

XXVIII. Dictorum omnium summa & probatio assertionis.

Propter has ergo difficultates dixi superiùs, veritatem hanc certiorem nobis fieri ex his, quæ facta sunt, quàm ex ratione, quæ efficaciter demonstret atq; conuincat, non posse aliud fieri. Atque eodem modo censeo ex rebus factis probabilissimè ostendi, ad cuiusuis rei creationem requiri potentiam simpliciter infinitam: nam cùm factæ sint à Deo plures substantię adeò perfectæ, nulla earum accepit virtutem ad creāduni vel minimam rem, & quæ est prope nihil: ergo signum est id solùm prouenire ex limitatione omniū harum creaturarum quantumuis perfectarum: aliàs nulla ratio reddi posset cur maxima perfectio quę in angelis, aut Seraphim inuenitur, ad hoc non sufficiat. Atq; hinc vlterius fit coniectura, illum superiorem ordinem, cuius necessariò esse debet potentia creatiua, non esse alium nisi ipsius esse per essentiam: nam inter esse participata non potest nouus ordo, seu nouus gradus reperiri præter eos, qui facti sunt: cùm ergo supputādo concluditur potentiam creatiuam debere esse alterius ordinis, concluditur esse infinitam: nam ille ordo non est alius nisi in quo est ipsum esse per essentiam. Et hoc significauit Athanas. ferm. 3. contr. Arianos, cùm dixit, *Administrare, creaturarum ac seruorum est, condere autem atq; creare solius Dei, & Verbi eius ac sapientiæ.* Præterea declarari ampliùs hoc potest, nam ipse modus efficientiæ per creationem indicat summam quandam efficaciam, & indepēdentiam in creatore, quia, cùm ad agendum nullam supponat potētiam realem extra se, tantùm requirit potentiam obiectiuam, seu possibile per non repugnantiam: hoc autem indicat summam vim in potentia actiua, & ideò fortasse dixit Cyrill. lib. 2. cont. Iulianum, *efficaciter posse operari* Cyrillus. *vt creatorem, & producere res quæ aliquando non erant, esse vnum ex iis quæ propria sunt solius & omnium summæ sub-* B *stantiæ.*

Sanctorum authoritate conclusio roboratur. Athanas.

Deinde creatio est prima omnium actionum, per quam communicari potest esse participatum, & hoc sensu per se primo tendit ad producendum ens totum in quantum ens: hinc ergo satis fit verisimile, hanc actionem talem esse vt natura sua essentialiter postulet manare ab ipso esse per essentiam: ideoque non posse dari entitatem participatam quæ vim habeat ad talem actionem.

XXXIX. Et ex eodem principio satis probabiliter intelligitur, illam gradationem superiùs factam, quòd ad producendum ex maiori potentia requiritur maior perfectio, intelligendā esse non solùm intra aliquod genus entis, sed absolutè in latitudine entis: ideoque ad creandum requiri virtutem non qualiscunque ordinis superioris, sed supremi qui in tota latitudine entis seu potentiæ actiuæ intelligi potest. Atque hinc vlteriùs fit valde probabile illud principium, quod potētia creandi necessariò se extēdit ad omne creabile: quia non expectat (vt ita dicam) ex parte obiecti nisi non repugnantiam, vt effectus sit aut fiat. Et quia principium primæ emanationis, & participationis est ab ipso esse per essentiam, & ideò talis potentia nihil esse potest nisi virtus quæ sit ipsum esse per essentiam, quæ est virtus vniuersalissima, & de se potens in omne esse participatum. Et ob C hanc fortasse causam dixit Augustin. lib. 9. de Genes. Augustinus. ad literam cap. 15. *Angelum tam non posse quamuis rem creare, quāneq; seipsum.* His ergo modis intelligimus, quamuis superiores rationes non sint demonstrationes omnino cogentes, plurimum tamen conferre ad indicandam altitudinem potentiæ creatiuæ, & rationem ob quam repugnet esse creatam.

XL. Tandem mihi non omnino displicet (quamuis Scotus eam contemnat) alia coniectura Ægidij, nimirum quòd cùm omnis creatura sit mutabilis, & aliquo modo constans ex actu & potentia, verisimile est non esse capacem naturæ suæ potentię agendi nisi per motum vel mutationem, & inducendo actum in potentiam. Patet consequentia ex illo principio, quia modus agēdi imitatur modum essendi. Ex quo fit è contrario, vt Deo conueniat posse creare quatenus est actus purus & ipsum esse per essentiam, ac denique quatenus virtutem habet infinitam.

Ægid. quodlib. 1. q. 1. & quodlib. 5. quæst. 1.

Satisfit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Satisfit rationi in principio positæ.

XLI. Primæ respõsio. EX his satis respõsum est principali rationi dubitandi in principio positæ. Quòd verò in augmentum difficultatis addebatur de virtute principali, non innata, sed superaddita, duobus modis potest etiam ex dictis facilè expediri. Prior sumitur ex his, quæ de facto credimus, quia de facto nulla talis virtus principalis ad creandum cõmunicata est substantiis creatis, & tamen illis additæ sunt virtutes & qualitates perfectissimi ordinis: ergo signũ est nullam virtutem naturis rerum superaddi posse quæ sit principalis virtus creandi. Vnde iudicio meo nõ rectè nec satis consentaneè loquuntur, qui dicunt omnes supernaturales qualitates quæ nobis infundũtur, creari, aliàs etiam supernaturales actus, vt visio beata, crearentur, nam sunt veræ qualitates, & tã supernaturales sicut ipsi habitus. Ex quo fieret vt lumen gloriæ v. g. quod est principale principium ad faciendam visionem, esset etiam principalis virtus ad creandum: quod absurdum est.

XLII. Secunda respõsio. Posterior respõsio est, rationes priùs factas non probare tantùm de virtute connaturali, sed simpliciter de virtute creata, eò enim tendunt vt ostendãt nullam virtutẽ creandi esse posse creatam aut limitatam, quod æquè procedit de virtute indita naturæ ab extrinseco, & de illa quæ ab intrinseco nascitur: nam virtus quæ extrinsecus additur, creata esse debet. Vnde etiam oritur alia ratio, quia virtus addita supra naturam rei, necessariò esse debet accidentalis, nam substantia non potest sibi ipsi addi, vel esse supernaturalis sibi: & ideò virtus superaddita, necessariò est accidentalis: virtus autem accidentalis non potest esse principalis virtus creandi. Quòd ex modo essendi eius satis colligi potest, iuxta ea quę superius diximus explicando primum discursum Scoti: nam cùm omne accidens sit natura sua pendens in esse à subiecto, fieri non potest vt habeat connaturalem modum agendi extra subiectum seu independentem à subiecto, qualis est modus creationis: ergo non potest esse principalis virtus creandi. Est enim attentè considerandum, quòd, licet forma aliqua quæ est principalis virtus ad aliquem actum, sit supernaturalis subiecto, & ideò ille modus agendi sit etiam tali subiecto supernaturalis, tamen illa forma habet suam propriam essentiam & naturam sibi cõnaturalem: & ideò ille modus agendi ipsi formæ est connaturalis. Cùm ergo modus agendi sine subiecto non possit esse connaturalis accidenti, neque virtus creandi esse poterit connaturalis aut subiecto, aut ipsi formæ accidentali: & ideò talis forma non potest esse principalis virtus.

SECTIO III.

An possit dari instrumentum creationis.

I. Naturale creationis instrumentũ nullum. NOn est in animo hanc rem ex professo, ac Theologicè tractare, sed tantùm breuiter attingere, quantum ex discursibus factis concludi potest. Ex dictis enim videtur efficaciter concludi, non posse esse creaturam instrumentale principium creandi, tale (inquam) instrumentum quod natura sua sit institutum & ordinatum ad talem actionem, quodq; habeat naturalem potentiam instrumentariam ad illam, constat enim ex superiùs dictis de causa agente creata inter virtutes actiuas connaturales agentibus creatis esse quasdam instrumentarias, & non principales, qualis est virtus semi-

A nis. Hoc ergo sensu dicimus, rectè probari ex dictis, non posse dari virtutem creatam, quæ ex se & natura sua sit instrumẽtaria virtus creãdi. Probatur, quia virtus instrumentaria creaturæ ad physicas & reales actiones semper est accidentalis: virtuti autem accidentali non potest esse connaturalis modus agendi per creationem, etiam instrumentariè. Maior constat inductione in omnibus propriis instrumentis, quæ non solùm propter habitudinem vel denominationem ad aliquod prius agens, sed propriè propter intrinsecum modum agendi, & insufficientiam virtutis ad effectum, vocantur instrumenta. Et præterea specialiter probatur in præsenti, quia si tale instrumentum non esset accidens, esset aliqua substantia. Cuius ergo esset instrumentum in creatione? Non sui ipsius, vt constat; nec etiam alterius substantiæ creatæ, quia nulla est, quæ sit principale agens ad creandum; & instrumentũ dicitur ex parte gentis principalis: nec denique Dei, quia ex parte Dei nõ est necessarium ad vllam creationem instrumentum, vt per se constat: nec verò ex parte ipsius substantiæ potest aliqua cogitari, quę natura sua po-

B stulet ad hũc finem institui, vt sit creationis instrumentum, cùm ille finis sit valde extrinsecus, & valde accidentarius ad rerum creationes. Imò cùm substãtia sit ens per se, nunquam finis alicuius substantiæ ipsi connaturalis est, quòd sit instrumentum ad aliquam actionem, nisi talis substantia sit aliquo modo partialis, & comparetur ad eam cuius est instrumentum vt pars ad totum: & tunc etiam potiùs se habet vt deferens virtutem instrumentariam, quàm vt instrumentum per propriam substantiam. De substãtia quatenus creata.

II. De modalibus accidentibus. Quod autem virtus accidentalis non possit esse naturale instrumẽtum creationis, eadem ferè ratione probari potest, quę de principali virtute facta est. Nam modus connaturalis agendi, esse debet proportionatus modo essendi formæ, siue agat vt virtus principalis, siue vt instrumentaria, quia vtroq; modo actio consequitur ipsum esse naturale formæ: sed modus essendi cũ independentia à subiecto non potest esse connaturalis accidenti: ergo nec modus agendi ex nullo subiecto potest esse illi connaturalis: ergo non potest accidens esse virtus natura sua instituta ad sic operandum etiam per modum instrumenti. Atque hoc bene confirmat ratio qua D. Tho. 1. p. quæst. 45. art. 5. probat creaturam non posse esse instrumentum creationis, scilicet quia creatura non potest esse instrumentum, nisi per aliquid sibi pro-

C prium dispositiuè operetur ad effectum principalis agentis.

III. Quocirca si D. Thom. in illo articulo in hoc tantùm sensu loqueretur, scilicet, de instrumento natura sua ad hanc actionem instituto, & habente connaturalem virtutem instrumentariam ad creandum, nulla esset aut in cõclusione, aut in ratione eius difficultas. Nam quod obiici potest contra illam rationem, sæpe actionem instrumenti non esse aliam ab actione principalis agentis, & tunc instrumentum non operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, sed immediatè illum efficere, vt multi censent de phantasmate respectu speciei intelligibilis: hoc (inquam) commodam habet solutionem, & illius principij interpretationẽ. Nam semper instrumentum naturale secundum aliquid sibi proprium, quod in effectu proportionatè ei correspõdet, operatur ad effectũ principalis agentis, dispositiuè autẽ operari dicitur, non semper cũ omni rigore & proprietate, id est inducendo dispositionẽ prę uiã re ipsa

distinctam

distinctam ab effectu principalis agentis, sed vel hoc A modo, vel quia instrumentum secundum id quod est sibi proprium, determinat actionem principalis agentis; quæ determinatio reduci potest ad genus causæ materialis seu dispositiuę: quo modo phantasma determinat actionem intellectus agentis ad talẽ speciem producendam. Neutro autem ex his modis potest creatura naturali virtute concurrere ad creationem vt instrumẽtum. Non quidem introducendo dispositionem præuiam, quia huiusmodi actio semper supponit subiectum quod disponendum sit: quod repugnat creationi. Neq; etiam determinando per aliquod sibi proprium actionem principalis

IIII. agentis. quia omnis forma creata secundum propriũ & connaturalem modum agendi, non habet proportionem cum actione ex nihilo, & ideò non potest secundum aliquid sibi proprium determinare huiusmodi actionem, ad illam concurrendo.

Quæ ratio sic expositа potest accõmodari etiã ad causas secundas principales, quę in eo sensu dicj possũt operari dispositiuè ad effectus primæ causæ, quatenus per proprias virtutes determinant actionem eius. Tamen in eis ratio hæc per se sola non sufficiet, B nisi supponatur aliunde probatum virtutes causarum secundarum non posse esse natura sua sufficientes, seu proportionatas in suo genere ad effectum ex nihilo producendum: quia hinc solùm probari potest non posse illas determinare concursum primæ causæ ad talem actionem. Quin potiùs ratio illa applicata ad propria instrumenta, & dicto modo intellecta, supponit probatum, quòd virtus creata non possit esse principale principium creãdi. Nam in hoc maximè fundatur, quòd instrumentum, quantum ad id quod dispositiuè vel (vt ita dicam) determinatiuè operatur per id quod est sibi proprium, ita se gerit ac si esset virtus principalis, quantum ad hoc quod est operari secundum modum connaturalem & proportionatum tali naturæ.

V. Adde præterea, si solum discursum D. Thom. in illo articulo spectemus, non videtur posse procedere in alio sensu nisi de instrumento connaturali. Nam illud principium, *instrumentũ per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectum principalis agentis*, non est in alio sensu necessariũ, aut verum, suppositа communiori doctrina de diuinis instrumentis supernaturaliter eleuatis ad opera iustificationis, transubstantiationis & similia: illa enim instrumenta nihil operantur per propriam virtutem ad effectum principalis agentis; vt in primo & tertio tomo 3. p. latè tractatum est. Et hunc sensum satis confirmat probatio illius principij quam statim D. Thom. subiungit, dicens, *Sicigitur nihil ibi ageret* (supple instrumentum) *secundum id quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarũ actionum.* Hęc enim ratio optima est in instrumentis naturæ, quæ per se ordinata, determinata, & necessaria sunt ad suos effectus. In instrumentis autem diuinis nullam vim habet illa probatio, quia verissimum est instrumẽta diuina nõ esse determinata, sed indifferẽtia & quasi vniuersalia per potentiam obedientialem: determinantur autem ad determinatas actiones per diuinam voluntatẽ & eleuationem, seu specialissimum concursum. Quare talia instrumenta non sunt quidem necessaria, nam sine illis æquè potest Deus eosdem effectus facere, nõ tamen propterea dicentur esse frustra, quia & quando eleuantur & assumuntur verè agunt, & non sine fine, & causa rationabili eleuantur vt agant.

VI. Sed quanquam ratio & discursus non videatur amplius concludere: omnes tamen discipuli, & interpretes D. Thomę intelligunt generaliùs eius sententiam, nimirum creaturam, etiam vt instrumentum eleuatum diuina virtute non posse concurrere ad creationem. Et certè D. Thomas cùm ibi sententiam Magistri impugnat, id satis significat. Nam Ma- Sententiarij Magister nõ asseruit naturale creationis instrumentum. gister non dixerat creaturam posse esse naturale instrumentum creationis, sed per diuinum ministerium, agebat enim de sacramentis quatenus sunt diuina instrumenta, vt patet in 4. distinct. 5. Vnde idem D. Thomas 3. p. quæst. 13. art. 2. distinguens expresè inter virtutem naturæ & instrumentum gratiæ, negat creaturam posse esse instrumentum creationis, vel annihilationis: idem in 2. cont. Gent. cap. 21. & in eadem sententia sunt omnes Theologi qui sententiam Magistri impugnant, vt Albert. Scotus, Henric. & Ægid. locis citatis sect. præcedente. Veruntamen controuersia hæc quatenus attinet ad supernaturale instrumentum, in Theologia examinanda est: existimo enim ex propriis principiis creationis non posse definiri.

VII. Nam si verum esset, creaturã aut nullo modo posse eleuari diuina virtute ad agendum aliquid vera B actione physica quod suam naturalem potentiam & virtutem excedat, aut non nisi per virtutem aliquam in ipsa receptam, quæ connaturalem vim habeat ad talem effectum, quod multi Theologi opinantur, & non improbabiliter: Si hoc (inquam) est verum, satis consequenter & optimè dicitur non posse creaturam eleuari vt sit instrumentum creationis. Si autem Deus potest eleuare creaturam vt per suammet entitatem absque alia superaddita efficiat effectum excedentem virtutem suam naturalem, quod ego longè probabilius iudico (sic enim existimo eleuare aquam ad efficiendam gratiam, & ignem ad torquẽdos spiritus & verba ad transubstãtiandum.) Si hoc (inquam) est verum, non video qua ratione consequentia negari valeat posse Deum vti vna creatura vt instrumento ad creandum aliam. Quia neque sufficiens ratio differentiæ assignatur; neq; affertur specialis aliqua ratio qua hoc probetur impossibile.

IX. Hæc est sententia Magistri in 4. d. 5. quam secutus est D. Th. ibi q. 1. a. 3. quæstiunc. 3. ad 4. & eãdẽ defendit in 2. d. 3. q. 1. artic. 3. Gab. in 4. d. 1. q. 1. art. 3. dub. 2.

Prior pars patet, nam vnica differentia esse videtur, quòd creatio non est actio ex subiecto sicut sunt aliæ actiones. Sed hæc differentia in primis non est vniuersalis, nam etiam transubstantiatio non est actio ex subiecto, vt docet D. Tho. 3. p. quæst. 75. artic. 8. Quòd autem in transubstantione supponatur aliquid vt materia remota, & vt terminus à quo, vel sub alia simili habitudine, nihil sanè refert vt minus repugnet instrumentum creatum concurrere ad illam actionem, quàm ad creationem. Deinde ex illa differentia non probatur, sed sumitur quod probandum est. Ex hoc enim quòd creatio est actio sine subiecto, optimè infertur non posse esse connaturalem creaturæ, neq; vt principali virtuti, neque vt instrumento, tamen hoc non obstante ex proportionali ratione ad alia instrumenta diuina contendimus, hanc actionem posse communicari instrumento creato per eleuationem. Nam etiam actio conuersiua totius substantiæ in totam substantiam non potest esse connaturalis creaturæ neque vt principali causæ, neque vt instrumento: actio similiter in spiritum, præsertim qua in illo fit supernaturalis qualitas, non potest esse connaturalis corpori, & tamen vtraque communicatur diuina virtute per eleuationem: ergo idem est de altera actione.

X. Altera verò pars constabit facilè applicando rationes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Inconuenientia ab aliquibus illata contra creationis instrumentum refunduntur.

tiones factas de virtute principali, & de instrumento connaturali, & considerando non procedere in instrumento per eleuationem. Quod enim quidam aiunt sequi, tale scilicet instrumentum habere infinitam virtutem & perfectionem, minimè sequitur, nam actio huius instrumenti non attenditur ex perfectione eius, sed ex perfectione primi agentis & potentia obedientiali instrumenti. Vnde in hoc ordine instrumentorum non est necessaria res perfectior ad perfectiorem effectum vel actionem. Neque hìc potest fieri illa gradatio, quòd ad producẽdum rem de maiori potentia maior virtus requiritur: nam eodem instrumento potest Deus educere formam ex subiecto quantumuis resistente. Deniq; eadem ratio fieri posset de instrumẽto transubstantiationis, nam etiam ad transubstantiandum virtute propria vel connaturali, requiritur infinita perfectio.

XI. Rursus non vrget quòd alij aiunt sequi, posse aliquid assumi vt instrumẽtum ad creandum se ipsum. Primùm enim negamus id sequi in rigore & proprietate, nam vt aliquid sit instrumentum physicum, necessariò debet supponi existens; & ideò supponitur creatio eius, ad quam ipsum non potuit esse in- B strumentum. Haberet autem illa ratio nonnullam vim contra eos, qui dicunt rem non existentem posse esse physicum instrumentum: illam tamen sentẽtiam improbabilem censemus. Quare licet ex vi creationis non repugnet quamcunque creaturam fieri per instrumentum creatum, tamen ex conditione præsuppositа, & prærequisita ad agendum repugnat rem eandem esse instrumentum suæ primæ creationis. Quod est euidens argumentando in simili forma de instrumento generationis seu eductionis: nemo enim negabit posse Deum vti gratia existente in Petro ad producendam gratiam in Paulo; negabit tamen posse illa vti ad se ipsam producendam, nõ obrepugnantiam talis instrumentalis actionis per se sumptæ, sed ob prædictam præsuppositionem existentiæ ad agendum. Quo circa, si verum est posse eãdem rem bis seu duabus totalibus actionib. produci, verè ac propriè terminatis ad eius esse, nullum est inconueniens concedere eandem rem iam creatam posse concurrere effectiuè ad sui recreationem, sicut humanitas Christi concurrit effectiuè ad transubstantiationem panis in ipsam: de quo aliàs.

Denique eodem modo procedendo per rationes superiùs factas, facilè constabit non habere locum in hoc genere concursus vel effectionis per potentiam obedientialem. C

XII. An sit actio aliqua ita Dei propria, vt nulli possit creaturæ cõmunicari.

Aliqui verò magnum inconueniens ducũt quòd nulla sit actio ad extra quam Deus non possit cõmunicare creaturis, nam si quę esset, esset maximè creatio. Sed ego nec consequentiam censeo necessariam, nec consequens rectè intellectum esse inconueniẽs. Posset enim aliquis dicere, actionem illã qua fit vnio hypostatica esse altiorem, magisq; incommunicabilem creaturæ; itemq; in Thesauris diuinæ potentiæ esse alios modos actionum, quæ aliis titulis superant creationem: nam licet creatio sit omnium prima, & quasi fundamẽtum aliarum non est tamen omnium maxima. Rursus aliud est loqui de actionibus, aliud de rebus quæ per actiones fiunt: loquendo ergo de rebus factis, nullum est inconueniens quod possit Deus per creaturam vt per instrumentũ agere quidquid sola sua virtute facere potest; quin potiùs hoc spectat ad efficacitatem diuinæ virtutis, sicut è contrario etiam ad eandem efficaciam pertinet vt nullã rem possit Deus facere per creaturam, quam nõ possit facere se solo. Loquẽndo autem de actionibus, multæ sunt ita Dei propriæ vt non possint esse à creatura, sicut est ipsamet actio creãdi sola virtute principali. Hoc verò non est proprium Dei, nam etiam actio creaturæ vt talis est, nõ potest fieri sine illa, nec per aliam creaturam. Cuius rei rationem explicabimus sect. sequenti, vbi etiam attingemus rationem aliam ob quam alij dicunt esse impossibile instrumẽtum creationis, & inefficacem esse ostendemus.

SECTIO V.

An creatio sit aliquid in creatura distinctum ex natura rei ab ipsa.

HActenus ferè solùm diximus de potentia creandi, simulq; declarauimus effectum eius, quatenus est obiectum seu terminus ad quem illa potentia dicit habitudinem, saltem nostro modo cõcipiendi: superest vt dicamus de actione ipsa seu creatione quid sit. I.

Variæ sententiæ.

IN qua re tres inuenio esse posse dicendi modos. Primus est creationẽ in ratione actionis non esse aliquid in creatura, sed in ipso creatore esse ipsum- II. Prima. met actum diuinæ volũtatis aut diuini imperij, quo res ad extra producit. Dico autem *in ratione actionis*, nam in ratione relationis, quæ supponit actionem iam terminatam, & resultat ex termino eius, creatio aliquid esse dicitur in creatura, scilicet, relatio quædam realis ad creatorem. Hæc censetur esse sententia D. Thomæ 1.p. quæst. 45. artic. 3. quem ita exponit Caietanus, & alij Thomistæ. Ratio D. Thom. est quia creatio non est mutatio, ergo nihil esse potest in creatura, nisi relatio. Antecedens patet, quia mutatio est circa aliquod subiectum, vt ex definitione motus constat: creatio autem non est circa subiectũ, vt etiam constat ex definitione eius suprà tacta. Primam verò consequentiam probat D. Thom. 1. p. q. 45. art. 2. quia actio & passio conueniunt in substan- D. Thom. Caietan. tia motus, & differunt secundum habitudines diuersas ad agens vel passum, ex 3. Physic. text. 20. Ergo ablato motu à creatione nihil potest remanere nisi relatio, vel creaturæ ad creatorem, vel creatoris ad creaturam.

Secundò, quia creatio non potest esse actio transiens formaliter: ergo est formaliter immanens in III. creante; & dici potest virtualiter seu eminenter trãsiens, quia vim habet ponendi effectum ad extra, q; quadrat optimè in actum diuinæ voluntatis vel imperij. Consequentia est clara, quia inter illa duo mẽbra nullum est medium. Antecedens verò probatur, quia actio transiens est accidens, & consequenter ex necessitate requirit subiectum, sed creatio non requirit subiectum, ergo non potest esse accidens: ergo non potest esse actio transiens.

Vnde argumentor tertiò, nam omnis actio est IIII. prior natura suo termino: ergo creatio etiam est natura prior re creata: ergo non potest esse in re creata, sed in creatore. Patet hæc vltima consequentia, quia impossibile est intelligere creationem vt actionem extra Deum, & priorem quàm rem creatam, quia in illo priori non intelligitur in quo aut quomodo sit, & non potest concipi actio vt actio in se sola & quasi per se subsistens.

Quartò argumẽtantur Thomistę, quia nõ solùm creatio, verùm neque vlla actio diuinæ potentiæ V. respectu

respectu illius potest esse transiens, neque vnquam A potest dari actio media inter potentiam Dei, & effectum eius, quę sit distincta à potentia Dei: ergo multo minùs hoc dari poterit in creatione. Antecedens verò probatur primò, quia diuina virtus est intimè præsens in omni effectu suo: ergo immediatè & per se producit omnem suum effectum & non media aliqua actione. Secundò, quia aliàs potentia Dei non solùm esset principium sui effectus, sed etiam suæ actionis, quod tamen negat D. Tho. 1. p. quæst. 25. art. 1. ad 3. Tertiò, quia actio transiens est complementum potentiæ actiuæ: sed non potest Deus habere complementum potentiæ suæ in creatura, aliàs penderet ab illa: ergo.

VI. Secunda. Secunda sententia est creationem esse aliquid extra Deum, tamen in re non esse aliquid distinctum à creatura quæ creatur, & ita propriè non esse in illa nisi secundum rationem, realiter tamen & essentialiter esse ipsammet creaturam, videlicet creationem hominis esse ipsam essentiam hominis, & creationẽ angeli essentiam angeli, & sic de aliis. Hæc sententia vt ponat creationem in re creata, fundatur in hoc, B quòd actio vt actio, necessariò debet esse in suo termino, vel per idẽtitatem, vel aliquo alio modo, quia actio non est nisi dependentia, & emanatio effectus à causa: dependentia autem necessariò esse debet in re quæ pendet. Quòd principium inferiùs latè probabimus: est enim verissimum. Vt autẽ affirmet hæc opinio creationem non distingui vllo modo nisi secundum rationem à re creata, primùm fundari potest in generali propositione, quòd nulla actio distinguitur in re à suo termino, sed ratione tantùm. Et hoc modo potest hæc sententia tribui Nominalibus, qui non ponunt actionem mediam secundum rem inter effectum & causam, vt videre est in Ochamo in 2. quæst. 9. & Greg. in 2. dist. 1. quæst. 4. & 5. qui in q. 6. subdit creationem esse in creatura, seu potiùs esse ipsam creaturam.

Ocham. Gregor.

VII. Gabriel. de Rubione in 2. d. 1. q. 1. Secundò potest hæc opinio fundari in speciali ratione creationis, scilicet, quòd sit actio ex nihilo, & ideò non possit esse accidens sed subsistantia, seu per modum subsistantiæ si fortasse accidens separatum creetur. Et ad hoc confirmandum iuuari potest hæc sentẽtia argumẽtis, prioris opinionis, præsertim tertio. Et cõfirmari potest, quia si creatio esset, aliquid in creatura distinctum ab ipsa, & quasi mediãs inter C ipsam & Deũ, illud quidquid esset, creatũ quid esset & factũ, nam esset distinctum à Deo & profluens ab ipso: ergo oporteret in illo creationem eius ab ipso distinguere, & sic procederetur in infinitum, vel si in aliquo sistendum est, sistatur in prima creatura. Et ad hoc confirmandum valere possunt argumenta quibus Scotus in 2. dist. 1. quæst. 5. conatur probare, creationem passiuam (loquitur de relatione) non esse rem distinctam à creatura: quæ refert & soluit Capreol. ibi quæst. 2.

VIII. Tertiò potest hæc sententia fundari in essentiali ratione creaturæ vt sic: nam de essentia creaturæ est vt pendeat à primo ente: ergo dependentia qua pendet, & est in ipsa creatura, & non est aliud ab eius essentia. Hæc autem prima & essentialis dependentia entis participati ab ente per essentiam, est creatio: ergo creatio & est in ipsa creatura, & non est aliud quàm eius essentia. Vnde non magis potest ab illa distingui, quàm essentia vniuscuiusque rei ab ipsa. Primum antecedens euidens est, quia sicut de essentia primi entis est esse per essentiam, & cõsequenter esse à se, & non ab alio, ita de essentia omnis alterius entis est, esse ens per participationem, & consequente esse dependens ab alio. Prima verò consequẽtia probatur, quia dependere est aliquid intrinsecum creaturæ: ergo conuenit illi per aliquid intrinsecum cõuenit autem per dependentiam. Rursus si effectus formalis est essentialis, etiam forma: sed dependere est quasi effectus formalis dependentiæ: ergo si creatura essentialiter est dependens, dependentia ipsa est de essentia eius. Ergo hoc maximè verum est de prima & maximè immutabili dependentia: huiusmodi autem est creatio; quia, vt suprà dicebamus, hæc est prima emanatio entis participabilis ab ente per essentiam, & per hanc potest esse quælibet creatura à solo Deo.

Ex hoc autem fundamento infertur (consequenter loquendo iuxta hanc sententiã) in omni re creata includi aliquam dependentiã à Deo, omnino immutabilem, & inseparabilem ab ipsa re creata, tum quia id quod est essentiale est immutabile; tum etiã quia quod in re non est distinctum, nõ est separabile manente illa re (ita enim loquimur.) Vnde fit secundò, hanc dependentiam esse à solo Deo: nam omnis B dependentia vnius creaturæ ab alia, est separabilis à creatura, præsertim loquendo de rebus creatis, non de modis rerum: nam hoc modo verum est, posse Deum facere se solo quidquid facit per creaturam, vel cum illa, vel in illa, vel ex illa. Atq; ita omnis dependentia à creatura in quouis genere causæ, est accidentalis & mutabilis: dependentia autem à solo Deo est essentialis & immutabilis. Tertiò infertur hanc dependentiam à solo Deo esse propriissimam creationem, cùm ad causam materialem nullum ordinem includat. Quartò hinc videtur optima ratio reddi, ob quam non possit creatura ad creationem concurrere, etiam per modum instrumenti, quia hoc ipso quòd penderet ab alia creatura, non esset essentialis alteri creaturæ, & ita iam nõ esset creatio. IX.

Tertia sententia est creationem esse aliquid in re X. creata; nõ quidem realiter ab illa distinctum tanquã Tertia. habẽs propriam entitatem, sed ex natura rei tãquam modũ eius. Hæc opinio, quantum ad eam partem de existentia creationis in creatura, satis communis est. Tenet eã Gabriel citato loco. Aureolus citatus à Ca- Gabriel. preolo in 2. dist. 1. q. 2. in argument. cont. 1. concl. O- Aureol. cham in 1. dist. 43. quæst. 1. Tho. de Argẽt. in 2. dist. 19. Ocham. q. 1. art. 1. Ægid. in 2. d. 1 p. 1. quæst. 3. art. 2. & de esse & Argentin. essent. quęst. 7. qui omnes authores satis etiam explicant, & declarant, creationem non esse rem omnino distinctam a re creata: interdum etiam vocant illam creationem passiuam, & dependentiam creaturæ à Deo; vocant etiam creationẽ actiuam seu actionem transeuntẽ. Dinstinctionem aũt modalem non satis explicant, imò Ægidius, & nonnulli alij negare videntur. Posset in fauorem huius sententiæ citari D. Tho. in 1. dist. 40. qu. 1. art. 1. ad 1. vbi creationem vocat actionem transeuntem, & æquiparat illam calefactioni; tamen D. Thom. ibi valde ambiguè loqui- D. Thom. tur, nam in omni actione transeunte videtur ponere actionem formaliter in agente, in passo verò solùm effectiuè seu per modum passionis, & ita illũ interpretatur Deza in 1. d. 27. quęst. 1. notab. 1. Vnde et- Deza. iam Caiet. 1. p. quæst. 25. art. 1. ait, si in Deo potentia Caiet. executiua est ratione distincta ab intellectu & volũtate negari, non posse quin creatio sit actio transiẽs, & nihilominus ait illã actionem nõ esse quid distinctum ab essentia Dei: quia vniuersaliter tenet actionem transeuntem formaliter esse in agente. Quapropter cauenda est hæc ambiguitas locutionum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstionis resolutio.

XI. INter has sententias hæc vltima vt proposita est, vera mihi videtur, vt autem rem declaremus, & ab iis quæ certiora videntur, incipiamus, dicendum inprimis est, dependentiam creaturæ à Deo esse aliquid realiter & intrinsecè existens in creatura. Hæc assertio sufficienter videtur probata in tertia sententia, & neminem legi, qui sub his terminis eam neget, & in æquiualentibus omnes eam concedunt. Omnes enim fatentur creationem passiuam esse in creatura, non tantùm vt significat relationem resultantem (illud enim nihil est) sed vt dicit emanationem passiuam, seu fieri creaturæ à Deo: siue hæc re, siue ratione distinguantur, nunc enim hoc non agimus: dependẽtia autem nihil aliud est quàm passiua emanatio, seu creatio, loquendo de prima dependentia à solo Deo, de qua nunc agimus. Ratio autem est, quia creaturam dependere non est denominatio extrinseca in creatura, sed potiùs in Deo est extrinseca denominatio, quòd ab ipso creatura dependeat: sed creatura dicitur dependens à dependẽtia: ergo dependentia est aliquid in ipsa, & non tantùm in Deo. Item quia dependentia quam lumẽ habet à Sole, aliquid est in ipsomet lumine, & idem est in quolibet effectu respectu causæ creatæ, iuxta modum dependentiæ quem ab illa habet, vel in fieri tantùm, vel etiam in conseruari. Atq; eadem ratione si Deus solus illuminaret aerem, dependentia illius luminis à Deo esset aliquid in ipso lumine: nam est eadem ratio, quæ de dependentia à Sole, vel fortasse maior: ergo etiam illa dependentia qua creatura secundum se totam pendet à Deo, est aliquid in ipsa creatura. Patet consequentia, quia si in aliis effectib. dependentia est aliquid in ipsis, ideò est, quia dependentia dicit modum, vel conditionem effectus non causæ: hæc autem ratio æquè vel magis procedit in dependentia totali.

XII. Dependẽtia creaturæ à Deo, in re ab ipsa distincta.

Dico secundò. Hæc dependẽtia creaturę à creatore, non est omnino idem quod creatura, quę est terminus illius dependentiæ seu creationis, sed est aliquid in ipsa, à parte rei distinctum ab ipsa. Probatur primò à paritate rationis, inductione facta in omnibus aliis dependentiis effectuum à suis causis efficiẽtibus, nam in omnibus actio & consequenter etiam dependentia, distinguitur ex natura rei à suo termino, vt suprà tactum est, & infrà in proprio prædicamento ex professo tractabitur: ergo & dependentia creationis erit in re distincta à termino, solùm enim differt ab aliis, quia est dependentia ab efficiente sine concursu materiæ vel subiecti: hoc autem discrimen nihil refert ad tollendam distinctionem, vt ex dicendis constabit. Secundò probatur, quia hæc dependentia est mutabilis & variabilis in creatura, manente eadem re quæ fit: ergo distinguuntur à parte rei. Consequentia fundatur in principio supra tractato disput. 7. sect. 2. vbi ostẽdimus hoc esse certum signum distinctionis, vel realis, vel saltem modalis, si ex duobus extremis realibus vnum sine altero à parte rei esse possit. Et hoc est præcipuum indicium quo in aliis actionibus probamus actionem distingui à parte rei à termino. Antecedens autẽ probatur, quia dependentia illa qua nunc Deus conseruat quantitatem sine subiecto in sacramento, distincta est ab illa qua conseruabat eandem quantitatem in substãtia panis, nam illa prior pendebat à materia: altera verò minimè, sed est per modum creationis: ergo si Deus crearet à principio quantitatem extra subiectum, & posteà illã vniret subiecto & cõseruaret dependenter ab illo, maneret eadẽ quantitas sine priori dependentia creationis; quòd enim ibi simul mancãt duæ dependentiæ totales, improbabile est, vt infrà ostendam: ergo dependentia creationis separabilis est à termino creato. Quod ergo in hoc exemplo apparet, in omni creatione intelligendum est, tũ quia est eadem ratio: tum etiam quia si quid difficultatis in hoc esse videtur, in omni creatione interuenit: quòd si in aliqua re cessat, etiam in omnibus cessat.

XIII. Exemplis probatur cãs clausio.

Non possumus autem in ordinario modo creationis substantiarum afferre exempla, quia huiusmodi creatio à solo Deo fit semper & ex natura rei, & quicquid à Deo propriè creatur ex nihilo, perpetuò conseruatur eadem actione, vt infrà dicetur: quia hoc postulat natura rei. Tamen hinc non potest sumi argumentum omnimodæ identitatis, & inseparabilitatis, nam satis est, quòd interueniente miraculo, seu opere supernaturali variari possit dependentia circa eandem creaturam; quia hoc ipsum fieri non posset sine aliqua distinctione in re. Quòd autem id fieri possit per miraculũ, declarari potest (præter argumentum factum) iuxta probabilem opinionem, quòd creatura possit esse instrumentum creationis, nam tunc potest Deus creare eandem rem, vel se solo, vel per instrumentum, & tunc dependentiæ sunt diuersæ circa eandem rem, nam quãdo creat per instrumentum, longè diuersa est dependentia quàm si esset à solo Deo, nam per illam pendet effectus simul à Deo, & à creato instrumento, quod intelligi non potest sine noua & distincta dependentia. Neque enim quando effectus fit à Deo per causam secũdam principalem, vel instrumentalem, sunt ibi duæ dependentiæ, vna à solo Deo, quæ semper maneat, altera à creatura, quæ mutetur, vt in discursu huius sectionis ostendemus, & sæpiùs repetemus in duabus disputationibus sequentibus: ergo necesse est totam dependentiam variari circa eãdem rem. Quocirca cùm probabile sit, quando generantur vermes, vel caro ex speciebus consecratis, iterum creari sub illis eandem numero materiam primam, quæ anteà fuerat in pane, & sit etiam probabile creari media humanitate Christi vt instrumento, tunc licet materia prima quæ creatur, sit eadem quę anteà fuit, tamen dependẽtia eius est diuersa propter causam dictam. Ac denique si Deus annihilaret vnum Angelum, & posteà illum iterum crearet, non oporteret dependentiam esse eandem numero, quę anteà fuerat, nam licet Deus id facere possit, non est cur dicamus esse necessarium: quia si idem lumen successiuè pendet à diuersis agentibus per diuersas dependentias, cur non potest facere Deus vt idem Angelus ab ipso successiuè pendeat diuersis dependentiis? Hæc igitur omnia satis ostendũt esse aliquam distinctionem in re inter dependentiam creaturæ & terminum eius.

XIIII. Ratio à priori confirmatur.

Tertiò est ratio à priori, quia hæc dependentia non est de essentia substantiæ, qualitatis, aut quantitatis dependẽtis, sed est via quædam ad ipsam. Quod patet ex ipsa ratione substantiæ, & idem est de aliis: nam substãtia, licet creata sit, in essentia sua est quid absolutum, solumque includit essentialiter esse per se, & in speciebus substantiæ intelligitur essentialis ratio completi per similes differẽtias absolutas, absque illa habitudine transcendentali quam essentialiter includit actualis dependentia. Posseque hoc cõfirmari, quia de essentia creaturæ nõ est actu esse, ergo neque actu dependere: quæ illatio habet vim iuxta

iuxta sententiam quæ distinguit existentiam ab essentia vt actu creata: iuxta nostram verò sententiam minorem habet efficaciam. Quod autem hæc depẽdentia actualis non sit essentialis, latiùs & efficaciùs probabitur inferiùs contra secundam sententiam, ab incommodis quæ ex illa sequuntur, eò quòd non rectè declaret essentialem dependentiam quam habet creatura à creatore.

XV. Dependẽtia creaturæ à Deo, modus est ex natura rei distinctus ab ipso.

Dico tertiò. Hæc dependentia quæ est in creatura, non est res omnino distincta realiter à termino creationis, neque est sola relatio resultans ex termino creationis, sed est modus quidam ex natura rei distinctus ab ipso termino. In his omnibus æquiparamus creationem omnibus aliis dependentiis, in quibus omnia illa ferè sunt certa, & ab eis sumitur argumentum satis efficax per inductionem & similitudinem, quia differentia quòd actio sit ex subiecto, vel non ex subiecto, nihil ad hæc omnia refert, vt facilè ex dictis patet, & magis cõstabit ex solutionibus argumentorum. Et præterea probo breuiter singula. Et in prima quidem parte nulla est controuersia, tum quia superfluum est, fingere illam entitatem, cùm ad omnia quæ diximus, satis sit modus distinctus; tum etiam quia secundum fundamẽtum secundæ sententię efficaciter procedit contra huiusmodi entitatem: tum deniq;, quia illa entitas nõ potest esse substantia per se distincta: quis enim illam intelligat, aut fingat? vel quis dicat non posse Deum creare vnam solam substãtiam? & similia incommoda facilè possunt ex illa positione inferri. Neq; etiam est propria entitas, quæ sit forma accidentalis, cùm in subiecto non sit, neq; possit accidens intrinsecè terminari ad dandum esse substantiale: superest ergo vt sit modus, quod intendimus.

XVI. Secunda pars de relatione resultante, siue illa sit res, siue modus ex natura rei distinctus à creatura, siue non, eo modo quo dicitur esse resultans, non potest esse dependentia de qua nunc agimus, quia fundatur in ipsa depẽdentia: nullum enim aliud fundamentum, vel rationem fundandi habere potest, ex his quæ Aristoteles numerauit 5. Metaph. cap. 15. tex. 20. Et patet, quia ideò creatura refertur ad Deum, quia ab illo pendet. Item, quia relatio est natura posterior quàm res creata, in eaque subiectatur tanquam in proprio subiecto: dependentia autem est ordine naturæ prior non solùm quàm relatio, sed etiam quàm res creata, saltem sub aliqua ratione, scilicet, quia via est prior quàm terminus. & fieri, quam factum esse. Tertiò tandem, quia hæc relatio dicitur resultare posito fundamento & termino: dependentia autem non resultat ex termino, sed potiùs est via ad illum, seu emanatio eius à Deo. Relinquitur ergo vt solùm sit quidam modus modaliter distinctus à creatura quæ pendet. Quod tandem optimè confirmat signum illud distinctionis ex natura rei, quod suprà adduximus. Nam, licet creatura & dependentia eius ita comparentur, vt possit hęc eadem creatura permanere, variata dependentia seu creatione, tamen è conuerso non potest hæc creatio seu dependentia manere quin suum intrinsecum terminum secum ferat: quia essentialiter est fieri vel conseruari talis termini: signum ergo est solam distinctionem modalem hîc interuenire.

XVII. Dico quartò. Hæc dependentia non habet veram rationem mutationis: habet tamen veram rationem viæ seu fieri creaturæ, & sic appellatur creatio passiua: habet etiam veram rationem emanationis à Deo, & quatenus ab ipso est, verè ac propriè dici potest actio ipsius Dei, formaliter transiens, qua producit creaturam. Vt intelligatur tota conclusio, suppono in actione quæ fit ex subiecto, coniungi hęc tria, quę habitudine & denominatione distinguũtur à nobis, non tamen reipsa, etiam distinctione modali, scilicet, fieri termini, actionem agentis, & passionem seu mutationem subiecti: idem enim dependentiæ modus respectu formæ quam inducit, dicitur fieri seu via ad illam, respectu agentis dicitur actio eius, & respectu passi dicitur mutatio seu passio. Ex his ergo tribus hoc vltimum non habet locum in creatione. Et hæc est prima pars assertionis: quam rectè docuit D. Thom. negans negationem esse mutationem: & eandem probat latè Gregor. suprà conclusione 2. In qua ob hanc causam meritò dicit, quamuis omnis passio sit actio, vel habeat actionẽ coniunctam, non tamen è conuerso oẽm actionẽ inferre passionẽ: quia non semper actio versatur circa subiectũ seu passum: passio autem intelligi non potest sine patiente, nec mutatio sine mobili. Cùm ergo creationis dependẽtia non supponat aliquod subiectum ex quo fiat, nõ potest verã rationẽ passionis aut mutationis habere.

XVIII. Dices. Creatura ipsa mutatur, cùm creatur, nam aliter se habet, quàm prius: vnde noua relatione refertur ad Deum: non quidem per mutationem Dei, sed ipsius creaturæ, iuxta doctrinã August. 5. de Trinit. c. vltim. Respondetur facilè, mutationem interdum propriè dici, & sic solùm dici de subiecto, quod duratione (vel secundum aliquos ordine naturæ) præexistit, & per actionẽ aliter se habet quàm prius se haberet. Et hoc sensu negamus creationẽ esse mutationem, & clariùs diceretur nõ esse passionem. Interdum verò latiùs mutatio dicitur de omni actione aut effectione, quæ aliquam nouitatem ponit in effectu, & sic dicetur per generationem mutari nõ solùm materia, sed res genita: & hoc sensu dici potest creatio mutatio, minùs tamen propriè, quia res quæ creatur, non dicitur propriè se habere aliter quàm anteà, quia anteà nihil erat, sed dicenda est habere esse simpliciter, quod anteà non habebat.

XIX. Ex hac autem ratione & responsione intelligitur, habere locum in creatione illam habitudinem viæ ad terminum, quæ fieri passiuum appellari solet. Primùm enim huiusmodi via seu fieri ex sua ratione formali nõ dicit habitudinem ad subiectum, sed solùm ad terminum: ergo ex præcisa ratione sua nõ repugnat creationi. Deinde huiusmodi fieri in aliis effectionib. nihil aliud est, quam dependẽtia effectus à causa quatenus est tendentia quędam ad effectum. Sed hoc totum reperitur in hac dependentia creationis. Præterea, quia in omni eo quod mutatum est, interuenit mutari, ergo in omni eo quod factũ est, interuenit fieri. Maximè quia hoc ipsum, nempe de nouo factum esse, est aliquo modo esse mutatum, saltem latè loquendo, vt diximus.

XX. Dependẽtiæ creaturæ à Deo verę cõuenientia actiuę creationis.

Tandem hinc facilè ostenditur vltima pars assertionis, nimirum huic dependentiæ creaturæ, quatenus dicit habitudinem ad diuinam potentiam à qua fluit, conuenire propriam rationẽ actionis seu creationis actiuæ. In qua parte videtur præcipuè posita dissensio inter authores circa præsentem quæstionem. Cauendum tamen est ne solùm de nomine cõtendatur. Pendet enim hæc quæstio ex illa Philosophica, an actio transiens sit formaliter in agente vel in passo: quam infrà in proprio prædicamento tractaturi sumus. Nũc solùm aduerto, inter eos qui ponunt actionem transeuntem in agente, quosdã eam ponere vt modum quendam absolutum includentẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

transcendentalem respectum aduenientem de nouo potentiæ actiuæ cùm actu agit, & actuatem illam: Et qui ita sentiunt de actione transeunte, satis consequenter loquuntur, negando in Deo huiusmodi actionem, nam esset in illo magna imperfectio. Verùtamen modus ille explicandi trãseuntem actionem est non solũ contra Aristotelem & grauiores Philosophos, sed etiam planè improbabilis, vtpote sine fundamento aut ratione cõfictus, cùm vix possit intelligi. Alij ergo ponentes actionem transeuntem in agente, dicũt nihil in eo esse nisi relationem realem in eo resultantem ex productione effectus. Et hi cõsequenter etiam negant Deo actionem trãseuntem, quia in Deo non resultant relationes reales ex effectibus eius. Hi tamen fortasse dicerent consequenter actionem in Deo esse relationem rationis: quod quàm sit improbabile, per se satis constat. Et simpliciter nititur illa sententia fundamento parum probabili: nam relatio illa si resultat in agente creato, supponit iam effectum productum: quomodo ergo erit actio? Si verò nõ resultat, sed quasi per se ac primò fieri dicitur ab ipsa potẽtia agẽte, vt quidam Scotistæ imaginantur, est mera fictio & sine fundamento. Alij deniq, ponentes etiam actionem transeuntem in agente, dicunt non esse aliquid nouum absolutum vel respectiuum in re distinctum à potentia, ciq; additum, sed esse ipsammet potentiã agentem vt coniunctam actu suo effectui, seu connotando quod ab illa actu pendeat effectus. Et hi non grauabuntur concedere actionem transeuntem etiam in ipso Deo, imò consequenter loquentur. Verùm hi solo nomine ponunt actionem transeuntem in agente: & ideò cum eis nunc non disputamus.

XXI. Supponimus ergo cum Arist. 9. Metaph. tex. 16. actiones, quę habent terminum factum extra causam agentẽ, esse in ipso passo seu termino, & non in agente. Et iuxta hãc sententiam dicimus, dependentiam creaturæ, vt est quidam fluxus à Deo, habere veram rationẽ actionis transeuntis. Et ꝓbatur primò, quia in calefactione ignis & omnib. similibus, dependentia qua fit calor in passo, nõ alia ratione est actio caloris existẽtis in igne, nisi quia est fluxus quidam caloris ab illo manãs: sed dependẽtia qua fit creatura à Deo, est fluxus quidã manans ab ipso Deo: ergo habet verã actionem actionis. Dicunt aliqui, non sufficere ad rationẽ actionis, ꝙ sit fluxus à potentia actiua, sed oportere ꝙ sit actualitas & complementum eius. Sed hæc responsio tantùm videtur consistere in verbis, quia nulla potentia actiua vt sic, recipit complementũ seu actualitatem ex actione, sed solũ exercet suam actualitatem: hoc autem exercere non est se actuare, sed aliud in actum reducere, quod Deo etiã conuenit. Nã in qualibet potentia merè actiua solũ est extrinseca denominatio, potentiæ enim actiuę actione immanente se ipsas actuant, nõ tamen vt actiuæ tantùm sunt, sed quatenus sunt etiam passiuæ.

Obiectioni satisfit.

XXII. Vnde argumentor secundò, nam quid obstat quo minus hic fluxus creationis vt à Deo, habeat veram rationẽ actionis? Aut enim obstat carentia subiecti, eò quòd actio debet ordine naturæ antecedere rem factam. Et hoc non, quia quoad hoc eadem ratio est de illa dependentia vt est fieri passiuum: vnde sicut secundum habitudinem dependentiæ seu viæ potest in suo genere antecedere, etiamsi nõ insit subiecto, etiam poterit in ratione actionis. Et vtrumque magis constabit ex solutionibus argumentorum. Vel obstat perfectio diuinæ potentiæ: & hoc non, quia actio transiens non perficit potentiam à qua fluit, sed potius quidquid ipsa perfectionis habet, à potentia recipit: non ergo magis derogat perfectioni diuinæ potentiæ quòd actio transiens profluat ab ipsa, quàm quòd profluant ipsimet effectus. Quòd verò inter effectum & potentiam mediet actio, non magis derogat perfectioni potẽtiæ Dei, quàm quòd mediet dependentia: & vtrumq; prouenit ex limitatione & potentialitate ipsorum effectuum. Deniq; etsi gratis demus, respectu alicuius potentiæ creatæ actionem transeuntem dici posse extrinsecum complementum aut perfectionem eius, eò quòd talis potentia sit natura sua ordinata & instituta propter talem actionem, tamen necesse non est hoc attribuere actioni emananti à potentia Dei: quia hæc potentia talis est, vt non sit ex se ordinata ad actionem, sed solùm ex plenitudine perfectionis suæ illam habere possit. Quòd per quandam participationem cõuenit etiam aliquibus principiis agendi creatis, vt suprà tactum est, & infrà disputando de potentiis latiùs dicetur. Nõ est ergo de ratione actionis transeuntis vt sic, quòd sit perfectio potentiæ actiuæ, etiam illo extrinseco & improprio modo.

C

B Tertiò argumentor, quia potentia actiua Dei ad extra formaliter loquendo non est intellectus neq; voluntas, sed potentia executiua ratione ab eis distincta, vt infrà ostendemus disputando de attributis Dei; ergo actio talis potentiæ non potest esse formaliter immanens, quia tantùm intellectus & voluntas in re immateriali agunt immanenter: potentia autem executiua est immediatè actiua ad extra. Actus ergo voluntatis Dei non est ipsa actio qua ad extra agit, cùm solùm sit applicatio potentiæ executiuæ ad agendum. Quin potiùs etiam si quis teneat voluntatem Dei esse proximam potentiam agendi ad extra, non rectè dicet volitionem Dei secundum id quod realiter est in ipsa, esse actionem qua ad extra producit: nã potiùs est ipsum principium agendi ad extra: quia est ipsa formalis perfectio voluntatis Dei, quæ in ipso potiùs est per modum actus, quàm per modum potentiæ receptiuæ sui actus: principiũ autem agendi ad extra, nunquam intrat (vt sic dicam) actionem ipsam, cùm à tali principio talis actio fluat. Respectus autem rationis, qui intelligitur addi libero actui voluntatis Dei, vt volentis rem quam ad extra producit, non potest habere rationem actionis realis, cùm ille nihil sit: hæc autem sit vera ac realis productio seu factio, à qua Deus denominatur factor cœli & terræ. Et eadem ratio applicari potest ad intellectum, etiamsi in eo ponatur executiua potentia. Vnde rectè Scotus in 4. d. 1. q. 1. §. Ista ergo. generaliter probat, actum intellectus vel voluntatis non posse esse productiuum termini vt actionem, sed solùm vt principium, quia actio productiua, & id quod producitur, sunt in eodem. In quo fauet apertè huic sententiæ, licet in 2. d. 1. q. 5. & aliis locis aliter sentire videatur.

XXIII.

Aliarum opinionum fundamenta soluuntur.

AD primam rationem primę opinionis respondetur, concedendo antecedens, scilicet creationem non esse mutationem, negando tamen consequentiã, scilicet non esse actionem: est enim ab inferiori ad superius negatiuè: actio enim latiùs patet quã mutatio. Cùm verò dicitur actionẽ includere substantiã motus & relationem, si intelligatur de ratione præcisa actionis (vt argumentũ exigere videt) falsa est assumptio, nã solùm includit substantiã fluxus seu dependentiæ cũ transcendentali habitudine ad prin-

Actio an includat motũ & relationẽ.

ad principium à quo fluit. Si autem intelligatur illa propositio de actione cum motu seu præsupposito subiecto, sic quoad vtramq; partem potest bene vel malè intelligi: nam si loquamur realiter seu idẽticè, verum est talem actionem esse ipsam substantiam motus, tamen id non habet ex eo quòd est actio, sed ex eo quòd est talis actio, scilicet, quia est ex subiecto: secundum præcisionem autem ac formales conceptus non est verum, quia motus vt sic dicit actum mobilis, quod nõ dicit actio vt actio; & ideò quãuis auferat ratio motus seu mutationis, potest manere substantia fluxus seu dependentiæ, quæ sufficiat ad rationem actionis. Similiter cùm dicitur, relationẽ coniunctam substantiæ motus esse de ratione actionis, id potest intelligi vel de relatione prædicamentali resultãte, vel in causa agente, vel in effectu facto, & sic falsa est propositio, quia actio non est aggregatum ex relatione prædicamentali & ex motu. Item quia actio est prior tanquam ratio fundandi huiusmodi relationem. Vel potest intelligi de relatione transcendentali ipsiusmet emanationis seu dependentiæ ad suum principium, & sic vera est propositio assumpta: non tamen rectè inde infertur, ablata mutatione non manere nisi relationem prædicamentalem aut effectus ad causam, aut causæ ad effectum: nam adhuc potest manere transcendentalis habitudo ipsiusmet dependentiæ à suo principio, quamuis sit dependentia sine subiecto, & sine propria mutatione. Quę omnia tam videntur per se clara, vt vix sit credibile D. Thom. vsum fuisse illa ratione ad concludendum, creationem tantùm esse relationem prædicamentalem resultantem in creatura facta. Et ideò aliqui conantur exponere de relatione transcendentali, ita vt per eam intellexerit illã dependentiam quam nos diximus esse in creatura à creatore. Non enim est inusitatus hic loquendi modus apud D. Thom. nam 3. p. q. 2. sæpiùs vocat vnionem relationem, & nunquam distinguit inter relationem prædicamentalem, & modum vnionis, cùm tamen negari non possit quin detur ille modus includens transcendentalem habitudinem ad vnibilia. Est ergo probabilis hæc expositio, non tamẽ potest ad omnes D. Th. locutiones accõmodari, vt patet ex solutionib. argumẽtorum articuli 3. q. 44. 1. p.

A

B

XXV. Creatio actiuè est transiens formaliter.

C Ad secundum negatur antecedens, est enim creatio actio formaliter transiens, nõ ꝙ ab vno subiecto transeat in aliud, vt Deza suprà impugnare videtur, sed quòd effectiuè exit ab agente, & est in termino, ideoq; ad illum transire dicit. Petitur verò in illo argumento an hæc actio creatiua sit accidens. In quo Ægidius & alij affirmant, nam est vniuocè actio, & cõsequenter est de prædicamento actionis, quòd est vnum ex prædicamentis accidentium. Nec repugnat accidens esse viam ad substantiam, quia generatio substantialis etiam hoc habet: & hoc ipso quod dicitur via, dicitur quid imperfectum & entis ens. Cùm autem quæritur huius accidentis subiectum, respondent esse ipsummet terminum: nam licet in vno genere, scilicet termini, sit posterior, tamen in genere causæ subiectiuę potest esse natura prior. Sed hoc vltimum difficilè creditu mihi est, primò quia non existimo creationem habere causam materialẽ, ergo neque habere potest causam subiectiuam, sunt enim idem. Antecedens patet, quia hęc est potissima differentia actionis creatiuæ ab omnibus aliis, quod fit ex sola vi agentis sine concursu materiæ vel subiecti. Secundò quia non intelligo quod terminus vię possit esse prior ipsa via sub aliqua ratione includen-

XXVI. Creatio an sit accidens, & cuius subiecti.

Quapropter faciliùs videtur posse responderi actionem vt actionem non requirere subiectum inhæsionis, sed principium à quo fluat, quia actio vt actio non dicit habitudinem ad id in quo: sed ad id à quo: nam inde prouenit quòd actio vt actio nullam denominationem formalem conferat passo, sed solùm agenti. Veruntamen hęc respõsio licet de actione vt actio est, satisfacere possit, tamen de creatione passiua, seu dependentia vt sic, adhuc restat difficultas, quia fieri vt sic non dicit habitudinem ad principium, sed ad rem quæ pendet seu fit, & id ò de illa vt sic explicare oportet in quo subiecto sit. Vnde iterum vrgeri potest difficultas de actione, nam licet actio vt actio non respiciat subiectum inhæsionis, tamen in re ipsa semper habere debet aliquod subiectum inhæsionis.

XXVII. Multi ergo negant hanc dependentiam, quæ est creatio, esse accidens, asserentes esse modum substãtialẽ rei quæ creatur, qui reductiuè pertinet ad prædicamentum substantiæ: quia nihil aliud est quàm ipsamet substantia secundũ quod est in fieri, & quasi in statu imperfecto. Idq; cõfirmari potest, nam motus propter hanc causam non collocatur ab Aristotele in aliquo prædicamento, sed reducitur ad prædicamentum sui termini: quod intelligendum est de motu pręcisè vt est via ad terminum: quia vt est actio vel passio, in suis prædicamentis collocatur; quia vt sic comparatur per modum formæ ad agens vel patiens, tamen vt via non propriè comparatur ad terminum vt forma, sed solùm vt imperfectum ad perfectum. Sic ergo creatio passiua quatenus est via ad terminum substantialem, reducitur ad prędicamentum substantiæ: non habet autem rationem passionis, quia non est in subiecto. Vnde quatenus illud fieri concipitur vt prius natura suo termino, concedendum est non esse in subiecto, sed concipi quasi in se: quod non est inconueniens: imò potiùs hæc est singularis excellentia & modus dependentiæ creaturæ. In eodem verò instanti temporis in quo fit, est per intimam coniunctionem & quandam identitatem in ipso termino, non tanquam in subiecto, sed secundum specialem & propriam habitudinem, qua via respicit terminum: in qua non requiritur prioritas naturæ ex parte termini, quia nõ requirit veram causalitatem, sed meram terminationem. Sicut calefactio & est in re quæ calefit, & in calore qui fit, in illa vt in subiecto inhæsionis quod supponit, in hoc verò vt in termino formali ad quem tendit, & ideò illum non supponit, sed secum affert, eiq; identificatur. Sic ergo in dependentia creaturæ, ablato ordine ad subiectum, quod non habet, relinquitur habitudo ad terminum, in quo non est tanquam in subiecto, sed alia speciali & propria ratione, vt quidã modus eius. Hoc enim commune est multis aliis modis, vt habeant propriam rationem afficiendi, vt constat de modo vnionis, & de modo subsistentiæ, vt infrà videbimus.

In quo prædicamento fita creatio.

XXVIII. Vnde consequenter dici potest, illam dependentiam creatiuam, vt habet rationem actionis, non esse actionem accidentalem, cuiusmodi est illa quæ indiget subiecto, sed esse actionem substantialem:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ideoq; non collocari in prædicamento actionis, sed reduci ad prædicamentum substantiæ. Vel addi etiam potest, in prædicamentis accidentium non tantùm collocari ea quæ sunt vera ac propria accidẽtia, habentia veram inhæsionem in subiecto, sed etiam multa quę imitantur modum accidentium in denominatione & quasi informatione extrinseca, vel intrinseca, vt habitus, locus cõtinens, & similia, & fortasse actio vt actio in vniersum ita se habet; sic ergo in proposito dici potest, quòd licet dependentia creationis in se sit modus quidam substantialis, tamen per respectum ad agens induit modum accidentis, idq; satis est vt in prædicamento actionis collocetur. Quæ responsio est probabilis, sed prior verior videtur, vt dixi in 3. tom. 3. par. disp. 50. sect. 5. Ex quibus responsum etiam est ad tertium argumentum eiusdem primæ sententiæ.

XXIX. Actio omnis transiens est Dei.

Ad quartum respondetur falsum esse antecedens, scilicet, nullam esse actionem transeuntem respectu Dei: quin potiùs omnis actio transiens, est actio ipsius Dei: nam si fit à creatura, est à Deo per generalem concursum, ita vt vna indiuisibilis actio eadem sit creaturæ, & Dei. Quo fit vt non solùm omnis actio transiens agentis creati, sit etiam transiens respectu increati, qui extra vtrumque fluit, sed etiam omnis actio immanens agentis creati, sit transiens respectu Dei: quia vt est à Deo, fluit extra ipsum. Nec dici potest, has actiones non comparari ad Deum vt actiones, sed vt effecta, tum quia gratis hoc dicitur, cùm habitudo ad vtrumq; agens sit eiusdem modi tum etiam, quia illa actio tẽdit in vlteriorem terminum, vnde ab vtroq; agente est vt fluxus quidam ad terminum, & hoc est esse actionem. Deniq; quia ad actionem non est actio. Et eisdem rationibus à fortiori concluditur, cùm Deus agit se solo ex præsupposito subiecto, ibi interuenire actionem transeuntem Dei: quis enim credat calefactionem vel illuminationem factam ab igne vel Sole esse actionem, nõ verò factam à solo Deo? aut aliquid minùs in re habere hanc quàm illam? aut si nihil minus in re habet, non esse æquè veram actionem.

XXX. Deus cùm agit, semper media actione agit.

Ad primam ergo probationem illius antecedentis respondetur ex intima Dei præsentia solùm concludi Deum agere in omnibus immediatione virtutis & suppositi, nõ verò sine actione media: hęc enim non intercedit propter distantiam agentis, sed quia est formalis causalitas eius, quæ semper esse debet in effectu. Ad secundum respondetur concedendo sequelam: nam potentia executiua Dei verè est principium sui effectus & suæ actionis: est enim de ratione actionis transeuntis, vt realiter fluat à sua potentia: Diuus Thom. autẽ citato loco, vel loquitur iuxta primam sententiam; vel loquitur de potẽtia Dei respectu actus immanentis, qui etiam est causa effectuum ad extra. Ad tertium iam dictum est quomodo actio vt sic non sit verum complementum potentiæ actiuæ: vel si hoc aliquibus largo modo tribuatur, non tamen esse de ratione actionis vt sic.

XXXI. Ad fundamenta secundæ sentẽtiæ, quatenus suadent dependentiam nõ distingui ex natura rei à termino, dicendum in primis est, hoc vniuersè sumptũ de omni actione & termino eius esse falsum, vt suprà tactum est explicando causalitatem efficientis causę; & infrà etiam dicetur tractando de prædicamento actionis. Deinde negatur quoad hoc esse specialem rationẽ in creatione, & minùs in ea distingui dependentiam à termino, quàm in aliis actionib. vt satis in superiorib. probatum est, & declaratum quomodo huic distinctioni nõ obstet, quòd creatio sit productio ex nihilo. Nec sequitur processus in infinitum, idem enim inferri posset in qualibet actione, nam quælibet actio suo modo est effectus agentis à quo fluit, non tamen fit aut fluit per aliam actionem, quia non fluit vt effectus, sed vt fluxus & dependentia ipsa. Ita ergo creatio lato modo dici potest creatura, quatenus ipsa etiam ex nihilo fit à Deo, tamen non est creatura simpliciter vt res facta, & terminus effectionis Dei, sed vt ipsa dependentia & effectio: & ideò ad eam non est necessaria alia creatio, quia eius essentialis ratio est quòd sit dependentia, & ideò ad illam non est necessaria alia dependentia. Quæ responsio sumitur etiam ex D. Tho. 1. par. qu. 45. art. 3. ad secundum. Et hinc est quòd licet creatura possit mutare dependentiam ab hoc vel illo agente, tamen in ipsa dependentia non possit mutari habitudo ad hoc vel illud agens, nisi mutata dependentia, quia per se ipsam & non per aliam dependentiam dicit habitudinem intrinsecam ad tale agens.

XXXII. Secundæ sententiæ aliquæ illatæ refutantur.

Vnde ad tertiam partem illorum argumentorum respondetur, duob. modis intelligi posse creaturam esse ens essentialiter pẽdens à Deo: vno modo quòd ipsa actualis dependentia sit de essentia creaturæ; & & sic non est verum, nisi de sola ipsa dependentia actuali, quam constat esse suammet essentiam modalem. Ipsa verò non est de essentia eius creaturæ cuius est modus & dependentia, cùm ostensum sit esse quid separabile ab ipsa: & in hoc sensu procedit totum illud argumentum, quod proinde nihil concludit. Alio ergo modo intelligendum est creaturam esse ens essentialiter pendens à Deo, quia nimirum est ens talis naturæ & essentiæ, vt sine aliqua dependentia à Deo existere non possit. Et hic sensus est verissimus, probaturq; optimè ex natura entis participati. Inde verò non fit, actualem ipsam dependentiam esse de essentia, sed solùm conditionem seu imperfectionem illam, ob quam talis natura eget dependentia, esse essentialem. Quòd patet, quia licet sit de essentia creaturæ vt pendeat à Deo, non tamen vt pendeat à solo Deo, aut (quod idem est) vt pendeat per dependentiam dicentem habitudinem ad solum Deum, quamuis etiam possit per talem dependentiam sufficienter pendere: ergo non determinat sibi essentialiter certam dependentiam, sed solùm conditionem aut indigentiam dependentiæ.

XXXIII. Secundæ sententiæ aliquæ illatæ refutantur.

Atq; hinc constat primò, falsum esse primum illatum illius sententiæ, nam res quæ prõprie creatur, non determinat sibi aliquam determinatam dependentiam omnino immutabilem ac inseparabilem, vt probauimus. Secundò constat, falsum etiam esse secundum & tertium illatum illius opinionis, quia etiam dependentia à solo Deo non est essentialis aut prorsus immutabilis in omni re creata. Aliàs res omnes, & formę, & accidentia penderent à Deo nunc & semper per aliquam dependentiam essentialem ac immutabilem respicientem solum Deum: quia ex se aptæ sunt sic dependere, & hoc satis esse posset ad earum existentiam, ac deniq;, quia sunt veræ creaturæ producibiles ex nihilo. Ex quo vlteriùs sequitur primò, in omni formarum productione admisceri veram creationem contra ea quæ suprà probata sunt, & quæ docet Diuus Thom. prima parte. quæst. 45. art. octauo. Sequitur secundò agentia creata, vel nihil agere, vel actum agere: vel saltẽ non attingere efficiendo ipsas formas vel substãtiales, vel accidentales, sed ad summum modos vel vniones earum: solumque Deum creare omnes formas. Vnde vlteriùs sequitur

sequitur tertiò, nullam esse naturalem rationem ob quam potiùs aliæ formę desinant esse per separationem à subiecto, quàm anima rationalis: quæ omnia sunt contra veram Philosophiam & sanam doctrinam, vt latiùs tractaui in tertio Tomo 3. part. disp. 9. sect. 1. versus finem.

Et ex hîc & ibi dictis satis constat falsum etiam esse quartum illatum illius sententiæ: nam illa ratio quæ ex dependentia essentiali & immutabili infert non posse dari instrumẽtum creationis, nititur falso fundamento: imò apertè petit principium; nam supponit de ratione creationis esse, vt sit dependentia à solo Deo, quod probandum erat. Adde, quod authores illius opinionis coguntur ponere in rebus generabilibus simul duas dependentias, vnam essentialem à solo Deo, & aliam quasi accidentalem (connaturalem tamen) à causis creatis; ergo licet res ingenerabiles habeant essentialem dependentiam à Deo, & non habeant connaturalem ab agente creato; nihilominus posset Deus supernaturaliter facere, vt fierent ab agente creato per dependentiam quasi accidentariam & præternaturalem. Sic enim gratia, licet habeat dictam dependentiam essentialem, iuxta illam sententiam, & non habeat aliam dependentiam connaturalem, nihilominus fit supernaturaliter per sacramenta; ergo ita dici posset de angelo, quantum est ex vi illius rationis; illa autem secunda dependentia esset vera creatio quja esset actio, nisi dicatur talis angelus fieri ex se ipso: quod improbabile est: illa ergo ratio multis modis est inefficax, falsumq; habet fundamentum.

SECTIO VI.

Vtrùm de ratione creationis sit nouitas essendi.

I. DE æternitate mundi duplex est consideratio, vna quoad substantiam eius, altera quoad motum. Hæc posterior est propriè Physica, & ideò prætermittenda est in hac scientia, quanquam non poterimus illam, non attingere inferiùs demonstrando Deum esse, & non posse dari processum in infinitum in causis efficientibus, tam per se, quàm per accidens subordinatis. Prior verò consideratio est propriè Metaphysica, nam pertinet ad causalitatem entium quatenus entia sunt: estq; necessaria ad declarandam rationem creationis, & ideò in hunc locum optimè cadit.

Argumenta ad partem affirmatiuam quæstionis.

II. DIximus enim creationem esse productionem ex nihilo: ergo necesse est vt res quæ creatur, priùs fuerit nihil: ergo de ratione creationis est, vt ante illam præcedat non esse simpliciter & omnino eius rei, quæ creatur: ergo de ratione creationis est nouitas essendi. Patet hæc vltima consequentia, quia omne id quod habet esse post non esse, habuit aliquandò initium essendi, & hoc est habere nouitatem essendi. Secũdò, quia de ratione creationis est vt à conseruatione distinguatur, saltem ratione & denominatione, iuxta ea quæ tractanda sunt disp. sequenti: sed non in alio distinguitur, nisi quia creatio dicit nouitatem essendi, quam non dicit conseruatio: ideò enim Angelus qui nunc conseruatur à Deo eadem actione qua creatus fuit, non creatur nunc, quia in præsenti nunc non habet nouitatem essendi, ergo. Maior patet, quia si in aliquo effectu non distingueretur creatio à conseruatione, talis effectus nunquam esset creatus, sed conseruatus semper, quod planè videtur inuoluere repugnantiam. Quomodo enim conseruabitur quod factum seu creatum non est? Tertiò, de ratione creaturæ est vt non sit æterna: ergo de ratione creationis est vt non sit æterna: ergo de ratione creationis est nouitas essendi. Consequentiæ sunt claræ: antecedens verò potest primò Theologicè probari, quia sancti Patres colligunt Verbum esse verum Deum, quia ab æterno productum est. Et inde putant sufficienter probari illam productionem, non esse creationem, quia æterna est: ergo supponunt repugnare creationi æternitatem. Athanas. Nazian. Basil. Cyrillus. Ambros. Consequentia est clara, & antecedens probatur ex Athanas. orat. 2. con. Arian. & Nazian. orat. 32. cum Scholio Nicet. num. 58. Basil. lib. 4. cont. Eunom. §. *Quod Filius non sit creatura.* & Cyrill. Alexand. Dialog. 4. de Trinit. Damasc. libr. 1. de fide. cap. 8. & 9. Ambros. lib. 1. Hexam. c. 3. & aliis, quos infrà referemus. Secundò probatur idem antecedens ratione Philosophica, quia quod æternum est, est immutabile: repugnat autem creaturæ immutabilitas. Antecedens patet, quia quod est æternum, necesse est ita infinita duratione permanere sicut ex æternitate fuit; aliàs esset aliquid æternum finita tantùm duratione permanens, quæ est manifesta implicatio contradictionis. Quod autem ex necessitate permanet eodem modo, & in eadem dispositione per infinitam durationem, immutabile est. Vnde confirmatur, nam si creatura esset æterna, cogeretur Deus infinito tempore vel duratione eam conseruare. Et eadem ratione ac necessitate eam semper perpetuò conseruaret, quia non est maior ratio de vna duratione, quàm de alia.

Contrariæ opiniones referuntur.

III. Prima. Albertus. Bonauent. Richard. Marsilius. Henric. PRopter hæc & similia argumenta, aliqui Theologi asseruerũt, de ratione creationis esse, quod per eam communicetur esse post non esse, ità vt reali successione seu duratione esse sequatur post non esse. Ita sentit Albertus Magnus in 2. d. 1. art. 6. & 10. & 8. Physic. cap. 1. Bonauent. in 2. dist. 1. artic. 1. q. 2. Richard. ibid. artic. 3. q. 4. Marsil. ibi q. 1. art. 2. Henric. quodlib. 1. q. 7. & quodlib. 9. q. 17. Qui omnes ex hoc fundamento docent impossibile fuisse res etiam substantiales & incorruptibiles creatas esse ab æterno: idemque senserunt nonnulli Philosophi, vt Philoponus in libro quo respondet ad argumenta Procli pro æternitate mundi, cap. 3. Philop. Et in huius sententiæ fauorem plura congerit argumenta Toletus 8. Physic. capit. 2. quæst. 2. qui eam etiam amplectitur. Tolet.

IIII. Secunda. D. Thom. Caiet. Ferrar. Contraria sententia supponitur ab Arist. 8. Physic. (si verum est ipsum cognouisse creationem) Eam verò præcipuè defendit D. Thom. 1. p. q. 46. art. 2, quem sequuntur eius discipuli, Caiet. ibi. Ferrar. 8. Physic. q. 3. Heruæus tract. de æternit. mundi. q. 2. Et in 2. d. 1. vbi etiam Capreol. & Deza. atq; etiam Ægidius, Ocham, Gabriel, Argentina, & præcipuè Greg. q. 3. & Durand. q. 2. qui hoc limitat ad creationem rerum incorruptibilium. Scotus verò quæst. 3. problema esse existimat.

Resolutio quæstionis.

V. MIhi opinio D. Thom. vera esse videtur quoad hanc partem. Ad rem verò declarandã & cõfirman-

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmandam aduerto, duobus modis posse rem aliquam vel productionem esse æternam. Vno modo ex intrinseca necessitate sua: quo modo diuini Verbi generatio æterna est. Alio modo absq; necessitate simpliciter ex libertate causæ volentis ex æternitate eam efficere.

VI. Creatio non necessario æterna.

Dico ergo primò. Repugnat creationi quod sit ab intrinseco æterna. Vnde dici potest nouitas essendi, esse de ratione creationis, vel actu, vel saltem aptitudine. Hæc assertio inprimis sequitur ex fide, tum quia de fide est nullam creationem actu fuisse æternam: ergo multò magis, nullam ex necessitate esse æternam: tum etiam, quia de fide est Deum nihil extra se agere ex necessitate naturæ. Vnde concluditur ratio, quia omnis creatura (sub qua etiam ipsa creatio comprehendi potest, vt suprà vidimus) non habet ex se esse, & consequenter nec necessitatē essendi: ergo nec creatio ex se potest habere hanc necessitatem, sed neq; ab extrinseca causa illam habet: ergo non potest esse æterna in prædicto sensu. Atq; hinc sequitur posterior conclusionis pars, nimirum de ratione creationis esse nouitatem essendi saltem aptitudine. Quia illi ex ratione sua non repugnat hæc nouitas: neq; etiam repugnat ex parte Dei, quia, vt infrà ostendemus, nihil extra se agit Deus ex necessitate naturæ: ergo.

VII. Nulla ratio naturalis probat mundum esse ab æterno.

Atq; ex hac conclusione obiter constat non posse ratione naturali demonstrari mundum esse ab æterno: suppono enim ratione naturali constare mūdum habuisse esse per creationem, vt suprà probatum est. Vnde sic concluditur ratio, nam demōstratio tantùm est de necessariis: sed creationem mundi semper esse non est necessarium, neq; ex intrinseca necessitate eius, neq; ex extrinseca necessitate agentis: ergo non est demonstrabile. Non immorabor autem in soluendis rationib. Aristotelis, in quo alii Scriptores satis eruditè laborarunt, tum ob hoc ipsum, tum etiam quia rationes Philosophicæ, vel nullius momenti sunt, vel eò potissimum tendunt, vt probent mundum non incepisse per naturalem generationem: quod verissimum est, quicquid sit de rationum efficacia. Ratio autem Metaphysica, seu Theologica, quę potest esse alicuius difficultatis vel momenti, statim attingetur.

VIII. Dubium dissoluitur.

Dubitare enim potest aliquis circa probationem huius assertionis, nam videmur fundare rem certam in principio incerto & opinabili, nimirū quod creatio sit aliquid creatum, & extra Deum: quod incertum est, vt patet ex sectione præcedente. Respondetur, ad rationem factam satis esse quod creatio passiua seu fieri creaturæ (siue re, siue ratione tantùm à creatura distinguatur) sit extra Deum, & consequenter extra omnem necessitatem essendi. Dices, Ergo si supponamus creationem actiuam esse in Deo, & non in creatura, illa habebit necessitatem essendi, eritque ab intrinseco æterna: ergo ex necessitate inferet creationem passiuam æternam. Respondetur communiter distinguendo antecedens, scilicet, quod erit æterna illa actio quantum ad rem quam ponit in Deo, non verò quantum ad relationem rationis quam connotat ad creaturam: hæc enim non intelligitur esse donec creatura existat. Quod si instes, quia illa actio non est actio secundum id quod relatio rationis illi adiungit, id enim nihil est, sed secundum id quod est entitatis & realitatis in ipsa. Respondendum est, in actione illa duo posse considerari, vnum est esse illius: aliud est actualis efficacia eius, seu quod passionem infe-

A rat actualiter: quoad primum æterna est, quoad secundum verò minimè, quia illa actio tantæ est nobilitatis & perfectionis vt non inferat seu ponat terminum suum nisi quando vult operans. Et quia actio vt actio non tantùm dicit entitatem illius actionis secundum se, sed connotat etiam actualem coniunctionem seu emanationem passiuam termini, ideò simpliciter illa actio non est ex necessitate æterna, sed potest esse temporalis.

IX.

Atque hæc quidem doctrina vera est, si quis tamen illam attentè consideret, intelliget, illud quidquid est per modum actus, quod intelligitur æternum in Deo, non esse veram actionem prout actio significat actualem viam & fluxum manantem ab agente, & tendentem in terminum, nam huiusmodi actio non est re separabilis à termino, cùm consistat in actuali fluxu eius. Ergo quidquid intelligitur æternum in Deo, est per modum actus, qui sit principium agendi, siue sit principium tanquam ipsamet potentia vel forma à qua in tempore manat actio, siue sit per modum actus immanentis applicantis potentiam exequentem, vt tali temporeactionem inferat. Quomodo est ab æterno in Deo actus voluntatis quo vult creare, non tamen pro ipsa æternitate, sed pro tempore vel momento quod ipse definire voluit.

X.

Ex quo facilè soluitur argumentum quod maximè potuit Philosophos mouere, nam si creatio est in tempore, oportuisset Deum mutari, saltem ratione voluntatis creandi, nam si in tempore creat, in tempore vult creare: ergo mutatur. Distinguendum est enim primum consequens, in tempore vult ex parte actus, vel ex parte obiecti, primum est verum, secundum falsum. id est, si sit sensus, in tempore incipit habere actum quo vult creare, vel liberam eius determinationem, sic negatur consequētia, nam per actum æternum velle potuit ex æternitate creationem, quam facit in tempore: si verò sit sensus, in tēpore vult creare obiectiuè, id est, quod creare in tempore fuit obiectum diuinę voluntatis, sic est verum consequens. Ad quod explicandum dici communiter solet, veriùs ac propriùs dici voluisse Deum in tempore creare, quam quod in tempore voluerit creare: quia in priori locutione illud *in tempore* cōiungitur cum verbo *creare*: in posteriori autem videtur coniungi cum ipso velle. Ex hoc autem vero sensu non sequitur vlla mutatio, cùm voluntas illius temporalis obiecti sit æterna. Quid autem sit illa voluntas æterna, quidue illi addat in ipsa æternitate libera determinatio ad temporale obiectum, dicendum est infrà tractando de attributis Dei: nam ad præsens non refert, eadem enim est difficultas, etiamsi intelligamus illam liberam determinationem Dei esse ad creationem æternam.

B

C

XI. Non repugnat creatio ab æterno exercita.

Dico secundò. Non est de ratione creationis nouitas essendi actualis, seu quod non fiat ex æternitate. Probatur, quia neq; in definitione creationis rectè intellecta hoc includitur, neq; ex aliquo alio capite id est necessarium, aut oppositum repugnat. Prior pars probatur, nam cùm creatio dicitur esse productio ex nihilo, illud *ex* non significat successionem vnius post aliud, vt cùm dicimus vespertinum tempus fieri ex matutino: nam præterquam quod illa locutio est valdè impropria & inepta ad definitionem, denotat etiam ordinem per accidens, nisi in successiuis quatenus successiua sunt: creatio autem non est ex se successiua emanatio, sed momentanea seu tota simul. Illud ergo *ex nihilo*, vel negatiuè sumptum significat carentiam causæ materialis, & ex hac parte nulla est necessitas nouitatis essendi, quia creatio etiamsi esset æterna, potuit esse independens à materiali causa. Vel denotat habitudinem ad terminum à quo, qui debet esse simpliciter non ens, & sic denotat tantùm ordinem naturæ, non durationis, vt etiam Auicenna notauit 6. suæ Metaph. cap. 2. Hic autem naturæ ordo in hoc tantùm consistit, quòd creatura de se nullum omnino esse habet nisi ab alio communicetur per creationem, & ita ex se est nihil negatiuè, id est non habet ex se esse. Atq; hac ratione etiamsi ab æterno crearetur, ex nihilo crearetur, quia ex non habente esse ex se, fit habens esse ab alio, ita vt ipsummet esse (quod si non fieret, nihil esset) per creationem fiat. Et tunc licet in nulla duratione reali verum sit dicere *creatura non est*, aut *nihil est*, nihilominus verum est dicere, priùs natura esse nihil quàm aliquid, quia illud prius natura non excludit ita esse in aliqua duratione reali, sed explicandum est negatiuè, scilicet, quòd sine causalitate, quæ est per creationem res nihil esset. Quod rectè notauit Scotus in 2. distinct. 1. quæst. 2. distinguens duplicem prioritatem naturæ, positiuam scilicet & priuatiuam. Sicut in eodem instanti in quo forma ingreditur materiam, dicitur expelli priuatio, quæ dicitur in materia esse prius natura quàm introducatur forma, non formaliter seu positiuè, sed causaliter seu negatiuè, quia nisi introduceretur forma, ibi esset priuatio: sic ergo in præsenti intelligendum est.

Partícula ex nihilo in definitione creationis qualiter intelligenda.

XII. Posterior pars.

Posterior pars probatur, quia ex nullo alio capite potest ostendi repugnantia, quod facillimè constabit soluendo difficultates in principio positas. Nūc autem declaratur breuiter, quia id non repugnat ex parte Dei, vt constat, cùm sit omnipotens, nec repugnat ex parte ipsius esse creati vt sic, quia licet ab æterno fiat, erit verè creatum & pendens: nō est enim de ratione talis esse creati, quod à parte ante aliquādo non fuerit, sicut non est de ratione eius, quod à parte post aliquando futurum non sit: solùm ergo est de eius ratione vt non sit à se, & quod non habeat absolutam necessitatem essendi: vtrumq; autem haberet, etiamsi ex æternitate fieret, quia & ab alio effectiuè manaret, & ex libera eius determinatione penderet. Neq; etiam æternitas effectus repugnat libertati causæ: quia sicut determinatio diuinæ voluntatis æterna est, & nihilominus est libera, quia prius ratione quam illa voluntas intelligatur determinata in sua æternitate, intelligitur indifferens ad hoc vel illud obiectum extra se volendum: ita licet ab æterno, & pro ipsa æternitate crearet, esset indifferens priùs secundum rationem ad creandum, vel non creandum. Rursus neq; ex modo quo fit creatio repugnat eam esse æternam, quia non fit successiuè, sed tota simul, & indiuisibiliter, & ideò quamuis æternitas ipsa intelligatur indiuisibilis, potest illi coexistere creatio.

XIII. Obiectioni soluitur.

Dicunt aliqui, quamuis creatio vt sic tota simul fiat, tamen conseruationem fieri successiuè: creatio autem æterna, necessariò habet adiunctam conseruationem & infinitā durationem successiuam: cùm ergo repugnet successionem esse æternam, vt supponimus, repugnabit etiam creationem esse æternam saltem ob adiunctam conseruationem. Quæ obiectio haberet quidem locum in opinione Bonaventuræ & aliorum, qui putant in esse rerum incorruptibilium, aut earum duratione seu æu esse rea-

lem successionem: illa tamen sententia falsa est, vt infrà ostendemus, disputando de durationib. Quocirca falsum etiam est, in conseruatione perpetua harum rerum, esse necessariam aliquam realem successionem, nam in eodem esse permanente, & in eadem durationeindiuisibili conseruantur, & eadem indiuisibili actione vt disputatione sequenti dicam. Solùm nostro concipiendi modo illa conseruatio. vel duratio apprehenditur per modum successionis: quia non possumus aliter mensurare aut concipere illam durationem, nisi quasi per coexistentiam ad infinitam successionem imaginariam.

XIIII. Res ab æterno creata non infinitè perfecta.

Atq; ita facilè etiam intelligitur, ex æterna creatione non sequi vllam realem infinitatem in re creata: nam licet duratio æterna dicatur infinita quatenus caret principio: illa tamen solùm est vel quædā extrinseca denominatio coexistentiæ ad æternitatem Dei, quatenus principio caret, vel (quod veriùs videtur) negatio quædam initii in existendo: in re tamen nulla perfectio infinita adiungitur creaturę, sed eadem semper existens. Sicut Angelum coexistere vel durare millē annis cœlestis motus non est in illo maior perfectio Physica, quàm existere vno momento, sed est eadem secundum se totam sine intermissione durans; ergo ex nullo capite repugnat creationi esse æternam.

XV. Res corruptibiles permanentes ab æterno creari potuerunt.

Et hinc vlteriùs colligo, non esse necessariam limitationem quam adiungit Durandus de rebus incorruptibilibus, nam etiam creatio rerum permanentium corruptibilium, si tota simul absq; successione fiat, vt ex se postulat rerum permanentiū conditio, non requirit ex intrinseca ratione sua nouitatē essendi, neq; habet vnde intrinsecè illi repugnet æternitas essendi: nam totus discursus factus eodem modo potest ad huiusmodi res applicari. Sed inquit Durandus, rei corruptibili repugnare infinitam durationem etiam in sensu declarato; quia non potest res corruptibilis infinito tempore durare: res autem ab æterno facta, necesse est vt infinito tempore duret. Respōsio communis est, argumentum probare rem corruptibilē non posse ab æterno creari & naturæ suæ relinqui: quia hinc sequitur illa contradictio, scilicet quod duret res & non duret tempore infinito: non tamen probare absolutè repugnare huiusmodi res creari ab æterno, quia potuit Deus non illas relinquere suæ naturæ, sed infinito tempore eas conseruare.

Obiectio Durandi.

Communis responsio.

XVI. Verior responsio.

Aliter verò respōdendum censeo, res corruptibiles etiam posse infinito tempore durare suæ naturæ relictas, si absit contrarium agens, vel ita sit affectum seu dispositum vt in eas agere non possit, quia nulla res seipsam interimit, per seloquendo. Si autem res corruptibiles ab æterno crearentur, nihil possent ex æternitate pati à contrariis agentibus, quia nihil possent pati, nisi per motum successiuum, quem repugnat esse ex æternitate. Dico autem à contrariis agentibus, quia agimus de actione corruptiua: actio enim perfectiua, vt illuminatio, visio, intellectio, optimè potest esse æterna, quia tota simul sine resistentia fieri potest, & semel facta, potest ex se infinito tempore durare. Quomodo dixit Augustinus sexto de Trinitate capite primo, quod splēdor ignis aut Solis coæternus illi esset, si ignis, aut Sol esset æternus. At verò actio corruptiua, quæ fit cum resistentia contrarij, motum & successionem requirit, & ideò esse nō potest ex æternitate, vt Durand. ipse docet, & nos supponimus. Atq; ita fit, vt res corruptibiles ab æterno creatæ, & suę naturę relictę, id est, nulla adhibi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhibita speciali protectione Dei præter generalem influxum, infinito tempore possint durare, ex defectu actionis contrarii agentis. Ita vt licet ignis & stupa ex æternitate creata essent propinqua, non posset ignis in æternitate agere in stupam, & per consequens, neq; per infinitum tempus imaginarium. Probatur, quia si ignis ageret in stupam, vel simul & indiuisibili actione illam corrumperet, & in se commutaret, vel successiuè alteraret. Primũ dici nõ potest, tum quia excedit efficacitatem ignis, tum etiam quia repugnat positioni, nam si ignis æternus indiuisibili actione statim generaret alium ignem, tam æternus esset genitus sicut generans: vt autem generetur ex stupa, necesse est stupam aliquando extitisse: erunt ergo simul in æternitate stupa, & ignis genit⁹ ex stupa: quod planè repugnat. Secundum etiam dici non potest, quia (vt supponitur) successiua alteratio æterna esse non potest. Idq; facilè intelligi potest explicando argumentum factum: nam alteratio successiua est ex cõtrario, & per eam remouetur contrarium à dispositione præexistente in ipso: ergo si successiua alteratio est æterna, B etiam passum existens cum dispositione contraria, illi alterationi est æternum: ergo in ipsa æternitate simul habuit illam dispositionem, & fuit illa priuatum per contrariam alterationem, quæ est aperta repugnantia. Et ratio à priori est, quia res quæ ab æterno creatur, in aliqua reali dispositione creatur, & ideò necesse est vt in ea duret per infinitũ tempus, ergo in toto illo non potest fieri alteratio cõtraria, necesse est ergo vt in tempore incipiat. Et ob eandem rationem si homo aliquis ab æterno crearetur, etiam in pura natura, non posset per infinitum tempus pati aliquam alterationem ab intrinseco, quia eadem est ratio de alteratione vnius partis in aliam, vel caloris naturalis in humores aut nutrimentum, quæ est quorumcunq; aliorum agentium vel patientium, & ideò talis homo non indigeret cibis per infinitum tempus, & pro codẽ non solùm non moreretur, sed neque mori posset.

XVII. Dices, Hæc omnia sunt præternaturalia rebus corruptibilibus, & agentibus ac patientibus contrariis: iam ergo non relinquuntur huiusmodi res suæ naturæ, vt supponebatur. Respondetur, his & similibus argumentis & illationibus declarari saltem à posteriori, creationem æternam non esse consentaneam naturis harum rerum, quia vnaquæq; res natura sua postulat existere, atq; etiam fieri in ea mensura, & in eo statu in quo possit actiones suas exercere modo naturæ suæ accommodato. Res autem corruptibiles in æternitate factæ pro ipsa æternitate, nihil accommodatum sibi agere possent. Vnde neq; etiam posteà ex se possent inchoare actionem & passionem; nam illud tempus imaginarium infinitum, pro quo necessariò durarent in dispositione in qua creatę essent, non haberet certum terminum à parte post, sed ante quodlibet instans signatum posset finiri, & ita etiam ante quodlibet instans posset actio creaturæ inchoari: ergo non possent ex se inchoare actionem determinando instans pro quo esset inchoando, sed hoc ad Deum pertineret, quod etiam præternaturale est. Nihilominus tamen supposita creatione æterna, dicimus hæc omnia naturali necessitate sequi, & ex illa suppositione æternæ creationis dicimus, quod licet in reliquis relinquãtur huiusmodi res suis naturis, infinito tempore durabunt.

XVIII. Addo verò vlteriùs hanc improportionem, siue (vt sic dicam) præternaturalitatem, licet non omnino æqualem, pænè eandem reperiri in creatione æterna rerum incorruptibilium, quia necessarium est rem quamcunq; ab æterno creatam omnino immutatã manere per infinitum tempus, tam in substantia, quam in accidentibus omnibus, cum quibus creata est, quia omnia illa sunt æterna, ideoque ex ea parte infinita in duratione, secundum totam realitatem, vel modum realem in quo ab æterno creata sunt: ergo necesse est vt pro infinita duratione immutata maneant. Omnis autem creatura, quantumuis incorruptibilis, mutabilis est secundũ locum, aut alias operationes, & ideò etiam illi præternaturale est in eo statu fieri, in quo non possit suos motus aut operationes naturales exercere vel variare per infinitum tempus. Nihilominus tamen hoc non est simpliciter impossibile aut repugnans; quod nos intendimus. Incorruptibiles substantiæ nõ omnino connaturaliter differunt ab æterno creatę.

Argumentorum solutiones.

XIX. PRimum argumentum in principio factum, iam est sufficienter solutum ex dictis: ostendimus enim non esse de ratione creationis, vt ipsam nihil antecedat reali duratione, sed solùm ordine rationis & causalitatis. Neq; obstat quod Anselmus in Monolog. cap. 8. etiam approbat illam expositionem, vt quod creatur, ex nihilo fieri dicatur, eò q priùs erat nihil, & per creationem fit aliquid. Nam priùs ibi docet veram interpretationem superiùs traditam, quod scilicet per illam particulam negetur omne subiectum, & omnis materia ex qua creatio fiat: posteà verò adhibet illam aliam interpretationem, non vt necessariam, neq; vt conuenientem creationi ex eo præcisè quod creatio est, sed vt declarantem creationem prout facta est. D. Anselm.

XX. Ad secundum respondetur primò, nullum esse inconueniens concedere rem creari actione qua conseruatur, vt mox dicemus. Deinde dicitur, etiam in creatione æterna posse ratione distingui creationem à conseruatione. Vt enim illa creatio dicitur esse absolutè in ipsa æternitate vt simplex participatio esse creati, habet rationem creationis, vt verò in illa concipimus quandam successionem imaginariam, sic pro quolibet instante signato talis successionis habet rationem conseruationis. Quod ferè eodem modo apprehendimus in æterna Verbi generatione. Vt enim est in sua æternitate, est vera productio & generatio, vt verò intelligitur coexistens instantibus nostri temporis aut imaginariis, est (vt ita dicam) permanentia quædam in eadem generatione: nomen enim conseruationis, quod imperfectionem denotat, illi tribuendum non est. Vide D. Thom. q. 3. de poten. art. 14. ad 10. C

XXI. Ad tertium negatur antecedens, nempe æternitatem repugnare rationi creaturæ. Ad Patres autem primò dici potest loqui ex suppositione fidei, quæ docet nullam creaturam esse ab æterno creatam: ex quo rectè colligunt, si Verbum æternum est, creaturam non esse. Quia verò interdum significant creaturę repugnare cœternitatem ad Deum, intelligendũ id est iuxta priorem conclusionem. Quomodo dixit Augustinus 12. de Ciuit. cap. 15. licet angeli essent ab æterno creati, nihilominus non fuisse futuros cœternos creatori suo, *ille enim semper fuit æternitate immutabili, isti autem facti sunt.* Ad rationem respondetur, quod est ab intrinseco æternum, esse ab intrinseco immutabile: quod verò est ab extrinseco factum in æternitate, nõ oportere, vt ab intrinseco Qualiter stet ex æterna existentia Verbi Dei probent eius diuinitatẽ. Augustin.

seco sit immutabile, sed satis esse si pro ipsa æternitate, vel pro duratione infinita, quæ in illa cogitatur, immutatum maneat. A

XXII. Vnde ad confirmationem concedo, hoc ipso quod Deus creat aliquid ab æterno, ex necessitate debere illud conseruare infinito tempore imaginario, in sensu declarato. Neq; hoc est inconueniens, quia hæc non est necessitas absoluta, sed ex suppositione; quæ proportionaliter habet locum in qualibet actione Dei. Nam si vult producere rem in tempore, saltem pro illo tempore necesse est vt eam cõseruet: si ergo vult producere in æternitate, quid mirum quod pro æternitate illam necessariò conseruet? Hæc verò necessitas tantùm est à parte antè, quia ascendendo versus initium, nunquam reperitur terminus in illa duratione; nõ verò à parte post, quia in quocunq; instanti signato in illa æternitate posset Deus cessare ab illius rei conseruatione, & ante quodlibet signatum in quolibet etiam signabili posset cessare pro suo arbitrio. Cætera de hac materia in 8. Physic. remittimus.

DISPVTATIO XXI.

De prima causa efficiente, & altera eius actione quæ est conseruatio.

EXPLICATA prima emanatione omnium rerum à prima causa, dicendum sequitur de dependentia, quasi continua, seu perpetua, quam in suo esse & operatione habent ab eadem prima causa, seu è conuerso de influxu, vel gubernatione quam eadem prima causa habet circa suos effectus quos creauit, vt subsistere possint & operari: ad hæc enim duo capita, conseruationis, & cooperationis seu concursus, tota diuina gubernatio, quæ effectus est diuinæ prouidentiæ, reuocatur. In hac ergo disputatione de priori capite, in sequẽti de posteriori dicemus. Circa conseruationem autem, duo præcipuè videnda sunt, nimirum quæ sit necessitas eius, & quomodo à creatione seu productione distinguatur.

SECTIO I.

An possit ratione naturali demonstrari, entia creata in suo esse semper pendere ab actuali influxu primæ causæ.

I. Rationes dubitandi.

PRIMVM quidem videri potest non ita pendere, quia antequam res accipiat esse, mirum non est si ab alio pendeat in fieri: quia cùm ex se non habeat esse, non potest illud habere donec ab alio recipiat, quod est rem fieri: at verò postquã res semel accepit esse, iam non est cur ab actuali influxu alterius continuò pendeat, quia hic actualis influxus est quasi continua quædam, seu potius repetita collatio ipsius esse: hęc autem non solùm non videtur necessaria, verùm etiã superflua: nam quælibet res retinebit esse semel sibi datum, etiamsi amplius non detur, dummodo non auferatur. Nulla enim res se ipsam priuat suo esse: ergo si semel detur, illud, quantum est ex se, perpetuò retinebit, etiamsi ampliùs actualiter non conferatur, dummodo positiuè seu per aliquam actionem contrariam non auferatur. Et confirmatur hoc maximè in entibus incorruptibilibus, quæ sunt entia necessaria & de se, eisq; per se conuenit esse: ergo non indigent actuali conseruatione vt sint, quia licet conseruatio cesset, nulla causa saltem extra Deum potest exercere actionem circa illa, qua ipsa priuet suo esse; neque ipsa se ipsa priuabunt, cùm hoc propriæ naturæ repugnet. Atque eadem ratio procedit de entibus corruptibilibus, saltem quando à contrariis agentibus non corrumpuntur. B

Secundò videri saltem potest, non posse aliud probari ratione naturali, quia nec ex potentia Dei, neq; ex indigentia creaturæ id satis ostendi potest. Prior pars probatur, nam potiùs videtur pertinere ad potentiam Dei vt possit tales effectus facere, qui postquam facti sint, in suo esse permaneant, etiamsi agentis operatio cesset; sicut spectat ad industriam & potentiam humani artificis vt tam firmum faciat ædificium, quod perpetuò permanere possit post finitam actionem artificis. non ergo repugnat hoc omnipotẽtiæ Dei, neq; ex illa potest oppositum colligi. Altera pars ferè probata est ex priori argumento: indigentia enim creaturæ in hoc solùm videtur consistere vt non possit habere esse nisi ab alio datum: non verò in hoc, vt non possit retinere illud, nisi continuò detur. Et confirmatur, nam si quæ esset vniuersalis imperfectio creaturæ, ob quam indigeret hac conseruatione, maximè quia non participat esse à Deo cum æqualitate, vel cum eadem perfectione, qua est in Deo: at hæc ratio nullius momenti est, tum quia etiamsi esse creaturæ hoc modo esset independens, non propterea esset æquale, nam adhuc esset aliis infinitis titulis inferiùs: tum etiam quia neq; è contrario sequitur, si esse effectus perfectione sic inferius esse causæ, debere etiam esse actu pendens: nam in causis secundis oppositum accidere videmus: aurum enim fit à sole cum quodam esse minùs perfecto, in quo tamen non pendet in conseruari ab ipso sole. Et calor conseruatur cessante actione ignis, etiamsi non perueniat ad perfectionem caloris ignis. Et domus ad extra est longe diuersæ & inferioris rationis ab idea domus, quam artifex habet; & nihilominus permanet cessante influxu artificis: cur ergo non poterit idem dici de effectibus primæ causæ? aut quæ singularis ratio in illis poterit assignari? C

III. De hac quæstione inter Theologos nulla est de hac re opinionum varietas. Quamuis qui negant Deum immediatè operari in qualibet actione creaturæ, cogentur fine dubio negare rem omnem creatam, seu omne ens per participationẽ, pendere immediatè ab actuali influxu Dei, quia quod non pendet in fieri, neq; in esse pendebit. Sed de falso illius opinionis fundamento, disput. sequenti dicendum est. Nunc ergo licet potissimum aganus de effectibus qui à Deo immediatè creantur & fiunt, tamen vt vniuersalis sit disputatio, quoniam est omnium ratio eadem, supponimus omnia à Deo immediatè fieri, etiamsi non semper ab illo solo fiant. Rursus qui negant creationem rerum posse probari ratione naturali, multò magis negabunt posse probari necessitatem conseruationis. Sed illud fundamentum iam est à nobis improbatũ. Tamen adhuc suppositа demonstratione necessitatis creationis, non est facilis ad probandum necessitas conseruationis.

Resolutio quæstionis.

IIII. DIcendum tamen est, omnia entia extra Deum pendere in suo esse ex diuina conseruatione.

Hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæc assertio sub his terminis certissima est, & de fide. Traditurque frequenter ab Ecclesiæ Patribus, præsertim ab Augustino lib.4. Genes.ad liter.capit. 12. vbi tractans illa verba Genes.2. *Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*, ait, intelligenda esse de requie à nouis operibus ex nihilo condendis, non verò à conditis gubernandis & conseruandis. *Alioqui* (inquit) *continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus ab eis, quæ creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structuram ædium cùm fabricauerit quis, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus eius; sta vel in ictu oculi mundus stare poterit, si Deus ei regimen sui subtraxerit.* Quod tamen ratione non probat, sed scripturæ testimoniis confirmat, Actor.17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*, Sapient.7. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem vbique.* Et cap.8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ioan.5. *Pater meus vsque modo operatur.* Quæ verba exponens idem August. lib.5. Genes.cap.20. *Sic* (inquit) *credamus, vel si possumus, etiam intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Et libr.9. capit.15. idem repetit.

Auguſt.

Actor.17. Sapient.7.

Ioan.5.

V.

Eandem veritatem docet Gregor.Nazianz. orat. 2.de Theolog. quæ est 36. vbi soluens sextam obiectionem, exponit suprà citata verba Ioan.5. dicta esse ratione gubernationis, & conseruationis rerum: & Damascen.lib.1. cap.3. *Ipsæ* (inquit) *rerum conditarum compages, & conseruatio, atque gubernatio Deum esse qui vniuersam hanc rerum molem coagmentauit, eamq; tueatur & conseruet, eiq; perpetuò prospiceat, nos docet.* Et Gregor.16. Moral.cap.18. *Aliud* (inquit) *est esse, aliud principaliter esse, aliud mutabiliter, atq; aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt. Et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt.* Et infrà. *Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumq; essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam author omnium regiminis manu teneret.* Et in hunc modum videtur intelligere illa verba Iob. 23. *Deus solus est*, scilicet principaliter, & absq; dependentia ab alio. Quo sensu putat esse dictum Exodi 3. *Ego sum qui sum.* Vnde homil.17. in Ezech. *Deus* (inquit) *incomprehensibiliter regit quæ incomprehensibiliter creauit.* Et infrà. *Ipse est interior & exterior, ipse inferior & superior; regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior, sic circumdat vt penetret: ita præsidet vt portet, sicque est intus vt portet; ita portat vt præsideat.* In quibus verbis alludere videtur ad illa ad Hebr.1. *Portans omnia verbo virtutis suæ:* nam illud *portare*, idem videtur esse quod conseruare. Quod apertiùs dicitur Sap. 11. *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Deniq; Anselm.in Monolog.c.12. *Dubium* (inquit) *non nisi irrationabili menti esse potest, quod cuncta, quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigent, & perseuerant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse quod sunt.* Et infrà. *Sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam, ita nihil vigeat, nisi per eius seruatricem potentiam:* quod prosequitur in ca. 13. & tacitè ita exponit id ad Rom.11. *Ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, & ad Coloss.1. *Omnia in ipso constant.* His enim & similibus Scripturæ locutionibus rerum conseruationem in Deo, id est in diuina virtute & efficacia, niti significatur.

Nazianz.

Damasc.

Gregor. Magn.

Iob. 23.

Heb.1.

Sapient. 11.

VI.

Ex his ergo satis constat veritatem hanc certam esse & infallibilem; addendum verò est posse sufficienti ratione probari, vel etiam demonstrari; quod ex dictis Patribus Damascenus & Anselm. apertiùs docuerunt, sentiuntque, qua ratione probatur Deum esse creatorem omnium, probari etiam esse cõseruatorem; quæ tamen consecutio nec ex terminis videtur euidens, nec omnino facilis. Eam verò tacitè probat D.Thom.1.p.q.8.art.1.& latiùs q.104.art. 1. vbi longum & valdè Metaphysicum habet discursum, qui plures patitur difficultates, quas ibi Caietanus diligenter tractat. Summa totius discursus est, quia Deus est causa creaturarum non tantùm quoad fieri, sed etiam quoad esse directè & per se primò: quando autem effectus pendet à causa sua, quoad esse directè & per se primò, pendet non solùm in fieri, sed etiam in conseruari, ita ergo pendent omnes à Deo.

Ratione naturali demõstrari potest conclusio.

VII.

Vt verò sensus totius antecedentis intelligatur, obiici statim potest, quia in maiori videtur peti principium, & assumi quod probandum est: quid enim aliud esse potest pẽdere effectum in esse à causa, nisi pendere in conseruari? Idem ergo est dicere Deum esse causam fieri & esse, quàm dicere Deum esse causam in fieri & conseruari: ergo sumitur quod probandum est. Aliàs vana est diuisio causarum, quod quædam sunt causæ fieri suorum effectuum, quædam verò sunt causæ ipsius esse. Nulla enim est causa, quæ propriè per se ac directè faciat ipsum fieri, quæ non sit per se & directa causa ipsius esse: nam ad illud per se terminatur ipsum fieri: imò non potest aliter ipsum esse primò causari, nisi per fieri. Deus ergo in primo instanti quo rem creat, est causa esse illius, quia est causa fieri eius; & similiter ignis in instanti, quo generat ignem, causando generationem, dat esse igni genito, vnde est causa esse illius. Ergo vt distingui possit causa in fieri, à causa ipsius esse, oportet per esse intelligere permanentiã in esse: & sub fieri comprehendi ipsum esse prout simul cũ fieri existit: hoc autem modo esse causam ipsius esse, seu permanentiæ in esse, est esse causam in conseruari, sumitur ergo quod probandum est.

VIII.

Respondetur distinctionem illam non esse eo sensu intelligendam vt argumentum probat, & ipse D.Thom.& Caietanus declarant, quamuis subobscurè. Ita verò rem intelligendam puto, vt ille effectus dicatur esse à causa in fieri, qui non postulat talem causam simpliciter & absolutè vt fit, sed solùm vt fit per talem actionem vel effectionem, ille autẽ dicatur esse à causa directè secundum esse, qui vt fit absolutè & simpliciter postulat talem causam. Vt v.g. Adam dicetur esse à Deo secundum fieri & esse, quia necessariò postulat talem causam vt sit, Abel autem dicetur esse ab Adam secundum fieri, quia absolutè non indiget illa causa vt fit, potuisset enim esse à solo Deo, sed solùm vt tali modo fiat, scilicet per generationem naturalem. Dices, Eadem ratione dicetur Adam esse à Deo solùm quoad fieri, quia potuisset esse ab alio parente per naturalem generationem. Respondetur negando sequelam, quia non potuisset esse ab alio quin esset à Deo. Et hoc sensu rectè ibi D. Thom. dicit, nullum effectum, qui ab agente recipit formam & esse secundum eandem rationem qua est in causa, esse & dependere à tali causa secundum suum esse, sed tantùm secundum fieri, quia aliàs ille effectus ratione suæ formæ essentialiter postularet talem causam: hoc autem esse non potest, quia aliàs cùm forma agentis supponatur esse eiusdem speciei, eandem causam essentialiter

tialiter postularet: ergo peteret causari à se, q̃ est repugnãtia. Rectè ergo hinc concluditur, solùm illud agens q̃ est superioris rationis, quodq; non cõmunicat effectui formam, seu naturam, aut esse eiusdẽ rationis, sed quandam inferiorem eius participationẽ, esse posse causam suorũ effectuum, non solùm quoad fieri, sed etiam quoad esse.

IX.

Iuxta hanc ergo interpretationem facilis est sensus maioris propositionis assumptæ, & notissima est eius veritas, quia Deus ita est causa suorum effectuũ, vt illi ex intrinseca natura & intrinseca necessitate talem causam postulent vt sint, quia vt suprà dicebamus, ab illa essentialiter pendẽt. Et ratio à priori est, quia sola prima causa est ipsum esse per essentiam: omne autẽ aliud esse est participatio illius esse, & ideò ex intrinseca necessitate postulat influxum ipsius esse per essentiam vt sit. Quæ ratio non solùm videtur probare, Deum esse causam suorum effectuum directè secundum esse eorum, sed etiam, solum Deum esse hoc modo causam cæterorum entium, quia nullum ens ita fit ab alia causa creata, vt absolutè & simpliciter illa indigeat vt esse recipiat: nam posset esse ex influxu solius Dei sine alia causa, quamuis non e conuerso.

X.

Et hoc quidem verum est, simpliciter loquendo, & de absoluta necessitate, tamen secundum quandam participationem, & iuxta quendam naturæ ordinem dicuntur quædam causæ æquiuocæ causæ per se effectuum directè secundum esse eorum, quia forma talis effectus secundum totam latitudinem suam pendet per se primò à tali causa, & ab ea potest secundum totam suam speciem fieri, & iuxta naturæ ordinem ita fieri postulat. Et hoc modo sol est causa luminis, sub sole comprehendendo quidquid naturam eius participat quantum ad proprietatem lucis; sic enim dixit Aristotcles secundo de Anima, ignem illuminare vt participat naturam cœli. Et e conuerso lumen vt sic postulat natura sua talem causam vt sit, iuxta naturalem causarum ordinem, quãuis absolutè possit à Deo fieri. Deus ergo vel solus, vel maximè est causa suorum effectuum, non solùm quoad fieri, sed etiam quoad esse directè ac per se primò.

Aristot.

XI.

Rursus hinc facilè etiam constat sensus minoris propositionis assumptæ, scilicet, causam effectus nõ tantùm secundum fieri, sed etiam secundum esse, esse causam eius etiam quoad conseruari: sensus enim est, quandocunque effectus ita procedit à causa, vt simpliciter, & absoluta necessitate illam postulet vt sit, non solùm pendere ex actuali influxu eius vt primò recipiat esse, sed etiam vt in illo duret ac perseueret, quod est pendere in conseruari. Huius autẽ propositionis ita declaratæ duas probationes elicio ex D.Thoma suprà; Prima est, quia quando aliquid est causa effectus in fieri, non potest manere ipsum fieri cessante actione talis causæ: ergo quando aliquid est causa effectus directè ac per se primò secundum esse illius, non potest manere ipsum esse talis effectus cessante actione causæ, quod est pendere in conseruari ab illa. Quæ consequentia solùm nititur in quadam paritate & proportione, & ideò non est tam euidens. Posset enim quis dicere, maiorem vel immediatiorem esse dependentiam ipsius fieri ab actione causæ, quàm ipsius esse: quia semper esse pendet media actione: fieri autem immediatè per seipsum, quia non distinguitur ab actione. Sed nihilominùs consequentia est optima, parum enim refert, quòd dependentia sit æquè immediata in dicto sensu, id est, per aliam actionem, vel per seipsam, dummodo sit æquè essentialis. Tam essentialiter autem pendet esse participatum ab esse per essentiam, quam pendet quodlibet fieri à suo agente: ideòq; manere non potest sine actuali dependentia seu actione.

XII.

Et confirmatur ac declaratur; nam si tale esse ratione sui solius, postulat influxũ primi agentis vt sit aliquando in rerum natura: ergo quandocunq; est, eundem influxum postulat, quia semper est idem, & quod per se primò ei conuenit, semper conuenit. Tandem confirmo, vel permanentia in esse, est aliquid supra ipsum esse, vt quidam volunt, vel nihil est præter ipsum esse eodem modo se habens. Primum, licet falsum sit; tamen ex eo necessariò sequitur illã permanentiam debere esse à Deo, quia nihil quoquo modo fit, potest esse sine illo. At verò, si secundum, quod verum est, supponatur, procedit alia ratio facta, quòd quidquid illud esse ab intrinseco, & absoluta necessitate postulat, vt primò fit, postulat vt permaneat in esse, quamdiu est, quia semper est idem & eodem modo se habens.

XIII. Altera probatio assertionis ex D. Thom.

Altera probatio ex D.Thom. est à posteriori quidem & à signo, sed vt opinor, euidentissima intellectui benè disposito; nam videmus pendere à sole in fieri & in cõseruari, quia sol est causa superioris rationis, & secundum quandam participationem est causa luminis non solùm secundum fieri, sed etiam secundum esse, vt declaratum est: Sed multò essentialiùs pendet quodlibet ens creatum à Deo, quàm lumen à sole, multòque inferior participatio est diuini esse, quàm lumen sit lucis solis: ergo multò magis pendet in conseruari ab illo.

XIV. Vltima conclusionis probatio.

Vltimam rationem possumus in hunc modũ cõficere; nam duobus modis possumus intelligere res omnes, vt permaneant in esse pendere à Deo, primò permissiuè (vt ita dicam) quia nimirum tamdiu manent in esse, quamdiu à Deo permittuntur manere, id est, non priuantur suo esse ab illo à quo priuari possent: secundò positiuè, id est per actualem influxũ in ipsas. Iam igitur argumentor; Euidens est res omnes pendere seu conseruari à Deo saltem primo modo, sed non possunt illo modo pendere, nisi pendeant etiam posteriori modo: ergo. Maior probatur, quia ad omnipotentiam Dei pertinet vt res quas cõdidit, possit in nihilum redigere si velit: ergo vt conseruentur in esse, saltem necessaria est eius permissio, quæ in hoc solùm consistere potest, vt non velit eas in nihilum redigere, cùm possit. Consequentia est clara, & antecedens patet ex ipsis terminis: quia non esset Deus perfectus dominus omnium rerum, si nõ posset de eis disponere prout vellet. Minor autem probatur, tum quia multæ sunt res, quę non possunt priuari esse per contrariam actionem, vt angelus, & aliæ res simplices, tum etiam quia omnis positiua actio necessariò tendit ad aliquod esse: vnde, si Deus semper indigeret actione ad destruendas res, nõ posset eas annihilare: ergo vt hoc possit necesse est, vt per solam abstractionem actionis, vel influxus possit eas annihilare. Hoc autem fieri non potest nisi quatenus illæ in suo esse & conseruari à tali influxu & actione pendent: ergo.

XV. Veteres Philosophi depẽdentiam creaturarũ à Deo in conseruatione cognouerunt. Plato. Arist.

Est ergo hæc veritas satis nota naturæ lumine, quam proinde Philosophos etiam agnouisse significat Iustin. Martyr. in orat. Parenetica ad Gẽt. latiùs q; confirmat Eugubin. lib.1. de peren. Philosop. à cap. 28. & lib.3. ferè per totum, sumiturque ex Platone in Timæo, & ex Aristotele, vel sub nomine eius, in libro de mundo ad Alexandrum, & lib.12. de diuin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sapien. secundum Ægyptios, capite 19. vbi dicitur; *Ab illo sunt perpetuitas, locus & tempus, eiusdemq; beneficio permanent, & sicut centrum circuli in se ipso est: lineæ autem ab eo ductæ ad ambitum, ipseq; ambitus cum punctis in eodem centro existunt: sic quoque naturæ omnes, tam quæ ad intellectum, quàm quæ ad sensum pertinent, in agente primo consistunt & confirmantur.* Infrà verò inquirens quo modo res omnes dicantur permanere in primo opifice, cùm forma permaneat in materia, & materia in forma, & affectio in subiecto: respondet præter hos modos esse alium, quo res dicitur permanere in alio *vt in agente, verbi gratia, lux in lucente, & radius in eo, à quo emanat, & denique quælibet essentia simplex in efficiente.* Trismegistus etiam in Asclepio, Deum vocat; *Mentem conseruatricem rerum omnium in qua omnia viuunt atque subsistunt.* Seneca etiam libro de Consolat. ad Polybium, Deum vocat; *Causarum causam custodientem & regentem omnia*: qui multa etiam ad hanc rem habet in libro de Prouidentia. Denique Theologi ita sentiunt de hac veritate naturali, eamque aliis rationibus suadent, & exemplis declarant, vt videre licet in Bonauentura in 1. distinctione 37. articulo primo, quæstione prima. Gregorius in 2. dist. 3. quæst. 1. art. 3. Alens. 1. part. quæst. 10. memb. 2. & 3. Heruæo in tractatu de æternitate mundi quæst. 6. & aliis, quos sect. sequent. referam.

Trismeg. Seneca. D. Bonau. Alens. Gregor. Heruæus.

Soluuntur rationes dubitandi.

XVI. Prima.

AD primam rationem dubitandi, patet responsio ex dictis; nam eadem indigentia, quæ est in in esse creaturæ in primo instanti quo fit, vt sine alterius actione esse non possit, est in illa quâdiu permanet in esse. Quia cùm ratione sui esse præcisè, & quatenus tale est, indigeat creatura diuino influxu vt sit, quamdiu est eodem influxu indiget. Neque illa conseruatio dici propriè potest iterata collatio eiusdem esse, sed sicut ipsum esse non est iteratum esse, sed est vnum esse quod idem permanet: sic etiam influxus quo res cõseruatur est idem seu eadem collatio eiusdem esse, vt sequente sectione ampliùs explicabimus. Nec verò est superfluus, quia sine illo non sibi sufficerent res creatæ vt sustentarentur in esse. Quapropter deficiente hoc influxu, statim in nihilum redigerentur, non quia ipsæmet res creatæ se ipsas priuarent suo esse: id enim repugnans est, sed quia ab authore sui esse, illo priuarentur, non per actionem contrariam, sed per suspensionem actionis necessariæ vt esse possent. Et quoad hoc, eadem est ratio de entibus incorruptibilibus: illa enim licet secundum potentiam intrinsecam, & in ordine ad naturalia agentia, dicantur entia necessaria, non tamen in ordine ad extrinsecam potentiam Dei, à qua semper ac continuè pendent in suo esse. Vnde licet dicantur per se esse in ordine ad intrinsecam causam, quia non per formam distinctam, sed per se habent esse in quo subsistant, quod maximè verum est de immaterialibus substantiis, tamen in ordine ad causam extrinsecam non conuenit illis per se esse, sed per superiorem causam, & dependenter ab illa.

XVII. Secunda.

Ad secundum respondetur, ex vtroque capite ibi proposito sufficienter colligi hanc veritatem. Primùm enim ad amplitudinem diuinæ potentiæ spectat, vt nihil sit, neque alio momento esse possit absque influxu eius. Ad eandem item pertinet plenum dominium omnium rerum creatarum, & intrinseca potestas annihilandi eas, per suspensionem sui influxus. Quocirca in humano artifice, vel etiam in naturalibus agentibus vniuocis, quòd possint effi-

cere effectus, qui cessante actione sua in esse permaneant, non est perfectio simpliciter, sed suppositi aliqua imperfectione; nimirum in artifice quòd non possit efficere rem aliquam secundum proprium esse, & entitatem eius, sed solùm secundum quandam formam & figuram consurgentem ex situ & ordine talium rerum, qua imperfectione supposita, pertinet ad industriam artificis, res componere ex talibus rebus, tali ordine ac dispositione, vt firmiter cohærent, & stabiles sint. In agente autem naturali supponitur, verbi gratia, quòd de se sit agens vniuocum, quod non pertinet ad perfectionem simpliciter; nam cæteris paribus multò excellentius est agens, quod ex se est eminentioris ordinis, quàm effectus, illumque eminenter continet. Tamen, supposita illa imperfectione, quòd causa est eiusdem rationis & ordinis cum effectu, pertinebit ad perfectionem non simpliciter, sed illius ordinis, vt possit effectum æquè perfectum ac permanentem efficere. Rursus etiam colligitur necessitas conseruationis sufficienter ex imperfectione creati esse; nam si ex se tale esset vt posset vel per momentum permanere sine actuali influxu primæ causæ, etiam in primo momento, vel in ipsa æternitate esse posset sine tali influxu, neque ex intrinseca ratione sua postularet dependentiam ab alio, quod est proprium esse infinitè perfecti.

Ad exempla verò, quæ ibi afferuntur, primùm respondetur, quòd licet non quælibet inæqualitas effectus ad causam sufficiat, vt effectus pendeat in cõseruari; tamen hæc inæqualitas, quæ est inter esse per essentiá & p participationem, seu inter esse independens, & illud quod est essentialiter dependens, sufficit, vt hoc non possit sine illius influxu conseruari. Petitur autem in illis exemplis, vt explicemus quando effectus pendeat in conseruari à causa creata. Sed hoc declarabimus commodiùs in sect. 3.

SECTIO II.

Quænam actio sit conseruatio, & quomodo à creatione differat.

I. Henric. Aureol. Gregor.

IN hac re est prima sententia Henrici quodlibeto 1. quæstione 7. asserenti in omni rerum productione, & conseruatione intercedere duas actiones. Vnã qua res acquirit esse, aliam qua conseruatur in esse, ex quibus illa præcedit, hęc subsequitur. Idem quodlibeto 9. quæst. 1. Aureol. & Gregor. infrà citandi. Fundamentum esse videtur, quia actio qua rei confertur esse est subita, & indiuisibilis, & carens duratione seu permanentia, & ideò statim præterit, eique succedit actio qua res conseruatur in esse: nam conseruatio est actio permanens. Et cõfirmatur primò, quia si res eadem actione conseruaretur qua fit, semper quamdiu est, esset in quodam continuo fieri, quia primùm fieri continuò duraret. Consequens autem videtur valde absurdũ; nempe quòd res substantialis & permanens, sit in continuo fluxu. Confirmatur secundò, quia sæpe videmus rẽ ab vna causa produci, & ab alia conseruari: ergo tunc necesse est, distingui conseruationem à productione: ergo & semper distinguuntur. Vltimò id confirmat ex Augustino libro de Anim. immor. cap. 8. vbi de Deo sic scribit; *Hæc vis & natura incorporea effectrix corporis vniuersi, præsente potentia tenet vniuersum: non enim fecit, atque discessit, effectumq; deseruit*, & infrà; *Illa effectoria vis vacare non potest, quin id, quod ab ea factum est, tueatur, & spe-*

& specie carere non sinat, quæ est in quantumcunq; est: quod enim per se non est, si deseratur ab eo per quod est, profectò nõ erit, & cætera. Alia argumenta pro hac sententia refert ex Aureolo Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. in arg. cont. 3. concl. Alia etiam affert Gregor. in 2. dist. 1. quæst. 6. concl. 4. Sed ea omitto, quia non habent specialem difficultatem.

II. D. Thom. Heruæus. Ægidius. Ferrar. Capreol.

Secunda sententia est, conseruationem non esse aliam actionem à creatione secundum rem aut modum realem, sed solùm connotatione quadam aut negatione inclusa, seu ratione distingui; nam creatio dicit effectionem rei connotando, quòd anteà non fuerit; conseruatio autem dicit eandem effectionem connotando quòd res anteà iam fuerit. Hæc est sententia Diui Thomæ prima parte, quæst. 104. art. 1. ad quartum, & de potent. quæst. 3. art. 3. ad 6. & quæst. 5. art. 1. ad 2. & hanc sequuntur communiter Thomistæ, Heruæus tract. de æternit. mundi quæst. 1. Ægid. de ent. & essent. quæst. 7. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 65. Capreol. suprà qui refert specialiter contra Henricum Bernardum de Ganaco, quodl. 1. quæst. 7. Et hęc sententia, per se loquendo, vera est, vt tamen ampliùs explicetur, distinctio quædam adhibenda est

B

Quæstionis resolutio.

III.

COntingit enim interdum rem ab eadem omnino causa conseruari, à qua fit; interdum verò à diuersis, vel quia effectio fit ab vna cum adminiculo, vel concursu alterius; conseruatio verò fit à sola vna causa, vel econuerso, quia productio fit ab vna, ad conseruationem autem multæ concurrunt.

IV. Prima assertio.

Dico ergo primò; Quando conseruatio est ab eodem omnino agente, & cum eodem concursu causæ materialis, vel etiã cum eadem independentia à materiali causa: tũc conseruatio non est alia actio à productione vel creatione, nisi ratione tantùm vel connotatione & habitudine. Quo fit, vt formaliter ac per se loquendo, actio & conseruatio non sint in re duæ actiones. Hæc est mens Diui Thomæ. Et probatur, quia nullum est principium sufficiens ad distinguendas illas actiones: ergo sine causa asserentur distinctæ. Quis enim credat solem, vel lucernam alia actione illuminare hunc aerem, cũ primò applicatur, & deinceps? Quid enim fuisset in causa, vt prior actio C interrumperetur, vel cessaret, vt alia deinde inchoaretur? Rursus deberet prima actio tantùm per instãs nostri temporis durare, quia qua ratione ampliùs duraret, semper durare posset: subsequens actio ergo vel duraret per aliud simile instans tantùm, & sic essent duo instantia immediata: vel duraret per totũ subsequens tempus, quo res conseruatur, & tunc eadem, vel maiori ratione idem dici poterit de priori actione, & vitabitur illa superflua multiplicatio actionum. Adde quòd illa secunda actio inchoanda esset per vltimum non esse, quod est præter naturam talium actionum. Item in visione beata, verbi gratia, alia esset actio qua beatus primò videt Deum, & qua deinde perseuerat in visione Dei. Et ita prima actio non esset beatitudo, neque de se perpetua, quod est satis absurdum. Imò hoc admittere in quacũq; corporali visione, vel in omni intellectione & volitione est præter omnẽ rationem, & præter experientiam, quantũ in hac re interuenire potest. Imò vix est homini, possibile perseuerare tantùm per instans in actione vitali, quam exercet. Mirum etiam esset quòd in agente naturali, verbi gratia, visu variaretur actio, non mutato principio, neque obiecto, neque passo, neque effectu. Et similiter quod in agente libero

A multiplicaretur actio absq; vsu nouo libertatis. Tãdem actio habet vnitatem ex termino & principio, vel etiam ex passo, si versetur circa illud, sed productio & conseruatio habent eundem omnino terminum: ergo si principium sit idem, vt supponimus, actio, de qua agimus erit eadem, quia creatio nullum habet subiectum: idem autem est seruata proportione in actione & conseruatione, quæ fit ex subiecto, si passum sit idem.

V. Obiectioni fit satis.

Dices. Etiam ex temporis diuersitate solere actiones distingui, ideò enim Aristoteles ad motus vnitatem requirit vnitatem temporis: creatio autem & conseruatio fiunt diuersis temporibus, vel saltem illa fit in primo instãti; hæc verò in toto tempore subsequendi. Respondeo ex sententia Aristotelis, idem tempus continuum satis esse, vt motus sit idem, & consequenter vt actio sit eadem: at in præsenti instans quo fit creatio, continuè coniungitur tempori subsequenti quo durat conseruatio: continuè (inquam) eo modo, quo potest indiuisibilis terminus rei diuisibili immediatè copulari: hoc ergo satis esset vt illa actio esset vna, & ideò sæpè dicit Diuus Thomas, conseruationem esse quasi continuatam creationem. Quod non est intelligendum de continuatione propria, sed nostro modo intelligendi, seu per coexistentiam ad veram successionem continuam. Continuatio enim propriè dicta, solùm est in re diuisibili: creatio autem & conseruatio sunt vna actio indiuisibilis: vnde eius vnitas maior est, eiusque duratio non est per successionem, nec per veram continuationem, sed per eiusdem indiuisibilis actionis permanentiam. Nam, quando non est successio in termino, vel acquisitione termini, neque in actione esse potest: hîc autem non est successio in termino, quia est esse substantiale indiuisibile, neque in acquisitione eius, quia simul totum acquiritur, & simul totum conseruatur. Quo fit, vt cùm dicitur, productio ac conseruatio durare vno tempore continuo, intelligendum id sit de tempore extrinseco, cui illa actio coexistit; nã, si sit sermo de intrinseca duratione potiùs est vnum instans aut æuum indiuisibile, quod totum simul incipit in primo instanti, totumque perseuerat toto tempore sequente, & in singulis partibus ac instantibus eius.

VI.

Atq; hinc confirmatur ratio superiùs tacta; nam conseruatio est vna actio, prout durat toto tempore post primum instans, & in omnibus instantibus cõtinuatiuis talis temporis: ergo etiam est vna actio cum ipsa productione vel creatione, quæ fit in primo instante. Patet consequentia, quia non est maior ratio distinctionis inter primum instans, & tempus immediatè subsequens, quàm inter quodlibet instans continuatiuum, & partẽ temporis, quæ post illud succedit. Nisi quis fortasse fingat in ipsa conseruatione realem & intrinsecam successionem, quod & falsum est & mihi improbabile, & adhuc relinquitur idem argumentum, quod eo modo, quo conseruatio in se dicitur vna actio, scilicet, continuatione, debeat etiam dici vna cum creatione, quia non minùs coniungitur pars vltimo termino, quàm continuatiuis, vt in linea punctus terminatiuus verè illi vnitur, & suo modo constituit cum partibus vnum integrum, sicut punctus continuatiuus.

VII. Dissoluitur obiectio.

Vnde obiter soluitur argumentum, si quis ita obiiciat. Si Deus annihilaret angelum, & posteà eundem crearet, actio creandi esset diuersa, solùm quia diuerso tempore fit: ergo creatio & conseruatio, quæ diuersis fiunt temporibus, erunt actiones di-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersæ. Respondetur enim idem argumentum fieri posse de conseruatione, quæ priori & posteriori tempori, vel instanti correspondet, quòd scilicet non sit eadem actio, sed infinitæ multiplicētur in successione omnium instantium, vel partiū temporis. Negari ergo potest cōsequentia, quia in illo casu actiones essent interruptæ & discretæ; hîc verò est vna continua. Meliùs tamen dicitur antecedens nō esse necessarium, nam posset Deus reproducere angelum eadem numero actione, qua illum creauerat: non enim illi difficilius est eandem numero actionem iterum efficere, quàm eundem numero effectū, vt alibi latiùs dixi. Tamen etiā posset si vellet diuersa actione vti ad reproducendum eundem numero effectum, vt in superiorib. notaui. Et ideò non dixi antecedens esse falsum, sed incertum, quia pendet ex libera Dei voluntate. Vnde etiam non nego quin possit Deus, si velit, variare actionem in rei creatione & conseruatione, imò & in ipsa conseruatione prout fit in diuersis partibus nostri temporis: dico tamen id esse superfluum & non connaturale, suppositā identitate termini & principij, maximè quando non interrumpitur actio.

VIII. Quælis & quanta creationis à conseruatione distinctio.

Hinc præterea facile intelligitur distinctio rationis inter creationem & conseruationem: nam quod hæc saltem intercedat, ipse diuersus modus loquendi ostendit: quia res non dicitur conseruari in primo instanti quo creatur: neque creari post primum instans reliquo tempore quo conseruatur: interuenit ergo aliquod discrimen saltem rationis inter illa duo: quod nō est aliud nisi suprà tactum, quod creatio sub hac voce connotat negationem esse priùs habiti: cōseruatio verò è contrario connotat possessionē eiusdem esse prius habiti. Quòd verò hæc sit tantùm diuersitas rationis, per se notum videtur. Et facile patet à simili ex ipso termino, nam ipse effectus creatus, vt existens in primo instanti, vel vt existens in toto tempore sequenti solùm ratione potest distingui: ergo idem est in actione indiuisibili, & ita sunt imposita diuersa nomina, quibus significetur actio sub illis diuersis respectibus ac connotationibus. Interdum verò concipitur vel significatur actio sine illis respectibus, sed indifferenter & tunc indifferenter etiam dicitur de productione, & de conseruatione: quo modo dicitur sol illuminare aerem, & in primo instante, & toto tempore quo lumen durat. Quo sensu etiam dicitur Deus *vsque modo operari*, Ioan. 5. vt Aug. exponit 4. Genes. ad liter. cap. 12. & alij patres suprà citati. Ex his ergo satis patet tota conclusio. Cur verò vltimam partem eius addiderim, constabit ex sequenti conclusione.

Auguſt.

IX. Secunda assertio.

Dico secundo. Interdum conseruatio est distincta actio à productione ob diuersitatem efficientis vel materialis causæ; tunc autem est materialis potiùs distinctio, quàm formalis, inter productionem & conseruationem. Prima pars declaratur & probatur, nam quantitas v. g. in mysterio eucharistiæ conseruatur eadē numero, & in materia panis, & separata à pane. Et ideò alia actione fuit producta ex materia panis, alia conseruatur separata. Et ratio est, quia prior actio fuit eductio de potentia materiæ, vel concreatio cum materia, aut comproductio cum pane, iuxta varias opiniones. Posterior verò actio est ex nullo subiecto, & in re est idem quod creatio, solùm non ita appellatur, quia res illa iam præexistebat. Vnde obiter intelligitur, hunc modum distinctionis inter productionem & conseruationem, scilicet, vt altera fit per modum eductionis, altera per modum creationis, vel è conuerso, non posse naturaliter internenire, nisi per miraculum aut supernaturale opus; nam forma quæ fit per actionem dependentem à subiecto, non potest naturaliter fieri aut conseruari dependēter à subiecto. Et eadem ratione si accidens productum in vno subiecto, transmutaretur in aliud, & in eo conseruaretur; actio illa qua conseruaretur in alio subiecto, esset distincta ab illa qua fuit productum in priori: quia esset quasi noua eductio, nouaque dependentia à distincta causa, tamen illa diuersitas non potest esse naturalis, quia non potest accidens migrare naturaliter de subiecto in subiectum.

X. Distinctio creationis à cōseruatione ob variationem efficientis.

Alio modo potest distingui conseruatio à productione ex parte principij, vt cùm ignis producitur ab igne, & posteà conseruatur à solo Deo. Vel cùm aqua calefit à sole, vt ab igne, & remoto sole aut igne retinet calorem; tunc enim necesse est conseruationem esse nouam actionem distinctam. Quod facilè patet, quia cessauit prior actio & dependentia: iam enim ignis nō agit in aquam v. g. aut in alium ignem genitum, & consequenter cessauit etiam prior actio vt erat à Deo: nam in re erat omnino eadem cum actione ignis, vt sequente quæstione declarabitur: ergo est noua actio, qua Deus se solo illum effectum conseruat. Imò contingit priorem actionem esse successiuam: conseruationem verò esse indiuisibilem & permanentem, quia per hanc nihil nouum acquiritur per partes, sed quod acquisitum est paulatim, simul & indiuisibiliter conseruatur: loquor enim de pura conseruatione quæ fit sine augmento. Denique ratio est, quia actio, cùm per se ipsam pendeat ab agente, nō potest variare dependentiam, vel habitudinem ad agens, quin varietur actio. Et ideò si lumen producatur ab vna lucerna, & conseruetur ab alia, conseruatio est actio distincta à productione? & in vniuersū idem est quandocunque est distinctum conseruans à producente.

XI.

Ex quo obiter intelligitur, hunc modum distinctionis non habere locum naturaliter in creatione, & conseruatione illi correspondente, quia naturaliter non potest res creari, neque creata conseruari nisi à solo Deo: secus vero est supernaturaliter: nam si Deus crearet rem per instrumentum creatum, & posteà conseruaret se solo, vel è conuerso, tunc etiam actio esset distincta propter eandem rationem. Dixi autem esse collationem faciendam inter conseruationem correspondentem creationi: quia ita est formaliter ac per se facienda comparatio, quoties inquiritur de distinctione inter productionem & conseruationem. Nam si quis comparet conseruationem ignis, in materia cum creatione quacunque, clarum est esse actiones diuersas. Item sistendum est in actione & causalitate causæ efficientis: nam si quis comparet creationem materiæ v. g. ad conseruationem, prout suo modo est à forma actuante illam, sic alia est causalitas formæ ab actione agentis: tamen id non est formaliter comparare conseruationem actiuam cum productione.

XII.

Vnde tandem intelligitur cur in hac assertione diximus distinctionem hanc inter conseruationem & productionem esse per accidens ac materialem: in superiori verò dixerim identitatem esse per se ac formalem. Quia nimirum distinctio quam explicuimus, non est inter conseruationem & productionem, ex eo quòd vna est cōseruatio & altera productio: sed ex eo quòd vna est ab vna causa, & altera ab alia. Quæ distinctio erit eadem inter duas productiones, vel etiam inter duas conseruationes, si eadem diuersitas

sitas principiorum intercedat: ergo productio & conseruatio per se non habent hanc diuersitatem, sed potiùs identitatem, si formaliter ac præcisè comparentur.

Satisfit argumentis.

XIII. Argumenta prioris sententiæ ferè non indigēt solutione. Negatur enim creationem ex necessitate dare tantùm per instans nostri temporis secundum rem loquendo; durat enim quamdiu conseruatio permanet: secundum nomen autem seu cōnotationē dicitur, solùm durare per instans, quia tāntùm pro illo instante connotat negationem prioris existentiæ. Loquimur autem semper de creatione, quæ est cum nouitate essendi; nam illa quæ esset ab æterno, non duraret per instans nostri temporis, sed esset nunc æternitatis, in eaq; distinguerentur creatio & conseruatio, modo proportionali, vt disputatione præcedente declarauimus. Ad primam confirmationem respondetur, cùm res permanens dicitur esse in quodam continuo fieri, æquiuocam esse locutionem; nam esse semper in fieri ex rigore verborum significat esse in quodam continuo tranſitu & successione; in hoc autem sensu falsa est propositio, non tamen sequitur ex prædicta sententia, vt per se notū est. Alius verò sensus esse potest, quòd creatura, quamdiu est, actu pendet à prima causa, à qua semper recipit esse per eundem actualem influxum, quo creata est. Et hoc sensu est vera propositio, tamen est impropria, quia fieri in rigore connotat quandam nouitatem essendi. Secunda confirmatio probat secundam conclusionem à nobis positam. Verba autem D. Augustini, vel nihil ad rem faciunt, vel ad summum confirmant eandem conclusionem.

SECTIO III.

Vtrùm res omnes à solo Deo pendeant in conseruari.

I. Diximus pertinere ad efficacitatem primæ causæ, vt res omnes in esse conseruet: sequitur vt declaremus, an hoc sit proprium eius, & consequenter explicabimus communem diuisionem causarum in eas à quibus effectus pendent tantùm in fieri vel etiam in conseruari. Et inuestigabimus radicem huius diuersitatis, an scilicet sufficiens sit, quòd causa sit vniuoca, vel æquiuoca, vel si hæc non est satis, quænam illa sit.

Sensus quæstionis exponitur.

II. Variis titulis vna res ab alia in sui conseruatione dependere potest. Primùm autem omnium aduertendum est ex D. Thoma 1. p. quæst. 104. art. 1. & 2. variis modis intelligi posse vnam rem conseruari ab alia, scilicet, per se, vel per accidens. Per accidens dicuntur conseruare rem ea, quæ illum protegunt à contrariis, vel eis resistendo vel ea remouendo. Et hoc modo certum est, Deum conseruare vnam creaturam mediante alia: Angelus enim potest facile conseruare hominem auertendo lapidem, ignem, &c. de quo non est quæstio, quia hæc non tam est conseruatio, quàm alia mutatio localis, vel alterationis, ad quam ex accidente sequitur, vt res, quæ iam erat, non corrumpatur, & ita conseruetur. Conseruatio autem per se potest subdistingui; nam vna est directa & immediata, quæ consistit in perseuerante influxu ipsiusmet esse quod per productionem communicatum fuit. Alia verò est conseruatio solùm mediata aut remota, quæ consistit in influxu aliquarū dispositionum vel formarum, quę necessarię sunt, vt res conseruetur in esse. Et priorem videtur D. Thom. suprà ad 1. vocare conseruationem principalem: posteriorem verò secundariam. De hoc igitur posteriori modo conseruationis nulla est quæstio, quia certum est hoc modo quasdam creaturas cōseruari per alias: sic enim dixit Arist. 12. Metaph. tex. 34. cœlum & solem diuino motu suo conseruare hæc inferiora. Et ratio est, quia hic modus conseruationis solùm cōsistit in productione aliquarum qualitatum, vel formarum. Vnde sicut vna creatura agit in aliā, ita etiā potest agere in qualitates consentaneas naturæ eius, quibus commodè conseruetur.

III. Vbi duo sunt consideranda, vnum est, conseruationem propriè dici de illa, quæ est per efficientiam, quomodo nunc de illa loquimur: extendi tamen ad alia genera causarum, præsertim materialis & formalis. Quomodo forma conseruatur per materiam, & materia suo modo per formam, & compositum per dispositiones materiales. Hac ergo ratione dici potest materia conseruari mediis causis secundis, quia licet mediatè non influant esse in illam, tamen inducunt in eam formas, quibus mediantibus conseruatur. Et simili ratione qui producit connaturales dispositiones, dicetur conseruare subiectum: quo modo sol conseruat viuentia, fouendo naturalem calorē eorum. Alterum obseruandum est conseruationem interdum tribui indiuiduo, interdum verò speciei, quomodo dicitur conseruari species per continuam generationem indiuiduorum, quæ est etiam impropria conseruatio; nam potiùs est generationum successio. Vnde neque de hac est sermo, quia constat, generationes has fieri mediis causis secūdis. Est ergo sermo de propriissima conseruatione, per directum & immediatum influxum continuum ipsius esse in eadem singulari re.

Quæstionis resolutio.

IV. Dico igitur primò; Nulla substantia creata pendet in conseruari quoad suum esse substantiale à causa creata. Notauit hoc Capreolus in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad quartum contra tertium conclusionem, ex Diuo Thoma quæst. 5. de potent. art. 1. ad 7. Potestque inductione & ratione ita ostendi; nam in rebus incorruptibilibus, quæ per creationem fiunt, res est clarissima, vt notauit D. Thom. 3. parte quæst. 13. art. 2. quia conseruatio harum rerum fit per eandem actionem perseuerantem, qua creantur. Item, quia illa actio qua conseruantur, non est ex materia, quia vel res, quæ per illam conseruantur, non habēt materiam, sed sunt simplices, vel si habēt, talis influxus simul terminatur immediatè ad esse ipsius materię, & ideò qua ratione creatio harum rerū est propria ipsius Dei, eadem etiā conseruatio. Quod etiam est verum de materia prima rerū generabilium; nam de conseruatione, quæ est per formam, iam diximus esse mediatam & impropriam. Maximè si verum est, formam non concurrere propriè & à priori ad conseruationem materiæ, sed tantùm à posteriori, & quasi dispositiuè, vt in superioribus tactum est.

V. Præterea substantiæ corruptibiles in primis non pendent in conseruari à subſtantiis creatis immaterialibus; nam hæ non possunt per se efficere eductionem formarum de potentia materiæ: ergo nec conseruationem: est enim eadem ratio de conseruatione. Item non pendent in conseruari à generantibus vniuo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

vniuocis, vt experientia constat. Et ratio est, quia recipiunt perfectè eorum formas secundum speciem. Item, quia aliàs vnum indiuiduum vnius speciei secundum suum esse diceret essentialem, vel saltè connaturalem habitudinem dependentiæ in ipso esse ab alio indiuiduo eiusdem speciei, & sic vel procedèdum esset in infinitum, vel necessariò sistendum esset in aliquo, vel aliquibus, quę nõ connaturali modo conseruarentur: vtrumq; autem est planè falsum vt constat. Rursus neq; à generãte æquiuoco, si illud etiam sit substantia genita, vt etiam constat experiẽtia: nam, licet equus generet mulum, genitum non pendet in conseruari à generante. Et in his & similibus fortasse ratio est, quia hæ generationes sunt aliquo modo per accidens, & ideò effectus ratione sui esse non dicit intrinsecam dependentiam à tali causa, sed solùm ratione talis fieri. Aliam generalem rationem statim tractabimus.

VI. Tandem possunt hæ substantię generabiles compararì ad cœlestes & incorruptibiles substantias cõpositas. Et sic aliqui existimant substantias inferiores pendere in conseruari à cœlo, quod sine probatione verisimile indicat Fonseca cap. 2. quæst. 9. sect. 2. lib. 5. Metaph. Sed id negat Diuus Thomas suprà. Reddit autem rationem satis obscuram his verbis. *Actio agentis corporalis non se extendit vltra motum: & ideò est instrumentum primi agentis in eductione formarum de potentia in actum, quæ est per motum: non autem in conseruatione earum, nisi quatenus ex aliquo motu dispositiones in materia retinentur, quibus materia sit propria formæ. Sic enim per motum corporum cœlestium inferiora conseruantur in esse.* Quæ ratio duobus modis explicari potest: primò, quod agentia corporalia non attingũt eductionem formarum immediatè, sed tantùm dispositiuè, & ideò non possint esse propria causa conseruationis. Sed hic sensus est contra principia D. Thomæ, & contra mentem eius in illo loco. Nam, iuxta illum sensum eodem modo penderet forma in cõseruatione sicut in eductione à corpore cœlesti, quod tamen D. Thom. negat. Tunc autem difficilè relinquitur, cur eo instrumẽtali modo quo agens corporale mediante motu est causa eductionis formæ substantialis, non possit etiam esse causa conseruationis eius. Secundus ergo sensus esse videtur, quòd cœlum, quia nõ agit in inferiora nisi mediis accidentibus, solùm instrumentaliter attingit effectionem formæ substantialis, & ideò solùm habet hanc efficientiam quamdiu durat alteratio præuia, quia instrumentũ solùm agit ad effectũ principalis agentis præuia propria actione: cessante ergo motu alterationis cessat actio cœli circa ipsam substantiam. Conseruantur autem huiusmodi res cessante alteratione, quamuis nõ generentur, nisi mediante illa, & ideo non pendent in conseruari à cœlo, sicut pendent in fieri.

Ratio D. Thomæ pro conclusione explicatur.

VII. Estque in hoc sensu ratio hæc probabilis, quæ potest ita declarari ampliùs & confirmari, quia substãtia creata non efficit aliam, nisi mediis accidentibus vt instrumentis, sed nulla substantia ex natura sua pendet in suo esse & conseruari ab efficientia accidẽtium, imò in vniuersum nullus effectus nobilior instrumento videtur per se pendere in conseruari ab actione instrumẽti, esto interdũ pendeat in fieri, quia tale agens non est aptum ad efficiendum talem effectum, nisi medio instrumento, vt licet species intelligibilis fiat medio phantasmate vt instrumento, nõ pendet ab illo in conseruari, & sic de aliis. Et ratio esse videtur, quia habitudo ad instrumentum ignobilius non potest fundari in intrinseca natura & in- A digẽtia ipsius effectus, sed ad summum in natura, vel voluntate agentis, quia vel non est sufficiens, vel non vult agere sine tali instrumento. Vnde hic optimè quadrat distinctio D. Thom. prout à nobis suprà explicata est de causa solius fieri, vel etiam ipsius esse. Nam quandocunq; causa medio instrumento imperfecto agit perfectum effectum, est causa ipsius fieri, non verò ipsius esse, quia non est verisimile, talem effectum ex vi sui esse absolutè considerati postulare talem causam vt sit, sed ad summum vt fiat tali genere productionis. Et ideò talis effectus nunquam pendet à tali causa in conseruari. Quia ergo cœlum nullam substantiam inferiorem efficit, nisi hoc modo, scilicet, per accidentia, quæ sunt ignobiliora instrumenta, quàm effectus substantiales: ideò licet hæ substantiæ interdum à cœlis fiant, non tamẽ ab iis in conseruari pendent.

VIII. Quod potest tertiò in hunc modum ostẽdi, quia elementa secundum suas substantias non pendent in conseruari à cœlis: ergo nec mista pendere possunt: ergo nullæ substantiæ corruptibiles ita pendent à cœlo, quia hæ non sunt, nisi aut simplices aut mistæ. B Antecedens probatur, tum experientia; nam ignis aut aqua per se loquendo æquè conseruatur in absentia vel præsentia Solis, & quomodocunq; mutẽt influentia cœli: tum ab origine, quia cœli & elemẽta æquè primò creata sunt: vnde elementa per se & natura sua non pendent in fieri à cœlo: sed vel primò fiunt per creationẽ, vel posteà vnum aptum est generare sibi simile: ergo neq; in conseruari pendent. Prima verò consequentia probatur à paritate rationis, vel etiam à fortiori, quia formæ mistorum sunt perfectiores, & ex se æquè permanentes. Quod etiam experientia confirmat, quia licet aurum generetur à Sole, conseruatur sine præsentia vel actuali influentia Solis, & sic de aliis. Nulla ergo substantia reperitur quæ immediatè & directè pendeat in suo esse ab alia substantia creata. Neq; inuenio rationem quæ vel probabiliter oppositum suadeat, cui respondere necesse sit.

IX. Quæ accidentia pendeant in conseruari à fuis causis. Dico secundò. Accidentia non semper pendẽt in conseruari à suis causis etiam æquiuocis. In causis enim viniuocis est res manifesta. & experientia, & ratione suprà facta, quæ in vniuersum probat, effectum C nunquam pendere à causa vniuoca seu eiusdem rationis in esse, sed in fieri tantùm. De effectu autem facto à causa æquiuoca, patet in calore facto à Sole: permanet enim cessante influxu eius, & idem est de aliis primis qualitatibus, quæ à luna & aliis astris fiunt. Rationem verò statim inquiremus.

X. Dico tertiò. Aliqua accidentia pendent in fieri & conseruari à causis æquiuocis creatis. Hæc etiam conclusio constat experientia; sic enim pendet lumen à Sole, vel alio lucido; species intentionales sensuum externorum ab obiectis: actus vitales à potentiis & in vniuersum motus ab aliquo actualiter mouente. Atq; ita fit, vt tantùm hi effectus non dependeant à solo Deo in conseruari. Dico autem *à solo*, quia etiam ab ipso pendent immediatè in cõseruari; nam, eo modo quo omnis operatio creaturæ est etiam immediatè à Deo, vt infrà dicemus, hæc etiam conseruatio, quæ per creaturam fit, est etiam immediatè à Deo: est enim eadem ratio, cùm hæc conseruatio sit quædam operatio, seu efficientia. Et ita in hoc nulla est difficultas.

XI. Sed magna est in reddenda ratione huius dependentiæ: non enim sufficienter redditur ex eo, quòd causa est æquiuoca, & effectus imperfectè participat virtutem causæ; nam constat ex præcedente assertione hanc rationem non sufficere in aliis effectibus æquiuocis. Vnde etiam difficile est rationem assignare ob quam quidam effectus æquiuoci causarum creatarum non pendeant ab illis in conseruari: alij verò pendeant. Quam difficultatem attigit Diuus Thomas 1. parte quæst. 84. art. 1. vbi tacitè quærit cur aqua calefacta retineat calorem cessante actione ignis: aer verò non retineat lumen, cessante actione Solis. Et solùm respondet; *Quia materia aquæ est susceptiua caloris ignis secundum eandem rationem, qua est in igne: aer verò non est susceptiuus luminis secundum eandem rationem qua est in Sole*: Hæc verò ratio non videtur sufficiens, quia potest argumentum commutari; nam lumen causatum ab igne in aere non conseruatur, cessante actione ignis, calor verò causatus à Sole conseruatur: et tamen aer est susceptiuus luminis secundum eandem rationem, qua est in igne, & non est susceptiuus caloris secundum eandem rationem qua est in Sole. Deinde inquiro, quid sit qualitatẽ aliquam recipi in passo secundum eandem rationem qua est in agente, duos enim potest habere sensus. Prior est vt idem sit recipi secundum eandem rationem, quod B li agente, quia nimirum eius esse non tam est esse, esse eiusdem speciei, & sic non concludit ratio, tum, quia calor factus à Sole non est eiusdem speciei, tum etiam quia probabile est, aerem esse susceptiuum luminis secundum eandem rationem qua est in Sole. Maximè secundum eundem Diuum Thomam qui prima parte, quæstione 67. articulo tertio ex eo probat lucem Solis non esse formam substantialem, quia in aere est accidens. Quæ ratio non esset efficax nisi supponeret lumen aeris & lucem Solis esse eiusdem rationis.

XII. Alter sensus est, vt qualitatem recipi secundum eandem rationem idem sit, quod produci coniunctam in passo eidem radicali principio, id est, eidem formæ substantiali prout erat in agente, quem sensum magis Diuus Thomas indicat, dum ait; *Aer natus non est recipere lumen secundum eandem rationem, secundum quam est in Sole*, & exponit; *Vt scilicet recipiat formã Solis, quæ est principium luminis*: Vnde concludit; *Et ideò, quia non habet radicem in aere, statim cessat lumen cessante actione Solis*. Et eundem sensum magis explicat dicta C quæst. 67. art. 3. ad primum, vbi ait, qualitatem sequi formam substantialem, & ideò sicut se habet subiectum ad receptionem formæ substantialis, ita se habet ad receptionem & retentionem qualitatis. Vnde concludit, si cum qualitate recipiatur forma substantialis, tunc firmiter recipi, & sine dependentia in conseruari ab agente creato: si verò recipiatur imperfectè, id est, disponendo & præparando materiam ad talem formam, tunc etiam conseruari aliquandiu cessante actione agentis, facilè tamen abiici: ti autem qualitas nec recipiatur cum forma, nec disponat ad formam, omnino non manere cessante actione extrinseci agentis. Ex hoc ergo sensu talis concluditur ratio; nam quia calor siue ab igne, siue à Sole productus, semper disponit ad formam ignis, ideò non omnino pendet in conseruari à tali agente, lumen verò aeris formaliter ac per se non disponit ad aliquã formam substantialem, siue fiat à Sole, siue fiat ab igne: aer enim illuminatus à quocunque, si non calefieret, non disponeretur ad formam ignis, & ideò omnino pendet in conseruari.

XIII. Sed neque hoc modo explicatus ille discursus videtur efficax. Primò, quia nõ est vniuersalis: actus enim scientiæ pendet in fieri, & conseruari ab agente: habitus autem non ita pendet: neuter autẽ disponit A ad formam substantialem. Deinde species intelligibiles factæ ab intellectu agente non pendent in conseruari ab illo, & tamen non disponunt ad formam substantialem. Præterea figura, color, & aliæ qualitates similes non disponunt ad formam substantialem & sunt qualitates permanentes, quæ non dependent ab aliqua causa conseruante effectiuè. Deniq;, quòd qualitas disponat ad formam, vel nõ disponat, videt impertinens, vt in conseruari pendeat à suo agente.

XIV. Alij ergo putant rationem esse reddendam solùm ex intrinseca natura talium qualitatum vel effectuũ, quia nimirum tales sunt vt essentialiter vel connaturaliter includant dependentiam à tali causa. Quæ ratio explicatione indiget, ne videatur tota res ad occultam rei naturam reuocari: quod non tam est rationem reddere, quàm eius ignorantiam fateri. Verũ est enim, hanc dependentiam fundari in aliqua speciali conditione vel natura talium effectuum: existimoq; non in omnibus prouenire ex eadem radice, sed iuxta vniuscuiusq; effectus naturam quærendam esse in illo rationem talis dependentiæ. Itaq; in motu facilè redditur ratio cur semper pendeat ab actua- Motus quare ab agente in conseruari pendeat.

XV. Quare actus immanẽtes. Atque hinc etiam facilè redditur ratio de actibus immanentibus, si, vt multi volunt, sunt tantùm actiones & non qualitates; nam omnis actio per se ipsam est essentialis dependentia ab agente. Sed, quia omnis actio habet suum terminum, & omnis dependentia est alicuius dependentia, ideo vt veriùs supponimus, hos actus esse quasdam qualitates dependentes à suis potentiis. Et ratio optima redditur ex natura talium qualitatum; sunt enim essentialiter actus vitales, qui ad informandum postulant facultatem influentem in ipsos, vnde, quia naturaliter esse non possunt, nisi actu informando suum proximum & intrinsecum principium, ideo etiã naturaliter esse nõ possunt, nisi actualiter sint ab ipso. Quæ ratio cessat in habitibus, & alioqui habitus imitantur potentias: sunt enim cum illis principia agendi, & dantur ad disponendas & iuuandas ipsas potẽtias: & ideo natura sua sunt permanentes & independentes ab actuali efficientia ipsarum potentiarum.

XVI. Species intẽtionales quæ pendeant in cõseruari ab agentibus, quæ non. De speciebus autem intentionalibus non potest ratio reddi ex generali natura earum, cùm videamus quasdam pendere in conseruari à suis proximis agẽtibus, aliàs vero minimè. Et ideo reddi potest ratio, vel ex finali causa, quia quędam institutæ sunt ad cognoscendum tantùm in præsentia obiectorum: aliæ vero vt retineantur in memoria: vel vlteriùs ex his diuersis finibus intelligi potest, species sensuum externorũ esse valdè imperfectas, & esse quasi instrumenta cõiuncta fuorum obiectorum, ideoq; natura sua pendere ex actione eorum in esse & conseruari: alias vero species vel sensibiles, vel intelligibiles esse perfectioris rationis, & ideo magis esse independentes.

XVII. De qualitatibus physicis eadẽ quæstio tractatur. De aliis vero qualitatibus physicis, de quibus solis videtur D Thomas locutus citatis locis, probabiles sunt eius rationes: nam hæ qualitates, vel disponunt ad formam, vel consequũtur illam. Quę disponũt, quia ex natura sua antecedunt formã, ideo possunt saltem in esse remisso precedere talem formã, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

consequenter etiã possunt manere sine illa, quę verò formam consequuntur, non possunt esse nisi vel intrinsecè ab illa manent, vel ab agente habente talem formam actualiter pendeant. Addere præterea possumus aliam rationem generalem, quòd qualitates vnius speciei nunquam pendent in cõseruari à qualitatibus eiusdem speciei, propter rationem superiùs factã de causis vniuocis. Et ideò valdè probabile est lumen & lucem Solis specie differre. Qualitas autem quæ aliquando fit ab alia superiori & specie distincta, talis interdum est, vt, per se loquendo, fieri possit ab alia eiusdem speciei. Et tunc licet interdum fiat à superiori qualitate, non pendet ab illa in conseruari. Quia cùm ex natura sua non petat dimanationem ab illa superiori causa vt sit, nõ est cur ab illa pendeat in conseruari, licet ab illa fiat, iuxta doctrinam datam in sectione prima explicando rationem dubitandi. Et hinc est, quòd calor, licet fiat per actionem Solis, conseruetur sine actione eius, quia natus est fieri ab alio calore. Quando verò qualitas talis est, vt in extraneo subiecto nunquã possit naturaliter fieri, nisi à superiori qualitate connaturali modo existente in superiori agente, tunc signum est, pendere ab agente in conseruari, quia sicut absolutè indiget illa emanatione vt sit, ita similem influxum requirit vt in esse permaneat: & ideò lumen in aere non cõseruatur sine præsentia Solis, vel alterius, quod in natura lucis cum Sole conueniat. Et hanc rationem, licet sub aliis verbis, indicauit Caietanus defendens rationem Diui Thomæ prima parte, quæstione 104. art. 1. dubio vltimo, & applicari potest ad omnes effectus tam substantiales, quàm accidentales.

D.Thom.

Dubium primum incidens.

XVIII. SEd adhuc supersunt duæ difficultates. Prior est, quia omnis qualitas pendet ab aliquo agẽte proximo in fieri & conseruari: vnde etiam in calore cessante actione ignis, adhibet Deus aliam actionem qua se solo conseruat talem calorem, vt suprà diximus, quæ actio talis est, vt æquiualeat actioni, quam habebat ignis cum cõmuni concursu Dei: vnde per se esset sufficiens illa actio ad producendum illum calorem, si non esset productus, quia per illam solam dat Deus esse tali calori, tanquam sufficiens causa illius esse. Quoticscunque ergo cessat actio proximæ causæ, effectus conseruari non potest, nisi supplente Deo actiuitatem talis causæ: ergo vel omnis effectus pendet in conseruari à sua causa proxima, vel nullus, quia si in omni causa proxima Deus velit supplere absentiam eius, nunquam effectus pẽdebit in conseruari à tali causa. Vel denique reddenda est ratio, cur Deus in quibusdam effectibus ita se habeat vt cessantibus causis proximis ipse continuet (vt ita dicam) conseruationem eorum: in aliis verò non item. Vel cur hoc postulet natura rei, vt vnus effectus pendere dicatur à sua causa proxima in conseruari, & non alius.

XIX. Enodatur. Ad hanc difficultatem responderi potest negando, ad conseruandum sine igne calorem productũ ab igne, tantam efficacitatem adhibere Deum, quãta sufficeret ad producendum calorem sine igne, si à principio adhiberetur, sed eam solùm vim quam Deus adhibet ad concurrendum cum igne, sufficere posteà ad conseruandum calorem per ignem productum. Et quia similis efficacia non sufficeret ad conseruandum sine Sole lumen productum à Sole, ideò optima ratio redditur cur remoto igne Deus continuet (vt sic dicam) concursum conseruatiuum caloris; remoto autem sole non continuet concursum cõseruatiuũ luminis. Nam, si remoto proximo agẽte necessarium semper esset Deum maiorem vim adhibere, non posset ratio reddi, cur illa maior actiuitas debita sit effectui, vel certè cur potiùs magis vni quàm alteri debeatur. Sicut rectè intelligimus cur anima rationalis conseruetur à Deo separata à corpore; non autem anima equi, quia nimirum eadem actiuitas Dei, quę sufficit ad conseruandam animam rationalem vnitam corpori, sufficit ad conseruandã separatam: quod non ita est in anima equi. At verò, si ad conseruandum animam rationalem extra corpus, necessarium esset Deum adhibere maiorem cõcursum quo suppleret carentiam coniuncti corporis, non posset ratio reddi cur talis maior concursus debitus esset animæ rationali, vel cur non etiam esset debitus animæ equi: nam etiam illã posset Deus conseruare extra corpus adhibendo maiorẽ concursum.

XX

Hæc verò responsio nec sumit verum fundamentum, neq; etiam ex illo satisfacit. Primùm enim impossibile videtur, quòd Deus sola sua virtute cõseruet formã in materia, siue illa sit calor, siue quęcunq; alia materialis, & tamen quod ibi non intercedat dependentia seu actio totalis per se sufficiens ad dandũ esse tali formæ, si à principio, & cæteris partib⁹ esset in talem materiam inducenda. Nam vt ostensum est, actio cõseruatiua non est per se distincta à productiua, sed illa actio in ratione conseruationis est totalis, & integra, & à virtute sufficiente: ergo est per se sufficiens ad productionẽ illius formæ, si non supponeretur producta. Item, quia calor, v.g. non potest habere vel retinere esse, nisi datum ab intrinseca causa sufficiente ad dandum tale esse, & vt sic operante. Et quoad hoc eadẽ est ratio de primo instãte in quo recipitur esse, & de quocunq; alio in quo conseruatur, vt patet ex discursu facto sect. 1. Sed quamdiu forma cõseruatur, retinet totum suũ esse: ergo recipit illud ab aliqua causa vt per se sufficiente ad dandũ tale esse: recipit autem illud pro eo instante à solo Deo in ratione efficientis; nã supponimus à solo illo effectiuè conseruari: ergo agit tunc Deus vt causa per se sufficiens & totalis, nõ iam solùm in genere causæ primę, sicut quando concurrebat cum igne calefaciẽte, sed simpliciter in genere causæ efficiẽtis ẽt proximę: ergo maiorem efficacitatẽ adhibet ad talẽ conseruationem: quàm ad productionẽ, quæ fiebat medio igne.

C

XXI. Adde quòd prior concursus & actio, saltẽ in productione totius caloris fiebat successiuè: conseruatio autem tota simul perseuerat per modum indiuisibilis actionis: fit ergo alio modo, & ex maiori efficacitate. Denique si in calore admitteremus conseruari à Deo solo sine maiori concursu, quàm adhibebat cũ igne, cur non posset lumen eodem modo conseruari in absentia solis per æqualem cõcursum? vel si potest, cur non est hoc ei debitum, sicut calori? eadem ergo restat difficultas etiã admisso altero principio. Et ratio quæ in ea sententia reddita fuerit, habebit locum, etiamsi supponamus (quod verum est) Deũ conseruare vnamquamq; rem per integram & totalem actiuitatem eius, in sensu exposito, quando illã se solo conseruat.

XXII. Ratio ergo differentię, quæ in illa difficultate postulatur, sumenda est ex principio posito sect. 1. quod interdum effectus manat à sua causa ratione sui esse absolutè ac præcisè considerati; aliquando verò solùm ratione talis fieri, quod tamen fieri non est adæquatum tali esse, vel simpliciter, vel secundum ordinem connaturalem. Quando ergo effectus manat à causa

causa secunda priori modo, tunc non postulat conseruari à Deo in absentia suæ causæ. Quando verò manat posteriori modo, debetur illi conseruatio ratione ipsius esse iam recepti: quia cùm tale esse per se non dicat ordinem ad aliam causam, connaturaliter postulat conseruari à quacunque, etiam à prima; ad quam spectat cõseruare quidquid factum est iuxta modum connaturalem. Secus verò est quando ordo ad causam proximam est omnino per se ex vi talis esse: nam tunc immutare illum ordinem non esset cõnaturale, nec posset esse debitum rei habenti tale esse. Vnde calor (& idem est de quauis simili forma) nõ postulat fieri & recipere esse ab alio calore aut alio simili agẽte proximo, ratione sui esse præcisè considerati: quia nulla forma, quæ per se fieri potest ab agente vniuoco, dicit per se dependentiam ab alio ex vi sui esse, vt suprà etiam probatum est: sed solum quoad fieri intercedit hæc dependentia ex ordine naturalium causarum, qui non extenditur ad omnium rerum conseruationem. Et ideò calor de se indifferens est vt cõseruetur à quocunque agente vniuersali: estque hoc ei debitum ex vi sui esse, postquàm illud semel recepit. Lumen autem talis est forma, quæ ex vi sui esse postulat dimanationem à luce vt sibi connaturali, vnde non potest ab vniuoco agẽte produci: & ideò absque vlla dimanatione non est ei debitum naturaliter, vt à soli superiori causa conseruetur. Et in omni alia simili qualitate depend ente in conseruari ab agente proximo, inuenietur aliqua naturalis proprietas, ex qua coniectare liceat, talem formam ex vi sui esse postulare dimanationem à tali causa proxima, vt suprà declaratum est, & maximè patet in actibus vitalibus. Et in omni forma materiali (vt per hoc respondeamus ad quoddam exemplum in contrarium suprà positum) talis modus entitatis inuenitur, vt ex natura sua postulet efficiẽtem causam vt operantem ex presuppositio subiecto, & ideò nõ postulat conseruari à Deo extra subiectũ. Quod secus accidit in anima rationali, quæ ad recipiendum esse non postulat actionem ex subiecto: & ideò separatio à corpore nõ obstat quo minùs naturaliter postulet conseruari: non est ergo illud exemplum simile, et ita videtur satisfactum toti difficultati propositæ.

B

C

Aliud dubium notandum.

XXIII. SEcunda difficultas est, an inter dependentiam effectus in fieri tantũ, vel in conseruari simpliciter detur dependentia quædam media secundum quam forma manet quidem aliquandiu cessante actione agentis, paulatim tamen deficit, ac tandem omnino perit si actio agentis non iteretur. Nam Diuus Thomas citatis locis ita videtur sentire de formis accidẽtalibus, quæ dispoũnt ad formas substantiales, & antequam perueniant ad gradum perfectum, in quo suis formis coniunguntur, actio agentis desistit: *Nam tunc* (ait Diuus Thomas) *manet qualitas aliquandiu, sed non semper, sicut patet in aqua calefacta, quæ redit ad suam naturam.* Et rationem reddit iuxta principia suprà declarata, quia huiusmodi forma accidentalis conseruatur ratione formæ substantialis: si ergo actio perueniat vsque ad formæ substantialis productionem, dispositio conseruabitur simpliciter ac semper: si verò maneat actio inchoata tãtùm, cõseruari poterit dispositio aliquãdiu, non tamen semper. Secũdum exemplum esse potest de habitibus, qui nõ ita pendẽt in conseruari ab actibus, vt statim pereãt cessante actu: iuxta aliquorũ verò opinionẽ ita pendent, vt per solam cessationem ab actibus paulatim minuantur, & si magna sit, omnino corrumpantur. Tertium & mihi difficilius exemplum est de impetu impresso lapidi sursum proiecto: nõ enim statim ac cessat actiuitas proiicientis esse definit, vt per se constat: nam ad hoc imprimituu vt maneat aliqãdiu post contactũ impellẽtis: & tamẽ posteà paulatim per se se desinit esse absq; vlla actione cõtrarij agẽtis, ac tandẽ cõsumitur.

Nihilominùs hic modus depẽdẽtię mihi est ad intelligendum difficillimus; quia cessante actione agẽtis cessat dependentia effectus ab ipso, quia actio & dependentia idem sunt, solùmque differũt in respectibus connotatis, vt sæpe dictũ est: ergo si ablata dependẽtia adhuc res facta manet in suo esse, vel per vnum instans, quantũ est ex vi carẽtiæ talis dependẽtiæ, perpetuo manebit, si aliũde non destruatur. Patet cõsequentia, quia nõ est maior ratio de vno instante, quàm de quolibet tempore. Quod secundò ita declaro: nã si cessante actione agẽtis forma facta aliquandiu cõseruatur: ergo pro illo tempore iam illa forma non recipit esse ab illo agente à quo facta fuerat: ergo necesse est vt cõseruetur illo tẽpore per aliam actionẽ superioris agentis p se sufficientem ad influendum illud esse iuxta nuper dicta in proxima difficultate; ergo ex vi illius actionis, per se loquendo, quocunque tempore conseruabitur: nec potest reddi ratio cur illa actio superioris agẽtis, per se se cessare debeat. Tertiò, etiamsi quis fingat illam aliã actionem cõseruatiuã, per se loquendo, cessare debuisse, nulla ratio reddi potest cur debeat cessare per partes, seu paulatim: quia hoc nihil aliud est quàm formam illã successiuè corrumpi: huius autem successionis nulla causa naturalis reddi potest. Nam sicut forma non fit successiuè quoad intensionem, nisi quando fit ab vno contrario cum resistẽtia alterius, ita non definit successiuè, nisi quando corrumpitur per actionem cõtrarij agentis ipsa resistente; quando verò corrũpitur per cessationem causæ agentis, definit pro ratione talis cessationis: si ergo agens omnino cessauit à sua actione circa totam formam, & omnes gradus eius, qui potest successiuè desinere? aut cur vnus gradⁿ priùs desinet, quã alius, cùm actio agentis æquè in omnibus cessauerit? Quòd si aliqua successio est futura, deberẽt priùs desinere priores gradus, quia priùs desierat actio agentis circa illos, si successiue eos produxerat: id autẽ fieri nõ põt cùm priores sint fundamentũ posteriorum.

Explicatur.

XXIV.

XXV. Hæ igitur rationes videntur conuincere non esse medium inter causam in fieri tantum, vel omnino in esse: nam si causa est talis vt cessante illius actione effectus non possit nec per momentum subsistere, illa est propria causa effectus in esse & conseruari: si autem causa est talis vt cessante actione effectus possit per momentum subsistere, potest & semper, quantum est ex vi talis causæ: & ideò illa solùm est causa ipsius fieri. Atque ita distinguuntur illa duo membra per immediatam oppositionem contradictoriam, in qua nõ potest medium inueniri.

Ex exemplis autem in cõtrariũ adductis duo prima facillima sunt. Calor n. in aqua cessante actione ignis, corrumpitur per actionem positiuam à suo cõtrario ipso renitente, & ideò paulatim perit. Si autem fingeremus vel in aqua impediri naturalem dimanationem frigoris à forma eius, vel calorem vt sex v.g. produci in subiecto neutro, à quo nulla esset actio cõtraria, cessante actione ignis, tũc ille calor semper maneret in eodem subiecto, neque ex se defineret esse: nam licet sit dispositio imperfecta ad formã ignis, tamẽ quia simpliciter nõ pendet ab ea in conseruari, posset

XXVI. Calor relictus in aqua post ignis actionem à quo corũpatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Habitus aminuatur per cessationem actus.

posset ita semp manere, si aliunde non corrũperetur. A Secundũ etiam exemplum assumit falsum; nam per solam cessationem actus per se nõ corrumpitur, nec diminuitur habitus, sed solùm à causis contrariis, quæ ea occasione interueniunt, vt D. Thom. declarauit, 1.2. quæst. 54. art. 3. vbi in solutione ad primum declarat, non aliter desinere calorem per cessationẽ calefacientis, & tacitè exponit, quod ex prima parte citauimus.

D. Thom.

XXVII. Quæ sit causa diminutionis impetus in proiectis.

Tertium exemplum est sanè difficile; nam experientia ipsa videtur docere impulsum illum paulatim minui, quia inde prouenit vt motus proiecti, paulatim etiam remittatur & langueat. Aliunde verò non apparet actio agentis cõtrarij, à quo corrumpatur. Aut enim illud esset intrinseca forma aut grauitas proiecti, & hoc non, quia nec grauitas est actiua alterius qualitatis, neq; ipsa intenditur per emanationẽ, sicut frigus in aqua, quia grauitas non fuerat remissa per impressionem impetus. Vel remitteretur à medio resistente, & in contrarium impellente: & hoc etiam dici nõ potest, tum, quia priùs quàm proiectum incipiat in contrarium impelli, incipit impetus remitti; tum etiam, quia si vnus impetus B non corrumperetur, nisi à contrario, non posset lapis à se abiicere omnem impetum: necesse est ergo, vt per puram priuationem auferatur. Quare multi negant, quod hęc difficultas supponit, scilicet impetum esse qualitatem impressam proiecto, sed solùm contactum proiicientis, quasi continuatum per partes medij, prout Aristoteles docuisse videtur in fine Physicorum. Nec desunt alij, qui putent ipsammet proiecti grauitatem esse instrumentum, quo proiiciens vtitur medio contactu ad impellendum, quo vult. Sed mihi hæc etiam incerta sunt, quia vix intelligo motum illum sine impressa qualitate, prout iam docent frequentiùs Philosophi. De modo autẽ corruptionis illius qualitatis ipsimet Philosophi, qui illam ponunt, nihil dicunt, neque ego inuenio quod mihi satisfaciat. Solùm dicere possumus, quãuis impetus non corrumpatur per propriam actionem cõtrarij; tamen desinere ad modum earum qualitatum quæ sic corrumpuntur, quia desinit resistente seu renitente contrario. Itaq; quia illa qualitas est in subiecto cõtrario & resistente actiuitati eius, propter quam solam illa qualitas imprimitur per modũ C instrumenti, ideò non postulat semper ibi conseruari, & quia aliàs subiectũ semper illi resistit, & actioni eius, natura talis rei postulat, vt paulatim ab eius cõseruatione cessetur. Tamen hoc non est propter dependent tam mediã à suo agẽte, sed propter peculiarem naturam & institutum talis qualitatis.

DISPVTATIO XXII.

De prima causa, & alia eius actione, quæ est cooperatio, seu concursus cum causis secundis.

DE concursu primæ causæ cum secundis ad actiones earum, pauca inueniuntur ab Aristotele aliisue Philosophis dicta, à Theologis verò res hæc copiosè disputatur. Et quantum potest ratione naturali cognosci propria est huius loci. In qua re primò videndum est, quæ sit necessitas huius concursus: deinde quid sit, posteà quomodo ad actionẽ causæ secundæ comparetur, ac tandem videbimus, an causæ secundę vel creatæ habeant inter huiusmodi subordinationem, vel ad solum Deum.

SECTIO I.

An possit sufficienter probari ratione naturali, Deum per se ac immediatè operari in actionibus omniũ creaturarum.

I.

DIxi in titulo *per se & immediatè*, quia ex dictis disputat. præced. constans est & certum, saltem remotè & per accidens diuinum influxum necessariũ esse ad actionem cuiuslibet causæ creatę, quia saltem necesse est, vt Deus conseruet in esse creaturã, quæ aliquid operatur; qui autem dat esse, dat etiam operationem, saltem remotè & per accidens.

Prima sententia negans proponitur, & suadetur.

II.

NOn defuerunt ergo Theologi, qui negauerint, Deum per se & immediatè cõcurrere ad actiones secundarum causarum. Cuius erroris præcipuus defensor censetur Durandus in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. quamquam illa sententia antiquior B fuerit: illam enim referunt Albertus, Henricus, & alij. Imò D. Augustin. 5. Genes. ad liter. cap. 20. his verbis; *Sunt qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera iã fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit & iussit, Deum autem ipsum nihil operari.* Fundamentum est, quia nulla sufficiente ratione fundari potest necessitas huius cooperationis, & ideò asserenda non est, quia Deus non adhibet superuacaneum ac minimè necessarium concursum. Antecedens probatur primò, quia causæ secundæ non sunt instrumenta, sed principales causæ: nam virtute propria, & nõ per extrinsecam aliquam motionem operantur, vnde interdum vniuocę sunt, & effectus faciunt sibi similes; quando verò sunt æquiuocæ, sunt perfectiores & nobiliores causæ: ergo operantur sufficiente virtute: ergo non indigent auxilio superioris causę. Patet cõsequentia, quia ad effectum producendum sufficit virtus æqualis illi, aut certè nobilior.

Durand.

Augustin.

Rationes pro dicta sententia. Prima.

III.

Secundò potuit Deus efficere creaturam operantem effectum sibi proportionatum sine ope alterius: cur enim hoc repugnat? Nulla sanè apparet repugnantia aut contradictio: neque est contra diuinam perfectionem aut potentiam, sed potiùs indicat magis potentiam Dei. Nam, sicut diuinæ potentiæ fuit non solùm efficere creaturas, sed etiam illis communicare similem efficiendi vim, ita magis ostendetur eadem potentia Dei, si suis creaturis possit hanc virtutem agendi completam, & omnino integram cõmunicare: huiusmodi autem erit, si alterius ope ad agendum non indigeat. Quòd si hoc Deus potest facere, vnde constat non iã feciſſe? Aut si faceret, quo alio modo faceret, quàm dãdo creaturæ virtutem æqualem vel maiorem, quàm ad effectum necessaria sit? hoc autem iam fecit.

Secunda.

IV.

Tertiò fieri non potest, vt duo agentia immediatè concurrant ad eandem actionem, nisi vtrumque eorum imperfectum sit, & tantùm partiale, quod de Deo non est dicendum: ergo non concurrit cum creatura immediatè ad actionem eius. Maior patet, quia vel vna ex illis causis agit per aliã, vel neutra. Si primũ sequitur eã, quę per aliam agit, non agere immediatè, sed solùm mediante alia, cùmq; non possit dici creatura agere per Deũ, aget Deus per creaturã, & ita frequenter loqui solemus Deũ scilicet, operari p causas secũdas, seu mediis causis secũdis. Cui' locutionis optim' sẽsus est Deũ dedisse causis secũdis virtutem

Tertia.

tutem operandi, & conseruare illas, casq; veluti cõ- A stituisse, vt vice sui operentur. Si autem dicatur secũdum, nempe neutram ex his causis, scilicet, nec primam, nec secundam, per alteram operari, planè sequitur vtramque esse imperfectam: tum quia vtraque solùm ageret vt causa partialis, tum etiam, quia sine subordinatione, & quasi fortuitò conuenient ad agendum.

V. Quæres.

Quartò, quia de aliquibus rebus creatis necesse est fateri non esse à Deo immediatè: ergo pari ratione idem dicendum esset de omnibus, quæ à causis secũdis principali virtute operantibus procedunt. Consequentia tenet à paritate rationis, & antecedẽs probatur, primò in omni actione creaturæ, quatenus actio est, vt est verbi gratia, calefactio ignis; nam licet demus calorem vt calorem, esse immediatè à Deo, tamen de calefactione ignis vt sic id dici non potest, quia apertam inuoluit repugnantiam. Nam actio, vel talis actio vt sic, nempe calefactio ignis, dicit essentialem habitudinem ad hoc agẽs, nempe ignem: ergo impossibile est illam actionẽ quatenus talis est, esse à Deo immediatè: & tamen illa actio est aliquid in rerum natura distinctum à calore: ergo. Secundò, B hoc speciali ratione dicendum videtur de actionibus liberis, quia, si illæ essent immediatè à causa prima, non possent esse liberæ ipsi causæ secundæ, quia & causa prima, cùm sit potentior, secum ferret secundam, quo vellet, & secunda non haberet in manu & potestate sua influxum causæ primæ, vt posset operari cùm vellet. Tertiò, est specialissima ratio de actionibus liberis peccaminosis; nam indecorum est illas attribuere primæ causæ vt per se & immediatè operanti. Quartum exemplum afferre possumus de effectib' seu causalitatibus aliarũ causarum; illę enim nõ sũt à Deo immediatè, vt à prima causa, vt cõstat, quia illi causandi modi præsertim formalis, & materialis non possunt à prima causa exerceri: si ergo materia & forma in suo genere sufficientes sunt ad suam propriam causalitatem, cur non erit in suo quęlibet causa efficiens?

Vera sententia.

VI. SEcunda sententia est, Deum per se & immediatè agere in omni actione creaturæ, atque hunc influxum eius simpliciter necessarium, vt creatura ali- C quid efficiat. Et hæc est vera sententia, quæ fusiùs est à nobis explicanda & confirmanda.

VII. Primùm itaq; dicimus tam esse certum, Deum influere immediatè ac per se in omnem actionẽ creaturæ, vt id negare erroneum sit in fide. Probatur primò ex communi consensu Scholasticorum, qui ita sentiunt de hac veritate, vt de catholico dogmate, vt patet ex D. Thom. 1. p. quęst. 105. art. 5. & in 1. 2. quęst. 109. & 3. contra Gentes, cap. 70. Caiet. & Ferrar. ibi Capreolo in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 3. ad argumenta cõtra secundam conclusionem, Alexand. 1. part. quæst. 9. memb. 2. ad 2. Albert. in 2. dist. 35. a. 7. vbi sic inquit, *Alia opinio ferè cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica.* Item Gregor. ibi quæst. 1. art. 3. Scot. 2. dist. 1. & 37. quæst. vnica, Bonauent. dist. 37. art. 1. q. 1. vbi ait hanc sententiam absque omni ambiguitate esse tenendam, idem in 1. dist. 45. art. 2. quæst. 2. Herut. tractat. de æternitate mundi quæst. 1. Secundò idem probari potest ex communi consensu Sanctorum, qui hanc veritatem docent vt in diuinis Scripturis contentam, quos, quia hoc non est nostri muneris, breuiter indicabo. Augustin. ergo cùm contrarium opinantes retulisset loco suprà citato, subdit; *Contra quos profertur illa sententia Domini, Pater meus vsq; modo operatur.* Et infrà; *Deinde quia non solum magna & præcipua, verum etiam ista terrenea & extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus; Tu nudum granum seminas, Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuiq; semini proprium corpus.* Idem latè probat idem Augustin. in epist. 146. ad Consentiũ vbi alia testimonia Scripturæ adducit, vt illud; *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* Ierem 1. & illud; *Si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.* Lucæ 12. Idem Augustin. lib. 4. Genes. ad liter. c. 12. vbi adducit illud Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur* & lib. 9. cap. 15. adducit illud 1. Corint. *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementũ dat Deus.* Prosper. sentẽ. 281. Idem Greg. 16. lib. Moral. c. 18. *Omnia* (inquit) *quæ creata sunt, per se nec subsistere prævalent, nec moueri, sed in tantum subsistunt, in quantum vt esse debeant acceperunt, in tantum mouetur, in quantum occulto instinctu disponuntur.* Et reliqui Patres vbicunq; tractant de diuina prouidentia hanc veritatem vt certissimam supponunt.

D. Thom. Capreol. Alexand.

Greg. Bonauent. Herut.

Secundò dicendũ est, veritatem hanc sufficienter probari posse naturali ratione. Et primò videtur euidenter inferri ex dictis de conseruatione, vt hac etiam ratione fere tam certũ in fide habeatur, Deum immediatè efficere omnia, sicut & conseruare. Prima illatio probatur primò, quia si non omnia à Deo immediatè fiunt: ergo neq; conseruantur immediatè, quia ita res se habet ad esse, sicut ad fieri. Neque enim esse rei magis potest pendere à causa adæquata, postquam factum est, quàm cùm fiebat. Item, quia si causa pendet à Deo in esse: ergo & effectus, quia vtrumq; est ens per participationem: ergo sicut causa pendet in instanti quo agit, ita effectus in instãte in quo fit, quia etiam in eo instante vtrumq; est ens per participationẽ: ergo omnis effectus causæ secundę pendet à Deo in fieri, & consequẽter causa secunda nihil potest facere sine concursu Dei. Tandem quia aliàs sequitur, quòd interdum neq; mediatè res pendeat in conseruari à Deo: nam si calor ab igne productus, à Deo solùm pendet mediãte igne producente, cessante ignis actione iam nullo modo pendebit. Respondebit fortasse Durand. effectus causarum secundarũ, quamdiu ab eis fiunt vel conseruantur, tantùm fieri vel conseruari mediatè à Deo: cessante verò actione C causæ secundæ tunc Deum solùm immediatè conseruare effectũ, etiãsi à sola causa secunda immediatè productus sit, quia nulla res creata potest vel habere vel retinere esse sine aliqua efficiente causa: & ideò quamdiu causa secũda immediatè efficit, illa sufficit, cessante verò illa, vt res permaneat in esse, necessariũ est vt Deus efficiat conseruando, sicut nos etiam dicimus cessante causa secunda primam adhibere maiorem vim, & efficacitatem.

Durand.

Augustin.

Rationes pro dicta sententia. Prima.

Secunda.

Tertia.

Iob 10. 1. vbi legẽdum Augustin. tract. 1. Cyrillum & Chrys. & Nazian. quos ibi refert Tolet. Similia testimonia sunt Iob 10. 2, Matth. 7. Psal. 144. & 146. Gregor.

VIII.

Sed in primis, iuxta hãc responsionem veritas suprà demonstrata de conseruatione Dei limitatur ad cõseruationem immediatam, vel ad mediatam: quòd est alienum ab omni sana doctrina. Aliàs cùm Deus dicitur creator omniũ, limitari posset quòd sit mediatè vel immediatè. Deinde suppositâ illa sententia, nõ dicitur consequenter cessante actione ignis Deũ incipere conseruare calorem: tum quia si calor non pendet in operari à Deo, cur debet dependere in esse? tum etiam, quia calor productus non pendet in suo esse à calore producente ratione ipsius esse, sed ratione talis fieri, vt suprà declaratum & probatum est: ergo quamuis cesset actio ignis calefacientis, non est cur sit necessaria actio superioris causæ vt cõseruetur illud esse. Maximè, quia iuxta illã sententiam calor vt

IX.

sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

sit absolutè & simpliciter non pendet essentialiter à Deo, sed ad summum remotè & per accidens: necessitas autem actionis conseruatiuæ oritur ex intrinseca & absoluta dependentia, quam res habeat à tali causa, vt habeat esse, sicut suprà explicatum est.

X. Atque hinc probatur secundò prima illatio, quia si Deus non influit immediatè in omnẽ actionẽ creaturæ: ergo ipsa actio creata vt sit, non postulat per se & essentialiter influxum Dei: cùm tamen ipsa etiam sit aliqua participatio entis: ergo nulla est ratio, cur forma, quæ per talem actionem fit, postulet ad sui conseruationem actualem influxum primæ causæ, quia neque hoc postulat ratione sui fieri iuxta illam sententiam: ergo neq; in forma seu termino actionis erit sufficiens.

XI. Tertiò potest eadem deductio ita fieri, quia entia creata non minùs pendent à Deo in quantum agentia, quàm in quantum entia, quia non minùs sunt subordinata Deo vna ratione, quàm alia, & sicut sũt entia per participationem, ita etiam sunt agentia, sed quatenus entia sunt sunt omnino dependentia à Deo intrinsecè & essentialiter: ergo similiter pendẽt quatenus sunt agentia: ergo dum agunt, non solùm pendent, quia in esse cõseruantur à Deo, sed etiam quia in ipsomet agere per se & immediatè requirunt influxum Dei. Et hoc est quod Arist. aliquando ait, in Aristot. agentibus per se subordinatis inferiùs non posse agere sine influxu superioris, lib. 2. Metaphys. cap. 2. 7. Phys. cap. & lib. 8. cap. 5.

XII. Quartò potest eadem argumentatio à conseruatione ad cooperationem confirmari proportionali ratione: nam sicut Deus potest rem creatam suo esse priuare per solam negationem actionis, ita potest rẽ creatam sua naturali actione priuare per solam negationem concursus: ergo sicut ex priori potestate euidenter colligitur immediata dependentia in esse, ita ex posteriori colligitur immediata dependentia in ipsa actione. Antecedens (vt verum fatear) nõ est euidens aliquo naturali experimento. Ex supernaturalibus autem effectibus satis est euidens: priuauit enim Deus ignem Babylonicum sua actione, nullo C extrinsecùs obiecto impedimento: ergo id fecit per subtractionem concursus: quo enim alio modo fieri potuisset? Et hoc significatur Sapien. 11. cùm dicitur, ignem oblitum fuisse virtutis suæ: quia nimirum eã sine Deo exercere nõ poterat. Estq; hoc per se valde cõsentaneum diuinę potentię, vt in manu sua habeat actiones omnium, sicut habet omnium esse.

XIII. Quinta ratio valde probabilis est, quia causa secũda nõ potest sese determinare ad effectum in indiuiduo & in particulari, quia eius facultas semper est indifferens ad plura indiuidua, & à subiecto & circumstantiis non satis determinatur: ergo necessaria est cooperatio primæ causæ, quæ voluntate sua potest eam determinare ad singularem effectum. De cuius rationis fundamento videri possunt superiùs dicta disputatione 5. dum de principio indiuiduationis ageretur.

XIV. Vltimò est optima ratio, quia hic modus agẽdi in omnibus, & cũ omnibus agentibus pertinet ad amplitudinem diuinæ potentiæ, & ex parte Dei supponit perfectionem sine imperfectione: ex parte verò creaturæ, siue causam secundam, siue actionem, siue effectum eius consideremus, quamuis imperfectionem dicat, tamen illa est imbibita in ipso conceptu creaturę seu entis participati, quatenus tale est, vt rationes factæ declarant. Et alioqui hoc modo intercedit perfecta, & essentialis subordinatio inter causam primam & secundam, nihilq; est quod repugnet, vt patebit facile ex solutionibus argumentorum; ergo non est neganda Deo hæc generalis influentia. Vnde neq; à Philosophis videtur fuisse omnino ignorata, vt de Aristotelis mente in 3. rat. attigimus, & in lib. de Causis, qui vel Aristotelis, vel Procli esse cẽsetur, variæ sunt propositiones, quibus hæc veritas significatur, quas in sequentibus tractabimus. Plato etiam ob hanc rationem causas secundas instrumenta primæ appellauit, quòd ab eis cõcursu in agendo pendeãt, vt sumitur ex Damasc. in sua Philos. cap. 9. & Simpli. Trismeg. 2. Phy. tex. 29. & aliis. Refertur etiam Trismegistus in Dialog. Crater. dicens; *Deum vbiq; præsentem semper agere omnia*; & alia similia. Et Philo Alexand. in lib. Quòd mundus sit incorrup. dicẽs; *Deum omnibus partibus mundi assistere cooperando.*

Soluuntur fundamenta primæ sententiæ. XV.

AD primum argumentum negatur antecedens, rationes enim factæ sufficienter declarant necessitatem huius concursus. Neque propterea negamus agentia creata esse principalia in suo ordine, vt superiùs in diuisionibus causę efficientis declaratum est. Non verò sequitur, si causæ principales sint, esse etiam in agẽdo indepẽdẽtes, quia multò maior perfectio requiritur ad hoc posterius, quã ad illud prius, vt per se constat. Cùm ergo dicitur ad agendum sufficere virtutem æqualem effectui: primum respondere possumus sufficere in ratione causæ proximæ; non verò simpliciter. Deinde dicimus, sufficere cũ debita proportione, nam, sicut virtus ipsa est dependens, ita sufficit ad talem actionem, non tamen independenter, & ideò præter eam necesse est, vt influat prima causa à qua omnia essentialiter pendent. Sed inferet aliquis: Ergo quotiescunq; aliqua forma pendet à sua causa in conseruari, pendet etiam in operari. Respondetur, de hoc dicendum esse in vltima sectione huius disputationis, nunc negatur consequentia, quia à causa creata non est dependentia tam essentialis & quasi trãscendentalis, sicut ab increata. XVI.

Ad secundum respondetur inuoluere repugnantiam quòd creatura sit potens ad agendum independenter à creatore, tam ex parte ipsius causæ creatæ, quæ necessariò habet vim agendi commensuratam & proportionatam suo esse, quàm ex parte effectus vel actionis ab illa manantis; nam, cùm illa sint entia per participationem, essentialiter pendent à primo ente. Quapropter sicut non spectat ad diuinam potentiam producere ens à se independens in esse, ita nec producere agens à se indepẽdens in agendo; imò vtrumq; æquè repugnat diuinæ perfectioni, & imperfectioni creaturæ, vt satis declaratum est.

Quomodo Deus immediatè concurrat. XVII.

TErtium argumentum totum est de loquendi modo potius, quàm de re. Et inprimis in eo inquiritur an dicendus sit Deus immediatè agere ad actionem causæ secundæ. Et quidem ex dictis planè constat necessariò fatendum esse Deum aliquo modo immediatè influere, atque mediatè etiam aliquo modo. Agit enim mediatè, quatenus causæ secundæ proximè agenti dat & conseruat virtutem agendi. Et hoc modo est verum agere per illam, & ad hoc illam creasse, vt munus agẽdi cum ea communicaret. Immediatè autem agit, quia etiam ipsa prima causa per

per se & virtutem suam influit in talem actionẽ seu A effectum. Quia verò mediatus & immediatus influxus videntur quandam repugnãtiam inter se inuoluere, ideò quidam Theologi distinguunt de actione immediata immediatione virtutis vel immediatione suppositi: & affirmant Deũ agere immediatione virtutis in omnibus actionibus creaturarum, non tamẽ immediatione suppositi. Ita sentit Ferar. 3. cont. Gẽtes cap. 70. quem modum loquendi aliqui moderni Thomistæ imitantur. Et videtur fuere D. Thomas in illo cap. 70. nam respondens ad primam rationem in contrarium ait, non est inconueniens vnam actionem procedere ab inferiori agente & à Deo, & ab vtroq; immediatè, quia illud est *alio & alio modo*. Ratio autẽ est, quia repugnat duo operari immediatè immediatione suppositi, sed causa secunda agit immediatè immediatione suppositi: ergo prima in illa actione non agit immediatè. Maior patet, quia agere immediatè immediatione suppositi est quòd inter suppositum agens & effectum non intercedat aliud suppositum.

XVIII. Veruntamen hæc distinctio non est in præsenti materia necessaria, & modus ille loquendi probãB dus non est, quia rem non declarat, & ita est æquiuocus, vt erroneum sensum possit inducere. Nam in rebus creatis illa dicuntur agere immediatione virtutis, & non suppositi, quæ per virtutem à se diffusam contingunt passum vel effectum, non tamẽ per suppositum suum, quod Deo attribuere nefas est. Simpliciter ergo dicendum est, Deum agere cum omnibus agentibus creatis immediatione virtutis & suppositi. Et quoniam in priori parte conuenimus: circa posteriorem est aduertendum, suppositum posse dici immediatum, vel in agendo, vel in existendo, seu in distantia locali. Vt verbi gratia, si vera esset opinio Scoti, solem generare immediatè aurum in terra per suam formam substantialem, ageret quidẽ immediatione suppositi seu immediatione actionis, vt sic dicam, quia ab illo supposito immediatè prodiret actio: non tamen ageret immediationem suppositi in agendo, seu in loco, quia longè distaret à suo effectu.

XIX. Deus ergo necessariò agit, vbicunq; agit, immediatione suppositi locali seu in esse, tum quia per immensitatem suam necessariò est vbiq; præsens, tum C etiã quia actio procedit per se & immediatè non tantùm à virtute creata, quæ dici potest quasi virtus diffusa à Deo: sed etiam à virtute increata, quæ est in ipsomet Deo: agens aũt quod sic operatur per virtutẽ suam necessariò ibi est præsens, vbi operatur. Vnde hac ratione dicitur Deus esse in omnib⁹ per essentiã & per potentiam, & ideò etiã ex actione Dei optimè colligitur suppositalis præsentia, vt suprà dictũ est.

XX. Rursus si sit sermo de immediatione suppositi in agendo, etiam Deus est suppositum immediatè agẽs in actione creaturæ. Quod probo primò ex ratione nunc facta; nam illa actio non procedit immediatè tantùm à virtute diffusa à Deo, quæ est creata: nam hoc esset incidere in opinionem Durandi: procedit ergo immediatè à virtute increata inexistente ipsi Deo: ergo agit etiam immediatione suppositi. Patet consequentia, tum quia tunc suppositum dicitur immediatè agere, vt principium quod, quando per virtutem sibi inhærentem ita agit, vt ab illa virtute immediatè prodeat actio tanquam à principio quo, tum etiam quia diuinum suppositum est suamet virtus: non ergo potest actio immediatè prodire à virtute, quin immediatè prodeat à supposito, vt colligit D. Thom. in 1. dist. 37. q. 1. a. 1. ad 4. Secundò inter Deum & actionem vt est ab ipso non mediat aliud suppositum: ergo est illa actio à Deo immediatione suppositi. Dices inter causam primam & effectum mediare secundã. Respondetur formaliter ac propriè loquendo, falsum esse antecedens, quia aliud est causam secundam cooperari primæ, aliud est mediare inter primum & effectum. Primum est verum, secũdum autem falsum, considerando causam primam secundum hanc habitudinem, secundum quam per se influit in effectum; quia vt sic illa actio tam immediatè ac per se dicit habitudinem seu dependentiam ad causam primam, sicut ad secundam.

Quocirca agere immediatè immediatione suppo- XXI.
siti non excludit cõsortium alterius suppositi agentis, aliàs si duæ lucernæ idem lumen producant, neutra aget immediatione suppositi: imo nec causa secunda ita agit, quia non agit sine consortio diuini suppositi. Quòd si dicas Deum agere vt superiorem & vniuersalem causam: creaturam verò vt inferiorẽ & particularem, & per illam immediationem suppositi non excludi consortium cuiuslibet suppositi, sed illius quod sit inferius & subordinatum in agendo, quod videtur Ferrariensis intendere. Hoc est in rigore falsum (quamuis forte in æquiuoco laboremus) quia esse immediatum suppositum in agendo, non excludit subordinationem & subiectionem alterius, sed mediationem tantùm in agendo. Imò hęc immediatio suppositi in agendo sub vna ratione non excludit quin sub alia possit mediatè agere duob⁹ modis ad actionem concurrendo, vt de hoc ipso concursu declarauit D. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 1. Neq; contra hoc quicquam obstant verba citata ex 3. cont. Gent. nam cùm ait D. Thom. *Alio & alio modo*, non intelligit immediationem suppositi vel virtutis, sed actionem vt à causa secunda & dependenter, vel vt à prima, & independenter factam.

Vnde etiam constat, quòd licet Deus quatenus XXII.
dat virtutem agendi causæ secundæ & conseruat illam, eamq; ad agendum instituit, possit dici agere per illam, tamen quatenus immediatè cooperatur creaturæ, non agit propriè per illam, sed per seipsum & per suam potentiam ac virtutem. Neque inde sequitur aliqua imperfectio earũ, quę in illo argumento inferunt ex eo, quod vtraq; causa, prima & secunda per seipsam immediatè concurrat ad effectum. Primùm enim inconueniens generale erat, quòd talia agentia essent imperfecta. Negatur tamen sequela; sed illud solùm imperfectum erit, quod ex intrinseca conditione & natura, alterius ope indiget, quod proinde ab alio propriè in agẽdo pendet: aliud verò non erit imperfectum; nam vt rectè dixit D. Thomas 3, cont. Gent. cap. 70. non ex insufficientia virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius prouenit, q̃ creaturæ cõmunicauerit vim agendi, & ideò nõ p se solùm, sed cũ illa velit tales effectus p̃ducere.

Aliud inconueniens erat, quod talia agentia essent XXIII.
partialia. Sed si intelligatur ex parte effectus, no sequitur, quia non fit pars effectus ab vna causa, & pars ab alia, sed totus effectus à singulis suis generibus, vt Diuus Thomas suprà notat. Si verò intelligatur ex parte causæ, potest esse diuersitas quædã in modo loquendi; nã quidam concedunt sequelam, quia cõsiderando absolutè integram causalitatẽ effectiuam necessariam ad illum effectum, neutra illarum causarum totam illam adhibet, sed ex vtriusque concursu consurgit integra causalitas: & ideò dicuntur partialiter concurrere ex parte causæ, quod non est imper-

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectio Deo, quia vt diximus, id non est ex insufficiē- A tia, sed ex ipsius bonitate. Alij verò putāt negandam sequelam, quia cum illæ duæ causæ sint diuersorum ordinum, non propriè dicuntur componere vnam causam totalem, sed vnaquæque est causa integra in suo ordine. Qui modus loquendi, quia & communior est & aptior ad indicandam inæqualitatem, & subordinationem harum causarum, magis probandus videtur.

XXIV. Tertium inconueniens erat, quòd tales causę sine subordinatione & quasi fortuito conuenirent ad agendum. Non tamen id sequitur; nam cùm vna sit pendens ab alia, non deest subordinatio. Imò interdum solet esse subordinatio cum aliquali mutua dependentia: pendet enim in agendo instrumentum præsertim coniunctum, à principali agente, vt calamus ab scriptore, tamen etiam ipse scriptor aliquo modo pendet a calamo, quatenus sine illo scribere non potest. Et potest illa dependentia vocari à priori quia est à principio mouente: hæc verò à posteriori contraria ratione: semper autem id quod pendet ab alio à priori, est subordinatum illi. In præsenti ergo causa secunda pendet à prima à priori & essentialiter, quia insufficiens per se est ad aliquid agendum sine illius ope: causa verò prima propriè non pendet à secunda, neq; à priori, neque à posteriori, quia licet secundum eum modum agendi quo se accommodat ad concurrendum cum causa prima, nō possit sola efficere talem effectum, tamen simpliciter est omnino independens & potens ad efficiendum se sola omnem entitatem quam efficit per causam secundam. Est ergo inter has causas non solum subordinatio, sed etiam maximè essentialis & perfectissima. Cùm autem prima causa semper agat ex certa scientia & voluntate sua, & iuxta ordinem à se institutum, non potest dici fortuito conuenire cum causa secunda ad agendum, sed summa prouidentia.

Quomodo Deus concurrat cum materiali, formali, ac finali causa.

XXV. AD quartam rationem, negatur, quidquam esse in rebus, quod sit verum ac reale ens, quod non sit immediatè à Deo. Ad tria autem prima exempla, negandum est vllam actionem siue naturalem, siue liberam, bonam, aut malam, quatenus realis actio C est, esse sine prima immediatè concurrente: de quibus latè dicendum est in sequentibus. At verò de quarto exemplo prolixam texit disputationē Fonseca 5. Metaph. q. 12. contendens Deum esse primam causam in omni genere, immediatè concurrentem cum secunda ad effectum, vel causalitatem eius. Sed vnum in hac re mihi videtur clarissimum, & nulla fere indigens discussione: aliud autem omnino non capio, quod Fonseca in tota illa quæstione intendisse videtur.

Fonsecę opinio.

XXVI. Primum illud est. Deum efficiendo immediatè concurrere cum omnibus causis ad causalitates earum. Quo sensu nō solùm efficientes causæ secundæ, sed etiam materialis & formalis, subordinātur Deo, & ab eo pendent, nō tantùm in essendo, sed etiam in causando. Quod nihil aliud est, quàm quod cùm materia causat, Deus non tantùm concurrit conseruando materiam, sed etiam efficiendo ipsam causalitatem materiæ, quidquid illa sit, & efficiendo etiam effectum materiæ, dando effectiuè illud esse quod materia dat materialiter: & idem est proportionaliter de forma, imò & de fine, quatenus eius causalitas aliquid reale esse potest, vt infrà videbimus. Et ratio per se constat ex dictis, quia quidquid reale est, necesse est, esse immediatè ex efficiētia Dei: ergo & causalitates & effecta omniū causarum necessariò sunt immediatè ex efficientia Dei. Quo sensu rectè intelligi potest de omni causa secūda quòd dicitur in lib. de Causis in princ. *Causa prima adiuuat secundam super operationem suam.*

Aliud verò est, quòd Deus nō solùm vt causa prima efficiens, sed etiam vt causa prima materialis & vt causa prima formalis concurrat cum materia & forma ad omnes causalitates earum: ita vt illæ causalitates etiam vt sunt à Deo, sint formaliter diuersæ ab effectiua. Omitto causalitatem formalem & exemplarem; nam in eis est hoc probabile, vt infrà suis locis exponam. In dicto ergo sensu loquitur dictus author, qui hoc exponit de materia & forma, non quatenus cōponunt compositum; nam hoc modo tam clara est imperfectio quam includunt, vt euidens sit illum causandi modū non posse Deo formaliter tribui. sed de causalitatibus, quas materia & forma inter se mutuò exercent, dum materia sustinet in esse formam à se dependentem, vel subiectum accidentia, & e conuerso forma continet materiam in esse; nam B hæ causalitates per se & absolutè sumptæ non includunt imperfectionem, propter quam non possint Deo formaliter conuenire. XXVII.

Quod aliis rationibus cōfirmat, sed omnes, præter vltimam, probāt solùm nostrum primum assertum. Vltima verò est, quia Deus supplet se solo has causalitates materiæ & formæ, vt patet in quantitate Eucharistiæ: & nos diximus posse Deum cōseruare materiam sine forma; non potest autem per solam causalitatem effectiuam supplere causalitates taliū causarum: ergo dum supplet causalitatē materiæ in conseruatione quantitatis, retinet idem genus causalitatis: ergo etiā potest intra illud genus concurrere cū materia ad talem causalitatem. Minorē, in qua est vis argumenti, probat, quia causalitas vnius generis nec formaliter, nec virtualiter continetur in alio genere. Et Deus ipse quamuis eminenter contineat omnes causalitates, non tamen potest in quantū habet rationem vnius causæ, genus seu rationem alterius exercere. Item, quia vna causa non potest supplere vicē alterius nisi exercendo officium quod illa exercebat. Vlteriùs, quia si Deus sustineret accidētia sine materia & non suppleret officiū eius, daretur in rerū natura effectus in actu sine causa in actu. Deinde, quia si Deus conseruaret, v.g. formā cœli sine materia solo concursu efficienti, aut ille esset idem qui prior erat, & hoc esse non potest, tum quia per eundem concursum non potest nisi idem fieri, tum etiam, quia iam causalitas materiæ circa illam formam per nullam causalitatem suppleretur: aut est per nouum cōcursum effectiuum & hoc esse non potest, quia circa eundem effectum non potest noua efficientia addi antiquæ, aut concursus creatiuus creatiuo.

Si quis tamen consideret quæ suprà de causalitate materię & formę diximus, statim intelliget huius sētię difficultatē, atq; ab ea dissentiet, nō solū q; noua sit, & præter recepta de Deo dogmata, sed etiā quòd falsa sit & debilibus nixa fundamētis. Primùm enim nullus Theologorum, vel Philosophorum Deo tribuit secundū proprietatē aliud causalitatis genus nisi efficientis, finalis aut exemplaris, vt patet ex iis quę D. Thomas tradit 1. parte quæstio. 44. & quæ ibi tractantur. Dico autem *secundum proprietatem*; nam secūdum metaphoram tribuitur interdum Deo, quòd sit quasi forma omnium, & quòd omnia viuificet, vel etiam quòd sustineat, & sit fundamentum omnium quomodo interdum videtur loqui Dionysius qui

XXVIII. Impugnatur præmissa opinio.

Dionysius.

1. Reg. de diuinis nominibus.

qui frustra ad alium sensum detorquetur. Quod a- A deò verū est, vt Theologi propter hanc causam negent, Verbum diuinum exercere propriam aliquam causalitatem terminando humanitatem, quia, cùm non possit esse effectiua, eò quòd non sit communis omnibus personis, euidēter existimarunt sequi nullam esse; nam quòd non sit finalis, neq; exemplaris, per se notum erat. Simile argumentum est quòd præter bonitatem, qua Deus habet vim causandi finaliter, & ideas, per quas habet vim causandi exemplariter, non agnoscimus in Deo aliam vim causandi ad extra, nisi omnipotentiam, quæ solùm est potentia effectiua: siue illa sit potentia executiua ratione distincta à voluntate & intellectu, siue altera illarum, siue omnes simul. Addere ergo Deo aliā vim causandi ad extra, sustinendo, v.g. formam præter efficientiam, inauditum est. Quod tamen in illa sententia consequenter loquendo necessariò admittitur.

XXX. Prætereà argumentor ratione, quia omnis causalitas materiæ (& idem est de formæ causalitate) formaliter includit imperfectionem. Et ratio est, quia neq; in composito, neq; in forma causat materia aliquid, nisi media vnione intrinseca ac formali vnius B ad aliam non tanquam per conditionem solùm requisitam, sed tanquam per ipsam formalem causalitatem, vt suprà probatum est: non potest autē Deus per formalem vnionem ita causare, vt per se est notū: ergo nec potest concurrere per propriam, & formalem causalitatem illius generis: hoc autem ipso quòd causalitas non fit per vnionē, non est materialis, nec formalis, & ideò nulla ratione fieri potest, vt suprà ēt diximus, quod materia causet formā sibi non vnitā. Tandē vix potest concipi ille modus causandi Dei ad extra absq; efficientia, quia neq; in effectu est aliquid respectu Dei præter entitatē eius; & actioem, neq; pendet à Deo nisi media actione, neq; actio vt actio dicit habitudinem, nisi ad efficiens, quamuis vt ordinata ad talem terminum, vel talem formam, possit respicere causam finalem vel exemplarem: quid ergo est illa alia causalitas, quę dicitur sustentatio? Planè est quid fictum, & minimè necessarium. Nam diuina causalitas in illis tribus modis amplissimè continetur. Neque propterea quòd omnis causa det esse, oportet Deo formaliter tribuere modum cuiuslibet C causę, aliàs, quia etiam materia & forma dant esse cōposito, oporteret Deum dare illi esse intra idem genus causæ materialis & formalis, quod absurdissimum est. Ex hoc ergo quòd omnis causa det esse, solùm potest inferri Deū immediatè dare illud esse, vel illo vel altiori modo. Itē ex eo, quòd omnis causa secūda pendet à Deo nō solùm in esse, sed ēt in causare non sequitur quod pendeat in eodem genere causæ, sed vel in illo, vel in nobiliori, seu effectiuo.

XXXI. Fundamentū prædictæ opinionis eruitur.

Ad vltimam ergo rationem in contrarium negatur minor; potest enim Deus efficiēdo supplere circa formam, sustentationem materiæ seu subiecti. Ad primam probationem respondetur, Deum per vim agendi continere eminenter effectus aliarum causarum, & posse suo modo perfecto causare id, quod aliæ causant suis imperfectis modis absque illis, vbi non interuenit dependentia omnino essentialis, vt est inter compositum & materiam, vel formam. Nec propterea dicimus Deum per eminentialem continentiam materiæ exercere causalitatem materiæ, sed supplere aliquid efficiendo, quod materia causaret se subiiciendo. Vnde ad secundam probationem respondetur, quòd licet vna causa creata non possit supplere munus alterius, nisi intra idem genus, Deus tamen potest in alio, vbi non interuenit specialis repugnantia. Nec propterea datur effectus in actu sine causa in actu, sed mutuo genere causæ. Ad vltimam probationem respondetur, cùm accidens conseruatur sine subiecto, id fieri per nouam efficientiam, non addendo illam antiquæ, sed commutando vnam in alteram. Vnde si forma cœli conseruaretur sine materia, id quidem fieret per influxum ex suo genere creatiuum: prior autem non maneret, qui non erat propriè creatiuus, sed cōcreatiuus formæ & aliquam conuenientiam habens cum eductiuo. An verò eodem modo philosophandum sit de materia conseruata sine forma, in superioribus latè tractatum est.

SECTIO II.

Vtrùm cōcursus causæ primæ cum secunda sit aliquid per modum principij vel actionis.

QVm ostensum sit, concursum hunc de quo agimus esse à prima causa, vel conuenire illi, quatenus efficiens est, constat non posse aliud esse, quàm actionē, vel principiū actionis sub principio actionis cōprehendendo tā principiū per se quàm cōditionē omnē ad agendum prærequisitam: nā præter hæc nihil reperitur in causa efficiente, vt efficiēs est, quod rationem concursus habere possit. Supponimus enim, neque ipsum suppositum agens, vt sic esse concursum, neq; etiam effectum vt sic. Nam suppositum est, quasi primum principium agens: effectus verò est vltimus terminus effectionis, concursus autem dicit aliquid per modum influxus vel tendentiæ à supposito agente ad terminum. L

Prima sententia proponitur.

TRes igitur dicendi modi circa quæstionē hanc esse possunt. Primus est huiusmodi concursum esse aliquid per modum principij per se. Quod dupliciter potest intelligi: vno modo, quod tale principium sit in ipso Deo. Et hoc rectè explicatum, potest habere sensum verum: nos tamen nunc in eo nō loquimur: Deus enim per voluntatē suam concurrit cum creatura ad actionem eius. Vnde ipsamet Dei C volitio potest in suo ordine dici concursus Dei cum creatura, qui ab aliquibus vocatur concursus ad intra: actus autem voluntatis Dei est suo modo principium per se omnis actionis ad extra, principium (inquam) per se vel ratione sui, vel ratione potētiæ executiuæ, quam applicat ad agendum, vel secundum rem, vel etiam secūdum rationem, iuxta varios modos sentiendi de potentia executiua Dei. Sic igitur cōcursus Dei ad intra, erit aliquid per modum principij actionis non in creatura, sed in ipso Deo. Nunc autem non loquimur in hoc sensu de concursu, sed prout est aliquid manans à Deo, & receptum in creatura, & concursus in rigore non significat aliquid ad intra, sed ad extra. Alio ergo modo intelligitur hæc opinio, quod concursus sit res quædam manans à prima causa, & recepta in secunda complens illam vltimatē ac determinans ad talem effectum efficiendum. Et hac ratione dicitur hic concursus esse per modum principij, quia est virtus agendi causæ secūdæ, vel saltem formaliter complet illam. Et propter hanc virtutem dicuntur omnes causæ secundæ agere in virtute primæ, vt sæpe dicitur in lib. de Causis, & è conuerso ratione eiusdem virtutis prima causa dicitur agere immediatè immediatione virtutis, II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quia hæc virtus influxa causæ secundę, est virtus causę primę, & ab illa immediatè procedit actio. Et hoc videtur esse totum huius sententię fundamentum. Nullum tamen inuenio assertorem huius sententiæ qui expressè eam docuerit, quamuis illi quos statim pro secunda citabimus, huic videantur interdum fauere, & satis indistinctè loqui.

Refellitur dicta sententia.

III. HÆc verò opinio falsa est, & in vno sensu est æq; erronea ac sententia Durandi negantis actualem concursum Dei ad actiones causarum secundarum, in alio verò est solùm improbabilis. Duobus itaque modis intelligi potest, concursum primæ causæ esse virtutem inditam secundæ tanquam principium per se agendi. Vno modo quòd concursus primæ causæ ad actionem creaturæ sistat in influxu illius virtutis, & non concurrat immediatiùs ad actionem ipsius causæ secundæ. Et in hoc sensu dico hanc opinionem re ipsa incidere in opinionem Durandi, & esse æquè falsam, quatenus negat immediatum concursum primæ causæ ad actionem creaturæ: quatenus verò ponit aliquid superfluum & sine fundamẽto, erit magis improbabilis, vt in alio membro ostendam. Probat ergo dicta censura, quia ex illa opinione sequitur solam virtutem creatã esse principiũ per se actionis & effectus causę secundę: Deum aũt solum esse principium remotum & per accidens. Hęc autem est opinio quę in Durando reprobatur. Sequela patet, quia causa, quę solùm dat alteri virtutem ad agendum, si non aliter concurrat ad actionẽ eius, re vera solùm concurrit remotè & per accidens, sicut ignis qui calefecit aquam, non aliter concurrit ad secundam calefactionem ab aqua calida profectã, & intellectus agens qui produxit speciem intelligibilem non dicetur per se concurrere ad actum intelligendi. Deniq; illo modo etiam Durand. dicit Deũ cõcurrere ad omnes actiones creaturarũ, dãdo illis, & conseruando totam virtutẽ agendi vsq; ad vltimũ eius complementum, quidquid illud sit. Nam quòd illud principium agendi sit prius tempore datũ, antequam creatura agat, vel in eodem instãti aut tempore, quo agit, nil refert. Aliàs quia sol illuminat in eodem instanti, in quo creatur, & accipit virtutem C illuminandi, nõ indigeret alio concursu præter infusionem lucis. Similiter quòd illa virtus sit connaturalis ac permanẽs, vel q̃ sit extrinsecùs à Deo data, & quasi transiens (vt quidam loquuntur, & nihil aliud est quàm esse pendens à Deo in fieri & conseruari) parùm refert, vt Deus, si per illam tantùm virtutem agit, per se ac immediatè influat vt prima causa. Quapropter si qui fortasse authores in hoc sensu dixerunt, Deum agere immediatione virtutis & nõ suppositi, valdè errarunt, vt ex dictis patet, & magis statim declarabitur.

IIII. Alio modo intelligi potest concursum primæ causæ esse per modum principij & virtutis inditæ, quia in collatione huius virtutis quasi inchoatur, non tamen in ea sistit, sed vlteriùs progreditur vsque ad actionem ipsiusmet creaturæ, ita vt in illam influat immediatè non tantùm virtus communicata causæ secundæ, sed etiam ipsamet virtus diuina & increata. Et iuxta hunc sensum dicendum nõ esset cõcursum esse tantùm aliquid per modũ principij, sed etiam aliquid per modũ actualis influxus seu actionis. Deinde est improbabilis illa multiplicatio rerũ in huiusmodi cõcursu, loquimur. n. per se ac præcisè de concursu necessario ex vi dependentiæ omnis effectus & actionis à causa prima. Vnde supponimus causam secundã habentẽ completam virtutẽ agẽdi in suo ordine: nam si ipsa causa secũda incõpleta sit & imperfecta, indigebit quidem cõplemento virtutis, tamen ea indigentia nõ orit ex dependentia quã causa secunda habet à prima, sed ex imperfectione in latitudine causę secundę. Atq; hoc modo verũ est interdum Deum, saltem supernaturaliter, supplere imperfectionem causę secundę, addendo illi virtutẽ agendi, quod maximè nobiscum facit cùm supernaturales habitus infundit, tamen hoc extra propositũ nostrum est, quia illa virtutis infusio non pertinet ad concursum primę causę, sed ad eleuationẽ vel p̃fectionem causę secundę per actionem primę. Loquẽdo igitur de causa secunda perfectè cõstituta in actu primo in suo ordine, impertinẽs est aliud principiũ agendi illi adiungere in ea receptũ, quia hoc ipso quòd est aliquid creatũ in ipsa, pertinet ad ordinem causarũ secundarũ, & ita multiplicantur principia agẽdi in eodẽ ordine sine causa, vel necessitate. Et contra hũc cõcursum hoc modo explicatũ, rectè B procedunt argumenta Durandi superiori sectione facta.

V Emphasis futurum. Dicent fortasse, hanc virtutem quam prima causa dat secundę vt cum illa concurrat, non pertinere ad causalitatem causæ secundæ vt sic, sed ad causalitatem causæ primæ, quia est quasi proprium instrumentum eius ad concurrendum cum secunda, & ideò licet illa virtus recipiatur in causa secunda, non agere causam secundam per illam, sed Deum, sicut quamuis impetus recipiatur in lapide iacto, nõ lapis se mouet per illum, sed qui proiecit. Vnde, sicut proiiciens dicitur mouere immediatè per impulsum, ita & Deus dicetur immediatè concurrere per hãc virtutem, quę immediatio, per se loquendo, est virtutis, nõ suppositi. Et similiter, licet causę secundę virtus dicatur compleri per hanc virtutem impressam à prima, non tamen complemento pertinente ad ordinem causæ secundę, sed addente illi virtutem necessariam ex parte causæ primæ.

Veruntamen hæc responsio vel redit ad priorem sensum omnino reprobatum, vel dicit aliquid per se improbabile & impertinens, nam si illa virtus ita dicitur esse instrumentum Dei vt actio Dei sistat in effectione eius: posteà verò illa sola concurrat cum causa secunda ad actionem illius: sicut in exemplo quod adducitur, actio proiicientis sistit in impressione impetus. Deinde verò motio est ad impetum: si hoc (inquam) dicatur, redimus ad priorem sensum: atque ita fit vt actio creaturæ nullam dicat immediatam habitudinem ad ipsammet virtutem Dei increatam vt ad principium per se illi⁹, quod reprobatum est sectione præcedenti, contra Durandum. Si verò præter influxum illius virtutis instrumentarię, dicitur etiam Deus virtute sua propria & increata immediatè influere in actionem causæ secundæ, statim per se apparet quàm sit impertinens illa virtus instrumentaria quæ se teneat ex parte Dei, nam ibi adest intimè præsens diuina virtus per se ipsam: estque propter eminentiam suam sufficiens & proportionata vt per se se influat in actionem, imò ita debet necessariò influere vt actio quælibet fieri à creatura possit: ergo ex parte Dei non est necessaria illa instrumentaria virtus: nihil ergo refert ad concursum causæ primæ, qui per se necessarius est, ac pertinet ad essentialem subordinationem causæ secundæ respectu primæ.

Secun-

Secunda sententia proponitur.

VII. SEcunda sententia est concursum primæ causæ esse aliquid per modum principij in ipsa causa secunda, ordinatum ad actionem eius, non tamen vt principium per se illius, sed solùm vt conditionem necessariam ad agendum. Ita videntur sentire omnes qui ponunt concursum Dei versari circa causam secundam antecedenter ad actionem eius, applicando illam, vel determinando ad actionem. Soletque hæc opinio tribui D. Thomæ locis infrà tractandis; sed immeritò, vt ostendam; citari etiam solet Capreol. in 2. dist. 1. quæst. 2. sed æquè irrationabiliter. Ferrar. autem 2. cont. Gent. c. 70. in principio distinguit in agentibus creatis duplicem vim agendi; vnam firmam & permanentem quæ est propria & naturalis: aliam vocat intentionem diuinæ virtutis habentem esse incompletum: & hanc ait non conuenire rebus nisi quãdo actualiter operantẽ tanquam diuinæ virtutis instrumenta. Et in fine §. Ad secundum dubiũ dicit, Deum immediatè agere in omnibus causis inferioribus quandã sui participationem cum qua simul immediatè ipsarum effectus attingit: quia ipsa B virtus in Deo existens & eius intentio in causis inferioribus producta, accipitur tanquam vna virtus; sicut ars (inquit) quæ est in mente artificis, & eius intentio in instrumento recepta pro vna virtute accipiũtur. Et per hanc virtutem ait applicare Deũ causas secundas ad operandum, sicut artifex instrumẽta. In quibus verbis partim videt ad priorem sententiam alludere, partim ad hanc posteriorem. Ad ponendam autem hanc virtutem intentionalem nulla ratione mouetur, sed solùm quodam testimonio D. Tho. q. 3. de pot. art. 7. & nonnulli posteriores Thomistæ hanc sententiam secuti sunt. Et illam fundant in quibusdam receptis locutionibus antiquorũ Philosophorum. Prima est quòd agentia secunda nõ agunt nisi mota à primo; & in hoc constituũt subordinationem per se inter has causas; indeq; concludũt perueniendum esse ad vnum primum agens, non indigens motione alterius. Ita videtur processisse Aristotel. 7. Physic. c. 1. & lib. 8. c. 5. & 2. Metap. c. 2. quem semper imitatur D. Tho. tum exponens Aristotelẽ, tum in aliis locis statim citandis: & ex parte August. lib. 8. Genes. ad liter. c. 20. & 5. de Ciuit. c. 9. Imò & C Scriptura sacra videtur Deo tribuere hanc præmotionem causarum inferiorum, vt Iob 12. *Qui immutat cor principum*: & Prou. 21. *Cor Regis in manus Dei est, & quocunq; voluerit vertet illud.* Hier. 10. *Non est in homine via eius: & à Domino gressus hominis dirigentur.* Agunt ergo causę secundę motę à prima: hęc autem motio nõ potest consistere in ipsa actione causæ secundę, tum quia motio est in re quę mouetur: actio verò transiens non est in agente à quo fit, tum etiam quia hæc motio antecedit actionem saltem causalitate, quia ad hoc mouentur agentia secunda, vt agant: eò quòd non possunt agere nisi mota.

D. Thom. Capreol. Ferrar.

VIII. Primũ fundamentum reliatæ sententiæ.

Aristot. August. D. Thom.

IX. Secundum. Secundum principium est, quòd causa secunda applicatur à prima ad agẽdum. Quod sumptum existimatur ex lib. de Caus. proposit. 16. vbi dicitur *virtutem diuinam esse virtutem omnium causarum*: quia videlicet virtus diuina applicat reliquas virtutes ad suas operationes, vt expositum Ægid. quodlib. 5. quæst. 1. & significat D. Thomas. 1. p. q. 105. art. 5. in corpore, & ad tertium. Nam in corpore ait, primum agens mouere secundum ad agendum; *& secundum hoc* (inquit) *omnia agunt in virtute ipsius Dei.* In solutione verò ad tertium declarat hoc ideò esse, quia Deus non solùm A dat & conseruat virtutes agendi, sed etiam applicat eas ad agendum. Necessitas autem huius applicationis inter alias vna est, quia ad virtutem quæ respicit finem vniuersalem pertinet applicare inferiores in ordine ad suum finem: Deus autem est supremum agens respiciens vniuersalem finem: ergo applicat inferiora vt agant accommodatè ad illum finem. Hæc ergo applicatio non est actio creaturæ, nam est à solo Deo, & antecedit actionem causæ secundæ: comparatur ergo ad actionem causæ secundę vt principium eius.

X. Tertium. Tertium principium est, causam primam excitare secundam ad opus; qui modus loquendi nõ est tã frequens apud authores antiquos, sicut nomen motionis vel applicationis. Videtur tamen habere eandem vim. Et potest in hunc modum declarari, eã virtus creata dum agit, aliquo modo in se perficit quia melius est agere, quàm omnino carere actione: hæc autem perfectio non consistit in ipsa actione, præsertim transeunte, cùm in ipso agente non sit: consistet ergo in hac excitatione qua talis virtus veluti vltimatè actuatur ad agendum. Hæc autem excitatio non potest esse ab ipsamet virtute creata. Tum quia sæpè non est actiua in se ipsam, tum etiam quia ad illam efficientiam indigeret etiam excitatione: est ergo à prima causa.

XI. Quartum. Quartum ac præcipuum principiũ est, quod causa secunda determinatur à prima & per se ac necessariò indiget tali determinatione. Ita sentit D. Thom. 1. p. q. 105. ad tertium dicẽs. *Hoc ipsum quòd causæ secũdæ determinãtur ad determinatos effectus, est illius à Deo.* Duplex autem ratio huius necessitatis afferri potest: vna est vniuersalis ad omnes causas secundas, quia nimirum virtutes earum sunt indifferentes ad producenda varia indiuidua; nec possunt sese determinare ad hoc indiuiduum potiùs quàm ad illud; nec cogitari potest aliud sufficiens determinans præter primam causam. Hæc autem determinatio non fit nisi addendo aliquid ipsi virtuti actiuæ. Alia ratio est, propria liberæ voluntatis, quæ de se est indeterminata non solùm ad indiuidua, sed etiam ad species, & ad actus contrarios, & ideò indiget prædeterminante: quia ab agente indeterminato non potest determinatus effectus exire. Potestque hæc ratio extendi ad naturalia agentia vniuersalia, quę etiam sunt indifferentia ad plures effect⁹ specie diuersos, vnde nõ possunt ad alterum eorum se determinare.

XII. Quintum. Quintum principium est, quòd causę secundæ essentialiter subordinantur causæ primæ, vt instrumẽta artifici, vt frequenter loquuntur graues authores & signatim D. Thom. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. & 2. con. Gent. c. 21. rat. 4. & indicat in lib. 3. c. 70. Hæc autem subordinatio intelligi non potest nisi causa prima præmoueat secundam, & actio secundæ pendeat ex motione primæ. Aliàs non esset subordinatio, sed concomitantia quædam duorum agentium. Neq; esset actio primæ causæ prior actione causæ secundæ: quod planè repugnat dignitati primæ causæ, & dependentiæ causæ secundæ.

XIII. Sextum. Sextò argumentari possumus, quia hic modus concurrendi primæ causæ, vtendo causa secunda per motionem suam, & ita perfectè illã sibi subiiciendo, præfert maiorem quandam perfectionem in modo agendi primę causæ cum secundis, & nullam includit repugnantiã: ergo est primę causę tribuẽdus. Maior declaratur variis modis: primò quia hac ratione maior est dependentia causę secundę à prima, quia non solũ in effectu & actione sua, sed ẽt ipsamet

Universidad de Deusto
Biblioteca

pendet in causando à prima; vel, vt alij aiunt, non solum effectus vel actio incomplexè sumpta, sed etiam hoc complexum, *causam secundam agere*, erit à prima. Vel aliter causa prima non solum faciet effectum vel actionem causæ secundæ, sed etiam faciet vt causa secunda faciat: quod etiam in scriptura sacra sæpè Deo tribuitur, & sine illa præmotione intelligi non potest. Rursus è cõuerso pertinet ad perfectionem primæ causę vt vtatur secundis ad suos fines, & iuxta voluntatem suam tanquam habens supremum dominium earum: nam perfectus actus dominij est plenus vsus rei, quæ sub dominium cadit. Hæ sunt potissimæ rationes quæ pro hac sententia afferri possunt. Ex quibus duæ primæ videntur maximè fauere huic secundæ sententiæ: tertia verò & quarta magis videntur iuxta priorem opinionem procedere: quinta autem & sexta indifferentes sunt.

Refutatur præcedens opinio.

XIV. HÆc verò sententia non magis probanda est quàm præcedens: neque existimo fuisse opinionem D. Thomæ, aut Scoti, vel antiquorũ Theologorum. Quod vt probem, aduerto etiam hanc posteriorẽ sententiam habere locum ad duos sensus suprà declaratos. Primus est quòd concursus causæ primæ censeatur omnino ac præcisè consistere in agendo circa ipsam causam illam præuiam conditionem necessariam, siue nomine motionis, siue applicationis, aut quocunq; alio appelletur, ita vt præter illam nullam aliam efficientiam habeat causa prima circa effectum, vel actionem causæ secundæ. Et neq; Ferrara, neq; moderni authores videntur hunc sensum intendisse, vt ex vltimis verbis Ferraræ suprà citatis colligi potest. Et re vera esset in hoc sensu talis opinio non minùs falsa, quàm opinio Durandi, quia iuxta hanc explicationem Deus non concurreret per se ad actionem causæ secundę, sed solùm remotè & per accidens, nimirum conseruando causam secundam, & efficiendo in illa quandam cõditionem necessariam ad agendum: hic autem concursus est per accidens respectu effectus causę secundæ, vt patet in applicante ignem ad comburendum. Nam si dans & conseruans principium per se agendi, & non vltra concurrens, solum remotè, & per accidens causat effectum ab illo principio manantẽ, multò magis qui dat conditionem requisitam ad agendum, vnde qui vtrumque facit, duplici modo concurret per accidens, nullo tamen modo per se. De hoc igitur sensu nõ oportet plura disputare. Quin potiùs ex eo elicio, etiam si demus efficere Deum illam applicationem, vel conditionem præuiam, nõ consistere in illa per se ac formaliter concursum causæ primę: nam causa prima per concursum suum est causa per se, immediata, & totalis in suo genere, effectus & actionis causę secundæ, vt sectione prima demonstratum est: sed per efficientiam huius necessariæ conditionis non est Deus causa per se & immediata, nedum totalis actionis vel effectus creaturæ: ergo formaliter non consistit in hac efficientia concursus Dei.

XV. Supereſt ergo vt alium sensum examinemus, nimirum concursum primæ causæ inchoari (vt ita dicam) ab hac motione vel applicatione causæ secundę: consummari verò in effectione immediata & per se ipsiusmet effectus seu actionis ipsius causę secũdę. In quo sensu dicimus illam sententiam extremè quidem discrepare à Durãdi opinione: aliquid verò addere veritati, quod nec necessarium est, nec satis intelligi potest, & occasionem potest prębere incidendi in aliquem erroré præsertim circa vsum humanæ libertatis. Vt autem hæc omnia distinctè probemus, paulatim procedendum est, tertiam, ac veram declarando, ac probando sententiam.

Quæstionis resolutio.

XVI. Prima conclusio. DIco ergo primò. Diuinus concursus, quatenus est aliquid ad extra, per se & essentialiter est aliquid per modum actionis, vel saltem per modũ cuiusdam fieri immediatè manãtis à Deo. Declaro singulas particulas: dico enim *quatenus est aliquid ad extra* vt omittam disputationẽ de ipsomet actu voluntatis Dei, an dicendus sit concursus, nec ne, & an dicẽdus sit influere per modum actionis, vel per modũ principij; nam quoad hunc sensum sufficiunt suprà dicta de creatione. Et ferè ob eãdem causam dixi *vel saltem per modum cuiusdam fieri*, vt scilicet abstineam ab illa quæstione, an actio recepta in creatura comparetur ad Deum per modum actionis, vel solum per modũ effectus: quamquã enim verius sit cõparari per modum actionis, vt etiam sectione sequenti attingam, tamen ad prẹsens non refert. Atq; ita explicata conclusio est receptissima, & mihi certissima: satisq; probata ex dictis superiori sect. contra Durand. & in hac contra relatas sententias in primo sensu explicatas.

XVII. Sumiturq; ex D. Thoma 1.p.q.105.art.5.& 3.cont. Gent. c.70. quatenus dicit, primã causam per suum generalem concursum per se & immediatè influere, non tantùm in effectum, sed etiam in actionem causæ secundę: quia non solum effectus, sed etiam actio causę secundę habet aliquid entitatis participatę, & ea ratione necesse est vt immediatè & per se manet à primo ente per essentiam. Ex quo principio ita concluditur ratio. Concursus Dei intimè ac per se includitur in ipsa actione creaturæ, & per se etiam ac immediatè tendit ad eundem terminum, ad quem tendit actio creaturæ: ergo per se & essentialiter est aliquid per modum actionis, vel fieri ipsiusmet actionis, vel effectus creaturæ. Et confirmatur; nam, hic cõcursus non potest consistere in omni eo, vel in solo eo, quod datur causę secundę per modum principij vt operari possit: ergo consistit essentialiter in aliquo quod sit per modum actualis fieri.

XVIII. Antecedens probatum est contra superiores sententias & iterum sic declaratur. Posita quacunq; entitate, quę solùm concurrit per modũ principij, non implicat cõtradictionem vt non sequatur actio, vel effectus; nam Deus potest omne principium agendi creatum, quatumuis applicatũ ad agendũ cũ omnibus cõditionibus prerequisitis suspendere ab actuali actione, & impedire ne effectus fiat. At verò posito actuali concursu ad extra implicat contradictionem actionem nõ sequi, seu effectum nõ fieri: ergo signũ euidens est actualem concursum non cõsistere per se & essentialiter in iis, quę sunt per modum principij, sed in aliquo quod sit per modũ actionis. Maior videtur per se nota ex terminis, quia in eis nulla inuoluitur repugnãtia aut implicatio cõtradictionis. Certumq; de fide est, id feciſſe Deũ in multis virtutibus necessitate naturali operantib⁹, neq; est maior ratio repugnantię in quibusdã, quàm in aliis. Nisi fortasse aliquis dicat hoc specialiter repugnare illi intentionali virtuti, quam aiunt imprimi à Deo, & esse quasi transeuntẽ seu influentẽ, quod inde prouenit, quia habet esse inseparabile ab actuali operatione, sicut virt⁹ artis, impressa instrumento inseparabilis est ab operatione artis: huic.n. assimilat Ferariẽs. suprà, illã virtutẽ. Sed certẽ, si talis virtus inseparabilis est ab actuali

actuali actione causæ secundę, ẽt per potentiam Dei absolutã, hoc satis declarat nõ esse rem ab illa distinctam, & consequenter non esse principium eius, sed actualem emanationem ipsius à prima causa. Vel è conuerso, si illa virtus supponitur res distincta ab actione causæ secundæ, & verum principium eius, sine probabilitate negatur posse Deum efficere vt illa sit & ab ea non manet actio, quia virtus non pendet essentialiter ab actione quę ab illa manat, sed è conuerso, & est in re distincta ab actione & prior illa; quid ergo repugnat quòd cõseruetur sine illa? Item posita illa virtute adhuc est necessarius immediatus influxus Dei vt sequatur actio, quod sępè probatum est: ergo potest Deus suspendere illum influxum, & ita impedire actionem.

XIX. Neq; exemplum de virtute artis impressa instrumento quicquam iuuat, nam illa virtus esse non potest, nisi vel impetus impressus instrumẽto ad localiter illud mouẽdũ, vel ipsemet motus. At verò impetus impediri potest ne efficiat motũ, vt rationes factæ probãt; nec video quid in contrariũ obstet. Motus autem ipse impediri non potest ab actuali motione instrumenti, quia respectu illius non comparatur vt virtus, sed vt ipsa actio vel fieri. Quod si ex instrumento sic moto nata est sequi aliqua alia actio distincta à motu & termino eius, ad quam motus instrumenti comparetur per modũ principij aut virtutis, omnis illa actio separabilis est à tali motu virtute diuina, propter eandem causam. Quòd autem posito actuali concursu ad extra non sit separabilis actio causæ secundæ, communis consensio & euidẽs est, quia ille concursus non est separabilis ab aliquo termino & effectu primę causę: nam si est concursus ad extra, aliquid extra Deum sit; id autem necesse est fieri à causa secunda: aliàs ille non esset concursus cum causa secunda, sed actio solius Dei. Vnde ipsummet nomẽ *cõcursus* satis declarat inseparabilitatẽ ab actione causę secundę. Ergo concursus essentialiter est aliquid per modum actionis vel fieri, vt est à prima causa.

XX. Secunda cõclusio. Dico secundò. Concursus primæ causæ præter id quod est per modum actionis, nõ includit ex intrinseca necessitate aliquid de nouo inditum ipsi causæ secundæ, quod sit principium actionis eius, vel conditio ad illam necessaria. Dico *de nouo inditum*, quia certum est concursum causę secundę supponere in illa virtutem agendi datam & conseruatam à prima causa, quod hic supponimus, & inquirimus quid vltra illam necessarium sit adiũgi ex parte primę causę.

XXI. D. Thom. Hæc ergo conclusio sumi potest ex D. Thoma 1. 2. quæst. 109. artic. 1. 2. & 3. vbi ad actiones causarum secundarum duo tantùm dicit requiri, nimirum intrinsecam virtutem connaturalem (loquitur .n. de naturalibus actionibus, de quibus solis nobis sermo est in tota hac disput.) & concursum Dei, quem ibi vocat motionem seu auxilium Dei mouentis: cur autem ita illum appellet, infrà videbimus. Quòd autem ea voce nil aliud intellexerit, patet, tum quia aliàs prætermisisset id quod per se ac maximè necessarium est; tum etiam quia iam non tantùm duo, sed tria essent necessaria ad actionem creaturæ, scilicet virtus eius, motio, & concursus. Atque ita intellexisse videtur Caietanus ibi, dicens illud auxilium Dei mouentis esse cooperationem eius. Qui eãdem sententiam docet 1. part. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 19. artic. 8. vbi exponens illud axioma, *Causa secunda non agit, nisi mota à prima*, dicit, intelligendum esse, non de motione præuia, sed de motione intrinsecè cooperante ipsi actioni, Et subdit: *Talis est autem cooperatio primæ causæ, de qua scriptum est. quod attingit à fine vsque ad finem fortiter: disponitque omnia suauiter, iuxta modum cuiusque cooperans vnicuique.* Eadem est sententia Scoti variis locis, sed præsertim in 4. dist. 1. q. 1. ad vltimum, vbi ait, causam secundam non dici agere in virtute primæ, quia tunc aliquid recipiat ab illa, sed quia habet ordinem inferioris ad illam: & subdit: *Ex his patet quod causæ primæ in causam secundam propriè dictam non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inherẽtis causæ secundæ, sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem.* Idem sentit Almain. tract. 1. Moral. capite primo, & Gregorius in secundũ distinct. 28. quæstione prima, articulo 3. ad 12. vbi declarat concursum Dei consistere solùm in partiali coefficientia Dei, quantum est ex essentiali subordinatione causæ secundæ ad primam: quod aduerto, quia ex alio capite ad actus bonos requirit specialem Dei præmotionem, de quo aliàs: idem in 2. dist. 34. ad 8. Capreolus etiam in secundo distinct. 28. quęst. 1. articulo 3. ad 12. cont. 2. concl. vbi referens sententiam Gregorij illam approbat, & dicit, *Concordat S. Tho. 1. 2. q. 109. ferè singulis articulis.* Gab. etiam in 2. d. 37. a. 3. dub. 2. Grego. imitatur. Alios referam sect. seq.

Scotus. Almain. Gregor. Capreol. Gabriel.

XXII. Ratio secundæ conclusionis. Ratione probatur primò, quia per hunc concursum actualem Dei per modum actionis, prout explicatus est, saluatur omnis dependentia essentialis, tũ causę secundę à prima in causando, tum actionis eius in fieri, tum etiam effectus in omni esse suo. Item ratione huius concursus verum est, primam causam immediatè ac per se efficere omnia, & quicquid aliud de illa vt causante omnia, vel authoritate creditur, vel ratione probari potest: ergo superuacaneum est quippiam aliud fingere. Antecedens ex dictis in priori assertione patet, & clariùs in solutionibus argumentorum. Consequentia verò probatur, tum quia natura abhorret quidquid superfluum est, teste etiam Aristotele 1. de Cœlo capite quarto, & aliis locis: tum etiam quia rationes præcedente sectione factæ pro sententia Durandi, probant, solam illam efficientiam primæ causæ esse coniungendam causæ secundæ ad actionem eius, quæ per se fuerit necessaria ad essentialem dependentiam omnis entitatis vel modi realis à primo ente: tum deniq; quia aliàs nullus esset status, sed quacunque re posita posset quis aliam adiungere: & sicut prẹter actualem concursum requirunt alij motionẽ, alij cõplementum virtutis, posset aliquis illa tria postulare: & alius pro suo arbitratu posset quartum quippiam adiungere, vt per se satis constat.

Aristot.

XXIII. Secũda ratio est, quia nihil potest requiri vt principium per se, nec etiam vt conditio necessaria principij per se: ergo nullo modo: ergo concursus primæ causæ vt sic nihil requirit per modum principij, sed solùm per modum actionis. Consequentiæ sunt claræ ex sufficienti numeratione. Maior satis probata est refutando priorem sententiam. Minor verò eodem seu proportionali discursu demonstranda est. Nam sicut causa secunda in suo ordine potest esse completa in virtute agendi; ita requirit certas & determinatas conditiones necessarias in eodem ordine ad agendum, quas omnes habere supponimus, quando de necessitate concursus primæ causæ præcisè disputamus. Nam si quę illarum desit, necessarium quidẽ erit, si causa illa operatura est, vt conditio illa priùs adiungatur per efficientiã primę causę, vel solã, vel cũ alia causa secũda: illa tamẽ necessitas nõ est

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex vi concursus aut dependentiæ à prima causa, sed ex peculiari defectu. Sicut ergo causa completa in virtute non indiget alio complemento virtutis, ita causa completa in conditionibus prærequisitis ad agendum in suo ordine, nullam nouam conditionem prærequirit. Dicere autem præter eas conditiones nobis notas, quas causæ secundæ possunt per se, vel per alias secundas causas comparare, requirere quandam aliam occultam conditionem, quam ex solo influxu causæ primæ habere possunt; sicut gratis dictum est, ita facilè contemnitur, quòd nulla authoritate, vel ratione alicuius ponderis vel momenti nitatur.

XXIV. An & qualiter causæ secundæ à prima applicentur ad agendum.

Sed vlteriùs positiuè ostendere possumus, nullam talem conditionem excogitari posse, discurrendo per illa quatuor, quæ in argumentis suprà factis tacta sunt. Primò enim appellabatur hæc conditio *applicatio causæ secundæ ad agendum.* At nos supponimus applicationem omnem nobis notam iam factam: consistit autem hæc applicatio, vel in aliqua motione locali, vel in actione vitali, seu animali, vt quando causa finalis applicatur per cognitionem, vel potentia motiua per appetitum. Quo sit vt, sicut hæc B applicatio consistit in aliqua reali actione, ita esse non possit sine efficientia causæ primæ, ordinariè quidem per causas secundas, extraordinariè autem per seipsam. At verò præter has, quænam alia esse possit applicatio? Nam si est realis efficiètia, erit realis motus vel mutatio causæ secundæ. Quem ergo terminum habet? Non localem, nec alterius generis extra qualitatem, vt per se notum videtur. Neque etiam esse potest qualitas aliqua: nam, si illa qualitas datur vt virtus agendi, iam non est conditio tantùm, sed principium per se actionis, & redeunt rationes superiùs factæ. Si verò datur vt nihil agat, impertinens est ad agendum: nec reddi potest ratio cur dicatur conditio necessaria. Dices, esse necessariam, vt coniungat secundum agens primò, vt instrumentum principali causæ. Sed hæc & similia, quæ verbis dici possunt, in re explicari non possunt, quia illa cõiunctio, neque est aliqua realis vnio, neque intimior præsentia, sed solùm nouus quidam effectus, cuius officium & necessitatem ad actionem causæ secundæ inquirimus.

Obiectio dissoluitur.

XXV.

Nec verò dici potest, terminum illius mutationis, quæ applicatio dicitur, esse ipsammet actionem causæ secundæ, tum quia vna actio non est terminus C alterius, vt sequen. sect. latiùs dicam: tum etiam quia illa applicatio est mutatio in ipsa causa secunda: actio verò eius sæpe est in passo: tum deniq; quia illa applicatio dicitur esse conditio prævia ad actionem: ergo & terminus eius est etiam prævius: sicut ergo in causa secunda nihil est reale, quod talem mutationem terminare possit, ita neq; est talis applicatio, quæ sit aliquid reale in ipsa prævium ad actionem.

XXVI. Qualiter prima causa moueat secundam.

Alio modo appellabatur illa cõditio *motus quo causa prima mouet secundam ad agendum.* Et de hoc motu eodem discursu inquiri potest quem terminum habeat, & consequenter ad quam speciem motus vel mutationis pertineat, quia necesse est omnem motum realem ad aliquid tendere, & in aliqua specie esse: talis autem motus non est localis: quia non est necesse causas secundas localiter mutari quandocunq; agunt; de motu verò ad quantitatem certior res est: de mutatione autem ad qualitatem procedit eodem modo ratio facta de applicatione: præter hæc tamen nihil est quod per illum motum fieri possit, vt facilè patebit discurrendo per omnia genera entium. Nec verò potest ille motus per se terminari ad ipsammet actionem causę secundę, tum propter rationes factas de applicatione, tum etiam, quia aliàs iam ille motus non esset conditio ad illam actionem prærequisita, sed esset intrinseca via ad illam actionem: quandoquidem illa actio dicitur esse proprius & immediatus terminus illius motus. Ex quo vlteriùs fiet, vt sicut ille motus dicitur esse à sola prima causa, ita & terminus eius, nam ab eadem causa est terminus à qua est via: ergo si actio causæ secundæ est intrinsecus terminus illius motus, erit à sola causa prima, quod inuoluit apertam repugnantiam: quomodo enim est actio causæ secundæ, si est à sola prima? Quòd si dicatur, actionem causæ secundæ non esse intrinsecum terminum illius motus, sed potiùs extrinsecum seu remotum, necessariò assignandus erit alius terminus intrinsecus & proprius: nullum autem assignari posse, discursus à nobis factus, sufficiẽter ostendit.

XXVII. Virtus ficta causæ à prima quo modo tribuatur.

Tertiò vocabatur illa conditio *excitatio virtutis.* Quæ sic ponatur fieri per veram & realem actionem causæ primæ in secundam vel in virtutem eius, fiet B per illam actionem aliqua mutatio in causa, de qua procedet tota argumentatio proximè facta. Quòd si non fit illa excitatio per veram & realem actionem in causam secundam, iam nihil agitur in causa secunda, quòd se habeat per modum principij, quod intẽdimus. Et præterea explicandum superest illis authoribus suprà à nobis citatis, qui talem excitationem requirunt, quomodo excitatio virtutis fiat sine actione, aut per denominationem, vt vocant, extrinsecam, & quæ sit necessitas talis excitationis prouenientis à sola causa prima, præter omnem illam, quę esse potest prouenientis à causa secunda. Et, vt hoc amplius intelligatur, aduerto, excitationem potentię ad operandum, proprijssimè inueniri in potentiis animæ: extendi tamen aliquo modo ad nonnullas virtutes naturales, quæ non agunt nisi priùs alterentur earum subiecta, vt piper non calefacit, nisi conteratur, & res odorifera sæpe non mittit odorem, nisi priùs calefiat.

XXVIII.

Hæc ergo alteratio prævia solet dici excitatio virtutis per metaphoram: re tamen vera est aut complementum virtutis per qualitatem additam, aut applicatio vel dispositio agentis, vt ex se emittere possit vaporem, vel exhalationem aliquam, qua mediante agit, vt dum res odorifera per calefactionem rarefit, facilius potest exhalare odorem, & sic de aliis. Excitatio autem causæ primæ non potest esse similis huic naturali per alterationem præviam, quia nec complementum virtutis est semper necessarium in causa secunda, vt ostensum est, neq; etiam dispositio aliqua materialis: nam in multis causis secundis necessaria non est, vt est euidens in igne calefaciente, Sole illuminante, & Angelo mouente cœlum, & vbi est necessaria, per alias causas secundas fieri solet, nec pertinet ad subordinationem causæ secundæ, respectu primæ.

XXIX.

Excitatio autem potentiarum animę duobus modis fit. Vno ab obiecto, vel in genere efficientis, vt in potẽtiis cognoscitiuis, vel in genere finis, vt in appetitiuis. Et hoc genere excitationis etiam est per se notum, primam causam non excitare secundam ex vi generalis concursus, quia multæ causæ secundæ non sunt capaces obiectiuæ excitationis: quæ verò capaces sunt, non semper mouentur à causa prima vt ab obiecto. Neq; etiã causa prima ex suo generali munere habet applicare obiecta excitãtia nisi cõcurrendo

rendo cum causis secundis. Ad opera verò gratiæ A excitat quidem Deus homines peculiari modo, veruntamen illa excitatio non pertinet ad concursum causæ primæ, sed ad supplendam, vel iuuandam imperfectionem alicuius causæ secundæ: de quo genere diuinæ excitationis peculiariter disputant Theologi in materia de gratia. Alio modo fit excitatio circa potentias animæ per quandam efficientiam quasi moralem, per naturalem sympathiam quam habent ex eo, quod in eadem essentia animæ radicantur, cũ subordinatione inter se, quæ etiam dici solet motio, vel applicatio vnius potentiæ per aliam: quo modo potentia motiua existens in musculis excitatur vel applicatur per appetitum, & voluntas dicitur hoc modo mouere omnes animæ potentias. Sed neque hoc genus excitationis habet locum in causa secunda respectu primæ, tum quia intrinsecè includit vitalem modum operandi, tum etiam, quia requirit coniunctionem facultatis mouentis & motæ in eodem radicali principio. Atque ita videntur excluſi omnes modi excitationis, quos possumus nos explicare aut assequi: fingere autem aliquem alium inefabilem, eiusque fidem petere, cùm nec Christiana B fides illum doceat, nec ratio aut necessitas illius reddatur, ab omni ratione alienum est.

XXX. Obiicitur quidam modus quo Deus applicare dicatur causas secundas.

Dicere verò quis potest, reperiri inter causam primam & secundam, quandam sympathiam ortam nõ ex radicatione potentiarum in eadem essentia, sed ex essentiali subiectione causæ secundæ ad primam, & supremo dominio primæ in secundam. Consistere autem potest huiusmodi sympathia in hoc, quòd volente Deo vt causa secunda operetur, statim necessaria consecutione causa secunda agit, non quia in se aliquid recipiat ex vi illius voluntatis, sed quia statim illi obedit agendo, sicut potentia motiua obedit appetitui. Per hanc ergo voluntatẽ dici potest Deus applicare, mouere, vel excitare causam secundam ad agendum. Et quia illud velle Dei interuenit semper in concursu cum causa secunda, ideò prima causa dicitur concurrere excitando causam secundam. Veruntamen hic dicendi modus, siue sit verus, siue falsus, non pertinet ad præsentem quæstionem: hîc enim solùm agimus de concursu externo & transeunte: illa autem excitatio tali modo explicata solùm fit C per velle internum. Item ex vi illius voluntatis nihil in se recipit causa secunda per modum principij, vel conditionis necessariæ ad agendum, de quo nunc agimus. Ergo eo modo quo nunc disputamus, nulla excitatio fit in causa secunda ex vi solius concursus causæ primæ. An verò ille modus excitationis verus sit, quia punctus est difficilis, & necessarius ad complementum huius materiæ, in sectione quarta explicabitur.

Quartò dicebatur illa conditio necessaria, *Determinatio causæ secundæ per effectionem primæ.* Hæc autem non est probabilior, quàm reliquæ, & generatim argumentando, si hæc determinatio dicitur fieri per veram actionem primæ causæ in secundam, redeunt argumenta supra facta, quòd illa actio inferat mutationem in causam secundam, cuius mutationis nullus terminus assignari potest. Specialiter verò, hæc necessitas talis prædeterminationis nulla est in causis secundis naturaliter agentibus, quia illæ natura sua sunt determinatæ ad vnum: quam quidem determinationem acceperunt à Deo non per cõcursum sed per influxum & conseruationem talis naturæ. D.Thom. Quo sensu loquitur Diuus Thomas 1.par.quęst.105. art.1. ad 3. Formaliter verò hanc determinationem habent tales causæ ab intrinseca natura. Vnde sub hac consideratione dici solet, causam secundam determinare concursum primæ ad speciem actionis, potiùs, quàm determinari ab illa, vt videtur loqui Diuus Thomas in 2.distin.1.quæst.1.art.4. in corpore. & ad tertium, & 1. contra Gentes cap.66. ratione 5. vbi dicit; *Secunda agentia sunt quasi particulantes & determinantes actionem primi agentis.* Et sumitur ex Dionysio capite 4. de diuinis nominibus, dicente, Dei actionem ex se esse indifferentem; variari autem ex diuersitate subiectorum & causarum. Dicuntur autem causæ particulares determinare concursum, nõ quia ad hoc efficiant aliquid prævium: quid enim possunt? Neque quia Deus voluntate sua illum determinet, quod declarabimus sectione quarta, sed, quia hæc causa natura sua postulat hunc concursum potiùs, quàm alium. Deus autem sese accommodat naturæ vniuscuiusque: & ideò etiam dici solet hæc determinatio, vt est à causa secunda, esse in genere causæ materialis. In his ergo causis naturaliter agentibus non est necessaria illa cõditio prœuia, quæ prædeterminatio dicebatur. Quòd si interdum hæc naturalia agentia propter vim agendi vniuersalem habent indifferentiam aliquam in facultate agendi res specie diuersas, naturaliter ac physicè loquẽdo, semper determinantur ad vnum effectum in specie vel ex se, vel ex concursu aliarum causarum, aut materialis aut coefficientium, vt suprà disput. 18. sect. 1. declaratum est.

D.Dionys.

XXXI. Quomodo secunda causa ad individuũ effectũ à prima determinetur.

Denique etiamsi demus (quod probabile est) quoad singularitatem actionis vel effectus determinari causam secundam à prima, vt Nominales affirmant, & in superioribus nobis probabile visum est: non oportet fingere, illam determinationem fieri per aliquam actionem causæ primæ in secundam, addendo nimirum aliquid virtuti eius. Imò vix potest hoc modo intelligi, quia etiam illud additum de se erit indifferens ad plura individua similia facienda: nulla enim res, quæ in aliqua specie vim habet actiuam, determinatur ex se ad vnum tantùm individuum efficiendum, vt patet discurrendo per omnes virtutes naturales. Si quis autem velit peculiariter excipere hanc entitatem, vel virtutem quam causa prima addit secundæ, gratis id asseret, & sine causa multis implicabitur difficultatibus. Oportebit enim fateri, quoties variatur actio agentis naturalis diuersis temporibus, vel circa diuersa subiecta, variari etiam illas entitates prædeterminatiuas, quas in se recipit causa secunda à prima. Et similiter si ignis successiuè calefacit, continuè etiam aliquid debet in se recipere & pati, quo determinetur ad illam successiuam actionem. Deniq; vel superfluus est ille modus determinationis, vel fatendum erit, facultatem naturalem esse sufficientem de se ad specificam rationem effectus; non verò ad singularitatem eius: illud verò additũ dare vim ad singularitatem, quod est intelligibile, cùm in effectu prout in re sit, specifica & singularis ratio non distinguantur.

XXXII.

Dicendum est ergo, illam determinationem sufficienter fieri per voluntariam præfinitionem diuini concursus. Itaque ignis, verbi gratia, indifferens est ad hunc vel illum calorem faciendum, non quidem negatiuè seu priuatiuè, id est, quia ad neutrum habeat completam virtutem in suo genere, sed positiuè, quia ad vtrumq; est satis potens in ratione causæ proximæ, & ad neutrum determinatus: Deus autem sua voluntate statuit cũ illo concurrere ad hunc potiùs

Universidad de Deusto
Biblioteca

potiùs quàm ad alium: & hoc satis est vt ab igne procedat hic effectus numero potiùs quàm alius. Non est ergo necessaria talis conditio prædeterminans, quæ sit res aliqua recepta in ipsa causa secunda.

XXXIII. Ex his autem quæ de naturalibus agentibus diximus, colligitur, huiusmodi conditionem multò minùs esse necessariam in causis secundis liberis, ex vi subordinationis & dependentiæ essentialis causæ secundæ à prima. Nam eiusdem rationis est quoad hoc dependentia causæ liberæ ac necessariæ à prima causa. Vnde si in causa naturaliter agente sufficienter saluatur illa dependentia per concursum, qui in actione consistit, etiam saluabitur in causa libera. Nec verò ob peculiarem modum agendi causæ liberæ, est in ea talis conditio necessaria, quia licet voluntas, verbi gratia, quæ est potentia libera, sit ex se indifferens, positis omnibus requisitis, ad agendum & non agendum, tamen re vera est tam potens ad agendum, ac si non haberet alteram facultatem: & è conuerso tam potens est ad non agendum, ac si nihil aliud posset. Itaq; ad vtrũq; & ad singula habet plenam potestatem: ergo sicut alia agentia per potestatem quam habent ad vnum, possunt illud exequi B cum communi concursu absque illa præuia conditione prædeterminante: ita agens liberum, per potestatem quam habet ad plura, potest cum communi concursu aliquod eorum exercere (loquimur de actibus intra ordinem naturę contentis) absque illa conditione. Tantumq; abest vt peculiaris conditio & indifferentia libertatis ad hoc obstet, vt potiùs in hoc sit posita eius excellentia & dominium in suam actionem.

XXXIV. Vnde, cùm dicitur, facultatem indeterminatam non posse determinatum actum vel effectum efficere, ad summum habet locum in potentia ita indifferente ad plura, vt sit per se incompleta & insufficiés ad singula, quæ vt sic magis est indifferentia passiua & imperfecta, quàm actiua & perfecta: propter quod talis indifferentia dici solet negatiua. At verò, quando potentia est indifferens per completam vim ad vtrumque oppositorum, & per dominium in suum actum, optimè potest, quamuis in actu primo sit indeterminata & indifferens, determinatum effectum seu actum secundum efficere, sese ad illum determinando. Hæc enim est propria vis & potestas eius, à qua habet quòd libera sit. Sicut etiam diuina voluntas est indifferens ad plura obiecta vel effectus creatos, & ipsa se determinat ad aliquod eorum: huius enim efficaciæ & dominij participationem accepit voluntas creata, quamuis longè imparem in perfectione & modo. Nam increata voluntas est indifferens ad plura obiecta extra se, non verò ad plures actus volendi, vel nolendi: voluntas autem creata, et ad plures actus est indifferens. Deinde increata voluntas determinatur sine nouo actu illi addito: creata verò per nouum actum. Ac deniq; voluntas increata nõ pendet ab alio in sua determinatione: creata verò pendet saltem à concursu primæ causæ: cum eo tamen, sicut potest velle ea quæ sibi proportionata sunt, ita & ad ea se determinare.

XXXV. Prædeterminatio physica causam liberam necessitaret, & quoad exercitium, & quoad specificationem. Vnde vlteriùs addo, illam conditionem, quę prędeterminatio dicitur, non solùm non esse necessariam causæ liberæ ob peculiarem modum agendi eius, verùm etiam illi ob eam causam repugnare, si liberè quoad exercitiũ & specificationem operatura est: nã vsus libertatis quoad vtramq; partem per talem prædeterminationem impediretur. Quod primò declaratur in indifferentia quoad specificationẽ actus, nam cùm sola prima causa dicatur efficere hãc prædeterminationẽ, volũtas tantùm est in potentia passiua ad illam: vnde respectu illius non est libera, sed est passiuè, seu negatiuè indifferens, sicut materia ad alias formas: nam in potentia passiua vt sic, nõ est libertas, vt suprà ostendimus. Nõ est ergo in potestate actiua & libera voluntatis vt hanc vel illam determinationem recipiat: cùm ergo ad vnum tãtũ actum determinetur, illum potest efficere & non alium, quia nec potest illum efficere nisi ad illum determinetur, neq; ẽt potest efficere vt ad alium determinetur: sed hoc est in sola voluntate extrinseci agẽtis. Ergo nunquã est proximè & actiuè indifferẽs ad plures actus, seu quoad specificationem actus. Patet hæc vltima cõsequentia, quia voluntas ante receptã hanc prędeterminationem ad neutrum actũ est perfectè & actiuè indifferens, quia si illa prędeterminatio est necessaria, sine illa non est completa vis agendi cum omnibus prærequisitis ad agendum, sicut ad libertatem necessarium est.

XXXVI. Neque etiam est in manu voluntatis habere hanc determinationem, vel vnam potiùs quàm aliã: quid enim ad hoc faciet, cùm facere nihil possit nisi prædeterminata? Vel si recipit determinationem ad volendum malum obiectum, cur ei imputabitur, quòd non recipiat determinationem ad nolendum illud? Neque enim illi potest imputari propter aliquem priorem actum, tum quia fieri potest vt nullus præcesserit; tum etiam quia ille fieri non potuit sine alia prædeterminatione, de qua eadem redit difficultas. Neque etiam potest imputari propter priuationem alicuius actus, tum quia nec prædeterminatio ad illum actum est in potestate eius, & consequenter nec carentia actus potest illi imputari; quia in vniuersum prima radix non operandi in voluntate, etiam positis aliis prærequisitis, est, quia non accipit hanc prædeterminationem: nam si illam reciperet, operaretur. Tum etiam, quia non semper ad actum malum positiuum antecedit carentia prioris actus debiti, sed simul dum vnus eligitur, alius omittitur. Ac denique in eo progressu non est procedendum in infinitum, sed sistendum in aliquibus actibus primis, quorum vnum voluntas voluntariè efficit, alium omittit. Et in illis explicari non potest, quo modo prædeterminatio passiua ad vnum potiùs quàm ad alium sit in potestate voluntatis. Si ergo talis prædeterminatio necessaria esset, tolleretur indifferentia quoad specificationem actus.

XXXVII. Atque inde vlteriùs concluditur, tolli etiam quoad exercitium actus. Nam, vt declaratum est, si prędeterminatio illa est necessaria, ante illam receptam non est in potestate actiua & libera voluntatis talẽ actum exercere; quia nondum est potentia proxima, id est completa, & cum omnibus prærequisitis ad agendum, etiam est potestas actiua remota (vt ita dicam) quia non est in potestate voluntatis aliquid facere, quo illa conditio, seu prædeterminatio adhibeatur, sed solùm est in potentia passiua ad illam, quæ non sufficit ad libertatem: quæ omnia satis declarata & probata sunt. Rursus posita in voluntate illa conditione, quæ prædeterminatio dicit, fieri non potest quin ipsa exerceat actum; nec põt resistere determinationi, seu motioni eius: ergo nũquam habet potestatẽ exercendi, & nõ exercendi actum: ergo tollitur indifferentia quoad exercitium, quæ in hac potestate consistit. Antecedens certum est in ea opinione quam impugnamus: nam hęc prędeterminatio dicitur pertinere ad actualem concursum Dei. Vnde sicut impossibile est Deum concurrere cum voluntate, & ipsam non operari, ita impossibile est voluntatem recipere illam prædeterminationem & non prodire in opus. Et ex ipso nomine prędeterminationis id cõstat: nam si post receptam prædeterminationem potest voluntas non operari; ponamus non operari: ergo tũc adhuc manet indifferens ad operandum, & non operandum: ergo indiget prædeterminatione vt operetur, & falsum erat accepisse prædeterminationem.

XXXIX. Responsio aliquorũ ad rationes refutatas. Fortasse quis dicet, post acceptam prędeterminationem posse quidem voluntatem non operari, nolle tamen admittere, de facto non operaturam quia licet possit, nunquam ita se gerit. Sed hoc friuolum est, & non consequenter dictum. Primò quidem, quia si potest vera potestate quæ ad libertatem sufficiat, vnde affirmari potest illam potestatem nunquã exerceri? Secundò, quia tam est necessaria connexio inter illam prædeterminationem & operationem, vt naturaliter impossibile sit hãc separari ab illa, imò & ipsi aiunt implicare contradictionem, sicut esse simul determinatum & indeterminatum respectu eiusdem, vel agens mouere & passum non moueri: ergo non est in voluntate potestas ad resistendum actiuitati huius prædeterminationis, quia non est in ea potestas ad impossibile: ergo falsum est, posita prædeterminatione posse non operari. Tandem, quia si voluntas potest non velle id, ad quod prædeterminatur, vel id est, quia potest habere actum oppositũ. Et hoc non, vt patet ex probatione prioris partis, quia iam id spectat aliquo modo ad indifferentiam quoad specificationem. Vel id est, quia potest suspendere actum: & hoc etiam non, quia non potest voluntas resistere efficacitati illius prædeterminationis. Neq; illa subditur vsui libertatis, sed illam potiùs sibi subdit: ergo neutro modo est in voluntate illa potestas, & consequenter nec libertas quoad exercitium.

XXXIX. Quod etiam confirmatur ex definitione potentiæ liberæ suprà tradita, scilicet, de ratione illius esse vt positis omnibus prærequisitis ad agendum, possit agere & non agere: nam in præsenti vna conditio necessaria esse dicitur prædeterminatio facta à prima C causa, qua posita non potest voluntas agere & non agere, sed agere tantùm: ergo sine libertate quoad exercitium, & ex necessitate agit. Nec refert quod illa necessitas sit ex suppositione, nam illa suppositio est antecedens omnem vsum libertatis, & ab extrinseco prouenies, vt satis declaratum est: talis autem suppositio si necessitatem inferat, inducit necessitatem simpliciter & tollit libertatem: iuxta doctrinam Anselmi & aliorum in superioribus declaratam. Ideòque meritò dixit Scotus in 4. d. 49. quæstione sexta, §. Duo ergo, libertatem voluntatis tolli, si ab aliquo habitu inhærente prædeterminetur ad vnum: nomine autem habitus intelligẽdũ est quidquid per modum principij, seu actus primi antecedit actum secundum, nam de quolibet huiusmodi eadem est ratio.

XL. Vnde tandem potest vtraque pars ita confirmari, quia voluntatem de se indifferentem ad plura, physicè & intrinsecè determinari ad vnum eorum, nihil aliud est quàm velle illud: ergo nec potest talis prædeterminatio esse prærequisita ad volendum, nec potest omnino ab extrinseco prouenire à sola causa prima: quia velle non est in nobis sine nobis; & licet daremus de potentia absoluta id fieri posse, saltem non posset fieri vt illud velle esset liberum, ad quod voluntas merè passiuè se haberet. Antecedens probatur, quia in voluntate nihil est nisi aut actus secundus, aut primus, neque inter hæc potest excogitari medium: neque ab Aristotele, aut alio Philosopho inuentum est: ergo vel illa prædeterminatio est actus secundus: & illum appellamus velle, sub quo & nolle, & similes actus comprehendimus. Vel est actus primus, & sic aut subditur vsui voluntatis, & ita non prædeterminat illam, vt verum est de omnibus habitibus in voluntate existentibus, aut subdit illam sibi, suæq; necessariæ efficacitati, & ita impedit vsum libertatis eius. Adde inauditum esse in voluntate actum primum, qui non sit habitus eius: nullaque ratione declarari posse ad quid talis actus primus necessarius sit, præsertim in ordine naturalium actuum, vt nunc loquimur.

XLI. Video offerri hoc loco occasionem tractandi quamplures difficultates ad libertatem arbitrij pertinentes, præsertim illas quæ apud Theologos de diuina præscientia, prædefinitione, prædestinatione, B & gratia, & de illa maxime quæ in efficaci auxilio consistit, disputantur. Sed iam præmisimus, hoc loco nihil nos agere de actionibus supernaturalibus, nec de efficacia gratiæ, sed solùm de generali concursu primæ causæ cum secundis: ad quem negamus illam prædeterminationem esse necessariam, aut in causis liberis posse in concordiam redigi cum vsu libertatis earum. Nihilominùs tamen verum est Deum habere æternam præscientiam omnium quæ in tempore fiunt: quia non fiunt sine ipso agente, & ipse non agit nisi quæ cognoscit, quia per intellectum operatur: non cognoscit autem quicquam ex tempore, sed ex æternitate: ea autem cognitio non requirit Physicam prædeterminationem causarum, sed æternam præsentiam omnium quæ in tempore sunt. Similiter verum est, Deum posse sua voluntate æterna prædefinire effectus suę prouidentię consentaneos: posse item voluntates hominum mouere quo vult, & quando & quomodo vult: atque ita posse etiam & sępè conferre hominibus auxilia efficacia gratię iuxta mensuram voluntatis suę: sed hęc non pertinent ad concursum C generalem. Quomodo autem fiant, ad supernaturalia Theologicę mysteria pertinet. Id vnum credimus ad ea omnia non esse necessariam prędeterminationem Physicam liberi arbitrij, neque aliquid simile quod arbitrij ędat libertatem: sed de his aliàs.

XLII. Num sine prædeterminatione Physica fiet subordinatio causæ secundæ ad primã. Quintò dicebatur illa conditio necessaria propter subordinationem causæ secundæ ad primam, quasi non possit vera subordinatio intelligi sine aliqua impressione (vt sic dicam) causæ primæ in secundam, quæ sit quasi vsus eius. Veruntamen argumenta facta sub nomine motionis, applicationis, &c. procedunt de quacunque reali impressione, aut quauis alia voce significetur. Deinde quòd ad subordinationem nihil hoc deseruiat, ita ostendo. Nam subordinatio inter causam secundam & primam duplex intelligi potest. vna est radicalis, seu aptitudinalis: quæ in hoc tantùm consistit, quod causa secunda non est apta ad agendum nisi dependenter à causa prima. Radix autem huius subordinationis ex parte ipsius causæ secundę est dependentia essentialis quam habet à Deo in suo esse. Ex parte verò cuiuscunq; effectus vel actionis quæ potest manare à causa secunda, radix est esse ens per participationem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

tionem, quod non potest esse nisi ab ente per essen- A
tiam. Ad hanc igitur subordinationem, est quidem necessaria illa actio causę primæ in secundâ, quâ dat & conseruat illi esse & virtutem agendi: illa verò sufficit, neq; est alia per se necessaria: quia ex vi huius posita est tota radix & causa illius subordinationis in actu primo.

XLIII. Alia verò est subordinatio in actu secũdo. Quòd autem hæc etiam non requirat nouam actionem, qua causa prima conferat secundæ aliquid per modũ principij actualis, vt vocant, duobus modis ostendo. Prior est, quia hęc actualis subordinatio non est denominatio intrinseca in causa secunda, per se loquẽdo. Quod patet, quia solùm in hoc consistit; quod causa secunda pendeat à prima in agendo: si ergo ipsum agere vt sic non est denominatio intrinseca in causa agente, dependentia in ipso agere vt sic non erit denominatio intrinseca, sed extrinseca, in hoc consistens quòd ipsamet actio causæ secundæ pendet essentialiter à prima causa tanquam à primo ac præcipuo fonte sui esse: ergo vt secunda causa quatenus actu agens est, essentialiter subordinetur primę, nõ est necesse vt aliquid nouũ per modum principij B
in se recipiat, quia secundum hanc rationẽ non subordinatur vt recipiens, sed vt agens: ergo subordinatio hæc posita est in ipsa actione, quatenus essentialiter pendet à prima causa.

XLIV. Secundò idem declaratur, nam licet admittamus causam primã aliquid efficere in secundam per modum principij, adhuc causa secunda, vt affecta toto illo principio præcisè cõcepto, est subordinata causæ primæ solùm in actu primo: ergo in actione oportet vt actualiter subordinetur per nouam dependẽtiam in agendo, vt in superiorib. probatum est: ergo subordinatio actualis agentis vt agens est, non cõsistit in illa prævia actione, quę tantum ad constituendum vel complendum actum primum pertinet, ergo, quamuis supponatur constitutum sine illa actione, per solam effectionem & conseruationem causæ ac virtutis eius, adhuc manebit integra subordinatio actualis in agendo.

XLV. Tertiò declaratur hoc ipsum exemplis: nam calor, verbi gratia, subordinatur formæ ignis in agendo ignem, non quia aliquid in se recipit à forma, dum agit, præter suam entitatem, sed propter dependentiam actionis ab illis duobus principiis ita inter se constitutis vt vnum sit sub altero, id est vt sit inferius illo, & posterius illo, & pendens ab illo. Similiter in supernaturalibus sacramentum, verbi gratia, baptismi est subordinatum Christo in agendo, non quia in actuali actione aliquid in se recipiat, iuxta probabiliorem opinionem. Et similia exempla multa facilè possent inueniri. Igitur neq; ex vi subordinationis necesse est, aut fieri potest, vt concursus primę causę cõsistat in aliquo, quod per modum actus primi detur causę secundæ in ipsa actuali actione.

Satisfit aliarum opinionum fundamentis.

XLVI. EX iis quæ diximus, probando nostram sententiã, virtute responsum est ad fundamenta contrariæ sententiæ: vt tamen declaremus quo sensu intelligẽdæ sint grauium authorum locutiones; & quomodo cum solo concursu consistente in actione saluentur locutiones illæ ac denominationes, necessarium erit ad singula figillatim respondere.

Exponitur axioma illud, Causa secũda non agit, nisi mota à prima.

AD primum ergo dicitur primò, axioma illud, XLVII.
Causa secunda non agit, nisi mota à prima, intellectum in ea proprietate, quòd causa, præter suum esse, & omnem virtutem agendi connaturalem quam habet, indigeat nouo motu vero ac reali in ipsa recepto vt agat, falsum esse, vt probatum est. Neque inuenitur in eo sensu ab Aristotele alicubi traditum. Vnde etiam est falsum, in illo principio sic intellecto fundari, vel reductionem omnium motuum ad primum motorem, vel omnium entium ad primum ens. Nam illa argumentatio fundatur, vel in physica experientia & ordine sensibilium motuum, vel in proportionali dependentia omnium effectuum à suis causis, nõ verò in illa occultissima præmotione, nulla ratione fundata. Itaque discursus Physicus Aristotelis fuit, omne quod mouetur ab alio moueri; omnesque motus inferiorum corporũ aliquo modo reduci ad motum cœli: cœlum autem ipsum moueri ab alio: atque ita cùm non procedatur in infinitum, sistendum esse in aliquo primo motore. Discursus autem Metaphysicus proportionalis erit, omne ens quòd non est à se, manare ab alio: & illud aliud, si non sit à se, rursus esse ab alio, cumque non possit procedi in infinitum sistendum esse in ente à se. Et proportionali modo poterit discursus fieri inter agentia vt sic, ex vi essentialis dependẽtiæ à nobis explicatę: nã quod nõ est agens à se, reducendũ est in aliud in quo nitatur in agendo, donec sistatur in aliquo quod à se sit agens; & in nullo alio nitatur. Denique fieri potest discursus naturalis ex sensibilibus motibus corporum vniuersi, per quos res istæ corporeæ ita applicantur ad agendum vel patiendum, sicut necesse est ad conseruationem vniuersi: nam hoc est signum, hæc omnia ab vno supremo principe gubernari. Illa ergo propositio in dicto sensu nec vera est, neq; ad prædictas reductiones necessaria.

Continet igitur illa propositio Metaphoram & XLVIII.
Analogiam quandam sumptam ex artificialibus instrumentis, vt probè notauit Fonseca libro quinto, C
Metaphysicor. capite secundo, quæstione nona, sectione secunda. Nam quia videmus hæc sensibilia instrumenta, quæ à nobis in agendo pendent, & nobis subordinantur, non agere nisi mota à nobis, ideò ad explicandam subordinationem & essentialem dependentiam in agendo causarum secundarum à prima, dicuntur causæ secundæ non agere nisi motæ à prima. Proprius autem sensus est, illas non agere nisi adiutas à prima, vel (quod idem est) vt cooperantes primę. Adde præterea necessarium esse, vt causa secunda habeat esse datum & conseruatum à prima. Et hic continuus influxus ipsius esse, vel virtutis actiuæ potest dici quasi continua quędam motio ipsius causæ secundæ à prima. Rursus, si causa secunda indigeat aliqua noua applicatione locali, aut excitatione vitali ad agendum, illam etiam habet à causa prima, vel per causas secundas operante, vel interdum ab ea sola: sæpè enim ita operatur, non ex vi generalis concursus, sed ex aliqua peculiari prouidentia. Quo sensu loquitur Scriptura in testimoniis ibi citatis, quæ proinde nõ sunt ad rem. Atque hoc etiam sensu verificari aliquo modo potest, causam secundam nõ agere nisi motam: nam si est spiritualis, agit prævia actione

Vnde dicat originem locutio de motione secundarum causarum à prima. Fonseca.

actione immanente quam in se recipit, & ita mutatur: si verò sit corporalis, indiget propinquitate locali, quam recipit per aliquem motum, vel qui tunc fit, vel qui anteà præcesserit. Vnde aliqui ex authoribus citatis, præsertim Augustinus, non dicunt causas secundas moueri dum agunt, vel moueri ad agendum, sed omnem causam secundam ita esse actiuam, vt etiam passiua sit, & mobilis aliquo motu: in quo non explicant aliquam conditionem, quam tales causæ requirant ad agendum, sed imperfectionem & potentialitatem quam natura sua habent. Quod etiam est satis vt intelligamus deueniendum esse ad aliquam causam, quæ ita agat vt nihil pati possit.

Exponitur hæc locutio, Causa secunda applicatur à prima ad agendum.

XLIX. AD secundum, ita est explicanda illa propositio: *Causa secunda applicatur à prima*, sicut illa, *Mouetur ad agendum*. Et quidem Diuus Thomas, qui maximè videtur illa locutione vsus 1. part. quæst. 105. a. 5. inprimis ipsam vocem corrigit, quia non simpliciter appellat causam primam *applicantem*, sed *quasi applicantem* secundam. Deinde ibi non meminit alterius concursus vel motionis, sed tantùm illius applicationis. Vnde quod in 1. 2. vocauit auxilium Dei mouentis, in prima parte appellauit applicationem primę causæ. Et vtrumq; nihil aliud est quam ipse actualis concursus, ne dicamus Diuum Thomam hunc aut ignorasse, aut tacuisse, quod & per se est absurdum, & repugnat eidem Diuo Thomę dicto articulo quinto ad secundum, vbi ex illa applicatione concludit, vnam & eandem esse actionem primæ & secundæ causæ: quod solùm est verum propter concursum per modum actionis, vt sequenti sectione declarabitur.

L. Ipse ergo actualis & immediatus concursus actionis, sicut per translationem dicitur motio, ita etiam dicitur applicatio, vt significetur dari à prima causa vt à superiori, & ab ea dirigi & ordinari ad fines à se intentos, quod est quoddam applicationis genus. Et hoc probat ratio tacta in illo secundo argumento, & nihil aliud. Magisque intelligetur ratio illius vocis seu applicationis, si distinxerimus duplicem applicationem, aliam prævuiam vt conditionem requisi- C
tam, de qua non potest illud intelligi, vt ostensum est: aliam vocare possumus actualem seu formalem, intimè inclusam in ipsa actione: sic enim, qui actionem inchoat, dicitur tunc se applicare ad actionem: quæ applicatio non est aliud, quàm exhibitio illius actionis: hoc ergo modo vocatur applicatio ipse concursus primæ causæ: tamen illa applicatio nõ est à sola prima causa, sed etiam à secunda, adiuuante prima, & sub hac ratione etiam applicante. Sub hac enim ratione applicationis significatur actio secundum primam emanationem à suo agente: & ideò, vt significetur, Deum concurrere ad illam secundum omnem rationem eius, dicitur Deus applicare causam secundam ad agendum. Et hęc satis sunt ad illam locutionem.

Quid sit, causam secundam agere in virtute primæ.

LI. ALia verò locutio in eodem argumento posita, scilicet *quòd causa secunda agit in virtute primæ*, seu *quod virtus diuina est virtus omnis causa agentis*: & aliæ si- A
miles quæ habentur libro de Causis, exponuntur verbis Diui Thomæ 3. contra Gentes, capite 70. vbi D Thom.
sic ait: *Virtus inferioris agentis pendet ex virtute superioris, in quantum superior dat inferiori virtutem agendi, vel conseruat eam.* Et infrà: *Oportet igitur quod actio inferioris agentis non solum fit ab eo per virtutem propriam, sed per virtutem omnium superiorum agentium: agit enim in virtute omnium.* Agere ergo in virtute nihil aliud est, quam agere per virtutem participatam à superiori virtute, & dependenter in sua actione ab actuali influxu eius. Et eodem modo dicitur virtus diuina virtus omnium causarum, quia omnes conseruat & omnes actu adiuuat. Hæc ergo duo sufficiunt, & per se requiruntur ad veritatem similium locutionum.

Verum est, Diuum Thomam q. 3. de potentia, a. 7. LII.
addere tertium, nimirum, virtutem instrumentalẽ fluentem, quam recipit causa secũda à prima, vt agat tanquam instrumentum eius: differtè enim hanc numerat tanquam distinctam ab applicatione, & ab efficientia seu conseruatione ipsius causæ secundæ & virtutis eius. Existimo tamen Diuum Thomam tacitè retractasse illam doctrinam in 1. p. vbi exquisitè B
tractans omnem modum quo causa prima operatur cum secunda, illam virtutem omisit, quod facere nõ potuisset in proprio ac præcipuo loco, si existimasset esse per se necessariam ad concursum primæ causæ: & similiter 3. cont. Gent. cap. 70. illius non meminit. Nec discursus quem facit in dicto articulo 7. de potentia est efficax. Fundatur enim in eo, quòd causa secunda non potest efficere esse existentiæ nisi per modum instrumenti: quòd, propriè & in rigore loquendo de instrumento, verum non est, vt in solutione ad quintum attingam, & latiùs infrà disputando de essentia creaturæ.

Ad tertium respondetur, illam excitationem cõ- LIII.
mentitiam esse, nisi Metaphoricè ipsamet naturalis inclinatio ad agendum dicatur excitatio: illa autem inclinatio non est per actionem distinctam ab illis, quibus causa secunda & virtus eius conseruantur, & adiuuantur. Ad rationem verò ibi propositam re- Agentium quæ actione perficiantur.
spondetur, agentia creata dum agunt, non perfici perfectione distincta ab ipsa actione: neq; vllus vnquam Philosophorum aliquam priorem perfectionem excogitauit. Actio verò ipsa ab ipso Deo est immediatè, nõ tamen ab illo solo, sed cum ipsa causa secunda. Quòd si talis actio sit immanens in agente, cerit perfectio eius intrinseca: tale enim agens habet vim se ipsum perficiendi, cum debito & accommodato concursu primę causę. Si verò actio sit transiẽs, quæstio est an secundum aliquid sui maneat in agẽte; vel an, licet omnino transeat in passum, etiam ibi sit dicenda perfectio agentis: de quibus suo loco dicemus, nam ad præsens nil referunt: quicquid enim horum dicatur, sufficit ad hanc perfectionem concursus primę causę per modum actionis.

Quarta & quinta ratio, cum omnib. quę in eis tã- LIV.
guntur, tractata sunt, & expedita inter probandam secundam assertionem, præter duo puncta, quę in quinta ratione insinuantur. Vnum est causas secundas non agere vt instrumenta primę, quod est facilè, nam licet interdum ita appellentur, ad indicandam dependentiam, quam in operando habent à prima Causæ secũdæ cur dicãtur instrumẽta primæ.
causa, tamen non sunt propriè & rigorosè instrumenta, sed causę principales in suo ordine: nã per propias virtutes, & in suo ordine sufficientes, agunt, & effectus sibi similes producunt, vt notauit D. Thom. quæstione 24. de veritat. articulo 1. ad quartum &

Universidad de Deusto
Biblioteca

quintum,& Scotus in 4.d.1.quæstione 1.ad vlt.& superiùs explicando diuisiones causæ efficientis idem declarauimus. Omitto,etiam in rigorosis instrumẽtis non esse necessarium,vt,priusquam agant, in se recipiant à causa principali aliquid per modũ principij,à sua entitate distinctum, de quo aliàs. Aliud punctum erat de ordine prioris & posterioris natura, qui inter actiones causæ primæ & secundæ intercedit,de quo dicam sect.seq.

LV. Ad sextum fundamentum, simpliciter negatur assumptum,nimirum perfectiùs concursurũ Deum, si concurrat influendo aliquid actuale per modum principij: non enim cõsistit maior perfectio in multiplicatione entitatum, principiorum,aut influxuũ, alioqui essent hæc infinitè multiplicanda.Sed consistit maior perfectio in hoc,quod singula fiant in debito pondere, numero & mensura. Duo ergo spectant ad summam perfectionem causæ primæ vt operantis & cooperantis in causis & cum causis secũdis:vnum est,vt nihil virtutis vel actus primi,vel cõditionis requisitæ quæ verè sit aliquid, reperiatur in causa secunda,quod non sit datum & conseruatum à prima:aliud, vt actio creaturæ fieri non possit sine actuali immediato influxu causæ primæ. Multiplicatio autem principiorum agendi, vel conditionũ necessariarum, per se non pertinet ad perfectionẽ, generatim loquendo, sed ibi tantùm addenda sunt talia principia, vbi specialis aliqua ac vera causa & necessitas,vel saltem vtilitas intercesserit.

In quo sita perfectio causæ primæ cõcurrentis cum secũdis.

LVI. Ad primam itaq; probationem respondetur idẽ esse,causam secundam pendere à prima in causando, & pendere in actione sua, seu (quod idẽ est) in causalitate sua: nam si pendet in suo esse,& in tota virtute sua, & vlteriùs in actione & causalitate sua,in quo alio pendere debet, aut potest? Nam quod ibi additur de hoc complexo,*causam secundam agere*,nihil nouum est, nam creaturam agere, nihil est aliud,quam actionem ab illa prodire. Vnde prima causa efficiendo hanc actionem,efficit illam vt prodeuntem à tali causa.Nam licet habitudo actionis ad causam secundam, præcisè concepta non respiciat Deum vt terminum illius habitudinis, tamen vt est aliquid in re, ab ipso Deo fit, sicut etiam passio vt passio nõ respicit Deum, fit tamen à Deo:hoc igitur modo creaturam agere,est etiam à Deo.

Causam secundam agere,quomodo à Deo.

LVII. Atque idem est de illa locutione, *Prima causa facit vt secunda faciat*: si particula *vt* nihil aliud denotet, quàm collationem virtutis,& Physici concursus necessarij ad operandum. Si verò denotet peculiarem habitudinem finis, ita vt significetur, primam causam peculiariter intendere omnem actionem causæ secundæ in particulari, est quidem id sæpè verum, non tamen est semper necessarium, aliquas enim actiones non intendit, sed permittit: & tunc non propriè in eo sensu facit Deus vt creatura faciat, sed permittit vt faciat, eique facienti cooperatur. Vnde non pertinet ad perfectionem primæ causæ, vt in vniuersum & ad omnia concurrat illo modo, sed potiùs est præter sapientiam & bonitatem eius. Atque ita potest argumẽtum in contrarium retorqueri, nam ex opposita sententia sequitur, Deum in vniuersum facere vt faciant, etiam ij qui malè faciunt: quia per propriam actionem suam à sola sua voluntate prodeuntem eos determinat vt ita faciãt: de qua ratione dicemus plura in sectione quarta. Alio tandẽ ac morali modo dicitur Deus facere vt homines faciãt,illustrationibus,& inspirationib⁹:quomodo in Scriptura reperitur illa locutio,non tamen pertinet ad concursum primæ causæ,sed ad ordinem gratiæ vel specialis prouidentiæ diuinæ,cuius consideratio non est huius loci.

LVIII. Qualiter Deus vtatur causis necessarijs.

Quod tandem in eo argumento dicitur, ad perfectum dominium primæ causæ pertinere vt vtatur causis secundis ad suos ipsius fines, verissimum est: falsò tamen & sine fundamento fingitur,hunc vsum consistere in hoc, quod semper agat circa creaturam aliquid distinctum ab ipsa, & à naturali virtute eius. Potest quidem Deus interdum hoc modo augere virtutem agendi,si velit,vel supplere quidquid creaturę defuerit,tamen quod hoc semper sit necessariũ, non pertinet ad dominium, vel conuenientem vsum creaturarum, sed faciliùs vtetur Deus creaturis suis, si intelligamus dedisse illis completas virtutes in suo genere, & conditiones omnes requisitas cum quibus, si ipse suum concursum adiungere voluerit, facient illæ quod ipse decreuerit: quod est vti illis ad agendum.

LIX. Qualitercũq; bene.

Quamquam hic modus vtendi causa secunda peculiare aliquid requirat in causa libera, nam illa, positis omnibus prærequisitis ad agendum, & præparato etiam concursu Dei eo modo quo explicabimus sectione quarta, non statim operatur vnum determinatè,& ideò,si Deus vti illa vult ad aliquem determinatum effectum, habet peculiarem modum, moralem potiùs quàm Physicum, quo id facit. Interdum propriè agendo ac mouendo, vt in bonis, interdum sinendo ac permittẽdo, vt in malis. Quod spectat ad illam infinitam Dei sapientiam, qua prænoscit quid causa libera in quacunque occasione,& cum quibuscunque circumstantiis operatura sit: quòd ampliùs exponere non est huius loci. Illud solùm aduerto,cùm Deus concurrit cum voluntate creata ad actum malum, non propriè vti voluntate ad illum actum (absit enim, quòd Deus illum actum intendat) sed vtitur voluntate sic malè agente, ad aliquod bonum,quod pertinet & ad perfectum dominium,& ad infinitam Dei bonitatem & sapientiam.

LX. Creaturæ actio quomodo ad dominij Dei pertineat.

Ex quo tandem intelligitur, non semper actionẽ creaturæ pertinere ad vsum posituum dominij Dei: sed partitione vtendum esse:nam quatenus illa actio est à Deo, pertinet propriè ad vsum dominij eius, quia ex eius potestate & libertate pendet: quatenus verò est à voluntate creata, si sit bona, & conformis voluntati Dei, erit etiam ex positiuo vsu dominij eius, quatenus illam imperat, vel ad illam mouet. Si verò sit mala, erit tãtùm ex vsu negatiuo,quia nimirum illam non impedit,cùm possit.

SECTIO III.

Quomodo comparetur concursus Dei ad actionem causæ secundæ,& ad subiectum eius.

I. Dubitandi vtrinque ratio.

VLta in hoc titulo comprehenduntur, quæ necessaria sunt ad declarandum exactiùs, quid sit hic concursus Dei: possuntq; ex dictis in sect. præcedenti absq; opinionum & argumentorum multitudine, breuiter expediri. Primum est, an concursus Dei, & creaturæ, sint vna actio, vel plures. Nam quòd sint plures, indicat tum multitudo principiorum, tum ordo naturæ, quo censetur prior Dei concursus quàm creaturæ. Quod verò sit vna, videtur conuincere, tum immediatus influxus Dei in actionem ipsam creaturæ,tum quòd ad actionem non est actio.

Actionem

Actionem causæ primæ & secundæ vnam esse.

D.Thom. Atque hæc posterior pars est sine dubio vera:eamque expresse docet D. Thom.1.part.quæst. 105.art. 5. ad secundum, vbi simul respondet ad primam rationem dubitandi à nobis positam dicens: *Vna actio non procedit à duobus agẽtibus* (supple *tot alibus*) *vnius ordinis: sed nihil prohibet quòd vna & eadem actio procedat à primo & secundo agente.* Adde,imò necessarium est: quia ab vtroque essentialiter & immediatè in suo genere pendet. Idem habet D.Thom.3.cont.Gent. cap.70. & Ægid.in 2.distinct.1. quæst.2.art.6. & ibi Capreol.quæst.2.art.3. ad argum. Durand. contra 6. concl.Denique ad hac sententia nullus qui rectè sẽtiat de diuino concursu, in re dissentit, tamen vt intelligatur diuersitas quæ esse potest in modo explicandi, aduerto de actione Dei transeunte duplicem esse opinionem.

Capreol. Ægid. Durand.

III. Actio qua Deus cõcurrit, num immediatè influat in causam secundam.

Quidam asserunt actionem Dei nunquam esse formaliter transeuntem, sed solam Dei voluntatem esse actionem eius, eam verò actionem quæ in extrinsecam materiam transit, non comparari ad Deũ vt actionem, sed vt effectum actionis eius:iuxta quẽ loquendi modum distinguuntur maximè actio Dei & actio creaturæ,tanquam res increata & creata.Nihilominùs tamen verum est, etiam iuxta hanc sententiam, actionem creaturæ per se ipsam immediatè manare non solùm à causa secunda, sed etiam à virtute,vel actione interna Dei, siue illa actio creaturæ comparatione Dei dicenda sit actio, siue effectus eius,quod ad nomen pertinere potest. Vnde ad tollendam æquiuocationem dici potest in ea opinione, concursum interdum Dei distingui ab actione creaturæ: concursum autem externum seu transeuntem esse idem cum actione causæ secundæ, siue in illa sit per modum actionis, siue per modum primi effectus. Alia opinio & verior est, quam suprà defendimus, actionem transeuntem, & manantem à Deo esse verè actionem Dei, voluntatem autem eius,potiùs concurrere per modum principij: atque ita tum in re, tum in modo loquendi, est euidens vnam & eandem esse actionem causæ primæ & secundæ.

IIII. Quod ita vlteriùs demonstro, quia si in illo effectu sunt duæ actiones, vna solius Dei, & altera causæ secundæ, terminatæ ad vnum & eundem effectum, interrogo an actio causę secundę sit à sola illa,& non à Deo per se & immediatè. Et hoc dici nullo modo potest:aliàs sequitur, effectum solum causæ secundæ fieri à prima,non tamen actionem ipsam: cõsequẽs est omninò falsum, & incidens in opinionem Durandi suprà tractatam. Et ideò Diuus Thomas & alij Theologi non solùm docent, esse Deum causam per se & immediatam in suo ordine omnium effectuum creaturarum, sed etiam omnium actionum, & ita etiam loquitur Scriptura, cùm Deo tribuit omnes operationes & motus creaturarum: & Ioannis 1.dicitur, *Sine ipso factum est nihil:* actio autem creaturæ vt sic aliquid est, non ergo fit sine actuali influxu Dei. Et ratione patet, quia vel actio creaturæ in re non est aliquid distinctum ab effectu eius: & sic necesse est vt ab eisdem causis manent, quia sunt idẽ. Vel est modus ex natura rei distinctus ab effectu. Et sic habet aliquam rationem realem, quã necesse est immediatè pendere à Deo, eadem vel maiori ratione, qua cætera entia per participationem: quia illud esse,quod habet secundum modũ suum, est esse diminutum & participatum, ac proinde per se pẽdens à primo ente.Si verò dicatur, actionem causæ secundæ non esse à sola illa, sed simul esse per se & immediatè à prima causa:ergo est vna & eadem actio vtriusq; causæ,quod intendimus: & superflua est alia distincta actio quæ sit à sola causa prima ad eundem effectum, quia per priorem actionem sufficienter influit in illum in suo ordine.

D. Thom. Deus est causa omnium effectuũ & actionum creaturæ.

V. Dicetur fortasse actionem causæ secundæ esse etiam à prima, tamen diuerso modo:nam à secunda est immediatè per se ipsam:à prima verò est per aliam actionem propriam solius Dei, transeuntem etiam & extra Deum existentem: ita enim loquimur nunc. Sed hęc multiplicatio actionum impertinens est, & contra omnem rationem Philosophicam:nam ad actionem transeuntem nõ est alia actio, præsertim ęt transiens:alioqui in infinitum procedemus. Petam enim de illa priori actione quę dicit esse à solo Deo, an sit per aliam actionem etiam transeuntem, vel per se ipsam. Si per aliam, procedemus vlteriùs, & sic in infinitum: si per se ipsam, idem dicetur meliùs de prima actione quæ sicut per se fluit à causa secunda, ita per se ęt fluat à prima: quia nulla est repugnantia quòd per se fluat ab vtraq; cùm sint diuersi ordinis, vt D.Tho. suprà dixit. Nec maior assignari potest in hoc,quòd per se ipsam procedat à prima causa,quàm in eò quòd procedat per aliam actionem: imò hoc posterius multò magis repugnat, nam est contra rationem actionis vt sic esse terminum alterius actionis. Relinquitur ergo vt cõcursus Dei ad extra nihil aliud sit quàm ipsamet actio causæ secundæ,vt per se & immediatè fluens à prima.

Actio causæ secundæ per se ipsam à Deo pendet.

Sitne actio causæ secundæ ab actione primæ.

VI. Atque hinc facilè expeditur aliud punctum ad hanc sectionem pertinẽs, scilicet an actio causę secundę dici possit fieri, manare,aut esse à concursu vel actione causæ primæ, vel è conuerso actionem causæ primæ causare actionem causæ secundæ. Videntur enim omnes authores ita loqui, idq; videtur pertinere ad vniuersalem influentiam causæ primæ, Item actio creaturæ est à Deo: ergo pendet ex actione Dei. Deniq; hac ratione diuina actio est prior natura quàm actio creaturæ.

Capreol. Dicendum verò est cum Capreolo in 2. distinctione 1. quæstione 2. articulo 3. ad septimum Aureoli contra sextam conclusionem, actionem Dei posse sumi pro actu immanente, seu volitione ipsius Dei, vel pro actione exteriori. Priori modo procedũt rectè argumẽta facta. Quo sensu non solum actio causæ secundæ,sed etiam actio transiens causæ primæ, & quando operatur cum creatura, & quando sola operatur, procedit, & pendet ab actione interna ipsius Dei. Et eodem sensu videtur sumendum quod D. Thom.ait in 3.d.23. quæst.3. art.1. actiones omnium secundorum agentium fundari super actione primi agentis: quia omnes fundantur aliquo modo in diuina voluntate. Tamẽ iam in superioribus diximus, hunc actum internum voluntatis Dei non habere propriam rationem actionis, quæ dicit fluxum & tẽdentiam ad terminum: sed habere potiùs rationem principij, quia vel est ipsa omnipotentia Dei, vel ſ ratione distinguantur, habet se vt applicans omnipotentiam Dei ad agendum. D.Thom.

VIII. Posteriori autem modo,exterior actio Dei & creaturæ vna & eadem est, vt diximus. Et ideò secundũ eam rationem nõ potest actio creaturæ manare, aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

pendere propriè ab actione Dei, neque è conuerso actio Dei potest propriè causare actionem creaturæ, quia idem non causat se ipsum, nec pendet à se ipso. Item quia actio vt actio solùm est causa sui termini, & non est causa nisi per modũ viæ: actio autem Dei non est via ad actionem creaturæ, sed ad effectum, neq; actio est terminus actionis. Ad vniuersalem igitur influxum primæ causæ solùm spectat, vt omnis actio causæ secundæ procedat à voluntate & potentia ipsius primæ causę, non verò quòd procedat per aliam actionem externam, sed potest procedere per se ipsam immediatè à voluntate seu virtute Dei. Vnde quando actio creaturę dicitur pendere ex influxu vel concursu Dei, vel sumitur concursus pro immanente & interno actu, quatenus influit in actionem externam; vel locutio non debet sumi transitiuè (vt sic dicam) nisi secundum rationem. Propriùs enim dicetur actionem creaturæ esse etiam à Deo, & vt sic esse ipsum concursum Dei ad actionem causę secũdę, à qua non est aliud secundum rem sed tantùm secundum rationem vel respectum.

Sitne ordo naturæ inter actionem causæ primæ, & secundæ.

IX. HInc rursus dissoluitur facilè tertium punctum sæpius tactum, de prioritate naturæ inter actionem Dei, & actionem creaturæ. Est enim distinguendum primò de actione interna & externa, vt loquamur cum multis, in sensu dicto. Secundò de prioritate naturæ: nam quædam est quæ consistit in propria causalitate, & dependentia vnius ab alio: alia, quæ solùm consistit in maiori quadam dignitate, vel vniuersalitate, independentia, aut alia proprietate simili. Comparando ergo actionem creaturæ ad internam Dei actionem, clarum est actionem Dei esse priorem natura vtroque modo, scilicet, & dignitate, & causalitate: nam hoc modo actio creaturæ verè pendet ab actu Dei. In hoc autem sensu non solùm actio creaturæ vt sic, sed etiam ipsamet actio Dei exterior, est posterior natura, quàm interior actio Dei, nam verè causatur ab illa. Et hoc sensu ferè loquuntur authores, cùm dicũt, actionẽ causæ primæ, esse priorem natura actione causæ secundę secundum causalitatem, vt patet ex Capreolo suprà. Neque obstat, quòd actio Dei hoc modo non solùm natura, sed etiam tempore & æternitate est prior actione creaturæ, quia in his locutionibus non consideratur actio Dei interna secundum solam entitatem absolutam eius, sed vt connotat actualem influxum in creaturam. Quomodo dicunt multi, creationem actiuam esse ex tempore, etiamsi realiter sit immanens: quia actualis influxus quem connotat, est temporalis; & sub ea etiã ratione dicitur esse prior natura, etiamsi sit simul tempore cum effectu.

X. At verò loquendo de actione externa tam Dei, quàm creaturæ, sic non potest vna dici prior natura quàm alia prioritate causalitatis, quia, vt ostensum est, cùm sint vna & eadem actio, non potest inter eas intercedere vera causalitas. Nihilominus tamen, distinguendo secundum rationem illam actionem, vt est à causa prima, vel vt est à secunda, dici potest per prius ac principalius esse à prima quàm à secunda: & simili modo dicetur causa prima prius natura influere in illam actionem, quam secunda. Primò, quia causa prima altior est, & nobiliori, magisque independenti modo influit in effectum. Secundò, quia causa prima respicit per se primò actionem illam sub quadam vniuersaliori ratione: nam causa prima influit in quemlibet effectum vel actionem ex eo præcisè quòd aliquid entitatis participat: causa autem secunda semper influit sub aliqua posteriori, magisque determinata ratione entis. Vnde fit tertiò, vt influxus causæ primæ ex se & ex suo genere dicatur etiam prior subsistendi consequentia, quam inter prioritates naturæ Aristoteles posuit: nam influxus causæ primæ absolutè non pendet à causa secunda, sed quãtum est ex suo genere potest esse sine illa, non verò è conuerso. Atque ad hunc modum explicuit hanc prioritatẽ seu subordinationem Caiet. 1.p. quæst. 14. art. 13. & insinuat Scotus in 1. distinct. 39. & in 2. distinct. 37. Caiet. Scotus.

XI. Explicatur quædam positio ex iis, de Cauſ. excepta.

Atq; eisdem modis exponitur illa locutio lib. de Caus. proposit. 1. quæ talis est, *Causa prima prius agit in causatum, & vehementius ingreditur ipsum*: vbi D. Tho. etiam in Commentario eandem interpretationẽ adhibet, adiungens ex Proclo, *Causam primã prius influere, quia causa secunda non agit nisi virtute eius.*

In quo subiecto sit concursus causæ primæ.

XII. QVartum punctum huc spectans, est, an concursus causæ primæ recipiatur in secunda, vel in effectu eius. Quæ interrogatio solùm habet locum in concursu transeunte: nam immanens non recipitur in subiecto, sed est ipsa volitio Dei subsistens. Vt ergo abstrahamus ab opinionibus, formaliter respondendum est iuxta dicta, concursum Dei in eo subiecto esse, in quo est actio causæ secundæ. Patet, quia in re non distinguuntur: ergo nec subiecto distingui possunt. Quocirca si omnis actio causæ secundæ est in ipsa, vt quidam volunt, in eadem erit concursus causæ primæ, & per illam transiet ad effectum vel ad passionem seu fieri effectus, eo modo, quo (iuxta illam sententiam) agens media actione quam in se recipit, influit passionem in aliud. Iuxta veriorem autem doctrinam, quæ docet actionem trãseuntem esse in passo, & in agente immanentem, dicendum est, concursum Dei in actionem transeuntem non esse aliquid in causa secunda receptum, sed in passo: concursum verò ad actionem immanẽtem recipi in ipso agente, quatenus in eo recipitur actio eius. Et vtraque pars constat satis ex dictis, neq; nouam continet difficultatem.

SECTIO IIII.

Quo modo Deus præbeat concursum suum causis secundis.

I. DEclarauimus hactenus an sit, & quid sit concursus Dei cum causis secundis, nunc superest vt exponamus quo modo Deus tribuat vel offerat hunc concursum causis secundis. Simulque declarabitur quo modo causa prima & secunda conueniant & coniungantur ad eundem effectum & eandem actionem efficiendam. Neque est difficultas in coniunctione quasi locali seu per indistantiam aut præsentiam entitatum: sic enim facilè intelligitur Deus ratione suæ immensitatis coniũgi posse omnibus causis secundis ad operandum cum illis, quia est intimè præsens per essentiam in omnibus illis, & in omnibus effectibus & actionibus earum.

Quæstio-

Quæstionis difficultas aperitur.

II. SEd difficultas est de coniunctione ad causandum vnum & eundem effectum, eandemque actionem: nam quando duæ causæ conueniunt ad eandẽ actionem efficiendam, vel casu & contingenter concurrunt, vel ex instituto ac per se. Prior autem ex his modis non potest attribui concursui causæ primæ cum secunda, tum quia hoc repugnat perfectioni diuinæ prouidentiæ & operationis, tum etiam quia aliàs non esset subordinatio per se in causa secunda ad primam, vel omnis operatio causæ secundæ casu & per accidens eueniret. Posterior item modus habet difficultatem, quia si duæ causæ ex instituto conueniunt ad eandem operationẽ, vel id est, quia ambæ subordinãtur alicui superiori quę illas simul applicat; quod hîc locum non habet, vt per se constat. Vel quia ambæ sunt natura sua determinatæ ad ita operandum hîc & nunc, quod hîc etiam dici nõ potest, quia nec causa prima est sic determinata natura sua, nec causa secunda, saltem ad indiuiduum effectum, vel actionem. Vel quia vna ex peculiari intentione sua determinat effectum & actionem efficiendam, & consequenter determinat etiam aliam causam ad cooperandum eidem actioni. Et hic modus non videtur posse hîc habere locum, quia nec causa secunda potest ita determinare primam, vt per se notum videtur, neque è conuerso potest ille modus agendi tribui causę primæ respectu secundæ: tum quia aliàs causa prima moueret & applicaret secundam ad agendum, quod negauimus: tum etiam quia aliàs determinatio actionis nullo modo esset à causa secunda, quod omnes negant; tum denique quia aliàs causa secunda nihil aliud agere posset, nisi id quod agit, quia ad nihil aliud habet concursum Dei, sine quo nihil agere potest.

Resoluitur quæstio quoad causas naturales.

III. HÆc difficultas respectu causarum secundarum naturaliter agentium facillimè expediri potest aduertendo, absolutè & simpliciter loquendo Deũ voluntate sua prębere hunc concursum causis secũdis: nam agit vt intellectualis causa, quæ à nullo potest absolutè cogi, aut necessitari ad agendum: nihilominùs tamen secundum quid dici, concurrere ad modum naturæ. Idque dupliciratione, primò, quia in concurrendo sese accommodat naturis rerum, & vnicuique præbet concursum virtuti eius accõmodatum: secundò, quia postquàm decreuit causas secundas efficere & conseruare, infallibili lege cum eis concurrit ad earum operationem, quæ lex si absolutè sumatur, nullam supponendo particularem & definitam Dei voluntatem, non inducit necessitatem, sed solùm est quasi debitum quoddam connaturalitatis. Vnde interdum Deus dispensat in ea lege negando huiusmodi concursum. At verò suppositaefficaci voluntate Dei concurrendi cum hac causa ad hanc actionem hîc & nunc, iam ex necessitate prodit actio tali tempore & loco, tam à causa secũda, quàm à prima: sed respectu secundæ est necessitas naturalis: respectu autem primæ, est tantùm necessitas ex suppositione seu immutabilitatis.

Quare dicatur Deus cũ causis necessario agentibus concurrere per modum naturæ.

IIII. Hoc ergo supposito, facilè explicatur modus quo prima causa præbet concursum suum his causis secundis: nam Deus ex æternitate sua, sicut decreuit has res producere & non alias, & hoc tempore, & cũ hoc ordine, & cum his motibus &c. & non alio modo; ita etiam decreuit cum eisdem rebus concurrere ad earum actiones iuxta capacitatem earum. Et quia, sicut scientia Dei est distinctissima & in particulari de omnibus, ita & voluntas distinctè & in particulari omnia decernit, & ad singula descendit iuxta vniuscuiusq; capacitatem, & indigentiam, ideò in præbendo hoc concursu ex æternitate etiam decreuit in particulari concurrere cum hac causa tali tempore, tali loco, & circa tale subiectum, ad talem actionẽ & effectum in indiuiduo, & in tali tempore ad aliam, & sic de omnibus. Dico autem semper *ad talem actionẽ*, quia non satis esset determinatio ad vnum numero effectum, eò quòd possit idem effectus fieri per diuersas numero actiones, vel fortasse etiã specie: determinando autem actionem, consequens est, vt necessariò determinetur effectus, quia non potest eadem actio numero tendere ad alium terminum, nisi ad illum, cum quo identificatur.

V. Vtnon casu concurrat causa prima cum causis necessariò agentibus.

Atque hinc fit primò, causam primam & secundã conuenire non casu, sed per se & ex instituto ad eandem actionem efficiendam, quòd maximè prouenit ex modo operandi primæ causæ, seu ex scientia eius & prouidentia. Neque ad hoc est necessaria alia motio causæ secundæ, sed sola hæc voluntas Dei quasi præparantis & offerentis concursum iuxta leges suæ diuinæ sapientiæ & prouidentiæ. Addendum est tamen, hãc determinationem concursus quantum ad duo, habere fundamento in natura causæ secundæ. Primò etenim, quia est talis virtutis, ideò decreuit Deus dare illi concursum talis speciei, & quoad hoc, vt suprà notaui, dicitur determinare concursum Dei quoad specificam rationem, nõ quia absolutè determinet voluntatem Dei ad dandum talem concursũ in specie: sic enim solus Deus se voluntariè determinat sed quia est obiectiua ratio postulans talem concursum. Secundò ad eundem modum, quia talis causa est naturaliter agens, ideò etiam Deus absolutè & definitè vult cum illa concurrere. Et quoad hoc dici potest eodem sensu causa secunda determinare concursum primæ quoad exercitium, quia natura sua hîc & nunc determinatè postulat exercitium talis actionis. At verò determinatio quoad hanc indiuiduam actionem, & effectum non videtur posse fundari vllo modo in causa secunda, nam eadem numero hîc & nunc in hoc subiecto potens est ad plures effectus numero distinctos producendos, nec magis postulat concursum ad vnum, quàm ad alium: & ideò determinatio concursus, & actionis quoad hanc partẽ, soli primæ causæ tribuitur, vt probabiliter docuit Gregor. in 1. distinct. 17. q. 4. artic. 2. ad 7. Et suprà dictum est. Gregor.

VI. Causæ naturales dũ hoc agunt, & in sensu diuiso, nil aliud facere possunt.

Secundò sequitur ex dictis has causas naturaliter agentes in eo instante vel tempore quo agunt, simpliciter & pensatis omnibus, nihil facere posse nisi illam rem in specie & in indiuiduo, quam faciunt. Et de specie quidem est res clara, quia habent virtutem determinatam ad talem effectum in specie: determinatam (inquam) vel simpliciter, vt in causis particularibus & vniuocis, vel saltem hîc & nunc circa hanc materiam sic dispositam, vel cum aliis causis simul concurrentibus. De indiuiduo verò id probatur ratione superiùs facta, quia licet naturale agens habeat potentiam actiuam plurium effectuum in indiuiduo, tamen illa potentia per se sola est insufficiẽs sine cõcursu Dei: & ideò, si illum non habet, non cõstituet rẽ in potentia proxima, sed remota ad agẽdũ: sic n. ignis priuat' cõcursu Dei, nõ dicet simpliciter

Universidad de Deusto
Biblioteca

potens, imò absolutè dicetur impotens ad sic calefaciendum. Sic igitur, quia huiusmodi causæ tantùm habent paratum concursum Dei ad vnum numero effectum, solum illum possunt absolutè facere, potentia nimirum proxima, quæ includit, non tantùm nudam facultatem agendi, sed etiam omnia prærequisita ad operandum.

VII. Qui concursus diuinus ad posse, qui ad agere requiratur.

Dices. Concursus est ipsa actio, actio autem non requiritur ad posse, sed ad agere, ergo concursus non requiritur ad posse. Respondeo, aliud esse loqui de concursu ipso in se & in actu secundo, de quo præcedit obiectio, & quantū ad id rectè cōcludit; aliud verò esse loqui de concursu in actu primo, & in proxima applicatione: quo modo dicimus requiri ad posse simpliciter: qui cōcursus nō consistit in actione, sed in diuina virtute seu voluntate, vt proximè applicata, & quasi coniuncta in tali tempore cum causa secunda ex vi sui æterni decreti ad concurrendum cū illa, quam alij etiam vocant præparationem seu oblationem concursus.

VIII. Concursus Dei multiplex pro causarum secundarum varietate.

Tertiò infertur obiter ex dictis, concursum Dei non esse vnum & eundem cum omnibus causis secundis, sed variari iuxta diuersitatem causarum secundarum: quia Deus ita cum illis concurrit, vt sese accōmodet vnicuiq; iuxta eius indigentiā. Et ideò sicut ad effectus numero diuersos tribuit concursus numero distinctos, ita a d actiones specie diuersas, concursus tribuit specie distinctos. Et cōfirmatur apertè ex suprà dictis, nam concursus Dei ad extra non est aliud, quàm ipsa actio, & ad eundem intrinsecum terminum tendit: ergo pro varietate actionum erit etiam varius concursus. Non potest ergo verè dici esse eundem concursum Dei ad omnes actiones causarum secundarum, nisi sit sermo, vel de cōcursu interno seu voluntate qua Deus concurrit, vel de idētitate solùm proportionali, quoad modum & generalem rationem ob quam omnes causæ secundæ indigent concursu, scilicet, quia sunt entia & agentia per participationem.

IX. Deus se solo aliter ac cum causa secūda in effectum influit.

Imò hinc etiam licet obiter inferre, aliter Deum influere respectu eiusdem effectus, si se solo illum efficiat, aliter cum causa secunda: quia cùm se solo agit, adhibet influxum per se sufficientem ad effectum: cùm verò concurrit cum causa secunda, accommodat talem actiuitatem, quæ per se sola non sufficeret sine causa secunda: quod est manifestum ex dictis, quia non vult agere nisi ea actione quæ sit communis causæ secundæ. Quamuis autem ille idem effectus posset esse à solo Deo, & ideò influxus Dei ad talem effectum absolutè & secūdum se posset esse sine causa secunda, tamē talis actio, quę est à causa secunda, nō potest esse sine illa, & ideò neq; cōcursus quem Deus præbet ad talem actionem, est solus absolutè sufficiens ad effectum, sed tantùm in suo genere. Cuius oppositum videtur opinari Cordu. q. 55. dub. 4. tamen, si attentè legatur, in re non discrepat. Satis ergo ex his constat, quo modo Deus præbeat concursum suum naturalibus agentibus.

Corduba.

Tractatur & explicatur difficultas in agentibus liberis.

X. HAbent autem quæ diximus, summam difficultatem in agentibus liberis: quia si prima causa eodem modo determinat illis concursum, quo cęteris agentibus, non magis erunt indifferentia in vsu suarum actionum in particulari, & in potestate proxima, quę includit omnia prærequisita ad operandū quàm cætera agentia, & ita nunquam habebunt vsū & exercitium libertatis. Antecedēs declaratur quoad vtramque partem, nam Deus vt causa prima per voluntatem suam coniungitur causæ secundę ad cooperandum illi, quæ voluntas est æterna, & præueniens causam secundam: est autem absoluta & efficax, nempe qua Deus vult talem effectum esse, quia Deus per solam hanc voluntatem ad extra operatur: sed hęc volūtas secum trahit ad operandū causam secundā, ita vt non possit illi resistere: ergo ex hac parte determinatur ad vnum quoad exercitium à causa prima, causa secunda, etiamsi libera sit. Et confirmat hoc, nam vt duæ causæ liberæ per se ac certa lege cōcurrant ad vnum opus, non satis est vnius propositū & voluntas præueniens, nisi efficaciam habeat in alteram trahendi illam quò vult: ergo si in præsenti concursu solùm præcedit voluntas Dei, qua efficaciter vult cōcurrere cū causa secunda ad talē effectū, vt effectus per se sequatur, necesse est voluntatem illam Dei habere efficacitatem in causam secundam liberam, vt illam secum trahat ad operandum: & ita tollitur indifferentia in exercitio actionis. Rursus, cùm Deus per illam voluntatem definit concursum dandum, ad vnam tantùm rem illum definit, quia non vult plures effectus, sed vnum tantùm: ergo ex hac parte tollitur etiam indifferentia quoad specificationem seu varietatem actionum. Et confirmatur, nam dictum est primam causam definire concursū suum ad indiuiduum & singularem effectum; quæ necessitas etiam habet locum respectu causæ secūdæ liberæ, quia non potest ipsa eligere vnum indiuiduum actum præ aliis eiusdem speciei.

XI. Varia doctorum sententia.

In hac difficultate explicāda multa scribūt Scholastici Doctores. Et quidam eorum admittere planè videntur totum id quod in difficultate tacta supponitur de modo quo Deus per voluntatem suam præbet hunc concursum causis secundis. Quod maximè videtur sentire Scotus in 1. distinct. 39. §. Viso de contingentia & dist. 41. §. Primum istorum, & §. Sed cōtra. & dist. 47. in fine: & quodlib. 14. liter. S. & sequūtur Scotistæ, præsertim Bassol. in 1. dist. 38. art. 2. & distin. 39. art. 2. & Maironis d. 38. quæst. 1. art. 4. & quæst. 3. Richard. etiam d. 38. art. 1. quæst. 5. idem supponere videtur, dum ait, Deum in sua voluntate sufficienter cognoscere omnia futura. Quod etiam asseruit ibi Durand. quæst. 3. etiamsi alias non requirat concursum Dei ad actiones causarum secundarum. Multique Thomistæ moderni hanc opinionem sequuntur, & D. Thomæ attribuunt. Sed apud eū nulla eius mentio fit in tota doctrina sua; neque aliquid afferre possunt præter ea quæ sect. 2. tractauimus & expositimus: & quæ de motione humanæ voluntatis à Deo tractat idem D. Thom. 1. part. quæ. 82. art. 2. & quæst. 104. art. 3. & 4. & quæst. 105. art. 4. & 12. quæst. 9. & 10. præsertim art. 4. ad. 3. & quæst. 109. in primis articulis, præsertim a. 6. ad 3. Sed in his omnibus locis nunquam explicuit illum modum dandi generalem concursum, sed ad summum vocat illum motionem voluntatis humanæ „ & sæpè non loquitur de illo, sed de aliis modis quibus Deus pōt moraliter mouere voluntatem, præsertim per auxilia gratię, quę ad præsens non spectant.

Scotus. Basol. Mairon. Richard. Durand. D. Thom.

XII. Qualiter satisfaciant prædicti authores difficultati proposite.

Supposita autem hac sententia, duobus modis respondent authores eius ad propositam difficultatem. Prior est, illam voluntatem Dei, qua determinat concursum ad actionē causę secundę, esse ex libertate eiusdem voluntatis, & ideò nō impedire, sed conseruare similē libertatem in causa secūda, si aliquis illam habeat. Hęc respōsio habet fundamētū in doctrina Scoti, qui, vt suprà vidimus, ob hanc causam asseruit, si Deus ageret ex necessitate naturæ, ablaturū concursu seu motione, qua mouet causam secundam, libertatem eius, nunc autē nō auferre, quia liberè agit. Veruntamen hæc responsio nō satisfacit; libertas enim Dei conferre potest, vt tribuat cōcursum accommodatum causæ secundę, & libertati eius. Si autē concursus vel motio talis est, vt si à Deo tribueretur ex necessitate naturæ, necessitaret voluntatem creatam, etiamsi liberè à Deo detur, necessitabit illam, vt suprà probaui, quia si motio est eadem, eundem effectum habet in causa secunda: respectus autem liber ad causam primam faciet, vt actio sit libera causæ primæ, non verò causæ secundæ. Sic igitur in præsenti parum refert, quòd Deus liberè præbeat concursum modo suprà explicato, nam inde solùm habetur actionem esse liberam Deo, non verò ipsi causæ secundæ, quia difficultas proposita videtur ostendere illum modum concurrendi tollere indifferentiam eius. Et confirmatur, nam Deus potest necessitatem inferre voluntati creatæ, & nihilominus liberè eam inferet: & tunc actio erit libera Deo, voluntati autem creatæ necessaria: ergo respectus libertatis ad causam primam non satis est, vt actio sit libera causæ secundæ, nisi modus mouendi illam & concurrendi cū illa talis sit, vt sit accommodatus ad conseruandū vsum libertatis eius: ergo ex sola libertate diuina, non satis soluitur prædicta difficultas.

XIII. Alia enodatio difficultatis.

Alia responsio est, Deum, licet agentibus naturalibus & liberis definitum concursum tribuat per suam voluntatem, tamen diuerso modo tribuere: nam agentibus necessariis vult dare concursum quo necessariò agant, liberis quo liberè agant: & ita non solùm vult Deus actionem, sed etiam modum actionis: & quia ad vtrumque est efficax diuina voluntas, ideò vtrumque simul præstat. Et propterea de diuina prouidentia dicitur, quod *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quæ responsio habet fundamentum in D. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 8. ad 2. & aliis locis, vbi docet ad efficaciam diuinæ voluntatis pertinere, vt quod vult, fiat, & eo modo quo vult. Quæ doctrina ita generatim sumpta, certissima est, tamen etiam est certum, cùm Deus vult aliquid fieri certo quodā modo, pertinere ad sapientiam & efficaciam eius, applicare causas accommodatas ad illum modum operandi: repugnaret enim sibi ipsi si vellet aliquid fieri tali modo, & alioqui impediret vel tolleret causas ad illum operandi modū. Hoc ergo est, quod in præsenti inquirimus, quomodo cùm Deus velit causam secundam liberè & cum indifferentia agere, possit illi concursum suum definire, quin in hoc inuoluatur repugnantia. Vnde non satis est dicere, ad efficacitatem & suauitatem diuinæ prouidentiæ illa duo coniungere; sed vel explicare oportet quo modo in illis non sit repugnantia, quod per eam responsionem non fit, vel quærendus est alius modus, quo efficaciter & suauiter possit Deus mouere creaturam, vt faciat, & liberè faciat.

D. Thom.

XIV. Authoris responsio ad præcedentem difficultatē.

Propter difficultatem ergo propositam censeo cū aliis multis, Theologis taliter esse explicandum modum, quo Deus suum concursum præbet, vel offert causis liberis. Qui modus in duobus differt ab illo, quem in agentibus naturalibus explicuimus. Primò in determinatione quoad exercitium, quia nimirum Deus ex vi illius voluntatis, qua statuit præbere concursum causæ liberæ, non omnino absolutè statuit vt causa libera illum actum exerceat, neque simpliciter vult illum actum esse, sed quasi sub intellecta conditione vult illum actum esse, quantum est ex se, & ex parte sui concursus, quem præbere statuit, & ad illum ex vi talis voluntatis applicat potentiam suam, si tamen causa secunda seu voluntas creata, ad illum etiam se determinet, & in illum influat: semper enim potest non influere pro sua libertate.

Fundaturque hæc differentia, primò in diuersis modis operandi connaturalibus his agentibus. Agentia enim naturalia, natura sua sunt determinata ad exercitium suarum actionū: & ideò, vt suprà dicebam, prima causa se illis accommodans, absolutè definit illis concursum: agentia autem libera non sunt ita determinata natura sua ad exercitium suarum actionū: cùm ergo Deus vnicuique det concursum modo accommodato naturæ eius, his etiam agentibus offert concursum sine omnimoda determinatione ad exercitium. XV. Prima ratio.

Secundò hoc videtur conuincere ratio facta: nam si Deus offerret hunc concursum absoluta & efficaci voluntate physicè determinatiua, & effectiua talis actus, necessariò secum traheret causam secundā: quæ necessitas esset absoluta respectu talis causæ, quia licet esset ex aliqua suppositione, illa tamen esset omnino antecedens, & ita efficax, vt inferior causa nullo modo posset ei resistere. XVI. Secunda.

Tertiò, quia licet actualis cōcursus non sit ex prærequisitis ad agendum, sed incluſus in actione, tamen concursus in actu primo, seu (quod idem est) habere ita oblatum & præparatum cōcursum, vt sit in potestate hominis habere illum si velit, est vnum ex necessariò prærequisitis ad agendum, vt suprà probātū est. Quia re vera non intelligitur alia ratione quo modo sit in proxima potestate hominis, inchoare suam actionem. Ergo debet hic concursus ita offerri, & per talem voluntatem causæ primæ, vt eo sic posito, adhuc sit in potestate causæ secundæ liberæ cum eo operari, vel non operari: quia aliàs non saluatur hæc indifferentia cum omnibus prærequisitis ad agendum; quod est de ratione liberæ actionis. Ergo necesse est vt intelligatur offerri per voluntatem includentem cognitionē, prout à nobis declarata est. Nā, si esset omnino absoluta, non posset illa oblatio concursus non transire ad exercitium seu actum secundum. XVII. Tertia.

Quartò hoc est maximè necessarium propter actus malos voluntatis creatæ. Dici enim non potest, Deum ex se, absoluta voluntate sua, statuere vt hi actus omnino fiant à causa secunda: aliàs non tantùm illos permitteret, sed etiam vellet; quod alienum est à sana doctrina. Præterea, quia alioqui prima radix & origo mali nostræ voluntatis in Deum reduceretur, nam cùm voluntas Dei simpliciter sit prior, illa semper determinabit voluntatem creatam vt velit: semper voluntas creata vult, quia Deus vult illam velle: ergo etiam cùm vult malū, ideò vult, quia Deus vult eam velle. Prima ergo radix omnis malæ voluntatis in diuinam refunderetur, quod impium est. XVIII. Quarta.

Nec satisfaciet qui responderit hęc omnia esse vera, & admittenda de volūtate mala pro materiali, nō verò pro formali, id est, quatenus mala est. Nam in præsenti vnum ex altero sequitur: quia actus liber voluntatis creatæ circa hoc obiectū, & cum his circūstantiis haberi non potest, quin habeat concomitantem malitiam; qui ergo vult voluntate absoluta illum actum elici à voluntate creata circa hoc obiectum, & cum his circumstantiis: & præsertim si ita vult, vt secum trahat voluntatem creatā ad illum actum exercendū, planè vult moraliter, seu virtualiter malitiam XIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

malitiam necessariò coniunctam illi actui, & est radix & causa eius. Secus verò est si Deus offerat concursum per voluntatem illam includentem conditionem, vt à nobis explicata est: nam tunc simpliciter non vult actum malum, nec determinat aut trahit voluntatem creatam ad exercitium eius, sed solùm offert illi concursum, quo influit in actum voluntatis creatæ, dum ipsa elicit illum. Et hæc est potissima differentia ob quam Deus iustè vult permittere actum peccati, vt est à voluntate creata, quem tamen vt sic velle non potest, vt latiùs explicant Theologi statim citandi.

XX. Quinta. Quintam rationem adhibere possumus, quia Deus potest necessitare voluntatem creatam, etiam cum ab obiecto, intellectu, aut aliqua intrinseca dispositione necessitatem non pateretur, vt in superioribus visum est, non apparet autem modus quo possit efficaciùs Deus inferre necessitatem quoad exercitium voluntati creatæ, quàm absoluta voluntate sua efficaci, & operatiua ad extra trahendo creatam voluntatem, vt id velit, quod ipse vult eam velle. Ergo è conuerso, cùm Deus vult ita concurrere cum voluntate creata, vt illam ad exercitium non necessitet, nõ dat concursum per voluntatem ita absolutam, & efficacem: ergo præbet per voluntatem accommodatam libertati humanæ voluntatis, atque adeò ineludentem ex parte illius virtualem conditionem, qualem explicuimus. Atque in hunc modum explicarunt ferè omnes antiqui Theologi modum concurrendi Dei cum causa libera, quos statim referam, declarata priùs secunda differentia suprà proposita.

XXI. Secundum discrimen in modo concursus diuini cum causis liberis, ac cũ necessariis. Est ergo aliud discrimen inter modum quo diuina voluntas offert concursum naturalibus, & liberis agentibus, quia illis solùm ad vnum actum præbet concursum: his autem ad plures actus offert sufficientem concursum, quãtum est de se, quod rectè probat difficultas superiùs posita. Et præterea probari potest, applicando cum proportione ferè omnes rationes factas in præcedenti. Primò, quia Deus præbet vnicuique causæ secundæ concursum modo accommodato naturæ eius: Sed hæc est natura causæ liberæ, vt positis cæteris omnibus cõditionib. prærequisitis sit indifferens ad plures actus: ergo debet etiam recipere in actu primò concursum modo indifferente: ergo debet quantum est ex parte Dei illi offerri concursus non tantùm ad vnum actum, sed ad plures. Secundò, quia aliàs voluntas creata nunquam esset proximè potens ad plures actus efficiendos: ergo nunquam esset liberà quoad specificationem actus. Patet secunda consequentia ex dictis suprà de causa libera. Prima verò sequela patet, quia non est causa secunda proximè potens ad aliquem effectum, nisi habeat paratum concursum primæ causæ ad illum. Et ideò paulò anteà dicebamus naturalem causam semper esse proximè potentem ad vnum tantùm singularem effectum, quia ad illũ solùm habet præparatum Dei concursum.

XXII. Tertiò est euidens argumentum, quia voluntas creata nihil potest velle sine Dei concursu: ergo nisi aliquo modo habeat in sua potestate Dei concursum ad plures actus, nunquam potest simpliciter & proximè elicere quemlibet illorum actuum: nunquam autem potest habere Dei concursum in manu & potestate sua, nisi priùs & antecedenter habeat illũ oblatum, quantum est ex voluntate Dei, quia non datur, nec dari potest nisi per Dei voluntatem. Neque etiam voluntas creata, potest quasi præuenire volũ- A tatem diuinam, vel aliquid efficere quo illam trahat ad dandum generalem concursum: quia nihil potest volũtas creata efficere sine ipso concursu. Volũtas ergo dandi concursum, semper debet antecedere, nec respectu illius, saltem in prima volitione, potest voluntas creata aliquo modo præuenire diuinam. Si ergo illa voluntas diuina definitur ad vnum tantùm actum, seu concursum eius, voluntas creata illum solùm efficere potest potentia proxima, neque habet concursum ad alium in potestate sua, & consequenter idem est de cæteris, quæ vel ad illum consequuntur, vel per se fiunt eodem genere concursus.

XXIII. Quartò hic etiam applicatur efficacissimè ratio sumpta ex actibus malis: nam incredibile est Deum velle concurrere cum voluntate hominis hîc & nunc ad actum malum, & ad illum bonum, etiam quantũ est de se. Neque enim id refundi potest in voluntatẽ ipsius peccatoris, quia voluntas concurrendi Dei omnino antecedit voluntatem peccatoris, & omnem vsum liberum eius. Considero enim hominem actu cogitãtem de obiecto prauo cum omnibus circumstantiis prærequisitis, vt voluntas possit ei assentiri, vel dissentiri: neutrum autem potest facere per positiuum actum sine concursu Dei, & antequam alterutrum faciat, non potest ei imputari, quòd Deus hoc vel illud velit circa concursum illi dandum: ergo si Deus proposuisset concurrere cum illo ad consensum malum, & non ad alium actum, hoc esset ex sola voluntate Dei, nec voluntati hominis posset imputari: quàm verò hoc sit alienum à diuina bonitate, omnibus considerandum relinquo.

XXIV. Authores qui præmissam modum amplectuntur. D. Thom. Hinc graues Theologi in hunc modum declarant concursum Dei cũ causa libera, tunc maximè cùm de concursu ad actum peccati loquuntur. Et sumi potest ex D. Thoma in 1. distinctione 47. q. 1. artic. 2. vbi ait, *aliquid fieri præter voluntatem Dei beneplaciti consequentem, quamuis nihil fiat contra eam*, quod dicit propter actum malum: dicitur autem voluntas consequens Dei, voluntas absoluta & efficax. Et ideò 1. 2. quæst. 89. artic. 1. ad 3. dicit, voluntatẽ Dei esse principium vniuersale interioris motus humani: determinationem autem ad talem actum malum, directè esse ex voluntate humana. Ac si diceret, Deum ex se offerre concursum indifferentem, determinari autẽ quasi materialiter ex cooperatione voluntatis liberæ. Et generaliter talem significat esse motionem vel concursum Dei cum causa libera 1. 2. quæst. 9. artic. 6. ad 3. & q. 10. art. 4. & 3. contra Gent. cap. 73. & 90. & quæst. 3. de potent. artic. 7. ad 13. & quæst. 5. de verit. art. 5. ad 1. Idem sentit Capreolus locis suprà citatis sect. 2. & præsertim in 2. distinct. 28. quæst. 1. artic. 3. ad 12. contra 2. conclusionem. Conradus expresse ac latè 1. 2. quæst. 79. artic. & Soto 1. de Natur. & grat. c. 16. qui expressiùs quàm cæteri Thomistæ, & generaliùs, ait Deum non concurrerere cum voluntate liberà per voluntatem beneplaciti, cui non potest resisti, sed voluntate alia, cui resisti potest: verba eius sunt: *Quidquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit, iuxta illud, Voluntati eius quis resistet: quãdo autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri nisi salua humana natura, & libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest.*

Capreol. Conrad. Soto.

XXV. Scotus. Scotus etiam licet locis suprà citatis aliter sentire videatur, tamen in 2. distinct. 37. *Ad solutionem istorũ*, vt declaret concursum ad actum peccati, dicit, *Causam secundam habere in potestate sua concausare & non concausare primæ: & si non concausat, vt tenetur, inde fieri vt non sit rectitudo in effectu cõmuni ambabus.* Vbi Lychetus expresse

Lychet.

expresse ita declarat diuinum concursum, & voluntatem Dei, per quam datur, & significat etiam Maironis in 2. dist. 43. quæst. 4. Vnde Vega lib. 6. in Trident cap. 7. ob hanc causam dicit, concursum Dei generalem esse immediatè in potestate nostra, etiã quando non operamur: idque existimat esse necessarium ad nostram libertatem. Idem tenet Corduba quæst. 55. dubio 8. & 10. quamuis de ordine naturæ inter causalitatem primæ & secundæ causæ minùs propriè loquatur.

Maironn. Vega. Corduba.

XXVI. Gregor. Gabriel. Marsil. Adam. Almain. Alens. D. Bonauen. Alij etiam authores ferè omnes ita declarant diuinum concursum, præsertim Gregor. in 2. dist. 28. quæst. 1. art. 3. ad 12. Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 2. art. 2. conclus. 4. & art. 3. dubio 1. & d. 87. art. 3. dubio 2. Marsil. in 1. quæst. 40. art. 2. part. 1. conclus. 4. in fine. Adamus in 3. dist. 14. quæst. 3. dubio 2. Almain. tracta. 1. Mor. l. cap. 1. Fauet etiam plurimũ Alex. Alens. 1. p. q. 24. memb. 5. & quæstio. 26. memb. 4. ar. 3. & quæst. 40. memb. 4. ad 3. Bonauent. in 2. dist. 37. art. 1. quęstione 1. ad vltimum & alij plures, quos breuitatis causa omitto.

Obiectiones contra superiorem doctrinam.

XXVII. QVÆ autem contra hunc modum explicandi diuinum concursum cum causis liberis obiici possunt, soluentur facilè ex his, quæ in superioribus tractata sunt. Primum esse potest, quia sequitur actũ liberum fieri absque absoluta & efficaci Dei voluntate, quod videtur repugnans: cùm omnes res pendeant ex hac voluntate Dei. Secundò, quia sequitur actum liberum quasi per accidens, vel contingenter fieri, respectu Dei, quia Deus ex se non præscribit quid ex suo concursu euenturũ sit, & quasi in incertum tendit in id, quod voluntas creata fecerit. Tertiò hinc videtur sequi Deum applicare suum concursum ad hos actus tantùm generali & confuso modo, scilicet, ad id, quod voluntas creata effecerit: hæc autem videtur esse magna imperfectio. Quartò sequitur, non habere Deum perfectam prouidentiam in particulari de his actibus liberis: quandoquidem non disponit de illis in particulari vt sint, vel non sint, sed solùm in confuso, relinquens determinationem in particulari causæ secundæ. Vnde vlteriùs fit quintò, vt determinatio talis actus, tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem omnino tribuenda sit causæ secundæ. Sextò, videtur hoc repugnare cum iis quæ suprà diximus, determinationẽ effectus indiuiduo peculiari modo procedere ex præfinitione primæ causæ: hoc enim non minùs necessarium est in actibus liberis, quam in aliis, quia cùm voluntas amat, non est in eius potestate eligere hunc actum amoris in indiuiduo potiùs quàm alium quem facere posset. Septimò, quia sequitur ex dictis posita voluntate Dei concurrendi cum voluntate creata ad actum eius, accidere posse vt actus non sequatur, etiamsi ex parte voluntatis sit virtus sufficiens & omnia alia requisita: eademque ratione fiet vt Deus & diuina voluntas ex parte sua eodem modo se habeat ad hominem cum quo non concurrit actu, & ad eum cum quo concurrit, quod est absurdum, cùm aliquid operetur in vno quod nõ operatur in alio.

XXVIII. Octauò, potest directè ostendi illum modum nõ esse necessarium; nam Deus in sua æternitate præscit quid voluntas creata volitura sit in quacunque occasione circa quoduis obiectum, & cum quibuscunque circumstantiis: ergo potest Deus absoluta voluntate vell e dare cõcursum ad illum solum actum, quem præuidet operaturam. Neque oportet vt ad alios actus, quos certè scit nunquã faturos, concursum offerat. Et eadem ratione necesse non est vt aliquam conditionem tacitè vel expresè apponat illi voluntati, quandoquidem iam præuidet conditionẽ illam, quæ ibi interuenire posset, futuram esse, nimirum quod voluntas creata cooperetur. Et ob eãdem causam per hunc modum concursus non tollitur indifferentia libertatis, quia & illa voluntas Dei ponitur cum aliquo respectu ad futuram cooperationem voluntatis, & Deus paratus effet ad dandum alium concursum, si voluntas aliud esset operatura.

Obiectionibus satisfit.

XXIX. AD primum respondetur, aliud esse actum liberum fieri sine absoluta Dei voluntate, qua velit, vt talis actus sit; aliud verò quòd Deus non concurrat ad talem actum ex illa absoluta voluntate. Ex nostra ergo sententia solùm sequitur hoc posterius, quod nos admittimus tanquam verissimum, quia vt Deus concurrat, sufficit voluntas concurrendi, quæ quantum ad id, quod se tenet ex parte Dei, est absoluta & efficax, quia ex vi illius, Deus applicat suam potentiam ad concurrendum, & re ipsa in tempore concurrit iuxta propositum eiusdem voluntatis. Tamen quia in obiecto illius voluntatis, vt ex ipso verbo concurrendi constat, comprehenditur concomitantia vel cooperatio alterius, ideò ex parte alterius subintelligitur conditio, sine qua illa Dei volũtas nõ habebit effectum ad extra, & ideò ex hac parte dici potest cõditionata. Cùm enim actio transiens qua Deus concurrit cum voluntate creata, pendeat tum à voluntate diuina, tum à creata, vt Deus ad illam concurrat, non est necesse, vt absolutè velit illam actionem, quatenus est ab vtroque principio, sed solùm quatenus est ab ipso, finendo aut concedendo alteri voluntati vt etiam ipsa influat, & cõsequenter subintelligendo conditionem cooperationis alterius voluntatis. Sic enim se gerit Deus circa malas voluntates. Propter quod dixit Augustinus 5. de Ciuit. cap. 8. 9. & fæpe aliàs, à Deo esse omnes potestates, non tamen omnes voluntates. Et Conc. Trident. sess. 6. can. 6. propter eandem causam definit; *Deum operari hos actus permissiuè solum.* Atque hinc apertè colligimus, ex vi generalis concursus & subordinationis necessariæ inter causam primam & secundam, dictam voluntatẽ concurrendi ex parte Dei sufficere, quidquid sit, an circa actus bonos ob speciales rationes habeat Deus alium modum absolutæ voluntatis.

Augustin. Tridentin.

XXX. Vnde altera propositio, scilicet, actum liberum fieri sine absoluta Dei voluntate, non sequitur ex nostra sententia, quia, quamuis illa voluntas non sit necessaria ad concursum, potest Deus alia ratione illam habere. Et in bonis quidem actibus habet illam Deus, siue illa sit præcedens scientiam per modum præfinitionis, siue subsequens per modum approbationis, hoc enim ad præsens nihil spectat. Circa malos autem actus non habet Deus illam voluntatem absolutam, quia Deus non vult simpliciter & absolutè hæc mala fieri, neque in eis, quæ futura præuidet, complacet simpliciter: repugnat enim bonitati eius: quamuis etiam non velit absolutè hos actus non fieri, sed velit eos permittere, vt rectè dixit Diuus Thomas 1. parte quæstione decimanona, articulo nono ad tertium. Et postquam præuidet esse futura, complacet in eis, quatenus ab ipso sunt, quod solùm est complacere de concursu, quem ad ea præbet.

Ad se-

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXI. Ad secundum respondetur negando sequelam, quia Deus ex certa scientia & voluntate sua concurrit cum voluntate creata ad quemlibet actum eius: & ideò non casu aut contingenter cum voluntate creata concurrit, sed ex sapientissima prouidentia. Et quamuis non semper absoluta voluntate præfiniat, quid voluntas creata operatura sit, non tamen propterea tendit in incertum, quia vel præfinit, vel saltem permittit quidquid talis causa secunda actura est, & videt etiam clarissimè & certissimè quid sit actura; & ad illud sua voluntate concurrit.

XXXII. Vnde etiam soluitur tertium inconueniens, negando sequelam. Non enim confusè, sed distinctè & in particulari applicat Deus voluntariè concursum suum ad hunc vel illum actum: semper tamen subintellecta conditione liberę cooperationis ipsius voluntatis creatæ. Hæc enim conditio non minùs habet locum in voluntate concurrendi distinctè & in particulari ad talem vel talem actum, quàm in confusa voluntate concurrendi, quam necesse non est Deo tribuere, nisi quatenus in voluntate concurrendi in particulari ad hunc vel illum actum includitur.

XXXIII. Quare minùs etiam sequitur, quod quarto loco inferebatur de imperfectione aut confusione (vt sic dicam) diuinæ prouidentiæ: de omnibus enim in particulari prouidet Deus, sed non de omnibus eodem modo. Vnde de actibus bonis qui futuri sunt, simpliciter & absolutè disponit vt sint: de malis autem, quamuis etiam in particulari disponat, non tamen simpliciter & absolutè vt sint, sed vt esse permittantur: & de illis quatenus iam futuri præuidentur, disponit Deus quomodo, vel curentur, vel puniantur. Sic ergo habet Deus de omnibus & singulis in particulari perfectam prouidentiam, vnicuique tamen accommodatam. Atq; ob hanc causam authores quidam graues antiqui, præsertim Græci, negãt hos actus malos esse ex prouidentia: quia per illam vocem peculiariter intelligunt illam absolutam dispositionem qua Deus non solùm permittit, sed absolutè vult vt aliquid sit. Vel, vt illa particula *ex prouidentia* satis indicat, solùm intendunt radicem & originem horum actuum malorum non esse ex diuina prouidentia, neque illi esse tribuendos tales actus vt propriæ causæ. Verum est, interdum extendere illum loquendi modum ad actus bonos: sed tunc strictiùs vtuntur ea voce, pro efficaci prædeterminatione Dei necessitatem inferente voluntati creatæ, vt exposuit D. Thom. 1. part. quæstione 23. articulo. 1. ad primum.

Origen. lib. 2. Periarch. cap. 12 Iustin. q. 8. ad orthodoxos. Chrysost. hom. 12. parte 1 motalis Theodor. lib. 5. diuin. decr. c. de prouidentia. Greg. Nis. lib. 7. Philosoph. c. 1. & li. 8. c. 4. seu Nemes. lib. de nat. homin. c. 39. & seq. Damas. 2. de fide cap. 29. & 30.

XXXIV. Ad quintum de determinatione voluntatis creatæ iam in superioribus dictum est, quo modo hæc determinatio possit aliquo modo tribui causæ secundæ: idem enim modus proportionaliter habet locũ in causa libera. Et maiori quadam ac peculiari ratione dicitur illa se determinare ad suam actionem. Nõ quia se determinet sine concursu Dei (illius enim determinatio non est aliud quàm eius volitio, quam constat fieri non posse sine concursu Dei) sed quia voluntas & potentia Dei vt sic applicata ad concurrendum, est quasi indifferens & expectans, vt iuxta vsum liberum voluntatis, ita illi cooperetur: quod non est ex imperfectione, sed ex sapientissima prouidentia Dei sese accommodantis causæ secũdæ. Vnde licet simpliciter concursus Dei sit prior natura, modo superiùs explicato, tamen secundum quid, & in suo genere potest hæc determinatio peculiari modo attribui causæ secundæ. Loquimur autem genera-

A ratim ex vi concursus; nam aliis modis, vel per alia auxilia sæpè est Deus principalis causa omnis bonæ determinationis voluntatis, & præsertim in iis quæ per gratiam fiunt, de quo alias.

XXXV. Ad sextum, concedimus determinationem actus vel effectus quoad indiuiduum præsertim oriri ex determinatione diuini concursus. Neque hoc repugnat cum iis quæ dicta sunt de concursu ad actus liberos: nam illamet determinatio concursus ad singularem, & indiuiduum actum potest esse ex voluntate non omnino absoluta ex omni parte, sed includente conditionem ex parte cooperationis liberæ humani arbitrij. Rursus ille concursus offerri potest non solùm ad vnum indiuiduum actum vnius speciei, sed etiam ad plures diuersarum specierum, vt ad hunc actum amoris, & ad hunc actum odij: atq; ita in singulis speciebus determinatur voluntas ad talẽ actum in indiuiduo, & nihilominus manet indifferens, vel ad vtendum concursu, aut non vtendũ, vel ad vtendum illo in hac vel illa specie.

XXVI. Ad septimum, concedimus priorem illationis partem, nempe post oblatum sufficienter concursum ex
B parte Dei, posse voluntatem non operari etiam in sensu composito. Neque hoc est maius inconueniens, quàm quòd posita Dei permissione adhuc voluntas possit non peccare, quod verum & necessarium est, quia permissio respicit potentiam causæ ad vtrumq; oppositorum se habentem, vt dixit D. Thom. in 1. d. 47. q. 1. art. 2. Denique, sicut positis omnibus prærequisitis potest voluntas operari & non operari, ita etiam sufficienter oblato ac præparato Dei concursu potest non operari cum illo, quia illud est vnum ex prærequisitis. Dico autem *oblato concursu transeunte, non autem in re posito*, quia tunc iam impossibile est in sensu composito, quin operetur voluntas, quia talis concursus nõ distinguitur in re ab actione eius. Quo sensu dixit Diuus Thomas 1. 2. quæst. 10. artic. 4. ad tertium. *Si Deus monet voluntatem, impossibile esse quin voluntas moueatur.* Hic enim concursus non est ex prærequisitis ad actionem, sed intrinsecè inclusus in ipsa actione.

XXXVII. Vnde ad alteram partem illationis negatur sequela, nam in eum hominẽ, qui actu operatur, Deus etiam actu influit, non verò in eum qui non operatur. Et ita non æquè se habet Deus ad vtrumq; quoad
C actionem externam respectu ipsius Dei. Si autem esset sermo de sola voluntate Dei ad intra, quæ offert concursum: fieri potest vt illa ex parte sua sit æqualis, & quòd in vno habeat effectum, & non in alio, ex libertate eorũ, quod nullum est inconueniens, quia in ipsa voluntate Dei inclusa fuit illa conditio, vt explicatum est. An verò in alia voluntate electiua aut præfinitiua, vel in aliquo auxilio ab ea manante sit semper inæqualitas, non est nostrum disputare.

XXXVIII. Ad octauum respondetur, præscientiam conditionatam, quæ in eo supponitur, quamque nos libenter admittimus, non impedire modum concurrendi à nobis explicatum, aut alteri locum dare. Nam, cùm Deus præscit quid voluntas creata facturá sit, si cum talibus circumstantiis applicetur, inter alias conditiones ponenda hæc est, scilicet, si Deus offerat sufficientem concursum, quia sine eo nihil potest operari. Hic autem sufficiens concursus, vt in hac conditionali inclusus, talis esse debet vt sit indifferens tum ad exercitium, tum ad speciem actus: & ideò nõ debet esse absolutè definitus ad vnum tantùm actum & exercitium eius. Quãuis ergo Deus præuideat quid voluntas operatura sit hic & nunc, si ipse præbeat concur-

concursum, necesse est vt eo modo præbeat quem A natura ipsius voluntatis postulat, quique in prædicta hypothesi intelligebatur inclusus. Quia si Deus mutaret modum concursus, iam non eodem modo sequeretur effectus. Igitur voluntas illa qua Deus offert concursum, ex se manet semper conditionata in virtute, quamuis ex præscientia æquiualeat absolutæ, quia præuidet Deus habituram effectum cõcurrente simul altera voluntate.

XXIX. Et eadem ratione non obstante illa præscientia, Deus quantum est ex se, offert concursum ad alios actus, quamuis illos non sit effectura voluntas creata, vt simpliciter possit illos efficere, nec per Deum stet quo minus illos efficiat. Sicut etiam Deus vult dare auxilia sufficientia iis, quos præscit non bene vsuros talibus auxiliis, vt simpliciter possint ita operari: quia aliàs non posset eis de facto imputari quòd non operarentur, si ob solam dictam præscientiam talibus auxiliis priuarentur. Imò hoc ipsum supponitur in illo argumento, cùm in eo dicitur, Deum esse paratum ad concurrendum ad alios actus, si voluntas creata eos esset factura, nam Deus non est sic paratus nisi per suam voluntatem, & liberam determinationem, B non quam in eo euentu esset habiturus; quis enim de illa iudicare potest? sed quam nunc iam habet. Offert ergo Deus causis liberis suũ concursum sufficientem, non solùm ad eos actus quos faciunt, seu facturæ sunt, sed etiam ad eos quos facere possent, si vellent.

SECTIO V.

Vtrùm causæ secundæ pendeant essentialiter in operari à sola causa prima aut etiam ab aliis.

I. VLTIMO loco videndum superest in hac disputatione, an sit proprium primæ causæ concurrere dicto modo cũ causis secundis ad operationes earum, & quòd ab illa cæteræ dependeant: an verò inter causas creatas sit etiam hæc dependentia, & hic concurrendi modus. Vbi etiam occurrit occasio declarandi communem distinctionem causarum efficientium in eas, quæ sunt per se & essentialiter subordinatæ & quæ sunt tantùm per accidens.

Ratio dubitandi.

II. NAm ex hac diuisione sumitur prima ratio dubitandi in proposita quæstione, quia non solùm causæ secundæ respectu primæ sunt essentialiter subordinatæ, sed etiam inter ipsas causas secundas causæ particulares sunt subordinatæ vniuersalibus: sed hæc subordinatio essentialis consistit in prædicta dependentia operationis vnius ab influxu alterius: ergo ille modus dependentiæ non est tantùm respectu primæ causæ. Maior videtur sumi ex Aristot. 2. Metaph. vbi probans non esse processum in infinitum in causis efficientibus per se ordinatis, supponit non tantùm inter duas, scilicet primam & secundam, sed inter plures esse aliquam subordinationem. Atque hinc 2. Physic. text. 26. ait, *Sol & homo generant hominem.* Et 2. de Generat. text. 55. hac ratione vocat Solem *procreandarum rerum authorem*; & sect. 26. Problemat. q. 35. eum vocat *authorem & parentem motuum.* Et sect. 11. q. 5. ait, *Solem esse qui omnia mouet.* Ac denique 2. de generat. text. 56. & 12. Metaphysic. text. 34. motum cœlorum dicit esse causam omnium generationum & corruptionum, & 1. Meteoror. c. 9. hoc peculiariter attribuit motui Solis. Similiter D. Aristot.

Tho. 3. cont. Gent. c. 67. ait corpora inferiora agere in virtute corporũ cœlestiũ. Et lib. 4. c. vlt. ait generationẽ & corruptionẽ inferiorũ corporum ex motu cœli causari. Deniq; omnes Philosophi ita videntur sentire de cœlorum causalitate, & ideò eos appellant causas vniuersales respectu inferiorum omnium. D. Thom.

Varij quæstionis sensus.

III. VT quæstionem hanc ad certa capita reducamus, aduertendum est, posse fieri comparationem, aut inter causas suppositaliter distinctas, quæ vocantur causæ vt quod; vel inter virtutes eiusdem causæ, seu eiusdem suppositi. Quæstio ergo hæc præcipuè tractatur in priori sensu: & ideò de illo primùm dicemus; aliquid verò addemus de posteriori, vt plena habeatur resolutio. Deinde est obseruandum, aliud esse loqui de causis partialiter cõcurrentibus ad eandem actionem in eodem ordine, aliud verò de causis essentialiter subordinatis, cum intrinseca dependentia vnius ab alia in operando. Prioris modo certum est sæpè concurrere plures causas creatas ad eandem actionem vel effectum; quod potest aliquando esse per accidens ex fortuito concursu causarum, alioqui per se sufficientium: aliquando verò potest esse per se, & ex institutione naturæ. Et hoc modo sæpè concurrunt plura astra ad vnum effectũ, quia singula per se nõ sufficerent. De hoc igitur modo partialis concursus nulla est difficultas, imò fortasse cœlorum concursus magna ex parte ita intelligendus est, vt inferiùs dicam.

IIII. In priori ergo sensu tractatur præsens quæstio. In qua tota difficultas est de dependentia inferiorum corporum à corporibus cœlestibus. Nam de substantiis immaterialibus est res certa non pendere per se in operando ab aliquo agente creato: quia ab illo non pendent in esse, neq; in facultate seu virtute operandi: ergo neque illi subordinantur in agendo. Rursus de ipsis corporibus cœlestibus eadem ratione certum est, non pendere per se in actionibus suis ab aliis agentibus creatis, quia ab illis non pendent in esse: operatio autem sequitur esse & imitatur illud. Item quia cœli non pendent per se in actionibus suis ab intelligentiis creatis, quia neque ab illis pendẽt in esse aut in virtutibus suis, neque illæ possunt per se efficere in corpora aliquid præter motum localẽ. C Dices, Saltem mediante motu potest actio cœli pendere ab intelligentia. Respondeo, iuxta veriorem Vide Sonc. 12 Metap. q. 13. sententiam illum motum solùm deseruire ad actionem cœli per modum applicationis ad diuersa corpora: illa autem dependẽtia non est per se, sed per accidens, vt constat. Quod si verum est cœlum esse instrumentum intelligentiæ mouẽtis ad aliquas actiones, quoad illas erit dependentia essentialis: tamẽ re vera nullæ sunt huiusmodi actiones, vt suprà tetigimus: quia neq; in intelligentia est virtus principalis ad huiusmodi effectus corporales efficiendos; neq; solus motus localis potest per se deseruire ad communicandam hanc virtutem.

V. Et eadem ferè ratione vnum cœlum non pendet ab alio per se in actione sua, quia neque esse, neque virtutem agendi habet vnum ab alio. Dices, cœli non agunt nisi per astra: hæc verò non agunt nisi per lumen, quod non habent nisi à sole: ergo omnia pendent à sole in virtute agendi, & consequenter in actione. Respondetur primò negando minorem, sed vnumquodq; astrum habet propriam virtutẽ innatam & cõnaturalẽ per quam influit, nam sicut habẽt formas proprias specie diuersas, ita ad illas consequuntur

Universidad de Deusto
Biblioteca

quuntur propriæ virtutes & facultates specie diuersæ. Neque est verisimile, aut omnia astra habere virtutem agendi per accidens extrinsecum, & accidentario illis aduenientem, aut eandem luminis qualitatem, ex eo solùm quod in diuersis subiectis recipiatur, habere tam varios & diuersos effectus, quàm habent astra diuersa: sed de hoc aliàs. Et præterea, quicquid de hoc sit, non pendebit à sole actio lunæ, v. g. illuminatæ, nisi prout pendet ab igne actio aquæ calefactæ: quæ non est dependentia immediatè ex subordinatione essentiali, sed dependentia tantùm remota: qualis est in omni effectu respectu causæ remotæ, quæ dedit virtutem operandi causæ proximæ.

Vide Ferrar. 3. cont Gent. cap. 84.

VI. Præterea nulla relinquitur quæstio de dependentia inferiorum agentium corporalium ab intelligentiis: quia ex dictis à fortiori constat per se ab illis nõ pendere, sed ad summum per accidens vt ab applicatibus actiua passiuis: & hoc etiam modo non semper, neque regulariter, nisi quãtum ad motum cœli. Denique de corporibus inferioribus inter se etiam est res clara non habere prædictam dependentiam in operando: quia nullum eorum comparatur ad aliud B vt causa vniuersalis ad particularem, aut habet rationem vllam talis dependentiæ.

Diuersæ opiniones circa quæstionis difficultatem.

VII. TOta ergo quæstio reducitur ad subordinationem inferiorum corporum respectu cœlestiũ. Sunt enim qui opinentur interuenire huiusmodi essentialem dependẽtiam inter hæc agentia, ita vt cœlum actu influat in omnes actiones inferiorum corporum. Ita opinatur Iauellus 12. Metaphys. quæstio. 13. & Soto 2. Physic. quæst. 4. conclus. 1. & in 4. distin. 48. quæst. 2. art. 2. Vbi ex hoc principio ait, cessante motu cœli, subitò cessaturam omnem actionem inferiorum agentium naturalium, omniaque viuentia illicò animas expiratura, eò quòd non possint sine aliquo motu viuere. Significat etiam Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 97. §. *Aduertendum tertiò*, ait enim, in generatione hominis creationem animæ esse à Deo, dispositiones verò corporis esse à generante & à motu cœli per se & immediatè.

Iauellus. Soto.

Ferrar.

VIII. Iauellus ad hoc probandum hanc adducit rationem (alij enim authores nullam afferunt) Omnis actio generabilium corporum necessariò reducitur ad aliquam causam ingenerabilem, sed hæc non est nisi corpus cœleste: ergo. Maior patet, quia sicut necesse est omnem motum reduci ad aliquod principiũ immobile, ita omnẽ generationẽ ad aliq̃ principium ingenerabile. Minor verò probatur, quia illud agens ingenerabile, non est intelligentia creata, quia illa non potest immediatè transmutare materiam ad formam. Neque etiam est ipsum principiũ, quia illud non agit per se ipsum immediatè in hæc inferiora, sed per causas medias: hîc autem agimus de causa immediatè concurrente ad omnes actiones inferiorum generantium: ergo est cœlum. Et confirmatur ex Aristotele 8. Physicor. text. 1. dicente, q̃ motus primus est vita, id est, fons, & principium vniuersale rerum in naturâ existentium, & ita comparatur ad vniuersum, sicut motus cordis ad animal, quo cessante cessat omnis actio. Vnde Comment. 1. de Cœlo com. 63. ait, principium vitæ, quod est in orbe, esse causam omnis vitæ: idemque fere habet 12. Metaphys. com. 18. Confirmatur secundò, quia aliàs tollitur ordo essentialis inter partes vniuersi, quod C est contra debitam eius constitutionem, vt ex Arist. sumitur 12. Metaph. text. vlt.

IX. Contraria sententia sumitur ex Scoto in 2. distin. 14. quæst. 3. in fine, & ex Richardo ibi art. 2. q. 6. & Durando ibidẽ 2. p. distinctionis q. 3. Henric. quodlib. 11. quæst. 15. & quodl. 14. quæst. 1. Quamuis enim in hoc posteriori loco videatur ex parte repugnare, tamen si rectè intelligatur, non repugnat, vt videbimus. Et hæc sententia mihi videtur verissima: eget verò nonnulla explicatione.

Scotus. Richard. Durand. Henric.

Integra quæstionis resolutio.

X. Prima assertio.

DIco ergo primò, Nulla causa secunda per se & intrinsecè pendet in agẽdo ab alio agente creato, sed solùm à causa prima, nimirum vt ab agente vniuersali, immediatè in suo ordine influente in actionem inferioris causæ. Explicatur priùs conclusio; agimus enim de causa secunda habente in ratione causæ proximæ sufficientem virtutem ad aliquam actionem vel effectum. Hoc enim ante omnia supponendum est vt intelligatur subordinatio essentialis, nam si particularis causa sit in suo ordine insufficiens, & quoad id, quod illi deest, iuuetur ab alia superiori, non erit propterea essentialis subordinatio in agendo, sed erit concursus causarum partialium. Hoc ergo supposito probatur primò conclusio, quia causa secunda nõ pendet in suo esse ab alia causa creata: suprà enim probauimus elementa & mista non pendere in conseruari à cœlo. Et eadem ratione non pendent ab illo virtutes intrinsecæ & connaturales his rebus: ergo pari ratione neq; actiones earũ pendent ex intrinseca sua ratione à cœlo; & consequenter neque ab alia causa creata, nam cæteras iam exclusimus. Patet vltima consequentia, quia operatio est proportionata ipsi esse.

XI. Dices. Interdum forma pendet in conseruari ab agente, vt lumen à sole: ergo tunc saltem dependebit etiam in actione sua ab immediato influxu solis. Respondetur, etiam si concedatur totum, nihil referre, quia non est inconueniens vt aliqua qualitas pendeat à suo agente dicto modo in operari. Secundò verò dicitur ex vi antecedentis non sequi consequens: nã species visibiles pendent in conseruari ab obiecto, & tamen non habent nouam dependentiam immediatam in operando. Ex negatione igitur dependentiæ in esse credimus optimè inferri independentiam in operari: non verò è contrario, ex quacunque dependentia in esse, inferri nouam & immediatam dependentiam in operari. Quia hęc sæpè non est possibilis respectu agentis creati; respectu verò agentis increati est optima illa consequentia, propter depẽdentiam essentialẽ omnis entitatis participatæ à primo ente.

XII. Secunda ratio similis præcedenti est, quia effectus horum agentium naturalium non pendent per se, & essentialiter in esse à cœlo, vt suprà etiam probatum est, quia quoad hoc eadem est ratio de causis vniuocis, & effectibus earum: ergo neque actio talium causarum per se & intrinsecè pendet à cœlo. Patet consequentia, quia tale est fieri, quale est esse. Et vtraque ratio sumit fundamentum ex eo, quod sect. 1. dictũ est, dependentiam causæ secundę à prima in sua operatione, fundari in eo, quòd tam causa secunda quàm actio & effectus eius, sunt entia per participationem, & ideò per se & immediatè pendent ab ente per essentiam. Hæc autem ratio non habet locum respectu alterius causę creatę, & secluſa illa nulla relinquitur sufficiens ad illud genus dependẽtię introducendum: non est autem exigenda multitudo causarum ad aliquem effectum sine ratione, & necessitate. Vnde ad hoc etiam valere possunt rationes quibus Durand. suprà citatus conabatur tollere hãc dependentiam à prima causa.

XIII. Tertia ratio esse potest, quia si cœlum influit per se & vt causa vniuersalis in actiones omnium inferiorum, vel intelligitur id facere immediatè immediatione suppositi, vel tantùm virtutis: non priori modo, quia, vt supponimus, nulla causa agit immediatè immediatione suppositi in rem loco distantem: cœlum autem longè distat ab inferioribus agentib⁹, & actionibus eorum. Si autem agit posteriori modo, necesse est vt id faciat per virtutem diffusam, nã virtus cœlo ipsi inhęrens, etiam longè distat ab inferioribus causis & effectibus earum, vnde non potest intelligi immediatè influere, nisi quatenus aliquam sui participationem per intermedia corpora diffundit vsq; ad causam particularem proximè agentem; & à virtute quatenus illuc attingit, immediatè manabit actio. At verò influxus huius virtutis nõ potest vniuersè & generaliter affirmari cum fundamento: quis B enim credat indigere ignem virtute superaddita à cęlo, vt calefaciat vel illuminet? Et ficubi interuenit, non spectat ad dependentiam causæ particularis ab vniuersali, sed ad supplendam insufficientiam causę particularis, vt statim declarabo.

XV. Et ratio est clara, quia post impressam illam virtutem à cœlo in corpus vel agens inferius, illud cõpositum ex virtute innata & virtute infusa à cœlo, est proxima causa sufficiens ad talem actionem, in qua iam non pendet per se à cœlo, sed tantùm remotè quatenus ab illo accepit virtutem agendi, sicut aqua calefacta pendet in calefaciendo ab igne. Signũ ergo est illam non esse dependentiam per se in agendo vnius causæ ab alia. Ac deinde est etiam signum, quòd, si causa particularis in suo ordine habeat cõpletam & sufficientem virtutem, non indigebit (per se loquendo) alia virtute influxa à cœlo, est enim superflua illa multiplicatio virtutũ. Et hoc est quod in hac assertione directè intendimus.

XVI. Secunda assertio.

Dico secundò. Sæpè contingit virtutem alicuius causæ secundæ inferioris esse per se mutilam & imperfectam in suo ordine & insufficientem ad effe- C ctum, & ea ratione indigere auxilio alterius causæ creatæ, quæ compleat vel suppleat virtutem agendi. Atq; hoc modo indigent influxu cœlorũ inferiora corpora ad plures actiones suas, præsertim ad generationes mistorum, & maximè viuentium. Hanc conclusionem probant argumenta prioris sententiæ: non enim potest negari quin sit aliquis ordo per se inter causas sublunares & cœlestes: secluſa autem priori dependentia intrinseca & essentiali, non potest intelligi alius modus subordinationis per se inter huiusmodi causas. Potest etiam facilè inductione declarari: nam elementa per se sola, & per suam mutuam actionem & reactionem non possunt sufficere ad substantialem mistionem, ita vt ex eis & ab eis verum substantiale mistum generetur; tum quia neque in aliquo illorum neque in omnibus simul est forma misti formaliter aut eminenter: tũ etiã quia cùm elementa sint materia transiens respectu mistorum, non potest in solis illis esse tota vis actiua & materialis generationis misti: necessaria est ergo virtus cœlestis quæ iuuet ad mistionem perficiendam. Rursus mista inanimata, generatim loquendo, valdè debilia sunt ad generandum similia, vt experientia cõstat. Et ratio esse videtur, quia & parũ actiua sunt, eò quòd habeãt primas qualitates refractas & remissas: & à circumstantibus corporibus, & à contrariis qualitatibus patientium corporum in sua actione valdè impediuntur. Ob hanc ergo causam necessaria etiam fuit virtus cœlestis, quę vel hęc agentia iuuaret, vel certè harum rerum generationem omnino efficeret, vt in auri & metallorum efficientia contingere videtur.

XVII. Rursus de rebus vegetabilibus peripicuum est quantum ad sui generationem vel incrementum à cœlis pendeãt: quod nõ aliter fit, nisi quia per influentiam cœlestem aut in se recipiunt qualitates suis qualitatibus consimiles in virtute agendi, aut recipiunt incrementum vel intensionem suarum qualitatum: aut quia materia ex qua hæc viuentia generantur, aut aluntur, per virtutem cœlestem disponitur, vt faciliùs possit eorum actione commutari. Rursus hoc etiam modo generationes animalium multùm pendent ex influentia cœlesti, sicque optimè intelligitur quomodo sol & homo generent hominem: quia nimirum humanum semen imperfectam vim habet nisi calore solis foueatur & iuuetur ad eam a- B ctionem perficiendam. Et hoc modo ait Henricus suprà, necessariam esse virtutem cœlestem influxam his seminibus qua determinentur ad suas varias actiones, nam cùm semen in corporis organizatione tam variam & multiplicem habeat actionem, non videtur ad id sufficere virtus particularis & intrinseca: & ideò necessaria censetur virtus cœlestis. Quod est probabile, quamuis non minùs obscurum sit quo modo virtus influxa à cœlo si in se simplex sit, & naturaliter agens, ad illam varietatem sufficiat. Quidquid verò de hoc sit (quod superiùs est tactum) constat, necessitatẽ huius influxus cœlestis semper prouenire ex insufficientia virtutis particularis, vel ad vincendam resistentiam materiæ, vel ad se tuendum à contrariis, vel ad complendam totam dispositionem prout est necessarium ad generationem perficiendam.

XVIII. Et confirmatur à contrario, nam vbi virtus agentis particularis inuenitur sufficiens ad suam actionẽ, vel minor, vel nulla influentia cœlestis est ad illã necessaria, quantum ex ratione aut experientia potest colligi. Inde enim est quòd ignis eodem modo generet ignem ex materia eadem, seu cæteris paribus, in quocunq; aspectu seu dispositione cœlestium astrorũ. Et eodem modo color efficit speciem visibiles, & visus elicit actum visionis, & idem est de aliis actionibus vitalibus, dummodo organorũ dispositio eadem conseruetur, & cætera paria sint. Et hoc modo D. Thom. dixit D. Tho. opus. 10. a. 8. *Si corpus hominis viuum & cum eadem dispositione membrorũ conseruetur cessante motu cœli, posse hominem eodem modo mouere manum aut linguã:* & q. 5. de potent. art. 10. ad 8. dicit, in eo casu duraturum motum cordis in homine.

Quomodo inter causas creatas aliquæ vniuersales dicantur.

XIX. EX his ergo constat quo sensu admitti possint aliquæ causæ vniuersales præter primam, & aliqua subordinatio per se inter aliquas causas secundas inter se; & quid in hoc sit proprium causæ primæ: quæue sit differentia inter ipsam & alias. Est enim ei proprium, vt omnis operatio ab ipsa pendeat per se immediatè, & essentialiter, ita vt quantacũq; sit virt⁹ inferior, sine illo influxu agere nõ possit: neque ét possit ab alio agente suppleri, nec per virtutẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquam creatam etiam à Deo ipso inditam. Hoc autem modo non pendet operatio vnius creaturę ab alia vt declaratum est: ideòq; proprium est solius Dei esse hoc modo causam vniuersalem omnium actionum. Tamen quia res naturales & generabiles ac corruptibiles imperfectas habent virtutes ad agendum, & multa habent contraria à quibus impediri possunt ne suas actiones vel generationes efficiant, quarum continua successio necessaria est ad vniuersi conseruationem, ideò prouidit author naturę superiora quędam corpora, quę varias haberent virtutes agendi, & per motum continuũ variis modis applicarentur, vt ita possent variis etiam modis iuuare inferiora agentia ad eorum generationes vel corruptiones. Ideòq; meritò illa superiora corpora dicuntur causę vniuersales, quia ad effectus omnium causarũ inferiorum aliquo modo operantur. Quo modo ait Dio. 4. c. de diuinis nominibus. *Solu radius ad generationem sensibilium corporum confert, & ad vitã ipsam, mouet, & nutrit, & auget, & perficit.*

XX. Qualis subordinatio in agẽtibus inferioribus ad superiora.

Et simili modo intelliguntur causæ naturales per se subordinatæ cœlestibus iuxta ordinem ab authore naturæ institutum. Non quia vel virtutes vel effectus inferiorum corporum per se & intrinsecè dicãt habitudinem vel dependentiam à corporibus cœlestibus, sed quia de facto iuxta ordinem vniuersi sub illis ita instituta sunt, vt ab eisdem iuuentur & foueantur in suis actionibus & virtutibus. Si autem Deus alium ordinem instituisset, vel per se ipsum, vel per alia corpora iuuando aut supplendo defectus inferiorum agentium, æq; bene ac connaturaliter secundum proprias & particulares naturas hæc agẽtia suas actiones perficerent. Et eadem ratione, si interdum cõtingat de facto, vel causam particularem inferiorem sufficienter iuuari ab alia causa inferiori, vel per se esse sufficientem ad suam actionem, illam poterit exercere absq; concursu cœli. Et similiter, quamuis virtus inferioris causæ sit insufficiens ad perficiendã totam generationẽ, desitq; illi omnino cœleste auxilium, imò potiùs ei resistat, eaq; ratione non possit generationem perficere, nihilominùs efficit aliquã alterationem, vel dispositionem remotam, ad quam talis virtus per se sufficit.

Soluuntur rationes oppositæ.

XXI. RAtio igitur dubitandi in principio posita ex prædictis soluta manet: nam omnia dicta Aristotelis & aliorum Philosophorum de influxu cœlorum, & de dependentia inferiorum agentium ab illis sufficienter intelliguntur iuxta modum subordinationis, & dependentię à nobis explicatum. Ad rationem autem Iauelli respondetur, actionem agẽtis generabilis & corruptibilis per se & intrinsecè non necessariò pendere ab alio agente incorruptibili præter primam causam; quòd si aliquando pendet, solùm est quando virtus talis agentis est per se insufficiens & iuuatur ex consortio superioris corporis incorruptibilis. Probatio autem quam adducit Iauellus ex immediatione actionis improbabilis est, & potiùs suadet oppositum: nã immediatiùs agit prima causa in actionibus omnium corporum corruptibilium, quàm cœlum. Aliæ verò confirmationes solutæ sunt ex dictis de subordinatione per se, ac de modo quo cœlum influit cum inferioribus causis. Quod verò ibi tangitur de cessatione omnium inferiorum actionũ cessante motu cœli, in eo sensu improbabile est sc. de momentanea cessatione propter dependentiam essentialem: nam motus cœli nõ est per se causa, sed solùm applicatio ad agendũ. Solùm ergo dici posset, q; ex eo tempore vel momento cessarent omnia, quia ex tunc inciperent corrumpi, & deficere: de quo aliàs. Videatur D. Thom. qui id insinuat d. opusc. 10. art. 23. in fin. & latiùs id tradit Sonc. 12. Met. q. 13. cum aliis suprà citatis.

XXII. Eiusdẽ suppositi facultates quasi ter inter se ordinari cõtingat.

Vltimò ex his facilè resolui potest aliud punctũ suprà tactum de virtutibus subordinatis eiusdẽ suppositi: in illis .n. contingit esse dependentiam essentialem in agendo inter plures virtutes, quia multò magis sunt inter se connexę quàm suppositæ diuersa. Semper tamen in huiusmodi subordinatione, si sit per se ac Physica, & in genere causę efficientis, inferior virtus comparatur vt instrumentalis ad superiorẽ cui subordinatur. Et hoc modo facultates animæ pendent essentialiter ab anima in operationibus vitæ, & species intentionalis à potentia, in qua vt in subiecto existit. Et ad idem reducitur dependentia quam in agendo habet habitus à potentia quam afficit. Dixi autẽ *si sit per se, &c.* quia intellectus aliquo modo subordinatur voluntati in aliquibus actionibus suis, non tamen vt per se ac principaliter cooperanti, sed vt applicanti tantùm & mouenti ad agendum. Et è contrario voluntas subordinatur intellectui, non tamen vt coefficienti, sed vt applicanti finalem causam. Vbicunq; igitur est subordinatio per se, interuenit aliqua ratio instrumenti coniuncti & principalis agentis: sub qua ratione tale instrumentum per se solùm est insufficiens principium talis actionis, & effectus.

DISPVTATIO XXIII.

De causa finali in communi.

Cõmunionis inter has disputationes ordo.

QVamuis finalis causa præcipua quodãmodo omnium sit, atque etiam prior, obscurior tamẽ est eius causandi ratio, & ideò veteribus Philosophis pęnè incognita fuit, ob quam ignorationem in alios errores circa rerum naturaliũ cognitionem inciderunt, vt Arist. tractat 2. Phys. c. 8. & 1. Met. & 1. de partib. animal. in principio. Ob hanc ergo rationem, licet in superioribus definitum sit finem annumerandum esse inter quatuor causarum genera, vt C hoc magis exponamus, & difficultates dissoluamus, inquirendũ in primis erit an finis sit causa, deinde quomodo & quid causet, quotuplex etiam sit finis, & quę sit vniuscuiusq; causandi ratio.

SECTIO I.

An finis sit vera causa realis.

I. Rationes dubitandi. Prima.

RAtio dubitandi in primis est, quia de ratione causæ est vt sit principiũ, vt ex definitione à nobis superius tradita constat; sed finis nõ est principiũ, nam potiùs opponitur principio, vt ex ipso nomine finis constat, & significat Arist. 3. Met. tex. 3.

II. Secunda.

Secundò de ratione causæ realis est vt per se ac realiter influat in effectũ, vt suprà in definitione causæ positũ est; sed finis nõ influit esse realiter in effectũ: ergo nõ est causa. Probat minor, quia vel finis influit antequã sit, vel postquam ia est: nõ primũ, nã quod nõ est, quẽnam realẽ influxũ habere põt, cùm fundamẽtũ totius operationis, & similiter totę causalitatis sit esse? Neq; ẽt dici põt secundũ, quia quando finis est, iam tunc cessat actio & causalitas agentis: ergo iam non est tunc necessaria causalitas finis.

Tertiò.

III. Tertia.

Tertiò, quia nihil potest esse causa realis sui ipsius: A sed forma, teste Aristotele, est finis generationis naturalis, qua ipsa forma fit, vt sanitas est finis curationis qua acquiritur: ergo quatenus est finis, nõ potest habere veram rationem causæ realis. Dices, formam esse finem generationis, quæ ab ipsa distinguitur. Sed contra, quia nihil potest esse causa realis productionis rei, nisi sit etiam causa rei productæ, quia nõ causatur res nisi per actionem qua fit: sed forma non potest esse causa realis sui ipsius: ergo neque generationis qua ipsa forma fit. Vnde confirmatur, nam causa realis dicit relationem realem ad effectum: finis autẽ nõ est capax huiusmodi relationis. tum quia vel quãdo causat non habet esse reale, vel quãdo habet esse reale, nec causat, nec distinguitur ab effectu.

IIII. Quarta.

Quarta ac præcipua ratio dubitandi est, quia finis considerari potest aut in ratione principij mouentis, & allicientis agens ad agendum, vel in ratione termini ad quem tẽdit actio: hæc enim duplex ratio distingui solet à Philosophis in obiecto alicuius potentię, scilicet obiecti motiui & terminatiui: eademque distinctio locum habet in fine qui est obiectũ voluntatis. Sed sub neutra ratione potest finis habere veram B rationem causæ. Et in primis de ratione termini videtur manifestũ, tum quia vt sic potiùs habet rationem effectus, quàm causæ, vt sic est postremũ actionis, non origo eius: denique vt sic non influit, sed potiùs aliarum causarum influxus in illum tendit. Deinde neque sub altera ratione mouentis potest habere rationem causæ, nam vt sentit Aristoteles 1. de Generat. text. 55. motio finis tantùm est metaphorica: non est ergo vera & realis: ergo non sufficit ad causalitatem realem. Et confirmatur primò, quia etiam in Deo reperitur hæc motio metaphorica finis, nam re vera Deus propter bonitatem suam, à qua eius voluntas metaphoricè mouetur seu allicitur, communicat se creaturis, & tamen dici non potest quòd ille finis habet veram causalitatem circa Deum. Et confirmatur secundò, quia si finis sub hac ratione tantũ habet rationem causæ: ergo saltem respectu agentiũ naturalium non potest finis esse causa realis, quia nõ potest illa mouere seu allicere ad sui amorem.

V. Quinta.

Atque hinc oritur quinta difficultas, quia hinc euertitur totum fundamentum, ob quod à Philosophis introductum est hoc genus causæ nimirũ quia C agentia naturalia non operantur casu aut fortuitò, sed in determinatos fines suis actionibus tendunt. Ex hoc enim fundamento seu indicio solùm colligitur, habere res naturales definitos terminos suarum propensionum & inclinationũ naturalium: id enim satis est vt non casu, sed per se operentur determinatos effectus, etiamsi nullũ aliud genus causalitatis intercedat. Sicut dicunt Theologi æternum Patrem per se ac definitè tendere (vt sic loquar) per generationem in talem terminum, nempe in hunc filium, non ex causalitate finis, sed ex determinatione naturæ. Et in naturalibus lapis naturali inclinatione definitè tendit in locum infernum, etiamsi locus ille nullum genus causalitatis habeat circa illum motum, sed solùm rationem termini, ad quem lapis habet naturalẽ propensionem. Idemque dici potest de operante per appetitum elicitum siue ex necessitate, siue liberè, quod nimirum moueatur motu elicito in obiectum sibi propositum, quia talis motus consentaneus est inclinationi naturali ipsius potentiæ in tale obiectũ, absque alia causalitate illius obiecti in talem actum: ergo nullum est sufficiens fundamentum vt fini, tribuamus veram rationem causæ.

VI. Sexta.

Sexta & vltima difficultas sit, quia non potest satis explicari quid, vel circa quid finis causet. Aut enim causat aliquid in ipsum agens: & hoc non potest vniuersè dici, quia licet in agentibus creatis voluntarijs possit aliquo modo defendi, non tamen in agentibus naturalibus, nec in Deo, qui est agens voluntarium increatum. Vel causat aliquid in ipso effectu, & hoc habet in vniuersum difficultatem suprà tactam in tertio argumento; & præterea habet specialem difficultatem in agentibus voluntarijs creatis, quia tota causalitas finis, qualiscunque illa sit, videtur versari circa voluntates talium agentium: circa effectus autẽ eorum non nisi remotè, & per accidens; ideòq; effectus non habebunt propriam causam finalem.

Quæstionis resolutio.

VII. Aristoteles. Plato.

NIhilominus statuenda est conclusio certa, Finẽ esse veram, propriam, ac realem causam. Hoc est receptum dogma, & quasi primum principium in Philosophia, & Theologia. Illud docuit Aristoteles 2. Metaphysicę capite 3. & lib. 11. cap. 1. & 2. Physic. cap. & sequentibus: & ante illum docuerat Plato in Phædone, vbi in eandem sententiam refert Socratem: imò ille solum finem vult esse causam, fortè per antonomasiam, id est, primam & præcipuam: de quo dicemus infrà in comparatione causarum. Ratio autẽ sumi inprimis potest ex communi modo loquendi de fine & de causa, nam finis esse dicitur *propter quem aliquid fit, vel est*: in hunc enim modum Aristoteles finem vbique describit: constat autem, particulam illam *propter* causalitatem significare: vnaquæque enim res propter causam suam dicitur habere esse: ergo signum est finem habere rationem causæ. Præterea, causa efficiens nisi temerè agat, alicuius gratia agere debet: ergo & ipse effectus causæ efficientis vt per se ab illa fieri possit, intrinsecè postulat vt alicuius gratia fiat: ergo talis effectus sicut per se pendet ab efficiente vt à quo fit, ita in suo genere per se pendet ab aliquo cuius gratia fit: ille autem est finis: ergo per se pendet à fine: ergo è cõtrario finis est vera causa eius rei quæ propter finem fit.

VIII.

Sed in hac re non tam oportet rationes multiplicare, quàm rem exponere, vt difficultates soluantur, & finis causalitas, quæ obscura est, declaretur: huc enim tendunt difficultates in principio positæ, non vt res certa in dubium reuocetur: Vt autem hoc distinctiùs fiat, distinguamus tria agentia propter finẽ. Primum & supremum est intellectuale agens increatum, quod est solus Deus. In secundo ac medio ordine sunt agentia intellectualia creata: inter quæ nobis notiores sunt homines, & ideò de illis semper loquemur, quamuis eadem ratio sit de intelligentijs creatis. In tertio & infimo ordine sunt agentia naturalia, seu intellectu carentia, quamuis inter ea nonnulla sit differentia eorum, quę sensum & appetitum habent, & reliquorum, quam etiam suo loco indicabimus. Causalitas ergo finis licet suo modo locum habeat in actionibus horum omnium agentium, tamen in creatis agentibus intellectualibus nobis notior est, & maiorem quandam proprietatem, & specialem modum habet; & ideò in illis peculiariter declarabimus hanc causalitatem finis, & expediemus difficultates circa eam insurgentes: postea verò de alijs agentib. dicemus. Igitur quod in agẽtibus creatis per intellectum & voluntatem intercedat causalitas finis, sufficiens argumentum sumitur ex humanis actionibus. Constat enim nobis experientia, in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tendere nos cum humano modo, id est libero & rationali, operamur certũ aliquem finem, in quem actiones nostras dirigimus, & propter quem media eligimus: mouemur ergo à fine, tum ad dilectionẽ seu intentionem sui, tum ad eligenda & exequenda media propter illum: hæc autem motio aliquid est in rerum natura, non est enim aliquid imaginarium vel fictum per intellectum; & aliquod genus causalitatis est, quandoquidem est origo operationum realium: est ergo finis vera & realis causa. Et hinc etiam obiter constat hanc causalitatem maximè habere locum in agentib. intellectualibus, quia illa maximè possunt cognoscere finem & media, & ordinem vnius ad alterum, & propriam vniuscuiusque rationem.

Rationes dubitandi soluuntur.

IX. ARgumenta in principio facta partim postulât difficultates proprias pertinentes ad Deum, & ad infima agentia naturalia, partim inculcant ea, quę de causa tractari possunt, hæc autem sunt illa omnia quæ de cæteris causis tractantur, vt insinuauit Caietan. 1. p. quæst. 5. art. 4. & 2. 2. q. 17. art. 5. scilicet, quæ res possint finaliter causare, per quid seu quæ sit illis ratio causandi, vel tanquam principalis ratio vel tãquam proxima. Item quæ sit necessaria cõditio, quis effectus: in quo deniq; cõsistat eius causalitas, quod hic est omnium obscurissimum. Ne igitur omnia hæc inuoluamus, & confundamus, in sectionibus sequentibus distinctè tractanda erunt: ergo exacta argumentorum solutio vsque ad finem disputationis erit expectanda. Nunc perfunctoriè per singula discurremus.

X. Prima. Finis verè principium. Ad primum negamus minorem, scilicet, finem non esse principium, nam eo modo quo est primum quid, habet rationem principij: est autem finis primus in intentione, quamuis sit vltimus in executione. Arist. autem in dicto loco tertij Metaph. non opponit finem omni principio, sed principio motus, per quod causam efficientem intelligit, quã distinguit à finali.

XI. Ad secundum negatur minor, scilicet, finẽ non influere realiter: ad probationem autem cõmunis responsio est, finẽ influere quando non est in re, sed tãtùm in apprehẽsione seu cognitione. Sed distinctione opus est, tam ex parte finis, quàm ex parte effectus seu actionis, quã finis causat. Nam, vt sectione sequẽte dicam, finis alius est cuius gratia fit actio, alius verò cui finis acquiritur: item alius est finis formalis vt visio Dei, & alius obiectiuus, vt Deus ipse: item finis causare potest desiderium sui, vel etiam potest causare quietem vel delectationem, quę omnia mox declarabimus. Finis ergo cui, non causat nisi quando existit: dicitur enim finis cui ipsummet agens, quatenus propter se vel in suum commodum operatur, quod non potest facere nisi existat. Item finis obiectiuus potest etiam supponi existens, quando finaliter causat, vt Deus, propter quem videndum ad bene operandum mouemur. Rursus finis formalis, seu consecutio finis intenti non causat delectationem seu fruitionem sui nisi quando existit, quia delectatio non est nisi de bono possesso: quod si sit de spe eius, tunc ipsa spes habet rationem imperfectæ consecutionis. In his ergo omnibus non procedit illud argumentũ quia existente fine obiectiuo vel fine cui (qui claritatis gratia posset subiectiuus appellari) nõ cessat inquisitio, nec causalitas finis, nisi adsit etiã cõsecutio finis, & hac obtẽta, quãuis cesset motus in finẽ per modum desiderij, non tamen per modum quietis & delectationis. Solùm ergo de fine formali, seu consecutione finis verum est per se loquendo quod causat sui desiderium quando non est in re, & de illo rectè respondetur, sufficere quòd sit in apprehensione & iudicio intellectus, eò quòd eius motio intentionalis sit, & (vt ita dicam) animalis, per sympathiam & consonantiam potentiarum animæ, intellectus scilicet & voluntatis.

Tertium argumentum postulat quid causet finis, & specialiter attingit difficultatem quomodo forma sit finis generationis naturalis, quod spectat ad difficultatem de naturalibus agẽtibus infrà tractandã; & ideò breuiter nunc dicitur, finem causare desiderium sui, seu aliũ similem affectum erga seipsum; & ita nõ causare immediatè se ipsum, sed aliquid distinctũ à se. Et hinc etiam constat ad confirmationẽ, ex hac parte nõ repugnare relationem causæ in fine esse realem: est enim sufficiens distinctio inter ipsam, & talem effectum, & quando ipse finis nõ sit in re distinctus ab effectu eius, dicemus inferiùs sect. 3.

XII. Quid sit id quod finis causat.

An verò ex alio capite repugnet illam relationẽ esse realem, nimirum ex eo quod finis ipse nõ habet esse reale dum causat, res est dubia & controuersa. Soncinas 5. Metaph. q. 3. & Iauellus, q. 6. aiunt, illud esse obiectiuum, quod finis habet in intellectu, sufficere vt realiter referatur ad effectum: sed id difficile creditu est, nam illud esse obiectiuum in ipso fine nihil rei ponit, sed solùm denominationem extrinsecam ab actu qui realiter est in intellectu: ille autem actus non refertur realiter ad effectum causæ finalis, quia non concurrit per se ad illum, vt infrà dicam. Meliùs ergo respondent, qui negant ad omnem causalitatem realem sequi relationem realem in causa: nõ est enim necesse ex vi causalitatis, si aliæ conditiones nõ cõcurrant, vt patet in causalitate Dei effectiua. Vnde addo, etiamsi finis existat dum causat, nõ referri realiter ad suũ effectũ, quia in suo modo causandi est superioris cuiusdam rationis, quia ipse nullo modo ordinatur ad effectũ, sed effectus ad ipsũ. Quare etiãsi ex parte effectus admittatur hic relatio realis, quod est probabile, maximè quãdo effectus nõ tantùm per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam habitudinem ordinatur in finem, iuxta ea quæ inferiùs declarabimus: nihilominus illa relatio censenda est non mutua. Effectus enim referri potest ad finem, quatenus ab eo pendet; vnde sicut ad hanc dependentiam satis est, quod finis præexistat in mente, ita ẽt sufficiet ad realem habitudinem transcendentalẽ, licet prædicamentalis fortè non sit nisi ad finem actu existentem: tamen quia finis causat vt omnino immotus, & non ordinatus ad suum effectum, ideò non oportet vt ex parte eius relatio sit realis. Sicut enim Aristoteles dixit scientiam referri realiter ad scibile, non è contrario, ita nos dicere possumus de appetitione & appetibili: est enim eadem ratio; & similiter est eadem de appetibili & de fine.

XIII. Soncinas. Iauellus.

XIIII. Cur motio finis metaphorica dicatur.

In quarto argumento multa tanguntur pertinentia ad Deum, & ad agẽtia naturalia: nunc illis omissis, concedimus causalitatem conuenire fini vt habet rationem principij, & consequenter vt habet rationem mouentis. Eius autem motio dicitur metaphorica, non quia non sit realis, sed quia non fit per influxum effectiuum, nec per motionem intentionalem & animalem: & ideò nihil obstat, quò minùs vera ac propria sit eius causalitas.

XV. Ad quintum quidquid sit de agentibus naturalibus,

bus, de quibus postea, respondetur, modum operandi intellectualium creaturarum non posse intelligi sine causalitate finis, quia re vera alliciuntur & mouentur à fine ad operandum: & quamuis ipsa habeant naturalem propensionem ad obiecta seu fines, ad quos per proprios vitales actus mouentur, tamen illa naturalis propensio non potest operari in suo genere, id est effectiuè, nisi sufficienter applicato fine, & in suo genere concausante: & ita determinatio operationis, seu destinatio in certũ scopum, quę cernitur in agẽtibus intellectualibus, manifestè procedit non ex sola inclinatione naturali, sed ex causalitate finis. Ad sextum, quantum hic locus patitur, satis explicatum est, quid, vel circa quid finis causet: integrã verò huius rei tractationẽ trademus inferiùs.

SECTIO II.

Quotuplex sit finis.

I. ANtequam progrediamur vlteriùs ad explicanda cętera quę proposuimus ad causalitatem finis pertinentia, oportet varias diuisiones, vel potiùs nominis significationes explicare, vt distinctè intelligatur, de quo sit disputatio.

Prima diuisio finis, Cuius, & Cui.

II. EST ergo prima ac celebris diuisio finis in finem Cuius, & finem Cui, quę sumpta est ex Aristotele 2. de anima cap. 4. vbi Argyropilus vertit, *finem quo & cui*: sed priora verba sunt Græcis conformiora, & intentionem meliùs declarant, nam finis cuius dicitur, cuius adipiscendi gratia homo mouetur vel operatur, vt est sanitas in curatione: finis Cui dicitur ille, cui alter finis procuratur, vt est homo in intentione sanitatis, nam licet homo curetur propter sanitatem, ipsam verò sanitatem sibi & in suum commodum quærit.

III. Quæstiuncula Gabriel. Ocham. Quæri verò potest, quis horum habeat propriam rationem finis. Quidam enim soli fini cui illam attribuunt, quod sentit Gab. in 2. d. 1. q. 5. sequens Ocham in 2. q. 3. art. 1. atque idem sentit Henricus quodlib. 2. q. 1. Et probatur, nam ille est propriè finis, in quo sistit intentio agentis, cætera enim potiùs habere videntur rationem mediorum; sed intẽtio solùm sistit in fine cui cætera procurantur, nam ad illum omnia ordinantur: vnde sicut medium solùm amatur, quatenus proportionatum est fini: ita finis Cuius solùm amatur, quatenus est proportionatus, & conueniens fini Cui; ergo. Et confirmatur, nam finis amari debet amore amicitiæ, vel saltem beneuolentiæ, quia debet amari propter se: sed solus finis Cui ita amatur, nam finis Cuius amatur alteri, qui dicitur finis Cui: atque ita amor finis Cuius est concupiscentiæ, alter verò est amicitiæ seu beneuolentiæ; & ideò finis Cui amatur simpliciter, finis autem Cuius tantùm secundum quid, iuxta doctrinam D. Thomæ 1. 2. q. 26. art. 4. dicentis, *illud amari simpliciter, cui amatur bonum: hoc autem bonum quod alteri amatur, tantum amari secundum quid.*

D. Thom.

IIII. Aristotel. Aliunde verò apparet, solum finem Cuius propriè habere rationem causæ finalis, nam Aristoteles, vbicunque hanc causam definit, per hoc eius rationem explicat, quòd sit *cuius gratia aliquid fit*, vt patet 2. Physic. cap. 3. & 7. & 5. Metaph. cap. 2. & hac ratione dicit, finem esse primum in intentione, & vltimum in executione: & similiter ait, formam esse finem generationis, non verò ipsum generantem. Et ratione declaratur, quia is cui alter finis acquiritur vel quæritur, solùm est subiectum, quod perficitur vel actuatur alia re, quæ intenditur vt finis: vt homo est subiectum sanitatis, aut visionis beatæ, quæ est finis nostrarum operationum: hæc ergo habitudo non est propriè finis, sed alterius rationis: nemo enim propriè dixerit hominem esse finem visionis beatæ, sed potiùs visionem esse finem hominis: nam res est propter suam operationem, vt propter finem. Et confirmatur, nam in fine Cuius comprehenditur, vt infrà dicam, obiectum operationis, vt est Deus respectu visionis beatæ: vnde nõ solùm amat sibi homo visionem Dei, sed etiam Deum ipsum amore concupiscentiæ pertinente ad spem, vt Theologi docent: non potest autem dici quod homo sit finis Dei, eò quod sit ille cui amatur Deus: ergo per illam particulam, *cui*, non explicatur propria ratio finis.

V. Dissoluitur. Nihilominùs dicendum est in vtroq; horũ saluari posse propriã rationẽ finis, interdũ verò ita coniungi vt ex vtroq; coalescat vnus integer finis. Hoc est consentaneum Aristoteli in citato loco de Anima. Et ratione probatur, nam vterq; horum finium potest per se excitare voluntatem, & ab ea diligi seu intendi propter suam bonitatem: sic enim quando homo inquirit sanitatem, se diligit, cui sanitatem vult propter suum commodum & perfectionem, quam per se appetit, propter summam coniunctionem vel potiùs identitatem quam secum habet. Similiter diligit & intendit sanitatem, propter perfectionem ipsiusmet sanitatis. In quo magna est differentia inter medium, & finem Cuius, nam medium v. g. potio, solùm est amabilis quatenus est vtilis ad salutem: salus verò ipsa propter se amatur, quia per se perficit hominem cui amatur. Vnde fit, vt totum hoc, *homo sanus*, sit integer, & adæquatus finis illius actionis, in quo prædicti duo fines includuntur, quasi componentes vnum integrum finem. Sic etiam potentia dicitur esse propter operationem, vt propter finem cuius gratia fit, quamuis etiam operatio verè sit propter ipsam potentiam, nimirum vt ipsum perficiat, & in vltimo actu constituat. Vt merito dici possit, finem integrum esse potentiam vt perfectè actuatã, quod alij dicunt, potentiam non tam esse propter operationem, quàm propter se ipsam operãtem. Atque hoc modo non repugnat duas res sub his diuersis rationibus ad inuicem esse vnam finẽ alterius, & ẽ conuerso: sic enim intellectus est propter visionẽ Dei, & visio etiam est propter intellectum vt ipsum perficiat. Neque hoc est inconueniens, tum propter rationes diuersas, tum quia intẽtio agentis quasi adæquatè fertur in compositum ex vtroque cum mutua habitudine componentium inter se: quo modo materia est propter formam, & forma est etiam aliquo modo propter materiam: totum autem est, quod per se primò & adæquatè intenditur. Quamuis autem finis Cui & Cuius possint ita ad inuicem comparari, non est tamen id semper necessarium, vt statim declarabo.

VI. Quæstiuncula cõsequẽs ad resolutionem præcedentis. Quæret verò vlteriùs aliquis. esto vterque eorum sit propriè finis, quis eorum sit principalior. Respõdeo, comparationem fieri posse, vel in ratione entis, vel in ratione causandi. Priori modo non est per se necessarium vt vnus ex his finibus sit semper perfecti' ens, interdũ enim finis Cui est res nobilior, vt cũ homo propter sanitatem sibi acquirendã operatur; interdum verò accidit è conuerso, vt cùm ide homo operatur propter acquirẽdũ sibi Deũ, qui longè nobilior est. Et ratio est, quia interdum res seu suppositum

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum perfectius intendit sibi acquirere aliam perfectionem, quamuis minorem, ad quod satis est quòd tale subiectum perfectiori modo se habeat cum tali forma, quàm sine illa, quamuis si præcisè comparetur ad eandem formam, sit quid perfectius. Aliquando verò res aliqua perficitur per coniunctionem ad perfectiorem, vt homo per coniunctionem ad Deũ; & tunc optimè potest res minùs perfecta operari gratia alterius perfectioris, vt illam habeat & possideat prout potuerit: quo etiam modo materia appetit formam, & si posset gratia consequendi illam aliquid operari, id faceret: sub qua consideratione forma habet rationem finis Cuius, & materia finis Cui, quæ minùs perfecta est, quàm forma.

VII. At verò si illa duo conferantur posteriori modo, scilicet in ratione causæ & finis, idé videtur esse quærere, quis eorum sit principãlior, quod quærere quis magis ametur, magisque intendatur. Et sanè rationes priùs factæ videntur suadere finem Cui magis amari, quia magis ratione sui diligitur, magisque in illo sistit motus voluntatis. Solùm videtur obstare exemplum illud de amore concupiscentiæ, & intentione consequendi Deum, quatenus bonum nostrum est. Neque enim dicere possumus, eo actu amare nos magis nos ipsos quam Deum: aliàs amor ille esset inordinatus: neque etiam dicere possumus illã intentionẽ principalius sistere in nobis, quàm in Deo: aliàs absolutè finis vltimus illius intẽtionis essemus nos, & nõ Deus, & ita esset etiam inordinata intentio.

VIII. Quapropter distinctione vel limitatione opus est, nam in bonis particularibus, quæ præcipuè, vel etiam omnino amantur in commodum amantis, vel vt illũ perficiant, vel sub aliqua alia habitudine ad illum, verum est finem Cui principaliùs amari, esseque principaliorem finem. Et hoc probant rationes priùs factæ. Quæ confirmari possunt, nam sæpè huiusmodi particulare bonum quod est finis Cuius, supponit absolutum amorem illius personæ cui amatur, & amor eius ex illo amore nascitur: sic enim homo interdũ amat se ipsum proprio amore beneuolentiæ, & ex illo posteà amat sibi sanitatem. Et hinc etiam sæpe fit, vt talia bona particularia amentur vt media, & vtilia ad alios fines ipsi amanti cõuenientes: signum ergo est, respectu horum finium ipsum finem Cui esse principaliorem magisque dilectum. At verò quando finis cuius gratia est summum bonũ, & finis vltimus, si ordinatè ametur & intendatur, semper debet retinere principaliorem rationem finis, magisque trahere ad se intentionem operantis. Quia cum sit finis vltimus simpliciter, non potest ita referri in alium sub aliqua ratione finis, vt in alio principaliter sistatur. Atque ita, cùm homo intendit consequi Deum, licet ipse sit aliquo modo finis cui bonum illud quæritur, tamen absolutè potiùs homo ordinat se ipsum in illum finem, nam vult coniungi illo bono vt vltimo fini suo. Quo fit, vt licet in eo motu & tendentia, respectu mediorum, & operationis, homo propriè dicatur finis Cui, tamen respectu ipsius Dei, qui principaliter quæritur, non tam dicendus sit finis, quàm subiectũ quod ordinatur ad consequendum illum finem. Quamuis non negem posse etiam vocari finem Cui, nam re vera habet illam rationem, ita tamẽ, vt intelligatur potiùs ordinari ad alterum finem obiectiuum & vltimũ, quàm illum ad se ordinare.

Secunda diuisio finis in operationem, & rem factam.

IX. SEcundò diuidi solet finis in eum qui est operatio tantum, & eum qui ex operatione resultat, seu in quem tendit actio, vt in rem factam. Quam diuisionem tetigit Arist. 1. Ethic. c. 1. & lib. 1. Magnor. Moral. c. 3. Et, quantum attinet ad rationem formalem finis, videtur materialis diuisio sumpta ex rebus, quæ hanc causalitatẽ exercẽt, potiº quã ex varia ratione causãdi. Nihilominùs tamen ad intelligendos authores, præcipuè varia loca Arist. & ad explicandas alias diuisiones, & præsertim ad declarandos fines diuersarum rerum, & maximè hominis, est necessaria. Exempla itaque vtriusque membri facilia sunt, tam in operib. artis, quam naturæ. Nam finis curationis est sanitas, ædificationis domus, generationis res genita, & sic de aliis: at verò pulsationis cytharæ nõ est alius finis præterquã ipsa cytharizatio, & contemplationis sola ipsa contẽplatio. Quanquã in secundo membro aduertere oportet, etiam in illis actionibus posse philosophicè distingui terminum ab actione, nam terminus semper est aliqua qualitas: actio verò est via seu tendentia illius qualitatis: tamen quia terminus huius actionis talis est, vt nõ duret nisi quamdiu fit, eò quod in fieri & conseruari pendet ab actuali motu seu influxu potentiæ, ideò quod attinet ad rationem finis, non distinguitur inter actionem vt actionem, & vt terminum: in actionibus verò prioris generis finis intentus est res facta, quæ permanet cessante actione. Ex quo etiam intelligitur, hanc diuisionem tantùm esse datam de fine Cuius: nam finis Cui neque est actio, neque fit per actionem, sed supponitur potiùs ad actionem, cùm sit ipsummet agens.

Tertia diuisio finis, scilicet, actionis, vel rei factæ.

X. ATque hinc orta est tertia diuisio finis in finem actionis, & in finem rei factæ seu genitæ. Quæ sumitur ex Aristotele partim 2. Physicor. capite 7. partim 2. de cœlo capite 3. Nam in priori loco dicit formam esse finem generationis, in posteriori autem dicit vnamquamquè rem, atque adeò ipsam formam seu rẽm genitam esse propter suam operationem. Atque ita sit (vt sumitur etiã ex Auerroe 4. de cœlo text. 22.) vt res genita sit finis generationis, & operatio etiam propter quam res generatur, sit etiam finis, proximè quidem & immediatè ipsius rei genitæ, remotè autem & mediatè ipsius generationis. In qua diuisione duo tantùm occurrunt aduertenda: vnum est, cũ Aristoteles dicit, formam esse finem generationis, sub forma cõprehẽdere totum compositum, seu rem ipsam genitam, nam propter illam maximè est generatio: tamen quia res genita non fit nisi inducendo formam in materiam, ideò per formam explicuit generationis finem. Et, quod de generatione dixit Aristoteles, intelligendum est de omni actione tam naturali, quàm artificiali, per quam aliqua res fit, ita vt permaneat: & extendi etiam potest ad creationem, nam etiam res, quæ creatur, est proximus finis illius actionis.

XI. Alterum obseruandum est, finem rei genitæ communiter censeri esse aliquam operationem propter quam res fit, vt est visio Dei respectu hominis, vel illuminatio respectu Solis: tamen vt omnem finem rei genitæ comprehendamus, per operationem necesse est intelligere omnem vsum ad quem res genita ordinatur, nam finis materiæ quæ est res quædam genita seu creata, non est propria aliqua operatio, est tamen causalitas eius, scilicet sustentatio formæ, aut talis compositio substantiæ: similiter finis domus est habitatio, quæ non est operatio, sed protectio quædam & quasi extrinseca informatio habitantiũ, & sic de aliis. Et iuxta hunc modum contingit, non solùm respectu rei genitæ dari finem, qui sit operatio, propter quem sit ipsa res genita, sed etiam respectu vnius operationis dari aliam, quæ sit finis eius: sic enim cytharizatio est propter delectationem, & locutio propter intellectionem. Potest enim vna operatio ad aliam concurrere vel obiectiuè, vel effectiuè, vel saltem vt necessaria vel vtilis cõditio ad aliam operationem: & ideò potest ad illam vt ad finem ordinari.

Quarta diuisio in finem obiectiuum & formalem.

XII. QVartò ex his diuisionibus, præsertim ex secunda oritur alia, qua diuiditur finis in obiectiuum & formalem. Nam, vt diximus, interdum finis est operatio: hæc autem operatio, præsertim si sit immanens, præter actum ipsum requirit obiectum circa quod versatur, vt contemplatio quę est finis hominis, versatur circa aliquam rem aut veritatem contemplatione dignam, propter quam aliquo modo est ipsa contemplatio, quia per illam quasi comparatur, & possidetur secundum modum sibi proportionatum. Et in hoc sensu distinguunt Theologi in fine hominis, visionem, & Deum visum, & visionem dicunt esse finem formalem, quem etiam appellãt finem Quo, & adeptionem finis: Deum autem appellãt finem obiectiuum, seu finem Qui, quia comparatur per finem formalem. Ita sumitur ex D. Thoma 1. 2. q. 1. art. 8. & q. 2. art. 7. & quæst. 11. art. 3. ad tertium. Vbi aduertit, hos non tam esse duos fines, quàm vnum, quia neque obiectum attingi potest nisi per actum, neque actus fieri potest nisi circa obiectum: & ideò motio ac intentio agentis est ad vtrumque per modum vnius, & ita vnã causam finalem complent. Quanquam eo modo quo sunt res diuersæ, possunt inter se comparari, & vna ad alteram ordinari. Atque hoc modo potest ad hanc diuisionem applicari ferè tota doctrina, quæ circa primam tradita est.

D. Thom.

Quinta diuisio finis in eum, qui fit, & eum qui obtinetur.

XIII. EThinc vlteriùs fit (quæ potest esse quinta diuisio) quòd finis Cuius aliquando supponitur operationi agentis, & intenditur non vt efficiendus, sed vt obtinendus, quod verum habet de fine obiectiuo: & hoc modo est Deus finis nostrarum actionum, & extenditur hoc ad omnes res, quæ supponuntur vt obiecta, vel materia circa quam, vt diuitię sunt finis auari, non producendus, sed acquirendus etiam si iam existat. Aliquando verò finis non supponitur, sed fit per actionem agentis, siue fieri dicatur propriè pro re facta, siue latè, vt etiam dici potest de actione. Atque hoc modo visio Dei est finis hominis, & in vniuersum omnis operatio, vel terminus per ipsam factus, est finis non præexistens, sed subsequens ad intentionem agentis. Atque hanc diuisionem in terminis docuit D. Thom. 3. cont. Gent. capite 18. sumiturque ex doctrina Aristotelis partim 2. Physic. & quinto Metaph. vbi potissimũ facit mentionem eius finis qui fit per actionem agentis: partim 2. de Cœlo text. sexagesimo quarto & 12. Metaph. text. tricesimo sexto vbi dicit Deum esse finem, gratia cuius cætera agunt: cõstat autem Deum non esse finem qui per actionem agentis fiat, sed qui ad actiones omnium agentium supponatur,

D. Thom. Aristot.

Sexta diuisio in finem vltimum & non vltimum.

XXIIII. SExtò diuiditur finis in proximum, & remotum, ac vltimum. Hæc diuisio frequens est apud authores, & fundamentum habet in Aristotele citatis locis, & in 2. Metaph. capite 2. vbi ostendit non dari processum in infinitum in finibus. Videri tamen potest alicui, repugnantiam inuoluere diuisionem illam cum diuiso, nam de ratione finis est vt sit vltimus, vt nomen ipsum præ se fert. Et quia de ratione finis est vt propter se ametur, & alia propter ipsum, & consequenter vt ipse non ametur propter alia: iam enim non esset finis, sed medium: non ergo recte diuiditur finis in proximum, & remotum vel vltimum. Vt ergo intelligatur diuisio, duę rationes in finali causa distingui possunt: prior est qua finis dicitur propter se amari: posterior, quatenus alia amantur propter ipsum: & ipse est ratio amandi illa. Sub priori ergo ratione omnis finis si præcisè quatenus finis est, consideretur, habet rationem vltimi, vt ratio facta ostendit, nam in illo quod dicitur propter se amari, includitur negatio amoris propter aliud: in qua negatione consummatur ratio vltimi. Contingit tamen vt quamuis aliquod obiectum propter se & propter bonitatem suam ametur, nihilominus vel natura sua, vel ex intentione operantis, referatur & tendat in vlteriorem finem, vt cùm quis faciet eleemosynam, & quia honesta fit actio in ratione misericordiæ, & quia est accommodata ad satisfaciendum Deo pro peccatis. Tunc ergo vnus finis ordinatur ad aliũ quanquã sub ea ratione qua ordinatur, non habeat rationem finis sed medij. Ille igitur finis, qui immediatè propter se amatur, dicitur finis proximus: alius verò finis ad quem alter ordinatur, dicitur remotus: quod si in illo sistat intentio operantis, erit etiam vltimus: si verò in vlteriorem finem ille ordinetur, erit tantùm remotus, non tamen vltimus: quia verò non potest in infinitum procedi, sistendum erit in aliquo qui sit vltimus.

XV. Atque ita facilè constat necessitas prædictæ diuisionis, nam quia intentio agentis necessario debet in aliquo fine immediatè versari, quia alias nunquam inchoaretur, ideò necesse est esse aliquem finem proximum; est enim ille quem proximè & immediatè agens intendit tali actu seu intentione. Non est autem simpliciter necessarium, vt præter finem proximum detur remotus, quia potest intentio agentis sistere in vno fine: tamen quia potest etiam in vlteriorem finem tendere, ideò præter proximum dari potest finis remotus. Et similiter quamuis aliquis finis vltimus semper sit necessarius, eò quòd non proceditur in infinitum, non est tamen necessarium vt finis vltimus semper sit distinctus à proximo: nam si voluntas in vno tantùm fine sistat, quod facere potest ille erit simul proximus & vltimus, saltem negatiuè, id est, post quem non est alius: quando verò plures sunt fines subordinati, tunc necesse est hos fines esse distinctos. Atque hinc fit, vt quamuis contingat plura media inter se subordinari, vt primum sit propter secundum, & secundum propter tertium, & sic vsque ad finem qui propter se amatur: si tamẽ nullũ ex illis mediis amatur propter se, sed purè vt mediũ propter aliud, nullũ eorũ habeat rationẽ finis proximi, aut remoti sub prædicta ratione: sed ille finis ad quẽ ordinãt tota mediorũ series, licet vi

Universidad de Deusto
Biblioteca

deatur remotus in ratione obiecti voliti & materialis, tamen in ratione finis est proximus, seu primus in quem vt in finem tendit voluntas, & erit etiam vltimus, si non in alium finem ordinetur. A

XVI. Si verò finem consideremus sub alia habitudine, scilicet, quatenus propter ipsum aliquid eligitur aut fit, sic faciliùs est distinguere illas tres rationes finium non solùm in rebus, quæ propter se appetuntur, sed etiam in rebus quæ sunt purè media, quæ propter aliud eliguntur. Nam quando ad vnum finem plura media inter se subordinata eliguntur, necesse est dari primum & vltimum medium, tam ordine intentionis, quàm ordine executionis: in neutro enim ordine potest in infinitum procedi: aliàs vel electio, vel executio nunquam inchoaretur. Dicitur autem primum medium ordine intentionis, id quod est immediatum fini, quodque primò eligitur post intentionem finis: & illud ipsum est vltimum in executione. E contrario verò illud medium quod est in ordine eligendi postremum, est in executione primum, nam vbi finitur electio, inde incipit executio, vt paulatim per media vsque ad consecutionem finis perueniatur. Hoc ergò medium, quod est in execu- B tione primum, & in electione vltimum, nullam habet rationem finis, quia nec propter se amatur, cùm tantùm sit medium, nec etiam aliud amatur propter ipsum, cùm in illo finita sit electio, tamen secundum medium habet iam rationem finis proximi respectu medij prioris quod propter ipsum electum est. Tertium autem medium habet rationem finis remoti, respectu primi medij: & sic potest per plures fines magis vel minùs remotos procedi, donec sistatur in vltimo, quod semper necessarium est, cum non possit in infinitum procedi. Atque ita satis constat illa diuisio quantum ad expositionem terminorum pertinet: nonnullæ verò quæstiones quæ ex illa oriuntur, in discursu disputationis tractabuntur commodiùs præsertim duæ scilicet, an media participent aliquo modo causalitatem finis, & an necesse sit constituere aliquem finem vltimum, vbi etiã varias acceptiones finis vltimi declarabimus, & an habeat propriam & per se causalitatem, quatenus finis vltimus est, seu remotus.

SECTIO III.

Quos effectus habeat causa finalis.

I. DIuisquàm de ratione causãdi finis dicamus, agendum videtur de effectibus eius, vt ab iis quę nob. notiora sunt procedamus. Et quoniam, vt suprà dixi, nũc considerabimus finalem causam respectu voluntatis creatæ, per quam agentia intellectualia operantur propter finẽ, duplices effectus huius causæ considerare possumus: quidam sunt intra ipsam voluntatem, & sunt actus vel affectus ab illa eliciti: alij sunt extra voluntatem, & sunt effectus, qui extra ipsam prodeunt ex efficacitate, vel imperio, seu motione ipsius per proprios actus eius.

II. Est igitur inprimis certum, causam finalẽ, prout nunc illam consideramus, per se primò, ac maximè causare aliquem actum vel affectum in voluntate ipsa. Hoc est receptum omnium consensu, satisque ostendi potest rationibus, quibus in sectione prima ostendimus dari causam finalem: nos enim per effectus in causarum cognitionem peruenimus: per nullos autem effectus ita cognoscimus causalitatem finis, sicut per eos quos habet circa humanam voluntatem, quam sua metaphorica motione allicit, vt & ipsum amet, & per conuenientia media quærat, donec illum consequatur, & in eo quiescat.

Prima difficultas, de causalitate finis circa internos actus voluntatis.

III. DIfficultas verò est an omnes actus, qui in hoc progressu interueniũt, sint à fine vt à propria causa in suo genere, an verò non omnes, sed aliqui eorum, & quinam illi sint. Vt autẽ percipiatur ratio difficultatis, distinguere oportet plures actus, qui in hoc negotio interuenjunt. Quidam tendunt directè in finem, vel secundum se & absolutè, vt simplex voluntas eius seu amor, vel vt consequendum per media, sicut intentio: & hi actus antecedunt non solùm consequutionem finis, sed etiam electionem mediorum. Alij sunt actus, qui proximè versãtur circa media, quamuis ratione finis: & huiusmodi propriè est electio, quam antecedit cõsultatio & inquisitio mediorum, quæ quatenus ad inquirendum finem necessaria est vel vtilis, ad media reducitur, & quatenus B voluntaria est, sub electionem quodammodò cadit, vel ad illam reuocatur. Et hæc duo genera actuum, dicuntur pertinere ad ordinem intentionis, quia nõ solùm finis consecutionem, sed etiam executionem mediorum antecedunt. Post ordinem verò intentionis sequitur ordo executionis, in quo similiter possunt duo alia genera actuum distingui: quidam enim versantur circa mediorum executionem, per vsum eorum, quem actiuum vocant. Alij versantur circa finem, vt iam consecutum & possessum, scilicet fruitio, vel gaudium, quod etiam quies animi dicitur, & in eo statu potest etiam durare amor.

IIII. Est ergo circa hos actus prima generalis difficultas, quia finis solùm est causa mediorum: nullus autem ex his actibus est verè ac propriè medium ad finem obtinendum: ergo nullus eorum causatur à fine. Maior constat ex definitione finis, est enim id cuius gratia aliquid fit, quod solis medijs propriè conuenit. Deinde est specialis & maior difficultas de actibus qui versantur circa finem, nam illi nullo modo sunt propter finem, ergo non sunt effectus finis. Antecedens patet, quia illud est propter finem, quod C procedit ex amore vel intentione finis, nam illud *esse propter* dicit ordinationem ad finem ortam ex aliquo priori actu: sed intentio finis non oritur ex alia intẽtione, nec amor ex amore, alioqui esset processus in infinitum, ergo. Vnde, sicut assensus conclusionis est ex principiis, assensus autem principij nõ est ex principio, ita voluntas medij potest esse ex fine & propter finem: voluntas autem finis non ita. Tertiò augetur difficultas in ijs actibus, qui versantur circa finem iã consecutum, nam finis non causat postquam comparatus est: consistit enim eius causalitas in motione, consecuto autem fine iam quiescit animus: cessat ergo omnis motio: ergo & causalitas finis. Vnde Aristot. 1. de Generat. text. 55. dicit, adepto fine, cessare actionem: cessante autem actione etiam cessat causalitas finis, quia vbi non est causa efficiens, nec finalis esse potest, vt infrà docebimus.

Primæ difficultatis resolutio.

V. VT à clarioribus incipiamus, dicendum primò est, vsum seu executionem mediorum per se ac propriè esse effectum causæ finalis. De hac conclusione nulla est controuersia, nec dubitandi ratio, quia hic actus non solùm procedit ex affectu & inten-

& intentione finis, sed etiam verè ac propriè dici po- A test medium ad finem. Quia licet nomine vsus & executionis finis hîc non intelligamus solum externũ vsum vel executionem, sed etiam internum actum, quo voluntas applicat membra vel instrumenta ad exequendum medium: tamen tota illa actio vt includit tam imperantem actum quàm imperatum, verè ac propriè dicitur esse medium ad finem: ergo est etiam propriissimè effectus finis. Et confirmatur, nam electio est de mediis: quando verò media talia sunt vt per vsum actiuum voluntatis exerceri debeant, etiam ipse vsus actiuus sub electionem cadit: nã eligitur vt medium tota illa actio humana, quæ ex interno, & externo actu coalescit: ergo etiam actus internus voluntatis quo proximè fit executio externi medij, habet rationem medij ad finem: ergo est etiam effectus ipsius finis.

VI. Dico secundò. Electio mediorum verè ac propriè est effectus causæ finalis. Probatur primò, quia ille actus est propriissimè propter finem: sed per hæc verba maximè declaratur causalitas finis: ergo ille actus est ex causalitate finis. Secundò. Ille actus procedit ex intentione finis, & ex ratione ordinante me- B dium ad finem: sed in his videtur potissimùm consistere causalitas finis: ergo. Tertiò, talis actus pendet essentialiter ex fine, quia non versaretur circa media nisi ratione finis: quin potiùs ipsa media electa non sunt effectus finis nisi media electione: ergo multò magis necesse est vt ipsamet electio sit effect' finis. Et hæ rationes æq; ferè confirmant præcedentem assertionem.

VII. Neque contra has assertiones obstat prima ratio dubitandi in principio posita. Primò quia non tantùm media sunt propter finem, sed quidquid à fine essentialiter pendet, & ex illius amore procedit. Deinde quia ipsamet electio non incongruè dici potest medium ad finem. Quod potest explicari ex iis quę suprà diximus tractando de potentia formaliter libera, quòd nimirum actus ab ea elicitus, est intrinsecè voluntarius, seu volitus per modum actus: ipsa ergo electio cùm sit actus elicitus à voluntate, est etiam intrinsecè volita: non est autem volita nisi propter consequendum finem, quia sicut res quæ eligitur, propter finem eligitur, ita ipsamet electio propter finem exercetur. Vt, qui eligit eleemosynam ad C satisfaciendum pro peccatis, non solùm refert in eum finem ipsam eleemosynam, quam eligit, sed etiã ipsam volitionem qua illam eligit, nam ad eum finẽ necessaria est illa electio, & in ea reperitur ea bonitas, & vtilitas quæ inuenitur in medio ad finem intentum comparato. Et confirmatur primò, nam consultatio est mediorum ad finem, &, si contingat voluntatem actu directo, & formali velle consultare, quod sepè accidit, illa volitio re vera est cuiusdam medij ad finem: quia non ob aliud vult quis consultare, nisi vt paret sibi viam ad finem obtinendum: ergo similiter si voluntate propria, & reflexa velit hic & nunc eligere, vt etiam potest, illo actu vult electionẽ vt quoddam medium, quia etiam vult illam propter finem, sicut consultationem: ergo etiã quãdo hoc non faciat distincto actu & reflexo, ipsamet electio, eo modo quo est intrinsecè volita, intrinsecè est quoddam medium ad finem, ratione cuius volita est: est ergo verè ac propriè effectus finis.

VIII. Dico tertiò. Actus qui versantur circa finem ipsũ, & antecedunt, vel antecedere possunt ordine intentionis consecutionem eius, sunt verè & propriè effectus finis. Circa hanc conclusionem inuenio nõ- A nullam diuersitatem inter authores: quidam enim eam admittunt de actu intentionis, vel desiderij, nõ verò de primo actu amoris, seu simplicis voluntatis. Et ratio esse potest, quia desiderium, vel intẽtio supponunt amorem finis, & ab eo procedunt, & ideò possunt causari à fine medio amore sui, & propriissimè dicentur esse propter finem, vel gratia finis: & ideò esse possunt effectus finis. Amor autem nõ supponit alium actum vel amorẽ finis à quo procedat: & ideò non est ex amore finis: nec etiam est formaliter propter finem, quantum est ex directione ipsius voluntatis: non est ergo effectus finis in genere causæ finalis, sed solùm in genere obiecti, efficientis, vel specificantis iuxta varias opiniones. Et hanc sententiam videtur tenere Ferrariensis 1. contra Gentes, capite 75. dicit enim, licet res quæ est finis, amari possit, nihil ad ipsam ordinando, tamen non exercere causalitatem finis, donec aliquid propter ipsam ametur: & fundatur in verbis Diui Thomæ ibi dicentis, causalitatis finis in hoc consistere, quòd propter ipsum alia desiderantur. Tamen ibi Diuus Thomas non dicit hanc esse adæquatam causalitatem finis, sed pertinere hoc ad causalitatem finis. A- B lij verò de omnibus his actibus conclusionem admittunt, cum quadam tamen moderatione, scilicet, quòd hi actus re vera sint effectus finis, non tamen ita propriè aut non ita perfectè sicut priores: quod sumi potest ex Gabr. in 2. dist. 38. notab. 2. & Grego- Gabriel. rio quem ipse citat ibi, art. 1.

IX. Alij nihilominus simpliciter affirmant finem esse propriè finalem causam horum actuum, vt Henri- Henric. cus 2. par. Summę, articulo 46. quæstione sexta. Et in D. Thom. hoc sensu posita est assertio, quam mihi sumo ex Diuo Thoma 1. 2. quæstione prima, articulo primo, vbi simpliciter ait, omnes actus humanos esse propter finem: & consequenter esse effectus finis: nam hæc duo conuertuntur, sicut esse ab agente & esse effectum agentis, comprehendendo sub effectu actionem ipsam. At verò hi actus de quibus nunc agimus, sunt verè actus humani, nam proceduntab homine vt rationalis est, imò etiam sunt liberi saltem pro statu huius vitæ, vt suprà disputat. 18. sect. 3. probatum est, ergo.

X. Atque hinc confici potest prima ratio, nam homo quatenus exercet has actiones, etiam primum amorem finis, operatur propter finem, & non operatur vt ab alio motus in finem, sed vt proximè & immediatè motus ab ipso fine secundum propriam & formalem rationem eius: ergo hi actus sunt propter finem vt causati ex propria motione finis vt finis est: ergo sunt effectus finis vt finaliter causantis. Consequentiæ sunt euidentes, quia causalitas finis propriissima est per dictam motionem. Maior etiam patet, quia illa actio non temerè & casu fit, sed ad definitum scopum ex instituto tendit: hinc autem colligimus actionem aliquam esse propter finem. Minor etiam est satis clara, quia in quolibet illorum actuum homo operatur illectus & attractus à fine cognito, nõ vtcunq;, sed quatenus est bonum quoddam propter se diligibile, quæ est propria quædam habitudo & formalis ratio finis: & ex vi huius cognitionis homo ita operatur in ea actione, vt ipse seipsum dirigat & moueat in talem finem, & in formalem bonitatem eius. Atque hæc ratio sumitur ex Diuo Thoma dicto articulo 1. vbi non aliter probat actum humanum esse propter finem, nisi quia est ab obiecto voluntatis sub ratione finis, id est, vt exercet propriam causalitatem finis: & 3. contra Gent, cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap. 2. ratione quinta, ficait: *De agentibus per intellectũ non est dubium quin agant propter finem, agunt enim præcõcipientes per intellectum id quod per actionem consequuntur, & ex tali præconceptione agunt.* Hæc autem verba applicari possunt etiam ad simplicè amorẽ ipsius finis. XI.

Secundò hoc ampliùs declaratur in ipso amore: potest enim dupliciter considerari: primò vt directè tendit in obiectum, secundò vt reflexione virtuali in se ipsum cadit, eo videlicet modo quo suprà dicebam huiusmodi actus esse intrinsecè volũtarios. Priori consideratione causatur à bonitate obiecti vt cognita, & mouente appetitum ad amandam talem rẽ propter bonitatem suam: & ita verè causatur ab obiecto vt à fine, non quidem vt à fine extrinseco rei volitę, sed vt à fine proprio & intrinseco ipsiusmet actus amoris qui in illum tendit. Atque ob eandem rationem dicitur verè ac propriè talis actus esse propter finem, non tanquam propter extrinsecam rationem volendi, sed quia est propter intrinsecam bonitatem eius, & ex propria eius motione. In quo (quidquid alij dicant) eadem est ratio amoris & intentionis, nam etiam intẽtio non est propter finem, qui sit extrinseca ratio volendi, sed quia tendit in finem propter se ipsum & propter intrinsecam bonitatem eius. Illa autem differentia, quòd intentio supponat priorem actum amoris, nihil ad rem præsentem refert, vt statim declarabimus. Tandem ex communi modo loquendi constat, verè ac propriè dici amare nos finem propter se ipsum, vel propter bonitatem suam: sic. n. amamus Deum: hæc autem particula *propter*, attributa fini cum proprietate, declarat causalitatem eius: ergo hę locutiones verę sũt propter causalitatem finis circa talem actum. Vnde hac etiam ratione, cùm Deum super omnia amamus, dicimur illum amare vt vltimum finem, quia re vera exercet circa nostrum amorem propriam causalitatem vltimi finis, & talis actus non in alium finem tẽdit, neq; excitatur nisi à suprema bonitate talis finis, ipsi voluntati posita. XII.

Posteriori etiam consideratione virtualem reflexionem includente apertissimè constat talem actum esse propter finem, quia etsi amari possit propter suam honestatem (quod nõ est extra rationem causandi finalem) tamen re vera amatur propter obiectum in quod directè tendit tanquam propter finem, eo ferè modo quo suprà de electione dicebamus. Quamuis in electione magis appareat quædam ratio medij ad finem, quàm in amore, quia amor non ita ordinatur ad consequendum finem sicut electio. In quo etiam videtur esse nonnulla differentia inter desiderium seu intentionem, & amorem finis: nam desiderium, cùm ex sua ratione supponat carenti finis cõsecuti, est aliquo modo medium ad consequendum illum, imò est veluti quædam inchoatio inquisitionis eius, quod eadem vel maiori ratione verum est de intentione: amor verò ex ratione sua non supponit carentiam consecutionis finis: & ex hac parte minùs participare potest rationem medij. Sed hæc differentia nihil obstat, quo minus ipse amor sit verè causatus à fine, quia, vt suprà dicebam, hæc causalitas non limitatur ad sola media, sed extenditur ad omnem actum qui verè sit propter finẽ, & ex propria eius motione. Eò vel maximè quòd etiam amor quando antecedit consecutionem finis, quatenus excitat & mouet ad illũ inquirendum, potest dici vtilissimum medium ad cõsequendum illum. Addo deniq; amorem ex ratione sua abstrahendo ab hoc vel illo statu amantis, tendere ad finem, vt illi vniat & coniungat amantem: vnde, quatenus ipsemet amor virtualiter aut formaliter amatur, propter hunc finem amatur: ergo propter finem quem pro obiecto habet, amatur: ergo ab eodem fine causatur. XIII.

Quod optimè potest confirmari ex doctrina Diui Thomæ in quartũ distinctione 49. quæstione 1. articulo primo, quæstiunc. secunda, vbi ait, *Cùm voluntatis obiectum sit finis, hoc ipsum quod est velle, & quemlibet alium voluntatis actum, non esse aliud quàm ordinari aliquid in finem, & ideo necessariò supponere aliquem finem obiectiuum in quem ordinetur.* Addi etiam potest ex Capreol. in 1. distinctione 1. quæstione prima ad primum, contra tertiam conclusionem, hunc amorem, qui antecedit finis consecutionem, ordinari vt in finem in ipsius rei amatæ consecutionem & fruitionem: & hoc modo etiam esse posse effectum causæ finalis. Et in discursu illius articuli & solutionum argumentorum multa dicit & cõgerit ex doctrina Diui Tho. quæ ad hanc sententiam confirmandam cõferre possunt. Denique etiam hic amor potest ordinari in ipsum amantem vt in finem Cui, quatenus illum perficit, & vnit aliquo modo suo fini obiectiuo: ergo ex hoc etiam capite potest esse effectus finalis causæ. D. Thom. Capreol.

Dico quartò. Actus voluntatis, qui versantur circa finem iam consecutum, numerari etiam possunt, & debent, inter effectus finalis causæ. Probatur, nam hi actus tantùm esse possunt aut amor, aut gaudium, de quibus controuersum est an sint actus distincti prout versantur circa finem iam adeptum: q̃ tractat latè Capreolus citato loco: nunc de eis loquamur vt de distinctis, siue re, siue ratione differant. Actus ergo amoris vt sic eiusdem rationis est circa finem, qui propter se amatur, siue ille finis sit iam possessus, siue non: ergo, si amor secundum se, vel qui antecedit consecutionem finis, est effectus finalis causæ; etiam amor ille, qui manet fine iam consecuto, est effectus eiusdem finis. Patet consequentia, quia eodem modo causatur amor in vtroque statu ab obiecto cognito alliciente voluntatem vt ipsum propter se, & propter bonitatem suam amet. Atque ita D. Thom. 1.2. quæstione 23. articulo quarto, & quæstione 26. articulo secundo, eodem modo attribuit causalitati finis, seu obiecti boni amorem eius in vtroque statu, imò & delectationem, vt statim dicam. Vnde etiam rationes omnes, quibus probauimus primam voluntatem seu amorem erga finem, esse effectum finalis causæ, idem probant de vltimo amore, maximè cùm probabile sit eundem semper esse, ac perseuerare posse. XIV. XV.

De gaudio autem, quatenus est quid distinctum ab amore, videtur esse nonnulla dubitandi ratio: tum quia est veluti passio quædam necessariò consequens possessionem finis amati: tum etiam quia est veluti vltima quies animi, ad quam cætera ordinãtur, etiam ipse amor, ipsa verò non ordinatur ad aliud, & ita non videtur habere finem à quo causari possit. Sed nihilominùs probatur etiam de hoc actu assertio posita, nam re vera gaudium non est mera passio, sed est actus vitalis ab ipsa voluntate elicitus, & causatus in suo genere ab obiecto per se bono, & per rationem proposito, & inuitãte voluntatem vt in ipso, & in possessione eius quiescat & gaudeat propter illius bonitatem: sed hæc causalitas obiecti non est alia quàm finalis, quantum ad hũc motionis modum, quidquid sit an aliunde interueniat etiam causalitas effectiua inter illos actus, quod nihil

nihil ad præsentem quæstionem refert. Et confirmatur primò, nam ipsa delectatio ex natura rei ordinatur, vt in finem, in actionem ipsam ad quam cõsequitur, tanquam perfectio quædam, & decor eius, & vt conferat ad constantiam & facilitatem eius: ergo etiam delectatio, quæ consequitur ex fine consecuto, ordinatur ad ipsammet consecutionem finis vt ad finem quem suo modo perficit, & firmat: ergo si delectatio intellectualis sit, & consequatur ex illo fine perfectè cognito, & proposito voluntati causabitur ab illo in genere finis. Vnde, licet delectatio dicatur esse quid vltimum via generationis, tamen in ordine finium secundum se non est simpliciter vltimum, quamuis interdum possit ab appetente sumi vt vltimus finis Cuius. Et tunc etiam ipsa delectatio ordinatur ad ipsummet qui delectationem capit, vt ad finem Cui, & ex hac parte potest esse effectus causæ finalis. A

XVI. Neque contra hanc, & præcedentem conclusionem vrgent rationes priùs factæ. Ad primam enim iam responsum est non sola media esse effectus causę finalis, sed omnem actum qui ad finem confert, vel ad illum ordinatur, vel tanquã medium, vel tãquam perfectio possessionis eius: ac denique quidquid est ex propria motione finis præconcepti, & propositi secundum propriam rationem boni propter se diligibilis. Ad secundam, negamus hos actus non esse propter finem, nam re vera amamus Deum propter ipsum, & delectamur in Deo propter ipsum. Neque ad hoc necessarium est vt actus, quia causatur à fine, seu dicitur esse propter finem, causetur ex priori amore finis, sed satis est quod causetur ex bonitate ipsius finis allicientis voluntatem. Quanquam delectatio quatenus est actus ab amore distinctus, re vera causatur ex amore: delectatur enim aliquis in fine possesso quia amat illum. Illa verò causalitas quatenus est inter actus, magis pertinet ad quendã modum efficientiæ, vel naturalis resultantiæ, quàm ad causalitatem finalem, quam nunc inquirimus. Hæc ergo magis consideranda est ex habitudine actus ad obiectum seu finem, & ex peculiari modo quo res intellectualis mouetur à fine ad huiusmodi actus. Ad tertium respondetur, quamuis delectatio dicatur quies, non tamen esse mortuo modo (vt ita dicã) vt est naturalis quies, quæ consistit in sola carentia motus, sed esse vitalem quietem, quæ non est sine interna actione: tamen quia illa non est ad obtinendum & inquirendum finem, sed ad fruendum fine iam possesso, ideò dicitur animi quies. Quatenus ergo proprius actus est ac vera actio, potest esse effectus finis. Quod verò Aristoteles ait, consecuto fine cessare motum vel actionem, intelligendum est de motu, quo tenditur ad consecutionem finis, non verò de interna actione, qua quiescitur in fine. Imò addit Diuus Thomas in quartũ distinctione 48. quæstione secunda, articulo secundo, ad primam rationem in oppositum, quòd tunc cessat motus habito fine, quando talis motus non concomitatur ipsum finem, seu consecutionnm eius: sicut cœlum consequitur suum finem mediante suo motu, non tamen cessat, quia ad illum finem necessarius est ille motus: sic igitur non cessat interna actio amoris vel delectationis consecuto fine, qua concomitatur talem finem, & ad ipsius perfectionem est necessaria: & ideò respectu talis actionis nõ cessat causalitas finis. B

XVII. Hic verò oriebatur difficultas theologica, præ- C

sertim ex vltima conclusione, nam hinc sequitur, ipsum amorẽ & fruitionem beatificam verè ac propriè causari à Deo viso, vel à visione eius in genere causę finalis: & consequenter illos actus verè ac propriè esse propter finem, quod videtur inconueniẽs, cùm illi actus sint simpliciter necessarij. Sed quia res est Theologa, breuiter respondeo, concedendo illos actus esse ex causalitate finis, id enim ęquè probant omnes rationes superiùs factæ. Nec quicquã obstat quòd sint necessarij imò in superioribus dixi, necessitatem illius amoris prouenire à Deo clarè viso, vt vltimo fine, cuius summa bonitas tam est potens in causando etiam in eo genere, vt omnino sibi subiiciat voluntatem. Denique illa necessitas non prouenit ex imperfectione, aut ex irrationali modo operandi, sed potiùs ex summa perfectione, tum ipsius finis vltimi, tum etiam modi applicandi illum per cognitionem rationalem seu intellectualem perfectissimam ad mouendam voluntatem: & ideò nihil obstat, quò minus illa voluntatis motio quantumuis necessaria, sit ex propria causalitate finis. An verò satis sit vt ille amor necessarius dicatur actus humanus nec ne, tractatur à Theologis, & pertinet magis ad moralem Philosophiam quàm ad Metaphysicam.

De effectibus externis finalis causæ.

DIximus hactenus de effectibus, quos causa finalis habet intra ipsam voluntatem causæ agentis à proposito: nunc supereſt dicendum de effectibus, qui exteriùs prodeunt à tali causa, id est, extra ipsam humanam voluntatem, ita vt sub his effectibus comprehendantur tum actus omnium aliarum facultatum ipsius hominis, scilicet intellectus, sensuum &c. tum etiam externi effectus, si qui sunt qui p has actiones resultẽt. In qua re duo sunt certa & extra controuersiam. Vnum est actiones omnes naturales quas homo exercet sine imperio seu motione voluntatis, non esse effectus causæ finalis, eo speciali modo, quo nunc loquimur: huiusmodi sunt actiones omnes animæ vegetatiuæ, quatenus sunt merè naturales: & actus sensuum, vel etiam intellectus, quatenus interdum antecedunt motionẽ voluntatis. Et ratio est, quia causalitas finis quatenus propriè versatur circa agentia à proposito, quę se ipsa mouent in finem, primò per se est circa volũtatem, & supponit sufficientem applicationem talis causæ per intellectum: sed in his actionibus quæ nõ procedunt ex motione voluntatis, non sic mouetur homo ex fine, sed agit ad modum aliorum agẽtium naturaliũ, ergo, Vnde talis modus agendi per se non requirit propriam & rationalem cognitionem ipsius finis. Imò & in ipsomet intellectu cognitio vel apprehensio ipsiusmet finis, si naturalis fit, & nullo modo à voluntate, non procedit à cognitione finis, sed est ipsa cognitio finis: & ideò non procedit ex causalitate finis vt sic, prout est propria agentium à proposito. Quod idcirco semper addo, quia in his actibus naturalibus operatur homo propter finem, sicut alia agentia naturalia, de quibus posteà videbimus quid in eis sit operari propter finem, & qualis in eis esse possit causalitas finis. Atque in hac assertione sic exposita nulla relinquitur difficultas. XVIII.

Secũdò certum est, omnes actiones, & effecta earum, quæ procedunt ex imperio & motione voluntatis creatæ operãtis propter finẽ, esse effectus causę finalis XIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

finalis. Probatur primò ex modo loquendi & sentiendi omnium, nam quando homo deambulat propter sanitatem consequendam, talis deambulatio censetur esse effectus sanitatis præcõceptę & intentę: & ideò dicitur esse propriissimè propter finem, non ex directione alicuius extrinseci agentis, sed ipsiusmet operantis, quod hac ratione vocatur agẽs à proposito: & idem est de omnibus similibus. Et quando per has actiones fit aliquis terminus permanẽs in facto esse, ille etiam censetur effectus finis præcõcepti, vel in fieri dum actu fit, vel in facto esse cùm postea permanet: quòmodo dixit Aristotel. instrumẽta esse propter finem: & similiter domus, & aliæ res artificiales sunt effectus alicuius finis præconcepti. Ratio verò est, quia finis mouet ad has omnes actiones: ergo omnes sunt effectus eius. Item tales actiones prout ab homine fiunt, pendent essentialiter à fine vt causante: quia non possunt aliter ab homine fieri: ergo sunt effectus finis. Item illæ actiones sunt media quibus comparatur finis intentus: sed finis nõ solùm causat intentionem, vel electionem: sed etiam mediorum executionem: imò in hac maximè videtur relucere eius causalitas.

XX. Dices. Interdum actio imperata à voluntate non est medium, sed ipse finis intentus, iuxta quandam diuisionem superiùs datam, quòd finis interdum est res acta, interdum ipsamet actio, vt cytharizatio, aut contemplatio: ergo tunc saltem non erit actio propter finem, etiamsi procedat à voluntate: ergo non erit causata à fine. Respondetur, vt iam suprà notauimus, nullam esse actionem, quæ si propriè sumatur vt actio est, non habeat aliquem terminum intrinsecum propter quem sit, vt cytharizatio ipsa quatenus est motio quædam efficit quendam sonum proportionatum, qui est qualitas quædam artificiosè composita: & hoc modo omnis actio est aliquo modo medium ad suum terminum, & eâ ratione potest esse causata ab illo vt à fine. Si verò de ipso termino loquamur, vel comprehendatur sub actione per modum vnius, sic non est propriè medium, supposito quòd sit finis vltimus in sua serie: tamen nihilominùs licet sit finis Cuius, potest habere finem Cui. Nam cytharizatio vt fit ab homine, est propter ipsum operantem: vel si talis actus sit finis formalis, potest esse propter obiectiuum, vt contemplatio est propter veritatem ipsam. Atque ita semper omnis actio, quæ est imperata à voluntate, est effectus alicuius finis præconcepti.

XXI. Circa hanc verò posteriorem assertionem occurrunt duo breuiter explicanda. Primum est tactum suprà sectione prima, quia ex dictis sequitur idem esse causam sui ipsius, quod videtur absurdum. Et sequela patet in primis, quia operatio imperata à voluntate sæpè est vera causa finalis, quæ apprehensa mouet ad sui executionem, & non tantùm ad desiderium vel intentionem: ergo executio illius operationis est effectus eiusdem operationis apprehensæ per modum finis: illa autem executio non est aliud ab ipsamet operatione, ergo. Deinde quia consecutio finis (siue in operatione consistat, siue in solà inhærentia alicuius formæ, vel in alia simili habitudine) est vltimus effectus causæ finalis, vt finis curationis est sanitas non vtcunque, sed vt mihi inhærens, & me afficiens, & hoc est vltimum quod causatur ex vi illius intentionis: & idem est proportionaliter in reliquis. Sed primus finis, qui mouet, & causat vsque ad hunc effectum, est ipsamet consecutio finis vt apprehensa: causat ergo seipsam.

XXII. Respondetur inprimis nullum esse inconueniens hoc totum concedere, quia in causa finali non interuenit ea repugnantia, quæ in causa efficiente, vt non possit esse causa sui ipsius, quia non requirit præexistentiam realem ad causandum, sed sufficit intentionalis, media apprehensione: cùm ergo finis causet priùs quàm habeat existentiam in actu, mirum non est, quòd possit in suo genere concurrere ad suammet existentiam. Atque ita concedimus, rem eandem secundum diuersas conditiones existendi, posse causare se ipsam, nam intentionaliter existens causat se ipsam vt realiter sit. Neque hoc est diuersum ab eo, quod communi axiomate dicitur, *illud quod est primum in intentione, esse vltimum in executione*, vel quod etiam Aristoteles dixit, *formam & finem concurrere in idem numero*, quamuis forma & efficiens solùm possint concurrere in idem specie. Forma enim, seu effectus formalis eius, est effectus agentis, & vt sic est etiam effectus finis, qui excitauit agens ad operandum, quique non est aliud ab ipsa forma. Deinde verò addimus, nullam esse finis consecutionem, quæ non sit aliquo modo propter finem, vel obiectiuũ, si illum habeat, vel saltem propter finem Cui, qui semper supponitur ad causalitatem finalem, & vt sic non est effectus eius: atque hoc modo semper effectus finis etiam vltimus distinguitur aliquo modo ab adæquata causa finali. Tandem consecutio finis vltimi vel simpliciter vel in aliquà serie, non causat se immediatè, sed proximè causat in intellectuali agente, de quo nunc loquimur, affectum & intentionem, & alios actus, quibus mediantibus peruenit eius causalitas vsque ad illam actionem, qua finis ipse comparatur, & in qua consistit: & ita semper concurrit aliquid distinctum ab ipso ad huiusmodi causalitatem.

XXIII. Sed tunc occurrit explicanda altera difficultas proposita, nimirum, qualis sit hęc causalitas finis circa actiones vel res externas, manãtes à motione voluntatis. Est enim in his specialis dubitandi ratio, nã actus interni eliciti à voluntate habent realem & intrinsecam habitudinem ad ipsum finem vt ad proprium obiectum, vel formale simul & materiale, vt in intentione, & aliis actibus qui proximè versantur circa ipsum finem, vel formale tantùm, vt in electione mediorum: & ideò rectè intelligitur, ipsum finem per se ac proximè excitare ac mouere ad tales actus: & è conuerso tales actus per se & intrinsecè pendere à causalitate talis finis. At verò actus imperati tantùm à voluntate (& multò magis effectus eorum) nullo modo excitantur proximè ab ipso fine, neque ipsi dicunt intrinsecam habitudinem ad finem, sed solùm per extrinsecam denominationem dicuntur ordinari in finem mediis interioribus actibus, vt deambulatio exterior merè extrinsecùs ordinatur ad sanitatem. Ex quo videtur sequi primò, finem non per se, sed per accidens esse causam huiusmodi effectuum, eo modo quo applicans vel excitans efficientem causam dicitur esse causa effectus causati ab illa, vel eo modo quo auus est causa nepotis, quia genuit patrem eius: sic enim finis est causa actionis externæ, solùm quia genuit internã. Deinde videtur sequi ex vi huius causalitatis finis, nihil rei poni in huiusmodi actionibus & effectib⁹ externis per se loquẽdo, sed solam extrinsecam denominationem, quę non est satis ad causalitatem realem.

Sequela

Sequela patet, quia inde solùm habet actus exterior vt ordinetur medio interiori ad talem finem, quod solùm est denominatio extrinseca in ipso exteriori. Cuius signum est, nam si contingeret illam exteriorem actionem, vel propter alium finem, vel casu, & sine vllo fine fieri, in se & in sua entitate non mutaretur, nec minueretur, neque actio Physica qua fit, esset alia: ergo signum est non causari per se ab illo fine, sed tantùm remotè & per accidens. In causis enim efficientibus, licet contingat eundem effectum qui fit ab vna causa, posse causari ab alia, tamen si sit causa per se, necesse est saltem actionem esse diuersam vt in superioribus traditum est: vnde si ex mutatione causæ, neq; effectus, neq; actio mutatur, signum est talem causam, nec per se, nec immediatè influere in talem effectum: idem ergo, proportione seruata, erit in præsenti.

XXIIII. Hæc difficultas postulat, vt explicemus quid sit causalitas causæ finalis, vel quid ponat in suis effectibus, quod sequenti sect. præstabimus, & in fine eius huic difficultati satisfaciemus.

SECTIO IIII.

Quid sit, vel in quo consistat ratio causandi, seu causalitas causæ finalis.

I. NOn inquirimus nunc rationem causandi in actu primo, vt sic dicam, seu id quod in finali causa est proxima ratio qua potens est ad sic causandum, de hoc enim dicemus sect. sequenti: sed inquirimus causationem ipsam in actu secundo. Quid nimirum sit, & vbi seu in quo subiecto vel effectu sit: hoc enim, cùm in cæteris causis ad explicandum sit difficile; in hac re vera est difficillimum, quia non apparet, quæ res, vel quis modus realis esse possit hęc causalitas: quod si nihil horum est, nec realis causalitas esse poterit.

Prima sententia expenditur.

II. QVidam ergo ab hac difficultate se facilè expediunt, causalitatem hanc nihil aliud esse, nisi quod actio vel effectus fiat propter finem, seu gratia finis. Aristot. enim non aliter explicuit hanc finis causalitatem, nisi dicendo *esse id cuius gratia aliquid fit*. Vnde Caietan. 2. 2. quæst. 17. art. 5. optimè docet; quòd sicut in agente est ratio agendi, quæ est in ipso, & effectus, & causalitas, quæ est quasi media inter rationem agendi & effectũ, ita in fine sunt illa tria, ratio finalisandi, finalisatio, & effectus. Ait verò, finalisationem esse quid innominatum, solumque significari per hęc verba, *esse id cuius gratia* seu *fieri propter aliud*, neque posse causalitatem hanc amplius explicari, neque intelligi quid aliud sit: neq; etiam vbi sit. Nam si dicatur esse in voluntate, contra hoc est inprimis, quia hoc nec saluari potest in volũtate Dei, neque in naturalibus agentibus, quæ etiam operantur propter finem. Et deinde inquirendum est in nostra voluntate quid illud sit, nam vel est aliquid antecedens actum elicitum ab ipsa voluntate: & hoc non, iuxta veram, & sanam doctrinam, quia in voluntate nihil recipitur ante actum ab ipsa elicitum, vt suprà satis probatum est agendo de concursu primæ causæ. Omitto habitus supernaturales, qui aliquando infunduntur ante omnem actum, quia illi habent locum potentiæ, vel complent illam, & ita non veniunt in præsentem consideratio-

C nem. Item, quia si quid reciperetur in voluntate, deberet habere aliquod principium efficiens extra ipsam, quod nullum est præter ipsam causam finalem, hæc autem vt sic non est actiua: aliàs confunderentur causalitates. Præterquam quod finis sine reali esse haberet efficientiam. Et ideò Aristot. meritò dixit 1. de Generat. text. 55. *Causa cuius gratia cætera fiunt, actiua non est, & sanitas ipsa non est actiua nisi per translationem.* Nec verò dici potest, illud principium esse intellectum, vel actum eius, quia improbabile est intellectum se solo posse aliquid imprimere voluntati: & deinde explicari non potest quid illud sit. Et præterea est id parum consentaneum libertati voluntatis. Aut verò illud quod in voluntate dicitur esse causalitas finis, est ipsemet actus voluntatis: & hoc non, quia hic est effectus, causatio autem debet esse aliquo modo distincta ab effectu. Accedit præterea, quod in actibus imperatis nõ poterit explicari quid sit hæc causalitas, quia in huiusmodi actibus nihil immediatè influit ipse finis: multoq; minùs explicari poterit in effectibus Dei,

B & naturalium agentium.

III. Hæc sententia in eo magnam difficultatem habet, quod rem non declarat, nam per illa verba, *id cuius gratia*, non tam declaratur causalitas finis, quàm denominatio quædam resultans in ipso fine ex eo, quod aliud ad ipsum ordinetur: quæ denominatio non potest esse causalitas, tum quia non est aliquid rei in effectu, sed aliquid rationis in causa, seu denominatio extrinseca, quod idem est: quod enim Deus sit id cuius gratia res sit, non est aliquid intrinsecum in rebus, neque in Deo ipso, sed est denominatio extrinseca Dei à rebus ipsis desumpta. Tum etiam quia in illis verbis, non significatur finis vt principium, sed potiùs vt terminus: & ideò non significatur emanatio aliqua vel influxus causæ finalis in effectum, quod videtur esse de ratione omnis causalitatis. Et confirmatur primò, quia aliàs in omni motu respectu sui termini esset propriissima causalitas finis, & in omni actu respectu sui obiecti: consequens est falsum: ergo. Sequela patet, quia terminus est id cuius gratia est motus, & obiectum cuius gratia est actus. Minor verò patet, quia aliàs causalitas finis non magis conueniret obC iecto voluntatis quàm aliarum potentiarum: nec magis esset in rationali motione, quàm in naturali. Vnde confirmatur secundò, quia aliàs, quamdiu res est gratia alicuius finis, tamdiu actu causaretur à tali fine, vt potentia visiua, quæ est propter actum videndi, vel propter obiectum visibile, semper actu causaretur ab illo fine, quia semper durat illa denominatio, quòd hæc potentia est propter suum actũ, vel obiectum: quæ denominatio manere potest, vel ex actione præterita, vel ex naturali propensione potentię in suum actum vel obiectum. Consequens autem est falsum, quia actualis causalitas finis, non est sine actuali causalitate agentis, vt statim dicam, per illam ergo denominationem non satis declaratur causalitas finis. Præsertim quia omnes ponunt hanc causalitatem in motione Metaphorica, quæ non satis declaratur per sola illa verba, nisi res amplius exponatur.

Expenditur secunda sententia.

IIII. SEcundus modus explicandi hanc causalitatem esse potest, illam esse quandam Metaphoricam motionem: quod ita in communi sumptum est ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arist. 1. de Gener. c. 7. & D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. & aliis locis quę statim referam. Tamen in modo explicandi hanc motionem, est singularis hæc sententia: dicit enim, hanc motionem talem esse, vt ex se antecedat actum à voluntate elicitum: non solùm natura, sed etiam tempore, quia hæc motio naturali quadam necessitate resultat ex causa finali sufficienter proposita: actus autem voluntatis in eius manet libertate. Vnde licet hæc motio respectu ipsius causæ finalis sit veluti actus secundus, tamen respectu voluntatis se habet vt actus primus. Quod explicatur & probatur in hunc modum, nam hoc ipso quod bonitas finis sufficienter est cognita & voluntati proposita, excitat illam, & quātum in se est, trahit eam ad sui amorem, voluntas autem, eò quod libera sit, potest suspendere suum proprium actum, ergo hæc motio finis est distincta ab ipso actu voluntatis, & antecedit illum, ergo in hac motione cōsistit propria causalitas finis. Antecedens experientia constare videtur, & fundamentum eius videtur esse positum in Sympathia quadam naturali, quę est inter intellectum & voluntatem, quatenus in eadem animæ essentia radicantur. Prima verò consequentia per se nota est, secunda autem patet, quia nulla alia ratione videtur intelligi posse hæc causalitas, tum quia quod proximè sequitur post hanc motionem in voluntate, est aliquis actus eius, qui, vt suprà dicebam, nō est causalitas, sed effectus causæ finalis: tum etiam quia, seclusa hac motione, in reliquis, finis nō se habet vt causa, sed potiùs vt terminus specificans, qui potiùs participat causalitatem formæ, quam habent omnia obiecta, quæ specificant actus quarumcunq; potentiarum.

V. Hæc verò sententia inprimis est aliena à mente D. Thom. vbicunq; ponit causalitatem finis in hac motione Metaphorica, nam q. 22. de verit. art. 2. explicans hanc motionem inquit. *Sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti seu desiderari*: vbi clarè sentit non esse in actu influentiam causæ finalis donec voluntas moueatur appetendo seu desiderando. Idem sentit q. 5. de potent. art. 1. Et ratione probatur, quia est aperta repugnantia quod sit finis causans in actu secundo, & quod non sit aliquid actu causatum, sed antequam voluntas eliciat actum, nihil est causatum in ipsa; ergo neq; causalitas finis potest esse in actu secūdo. Maior patet, tum quia causare & causari sunt correlativa, tum etiam quia realis causalitas ad aliquid reale terminari debet, & in sese debet esse aliquid reale, aliàs esset nihil: si ergo in voluntate nulla res noua, vel operatio aut affectio inest, neque actualis causalitas finis in illa esse potest: neque etiam est in intellectu, vt per se constat: ergo intelligi non potest talis causalitas finis ante omnem actum voluntatis. Et confirmatur primò, quia finis non causat in actu, nisi agens etiam actu efficiat, nam, vt dixit Aristoteles 3. Metaph. cap. 2. tex. 3. *finis, & id cuius gratia, alicuius actionis est finis*: & ideò dixit idem Aristot. 1. de Generat. cap. 7. cessante actione sistere etiam finalem causam: ergo eodem modo prius tempore, quàm actio agentis inchoetur, non potest esse in actu secundo causalitas causæ finalis, sed antequam voluntas eliciat actum, nulla causa efficiens mota à fine aliquid actu agit, & è contrario nihil etiam actu sit propter finem: ergo neque ipse finis aliquid actu causat in voluntate. Vltimò confirmatur declarando rem ipsam, nam antequam voluntas moueatur eliciendo proprium actum, solum est obiectum bonum seu A finis repræsentatus per cognitionem seu iudicium intellectus: in voluntate autem nihil est quod anteà non esset; ergo in toto illo tempore nulla est excitatio distincta à iudicio: ipsum autem iudicium non est causalitas, sed sufficiens approximatio finis vt causare possit: ergo non potest intelligi causalitas finis in actu posita ante actum voluntatis. Maximè cùm neque illa causalitas versari possit circa ipsam potentiam, cùm ipsa nondum aliter se habeat, sed immutata maneat, neq; circa actum ipsius voluntatis, cùm ille nondum sit.

Dicet fortasse aliquis, has rationes concludere, VI. hanc causalitatem finis esse aliquid nouum in ipsa voluntate, quod sit proprius actus elicitus seu consensus liber eius: nihilominus tamen esse posse nouum aliquem modum se habendi, vel vt clariùs dicamus, esse aliquem simplicem effectum, per quem fit actualiter & vitaliter propensa in finem, vt illum amet, vel intendat. Sed hoc non est constanter dictum in illa sententia, nam talis affectus, quacunq; ratione fingatur in voluntate, non potest esse non B elicitus ab illa, aliàs nō potest esse vitalis motio aut affectio, sed erit qualitas aliqua per modum habitus vel actus primi, quæ nulla ratione fingi aut cogitari potest, vt satis probant rationes hactenus factæ. Si autem ille motus est elicitus à voluntate, ille est quidam actus voluntatis: non ergo datur causalitas finis ante actum voluntatis.

Quod si dicatur, illum actum esse imperfectum, VII. & per modum velleitatis, vt vocant, secundam autem sententiam, quā examinamus, esse intelligendam de perfecto actu & consensu. Contra hoc obstat primò, q; ille actus, qualiscunq; sit, est quidā effectus ipsius finis: ergo non est causalitas finis: vel si in illo distingui potest causalitas ab effectu, idē dici poterit de primo actu perfecto & consummato, neque erit necessariū recurrere ad talem actū imperfectum. Obstat secundò, quia causalitas quam finis exercet circa talem actum, in illo habet suū propriū effectum, & ideò illa nō est causalitas propria & necessaria ad alium actum consummatū & perfectum, quam inquirimus, sed solùm erit occasio & dispositio quædā ad illum vlteriorem effectum. Tandem obstat, quia vel ille actus simplex est necessarius, aut C liber: si est liber, ergo neq; semper resultat ex sufficienti propositione finis, vt illa opinio dicebat: neq; etiā oportet, vt semper antecedat ante effectionem cōsummati actus amoris, vel intentionis finis: nō est ergo per se necessarius ad causalitatem finis, neq; in illo potest talis causalitas consistere. Si verò ille actº naturaliter fit, & absq; libertate, multò minùs esse potest per se requisitus ad causalitatem finis circa actum liberum & perfectum: huiusmodi n. actus vel motus imperfecti insurgunt in nobis ex cōiunctione appetitus, vel ex aliqua superiori causa præueniente deliberationem nostram, & ideò solùm sunt vtiles vel necessarii hi actus, suppositā aliqua imperfectione nostra, per modum dispositionis vel excitationis, non verò quia per se sint ad causalitatem finis requisiti. Vnde in angelis, in Christi anima, in B. Virgine, & aliis fuit perfectus modus operandi ex causalitate finis, absq; huiusmodi actibus.

Tertia sententia proponitur, & suadetur.

Est ergo tertia sententia, quæ constituit etiam VIII. hanc finis causalitatem in motione Metaphorica. Addit verò, huiusmodi motionem non poni in actu secūdo, nisi quādo voluntas ipsa in actu secundo mouetur, & quando sic ponitur, in re non esse A aliquid distinctum ab ipsomet actu voluntatis. Sed sicut suprà dicebamus, vnam & eandem actionem prout fluit ab agente, esse causalitatem eius, vt verò inest materiæ, esse etiam causalitatem eius circa formam: ita aiunt vnam & eandem actionem voluntatis causari à fine & à voluntate ipsa, & prout est à voluntate, esse causalitatem effectiuam, prout verò est à fine, esse causalitatem finalem, & priori ratione esse motionem realem ac propriam, quia talis actio manat à potentia, vt à proprio principio Physico, posteriori autem ratione esse motionem Metaphoricam, quia manat ab obiecto alliciente, & trahente ad se voluntatem. Hæc sentētia sumitur ex D. Thom. citatis locis, & 1. 2. q. 9. artic. 1. vbi ait finem mouere Metaphoricè voluntatem, sentiens in hoc consistere causalitatem eius, quamuis non ita expresse id declaret. Tamen ex lib. 1. cont. Gentil. c. 75. rat. 5. id clariùs sumi potest, ait enim D. Thom. *causalitatem finis in hoc consistere, quod propter illum alia desiderantur*. Ex quibus verbis colligo desideriū ipsum, quo aliquid propter finem desideratur, quatenus est à fine, vocari à D. Tho. causalitatem finis. Rursus quod causalitas finis in hac motione Metaphorica consistat, communis est loquendi modus apud authores, vt patet ex Auicen. lib. 6. suæ Metaphys. tract. 5. cap. 5. Alberto 5. Metaph. tract. 1. c. 3. & Heruæo quodlib. 2. q. 1. & clariùs q. 8. 9. Ad rationes. Sonc. 5. Metaph. q. 2. Sumitur etiam ex Alensi 1. p. q. 17. memb. 3. Nullus tamē ita clarè & expresè prædictam declarauit sententiam, sicut Ocham in 2. q. 3. art. 2. vbi ait, causationem finis esse mouere efficiens ad agendum: illud autem *mouere*, non esse aliud nisi ipsum finem amari ab agente, vel aliquid propter ipsum. Vnde inferiùs respondens ad quoddam dubium, ait, non esse prius tempore causationem finis quā motionem agentis, saltē per amorem, aut volitionē qua vult effectū exequendū propter finem, vel finem ipsum propter se.

IX. Ratione videtur satis probari hæc sententia impugnationibus aliarum, & à sufficienti partiū enumeratione, quia nihil aliud cogitari potest, quod sit causalitas finis: neq; etiam est aliud necessarium, vt intelligatur voluntas moueri à fine, & in finem, & vt actus eius habeat dependentiā à fine vt finis est: ergo C in eo tantùm quod hæc sententia affirmat, consistit hæc causalitas. Cōfirmatur, ac declaratur à simili, nā actus potentiæ cognoscitiuæ pendet, & ab obiecto, & à potentia: vnde causalitas tam obiecti quàm potentiæ nihil aliud est, quàm ipsamet actio quatenus fluit ab obiecto & à potentia, nam vt est ab obiecto, dicitur causalitas eius, vt verò est à potentia, est causalitas illius: sic igitur actio voluntatis simul ac fit, necessariò pendet à voluntate, & à fine: illa ergo eadem actio quatenus est à voluntate est dependentia actiua ab illa, quatenus verò est à fine, est dependētia finalis. Est enim quoad hoc diuersitas inter finē & obiectum potentiæ cognoscentis, nam obiectum potentiæ cognoscitiuæ concurrit efficienter ad actum eius, mediante aliqua forma reali qua illi coniungitur, vel per suammet entitatem, si per illā possit ei vniri: bonum autem volūtati propositum, solùm finaliter concurrit ad actum eius, quia solùm mouet Metaphoricè attrahendo, propositum per cognitionem, etiamsi aliter in re non existat.

Quarta sententia reiicitur.

X. Svnt verò qui dicant, hāc causalitatem finis non esse actionem voluntatis, vt dependentem à fine

sed è cōtrario esse ipsummet finem per intellectum obiectiuè propositum, vt influentem in suo genere, seu concurrentem ad actum voluntatis. Quod si inquiras quid sit concursus ille, vel quid addat supra ipsum finem, respondent nihil ei intrinsecum addere, sed connotare actualem dependentiam effectus à tali causa. Sed, licet hic modus dicendi in hoc cum præcedenti conueniat, quod in hac causalitate nullam aliam rem interuenire dicit præter ipsum finem voluntati obiectum medio intellectu, & actum vel affectum inde resultantem in voluntate, & denominationes inde insurgentes, quibus & finis dicitur causare actum, & actus pendere à fine, nihilominus tamen in eo displicet, quod ipsum finem dicit esse suam causalitatem, seu concursum suum ad actum, quia concursus nunquam significat causam ipsam, sed aliquid quod proximè profluit à causa in suo genere, quo causet effectum, siue illud distinguatur aliquo modo in re ipsa ab effectu, siue tātùm ratione, quatenus concipitur, vt quo & quod. De qua re diximus suprà tractando de causalitate B causæ efficientis, est autem eadem proportionalis ratio de finali. Imò in hac est quodammodo maior ratio, quia finis interdum causat non existens actu, sed tantùm obiectiuè in intellectu. Vide Fonsecam lib. 5 Metaph. q. 13.

Sed aiunt etiam non esse necessarium vt concur- XI. sus finalis causę realiter existat, quādo ipsa actu causat, sed satis esse si existat obiectiuè. Hoc tamen non rectè dicitur, quia esse obiectiuè tantùm est cognosci: at verò vt causa finalis actu causet, non est necesse concursum eius actu cogitari aut cognosci, sed sufficit cogitare de bonitate talis causæ: & è conuerso, quamuis ille concursus sit in esse obiectiuo per formalem ac expressam cogitationem de illo, & de eius cōuenientia, id satis non est vt effectus ponatur in voluntate, vt per se constat, quia stante tota illa cogitatione potest voluntas non moueri. Igitur licet causa finalis secundum suum esse aut bonitatem suam sit tantùm obiectiuè in intellectu, tamen vt actu causet, oportet vt actualis cōcursus eius in re ipsa ponatur, quia hic concursus in re nō est aliud à dependentia effectus à sua causa, vt aūt causa actu causet, oportet vt effectus in re ipsa actu causetur, ergo & quod dependeat realiter à causa, ergo & quod cōcursus actualis, seu, quod idem est, dependentia actualis in re ipsa existat, & non tantùm in intellectu, imò hoc posterius est impertinens. Quia verò hæc dependentia huius effectus causæ finalis ab illa solū consistit in intrinseca quadam habitudine ad talem causam, quæ habitudo in re ipsa existere pōt, & terminari ad causam, vt existentem tantùm obiectiuè in intellectu, inde est, quod possit causa finalis actu causare existens tantū obiectiuè, non possit autem causare actu, nisi causalitas eius existat realiter, per habitudinē ad ipsam causam obiectiuè existentem.

Tertia sententia eligitur, & resoluitur quæstio.

Vnde ex impugnatione huius vltimæ sententię XII. magis explicata & confirmata manet tertia, quæ sine dubio vera est, & optimè satisfacit quoad hunc effectum, quem finis habet intra voluntatem creatam, & quoad causalitatem eius. Neq; contra illam quicquam obstat obiectio suprà facta, quod actus voluntatis potiùs est effectus quàm causalitas finis. Nam inprimis in ipsomet actu voluntatis possumus distinguere actionem ab actu, & actum dicemus esse effectum, actionem verò quatenus in suo

Universidad de Deusto
Biblioteca

genere est à fine, esse causalitatem eius, sicut proportionaliter dicendum est de causalitate effectiua. Deinde etiamsi in illo actu non distinguantur ex natura rei illæ duæ rationes, sed fingatur esse pura actio, nihilominus non repugnat, vt eadem res quæ est effectus causæ, in eo genere in quo est effectus sit etiam causalitas, quando ille effectus est ipsamet actio, sufficitq; distinctio rationis, vt distinguantur per modum causalitatis, vel per modum effectus, sicut in causalitate actiua manifestè constat. A

XIII. Difficiliùs videri alicui potest, quod eadem omnino res, seu realis modus sine vlla distinctione in re sit causalitas finis & efficientis, cùm tamen istæ causæ diuersarum rationum sint. Sed si considerentur superiùs dicta de causalitatibus aliarum causarum, cessabit admiratio. Nam etiam eadem vnio diuersis respectibus est causalitas materiæ & formæ, licet illæ causæ diuersarum rationum sint: imò eadem mutatio vt est actio, est causalitas agẽtis, vt verò est passio, est causalitas materiæ, quamuis actio & passio re non distinguantur, & similiter eadem actio diuersis respectibus est causalitas primę causæ & secundæ. Et B ratio est, quia vna & eadem actio per se ipsam potest imediatè causari à multis causis, ab vnaquaq; in suo genere: atq; ita mediante illa, causatur effectus ab eisdem causis, ideoq; per comparationem ad vnamquamq; earũ est causalitas vniuscuiusq;, & è contrario est propria dependentia talis effectus à tali causa.

XIIII. Altera difficultas explicanda manet, quia licet hæc ratio explicãdi causalitatem finalem satisfaciat quoad actus elicitos à voluntate creata, non tamen satisfacit quoad actiones imperatas, & effectus exteriores seu transeuntes (vt interim omittamus volũtatem diuinam, & actiones naturalium agentiũ, de quibus infrà dicturi sumus) videtur ergo, superiorẽ sententiam & doctrinam nõ posse applicari ad prædictas actiones & effectus, quia causa finalis nõ mouet Metaphoricè potentias subiectas voluntati, sed solùm ipsam voluntatem, quæ postea non finaliter sed effectiuè mouet aut applicat inferiores potentias ad actiones earum: ergo finis vt sic nullã propriã causalitatem habet in has actiones, vel illa non consistit in tali motione Metaphorica.

XV. In hac re inprimis statuendum est effectus exteriores, qui per has actiones producuntur, in tantum esse posse effectus causæ finalis, in quãtum actiones, per quas fiunt, causantur aliquo modo in suo genere à causa finali, & ab ea pendent, quia, vt suprà cum Aristotele dicebamus, causa finalis non causat actu, nisi quando agit actu aliquid propter finem. Vnde sicut effectus factus ab agente, si ab eo non pendet in conseruari, sed tantùm in fieri, cessante actione iam non causatur, sed causatus est, ita idem effectus prout est causatus à fine, propter quem factus est, cessante omnino actione agentis propter finem, iam nõ causatur à fine, sed causatus est, & manet ordinatus in finem, vel per intrinsecam habitudinem seu propensionem, vel per extrinsecam denominationem seu relationem ab actione præterita. C

XVI. Relinquitur ergo tota difficultas circa actiones imperatas, nam eo modo quo illæ causatæ fuerint à fine, erunt causalitates eiusdem finis respectu effectuum seu terminorum, nam per illas pendebunt huiusmodi effectus à causa finali, & solùm ratione illarum dicentur fieri propter talem finem.

XVII. De ipsis ergo actionibus imperatis dici potest, quamuis Physicè & secundum entitatem actio externa sit distincta ab interiori actu voluntatis, tamẽ in ratione actionis, & in ordine ad causalitatem finis habere rationem vnius, & ab eadem causalitate seu Metaphorica motiõe oriri, quia finem. v.g. Metaphoricè mouere ad volendum scribere, & ad scriptionem ipsam, non sunt duo, sed vnum & idem, quia illa duo ita sunt connexa, vt separari non possint, loquor enim de volitione, quæ est per modum vsus, & proximè imperat actionem externã scribẽdi. Vnde vlteriùs dici potest, causalitatem finalem, quam diximus esse in actu interiori, & cum ipsa actione elicita identificari, esse simul causalitatem ipsius actus interioris & exterioris, qui cum illo necessariò coniungitur, quamuis diuerso modo, nam respectu interioris se habet proximè & intrinsecè, respectu verò exterioris, magis extrinsecè & remotè. Neq; propter hanc rationem dicetur finis causa per accidens externæ actionis, cùm omnino necessariò ac per se sequatur ex causalitate eius, & ipse ita moueat voluntatem, vt simul, & per modum vnius moueat ad executionem actionis imperandæ à voluntate. Neq; etiam obstat, quod huiusmodi causalitas nihil addat actioni exteriori nisi denominationem extrinsecam, quia talis actio non dicitur effectus finis solùm, quia illa denominatio extrinseca est à fine, sed quia ipsamet actio prout hìc & nunc fit, re vera procedit ex motione finis in suo genere, etiamsi possit illa actio exterior Physicè & entitatiuè sumpta, fieri absq; illa motione Metaphorica & propria causalitate finis, quia solùm mediante actione interna à tali causa procedit. Eò vel maximè, quod hæc causalitas quodammodo est moralis, & quasi artificiosa & intellectualis, & ideò non est in omnibus æquiparanda cum causalitate efficientis, quæ est magis Physica & realis. Atq; ita simul respõsum est difficultati tactæ in fine sectionis præcedentis, & in hunc locum remissæ.

XVIII. Vltimò addi potest, ipsam actionem imperatam eo modo quo hìc & nunc à tali agente progreditur, esse & effectum causæ finalis per modum actionis, & causalitatem eius respectu rei factę propter illum finem per eandem actionem, nam illa mediante pendet ille effectus à tali fine, & nihil aliud est esse causalitatem, quàm esse quasi viam qua pendet effectus à causa in tali genere causæ. In hac aũt dependentia non est considerandus effectus quasi materialiter, vt est talis res, sic enim non semper requiret illã dependentiam per talem causalitatem, vt per se necessariam ad suum esse, sed considerandus est formaliter, quatenus est effectus hìc & nũc tali modo factꝰ, quomodo necessariò includit ordinem ad talem actionem, & ad modum agendi talis causæ. Atq; ita hæc responsio ferè coincidit cum præcedente, & vtramq; meliùs explicabimus inferiùs, declarando causalitatem finalem in effectibus Dei.

SECTIO V.

Quænam sit in fine proxima ratio finaliter causandi.

I. SEnsus præsentis quæstionis ex superiori constat, non enim inquirimus rationẽ causandi, quatenus dicit causationẽ in actu secundo, sed quatenus dicit actum primum quasi formalem, constituentem causam finalem proximè aptã & sufficientem ad causandum. Sicut enim in causa efficiente distinguimus rem quæ causat, à ꝓxima ratione causandi, ita in finali videtur necessariũ, quia eadem omnino res potest esse, & principium efficiens, & causa finalis & formalis, oportet ergo vt sub diuersis rationibus hæc munera exerceat: ergo illa ratio sub qua exercet munus causæ finalis, erit quæ proximè cõstituit finalem causam, quasi in actu primo.

Resolutio quæstionis.

II. DE hac igitur re communis consensus Doctorum omnium esse videtur bonitatẽ esse proximam rationem sub qua finis mouet: atque ita illam esse, quæ constituit finalem causam, dans illi (vt ita dicam) virtutem ad causandum. Ita sentit D. Thomas 1.2. q.1.art.1. & latiùs 3.cont.Gent.c.2. & 3. Vbi ostendit, idem esse operari propter finem quod operari propter bonum, & 1.p.q.5.art.4.probat bonum habere rationem finis, & ibidem solutione ad secundum de hac causalitate declarat illud Dionysii cap. 4. de diuin.nom. *Bonum est diffusiuum sui*, nimirum, finaliter attrahendo & alliciendo voluntatem. Eandem doctrinam habet Alex. Alensis 1.p.q.17.memb.3.& q.34.memb.1.sumptaq; est ex Aristotele 2.Physic.cap.3.tex.31.vbi dicit finem, & bonum B esse idem, quod etiam repetit 5. Metaph.c.2. & lib.1. Ethic.c.7. ait, *id esse vnicuique bonum cuius gratia cætera operatur*: idem lib.1. Ethicor. ad Eudemum sub fine. Ratio autem est, quia causalitas finis consistit in motione Metaphorica voluntatis, qua illam ad se allicit, nihil autem ad se allicit voluntatem, nisi quatenus bonum est: ergo bonitas est ratio mouendi voluntatem, ergo etiam est ratio seu principium causandi finaliter. Minorem suppono vt certam ex communi consensu Theologorum & Philosophorum, dicentium voluntatem non posse ferri in aliquid nisi sub ratione boni, iuxta illud, *Bonum est quod omnia appetunt.*

Malum vt malum possitne causa esse finalis.

III. SEd occurrit statim controuersia cum Ocham & aliis Nominalibus, dicentibus posse voluntatem ferri in malum sub ratione mali. Ita Ocham in 3. q.13.dub.3. Inclinat etiam Scotus in 1.d.1.q.4. circa finem, & in 2.d.43.q.2. Ex quorum assertione planè sequitur, malum vt malum posse etiam Metaphoricè mouere voluntatem, & cõsequenter habere causalitatem finis, nam si malum potest propter se amari, etiam poterunt alia amari propter ipsum, si ad illud obtinendum necessaria, & vtilia sint. Atq; ita fiet, vt non sit bonitas adæquata ratio, & virtus finis ad causandum finaliter, sed erit entitas vel aliquid huiusmodi, vt Ocham significat. C

IIII. Veruntamen hæc sententia antiquata est: & ab Scholis meritò reiecta, vtpote repugnans cum Aristotelis, Dionysii, Augustini, D. Thomę, & omnium rectè sentientium consensu, vt patet ex Aristo. lib.1. Ethi.c.1. Dionys.c.4. de diuin.nom. August.2. Confess. cap.6.& 8. S. Thoma 1.2.q.8.artic.1.& reliquis Theologis in 2.d.43. Henric. quodlib.1.q.17. Vide etiam Greg.Niss.lib.de Opificio hominis cap.20.& Damasc.lib.2.de fide c.22. Horum enim omnium axioma commune est, *Neminem ad malum intendentem operari.* Estq; id experientia euidentissimum. Et ratio est, quia esset inordinatissimè instituta voluntatis facultas, si in malum quà malum est, ferri posset. Quid enim magis inordinatum esse potest, quàm velle malum quia malum est? voluntas autem nihil potest appetitu elicito velle, nisi quod sit consentaneum alicui naturali inclinationi ipsius voluntatis, quia ex tali inclinatione, nascitur omnis appetitio elicita, saltem naturalis, quia omnis appetitio huiusmodi refertur ad obiectum adæquatum & proportionatum voluntati, vel aliquam partem eius, naturalis autem inclinatio voluntatis est ad totum illud obiectum: si ergo voluntas posset moueri per proprium actum in malum vt malum, naturalis etiam inclinatio eius esset ad malum vt malum: esset ergo ipsa naturalis inclinatio inordinata. Hoc autẽ omnino repugnat, tum quia ab optimo authore sapientissimè instituta, tum ẽt quia esset sibi ipsi repugnans. Nam voluntatis finis seu institutio est vt per eam homo quærat conuenientia sibi, & fugiat disconuenientia, si ergo accepisset inclinationem ad tendendum in disconueniens, quatenus disconueniens est, formaliter & directè sibi ipsi, & suo fini repugnaret, & ideò rectè dixit Damasc.lib.2.c.22. *Voluntas fertur ad agendum in illu rebus quæ naturæ consentaneæ sunt.* Vt Senec.lib.4.de Beneficiis c.17.dixit, *Nec quisquam tantum à naturali lege desciuit, & hominem exuit, vt animi causa malus sit.*

V. Et confirmatur, nam impossibile est vt intellectus assensum præbeat falso quatenus falsum est: ergo & quod voluntas prosequatur malum quatenus malum est. Patet consequentia, quia sicut comparatur intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum: tantaq; est ex terminis ipsis repugnantia inter prosecutionem & malum, quanta est inter assensum & falsum. Tum etiam, quia si intellectus non potest iudicare assentiendo falso: ergo non potest iudicare malum vt malum habere vnde ametur, nam id est euidenter, & ex ipsis terminis falsum, & repugnans omni intellectui. Cuius signum apertum est (vt obiter soluamus omnia argumenta, quæ contra fieri solent) quia nunquam iudicamus esse amandum vel prosequendum aliquid, quod aliàs malum esse cognoscimus, nisi, quia iudicamus commodum vel ad delectationem, vel ad vindictam sumendam, vel ad aliam similem vtilitatem. Ergo nec voluntas potest ferri in malum vt tale est, seu quod tantùm cognoscitur esse malum. Patet consequentia, quia, vt inferiùs dicetur, voluntas non potest moueri, nisi medio iudicio rationis, quo sufficienter proponatur aliquid, vel appetendum, vel appetibile.

VI. Atque hinc tandem sumitur ratio, quæ ad rem de qua agimus, spectat, quia in malo vt sic, quatenus malum est, nihil est quod possit apprehendi aut existimari vt sufficiens ratio, ob quam voluntas moueatur. Nam vel in malo consideratur malitia, vel entitas quæ malitiæ subest. Malitia per se ac formaliter sumpta nihil habet quo voluntatem alliciat vel attrahat, quia ipsa nihil est, vt in superioribus diximus. Entitas autem quæ malitiæ subesse potest, aliquid bonitatis habet: vnde si appetitum mouet, id est ratione bonitatis. Et confirmatur, nam in electione mediorum impossibile est voluntatem eligere aliquid vt medium ad finem, eò quod sit discõueniens, vel impediat ad consecutionem finis, quod esset eligere malum oppositum bono vtili sub ratione mali: ergo in intentione vel amore finis impossibile est quod feratur in aliquid vt in finem, eò quod per se sit disconueniens, quod est velle sub ratione mali oppositi bono propter se appetibili. Antecedens videtur per se notum ex terminis: qui enim intelligi potest vt aliquis ex intentione finis eligat quod repugnat fini, quatenus tale est? nam esset hæc contradictio in ipsa voluntate. Quin potiùs docent omnes qui rectè sentiunt, quando vnicum

Universidad de Deusto
Biblioteca

est medium vtile ad finem, fieri non posse, quin vo- A
luntas illud eligat, si verè & efficaciter intendit fi-
nem, multò ergo impossibiliùs est vt eligat medium
inutile quà tale est. Prima verò consequentia pro-
batur, quia tãtùm repugnat malum, vt in se malum
est, intẽtioni, sicut inutile vt inutile, electioni: nam
sicut electio inutilis vt inutilis repugnat intentioni
finis, ita intentio mali vt per se mali repugnat natu-
rali & adæquatæ propensioni voluntatis.

Indifferens vt sic possitne causa esse finalis.

VII. Dices, hæc argumenta satis probare & malum vt malum non posse finaliter causare, & bonũ vt bonum posse, non tamen probare solum bonum posse habere huiusmodi causalitatem, aut bonita-tem esse adæquatam rationem finalisandi. Quia in-ter bonum & malum potest dari indifferens, vel re ipsa, vel saltem præcisione mentis, quatenus ratio entis aut veri, præcisa ratione boni considerari põt: ergo hæc potest esse ratio sufficiens ad mouendum appetitum, & consequenter ad finaliter causandum. Respondeo, in re dari quidem posse ens indifferens B secundum aliquam rationem boni, non tamen se-cundum omnem, quia non potest ens non esse bo-num, atq; ita quando ens sub aliqua ratione indiffe-rens voluntatem mouet, non mouet illam quate-nus indifferens est, sed quatenus aliquam rationem boni habet. Quod si contingat aliquod ens sub omni ratione boni esse indifferens respectu appetẽtis, id est, vt nec sit honestum, nec turpe, nec iucundum nec molestum, neq; naturæ conueniens neq; disco-ueniens (quod fortasse non potest inueniri) tamen illo posito, tale ens non posset habere causalitatem finalem in voluntate, quia nullam conuenientiam, aut conformitatem haberet cum illa, voluntas autẽ cùm sit essentialiter appetitus, non inclinatur nisi in conueniens vt tale est: vnde cùm ratio entis de se sit indifferens ad rationem conuenientis & disco-uenientis appetenti, non est de se sufficiens ad mo-uendum appetitum. Quòd si interdum videa-tur ens aliquod mouere voluntatem solùm, quia nõ existimatur disconueniens, ideò est, quia in omni ente apprehenditur inesse aliquid bonitatis, & per-fectionis, quæ si aliunde non habet disconvenienti- C
am, hoc ipso ratione suæ perfectionis existimatur conueniens.

VIII. Imò quia id quod est in se bonum, potest esse vel conueniens vel disconueniens homini, ideò non quæcunq; bonitas, sed secundum aliquam conue-nientiã ad appetentem est sufficiens ratio finalisan-di. Propter q̃ dixit Arist. 8. Ethic. c. 5. *Amabile quidem bonum, vnicuiq; autẽ proprium.* Quod quomodo intel-ligendum sit, longam & Theologam postulat dis-putationem, tum propter amorem amicitiæ, tũ ma-ximè propter amorem Dei super omnia. Nunc bre-uiter tantùm notetur, bonum propriũ non debere intelligi solùm illud, quod cedit in proprium com-modum, sed simpliciter quod per se decet, aut est consentaneum naturæ appetentis. Quo sensu com-prehenditur omnis finis, etiamsi ad perfectissimum amorem amicitiæ pertineat.

IX. Rursus dicet aliquis, voluntas non semper mouetur à fine ad obtinendum aliquid, sed sæpè etiam ad vitandum aliquid, sed ad hoc mouetur à fine ratio-ne malitiæ: ergo non solùm bonum, sed etiam ma-lum vt malum potest habere aliquam causalitatem finalem in voluntate. Respondetur, quando mobile recedit ab vno termino vt ad alium accedat, termi-
num à quo non esse finem illius motus, neq; excita-re mobile (loquimur Metaphoricè) vt à se recedat, sed finis est terminus ipse ad quem mobile fertur, & si finaliter excitari posset, ab illo tãtùm traheretur, & consequenter ratione illius ab alio termino rece-deret. Sic ergo voluntas propriè à bono, tãtum mo-uetur vt à fine, à quo trahitur vt ad se accedat per a-morem, intentionem, &c. inde verò sequitur recess-sus à malo, quæ nõ tam est motio in finem, quã quid consequens ad tendentiam in finem, & quasi quod-dam medium ad obtinendũ finem. Vnde ad illũmet actum, qui est odium mali, non mouet malum, nisi in virtute boni, quia nõ habetur odio malũ, nisi ra-tione boni amati, & ita ẽt in illo actu dici põt boni-tas ratio mouens ad odio prosequendum malũ op-positum. Nam odisse malum sub ratione mali, nihil aliud est, quàm odisse illud quia priuat bono, & ita bonitas est illic ratio principaliter mouens, sicut in simili dicemus paulò inferiùs de electione mediorũ.

X. Tandem dicet aliquis. Interdum minor bonitas plus mouet voluntatem vt amet, quàm maior mali-tia vt recedat. & è conuerso minor malitia interdum plus mouet ad fugam, quàm magna bonitas ad pro-sequendum finem: ergo eadem ratione fieri potest, vt volũtas recedat à bono quatenus bonũ est, seu ẽt si non sit malum, & è conuerso, vt feratur in malum etiamsi nõ sit bonum, quia, vt Dialectici aiunt, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & è conuerso. Respondetur, sicut solum bonum potest mouere voluntatem, ita etiã solùm maius bonum, quantum est de se magis mouere, dummodo suffici-enter propositum sit. Quod autem voluntas inter-dum non sic moueatur, prouenit ex libertate ipsius voluntatis. Hæc verò nõ sufficit vt feratur in malũ sub ratione mali, tum quia libertas non põt exerce-ri extra obiectum voluntatis, tum etiã quia hoc ip-so q̃ voluntas feratur in malum experiendam suam libertatem, iam non fertur sub ratione mali, sed sub aliqua ratione vtilis. Quanquam hoc experimen-tum libertatis semper supponit in obiecto sufficien-tem rationem boni vel mali, quæ ex parte illius fundare possit huiusmodi vsum libertatis. Ad hunc autem vsum, si sit tãtum quoad exercitium, sufficit, C
vt vel bonitas obiecti, vel actus ipse, seu dilectio eius nõ existimetur necessaria, vt in superioribus tradi-tum est, cùm de liberis causis ageremus.

XI. Vnde licet bonum quantum est ex se, efficacius sit in suo genere ad finaliter causandum, quiatamen actu causare nõ põt, nisi voluntas ipsa se moueri fi-nat, seu cooperetur in suo genere motioni eius, q̃ pro sua libertate põt non facere, ideò ex hoc capite accidere põt, vt minus bonum actu causet finaliter, prætermisso maiori bono. Quod tamen facere non posset si nullam haberet bonitatem, quia iam tunc omnino deesset ratio causandi, sine qua non sufficit libertas voluntatis vt moueatur, quamuis vt non moueatur, sufficiat (vt dixi) carentia vel negatio bo-ni necessarii, etiãsi malum non sit. Secus verò erit si vsus libertatis nõ tantum sit quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem per actum contrari-um odii, aut similem, nam tunc necesse est, vt aliqua ratio mali in obiecto appareat, nam odium propriè sumtum, solùm circa rationem mali versari potest.

XII. Dico secundò. Non tantùm verum bonum quod in re sit aut esse possit, sed etiam bonum apparens seu tantùm existimatum, potest esse sufficiens vt fi-nalem suam causalitatem exerceat. Ita docet D. Tho. 1. 2. q. 8. art. 1. Constatq; satis experientia, nam
sæpe

sæpè mouetur homo ad inquirendum aliqua quæ A
apparẽt bona, vel delectabilia, quæ re vera talia non sunt. Quod etiam in electione mediorum est mani-festum, eligimus enim sæpè quod existimamus esse vtile ad finem, quòd posteà experimur esse inutile, vel etiam impediens. Ratio autem est, quia causa fi-nalis nõ causat nisi cognita, vt infrà dicemus: quan-tum autem spectat ad cognitionem perinde se habet res quæ existimatur bona, ac si in re ipsa bona esset, quia idem iudicium de illa fertur, & æquè verum ex-istimatur, ac deniq; eodem modo repræsentatur seu proponitur voluntati.

XIII. Illud tamen videri solet difficile in hac cõclusio-ne, cum causalitas finalis vera, & realis sit, quomodo ratio tantùm conficta aut existimata possit ad hanc causalitatem sufficere. Nam realis causalitas non po-test oriri nisi à principio reali, illa autem bonitas tã-tùm apparens nihil reale est, sed fictum potiùs: ergo nec potest realiter causare. Imò talis bonitas, cũ non sit in reb. sed in ratione tantùm, nõ videtur posse esse sufficiẽs ad mouendã Metaphoricè voluntatẽ, nã vo-luntas nõ fertur nisi in res ipsas quatenus bonæ sunt. B

XIIII. Respondetur primò hãc causalitatem finalem ita esse realem, vt fiat morali quodam, & intellectuali modo, per naturalem sympathiam, quæ est inter vo-luntatem & intellectum, & ideò ad illam nõ requiri aliud esse reale in causa, nisi illud q̃ sufficit ad moti-onem inter has potentias per naturalem consensio-nem earũ, & quia ad hoc sufficit esse reale vt repræ-sentatum in intellectu, etiamsi in re verum non sit, ideò etiam ad causalitatem finalem sufficere potest apparens bonitas licet vera non sit. Et hoc ferè est q̃ D. Thomas citato loco ait, appetitum elicitum sequi formam apprehensam, & ideò ad eius motionem sufficere bonitatem apprehensam seu existimatam, etiamsi vera non sit.

XV. Addi verò vlteriùs potest, aliud esse loqui de bo-nitate, aliud de re bona, nam voluntatem interdum mouet res quæ verè bona non est: quo sensu proce-dit conclusio posita, scilicet interdum bonum tan-tùm apparens finaliter causat. Nihilominus tamen dici potest, voluntatem nunquam moueri nisi à ve-ra bonitate, nunquam enim mouetur nisi vel à dele-ctatione, vel ab honestate, vel à commodo naturæ, quæ omnes veræ bonitates sunt (omitto appetitum boni in communi, in quo non est deceptio.) Vnde in propria ratione formali quæ mouet, nunquam e-C
tiam est deceptio, sed hæc interuenit in applicatio-ne huius rationis formalis ad hanc vel illam rem, & hac ratione mouet quidem res quæ apparet bona, ratio autem mouens non est apparens, sed vera bo-nitas, quamuis tali rei falsò attribuatur. Vt v. g. si quis amat furtum vt ex illo eleemosynã faciat, mouetur quidem à bono existimato, tamen à vera bonitate & honestate, scilicet ab honestate misericordiæ quam in tali actu esse existimat. Et idẽ est cùm homo quæ-rit aliquod obiectum quod putat esse delectabile, in re tamen delectabile non est, nam ille veram quærit delectationem, & ab ea tantùm mouetur, errat tamẽ illam applicando rei in qua verè non est. In hoc ergo sensu dici potest, rationem causandi finaliter semper esse veram aliquam bonitatem, quamuis nõ semper sit verũ aliquod bonum, quia nõ semper apprehẽdit talis bonitas, aut iudicatur de re, in qua verè existat.

XVI. Dico tertio. Solùm illud bonum quod in se seu per se bonum est, est sufficiens ad causalitatem finalem exercendam. Declaratur, nã bonum, vt suprà tracta-uimus, tantùm est aut honestum, aut delectabile, aut
vtile, ex quibus duo priora sunt in se ac per se bona, tertium verò solùm per habitudinem ad illa, quæ o-mnia ibidem explicata sunt. Igitur duo priora bona sufficiunt ad causalitatem finalem exercendã, quod facilè probari potest. Nam causalitas finis in duobus consistit, vel in alterutro eorum, scilicet, quod volũ-tatem moueat vt finem propter se, & alia propter i-psum diligat, aut exequatur, vtrumq; autem horum præstare potest vtrumq; ex illis bonis. Nam bonum honestum propter se est maximè expetibile tãquam per se decens, vel per sese naturæ conueniens, imò hæc est ipsa ratio boni honesti, vt dicto loco notaui-mus cum D. Tho. 1. p. quæst. 5. art. 6. De bono autem delectabili ait idem D. Tho. 1. 2. q. 2. art. 6. ad 1. ex A-rist. 10. Ethic. c. 2. *stultum esse quærere propter quid appeta-tur, nam ipsa delectatio per se habet vnde appetibilis sit:* Hæc ergo duo bona sufficientia sunt ad causandum pri-mam motionem in finem propter se ipsum.

Ex hac autem motione nascitur altera quæ est ad XVII.
media propter finem: nam illud idem bonum quod propter se amatur, mouet ad amandum alia propter ipsum, si necessaria, vel vtilia sint ad bonum propter se amatum obtinendum. Vtrumq; ergo ex his bonis per se sufficiens est ratione suæ bonitatis ad causali-tatem finalem exercendã, quoad vtramq; eius par-tem. In quo munere sese habent mutuò sicut exce-dens & excessum, nam bonum delectabile, & quoad nos plus mouere solet, & ad se trahere appetitum, & delectatio quodãmodo est vltima perfectio operati-onis, propter se amabilis: at vero bonũ honestum, quò maius est, & per se nobilius, eò de se & natura sua po-tentius est ad hanc causalitatem exercendã, & nobi-liores etiam effectus potest in hoc genere causare. Quin potiùs, si naturæ institutionem spectemus, so-lùm honestum bonum habere debet propriã ratio-nem finis, nã delectatio ex intentione naturæ nõ est propter se, sed propter operationem cui adiungitur, & ideò propter illã amari debet, de quo aliàs latiùs.

De bono autem vtili, cùm non sit per se bonum, XVIII.
satis manifestum apparet non esse sufficiens ad cau-salitatem finalem exercendã: quia bonum vtile vt sic non est per se amabile: ergo non est sufficiens ad pri-mam motionem finis exercẽdam. Rursus quatenus vtile est, nõ est id propter quod aliud amatur, nam po-tiùs ipsum amatur propter aliud, ergo neq; secundã motionem seu causalitatem finis exercere potest. Quin potiùs sub ea ratione est effectus finis, quia est C
id quod alterius gratia fit, vel amatur: ergo bonum vtile vt sic non potest causalitatem finalem exercere. Sola ergo bonitas honesta, siue moralis siue natura-lis, & bonitas delectabilis potest esse propria ratio causandi finaliter. Hîc verò occurrebat statim diffi-cultas de medijs, an possint causalitatem finalem ex-ercere, quam meliùs tractabimus seq. sequenti.

SECTIO VI.

Quæ res possint causalitatem finalem exercere.

Difficultas huius quæstionis ex duplici L.
capite oriri potest. Primum est de me-diis, an illa possint exercere causalitatẽ finis, videtur. n. ex ipsis terminis mani-festum, nõ posse media habere causali-tatem finis, nam sola res quę est finis, potest exercere causalitatẽ finis, sed medium est res distincta à fine: ergo non potest exercere qualitatem finis. In con-trarium verò est, quia mediũ vt medium allicit vo-luntatem vt ipsum amet: ergo in hoc exercet causa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

litatem finis. Et maximè quia etiam ad vnum mediũ potest aliud ordinari, tunc ergo illud medium quod est prius ordine intentionis, exercet causalitatem finis circa aliud, quod ad ipsum ordinatur.

II. Secunda difficultas est de priuationibus aut negationibus, an sub hac propria ratione possint exercere causalitatem finis, id est absq; errore iudicatę & existimatæ, quòd priuationes vel negationes sint, & non vera entia. Et idem queri potest de relationibus, præsertim rationis. Et ratio difficultatis est, quia hæ sicut non habent verã entitatem, ita nec bonitatem, & præsertim per se amabilem: ergo non habent vim & rationem proximam ad causandum finaliter. In cõtrarium verò est, quia sæpè per se intendimus huiusmodi priuationes, & earum gratia media eligimus, vt alicuius mortem, vel aliquid simile. Similiter intendimus aliquando relationes rationis, vt humanas dignitates, aut æstimationes apud alios, quæ in sola relatione rationis consistunt.

Possintne media causalitatem finis exercere.

III. CIrca priorem difficultatem sunt varij dicendi modi. Primus est media etiam vt media, posse exercere causalitatem finis: in quo hæc sententia cõtradicit apertè vltimæ parti tertiæ assertionis propositæ in præcedenti sectione. Tenet verò illam Gabriel in 1. dist. 38. artic. 1. vbi ex sententia Gregorij ibi art. 1. distinguit, finem alium esse propriissimum, alium proprium, alium communem seu communissimum, & hoc vltimo modo dicit media habere rationem finis, eiusq; causalitatem exercere. Vnde etiam illud medium, quod est vltimum in intentione, & primum in executione, propter quod nullum aliud eligitur, ait participare causalitatẽ finis. Fundamentum esse videtur, quia omne obiectum voluntatis habet rationem & causalitatem finis, sed medium vt medium, seu quod nõ est nisi medium, est obiectum voluntatis: ergo participat causalitatem finis. Minor constat, quia voluntas verè ac propriè versatur circa finem amando ipsum, illud autem est proprium obiectum potentiæ circa quod ipsa versatur. Maior autem sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 1. vbi ait finem esse obiectum volũtatis: loquitur autem de obiecto adæquato, tum quia dicit, ita se habere finem ad voluntatem, sicut color ad visum, color autem est obiectum adæquatum visus. Tum etiã quia inde infert volũtatem amare omnia sub ratione finis, quia amat omnia sub ratione sui obiecti: quæ consecutio bona non esset, nisi finis esset obiectum adęquatum. Fauet etiam Aristoteles 2. Physic. cap. 3. dicens, *finem & bonum idem esse*: bonum autem est obiectum adæquatum voluntatis: ergo & finis.

IIII. Secundus modus dicendi est, rem, quæ est mediũ etiãsi propter se non ametur, neq; amabilis sit, posse exercere causalitatem finis, nõ tamen quatenus medium est, sed quatenus propter illam aliud medium appeti potest. Itaq; illud medium quod non est primũ in executione, sed intercedit inter finem & primum medium, dicitur participare causalitatẽ finis, non quatenus amatur propter ipsum, quia sub ea ratione est id cuius gratia, & cõsequenter habet rationem finis proximi, & non medij. Illud verò, quod est primum medium, propter quod nullum aliud amatur, non participat causalitatem finis. Hanc sententiam tenet Ægid. in 2. d. 38. q. 2. art. 2. Gabr. in 2. d. 1. q. 5. art. 1. & Ocham in 2. q. 3. & videt fauere D. Thomas 3. cont. gent. c. 2. vbi in ratione quarta dicit, *Omnia intermedia inter agens & vltimum finem, sunt fines respectu priorum, & principia actiua respectu sequentium.* & in 2. Physic. lect. 5. ait, de ratione finis non esse quòd sit vltimum simpliciter, sed solùm respectu præcedentis. Idem sentit 1. Ethic. c. 7. vbi Aristoteles multum fauet huic sententiæ, dicit enim, non omnes fines esse perfectos, & propter se expetibiles, & in 5. Metaphys. & 2. Physic. inter fines numerat instrumenta artis, & diuitias, quia per alia media fiunt vel acquiruntur, quamuis ipsa etiam sint media ad vlteriores fines. Ratio verò est iam tacta, quia in illis est sufficiens ratio ad mouendam voluntatẽ vt aliquid velit propter ipsa: & hoc satis est ad exercendum aliquod munus causæ finalis, etiamsi non exerceant omnia.

Statuitur principium ad resolutionem quæstionis necessarium.

V. NIhilominus dicendum censeo, nullam rẽ posse propriè, & (vt ita dicã) per intrinsecam denominationem exercere causalitatem finis nisi quę per se bona sit, & expetibilis. Cur addam illas particulas, *propriè & per intrinsecam denominationem*, infrà declarabo. Sumo igitur hanc assertionem ex Aristotele 2. Metaph. c. 2. vbi dicit, de ratione finis esse vt alia appetántur propter ipsum, ipsum verò non propter alia: vbi per hanc posteriorem negationem circumloquitur illam rationem, quã nos positiuè explicamus dicendo, finem debere esse per se expetibilem per propriam bonitatem, quam in se habeat. Nã non est de ratione finis, generatim loquendo, vt propter aliud non appetatur, sed hoc est propriũ finis omnino vltimi. Vnde in 1. Ethic. c. 7. dicit, in vnaquaq; serie illud esse finem, quod appetitur vt vltimũ, id est in quo sistit intentio mediorum omnium, quæ propter finem appetuntur. Sic etiam 2. Phys. cap. 3. dicit, omnia media quę inter se subordinata sunt, esse propter vnum finem. Deniq; lib. 1. Magn. Moral. c. 2. distinguit, *Bonorum alia sunt fines, alia non: quemadmodum sanitas quidem finis, at q. sanitatis causa neutiquam finis est*, vbi sanitatis causam vocat medium ad sanitatem.

Et probatur ratione, nam in vnoquoq; genere causæ illa res potest causare in tali genere, quę habet virtutem, seu formale principium constituens in actu primo causam talis generis: sed bonitas est ratio formalis causæ finalis, constituens illam in actu primò sufficientem ad causandum: ergo tantùm res illa quę bonitatem habet, esse potest causa finalis per intrinsecam potentiam seu denominationem, omnis autẽ res, & illa sola, quæ in se habet bonitatem, & conuenientiam respectu appetentis, est per se bona, & appetibilis: ergo tantùm res quæ est per se bona & appetibilis, potest causalitatem finis exercere.

Dices. Etiam res vtilis vt sic, habet in se bonitatẽ, cùm in se habeat vtilitatem, nam vtilitas quædã species bonitatis est. Sed contra hoc est, quod suprà diximus tractando de bonitate disput. 10. bonum vtile vt sic non esse aliquid omnino intrinsecum rei, quæ vtilis censetur, nam licet vtilitas, vt solùm dicit vim aliquam vel efficacitatem, sit aliquid in re quę denominatur vtilis, tamen tota illa vtilitas non est bona, neq; appetibilis vt vtilis nisi propter bonitatem finis intenti, & vt illi subest. Propter quod D. Thomas 1. part. quæst. 5. art. 6. meritò dixit. *Vtilia non esse amabilia propter se, sed solum ratione finis.* Et ideò etiam bonũ vtile vt sic non censetur bonum simpliciter, nec per intrinsecam denominationem, quia non est per se conueniens, sed solùm vt substat tali fini, & ab illo quasi formaliter conuenientiam accipit.

Secundò

VII. Secundò igitur argumentor in hunc modum, nã ea res quæ non est per se bona, non potest mouere voluntatem ad amãdum se propter se: ergo nec potest voluntatem mouere ad amandum alia propter ipsam: ergo nullam causalitatem finis exercere potest. Hæc secunda consequentia patet ex dictis, quia tota causalitas finis in illis duobus capitibus continetur. Primùm verò antecedens etiam videtur ex terminis per se notum, quia cùm solum bonum trahat appetitũ ad sui dilectionem, illa tantũ res potest trahere appetitũ ad amandum se propter se, quæ secũdum se & sine ordine ad alium finẽ bona est. Vnde non rectè in ratione dubitandi in principio posita sumebatur, medium vt medium trahere voluntatem ad sui dilectionem: vlteriusq; diceretur finem ipsum trahere voluntatem ad diligendum medium, nam re vera nihil aliud est velle medium propter finem, nisi quòd tota ratio volendi illud, sit ipse finis: ratio autem volendi est quæ voluntatem mouet & attrahit, & ideò etiam motiuum voluntatis appellari solet: medium autem est tanquam materiale obiectum quod ratione finis amatur. Atque hinc facilè probatur prior consequentia, quia quod non sufficit voluntatem trahere ad se amãdum, multò minus potest trahere voluntatem ad amandum aliud propter ipsum: sed res illa quæ non est per se bona, non potest trahere voluntatem ad amandum se, vt ostẽdimus: ergo minùs potest trahere voluntatem ad amandùm aliud propter ipsam. Maior patet, tum ex illo principio, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*: & ita si medium amatur propter finem, magis amatur finis: ergo res quæ facit aliud amari propter ipsam, oportet vt magis faciat amari se ipsam: ergo è conuerso, quę non potest trahere ad amandum se, multò minùs poterit trahere ad amãdum aliud propter se. Tum etiam, quia amor medij propter finem procedit ex amore finis: ergo si amor alicuius rei vt finis non potest causari ab illa re, neq; amor alterius rei propter talem finem potest ab illo fine finaliter causari: q̃ est dicere, illum nõ posse esse finem, si nomine finis vera causa finalis significetur, prout nunc de illa loquimur in ordine ad creatam voluntatem.

Responsio generalis ad quæstionem propositam.

VIII. EX hoc principio colligitur primò generalis responsio ad quæstionem in titulo sectionis propositam, scilicet, eã rem posse propriè exercere causalitatem finalem, quæ in se habet bonitatẽ propter quam ametur (aut verè, aut in existimatione, quod intelligatur adiectum in omnibus similib. locutionibus, ne oporteat idem repetere.) Hæc cõclusio est euidens ex præcedenti principio & probationibus eius. Quocirca non possumus in particulari descendere ad designandas res, quæ possunt finaliter causare, nimirum an Deus, vel angelus, vel homo, vel substantia, vel accidens, vel diuitiæ, vel honor, vel aliæ huiusmodi possint finaliter causare: sed in omnib. & singulis considerandũ est quam bonitatem, vel conuenientiam per se habeant, & si aliquam habuerint, secundum illã poterũt esse finalis causa, si verò nullam habeant, non poterunt. Solum aũt duplex bonũ est per se & secundum se bonũ, nempe delectabile, & honestũ, sub honesto comprehendẽdo quidquid est p se naturę conueniens, & ideò quidquid tale fuerit, poterit sub ea ratione causalitatem finis exercere, q̃ autem tale non est, nunquam exercet causalitatem finis, nisi quia tale existimatur, & hoc modo diuitiæ, aut honores appetuntur sępè vt finis, quãuis illę res, si rectum de illis feratur iudicium, nõ sint per sese amabiles aut conuenientes, sed tãtùm propter aliud.

Dices. Eadem ratione bonum delectabile non erit verè sufficiens ad causandum finaliter, quia si rectum de illo feratur iudicium, non est amabile propter se, sed propter aliud. Imò neq; scientia, sanitas, & res similes poterunt exercere causalitatem finalẽ, quia nõ sunt amabiles propter se, sed propter hominem. Ad priorem partem respondetur negando sequelã, est enim ratio lõgè diuersa, quia bonum delectabile præcisum ab omni alio fine extrinseco, verè habet in se vnde ametur, & ideò potens est, & sufficiens de se ad exercendam causalitatẽ finis: quamuis si ab homine recta, id est honesta, ratione appetẽdum sit, non sit in eo vt in fine sistendum, sed ad aliquem superiorem finem ordinandũ, q̃ non solùm de bono delectabili, sed etiam de bono conueniente naturæ, seu naturali prout cõdistinguitur à morali honesto, intelligendum est. Vnde claritatis gratia dici posset bonum delectabile secundum verum iudicium speculatiuum seu physicum esse per se amabile, q̃ satis est vt per se sufficiat ad exercendã causalitatem finis, & non tantùm ex falsa æstimatione operantis, sed etiã ex ꝓpria vi quam in se habet: quamuis secundũ verum iudiciũ practicũ & morale, q̃ attenditur per confirmitatem ad appetitum rectum & honestum, nõ sit appetendum vt finis ab homine honestè operante. Secus verò est de aliis reb. quę omni huiusmodi bonitate carẽt, illæ enim nec secundum iudicium practicum, nec etiã secundum speculatiuũ verũ, possunt esse finales causę, sed solũ ex falsa existimatione.

IX.

Ad posteriorem partem respõdetur negando sequelã, nam illæ res verè sunt propter se amabiles, nã per se sunt naturæ conuenientes. Nec refert quòd tantùm sint amabiles homini, nã hinc solùm fit, non esse amabiles amore amicitiæ, sed concupiscentiæ, quod non impedit veram & propriam causalitatem finalem, quidquid Gabriel loco suprà citato significet. Et patet, quia tales res per bonitatem quam in se verè habent, alliciunt, & ad se trahunt voluntatem, iuxta modum & capacitatem earum. Nam quia ipsæ tales sunt, vt natura sua coaptentur homini, & sint perfectiones eius, ideò licet propter se diligant, homini tamen diliguntur: & istæ duæ habitudines non repugnant inter se, neq; comparãtur vt medium ad finem, sed vt finis cuius, & finis cui, qui integrant vnum completum finem, vt suprà vidimus.

X.

Resolutio de causalitate mediorum.

XI. SEcundò principaliter colligitur ex dicto principio resolutio prioris difficultatis de causalitate mediorum. Res enim quæ est medium ad alium finem, potest sub aliqua alia ratione esse per se appetibilis, ratione alicuius bonitatis, quam in se verè habet etiam præcisa relatione ad illum finem, & sub ea ratione non est dubium quin possit res quæ est medium, habere causalitatem finalem, quia non habet illã vt medium. Imò respectu illius, materiale quid, & per accidẽs est, quòd talis res sit medium, seu ametur propter alium finem: neq; de hoc est vlla controuersia. Alio ergo modo potest se habere res quæ est medium, ita vt nullã habeat rationẽ per se boni, vel saltem quòd per illam non causet, nec propter illam ametur, sed tantũ quatenus vtilis est. & sub hac consideratione simpliciter negari debet rem illam vt sic sufficientẽ esse ad exercendam causalitatem finalem. Et quidem si illa res talis sit vt solũ ametur propter finem, res videtur euidẽtissima, quia tunc amatur vt

purè

Universidad de Deusto
Biblioteca

purè medium, quòd omnes Philosophi à fine vt fine A distinguunt & potiùs censent pertinere ad effectum finis, quàm habere rationem causæ. Et hoc etiam cõfirmant omnia, quæ in probatione primæ assertionis adduximus. At verò quando hæc res quæ est medium, induit habitudinem termini respectu alterius medij quod amatur propter ipsam, videtur iam participare aliquo modo rationem finis.

XII. Et ideò maioris claritatis gratia, & ad declarandas locutiones nonnullorum grauium authorum, possumus hîc accommodare distinctionem quam Gabriel citato loco adducit, nam aliud est loqui de fine vt puram rationem termini induit, aliud verò vt habet propriam rationem causæ finalis: hîc enim de illo loquimur sub hac posteriori ratione. Et hoc modo negamus tale medium, etiamsi aliud ad ipsum ordinetur, exercere veram causalitatem finalem propriè loquendo, & secundum intrinsecam denominationem, vt ita dicam. Et hoc probant omnia in priori assertione adducta, quia medium etiam sub hac ratione consideratum, non habet in se vnde trahat voluntatem ad amandum se propter se, sed ipse finis ad quem omnia media ordinantur, mouet voluntatem B ad amandum omnia media, & subordinationem eorum inter se, seu quod idem est, idem finis mouet voluntatem ad amandum aliquod medium immediatè propter se, aliquod verò immediatè propter aliud medium, mediatè verò seu vltimatè propter se. Ipsa ergo bonitas finis est, quæ proximè & finaliter mouet, quãuis non semper terminet proximè & immediatè relationẽ seu habitudinẽ medij ad finẽ: causalitas aũt finalis in motione Metaphorica consistit: hæc ergo non est in medio, etiã quatenus aliud ad ipsum ordinatur, sed est tantũ in fine. Et confirmatur ex specificatione actuũ voluntatis, seu electionũ omniũ mediorum tendentium ad eundem finẽ: nam omnes illæ recipiunt speciem, & honestatem vel malitiam ab ipso fine, vt latiùs tradũt Theologi in 1.2. qu. 18. ergo signum est, licet vnũ medium ordinetur ad aliud, tamen si omnia appetuntur tantũ vt media, solũ finem propter quem omnia appetuntur, esse, qui per bonitatẽ suã causat finaliter oẽs illas electiones.

XIII. At verò si de fine loquamur solũ prout est terminus ordinationis seu habitudinis alterius ad ipsum, sic vnum mediũ dicitur finis alterius quod ad ipsum ordinatur, quia est terminus ad quẽ proximè refertur. Medium enim remotum vt tale est nõ habet cõuenientiam & proportionem cum fine nisi intercedente proximo medio; & ideò ad illud proximè ordinatur: ergo sub hac ratione participat tale medium rationẽ proximi finis. Atq; hoc cõfirmant testimonia Aristotelis, & D. Tho. in fauorẽ secũdæ sententiæ adducta; fauet etiã cõmunis loquendi modus, absolutè. n. dicitur vnũ medium amari propter aliud: ex quo genere locutionis colligit Aristoteles vbiq; rationẽ finis. Dices si mediũ participat munus & rationem finis sub ratione termini ad quem aliud mediũ ordinatur, cur etiam non participabit causalitatem finis, quæ in Metaphorica motione consistit? Videtur enim esse æqualis ratio. Maximè quia sicut v.g. sanitatis amor mouet ad procurandam euacuationem, vel digestionem, aut aliquid simile, ita desiderium euacuationis mouet ad sumendam potionem, vel ad ambulandum, aut aliud simile medium.

XIIII. Respõdetur in primis differentiam esse, quia proxima ordinatio vnius medij ad aliud attenditur secũdum id quod est materiale in ipsis, nimirũ quatenus vnũ mediũ potest esse causa effectiua illius effectus, & ita potest bene ordinari vnum medium ad aliud, & è conuerso vnum esse terminus proximus ordinationis alterius, secundum id quod in ipso verè & realiter est: atq; ita potest participare rationem finis vt termini. Causalitas autem finalis formaliter prouenit à fine quatenus bonum est: & quia bonitas finis non participatur intrinsecè à medio propinquiori, etiamsi aliud ad ipsum ordinetur, ideò non ita participatur ab eo causalitas finis, sicut ratio vel habitudo termini. Non est autem confundenda motio, vel naturalis resultantia, quæ est inter ipsos actus voluntatis (quatenus ex vno excitatur voluntas ad alium) cũ causalitate finali, nam illa causalitas inter actus potiùs est effectiua, quàm finalis, siue fit per propriam efficientiam physicam (siue per naturalem sympathiam) & consensionem de quo aliàs, nam ad præsens non refert) ratio autem finalis est ab ipso obiecto, & ideò, quamuis desiderium vnius medij causet vel excitet desiderium alterius, nihilominus tamen in genere finalis causæ, totã illa motio prouenit ab eodem fine.

Nisi quis tandem velit dicere, quòd sicut medium XV. ex coniunctione ad finem fit amabile & appetibile, ita fit potens ad causandum finaliter, saltem electionem alterius medij propter ipsum, & ita participare causalitatẽ finalem. Quod quidem in re nõ est diuersum ab eo quod diximus, nã ad summum hoc potest attribui medio per quandã extrinsecam denominationem. Nam sicut mediũ non accipit aliquã intrinsecam bonitatem à fine, qua fiat appetibile, sed solũ per extrinsecã denominationem, & quasi informationem accipit ab illo conuenientiam & appetibilitatem obiectiuam; ita ad summum per similem denominationem extrinsecam potest participare causalitatem finalem: re tamen vera, totã illa causalitas prouenit ab ipso fine, eiusq; bonitate: & ideò sæpè dixi in superiorib. propriè, & per intrinsecam denominationem solum finem exercere causalitatem finalem.

Dices. Ergo eo modo quo ratio finis attribuitur XVI. mediis ad quæ alia ordinantur, ita potest attribui illi Obiectioni satisfit. medio, quod est primum in executione, & vltimum via intentionis: nam, licet ad illud non ordinetur aliud medium extrinsecum, ordinatur tamen ad illud ipsemet actus voluntatis, qui ad illud terminatur, vnde etiam dici potest esse propter illud, iuxta doctrinã superiùs traditã sectione 3. Rursus, licet illud mediũ per intrinsecã bonitatem non trahat voluntatem, tamen vt coniunctum fini, sicut ab illo redditur appetibile & conueniens per extrinsecam denominationem, ita per eandem potest dici causare finaliter, nõ per se ipsum, sed per finem tãquam per suam formã extrinsecã. Respondetur primò, non esse magnũ inconueniens hoc totũ concedere, quòd magis spectat ad modũ loquendi, quàm ad rem. Quòd si quis velit hoc modo sustinere opinionem Gabrielis, facilè poterit; nam & D. Tho. 1. part. q. 5. ar. 6. vocat bonum vtile vt sic, terminũ proximum motionis voluntatis. Veruntamen modus ille loquendi, præsertim quoad participationem causalitatis per extrinsecã denominationẽ, mihi videtur valdè improprius, nã in rigore nõ mouet mediũ, sed finis ad mediũ, vt suprà dicebã. Tamen quantum ad habitudinẽ termini potest dici participari à primo medio quatenus est materiale obiectũ in quo versatur actus voluntatis, quod solũ D. Tho. loco citato intendit. Imò sub ea ratione qua dicitur actus esse propter ipsum, iam habet rationem primi medij, nam ipsemet actus subit quodãmodo rationem prioris medij, vt in sectione 3. declaraui.

Satisfit

Satisfit fundamentis aliarum opinionum.

XVII. FVndamenta aliarum opinionum ferè non indigent noua solutione, quia declarãdo veram sententiam partim soluta, partim ad ea quæ diximus cõfirmanda accommodata sunt. Solùm ad id quod in fauorem prioris sententiæ obiiciebamus de obiecto adæquato voluntatis, dicendum est duplex esse obiectum potentiæ, materiale & formale: finis ergo non potest dici adæquatum obiectum materiale voluntatis, quia etiã media sunt materia circa quam voluntas versatur, vt dictum est: finis autẽ dici potest formale obiectum adæquatum, quia quidquid volũtas amat, est finis, vel propter finem: & hoc intendit D. Thom. citato loco. Cùm ergo dicitur omne obiectum voluntatis habere causalitatem finalem, intelligendum est de obiecto formali, non de materiali. Et eodem modo intelligendum est quod Aristoteles ait, finem & bonum idem esse: intelligit enim de bono simpliciter, quod in se ac per se bonum est; quo sensu dixit etiam 1. Ethic. c. 7. bonum vniuscuiusq; rei esse, cuius gratia operatur. Et in idem redit quod alij aiunt, finem esse adæquatum obiectum motiuum voluntatis, non autem terminatiuum, & causalitatem finalem propriè conuenire obiecto motiuo, non autem purè terminatiuo. Conradus verò 1.2. qu. 1. art. 1. dicit finem esse adæquatum obiectum per se voluntatis, medium autem esse obiectum per accidens, quod in idem redit, dummodo illud *per accidens* non ita intelligatur, vt existimetur voluntas non attingere ipsum medium in se: sic enim falsum esset, media esse obiecta per accidens, nam propriè & in se amãtur; sed intelligendum est *per accidens*, id est per aliud, nempe per finem, atq; hoc modo solum obiectum per se voluntatis potest habere causalitatem finalem.

Quod fit obiectum adæquatum voluntatis.

Conradus.

XVIII. Dices. Ergo nullus est actus voluntatis qui non sit à causa finali, quia nullus est qui non sit ab obiecto formali adæquato eius: hoc autem videtur falsum, tũ quia aliquis est actus in voluntate qui nec circa finẽ, nec circa media versatur, vt Scotus, & nonnulli alij Theologi contendunt in 1. dist. 1. tum etiã quia simplex complacentia, vel inefficax desiderium rei impossibilis, non causatur à fine: cùm nullo modo moueat ad consecutionem finis. Hæc obiectio petebat lõgam disputationem an in voluntate sit actus neuter, qui non sit causatus à fine, sed quia hoc nõ est nostri instituti, breuiter respondetur ad argumentum concedendo sequelam, nimirum, nullum esse actum in voluntate cum ratione & aliqua deliberatione operante qui non sit effectus finis, vt rectè probat ratio facta, & ex omnib. dictis in sect. 3. confirmari potest. Ad priorem verò partem obiectionis negamus esse actum in voluntate, qui non sit aliquo modo, vel circa finem, vel circa medium propter finem, quatenus probat Greg. in 1. dist. 1. quæst. 1. præsertim ex Augustino 1. de Doctrina Christiana, c. 8. vbi omnia bona amabilia reuocat ad bona quib. est fruendum vel vtendum, id est quæ sunt fines aut media. Quod etiã sentit Aristoteles 3. Eth. c. 3. & 4. & sumitur etiam ex D. Thom. 1. cont. Gent. cap. 86. Et ratio est, quia inter bonum propter se amabile, aut tantũ propter aliud, non potest reperiri medium. Nam quod Scotus putauit, bonum in communi, seu abstractè sumptum posse esse medium, verum nõ est, quia bonum in cõmuni nõ abstrahitur nisi vt per se amabile, quia aliud quod solùm propter extrinsecum finem amatur, nõ est bonum simpliciter, sed analogicè, & per extrinsecã denominationem, in qua non datur cõmunis cõ-

An sit actus aliquis voluntatis à fine non causatus.

Gregor.

Aristoteles D. Thom.

A ceptus abstractus, vt ex superiorib. constat. Ad alterã partem obiectionis respondetur, in illo actu simplici seu in efficaci circa obiectũ impossibile, nõ amari obiectum ipsum impossibile per modum finis inquirẽdi, vel assequẽdi, sed vel amari delectationem ipsam, quæ ex illo actu capitur, per modum finis, vel amari rationem aliquam boni, quæ in illo obiecto impossibili repræsentatur vel absolutè, vel sub conditione. Nam illa est quæ mouet voluntatem ad illum simplicem affectum, & illa etiã est quæ participat causalitatem finis, non quidem quantum ad intentionem vel electionem, sed solùm quantum ad simplicem affectum, hic enim etiam versatur circa finem.

Quomodo priuationes participent causalitatem finalem.

VLtimò facilis planè est ex suprà dictis resolu- XIX. tio secundæ difficultatis in principio positæ de obiectis negatiuis vel priuatiuis. Ad quam aliqui respondent, bonum quod potest causare finaliter, non esse sumendum ita strictè vt cum vero ente reali cõuertatur, sed latiùs quatenus cõuertitur cum ente B prout analogicè cõprehendit etiam priuationes vel negationes: iuxta superiùs dicta disput. 11. sect. 3. nu. 3. Vt enim dixit Aristotel. 5. Ethic. c. 1. *Minus malum quodammodo bonum est*: priuationes ergo, & negationes, quamuis re vera nõ afferant bonitatem, tamen quatenus remouent aliquod incommodum, censentur habere aliquam conuenientiam, ratione cuius possunt finaliter causare. Quæ sententia re, vera est: addere verò possumus, carentiam mali non habere vim causandi finaliter nisi in virtute alicuius positiui boni: meritoq; dici posse, priuationem magis amari vt medium ad obtinendum bonum, vel ad plenè illo fruendum, quàm propriè vt finem, ideoq; illam causalitatem finis quæ est in effectu alicuius priuationis, magis esse tribuendam bono, ratione cuius illa priuatio amatur, quàm ipsi priuationi. Amat enim quis carere dolore propter delectationem illi oppositam, vel certè propter amorem suæ naturæ, & status conuenientis illi, qualis est in dolẽtia, etiãsi alia voluntas positiua desit. Solùm videtur huic doctrinæ obstare quòd interdum amare potest aliquis nõ esse simpliciter, quia amor non potest causari ex amore alicuius boni positiui, quia non esse simpliciter & absolutè C nullum fundamentum positiui boni relinquit. Dicendum verò est, etiam ipsum non esse, non posse amari, neq; habere vim mouendi affectum, nisi ex amore commodi ipsius esse: non enim amat aliquis non esse, nisi vt euitet aliquod graue incommodum ipsius esse, quod apprehenditur maius respectu propriæ naturæ, quàm propter se diligit, quàm omnino carere esse. Atque ita fit (quod est mirabile) vt ex nimio amore sui esse, appetere possit aliquis non esse. Lege D. Thom. 1. p. quæst. 5. art. 2. Heruæum quodlib. 8. quæst. 8. Durand. in 4. d. 50. quæst. 2. Ferrar. 3. contr. Gent. cap. 19. Soncin. 9. Metaph. quæst. 16.

Quomodo relatio participet causalitatem finis.

AD aliud de relationibus, aliqui contendunt nõ XX. solùm relationes reales, sed etiam rationis posse causalitatem finis exercere. Alij etiam rationis realib. eam vim negant, vt Heruæus quodlib. 2. quæst. 1. & satis consequenter, si tenet relationem realem nullam habere perfectionem. Et sanè existimo nullã relationem vel rationis, vel ex iis realibus quæ prædicamentales dicuntur, & solùm censentur esse per resultantiam ex fundamento & termino, nullã (inquã)

ex his

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex his relationibus esse propter se amabilem, sed so- A lùm ratione sui fundamenti vel propter concomitantiam sui termini, nam qui amat famam, non amat relationem resultantem, sed realem existimationem sui quam censet sibi esse valde conueniẽtem, & sic de aliis. Quare si falsa existimatio non intercedat, nunquam hæc possunt causalitatem finalem exercere. Secus verò est de relationibus transcendentalibus, quæ per sese habent suas entitates, vel in cõceptibus aliquarum rerum absolutarũ includuntur: ideò enim per se bonæ ac conuenientes esse possunt, vt patet de habitudine scientiæ, visus, & similibus, & ita possunt hanc causalitatem exercere. Omitto etiã relationes diuinas, quæ alia superiori ratione possũt hanc causalitatẽ obtinere, maximè cùm essentialiter includant totã essentiæ bonitatem ac perfectionem.

SECTIO VII.

An esse cognitum sit fini conditio necessaria vt possit finaliter causare.

I. HÆc quæstio coincidere videtur cum illa, quæ de obiecto voluntatis tractari B solet, an voluntas possit ferri in incognitum; re tamen vera nõ omnino sunt eadem, licet valde connexæ sint: nam licet voluntas ferretur in incognitum, non propterea causa finalis causaret non cognita, sed potiùs dicendum tunc esset, voluntatem elicere actum suum sine propria causalitate finis circa ipsam, quia tunc re vera moueretur voluntas non tracta neque mota ab obiecto, sed ex sola sua efficacitate tendens in obiectum. Atq; ita præsens quæstio non omnino pendet ab illa alia, quamuis è conuerso si voluntas non potest ferri in incognitum, rectè inferatur nec finem posse causare, nisi sit præcognitus.

Finis non causat nisi cognitus.

II. DIco ergo primò, vt finis causet, necessarium omnino est vt præcognitus sit. Hæc est omnium Philosophorum recepta sententia, quos inferiùs, & præsertim sect. sequenti recensebimus. Et probatur primò à priori ex modo causandi huius causę, qui est Metaphoricè mouendo & alliciendo appetitum. Hæc enim Metaphorica motio, vt suprà explicatum est, fundatur in naturali consensione, & sympathia intellectus & voluntatis, quæ intelligi non potest nisi mediis actibus talium potentiarum, nam dum non operantur, neq; mouent, neq; mouentur, neq; vllam vitalem consensionem habent. In hac verò cõsensione necesse est vt præcedat actus intellectus, quia ille per suum actum vel obiectum se habet vt motor, & voluntas vt mota: ergo ad hanc Metaphoricam motionem quam causa finalis exercet circa voluntatem, necessaria est præuia eius cognitio.

III. Secundò, quia vt realis causa causet, aliquo esse indiget, sed causa finalis non necessariò postulat esse existentiæ realis proprium & in se: ergo saltem requirit esse in cognitione: atq; ita fit vt finis sæpe causet quando non existit, vt suprà visum est: nunquam autem si non sit cognitus. Sic adeò, vt licet interdum realiter existat, si non sit apprehensus, nihil moueat affectum. Vt propter hanc causam, inter alias, meritò dictum sit. *Thesaurus occultus, & sapientia inuisa, quæ vtilitas in vtroq;?* Atq; ex eadẽ radice fit, vt finis etiamsi in re bonus sit, si tamen vt talis non cognoscatur, sed falsò apprehendatur, vt malus, non alliciat, sed potiùs retrahat voluntatem.

IIII. Tertiò à posteriori hoc confirmatur ex eo, quòd voluntas ferri non potest nisi in bonum cognitum. Quæ veritas est quasi primum principium & axioma Philosophorum omnium, & Theologorum. Aristoteles enim 3. de Anim. cap. 10. ait, *appetibile non mouere nisi mente aut imaginatione perceptum*, cui consentiunt ibi omnes interpretes, & optimè D. Thomas 1. p. quæst. 82. art. 4. & 1. 2. quæst. 3. art. 4. ad quartum & quæst. 9. art. 1. Estq; expressa sententia D. Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 1. & 2. *Rem* (inquit) *prorsus ignotam amare omnino nullus potest*: idem lib. 15. cap. 26. vbi ait *amorem oriri in nobis ex mentis notitia*: idem lib. 8. cap. 4. & lib. 3. de liber. arb. cap. 25. & alibi sæpè. & D. Gregor. lib. 5. Moral. cap. 23. & lib. 23. c. 12. & lib. 31. cap. 12. & optimè Bernard. lib. de interiori domo. c. 18. & 19. & lib. de grat. & lib. arb. non longè à principio, & serm. 7. 8. & 52. in Cantica, & Anselm. in Monolog. cap. 48. *Nullus res amatur sine sui memoria, aut intelligentia.*

Aristotelica pronunciatum. D. Thom. D. Augustin. Gregor. D. Bernard. Anselm.

V. Ratio à priori conclusionis.

Ratio autem à priori huius veritatis sumenda est ex principio à nobis posito in assertione, nimirum, quòd causa finalis non potest causare nisi sit cognita adiuncto alio, videlicet, quòd voluntas non potest se mouere nisi aliquo modo finaliter mota; & ideò ferri non potest nisi præuia cognitione. Minor, seu secunda propositio, experientia constat, non enim potest appetitus vitalis inchoare suam vitalem appetitionem solùm ex se ipso, nisi aliquo modo alliciatur, & moueatur ab appetibili. Ratio autem reddi potest vel ex generali conditione potentię vitalis, præsertim eius quæ agit actione immanente, quæ agere non potest nisi mota aliquo modo, vel determinata à suo obiecto: hæc autem motio respectu appetitus Metaphorica est. Vel reddi potest ratio ex conditione appetitus: omnis enim appetitus sequitur aliquod esse, & aliquam formam seu naturam: appetitio autem elicita non sequitur immediatè ex ipso naturali esse, seu naturali forma, vt constat, & ideò necesse est vt sequatur formam apprehensam, & esse cognitum, quod ab illa prouenit: vnde sicut absque naturali esse non sequitur appetitus naturalis, ita nec sine cognitione sequitur elicitus. Sed est discrimen, quod appetitus naturalis quia in re non est distinctus ab ipsa natura vel facultate naturali, C comitatur illam quasi formaliter seu quasi per naturalem sequelam nostro modo concipiendi: appetitus autem elicitus est longè alterius rationis, & est actus distinctus à forma apprehensa, seu à conceptu tam formali, quam obiectiuo; & ideò non causatur ab illo formaliter, sed finaliter ab obiecto bono per cognitionem applicato.

Deus ne possit efficere vt amet voluntas incognitum?

VI. ATque ex his rationibus inferunt frequentiùs Theologi, non solùm secundum naturæ ordinem esse necessarium vt cognitio præcedat appetitionem elicitam, sed etiam de potentia absoluta impossibile esse vt aliter fiat, seu quòd voluntas feratur in incognitum. Quàm sententiam insinuat D. Tho. locis citatis; & apertiùs id docet Henricus quodlib. 1. quæst. 15. & Gabriel in 2. d. 25. quæst. 1. art. 3. dub. 3. Dionysius Carthus. lib. de laudib. vitæ solit. art. 36. & 37. Et hęc sententia mihi vera videtur satisq; probari rationib. superiùs factis. Optimè vero declaratur ex illis duobus principiis scilicet quod voluntas in suo actu essentialiter pendet ex causalitate finali, quia non potest appetere nisi Metaphoricè mota seu excitata à bono quod amatura est: & quod causa finalis omnino

D. Thom. Henric. Gabriel. D. Dionys.

omnino necessariò & essentialiter requirit esse cog- A nitum vt causet, quia Metaphorica motio neque intelligi potest nisi media cognitione, vt satis declaratum est.

VII. Non defuerunt tamen Theologi qui dicerent posse Deum efficere vt voluntas amet sine præuia cognitione. Ita sentit Palud. in 4. d. 49. q. 1. art. 2. nu. 29. solet etiam attribui Gregorio ibi & Ochamo q. 25. ad septimum, & 15. Nõnulli etiam Theologi mystici asseruerunt in altissima contemplatione peruenire interdum ad eum statum, in quo voluntas amat sine præuia cognitione. Non tamen explicant hi authores, an tunc etiam causa finalis causet sine cognitione, an verò voluntas tunc amet sine cõcursu proprio causæ finalis: & quidem magis cõsequenter hoc posterius dicerent, nam tunc obiectum solum esset terminus actus voluntatis, non autem principium, & consequenter neq; causa. Quòd si verum esset voluntatem posse amare recipiendo actum quem ipsa non efficeret, esset magis intelligibilis illa sententia, nam tunc satis esset quòd illa actio quatenus est à causa extrinseca, haberet etiam causam finalem. Tamen, cùm voluntas non possit amare nisi vitaliter e- B liciendo amorem, & seipsam per illum mouendo, & inclinando vitali modo, intelligi non potest quòd ipsa in se inchoet huiusmodi motum, nisi excitata, & illecta ab obiecto per causalitatem finalem, quæ sine cognitione esse non potest.

Palud. Gregor. Ocham.

Bonauent. in Itinerar. mẽtis in Deum cap. vlt. & in quadã quæst. quæ habetur in fine libri de mystica Theologia.

Qualis cognitio ad causalitatem finis necessaria sit.

VIII. STatim verò occurrũt hîc variæ quæstiones, quas, quia eędem tractantur de obiecto voluntatis, solùm insinuabo, & in proprium locũ remittam. Vna est, qualis sit hæc cognitio quæ ad finaliter causandum requiritur, an scilicet necessaria sit intellectiua, vel sensitiua sufficiat. In qua duæ includi possunt: vna est an sensitiua cognitio sufficiat ad mouendam voluntatẽ, & hęc pars ad præsens non spectat: supponimus autem necessariam esse intellectus cognitionem vt voluntas moueatur, quia sola potentia intellectiua est proportionata voluntati ad mouendam illam: de qua re differitur in 1. q. 9. art. 1. & 2. & tangitur à Caiet. q. 10. art. 3. propter quædã verba D. Thomæ ibi ad tertium dicentis, *Voluntatem moueri non solũ à bono vniuersali apprehenso per intellectum, sed etiam à bono particulari apprehenso per sensum*: quę non sunt ita intelligenda, vt apprehensio sensus putetur sufficiens ad talem motionem, sed ita, vt hæc bona materialia quę sensus apprehẽdit, possint mouere etiam voluntatẽ quatenus medio sensu vsq; ad rationem perueniunt. Altera pars in dicta quęstione inclusa, esse posset hypothetica, an si voluntas moueretur ab obiecto per sensum tantùm apprehenso, illa motio sufficeret ad causalitatem finalem, vel (quòd idem est) an illa motio esset causalitas finalis: de qua quæstione eadẽ est ratio ac de simili quęstione absoluta, an motio appetitus sensitiui à bono cognito per sensum sit causalitas finalis, quam explicabimus sect. vlt. huius disput.

Caiet. C

IX. Altera quæstio, ad præcedentem consequens, est, quænã cognitio intellectiua necessaria sit, an nimirum apprehensiua sufficiat, vt Scotus in 2. d. 6. q. 1. o- pinari videtur, vel iudicatiua necessaria sit. De qua re tractatur in 1. 2. q. 9. artic. 1. Et vix potest cadere in dubiũ quin iudicatiua cognitio necessaria sit de obiecto sub ratione conuenientis, & de conuenientia eius. Quæ est aperta sententia Philosophi 3. de anim. cap. 3. qui hoc sensu ait, phantasiam nudam nõ mouere appetitum, sed opinionem: & c. 7. negat moueri

Scotus.

appetitum, donec adsit iudicium boni aut mali: & lib. 4. Metaph. c. 4. text. 18. est optimũ testimonium. Nam ità cõpertum esse putat ad determinatum voluntatis motum necessarium esse determinatum iudicium de conuenientia rei in quam voluntas mouetur, vt hoc experimento redarguat Philosophos negantes primũ principium, & ostendat quòd nulla res simul sit & non sit, sed alterum tantum determinatè. Eadem est sententia D. Damasceni lib. 2. de fid. cap. 22. & D. Thomæ 1. 2. q. 9. art. 1. & 1. p. q. 53. art. 3. & sæpè aliàs. Et ratio est clara, quia donec intellectus iudicet obiectum esse conueniens, nondũ cognoscit conuenientiam eius, nam apprehensio pura ac præcisa ab omni iudicio, indifferẽs est, vt id quod apprehenditur, ita esse aut nõ esse existimetur, & ideò qui apprehendit tantùm, & non iudicat astra esse paria, non cognoscit esse paria, sed dubius manet, & ignorans: huiusmodi ergo apprehensio de conuenientia rei, non potest esse satis ad mouendam voluntatem, vt ipsa etiam experientia satis docet: ergo nec ad finaliter causandum: requiritur ergo iudicium.

D. Damasc. D. Thom.

Dices, appetitus sensitiuus mouetur sine iudicio X. & apprehẽsione obiecti: ergo & voluntas poterit ita moueri. Respõdetur falsum esse antecedens: nam, vt D. Thomas ait 1. p. q. 59. art. 3. *Quis fugit lupum ex quodam iudicio, quo existimat eum sibi noxium.* Tale aũt iudicium in bruto non est per ratiocinationem, nec per cõpositionem, neq; per formalem cognitionem illius rationis propter quam res est cõueniens, sed est per simplicem, & naturalem existimationem de cõuenientia talis rei. Intellectus verò humanus consequitur perfectum iudicium de conuenientia, & de formali ratione talis conuenientię, tum componendo, tum etiam ratiocinando. Superiores verò intelligentiæ superiori modo iudicant per simplices actus. An verò interdum in homine vt moueatur volũtas, sufficiat cognitio obiecti per simplicem actum, qui licet non dicat ita esse vel non esse per formalem cõpositionem, & diuisionem, nõ fit tamen pura apprehensio, sed virtuale iudicium includat, & cognitionem, cp tale obiectum conueniens sit, disputatur à Theologis: & probabile est posse sufficere talẽ cognitionis modum ad aliquem simplicem affectũ volũtatis, & fortasse hoc sensu locutus est Scotus suprà, & latiùs Marsil. in 2. q. 16. art. 1. Maior etiã, & Gabriel in 2. d. 6. Tamen ad propriã & formalem motionem propter finẽ de qua nunc agimus, perfectius iudiciũ necessariũ est, cp non habetur sine ratiocinatione, vel cõpositione aut diuisione, quia oportet cognoscere vel propriam & formalem cõuenientiam quæ est in fine, vel proportionẽ mediorum ad finem: quæ cognitio non habetur nisi per collationẽ vnius ad aliud, quæ non fit sine cõpositione & ratiocinatione, & pfecto iudicio, quod inde cõparatur. Et ideò operationes voluntatis indeliberatæ nõ censentur esse propriè propter finem, vt notauit D. Th. 1. 2. q. 1. art. 1 ad 3. quia licet non fiant sine aliqua cognitione intellectus, tamen est imperfecta, & in modo est similis existimationi imaginariæ. Hîc verò statim oriebatur dubium de voluntate amentium, an in ea locum habeat causalitas propria finis, de qua re statim dicam.

Rursus verò dubitari solet, an hoc iudicium debeat esse practicum, vel speculatiuũ sufficiat: de qua re multa etiam disputãtur à Theologis in citatis locis. Ex his autem quæ superiùs dicta sunt à nobis de vsu libertatis humanæ, & de modo quo volũtas potest à iudicio intellectus determinari, sumi potest sufficiẽs resolutio dictæ dubitationis quãtum ad præsens ne- XI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessaria est. Et quia multum pendet ex vsu vocum, eas distinguere necesse est. Si ergo per iudicium practicum intelligamus aliquem actum intellectus, ita iudicantem de fine, vt per se & vi sua potens sit determinare efficaciter voluntatem, sic dicendum est non requiri tale iudicium practicum ad causalitatē finalem, quia motio finis, aut iudiciū per quod finis applicatur, non impedit vsum libertatis: talis.n. motio practica omnino cōtraria esset volūtati, vt suprà ostendimus. Si autem per iudicium practicū intelligatur iudicium de conuenientia finis, nō tantùm secūdum se, sed etiam respectu hominis iudicantis, nō tantùm in communi & abstractè, sed etiam in particulari hîc & nunc, & cōsequenter iudicantis non tātùm de ipso obiecto seu fine, sed etiam de ipso actu seu tēdentia in finem, id est, vt non solùm iudicetur obiectum esse conueniens, sed etiam hîc & nunc esse conueniens illud velle: si tale (inquam) iudicium significetur nomine iudicij practici, verum est iudicium hoc modo practicum requiri ad causalitatem finalem: & eodem sensu, iudicium speculatiuum huic iudicio practico condistinctum non sufficere.

XII. Aristoteles. Quo sensu intelligo dictum Aristotelis 3. de anima c. 9. text. 42. *Intellectus contemplatiuus non dicit quicquam omnino, si sit fugiendum aut prosequendum: at motus semper fugiētis aut prosequentis quippiam est.* Quòd enim loquatur ibi de iudicio vel imperio practico hoc posteriori modo, & nō priori, patet ex text. 47. in quo subdit. *Intellectus nonnunquam iubet ratioq; fugere aliud, aut persequi dicit, at non obtemperat homo, at q; mouetur, sed agit cupiditate, vt in ipso fieri solet incontinente.* Ratio autem cur tale iudicium requiratur, clara est, quia, vt suprà etiā dictum est, volūtas dum mouetur, non tantùm vult obiectum, sed etiam suo modo vult hîc & nunc proprium actum & motionem suam: ergo necesse est vt de hoc toto & de tali conueniētia feratur iudicium. Quòd verò tale iudicium sufficiat, patet, quia sufficienter applicat & conuenientiam obiecti, & practicæ motionis in ipsum, at quidquid aliud exigitur, neq; in ratione causæ finalis fundari potest, neque in modo operandi voluntatis, quin potiùs ex ea parte qua libera est, ei repugnat, ergo.

XIII. Amentesne velint aliquid propter finem. Sed statim occurrit difficultas, quia nec tale iudicium practicum necessarium videtur, alioqui non habebit locum in amentibus, vel pueris ante perfectum vsum rationis, causalitas finis, quod videtur esse contra experientiam: quia verbis ostendunt se cognoscere rationem boni à qua mouentur, & vtilitatem medij ad finem. Respondetur absolutè negādo sequelam: nam licet hi homines nō possint exercere iudicia practica in ordine ad mores honestos aut prauos, quia cognitio honestatis requirit perfectum rationis vsum, & integrum iudicium: possunt tamē habere iudicium practicum de re vt hîc & nūc operabili, & conueniente sub aliqua inferiori ratione, vt est ratio delectabilis, vel ratio cōuenientis aut disconuenientis animali naturæ, quæ reperitur in sanitate v.g. & vtilitate quæ est in medio respectu talis finis. Nā licet hi amentes sint, non priuantur omni discursu & ratiocinatione, per quam sufficienter applicetur causa finalis, vt habere possit aliquā causalitatem suam, quamuis non perfectissimam.

XIIII. Cognitio an causa per se finalizandi. Vltimò inquiri potest circa hanc cognitionem an requiratur solum vt conditio necessaria ad hanc causalitatem, an verò etiā vt principium seu causa p se. Quæ dubitatio duplicem potest habere sensum. Vnus est an cognitio finis, præter eam necessitatem quę ex parte causę finalis sumitur, habeat aliam catisalitatem per se circa actum voluntatis, ob quam etiam necessaria sit. Quo sensu in præsenti non est tractanda hęc quæstio, coincidit enim cum illa, an cognitio concurrat effectiuè ad actum voluntatis tanquam proprium principium per se influēs in illum, quæ nihil ad præsentem quæstionem de causa finali refert. Certum est enim, vt suprà dixi, causam finalē quæ per cognitionem applicatur, non influere effectiuè in actum voluntatis: quòd verò actus ipse cognitionis quo talis causa applicatur, aliundè habeat vim ad sufficiēter causandum voluntatis actum, impertinens est ad causalitatem finalem: quanquam probabilius est non habere cognitionem eam vim efficiendi in actum voluntatis, vt in superioribus est tactum, & latiùs in scientia de anima disputandum est. Alius sensus illius dubitationis est, an esse cognitum quod finalis causa habet per cognitionem, sit illi ratio causandi finaliter; ideoq; cognitio non solùm sit conditio necessaria, sed etiam principium p se huius causalitatis: & hoc dubium graue censeri solet, quod sequentem sectionem postulat.

SECTIO VIII.

Vtrùm finis moueat secundum suum esse reale, vel secundum esse cognitum.

I. Prior sententia. PRima sententia affirmat finem mouere secundum esse quod habet in cognitione, non secundū esse reale; atq; adeò cognitionem non tantū esse conditionē sine qua non, sed esse formalē rationem causandi finaliter. Hæc censetur esse Auicen. 6. Metaph. c. 5. eamq; tenet Soncinas. 5. Metaph. q. 3. & nonnulli alij moderni Thomistæ, & attribuunt D. Tho. 1. 2. q. 31. art. 3. ad primum, vbi ait *obiectū appetitus animalis esse bonū apprehensum & ideò diuersitatē apprehēsionis ptinere quodāmodo ad diuersitatē obiecti.* Et similiter 1. p. q. 80. ar. 1 & 2. ait appetitū variari iuxta formā vel apprehensionem quā sequitur; & ita distinguit tres appetitus, naturalem, sensitiuum, & voluntatem, nā primus sequit naturalē formā absq; apprehensione, secundus sequitur formā apprehensam per sensum, tertius sequitur formā apprehensam p intellectum. Auicenna. Soncin. D. Thom.

II. Ex qua doctrina potest concipi prima ratio p hac sententia, nam id quod ex parte obiecti distinguit essentialiter appetitus, non est tantū conditio, sed etiam formalis ratio mouendi, seu obiecti mouentis, sed apprehēsio diuersa est sufficiens ratio distinguēdi essentialiter appetitus: ergo. Minor est D. Thomæ suprà. Maior verò constat ex communi doctrina, q potentiæ distinguuntur per obiecta formalia, non per conditiones obiectorum. Vnde D. Thom. citato loco, cùm dixisset in corpore articuli appetitum esse potentiam motam, moueri autem ab appetibili apprehenso, & ideò per illud distingui, subdit in solutione ad primū. *Appetibili non accidit esse apprehēsum per sensum, vel intellectum, sed per se ei conuenit. Nam appetibile non mouet appetitum, nisi in quantum est apprehensum, vnde differentiæ apprehensi, sunt per se differentiæ appetibilis. Vnde potentiæ appetitiuæ distinguuntur secundum differentiam apprehensorum, sicut secūdum propria obiecta.* Et idem habet D. Tho. 1. 2. q. 30. art. 3. ad secundum, vbi similiter ex diuersa apprehensione distinguit concupiscentias naturales à non naturalibus: & Caietanus ibi notat ex illa responsione manifestè haberi, *Quòd apprehensio respectu obiecti appetitus non se habet vt approximatio actiui ad passiuum, sed vt ratio obiectiua.*

Et

III. Et confirmatur hæc ratio, nam in eodem appetitu intellectiuo, effectus causę finalis plurimùm variatur ex diuersitate cognitionis: sola autem conditio vel applicatio causę non posset sufficere ad tātam diuersitatem. Antecedens patet, nam cognitio Dei per visionem clarā vel obscuram, intuitiuam aut abstractiuam causat, vt multi volūt, diuersitatem specificā in amore, &, vt minimum, est in causa vt vnus amor sit liber, & alter necessarius. Rursus idem bonū apprehensum absolutè, causat amorem, vt absens & acquirendum, causat desiderium vel intentionem, vt præsens verò causat gaudiū; qui actus specie diuersi sunt: & eadem proportione distinguuntur circa malum apprehensum vt absens vel præsens, tristitia & timor. Rursus actus virtutis & vitij in voluntate non distinguuntur ex obiecto secundum eius esse reale, sed secundum eius esse apprehensum: hinc enim fit, vt si quis ex conscientia erronea velit eleemosynam facere, putans se male facere, ille non sit actus virtutis, sed vitij: & è conuerso, qui ex ignorantia inuincibili vult furari vt eleemosynam faciat, putās se bene facere, non facit actum vitij, sed virtutis, propriè & secundum veram speciem realem virtutis. Deniq; simile argumentum est, quòd bonum non mouet quale est, sed quale apprehenditur; & ideò suprà diximus cum Aristotele, ad causalitatē finis non referre qualis sit, sed qualis existimetur: esse autem existimatum idem est quod esse apprehensum.

IIII. Secunda ratio principalis pro hac sententia est, quia illud esse, quod per se ac solùm requirit finalis causa, vt causet, non est tantùm cōditio, sed formale principiū causandi; sed esse existentiæ non est requisitum in fine ad causandū: esse autem cognitum est p se necessarium, & illud solùm sufficit, ergo. Maior videt nota ex terminis, quia nihil aliud est esse formale principium causandi, quàm esse id quod per se primò ac formaliter requiritur in causa vt causare possit. Vnde in superiorib. sæpè diximus, & inferiùs etiam dicemus, esse existentiæ respectu causę efficiētis non esse conditionem requisitam, sed ipsam rationem causandi, quia est ipsa entitas rei, & primū esse quod ad causandum requiritur. Minor autē quoad priorem partem satis probata est in superiori sect. & q illa necessitas apprehensionis sit per se ex vi causæ finalis, constat ex modo causalitatis eius, qui est per Metaphoricam motionem: hęc enim per se procedit ex esse obiectiuo, nō ex esse rei in se. Quoad alteram etiam partem constat ex dictis, nam ostensum est sæpè finem causare antequàm fit: imò & illum, qui nūquam futurus est, vel etiā interdum qui nec esse potest, si tamen vt possibilis apprehendatur.

V. Posterior sententia contraria. Caiet. Auerroes. Secunda sententia est finem mouere secundum esse reale; illudq; esse rationem formalē mouendi, & consequenter, cognitionē finis esse tantùm conditionem seu approximationem necessariā huiusmodi causæ. Hāc opinionem docuit latè Caietanus 1. 2. q. 1. art. 1. circa ad primū, existimatq; esse sententiā Auerrois 12. Metaph. com. 36. quatenus ait, sanitatem quæ est in re causare finaliter, licet put est in anima, efficiat desideriū sui. Et potest sumi ex D. Th. 1. p. q. 82. art. 3. quatenus ait *voluntatē inclinari ad ipsam rem prout in se est*; & ex Philosopho quem ibi citat in 6. Metaph. text. 8. dicentem *bonum & malum, quæ sunt obiecta volūtatis, esse in rebus.* Eandē opinionem tenet Ferrariēsis 1. cont. Gent. c. 44. vbi dicit, esse in mente, tātùm esse cōditionem requisitam ad finaliśandum. Tenet etiā Iauellus 5. Metaph. q. 6. Ocham in 2. q. 3. ar. 2. & Gabr. 2. d. 1. q. 1. art. 3. & sumitur etiam ex Scoto in 1. d. 1. q. 4.

D. Thom. Ferrar. Iauell. Ocham. Gabriel. Scotus.

Fertur inter prædictas sententias iudicium.

VI. INter has sententias hæc posterior mihi videtur simpliciter vera: & res tota tā clara apparet vt vix possit esse dissentiendi ratio nisi in vocibus ipsis aliqua æquiuocatio misceatur. Quod patebit facilè, si ea in quibus authores vtriusq; opinionis conueniunt, vel tam manifesta sunt, vt in eis conuenire necessariò debeant, distinxerimus.

VII. Finis vt causet non eget existentia actuali. Primò itaq; conueniunt omnes, finem non indigere existentia reali, seu exercita (vt vocant) ad causandum finaliter: quo sensu clarum est esse existentię non esse rationem causandi finaliter, imò nec conditionem necessariam. Addo etiam, neq; esse essentiæ verum, aut esse existentiæ possibile re ipsa esse necessarium ad causandum finaliter, nam apprehensum sufficit, & hoc tantùm magna ex parte probant rationes primæ opinionis.

VIII. Voluntas nō fertur ad assequendum finem in esse cognito, sed in esse reali. Secundò certum est, voluntatem non tendere in finem, vt illum in esse cognito, vt sic assequatur, sed vt in proprio esse reali, quod in eo apprehēdit iuxta eius conditionē, illud assequatur: atq; hoc hoc sensu certissimum est esse in cognitione nō esse rationem finalisandi, sed solùm conditionem necessariam. Prior pars exemplis, & ipsius rei declaratione fit euidens. Nam qui intendit sanitatem, aut diuitias, non intendit illas cognoscere, aut de illis cogitare, sed re ipsa consequi secundum veram existentiam realem, & idem est de aliis. Ratio autem sumēda est ex dictis sectione 5. quòd ratio formalis causandi finalis causę est bonitas eius & conuenientia: res autē, quę mouet vt finis non habet suam bonitatem & conueniētiam in esse obiectiuo seu cognito, sed in ordine ad suum esse reale: sanitas enim est conueniens vt insit, non vt apprehēdatur: ergo formalis ratio mouendi est reale esse eius, quatenus conueniens seu bonum, seu realis conuenientia eius quatenus in ipso esse reali fundatur, & illud reddit bonum & appetibile. Confirmatur, quia finis secundum illud esse mouet, secundum quod satiat appetitum agentis postquàm illum est consecutus, & sine quo non quiescit, sed ita comparatur finis ad voluntatem secundum esse reale, & non secundum esse apprehensum: ergo. Maior constat, tum quia illud est primum in intentione quod est vltimum in executione, tum etiam quia finis est id in quod tēdit impetus agentis: id in autem tendit, quo consecuto quiescit. Minor etiam est clara, quia nō quiescit animus apprehensione finis, nisi illum in re ipsa consequatur, & absq; huiusmodi consecutione frustrari censetur intentio agentis. Et hoc nō negant authores primæ opinionis, vt tandem fatetur Medin. 1. 2. q. 1. art. 1. quanquam fortasse non admodum consequenter, vt ex dicendis constabit.

IX. Dixi autem, voluntatem tendere in finem, secundum esse reale iuxta eius conditionem, quia interdū contingit ipsum finem voluntatis operantis nō esse alium, quàm obiecti alicuius cognitionem, vt cū intendimus seu desideramus videre Deum: tum enim illud esse visum pertinet ad rationem formalē talis causæ finalis, & simile est, quādo homo appetit vt finem solā contemplationem, vel speculationē alicuius veritatis. Et hoc etiam modo dicūt Theologi, interdū hominem posse delectari in sola cognitione, & non in re cognita, nisi secundū esse cognitū, à quo tunc actus accipit suā bonitatem vel malitiā. Quanquā verò in his & similib. exemplis cognitio ipsa appetatur vt finis, tamen ipsa habet suū proprium esse reale, secundum q appetitur, & talis cognitio etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

tunc non est ratio finalisandi in quantum est quid prærequisitum ex parte finis, vt volũtatem moueat, sed in quantum est actio quædam, quę per se iudicatur conueniens, & vt sic proponitur voluntati tanquã sufficiens ad mouendum illam, sed tãquam terminus in quẽ tendat. Atq; ita secundum accõmodatam distributionem verũ in vniuersum est, finẽ mouere secundũ esse reale, ꝙ media apprehensione obiicitur voluntati, nam secundum illud iudicatur cõueniens, & quatenus conueniens iudicatur, mouet.

X. Cognitio tũm est conditio necessaria ad causandum finaliter.

Tertiò dicendum est apprehensionem seu iudiciũ illius cõueniẽtię realis, ꝓpriè ac formaliter loquẽdo, nõ esse rationẽ mouẽdi seu finalisandi, sed esse cõditionẽ necessariã per modũ approximationis necessarię ad tale genus causalitatis. Quoad hoc veriùs ac ꝓpriùs loquitur secũda sentẽtia, & probatur, quia esse in cognitione nõ est bonitas seu conuenientia secũdũ q̃ finis mouet, vt probatũ est: ergo nec cognitio ipsa est ratio formalis ipsi fini vt moueat: erit ergo necessaria cõditio. Patet consequentia à sufficienti partium enumeratione. Quocirca, sicut in causa efficiente approximatio localis est conditio requisita, ita in causa finali approximatio quasi animalis seu vitalis, est requisita conditio ad talem causandi modum, quia cùm motio huius causæ Metaphorica sit, debet fieri per naturalem consensionem potentiarum cognoscitiuæ & appetitiuæ, vt sæpè dictum est.

XI. Hinc addendũ est quartò, hanc cognitionẽ talem esse vt ratiõe illius, vel potiùs mediãte illa, possit variari ratio seu principiũ formale finalisandi, nõ quia ipsa sit ratio formalis motiua, sed quia applicat diuersam rationẽ formalẽ mouendi. Et in hoc videnẽ æquiuocatione laborasse authores primæ sententię. Declaratãũt ex prædicto simili causæ efficiẽtis: quãuis. n. is q̃ applicat causam per se agentem, solum sit causa ꝓ accidens, tamẽ si potens sit ad applicãdas diuersas causas habentes diuersa principia agendi, poterit ex ea parte variare rationem formalẽ agendi, & cõsequenter esse causa diuersitatis in effectu. Sic igitur, quia vis apprehensiua vniuersalis est, potest applicare diuersa obiecta, & diuersas rationes formales mouendi: & ideò licet ipsa non sit ratio finalisandi, potest esse causa vel occasio vt huiusmodi ratio varietur. Et simili ratione potest vis apprehensiua eandem materialẽ rem sub diuersis rationib. apprehendere, aut verè, aut apparenter; & inde etiã prouenit vt ex diuersitate apprehensionis vel iudicij mutetur motio vel causalitas finis; non quia formaliter ac per se illa varietas proueniat ex apprehensione, sed quia applicat finem formaliter diuersum, vt declaratũ est.

Fundamenta prioris sententiæ expediuntur.

XII. ET iuxta hanc vltimã assertionem declarãtur optimè & expediũtur testimonia omnia & rationes quas prior sententia afferebat. Quandocunq; enim D. Th. ait diuersitatem apprehensionis pertinere ad diuersitatem obiecti, intelligendũ est, pertinere nõ formaliter, sed applicatiuè, vt sic dicã. Vel aliter dici potest (& in idẽ redit) diuersitatẽ apprehẽsionis, nõ quę se tenet ex parte subiecti, sed quę se tenet ex parte obiecti, variare appetitũ & obiectũ eius, & causalitatem finis. Voco aũt conditiones apprehensionis ex parte subiecti, quod sit clara vel obscura, certa aut probabilis, & similes; quæ nõ redundãt in applicationẽ obiecti sub diuersa ratione bonitatis vel conueniẽtiæ: quando aũt diuersitas apprehensionis ad hoc pertingit, dicetur esse diuersa etiã ex parte obiecti.

XIII. Vnde ad primã rationem distinguenda est maior, nam ꝙ ex parte obiecti distinguit essentialiter appetitus, si id ꝓ se primò faciat, erit ratio formalis obiecti, si verò solũ id faciat vt applicans diuersum obiectum formale, esse poterit tantũ conditio requisita: atq; hoc modo cõcurrit apprehensio ad hãc diuersitatem. Et iuxta eandẽ doctrinã intelligendũ est, appetitum intellectiuum & sensitiuum distingui, quia cõsequuntur apprehẽsionem sensus vel intellectus: nã si hæc distinctio reducenda est ad obiectũ apprehensum, in eo cõsistit ꝙ per sensum applicatur obiectum sub diuersa ratione conuenientiæ, ad naturam sensitiuã, vel rationalem. Et quãuis interdũ intellectus possit apprehendere & proponere rationẽ conuenientiæ ad naturã sensitiuam, tamẽ hoc est respectu illius quasi materiale, nã adæquata ratio eius vniuersalior est, & in eo ipso lõgè aliter applicat rationẽ formalẽ talis boni, q̃ sensus, & ita tota illa diuersitas quatenus ex apprehensione in obiectum redundat, non fit, nisi vt per conditionem applicantẽ. Atq; idem dicendum est ad omnia exempla quæ in cõfirmationem adducuntur, nã visio, & abstractiua cognitio, si fortasse in causa sunt vt amores sint diuersi in specie, ideò est, quia bonitas Dei ꝓ visionem lõgè aliter applicatur etiã ex parte eius, ita vt secundum oẽs perfectiones suas formaliter ac distinctè cognitas in vna simplicissima perfectione clarè visa moueat voluntatem videntis, cũ tamen in cognitione abstractiua solũ moueat vt cognita sub determinata ratione alicuius attributi, vel sub aliqua ratione boni valde cõfusi. Et similiter, si necessitas, quæ est maior in vno amore quã in alio, prouenit ex obiecto, ideò est, quia per visionem, & obiectum & amor eius apprehenduntur vt hîc & nunc magis necessaria. Sic etiam bonum absens vel præsens non variant actus propter solas apprehẽsiones, sed quia ipsa res, & cõditio in ipsa apprehensa nata est diuersum motum causare in appetitu: eademq; ratio est de cæteris exemplis, vt facilè vnusquisq; intelligere poterit, applicando singula ad doctrinam traditam.

Ad secundam rationem respondetur, in vtraque præmissa sumpta, posse esse æquiuocationem. Cùm enim in maiori dicitur, illud esse causæ quod per se ac solum requiritur ad causandum, esse rationẽ formalẽ causandi, si intelligatur de esse existentiæ exercito, falsum est in causa finali, quia, vt sæpè dictũ est, non semper requirit hoc esse ad causandum. Si verò intelligatur de esse existentiæ absolutè, scilicet abstrahendo ab eo quòd tunc sit, quando causat, vel ꝙ futurum sit, aut existimetur, sic verum est, rationem causandi esse in causa aliquod huiusmodi esse. In hoc verò sensu falsa est minor, quia licet finis cùm primò mouet, in re ipsa sæpè nõ habeat hanc existentiam, nisi in apprehensione, quomodo dicitur esse primũ in intentione, tamen in illa apprehensione obiicitur & repræsentatur secundum aliud esse reale, propter quod voluntas mouetur.

SECTIO IX.

Vtrùm causalitas finis locum habeat in diuinis actionibus & effectibus.

RAtio dubitandi sumitur ex hactenus dictis de agentib. intellectualib. creatis, nam in his non habet locum causalitas finis quoad actiones externas, nisi media causalitate in ipsam volũtatem causæ agentis, sed finis non potest habere causalitatem suam in voluntatem Dei: ergo neq; in effectus, vel

vel actiones externas quæ ab illa volũtate procedũt. In contrariũ verò est, quia Deus propriissimè est finis creaturarum omnium, vnde & propriè dicitur omnia propter se ipsum operari: ergo est causa finalis rerum omniũ, & actionum quæ ab ipso procedunt.

Sitne in decretis liberis diuinæ voluntatis causalitas finis.

II. CIrca hanc dubitationem duo breuiter declarãda sunt. Primum, an & quo modo finis exerceat rationem suam vel causalitatem circa ipsas liberas determinationes diuinæ voluntatis, quæ sunt veluti actus immanẽtes in ipsa. Secundum, quid dicendum sit de actionib. transeuntib. quæ à diuina potẽtia egrediuntur, & consequenter etiã de effectib. ad quos terminãtur. Circa priorem partẽ Sõcinas 5. Metaph. quæst. 2. sentit, in diuina volũtate reperiri propriam causalitatem finis. Fundamentum eius est, quia motio finis tantùm est Metaphorica, sed in Deum cadit hæc Metaphorica motio, quia diuina bonitas propter quam Deus agit, mouet voluntatem Dei: ergo & causalitas finalis cadit in diuinam voluntatem. Secundò quia Deus amat propter bonitatem suam tanquam propter finem, sed per hoc nihil aliud significatur, nisi quòd diuina bonitas mouet voluntatem Dei in amorem suæ essentiæ: ergo. Tertiò quia Deus amat creaturas propter suam bonitatem, sed amare vnum propter aliud, nihil aliud est, quàm ex amore vnius Metaphoricè moueri ad amorem alterius: ergo ita mouetur Deus Metaphoricè à se ipso vt fine. Quartò afferri potest ratio suprà insinuata, quia aliàs effectus Dei vt ab ipso sunt non haberent causam finalem: nam causa finalis nullum effectum habet nisi medio agente, quod ad agendum mouet: si ergo circa ipsum agens non habet causalitatẽ, neq; circa effectus agentis potest causalitatem habere.

Soncinas.

III. Negatiuè respondetur. D. Thom.

Hæc verò sententia falsa omnino est. Vnde dicendum est finem nõ posse exercere causalitatem suam in diuinam voluntatem quantum ad actus immanentes, seu determinationes liberas eiusdem voluntatis. Hæc sumitur ex D. Thoma 1. p. quæst. 19. art. 5. vbi in hoc sensu generaliter negat dari aliquam causam diuinæ voluntatis: & 1. cont. Gent. c. 86. & 87. dicit quòd licet diuinæ voluntatis sit aliqua ratio, non tamen aliqua causa. Idem Alensis 1. p. quæst. 35. art. 5. Driedo de Cõcord. lib. arb. 1. lib. tract. 1. c. 4. memb. 1. ad quartum. Idem sentit Ferrar. in dictum c. 87. qui aduertit, quòd licet diuina bonitas secundum nostrum modum intelligendi sit causa diuinæ voluntatis, nõ tamen secundũ realem causalitatem. Quod etiam est sano modo intelligendum quoad priorem partem: non enim existimandum est obiectiuè seu ex parte Dei esse in ipso causalitatem, etiam nostro modo intelligendi, alioqui falsum intelligeremus, sed ex parte nostra intelligere & explicare nos rationem diuinæ voluntatis ad modum causalitatis, quia non possumus diuina concipere aut explicare nisi ad modum rerum creatarum. Præterea, in eodem sensu D. Augustin. lib. 83. quæstionum, quæst. 28. negat quærendam esse causam diuinę voluntatis, ob quam voluit mundum creare, & rationem reddit, *quia omnis causa efficiens est*, quod ita intelligẽdum puto, vt suprà etiam expositum est, id est quia in omni vera causalitate intercedit aliqua efficiens causa.

D. August.

IIII. Atque hinc sumitur prima ratio huius veritatis, quia in diuina voluntate nulla est vera efficiẽtia circa actum immanentem in ipsa etiam vt liberè terminatum ad obiecta externa: ergo nec vera causalitas finis habere potest locum circa talem actum. Consequentia patet ex superiùs dictis, nam causalitas finis non habet locum nisi in ordine ad causalitatem efficientem. Secundò declaratur amplius, quia actus diuinæ voluntatis quoad entitatem sibi essentialem ac necessariam, non potest habere vllam veram causam in aliquo genere, quia vt sic est ens per essentiam, & omnino independens. Neq; etiam ille actus vt liberè terminatus ad creaturas potest habere realẽ causam, quia vt sic nihil reale addit entitati necessariæ eiusdem actus: nec potest fingi causa realis, quæ habeat pro effectu solum respectum rationis. Quocirca, qui putant determinationem liberam addere aliquid reale diuinæ voluntati quod simpliciter posset non esse in ipsa, satis consequenter ponere possunt, vel etiam debent, hoc causalitatis genus circa illum actum: nam, vt ego existimo, cogũtur ponere etiam causalitatem effectiuam, quod, quàm est absurdum, tam est falsum illud fundamentum ex quo sequitur, vt infrà suo loco ostendam. Neq; Soncinas hac via procedit, quia non solum circa liberas determinationes, sed etiam circa ipsum actum, vt est necessaria dilectio Dei, admittit illam causalitatem finalem, ꝙ in rigore sumptum, est omni ratione improbabile, quia ille actus vt sic est ipsum ens per essentiam, & ideò independens, & non causatus sub quacunq; ratione. Vnde vlteriùs, si determinatio libera vt est aliquid rei, nihil est præter ipsum actum, & vt est quid rationis, re vera non est, sed concipitur aut fingitur ex modo nostro concipiendi, fit, vt sub nulla ratione possit ille actus veram causam habere.

Respondetur argumentis in oppositum.

V. ADargumenta respondetur, quod sicut Deus eminentissimo modo se per seipsum amat sine vlla causalitate, vel effectiua circa amorem quatenus à nobis concipitur vt vitalis actus, vel formalis circa ipsum amantem, quatenus tali amore amans constituitur, ita intelligendum est Deum eminentissimo modo amare se propter se, & alia etiam propter bonitatem suam absq; vlla causalitate finali circa eundem amorem vel sui, vel aliorum. Atq; ita cùm dicitur se amare, Metaphoricè motus vel illectus à bonitate sua, locutio est Metaphorica, sumpta ex modo quo nos concipimus res diuinas ad modum humanarum. Quomodo dixit etiam Boetius lib. 3. de Cõsolat. prof. 3. *Insitam bonitatem luore carentem populisse Deum vt res externas operaretur.* Boëtius.

VI. Vnde ad primum negatur Metaphoricam motionem finis ita habere locum in diuina voluntate sicut in nostra, nam in nostra ita illa motio dicitur Metaphorica, vt tamen sit vera causalitas, quia est vera dependentia in actu propter finem elicito ab ipso fine, in diuina autem voluntate non est talis motio Metaphorica, sed est eminens quædam amandi ratio, quæ sicut est sine distinctione actuum vel potentiarũ, ita etiam est sine vlla vera motione etiã Metaphorica. Quare cauẽda est equiuocatio in vocabulo *Metaphoricæ motionis*, nã respectu nostri illa particula *Metaphoricæ* additur ad distinguẽdam illã motionem à motione efficientis causæ, non verò ad excludendam illã à tota latitudine motionis & causalitatis realis propriè dictæ, cùm verò Deus dicitur moueri aut allici à bonitate sua, tota locutio est Metaphorica ad explicandam solam rationem diuinæ voluntatis.

VII. Deus qualiter dicatur se vel alia amare propter suam ipsius bonitatem.

Et per hæc responsum est ad secundam & tertiam rationẽ, nam illa particula *propter*, quãdo Deus dicitur amare se vel alia propter bonitatem suã non significat veram causam ipsius amoris, sed rationẽ tantùm (vt dixi) voluntatis diuinæ. Falsum autem est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deũ se amare propter se tãquam ꝓpter finem, Deus enim nõ est finis sui ipsius: quis.n.vnquã ita locutus est? aut quomodo potest habere finem qui nõ habet principium? Nisi fortasse negatiuè dicatur finis sui, quia non habet alium finem, sic enim dicitur Deus esse à se. Sed hoc sensu non est finis sui per causalitatẽ finalẽ, sicut neq; est à se per efficientem. Falsum item est, amare vnũ propter aliud, esse idem, ꝙ ex amore vnius moueri ad amorẽ alterius, si illud *ex* significet causalitatem propriam, vel distinctionem in re inter vnũ amorem & alium: nã in rigore ad veritatẽ illius locutionis sufficit, ꝙ vnum sit ratio amandi aliud. Vnde sicut quando Deus dicitur esse immortalis, quia est immaterialis, illa particula *quia* designat nõ veram causam, sed rationem, ita dicitur amare creaturas propter bonitatem suam, nõ quia sit causa, sed quia est ratio amãdi illas. Et sicut Deus illo actu quo se amat necessariò, liberè amat creaturas sine additione vel augmento reali, ita idem actus vt terminatus ad Deum potest dici ratio nostro modo concipiendi, cur extendatur (vt ita dicam) ad creaturas, nulla interueniente causalitate propria. Nam sicut illa terminatio sit eminentissimo modo sine augmento B reali, ita etiam sine causalitate reali. Quomodo dixit Dionys. 4. cap. de diuin. nom. *quod diuinus amor non dimisit Deum esse sine germine.*

Sitne causalitas finis in externis actionibus, & effectibus Dei.

VIII. QVarta ratio illius opinionis postulat vt explicemus secundum punctum in principio propositum, scilicet quomodo in actionibus, & effectibus Dei ad extra detur vera causalitas finalis, si in ipsamet Dei voluntate non reperitur talis causalitas. Et ratio dubitandi satis proposita est in principio, & in illa ratione quarta. Propter quam posset aliquis concedere, in effectibus Dei inueniri propriè finem ad quem ordinantur, & propter quem fiunt, non tamen reperiri propriam causalitatem finalem. Vt enim notat Gabriel in 2. dist. 1. quæst. 5. in principio, finis & causa finalis non omnino sunt idem, nam finis vt sic solum dicit terminum ad quem tẽdit operatio, vel ad quem motus ordinantur: causa autem finalis est, quæ mouet agens ad operandum. Quapropter, si detur finis qui non moueat agens per ꝓpriã causalitatem, poterit dari finis, qui non sit causa C finalis in proprietate & rigore sumpta. Sic igit verè dici potest Deus omnia operari propter se vt propter finẽ vltimum in quem omnia ordinantur, non tamen p causalitatem finis, sed p eminẽtiorem modum ab omni causalitate liberũ. Sed hic modus dicẽdi nõ omnino satisfacit. Primò quidem quia ex omniũ Theologorũ sententia Deus est causa finalis omnium rerum, vt tradit D. Tho. 1. p. qu. 44. art. 4. Secundò, quia Aristoteles definit causam finalẽ esse id propter ꝙ aliquid fit: Deus autem verè ac propriè est id propter ꝙ creaturæ fiunt, iuxta illud Prouerb. 6. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Tertiò, quia causa finalis vt sic nullam includit imperfectionem, imò cẽsetur esse prima, & perfectissima omniũ causarum modo inferiùs explicando: ergo conuenit Deo propriè ac formaliter, & cum summa perfectione: non conuenit autem illi nisi respectu effectuum ad extra: ergo.

Gabriel.

D. Thom.

IX. Quare dicendum est, ꝙ licet causa finalis nõ causet propriè effectus suos nisi quodãmodo medio agente ꝙ mouet & allicit ad operandum, tamen, vt finis sit propria causa effectus agentis, necessarium nõ est, vt prius habeat in ipso agente aliquam causalitatem propriã. Nam licet hoc contingat in agentib. intellectualib. creatis, eò ꝙ immediatè ipsa se mouent, seu applicant ad operandum, vel amandũ per aliquã realem motionem, & propriam causalitatem: tamen in agente intellectuali increato id non est necessariũ quia sine vlla sui mutatione, vel reali additione, dependentia, aut causalitate, simplicissimo & eminentissimo modo seipsa applicet (vt ita dicam) seu determinat ad liberè amandum & operandum. Consistit autẽ causalitas finalis Dei respectu effectuum ad extra in hoc, quòd Deus intuitu & amore suæ bonitatis effectus extra se producit: vnde ipsamet operatio quam ad extra habet, essentialiter pendet à Deo tum in ratione efficientis, tum etiã in ratione finis, quia respicit Deum & vt omnipotentem, & vt summè bonum, qui ratione suæ bonitatis, & dignus est vt omnia ad ipsum vt ad finem ordinentur, & se ipsum dicto eminenti modo inclinat ad communicandam aliis suam bonitatem propter ipsam. Atq; ita facilis est responsio ad rationem dubitandi: negamus enim esse semper necessariam causalitatem finis intra ipsum agens, vt habere possit locum extra ipsum in alios effectus eius: quo modo inferiùs etiam declarabimus habere locum in effectibus Dei causalitatem exemplarem, sine vlla causalitate propria intra ipsum Deum.

X. Dubium occurrens peditur. Caiet.

Atq; hinc expeditur facilè dubium quod attingit Caietanus circa dictum art. 4. q. 44. 1. part. an possit concedi Deum vt agens est, habere causam finalem: quod idem est ac quærere in actio Dei ad extra habeat propriam finalem causam. Dicendum est enim habere quidem causam finalem. Nam Deus verè ac propriè exercet illam actionem propter aliquem finem quem intendit. Item quia, vt D. Thom. ait in illo articulo, idem est finis agentis & patientis, licet diuersimodè: est autem sermo de agente vt agẽs est, & de patiente latè vt se extendit ad effectũ ab agente factum: sed effectus Dei vt sic habet propriam causam finalem: ergo actio Dei vt sic habet eandem causam finalem, quę licet non sit finis Dei, est tamen finis effectuum Dei, & consequenter etiam actionis eius: finis enim ad quem ordinatur effectus, est qui mouet agens ad operandum: vnde ad eundem ordinat actionem suam.

XI. Obiectio.

Sed statim insurgit difficultas, nam actio Dei est ipsa essentia Dei: ergo non potest habere causam finalem. In qua obiectione hærent & laborant Thomistę: & Caietanus respondet illam actionem quantum ad rem quę est actio, non habere causam finalẽ: formaliter tamen in quantum actio est habere causam finalem ipsam bonitatem Dei. Sed non satisfacit responsio, quia vel illa actio vt actio, aliquid rei addit ipsi Deo, & sic non erit in Deo, vel nihil rei addit, & secundum id non potest habere causam finalem. Respondent nõnulli moderni, actionem vt sic, solum addere respectum rationis illi intrinsecum, & quantum ad illum habere causam finalem. Addunt-que, cùm finis moueat agentem Metaphoricè, non esse necessarium vt inter finem & agentem, seu eius operationem sit realis distinctio, sed sufficere distinctionem rationis: & quod agens determinetur à fine ad actionem, siue illa determinatio sit per modum realem, siue per modum rationis. Sed hæc doctrina falsa est, & incidit in opinionem Soncinatis, & ex illa planè sequitur amorem Dei vt liberè terminatum ad creaturas, habere propriam causam finalem: quod tamen esse omnino falsum ostensum est. Et sequela patet, nam in illa determinatione libera est etiam identitas realis, & modus rationis, prouc-

proueniens seu modo à Deo vt à fine. Item falsum A est, relationem rationis esse de intrinseca ratione actus realis, cum illa nihil sit. Ideoq; etiam non magis potest intelligi quod per propriam causalitatem finalem causetur, quàm quod per propriam efficiẽtiam. Et ideò alii Thomistæ negant quod diximus, nempe Deum ita operari propter finem, vt ille finis sit causa actionis Dei, sed tantùm passionis, vt sic dicam, seu effectus, aut etiã ipsius fieri. In quo quidem videntur consequenter loqui, nam iuxta illos, actio Dei non est aliud quam volitio Dei: volitio autem Dei non potest habere causam finalem. Sed ex falso fundamento coacti sunt recedere à vera sententia.

XII. Vera responsio.

Et ideò facilius respondetur negando antece- dens, nam actio Dei transiens non est Deus, nec in Deo, sed in creatura, & ideò habere potest causam finalem, & ordinari in finem. Atq; ita, licet Deus nõ habeat finem sui esse, habet tamen finem suæ actionis transeuntis: qui si sit finis proximus, esse potest aliquid extra Deum: agit enim Deus ad extra vt sese communicet: quæ communicatio aliquid est extra Deum, & in vniuersum actio dici potest ordinari in B terminum vt in suum finem: si verò sit sermo de fine vltimo, est ipsemet Deus, nõ quia intendat aliquod commodum vel bonum sibi acquirere, sed quia agit propter suam bonitatem communicandam & manifestandam. Et hanc sententiam bene declarat Durandus in 2. distinct. 1. quæst. 6. quamuis nonnulla misceat quæ vera non sunt, quæ nunc examinare non est necesse.

Durand.

SECTIO X.

Vtrùm in actionibus naturalium & irrationalium agentium vera causalitas finalis intercedat.

I. Hæc quæstio generalis est de omnibus agentibus carentibus intellectu & voluntate: quibus omnibus commune est vt non possint actiones suas vel media ad finem referre seu ordinare. Et hinc oritur dubitandi ratio: nam propria causalitas finis non est fine hac ordinatione, vt satis declarant illæ particulæ *cuius gratia*, & *propter quod aliquid fit*, quibus causalitas finis solet declarari: & ideò difficile est inuenire aut declarare causalitatem finalem in actionibus horum agentium, & in effectibus eorum prout ab ipsis prouenit. In contrarium verò est, quia hæc etiam agentia agunt propter finem, vt latè probat Aristoteles in 2. Physic. ca. 7. non potest autem intelligi operatio propter finem sine causalitate finis. Et de brutis est specialis difficultas, nam illa verè mouentur ad amandum ex aliqua cognitione boni: ergo intercedit in eo affectu & opere motio Metaphorica boni cogniti: ergo illa pertinet ad veram causalitatem finalem. Atq; hoc confirmat experientia, nam videmus hirundinem ita congregare paleas vel aliquid simile efficere, sicut expedit ad finem suum, & sic de aliis.

Ratio dubitandi. C

Aristoteles.

Vetus opinio de agentibus naturalibus.

II. IN hac re fuit antiqua opinio veterum Philosophorum negantium opera naturæ prouenire ex intentione alicuius finis, sed casu ita constitisse, vel ex concursu atomorum temerè ita concurrentium, vel ex necessitate materiæ, vt citato loco 2. Physic. c. 7. & 8. contra Anaxagoram, Empedoclem, Democritum, & Epicurum disputat Aristoteles. Quæ sen-

Aristoteles.

tentia adeò est absurda, vt refutatione non egeat. Oportet tamen aduertere aliud esse agere de constitutione totius vniuersi, & de actione vniuersalis naturæ ad ipsum componendum, & ita regendum vt conseruari possit: aliud verò de actionibus propriis singulorum agentium naturalium. Prior actio seu effectio re vera non est actio alicuius agentis naturalis intellectu carentis, sed est actio supremi authoris naturæ, qui sua sapientia totam vniuersi naturam condidit ac moderatur: & ideò actio illa ad præsentem quæstionem non spectat, nec de illa dubitari potest, quin propter finem ab authore suo intentum, atq; adeò ex causalitate finis profecta sit, iuxta doctrinam præcedentis sectionis. Atque hoc euidentissimè docet ipsa vniuersi pulchritudo, & mira partium eius, & causarum omnium consensio & ordinatio. Ex qua non solùm sancti Patres, sed etiam sapientiores Philosophi vnum esse huius vniuersi authorem, & gubernatorem, qui in finem à se intentum omnia constituit & ordinauit, intellexerunt, vt latiùs infrà tractabimus demõstrando Deũ esse, & multa de hac re eruditè & breuiter indicarunt Conimbricenses lib. 2. Physic. c. 9. q. 1.

Conimbric.

III. Solùm ergo hìc inquirimus de actionibus naturalium causarum, siue illæ sint omnino particulares, vt ignis, plantæ, &c. siue aliquo modo vniuersales, vt cœli. De quibus præterea certum & clarum est, non casu aut contingenter certas actiones operari, sed vnumquodque agens naturale ex propensione propriæ naturæ habere definitam operationem, & operandi modum, ac certum terminum, in quem per suam operationem tendit. Quod etiam est euidens experientia, nam lapis suo motu naturali semper fertur deorsum, ignis semper calefacit; ex diuersis seminibus diuersa viuentia procreantur, & aliæ potentiæ & organa ad hoc munus, aliæ verò ad alia destinatæ sunt, & eam formam, situm, & reliqua omnia ad operandum necessaria in ea proportione habent res singulæ, quæ ad tales actiones vel effectus necessaria sunt. Quod in omnibus rebus naturalibus, & præsertim in viuentibus, & animalibus videre licet. Fuitque hoc necessarium ad conuenientem ipsius vniuersi compositionem, & C gubernationem, nam cùm ex variis rebus & contrariis constet, quæ varias etiam, & interdum contrarias actiones exercent, si non essent omnia ita constituta, vt singula ordinatè sua munera obirent, in ipso vniuerso summa esset confusio, & res ipsæ minimè conseruari possent. Vt autem huiusmodi concentus, & ordo ex tot rebus consurgere posset, necessarium fuit res singulas indestinatos fines seu terminos suis actionibus tendere, ex quibus totius vniuersi bonum consurgeret. Item hac ratione videmus naturales motus regulariter eodem modo perfici, raroq; deficere, idq; nõ absq; aliquo extrinseco impedimento occurrente. Item, in suis operibus ita se gerunt res naturales, sicut expedit vt ad connaturalem terminum perueniant, quo termino consecuto cessant ab operando. Hæc ergo omnia sunt manifesta signa, hæc agentia naturalia operari non casu ac temerè, sed definito modo tendendo in certum aliquem scopum.

Vide Lactantium lib. de Opificio Dei, & D. Thomã 3. cont. Gẽt. ca. 2.

IIII. Reiecto errore in quo fita difficultas.

Iam verò solùm superest quæstio (quæ ex parte videtur pertinere posse ad loquendi modum) an ratione huius determinationis dicenda sint hæc agentia agere propter finem, & (quod ad nos magis spectat) an eorũ actiones dici possint propriè causatæ à finali causa. Aliqui enim simpliciter negãt vtrumq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

loquendi modum, quia ipsa agentia non mouentur à fine, in quo propriè causalitas finis consistit. Item finis respectu harum actionũ non se habet vt principium, sed tantùm vt terminus: locus enim deorsum respectu lapidis, nõ est principium motus quo descendit, sed tantùm terminus: finis autem, vt sæpè diximus, vt habet solum rationem termini non est causa, sed vt aliquo modo est principium. Alii verò simpliciter putant admittendas esse illas locutiones, quia Aristot. absolutè ait agentia naturalia operari propter finem, & formam dicit esse finem naturalis generationis, & significat esse ꝓpriè causam finalem. Item quia natura summo artificio, & industria has suas operationes exercere videtur, per media valde proportionata fini.

Resolutio de causalitate finis in agentibus merè naturalibus.

V. Nihilominus proprius modus loquendi in hac materia est, actiones horum agentium naturalium esse propter finem, & esse effecta causæ finalis. Non tamen vt præcisè egrediuntur ab ipsis naturalibus agentibus, sed vt simul sunt à primo agente, quod in omnibus & per omnia operatur. Vel è conuerso (& ferè in idem redit) prout ipsa proxima agentia substant directioni & intentioni superioris agentis. Et ideò ipsa agentia naturalia non tam dicũtur operari propter finem, quam dirigi in finem à superiori agente. Ita explicarunt rem hanc sapientiores Theologi & Philosophi, D. Tho. 1. p. q. 103. art. 1. & 3. cont. Gent. c. 25. vbi vtitur communi exemplo de sagitta, quæ incertum si opum tendit, nõ tamen in illum se dirigit, sed à iaculante dirigitur. Idem Albertus in 2. Physic. c. 2. & ibi alii Philosophi, & Simplicius tex. 78. sumiturq; ex Aristotele ibi, & 1. de Cœlo c. 4. tex. 32. vbi dum coniungit Deum & naturam, dicens, nihil facere frustra, satis indicat naturam in agẽdo propter finem subordinari Deo. Et eodem modo lib. 2. de partib. animal. c. 13. ait, naturam nihil agere frustra, & ibidem ait naturã velle hoc vel illud propter finem: quod non potest intelligi de natura, nisi propter authorem suum. Et eodem sensu ait 4. de Gener. animal. c. 2. *Omnia, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua fiunt.* Et hinc etiam manauit illud tritum axioma, *Opus naturæ esse opus intelligentiæ*, vt est apud Auerroem 12. Metaph. com. 18. & Themistium 1. Physic. tex. 81. & 1. de Anim. tex. 23. Denique ideò Hippocrates, quem imitatur Galenus libr. 1. de vsu part. naturalia agentia, docta & indocta vocat, indocta in se, docta in directione primæ causæ.

D. Thomas.

Simplicius.

Auerroes. Themistius, Hippocrat. Galenus.

VI. Atq; ita fit vt in his actionibus, vt sunt à naturalibus agentibus, nõ sit propria causalitas finalis, sed solum habitudo ad certum terminum: vt verò sunt à Deo, ita sit in illis causalitas finalis, sicut in aliis externis & transeuntibus actionibus Dei. Adæquatũ enim principium harum actionum non est solum proximum agens naturale, nisi forte secundũ quid scilicet in tali ordine; tamen absolutè pręcipuum est prima causa: ideoq; in adæquato principio talium actionum includitur intellectualis causa intendens finem earum.

VII. Curres naturales diuersis dispositionibus affectæ.

Vnde vlterius rectè concludit Aristoteles, primam radicem ob quã res naturales habent has dispositiones, vel hæc organa, aut has partes, & similia, nõ esse sumendam ex sola materia, sed ex fine. Nam si materia sumatur secundum se, indifferens est, & nullam habet necessitatem harum dispositionum seu proprietarum: si verò supponatur vt iam affecta his vel illis dispositionib. iam illæ introductæ sunt propter aliquam finem seu formam, & ipsa forma indiget illis propter suam conseruationem, vel propter aliquam operationem: ipsa verò operatio rursus est vel propter conseruationem speciei aut ipsiusmet indiuidui, aut saltem propter communicationem suæ perfectionis; in his enim naturalibus agentibus non sunt operationes, quæ ipsæmet sint fines; hoc enim proprium est intellectualium rerum. Atq; ita omnis connexio & necessitas connaturalis, quæ per se est in his rebus naturalibus, sumitur ex ordine ad finem. Neq; obstat quod naturales proprietates necessariò conueniant propter intrinsecã dimanationem à forma, quia vna habitudo non repugnat alteri, sed habent inter se subordinationem, nam illa necessaria dimanatio reducitur ad efficientem causam, quæ subordinata est finali: ideò enim natura dedit tali formę vim, vt ab ea dimanarent tales proprietates, quia illę sunt accõmodatę ad finem propter quem est res quę per talem formã constituitur. Sic igitur tam in constitutione & formatione harũ rerum, quã in earum actione reperitur cõcursus finalis causæ: intentio aũt propria talis finis non est in ipsis naturalib. agentibus, sed in prima causa.

VIII. Quæ necessitas assentiendi connaturalium & directionem in finem. Aristotelis.

Sed videri potest alicui sine causa confictus hic modus agendi propter finem, esseq; præter Aristot. intentionem. Nam in primis Aristot. in 12. Meta. videtur sentire Deum hæc inferiora non agnoscere, nedum curare illa: & in lib. de Mundo ad Alexan. significat, non rectè sentire de Deo, qui putãt Deum in curandis his inferioribus actionib, occupari. Deinde si per impossibile Deus non concurreret ad actiones agentium naturalium, sed eas independenter suos motus agere sineret, nihilominus lapis descenderet deorsum, ignis generaret sibi simile, & sic de cęteris: non est ergo hęc finalis causalitas, sed mera naturalis necessitas. Et confirmatur, nam si agentia naturalia agerent ex intentione diuina, nunquã errarent in suis actionibus, nec deficerent à consequendis terminis earum: consequens est contra experientiam, cùm sæpè generentur mõstra, quæ peccata naturæ appellantur. Sequela patet, quia diuina

IX. intentio nec frustrari potest, nec errare.

Respondetur, de Aristotelis mente iam satis ex dictis constat, latiusq; infrà ostendemus ex eius sententia, habere Deum scientiam & prouidentiam harum rerum singularium & inferiorum: q nõ obscurè indicat infrà lib. 12. in fine, dum totum vniuersum subiicit Deo tanquam supremo principi & duci. Ad primam verò rationem respondetur primò, ex illa hypothesi impossibili sequi, naturam ordinatissimè operari tendendo in finem, sine vlla directione vel intentione finis, quod per se est satis absurdum. Et enim eodem modo posset quis argumentari, quod licet hic mundus non esset ab alio conditus, si ex se ita esset sicut nunc est, habere conuenientissimum ordinem sine causalitate finis. Hoc tamen non obstat quo minus de facto, sicut nõ potest esse nisi causatus, ita non potest esse nisi causatus à fine. Ita ergo dicimus, motus & actiones rerum naturalium sicut non possunt esse sine concursu alicuius intellectualis agentis, ita non posse esse sine causalitate finis. Addo deinde, quod si per impossibile Deus per se & immediatè non concurreret ad omnes actiones agentium naturalium, nihilominus mediatè dici deberent ordinatæ in finem ab authore naturæ, qui & naturalibus agentibus dedit tales virtutes propter tales

tales actioes, & ipsas actiones esse voluit propter certos fines, & generatim propter bonum & conseruationem vniuersi.

X. Multi in natura effectus quorum nulla reddi potest sufficiẽs causa, præter finem intentum à prima causa.

Vnde tandem addo, plures esse motus, vel actiones in his rebus naturalibus, quarum non potest sufficiẽs ratio reddi ex priuatis proprietatib. vel inclinationibus singularum rerum: aqua. n. fursum ascendit ad replendum vacuum, cuius ratio ex peculiari aquæ natura ac proprio impetu reddi non põt, sed ex fine, qui in perfectione totius vniuersi sit positus, quẽ oportet ab alio superiori agente intendi. Simile est de aqua maris, quæ ita in littore continet impetum, & tumentes fluctus suos, vt terram nunquam cooperiat; vtiq; propter mistorum & viuentium salutem, quem finem intendit supremus naturæ gubernator. Ex his ergo intelligimus, quando hæ res naturales mouentur vel operantur iuxta proprias & peculiares inclinationes suas, cùm per illas etiam deseruiant commodis & conseruationi totius vniuersi, & suarum specierum, vel etiam indiuiduorum, & præcipuè hominis, in eis etiam operari ex directione in finem, per subordinationem ad superius agens.

XI. Lege Arist. lib. 2. Physic. c. 8. & 2. de anim. c. 4. & 1. Ethic. c. 5. Aristotelis.

Ad confirmationem respondetur simpliciter negando sequelam: quin potiùs Aristot. 2. Physic. text. 82. inde confirmat hæc agentia naturalia agere propter finem, quia sicut ars intendens finem, interdũ illum non assequitur, ita in actionibus naturæ, eò quod certum finem intendant, inde sequi monstra seu peccata naturæ, quia non semper possunt finem suum assequi propter impedimentum occurrens. Alioqui, si natura non tenderet in certum finem, nulla essent monstra in natura, quia non magis aberraret ab scopo, efficiendo monstrum, quam efficiendo quodlibet aliud: nam monstrum propriè est vitium naturæ à fine suo deficientis. Quod verò obiiciebatur de intentione authoris naturæ, nil obstat quia illa intentio non semper est absoluta & efficax, seu (vt Theologorum more loquamur) per voluntatem beneplaciti, vel consequentem, sed per volũtatem generalem, vel antecedentem: quæ est quasi conditionata intentio, quæ in hoc consistit, quod Deus vult effectum perfectum sequi, quantum iuxta ordinem naturalium causarum sequi potuerit, cùm quibus quantum in ipso est, vult concurrere. Simul autem vel permittit, vel etiam interdum vult & intendit monstra vel peccata naturæ, vel propter vniuersi pulchritudinem & varietatem, vel vt causas naturales suos motus & cursus agere sinat. Et ideò neq; cum causa impedita ab alia extraordinario modo vult concurrere, neque etiam impedientem causam peculiari cura aut prouidentia remouere, regulariter loquendo, quamuis ob commune bonum interdum id efficiat, de quo latiùs Theologi partim in 1. dist. 45. partim in 2. dist. 37. & D. Thom. 1. par. quæst. 22. & q. 105. & legi potest Augustinus. 16. de Ciuit. c. 8. & lib. 83. quæstionum, q. 24.

D. Thom. Augustin.

Quomodo bruta animalia propter finem operentur.

XII. Superest vt de brutis animãtibus pauca dicamus, in eis enim maior quædam apparet participatio causalitatis finalis. Primò quidem, quia à bono sibi conueniente & cognito, Metaphoricè alliciuntur, atque ita in illud tendunt per actum à se elicitum, & ab illa motione Metaphorica causatum: illa ergo motio aliqua realis causalitas est, & non nisi finalis. Deinde vt consequantur illud obiectum conueniens quod appetiuere, certa media etiam à se cognita appetunt tanta industria & prudentia, vt videantur planè & cognoscere vtilitatem eorum ad finem, & propter illam ea appetere. De qua sagacitate & industria animalium, & multa scribunt Philosophi, & quotidiana experientia nobis satis constat. Quæ adeò mouerunt nonnullos Philosophos, vt existimarent bruta vti ratione, licet imbecilliori & imperfectiori quàm homines. Quæ sententia referri solet ex Porphyrio libr. 3. de Abstinentia. Est tamen non solùm à doctrina nostræ fidei aliena, verum etiam ab omni ratione, & communi hominum sensu: nam potentia rationalis, vt Aristoteles dixit 9. Metaphysic. valens est ad oppositа, nam medio discursu in rebus agendis nunc hoc medio, posteà alio vtitur: belluæ autem non ita operantur, sed semper eodem modo: quod sufficiens signum est non ratione, sed impetu naturæ duci. Adde, quod si animæ brutorum rationales essent, etiam essent immortales.

Lege Plinii lib. 6. suæ hist. Plutar. in proprio lib. de industria animal. Porphyr. Aristot.

XIII. Bruta nihil vere cognoscere, aut vlsaliter appetere, absurdum.

Alii verò, vt hoc vitarent incommodum, in alium extremum errorem inciderunt, negantes bruta quicquam verè cognoscere aut appetere appetitu elicito, sed solùm naturali põdere ferri, vt lapidem, aut extrinsecus mota & attracta, sicut ferrum trahitur à magnete. Verum hoc æquè absurdum est, & contra euidentem experientiam, imò & contra diuinam Scripturam. Veruntamen contra hos duos errores in scientia de anima agendum est latiùs.

XIIII. Bruta rationem finis formaliter non norunt.

Quod ergo ad præsens attinet, dicendum est bruta non cognoscere formaliter rationem finis aut medii, quia non possunt vnum cum alio conferre: vnde nec in ipso fine cognoscunt propriam rationem conuenientiæ propter quam est per se amabilis, imò nec discernunt inter obiectum quatenus est cõueniens per se, vel propter aliud, quia hoc totum magnam discretionem rationis requirit. Aliquo tamen modo cognoscunt & apprehendũt rem aliquam, aut motionem vt sibi conuenientem: & naturali instinctu iudicant sibi esse appetendum, prosequendum, vel fugiendum tale obiectum. Qui naturalis instinctus nihil aliud est, quam quidam actus phantasiæ seu æstimatiuæ, necessitate naturali ab illa profluens posito phantasmate talis rei: quo actu practicè (vt humano modo loquar) iudicat brutum hoc esse sibi vitandum, vel prosequendum aut appetendum, quamuis non valeat rationem conuenientiæ vel vtilitatis: ergo non ita mouentur, vt possint ordinare vnum in aliud, nec etiam aliquid formaliter appetere vt propter se amabile: ergo nõ tendunt formaliter in finem vt finem, nec in medium vt medium; neq; in finem propter se, & in medium propter finem, sed quantum est ex suo modo operandi, æquè tendunt in vtrumq;, & ideò meritò dicuntur materialiter potius, quam formaliter propter

Lege D. Thomam 1. p. q. 78. art. 4. & q. 87. ar. 1. ad 3. & 2. 2. q. 72. ar. 1. ad 3.

XV. Bruta quam finis causalitatem participent.

Ex quo fit primò vt causalitas finis aliquo modo participetur à brutis, vt argumentum factum conuincit, quia illa appetitio elicita sine dubio causatur ex Metaphorica motione obiectiua boni conuenientis, quæ non põt ad aliud genus causalitatis reuocari. Nihilominus tamen addendum est illã causalitatem adeò esse imperfectã in eo genere, vt sit quasi materialis motio finis potiùs quã formalis, vt significauit D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 2. & q. 6. art. 2. Et ratio est, quia non cognoscunt formalem rationem conuenientiæ vel vtilitatis:

D. Thom.

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter finem operari. Quapropter quantum ad formalem relationem in finem ita existimandum est de actionibus brutorum, sicut aliorum agentium naturalium. Idemq; iudicium est de appetitu sensitiuo hominis, si per se solùm consideretur, & non vt subest motioni voluntatis vel rationis, de quo aliàs.

DISPVTATIO XXIIII.

De vltima finali causa, seu vltimo fine.

Quæ sit hic ratio agendi de materia huius disputationis.

QVanquam disputatio de vltimo fine, propria sit Philosophorum moralium, tamen non potest Metaphysica, quæ suprema sapientia naturalis est, illam omnino prætermittere; quia sicut in aliis generibus causarum primas causas contemplatur, quod hactenus præstitimus, ita & in hoc. Aristoteles. Vnde & Arist. 2. Metaph. c. 2. hanc rem attigit, dum probauit non dari processum in infinitum in finib. & 12. Metaph. primo motori attribuere videtur rationem finis vltimi. Itaq; moralis Philosophus de fine vltimo disputat in ordine ad mores hominum, & ad media quibus comparandus est: Metaphysici verò est agere de vltimo fine, quatenus primam rationem causandi in hoc genere obtinet, & quatenus ab eo pendet omnis causalitas aliorũ finium: & consequenter quatenus ab eo pẽdent omnia entia, quæ per causalitatem esse participant: ac deniq; quatenus esse finem vltimum, attributum est primi entis. Duo igitur breuiter de hoc fine vltimo explicabimus. Primum an sit, simulq; an vnus sit, & quis sit. Deinde quẽ influxũ habeat in hac ratione causandi.

SECTIO I.

An possit sufficienter probari ratione naturali, dari aliquem vltimum finem, & non dari processum in infinitum in causis finalibus.

I. Duplex modus vltimi finis.

DVobus modis, vt in superioribus diximus, potest intelligi aliquem finem esse vltimum, scilicet vel secũdum quid C tantùm seu in aliqua serie mediorum seu respectu alicuius intentionis, & electionum quæ ab ea procedunt; vel simpliciter, & respectu rerum omnium, quæ in finem ordinari possunt: hîc præcipuè agimus de fine vltimo hoc posteriori modo, quia in eo sita est præcipua huius rei difficultas: tamen vt à clarioribus procedamus, præmittemus aliqua de priori modo finis vltimi.

Resolutio de fine vltimo tantùm secundum quid.

II. DIco ergo primò. In omni serie seu intentione, & actione propter finem necessariò dãdus est aliquis finis vltimus vel negatiuè, id est qui ad aliũ finem in illa serie seu ex vi illius intentionis non ordinetur; vel etiam positiuè secundum quid seu in illa serie, quia nimirum omnia, quæ ad illam pertinent, ad talem finem referuntur, & ibi sistunt. Atq; in hoc sensu impossibile est dari processum in infinitum in his finibus. Hanc conclusionem præcipuè Aristot. intendit Aristoteles lib. 2. Metaph. & ex vltima parte necessariò inferuntur reliquæ. Nam si procedendo ab electione primi medii versus finem non proceditur in infinitum, sistendum necessariò est in aliquo, vltra quem non tendat intentio: ille ergo erit finis vltimus in illa serie: & negatiuè, quia talis finis ad alium non ordinatur, aliàs in eo non sisteretur: & positiuè, quia in illum referuntur omnia, quæ ad illã seriem pertinent, cùm omnia propter illum appetantur: nam si quid non propter illum appeteretur, non pertineret ad illam seriem, sed quasi per accidens adiungeretur. Vt v. g. respectu medici, & in seriè curationis sanitas hominis est finis vltimus negatiuè, quia illa est per se intenta, & vltra illam non progreditur intentio medici, ideoq; illa consecuta cessat actio: est etiam finis vltimus positiuè, quia ad illam referuntur omnia quæ sunt illius artis, vt instrumenta ad medicamenta conficienda, medicamenta ad temperãdum vel euacuãdum humorem, & hoc tandem ad ipsam sanitatem. Quod si aliquis fortasse medicamentum etiam sumat, vel propter delectationem, vel propter nutrimentum, iam ille finis non pertinet ad seriem curationis, sed ad aliam intentionem per accidens cum alia coniunctam.

III. Superest vt vltimam partem conclusionis probemus, quam latè demonstrat Aristoteles citato loco: facilè autem in hunc modum formari potest demõstratio. Nam inprimis descendendo ab intentione finis ad electionem vel executionem mediorum, necesse est vt tandem sistat electio in aliquo medio, quod sit primum in executione, & vltimum in ordine intentionis, quia aliàs nunquam posset actio inchoari, & ita frustranea esset omnis electio, quia semper procederetur ab vna electione in aliam, & nunquam perueniretur ad vsum, & ita tolleretur omnis actio. Vnde quantum est euidens experientia, inchoari à nobis inquisitiones finium per media, tam est euidens in progressu finis ad media sisti in vltimo seu primo medio. Rursus q̃ ab hoc primo medio versus finem tendendo, non possit in infinitum procedi, probatur primò, quia impossibile est omnia, quæ in illa serie appetuntur propter aliud appeti: ergo sistẽdum est in aliquo, quod appetatur propter se: ille ergo erit finis vltimus in illa serie. Nam in illa particula *propter se*, includitur negatio propter aliud, quæ negatio etiam in antecedẽti supponitur, dum assumimus, non posse omnia obiecta, seu omnes fines contentos in vna serie, propter aliud appeti, vel in aliud ordinari.

IIII. Hoc autem antecedens probatur, nam sumo totam finium & mediorum collectionem (siue enim hæc finita sit, siue infinita, potest tota simul cõcipi) de illa ergo interrogo, an propter se appetatur, vel propter aliud: non potest dici hoc posterius: aliàs extra totam collectionem esset aliquid, quod inuoluit contradictionem: ergo dandum est primum: ergo necessariò intra illam collectionem sistendum est in aliquo quod propter se appetatur. Nam cùm incipiẽdo à primo medio, illud eligatur propter secundum, & secundum propter tertium, & sic deinceps, nisi sistatur in aliquo fine propter se intento, nõ poterit tota collectio ppter se appeti, quia neq; ratione omnium vel singulorum quæ in illa sunt, cùm multa ac ferè omnia propter aliud appetantur, nec ratione alicui⁹, nisi aliquid admittatur propter se intentum: necessariò igitur hoc admittẽdum est.

V. Obiectioni satisfit.

Dicetur fortasse, illam collectionem nec propter se appeti, nec propter aliud, quia non tota per modum vnius intenditur, sed per partes (vt ita dicam) id est amando singula ex contentis in illa collectione: atq; ita dicetur, solùm appeti amando vnum propter aliud. Vnde etiam concedetur, quod licet collectio eorum quæ amantur vnum propter aliud, A semper sit finita, quia procedendo ab vno in aliud, non potest in infinitũ pertransiri: nihilominus fines appetibiles in illa serie non sunt finiti, sed in infinitum procedunt, & ita non sistit in aliquo vltimo & propter se appetibili.

VI. Sed contra hoc euidenter procedunt rationes Aristotelis. Prima, quia hoc modo nunquam posset inchoari intentio, nam hæc inchoãda est ab aliquo, quod sit primum in intentione: hoc autem nullum esse potest si illo modo in infinitum proceditur. Nã vel illud quod est primũ in intentione, amatur propter se, & sic cessat processus; vel amatur propter aliud, & sic non potest esse illud primum in intentione, sed illud aliud propter quod amatur: ergo si semper proceditur ab vno amato propter aliud, in illud aliud propter quod amatur, nunquã dari potest primum in intentione: ergo nec dabitur prima intentio: ergo nunquam poterit intentio inchoari quia non inchoatur, nisi ab aliqua prima.

VII. Secunda ratio (& ferè in eandem redit) quia sic tollitur causalitas finalis. Patet sequela, nam finis in- B termedius non causat nisi in virtute prioris, & dependenter ab illo, vt præcedenti etiam disputatione declaratum & probatum est: ergo si in infinitũ proceditur ab vno in alium priorem, & nunquã peruenitur ad finem primum in intentione, nõ poterunt omnes intermedii quicquam causare, cum omnes pendeant ab illo primo, & ille nunquam causet, vel non sit: necessariò ergo veniendum est ad aliquem, qui sit primus in causando in hoc ordine, quem nũc vltimum vocamus in executione, quia in progressu mediorum illic sistit inquisitio. Et declaratur hæc ratio, ne quis putet in ea peti principium supponẽdo dari primum finem, non enim supponitur, sed probatur esse necessarium, si futura est causalitas finalis. Declaratur autem ferè argumento in principio facto, nam sumo totam seriem finiũ collectiuè, vel illa est dependens in causando finaliter ab alio fine, & hoc est impossibile, aliàs iam non sumeretur tota collectio; & præterea quia iam tota illa nõ posset causare nisi innixa alteri, à quo pẽdere dicitur: de quo eadem redit quæstio, nam si ille finis dicatur esse independens, ille est vltimus quẽ inquirimus: de- C pendens aũt poni non põt: aliàs comprehensus esset in priori collectione. Si aũt tota collectio est independẽs in causando finaliter, necesse est intra illam esse aliquem finem independentem ab alio priori in causando finaliter, impossibile est n. omnia contenta in collectione esse dependentia, & totã collectionem esse independentem: & eadem ratione impossibile est inchoari causalitatẽ, nisi in collectione causarum subordinatarum aliqua sit independens. Quẽ discursum latius prosequemur infrà in causis efficientibus, demonstrando Deum esse.

VIII. Tertia ratio Aristotelis & optima, est, quia dum dicitur omne medium appeti propter aliud, & nunquam peruenire ad aliquid propter se amabile, destruitur ratio boni, quod per se cõstat esse absurdissimum. Sequela patet, quia bonum vtile ad aliud, solùm est bonum secundum quid, & solùm fit appetibile ratione alterius ad quod est vtile: ablato autem eo quod est tale simpliciter, necesse est tolli illud, q̃ solùm est tale secundum quid, præsertim cùm solùm sit tale per habitudinem ad alia. Ablato ergo fine propter se appetibili, aufertur bonum simpliciter, quod est per se bonum, & consequenter etiam aufertur bonum secundum quid, quia iam non habet vnde sit bonũ, neq; vnde reddatur appetibile. Vnde aperta est repugnantia, dicere vnum esse appetibile propter aliud, & hoc deinceps propter aliud, nullo existente appetibili propter se. Alias rationes habet Aristoteles tum citato loco, tum 1. Ethic. c. 2. sed hæ sufficiunt, nam res etiam est satis clara.

Resolutio de vltimo fine simpliciter.

IX. DIco secundò. Etiam datur aliquis finis vltimus simpliciter respectu omnium rerum, & particularium finium, & coordinationum eorum, qui est ipsemet Deus. Hæc assertio in doctrina fidei est certa, quam tradit D. Thomas 1. p. q. 44. art. 4. & D. Thom. 103. art. 2. & cum eo cæteri Theologi ex illo Prouer. Prouerb. 16. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*; & Apocal. 21. & 22. *Ego sum α & ω.* Idemque tradiderunt Sancti Patres: præsertim Dionysius c. 10. de diuin. nom. & D. Augustinus lib. 1. de doctrin. Christ. cap. 23. & Augustin. lib. 19. de Ciuitat. à principio: & ex Philosophis id Aristot. attigit Aristot. 12. Metaph. c. 10. & libr. de mundo ad Plato. Alexan. & Plato in Timæo, & lib. 4. de legib. & Tris- Trismegist. megistus in Pimandro.

X. Difficultas autem est, an possit euidenti ratione demonstrari, hunc finem vltimum esse vnum respectu rerum omnium. Nam ex his demonstrationib. quibus probatur non dari processum in infinitum in finibus, non potest satis concludi, dari hoc modo aliquem finem vltimum vniuersalem, seu communem, in quem omnia referantur, & ipse non in aliũ, nam vnaquæq; res potest in suum finem proprium vltimatè tendere, & ita in nulla serie dabitur processus in infinitum in finibus, etiamsi nullus detur finis vltimus communis omnibus.

XI. Respondetur, aliud esse quærere an detur aliquis finis vltimus communis in quem omnia ordinentur, aliud verò an res omnes & singulæ illum finem intendant ac quẽrant. De hoc posteriori puncto dicemus in sect. sequenti, nunc solum de priori sensu agimus. Et in eo dicimus, esse euidens ratione naturali dari vnum finem vltimum rerum omnium: idq; colligi ex illo principio, quod non datur progressus in infinitum in finibus adiunctis aliis duob. suprà etiam demõstratis, nimirum, dari vnum principium primum effectiuum rerum omnium, & illud operari propter finem. Ex quibus ita concluditur ratio. Primum principium efficiens rerum omnium propter aliquem finem illas produxit, conseruat ac regit, & in eius intentione non datur processus in infinitum: ergo propter aliquem finem vltimum hæc omnia operatur: ille ergo finis vltimus quem primũ agens intendit, est vnus, & consequenter est finis vltimus simpliciter rerum omnium. Probatur hæc vltima consequentia, cætera enim clara sunt. Quia nõ potest Deus plures vltimos fines, & suæ intentioni adæquatos in suis operibus intendere, nam etiam homo non potest hoc modo plures fines vltimos intendere, vt 1. 2. q. 1. art. 5. demonstratur: multò ergo minùs Deus. Quia intendere plures fines non ad perfectionem, sed ad imperfectionem potiùs pertinet.

XII. Dices esse longè diuersam rationem de homine, & de Deo, nam homo intendit finem vltimum vt finem suum, in quo suam beatitudinem & sufficientiam bonorum omnium collocat; & ideò fieri non potest, vt homo simul intendat duos vltimos fines completos, nam si neutrum fine altero sibi sufficere existimat, neuter est finis vltimus cõpletus. si autem vnũ ex illis amat vt sufficientem, alter nõ põt habere ra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

re rationem finis vltimi. At verò Deus dum operatur propter vltimum finem, non operatur propter vltimum finem suum, sed earum rerum quas creat, nam in superioribus est ostensum, esse differentiam inter voluntatem creatam & diuinam, quod in voluntate creata actus ipse voluntatis ordinatur, vt ad finem ad obiectum quod amat: in voluntate autem diuina minimè: sed vna res volita ordinatur in aliâ vt in finem. Sic igitur non repugnabit Deum intendere plures vltimos fines earũ rerum, quas extra se vult & operatur, quia respectu diuersarũ rerũ nihil repugnat dari diuersa bona, in quibus earũ vltima perfectio, & quasi fœlicitas consistat. Sicut possunt plures homines, plures fines vltimos intẽdere, licet vnus nõ possit. Nam ita se habet Deus intendendo pluribus reb. fines earum. Vnde confirmatur, nam res quarũ Deus fines intendit, sunt diuersarum rationum & naturarum: ergo habere etiã possunt varios fines vltimos sibi proportionatos: ergo & Deus potest illos fines vt plures sunt, variis reb. intendere.

XIII. Dicet aliquis. Deum non intendere rerum varietatem & distinctionem, nisi in ordine ad aliquid vnum, v. g. complementum vniuersi, vel aliquid simile; & ideò necessarium esse, vt in procreatione rerum quantumuis distinctarum vnum finem vltimũ intendat. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia non est adeò euidens Deum intendere res omnes creatas ad vnius compositionem vel complementum, nam licet in corporalib. ita appareat, de spiritualibus nõ ita potest ratione probari, maximè si spiritualia cũ corporalib. comparentur. Et præcipuè, si Deus plures mundos produxisset, prout potuit. Secundò, illud non satis est, vt omnia dicantur habere vnum finem vltimũ simpliciter, tum quia ipsa vnitas & constitutio vniuersi est quid valde imperfectũ, vt ad illud dicantur omnia, sicut ad finem vltimũ ordinari, tum etiam, quia ipse ordo rerum vniuersi ordinatur ad singularum rerum vel specierum conseruationẽ, & omnia corporalia ordinãtur aliquo modo ad hominem, vt etiam Aristoteles agnouit 1. Polit. c. 5.

Aristot.

XIIII. Quapropter non potest aliter tota hæc demonstratio concludi, nisi demonstrando vltimã partem conclusionis, nimirum hunc vltimum finem, quem primũ efficiens intendit in suis actionibus, nõ posse esse aliquid aliud à se ipso, nam hinc euidenter sequitur res omnes procreatas, quantumuis inter se diuersas, sicut vniuntur in vno primo principio, ita etiam vniri in vno vltimo fine, etiamsi fingamus aliquas earum ita esse constitutas, vt inter se vna ad alteram, nec plures ad vnam aliquam extra Deum ordinentur. Prima autem propositio assumpta probatur, quia id quod est vnicuiq; agenti finis potissimus suarum actionum, est illi optimum & maximũ bonum, præsertim si ordinata sit, & recta intentio vt docuit Aristot. 1. Ethic. c. 7. sed primo agenti nihil est optimum & maximum bonum nisi eius intrinseca bonitas: ergo respectu illius nihil potest esse vltimus finis actionum & effectuum eiut, nisi ipsemet ratione suæ bonitatis, vltimus enim finis est potissimus in omni intentione & actione. Præterea, quia ratio causæ finalis perfecta est, & de se pertinet ad perfectionem simpliciter: ergo conuenit Deo in summo gradu perfectionis, tum quia omnis perfectio simpliciter, est in Deo in summo gradu, tum etiam quia cùm bonitas sit ratio causandi finaliter, & Deus sit summum bonum, necesse est vt rationẽ & perfectionem finalis causæ in summo habeat. Sicut autem suma perfectio in ordine efficientiũ est quod sit primũ & vniuersalissimum, ita in ordine finium quod sit vltimus & vniuersalissimus: ergo talis perfectio necessariò tribuenda est Deo. Præterea omne agens in quantũ agens, operatur aliquo modo propter se ipsum, atq; ita est finis suarum actionum: ergo & primum agens omnia operatur propter se: ergo est finis omniũ, cùm omnia sint ex actione & effectione eius: non est autem finis non vltimus, nam is semper est in suo ordine imperfectus: ergo est finis vltimus. Tandem huc tendit illud axioma, quod ordo finium est iuxta ordinem agentium, nam agẽs quò perfectius vel vniuersalius, eò intendit perfectiorem vel vniuersaliorem finem: Deus autem est perfectissimum & vniuersalissimum agens: ergo intendit perfectissimum & vniuersalissimum finem. Legatur D. Thom. 3. cont. Gent. c. 17. & 18.

D. Thom. XV.

Ad obiectionem ergo superiùs factam respondetur, quamuis Deus nõ agat propter se vt propter finem suum, sed suorum effectuum vel actionum, nihilominus non posse habere nisi vnum finem vltimum omnium earum, non quia illum finem quẽrat vt satietur, & in eo habeat sufficientiam bonorũ omnium, sed potiùs quia supponitur habens in se sufficientiam bonorum omnium, & summam bonitatem ac perfectionem, à qua sola primò moueri seu inuitari potuit, vt aliis beneficeret propter se ipsum. Vnde licet verum sit, ex ipsis rebus quas creat, quasdam ordinare ad alias vt ad fines, vel potiùs omnes ita inter se connectere, vt aliæ aliis vicissim deseruiant, atq; hoc modo sub ipso Deo assignari possint alii fines communes vel vniuersales, ad quos singulæ creaturæ, præter priuatos fines, ordinantur ab ipsomet creatore, & præsertim ad ordinem, vel pulchritudinem vniuersi, tamen simpliciter nullus extra Deum põt dici finis vltimus in quem diuina intentio, seu actio tendit. Adeò vt dixerit D. Thom. q. 3. de potentia ar. 15. ad 14. ipsam etiã cõmunicationem diuinæ bonitatis non esse finem vltimum, sed ipsammet diuinã bonitatem, quia cõmunicatio bonitatis diuinæ, quid creatum est, vnde ipsa etiam refertur in bonitatem increatam, ex cuius amore Deus se cõmunicare voluit, nõ quia ei sit commodum aut vtile, sed quia ipsum deceat, sitq; suæ bonitati consentaneum. Addit verò ibidem D. Tho. Deum non agere ex appetitu finis vltimi, sed ex amore sui, quia non agit ad consequendum finem vltimum, sed ad cõmunicandam bonitatem eius. Quod quidem est verum respectu ipsiusmet Dei, quia, vt sæpè diximus, non agit propter se, vt propter finem suũ: tamen respectu creaturarum dici etiam potest, Deum operari ex appetitu finis, id est appetens, vt creaturæ se ipsum, vt finem consequantur.

D. Thom.

XVI. Ex quo etiam intelligitur, cùm in præcedenti disputatione distinxerimus duplicem finem, obiectiuum & formalem, Deum non dici vltimum finem formalem, sed obiectiuum creaturarum, vel propriè, vel latè de obiecto loquendo, iuxta ea quæ dicemus sectione sequenti. Et ratio est, quia finis formalis non est vltimus simpliciter, cùm in obiectiuum ordinetur, vt suprà ostensum est. Item, quia licet Deus sit summum bonum, tamen creaturæ non assequuntur illud nisi quatenus aliquo modo illud participant: vnde assecutio illius boni summi, quæ finis formalis dicitur, semper est aliquid creatum. Vnde obiter soluitur quædam obiectio suprà facta, nimirum, quomodo tanta rerum ac naturarum varietas possit ad eundem vltimum finem ordinari, ratio enim est, quia ille non est finis vt assecutio, sed vt bonum assecutum, res autem diuersæ habent diuersitatem in modo assequendi finem illum, quamuis in eodem fine vltimo conueniant, sicut conueniunt in eodem primo principio, differunt tamen in modo, aut gradu emanationis ab ipso.

Deus vltimus finis obiectiuus rerum non formalis.

XVII. Actionum Dei finis cui ipse Deus.

Tandem intelligitur ex dictis, quòd licet respectu creaturarum Deus sit finis vltimus obiectiuus, cuius gratia vel creatæ sunt, vel ipsæ operantur; tamen respectu actionis ipsius Dei est vltimus finis Cui, nam illi creantur vel aguntur omnia, vel potiùs sibimet creat & efficit omnia. Omne enim agens habet rationem finis cui respectu suæ actionis, siue per eam quærat commoditatem suam, vt communiter agunt agentia creata, vel tantùm communicationem & manifestationem suæ bonitatis, vt Deus.

SECTIO II.

Vtrùm finis vltimus per se ac propriè concurrat cum omnibus finibus proximis ad finaliter causandum, & consequenter, ad omnia agentia in omnibus actionibus suis finem vltimum intendant.

I. Explicatur titulus quæstionis.

QVæstio hæc intelligenda est de vltimo fine simpliciter seu vniuersali, nam de illo qui tantùm est vltimus in aliqua serie, iam suprà ostendimus ipsum esse qui immediatè influit finaliter in omnes effectus vel actiones ad illam seriem per se pertinentes. Imò diximus huiusmodi finem esse totam rationem causandi, ita vt media vel fines intermedij nullam propriam causalitatem finalem habeant, nisi quatenus subsistant, vel quasi informantur ab hoc fine. De fine verò vltimo simpliciter est specialis quæstio, an influat cum omnibus finibus particularibus ad causalitates eorum per se & immediatè, per modum causæ vniuersalis in eo genere, ad eum modum quo prima causa efficiens in genere efficientis causæ concurrit per se & immediatè cum omnibus causis efficientibus particularibus.

Argumenta in partem affirmantem.

II. ET videtur quidem omnino ita esse dicendum. primò, quia ratio causæ finalis tam perfectè & vniuersè conuenit Deo in suo genere, sicut ratio efficientis in suo: ergo, sicut ratio primi efficientis ita conuenit Deo vt omnia ab ipso pendeant per se & immediatè in causando efficienter, ita ratio primi seu vltimi finis conuenit Deo cum hac perfectione & vniuersalitate, vt ab ipso in causando pendeant per se & immediatè omnes particulares fines. Nec satis est, si quis dicat causalitates particularium finium pendere quidem immediatè à Deo, non tamen in genere finis, sed in genere efficientis, sicut de materiali & formali causa superiùs diximus: non (inquã) hoc est satis, quia causalitas materialis & formalis includunt imperfectionem, propter quam à Deo in suo genere exerceri non possint, & ideò concursus Dei ad illas causalitates est per efficientiam, at verò causalitas finalis vt sic, formaliter nullam imperfectionem inuoluit, & ideò tam immediatè ac per se potest Deo conuenire circa omnẽ actionem & causalitatem, sicut causalitas effectiua: ergo æq; illi conuenit, nam quidquid perfectionis simpliciter in Deo intelligi potest, illi inest. Vnde confirmatur, nam sicut est ordo per se inter causam efficientem proximã, & primam, ita inter finem proximum & vltimum, nam sicut proxima efficiens causa habet entitatem, & vim efficiẽdi participatam à prima, ac proptereà dependentem ab illa, ita finis proximus habet bonitatem per quam finaliter causat participatam à summa bonitate finis vltimi: ergo æq; pendet ab illo quoad causalitatem in suo genere.

Argumenta pro negatiua parte.

III. IN contrarium autem est, quia neque in propriis agentibus propter finem, vt sunt intellectualia, neque etiam in inferioribus videtur interuenire per se & immediate huiusmodi influxus vltimi finis in omni finali causalitate. Probatur prior pars, quia in agentibus per intellectum, finis nõ habet causalitatem nisi cognitus sit ab eo, qui propter finem operatur, sed hæc agentia operantur propter finem particularem, quando nihil omnino cogitant de fine vltimo vniuersali, ergo tunc finis particularis causat finaliter sine actuali influxu per se ac immediato ipsius finis vltimi in illo genere causę. Et confirmatur ac declaratur ampliùs, nã causalitas in genere finis, est per motionem Metaphoricam: ergo vt Deus cõcurrat immediatè per modum vltimi finis & in genere causæ finalis, necesse est vt Metaphoricè simul moueat, seu vt Metaphorica motio quę est à fine particulari, sit etiam immediatè ab ipso vt talis est, hoc autem esse non potest nisi ipse sit cognitus, vt constat ex suprà dictis de Metaphorica motione, ergo. Et sanè ipsa experientia hoc satis suadere videtur, nam quando homo mouetur à sanitate vt illam inquirat, nullo modo mouetur immediatè à bonitate diuina, de qua nil cogitat, sed de conuenientia sanitatis.

IIII. Nec refert si quis dicat, sanitatem nõ mouere, nisi quatenus habet bonitatem participatam à diuina bonitate: nam hoc perinde est ac si dicatur, remotè prouenire illam motionem à bonitate per essentiam quatenus ab illa deriuata est aliqua bonitas in sanitatem, nõ tamen quòd ipsamet bonitas per essentiam, immediatè ac per se etiam concurrat. Sicut etiam calor non calefacit nisi per virtutem agendi participatam à virtute effectiua per essentiam, quę est in Deo: ex vi tamen huius participationis seu emanationis illius effectus à tali virtute participata, non est immediatè à Deo, sed remotè, & ideò necesse est, quòd per ipsam virtutem increatam Deus immediatè influat, vt habet proprium influxum primę causæ efficientis: hunc autem modum influxus non habet in genere finis, vt probare videtur ratio facta.

V. Atque hinc à fortiori probatur altera pars de inferioribus agentibus, nam bruta eo modo, quo per cognitionem Metaphoricè mouentur, nullo modo dici possunt immediatè moueri ab ipsa bonitate vltimi finis, quam multò minùs possunt cognoscere. Inferiora autem agentia naturalia solùm dicũtur operari propter finem, quatenus in suos fines tendũt aut diriguntur, illa autem non tendunt immediatè in bonitatẽ vltimi finis, sed solùm in talem formam, aut terminum actionis suæ. Quod verò dici solet, hęc agentia intendere assimilari vltimo fini in communicanda sua perfectione, Metaphoricè potiùs quàm propriè dictum videtur, atq; ita nihil deseruit ad explicandam immediatam causalitatẽ vltimi finis circa has actiones. Assumptum patet, tum quia hęc agentia per se non intendunt similitudinẽ, vt relatam ad bonitatẽ Dei, sed solùm intendunt fundamentũ illius similitudinis, quod non est aliquid, prętęr bonũ illud creatum, quod est in eorum actionibus, tum etiam, quia in sua communicatione, regulariter loquendo, non intendunt se communicare propter solam communicationem (vt sic dicam) sed propter

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquod commodum vel perfectionem suam, scilicet vt conseruent suam speciem, vel vt se perficiant: signum ergo est, in sua communicatione non intendere propriè ac formaliter assimilationem ad communicationem Dei. A

Variæ sententiæ.

VI. In hac re inuenio frequenter à Theologis dictum, Deum esse finem vltimum creaturarum omnium ita vt omnes in actionibus suis illum assequi intendant, vnaquæque iuxta captum suum. Ita docet latè D.Thom. D. Thomas 3. contr. Gentes, cap. 18. & 19. 20. & 21. & 1. 2. quę. 1. artic. 67. & 8. & in ea doctrina reliqui omnes consentiunt. Nullus tamen, quod ego viderim, satis declarat propriam dependentiam finium proximorum ab vltimo in causando intra proprium genus, neque modum influxus, quem vltimus finis habet simul cum proximis seu particularibus. Quin potiùs ita tandem declarant illam rationem vltimi finis, vt solum remotum concursum ad motiones proximorum finium ei tribuere videantur. Nam de agente à proposito homine, v.g. dicunt, solùm operari propter finem vltimum in omnibus actionibus B suis, quia operatur propter bonum aliquod, quod non habet vim mouendi finaliter nisi quatenus est quædam participatio summi boni, de inferioribus verò agentibus dicunt, solum intendere vltimum finem, in quantum intendunt aliquam repræsentationem seu participationem bonitatis eius, per quę omnia non declaratur nisi remota causalitas vltimi finis, vt inter obiiciendum probatum videtur. Fonseca Fonseca. verò lib. 5. Met. c. 2. q. 12. cùm sentiat Deum per se & immediatè concurrere cum omnibus causis ad earum causalitates, & cum vnaquaque per proprium concursum ad suum genus pertinentem, hanc suam sententiam specialiter solùm ibi conatur probare de materiali & formali, nam de finali supponit tam esse certum & receptum dogma, sicut de efficiente, de qua iam ipse disputauerat. Omissis autem causa materiali & formali, de quibus suprà dictum est, & ad rem præsentem non spectat, de finali expresè ibi docet sect. 5. concurrere immediatè cum finibus proximis ad causalitates eorum, ex illa generali ratione quòd sunt causæ essentialiter subordinatæ in eodem genere, modum autem illius immediati concursus C non declarat, sed affirmat solùm.

Quæstionis resolutio.

VII. Mihi autem hæc res ita explicanda videtur, vt finium causalitates per proportionem ad agentia declaremus, nam, vt sæpè dictum est causalitas finis optimè intelligitur per respectum ad agens vt agens est, seu ad actionem agentis. Est ergo considerandum, quod suprà tradidimus, omnes actiones secundorum agentium esse etiam actiones Dei, nam ea potissimum ratione dicitur Deus ad omnes illas concurrere per se & immediatè vt prima causa efficiens. Ex quo infertur, illas actiones esse propter finem, atque adeò esse causatas ab aliquo fine, non solùm vt sunt ab agentibus proximis, sed etiam, ac multò magis vt sunt à primo agente. Quia primum agens, sicut in omni actione sua operatur per intellectum & voluntatem, ita in omni suâ actione operatur propter finem longè excellentiori modo quàm quodlibet aliud agens: atque ita omnis actio quatenus extra Deum est transiens, & à Deo immediatè manat, causata est ab aliquo fine ab ipso etiam Deo intento.

VIII. Dico iam primò. Deus vt vltimus finis immediatè & per se influit in omnem actionem creaturę quatenus ab ipso Deo est, atq; hoc saltem modo immediatè ac per se concurrit causando finaliter cum omni fine proximo. Probatur prima pars, nam omnis actio agentis creati est immediatè à Deo propter finẽ operante: ergo est à Deo vt ab vltimo fine: ergo Deus vt vltimus finis causat in suo genere immediatè illam actionem. Antecedens probatum est, prima verò consequentia probatur, quia Deus nõ agit propter finem, nisi agendo propter se vt propter vltimũ finem, quia, vt suprà probatum est, non potest per se primò moueri seu inclinari ad agendum ab aliqua extrinseca bonitate, sed à propria.

IX. Dices. Nonne potest Deus moueri ab aliqua bonitate creata, vt aliam conferat vel efficiat? Sic enim propter bonitatem meriti mouetur ad dandum præmium, & quia promisit, mouetur ad implendũ promissum, atq; hoc modo exercet Deus actum fidelitatis, vel iustitiæ, aut misericordiæ, &c. propter vniuscuiusq; honestatem, ergo etiam operatur Deus propter aliquem finem proximum creatum: ergo B non est certa & formalis prædicta illatio.

X. Alioqui non audent concedere antecedens illud, quia videtur esse præter diuinam perfectionem aliquid velle propter finem creatum. Tamen cùm Deum agere propter finem non sit agere propter finem suum, sed propter finem ad quem ordinat eam rem quam efficit, non est inconueniens vt proximè aliquid efficiat propter aliquem finem creatum, quia hoc nihil aliud est, quam vnam creaturam ordinare in aliam, vt in finem proximum, quod est ordinatissimum & absq; vlla imperfectione. Atq; hoc modo res singulas Deus ordinauit ad pulchritudinem vniuersi, & herbas & animalia condidit propter hominem, &c. Et eadem ratione, quia creaturæ non sunt bonæ formaliter bonitate diuina, sed propria, vt suprà dictum est, ita vult Deus creaturas propter suãmet bonitatem, vt tamen vnicuiq; velit bonitatem vel perfectionem illi propriam, & hoc modo vult Deus homini gratiam vt est perfectio ipsius hominis, vnde proximè vult illam propter commodum vel vtilitatem ipsius hominis. Atq; hoc modo, licet comparatione suæ bonitatis velit Deus omnes creaturas vt media ad sui manifestationem & communicationem, tamen comparando vnam creaturam ad aliam, vult vnam vt finem proximum alterius.

XI. Nihilominùs tamen necesse est, vt in omni actione & operatione propter finem Deus propter se vt propter vltimum finem operetur. Tum quia semper operatur propter finem perfectissimo modo, & ideò simplicissimo & eminentissimo actu omnia reducit vsq; ad supremam causam, refertq; in se ipsum tanquam in vltimum finem. Tum etiam quia diuina bonitas ita est ipsi Deo vniuersalis ratio volendi omnem aliam bonitatem vel finem creatum, vt sine relatione vel habitudine ad illam nihil sit amabile Deo extra ipsum Deum. Nam si per bonitates creatas non communicaretur, repræsentaretur, vel ostenderetur diuina bonitas, non esset cur ab ipso Deo amarentur. Tamen, quia id quo creatura repræsentat, & participat diuinam bonitatem, est aliquid secundum se & propter se amabile respectu appetitus creati, ideò non repugnat, quod simul velit Deus vnã creaturam vt finem alterius, & vt aliquid ordinatum ad se vt ad finem vltimum. Hic ergo respectus non est separabilis à volitione Dei vt ad creaturam terminatur, & ideò optimè infertur, si Deus aliquid propter

propter finem operatur, etiam operari illud propter A se vt propter vltimum finem, actualiter & perfectissimè intentum.

XII. Iam verò facilis est ad probandum altera consecutio, nimirum, finem vltimum immediatè ac per se influere cum quocunq; fine proximo ad omnem actionem creaturę, quia finis immediatè influit suo modo in eam actionem, quę ex formali & directa intentione agentis propter illum fit, nam causalitas finalis, præsertim circa actiones transeuntes, solùm consistit in hac dependentia, quam actio habet ab agente sic ordinante illam in finem, sed ostensum est omnem actionem creaturę, saltem quatenus est à primo agente, fieri necessariò cum hac actuali relatione seu ordinatione in vltimum finem: ergo omnis huiusmodi actio causatur immediatè ac per se ab vltimo fine in suo genere.

XIII. An Deus cũ finibus inhonestis cõcurrat ad finaliter causandas actiones prauas. Dices, non posse hoc in vniuersum verum esse, nam licet in actionibus merè naturalibus, & in liberis honestis videatur possibile & sine inconuenienti, tamen in actionibus liberis & peccaminosis videtur hoc & indecens & impossibile. Primum patet, quia B indecẽs est Deũ has actiones velle, ergo multò magis velle illas propter se ipsum. Secundum patet, quia illę actiones sunt intrinsecè repugnantes summę Dei bonitati: quomodo ergo possunt in summũ bonum vt in finem vltimum referri? Respondetur inprimis, totum argumẽtum concedi posse & debere de actionibus peccaminosis vt peccaminosæ sunt, nam in rigore de eis tantùm vt sic procedit obiectio, nam vt sic repugnant diuinę bonitati: & de illis vt sic fatemur non esse à Deo vt ab vltimo fine, neq; id est incommodum, quia etiam vt sic non sunt à Deo vt à primo agente, quia vt sic non sunt actiones, sed defectus actionis. Vnde vlteriùs additur, has actiones quantumuis peccaminosas respectu causæ secundæ, vt actiones sunt, esse etiam actiones ipsius Dei, & vt sic esse per se & immediatè ex fine vltimo, & propter finem vltimum, nam vt sic nullũ defectum vel malitiam includunt, ratione cuius repugnet summæ bonitati finis vltimi. Et quamuis Deus efficaciter & absolutè nõ velit illas, propter respectum quem absolutè sumptæ habet ad causam secundam, cum quo, & ex quo habent concomitantem malitiam, tamen vult ad illas concurrere, & ita vult illas quatenus ac- C tiones suæ sunt, & hoc modo ordinat illas in se vt in finem vltimum, quia in illis sub hac ratione spectatis relucet maximè bonitas Dei, quæ ad omnia se diffundit quatenus aliquid boni habent, & potẽs est ita influere in bonitatem, vt quamuis illi sit coniuncta malitia, illam non attingat, neq; ipsi vlla ratione imputanda sit. In quo etiam manifestat omnipotentiam, & sapientiam suam, imò & quodammodo iustitiam: vel quia iure suo vtitur offerendo concursum suum etiam illis, qui illo abusuri sunt, vel quia vnicuique principio dat concursum ei naturaliter debitum, & vnumquodq; secundum suum modum agere sinit. Sic igitur nulla est actio creaturæ causata à fine proximo, quæ non sit simul causata per se & immediatè à fine vltimo, saltem respectu primi agentis. Legatur D. Tho. 3. cont. Gent. c. 17. præsertim ratione 6. nam ibi virtute continet totam doctrinam huius assertionis.

XIIII. Non semper creaturæ in finis actionibus intendũt vltimũ finẽ formaliter. Dico secundò. Actio creaturæ vt est ab ipsa creatura propter finem, non semper causatur immediatè ac per se à fine vltimo formaliter & secundum suã propriam bonitatem, sed ad summum virtualiter seu implicitè: atque in hoc sensu potest cum debita proportione dici, finem vltimum ad has actiones vt sic non concurrere semper immediatè immediatione suppositi, sed tantùm virtutis. Hanc conclusionẽ satis, vt opinor, probant rationes suprà positę posteriori loco, cum iis etiam, quę adduximus referendo communem doctrinam D. Tho. & aliorum. Et quidem de agẽtibus naturalibus vel irrationalibus, nulla potest esse dubitandi ratio, quia hęc non operãtur propter finem in quem ipsa dirigant actiones suas: ergo multò minùs possunt operari propter finem vltimum. Deinde, qua ratione dicuntur Metaphoricè intendere finem, quatenus per naturalem inclinationem vel appetitum in aliquid certum ac determinatum tendunt, re vera non tendunt propriè ac formaliter in Deum, sed in aliquid creatum sibi ipsis commodum vel proportionatum, atque ita solùm virtualiter, & quasi interpretatiuè tendunt in Deum. Deniq; si cõsiderentur quatenus per extrinsecam denominationẽ dicuntur dirigi in finem à suo authore & cooperatore Deo, sic quidem dici possũt tendere in ipsum finem vltimũ formaliter intẽtum, tamen illa directio & ordinatio in finem iam est ab B ipso primo agente, à quo solo finis ille intenditur.

XV. De agentibus verò à proposito nõ oportet, vt eorum actiones nunquam sint per se ac immediatè ab vltimo fine, etiam quatenus sunt propter finem ex directione & intentione talium agentium. Sępè .n. ita esse possunt, nimirum quando hęc agentia ipsum finem vltimum in se considerant, & in eum referunt omnes actiones & priuatas intentiones suas: quod facere possunt, quia per intellectum & voluntatem possunt obiectiuè attingere finem vltimum in se ipso, quod non possunt inferiora agentia. Diximus autem non semper actiones horum agentium, quatenus ab ipsis sunt propter finem, causari finaliter per se & immediatè ab vltimo fine immediatione suppositi, id est per se ipsum, & per bonitatem suam finaliter influentem in talem actionem, & hoc sensu satis probatur assertio illa ratione suprà posita, quia finis vltimus in se ipso cogitatus non semper mouet hæc agentia, quando propter aliquem finem particularem operantur. Virtualiter autem dici potest vltimus finis mouere semper huiusmodi agentia, quia semper mouentur ab aliquo bono, vel sub ratione C alicuius boni, quod in quantum est quædam participatio summi boni, censetur in virtute illius mouere, & è conuerso qui tendit in illud bonum, virtute cẽsetur tendere in vltimum finem, quia appetendo (vt sic dicam) partem boni, virtute censetur magis amare totius boni complementum, quem sensum declarauit D. Tho. in. 4. d. 49. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. & D. Thom. in eodem loquitur 1. p. q. 60. art. 2. & 1. 2. quæst. 1. art. 6. vbi in solutione ad tertium, ait quòd virtus primæ intentionis respectu vltimi finis mouet in quolibet appetitu cuiuscunq; rei, etiamsi de vltimo fine actu non cogitetur. Lege Arist. 1. Eth. c. 4. & 7. & 1. Rhe- Aristotel, Augustor. cap. 5. Augst. 10. confess. cap. 20. & 21. & lib. 11. de Trinit. cap. 6.

Incidentis quæstionis breuis resolutio.

XVI. Hic verò insinuabat se statim quæstio, an in his agentibus necessarium semper sit vt intentio vltimi finis propria & elicita, & terminata ad ipsum vltimum finem in se propositum sub ratione summi, aut completi vel communis boni, debeat necessariò antecedere ad intentiones particularium finium. Nonnulli enim Theologi sentire videntur, necessarium esse vt talis intentio quasi vniuersalis præ-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cedat saltem aliquando, vel semel in vita, vt aliæ intentiones finium particularium in virtute illius haberi possint. Sed hæc quæstio Theologorum est propria & tractari solet in citatis locis D. Thomæ. Mihique videtur certa sententia, quæ negat talem intentionem esse necessariam, quia nec ex parte intellectus est aliquid quod necessitet ad cogitandum prius de illo obiecto, nec ex parte voluntatis est necessaria illa intētio, vt velle possit bona particularia sibi proposita vt per se amabilia, cùm in illis obiectis sit sufficiens ratio ad tendendum in illa propter eorum bonitatem. Imò etiam si illa vniuersalis intentio præcedat, tamen si posteà neque in memoria, neque in aliquo affectu aut habitu manet, nihil deseruire potest ad subsequentes actus. Vide Scotum in 1. d. 1. quæst. 4. & in 4. d. 49. quæst. 3. & ibi Palud. Maior. Capreol. & alios. Scotus. Capreol.

Satisfit rationibus dubitandi initio positis.

XVII. Argumenta priori loco posita in principio, cōfirmant priorem conclusionem nostram: non tamen obstant posteriori, quia nō est de ratione primę causæ, vt influat in actionē causę secundę, nisi cū debita proportione: neq; ēt oportet vt causalitas causæ primæ, & secundæ formaliter ac præcisè sumptæ dicant eandem habitudinem, quam in re prout sunt in effectu non distinguantur. Sic igitur ad subordinationem finis proximi & vltimi satis est, vt ille ab hoc pendeat in causando in suo genere, & quod hīc non possit causare, nisi causante illo: non tamen necesse est, vt respectu eiusdem agentis vterque finis causet, sed solùm respectu eiusdem effectus vel actionis. Quin potiùs finis proximus causat respectu proximi agentis & actionis, quæ in illo, vel ab illo est: finis autem vltimus non causat respectu ipsius primi agentis, sed respectu effectus vel actionis, prout ab ipso manat. Argumenta autem posteriori loco in cōtrarium posita nihil obstant priori conclusioni, vt per se satis constat: confirmant autem posteriorem, vt declaratum est.

DISPVTATIO XXV.

De causa Exemplari.

SECTIO I.

An sit, quid sit, & vbi sit exemplar.

I. Quod exemplar aliquid in rebus sit, cōmunis est tum Philosophorum, tum Theologorum consensus, vt patet ex Plato. in Timæo, & Socrate, qui (vt testis est Eusebius lib. 11. de præpar. c. 11.) ante Platonem de ideis disputauit, & ex Cicerone, ac Seneca locis citatis, Dionys. Iustino, & Nazianzenō locis infrà citandis. Et Augustinus citatis locis, præsertim dicta q. 46. ait antiquos; *tantam vim in ideis posuisse, vt nisi eis intellectis sapiens nemo esse posset.* Cui consonat quod Clemens Alex. lib. 4. Stromat. sub finem ait. *Meritò Plato quoque eum, qui ideas contemplatur, dixit victurum esse Deum inter homines.* Addit item Augustin. lib. 1. Retract. c. 3. Mundum intelligibilem quem posuit Plato, esse rationem sempiternam, atq; incommutabilem, qua fecit Deus sensibilē mūdum. *Quam qui esse negat, sequitur vt dicat, Deum irrationabiliter fecisse quæ fecit.* Tam certum ergo existimat Augustinus esse ideas, quæ idem sunt quod rationes intelligibiles rerum faciendarum, ac est certum Deum non sine sciētia & ratione creasse mundū. Et hoc ipsum est quod dixit Boet. lib. de Consol. metr. 9. Clemens Alexand. Augustin. Boet.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Hoc denique ipsum facile demonstrari potest ex humanis artificibus: concipiunt enim mente formam rei per artem efficiendæ, quæ exemplar appellatur. Et ita dixit Aristot. 7. Metap. cap. 7. corporis sanitatem fieri à sanitate quæ est in mente. Aristot.

II. Exemplaris duplex actus.

Oportet autem obseruare duplex solere distingui exemplar, aliud externum, vt est imago vel scriptura oculis obiecta, quę imitanda proponitur, de quo intelligi potest illud Exod. 25. *Inspice et fac secundum exēplar quod tibi in monte monstratum est.* Aliud esse exemplar internū, quod animo seu mente formatur. Quā diuisionem Seneca suprà indicauit, dicens; *Nihil autē referri vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quo ibi ipse concepit & posuit.* Ego verò existimo, licet fortè quoad vocis vsum exemplar externū propriè & ex prima impositione ita appellatum sit, tamen quoad munus causæ quam nunc explicamus, rationem seu causalitatē exemplaris in interno per se ac propriè reperiri: illud verò externum solùm per accidens & remotè adhiberi, vt in sequent. sectione latiùs declarabo, & ideò de interno exemplari præcipuè dicendum à nobis est.

Vbi sit exemplar.

III. Ex his autem facilè intelligere licet, in communi sequēdo, vbi sit, & quid sit exemplar. Est enim in mente seu intellectu, ideò enim internum exemplar appellatur. Plato etiam ob eādem causam exemplar mundi intelligibilem mundum apppellauit, vt Aug. suprà notauit. Ideò deniq; Clemens Alex. suprà *Mētem* dixit *esse locum idearum*, & lib. 5. Stromat. non longè à principio dixit, Platonem in Phædone ob hanc causam declarasse veritatem esse ideam. *Idea autē* (ait) *est Dei intelligentia, seu quod à mente diuina intelligitur.* Est itaq; idea seu exemplar in mente. Solet autem in cōmuni ita describi: *Exemplar est forma, quā effectus imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem.* Ita D. Thom. q. 2. de verit. art. 1. & ferè Seneca suprà. Quia verò hęc descriptio cōmunis est externo exemplari, addere Cicero. Seneca. Augustin. Exemplaris descriptio. D. Thom.

addere possumus esse formam mente conceptam, aut aliquid simile. Per formam autem intelligenda est non intrinseca forma informans, & constituens rem, sed forma concepta & extrinseca effectui ad cuius imitationem fit effectus ex propria intentione agentis. Quæ vltima particula additur, quia si causa accidat vnam rem fieri similem alteri, non est exemplar, neque etiam si ex sola naturali actione agens effectum, faciat similem sibi, vt iam explicabo. A

IIII. Rerū omniū exemplaria in diuina mente.

Hinc vlteriùs colligere licet exemplaria rerum ac formarum naturalium tantùm esse in intellectu diuino, quod Augustinus intendit in locis suprà citatis. Nā inter causas per intellectum agētes solus Deus potest esse propriè & per se causa naturaliū effectuum, præsertim substantiarum, & naturalium formarum, & ideò solus ipse potest habere exemplaria huiusmodi rerū. Nā intellectuales vel rationales creaturę, quāuis possint concipere intellectuales formas vere ac propriè repræsentantes naturales effectus, quia tamen virtutem non habent effectricem horum effectuum, ideò non possunt aut illas formas applicare ad opus, aut (quod in idem redit) ab eis dirigi in effectione rerum, quas repræsentant, & ideò illę formę B intellectuales in intellectu creato non habent rationem exemplarium. Et hoc est quod dici solet cōmuniter, exemplar esse formam practicam, quę opus dirigat, seu ad opus applicetur. Quod ferè Theologi censent de nomine ideæ: quamuis aliis videatur sufficere vt applicari possit, de quo alias; nam tantū ad quæstionem de nomine spectat. Agentia verò inferiora intellectu carentia quamuis vim habeant efficiēdi effectus & formas similes suis naturalibus formis: non tamen possunt sua intētione dirigere actiones suas, vt suos effectus ad imitationem talium formarum efficiant, & in his etiam agentibus non habet locum exemplar propriè dictum, sed tantùm per metaphoram, quod notauit D. Thom. dicta q. 3. de verit. art. 1. Relinquitur ergo vt respectu effectuum seu formarum naturalium exemplar in solo diuino intellectu reperiatur. In intellectu autem creato secundum quandam participationem reperitur respectu rerum artificialium, sub quibus motum localem comprehendere possumus, quatenus ab agente voluntario iuxtà mensuram rationis fieri potest. D. Thom.

Sit ne exemplar obiectiuè tantum in mente.

V. Hinc verò suboritur grauis quæstio, quomodo C intelligatur exemplar esse in intellectu, an subiectiuè seu formaliter, an obiectiuè tātùm. Subiectiuè dicitur esse quod inest intellectui, & informat illum, siue re ipsa per veram inhęrentiam, vt in creaturis, siue nostro modo intelligendi, cùm tamen in re sit per entitatem, vt in Deo. Obiectuè autem dicitur esse quod cognoscitur, seu actu obiicitur mēti. Quæ distinctio satis constat ex dictis suprà disp. 2. sect. 1. de cōceptu formali & obiectiuo. Vnde quod in summa hīc inquiritur est, an exemplar sit tantùm conceptus obiectiuus, an potiùs sit conceptus formalis. Quam quæstionem Theologi tractant de ideis: est autem communis de quolibet exemplari vt sic.

Communis sententia.

VI. Est sententia satis communis, exemplar esse conceptum obiectiuū. Quæ dupliciter intellig. potest: primò quod sit obiectiuus conceptus eiusdē rei efficiendæ per artem: seu (& in idē redit) quod sit eadem res, quę per artem facienda est, vt obiectiuè existens in mente artificis. Secundò vt sit obiectiuus cōceptus non eiusdem rei, sed alterius ad cuius imitationem alia res facienda est. Priori modo videtur eā sententiam secutus D. Thom. quæst. 3. de verit art. 2. Eam tenet Scotus in 1. dist. 35. quæst. 1. Ibidē Ocham, quæst. 5. Gabriel quæstione 5. art. 2. Aliac. in 1. quæst. 6. art. 3. Durand. dist. 36. quæst. 3. Bassol. quæst. 2. art. 2. Hanēq; opinionem vt problema tractat ibi Richard. art. 2. quæst. 2. & probabilem censet Maior in 1. dist. 35. quæst. 1. in fine. Iuxta quam consequenter dicitur, ideas creaturarum in Deo non esse aliquid increatum in ipso, sed esse creaturas ipsas in esse cognito, seu obiectas intellectui diuino secundum esse essentiæ vel possibile earum: nam eas sic intuens, tales in re producit, quales obiectiuè præsentes habet. Idēq; proportionaliter dicit de exēplari humani artificis. D. Thom. Scotus. Ocham. Gabriel. Aliaco. Durand. Bassol. Richard. Maior.

VII. Posteriorem modum, scilicet, ideam esse rem conceptam, non tamen eandem quæ efficienda est per artem, sed aliā ad cuius imitationem altera efficitur, tenent multi Theologi, qui aliter hoc explicāt in ideis diuinis, aliter in humanis. Nā de diuinis aiūt esse diuinam essentiam vt cognitam à Deo, tanquam imitabilem à creaturis. Cùm enim Deus nō accipiat cognitionem à rebus extra se, sed in sua essentia omnia intueatur, in illa etiam cognoscit quomodo ab vnaquaq; creatura possit imitari vel participari & essentiam ipsam diuinā sub hac ratione dicunt, esse exemplar creaturarū. Ita sentiunt Caiet. & multi Thomistæ 1. p. q. 16. a. 2. & Ferrar. 1. cont. Gent. cap. 54. & Ægid. in 1. dist. 36. q. 5. ad 2. Et ibi Richard. ar. 2. quæst. 2. De humano autem exemplari citati anthores non tam expresse loquuntur: nōnulli autem recentiores aiunt, semper esse rem cognitam distinctā ab exemplato, quæ vel est res aliqua particularis, sensibus obiecta, aut mente concepta, vel est aliquid confusè cōceptum, à quo etiam distinguitur particulare artificiū, quod in induiduo fit ad imitationem eius, quod confusè conceptum erat. Ferrar. Ægidius. Richard.

Fundamenta dictæ sententiæ.

VIII. Fvndamenta huius posterioris sententiæ omitto, quia quatenus probant exemplar non posse esse eandem rem, quæ per exemplar fit, neque creaturas cognitas respectu intellectus diuini, nos illis vtemur: quatenus verò probant in communi ideam esse conceptum obiectiuum, eadem sunt cum fundamētis prioris sententiæ. Potest ergo illa opinio suaderi, primò ex quadam proportione inter exemplar, & finem, vtrumq; enim requirit esse cognitum, vt suum munus exercere possit: nam sicut finis non mouet nisi cognitus, ita exemplar non dirigit nisi mente perceptum. Deinde sicut in fine non mouet esse formale cognitionis, sed bonum ipsum obiectiuè cognitum, ita in exemplari nō dirigit actionem agentis esse formale cognitionis, sed forma ipsa cognitioni obiecta: nam illa est, quæ per cognitionem proponitur imitanda in ipsa actione: ergo sicut finis non est subiectiuè in intellectu, sed obiectiuè, ita & exēplar est obiectiuè in intellectu & non formaliter. Secundò ex communi modo loquendi de exemplari; nam exemplar dicitur quod imitatur artifex, vel ad cuius imitationem producit effectum, dicitur etiā forma, non à qua, sed ad quam intuendo artifex operatur, sed hæc conueniunt rei vt menti obiectæ, ad illam enim artifex intuetur, non ad suum formalem conceptum: nec enim necessaria est hæc reflexio. Tertiò quia Theologi omnes dicūt esse in Deo plures ideas, ex sententia August. lib. 83. quæst. 46. sed non possunt dici plures, nisi quia in esse cognitō sunt plures Augustin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

creaturæ ipsæ in esse obiectiuo: ergo in vniuersum exemplar est conceptus obiectiuus & non formalis. Quartò si Beati vidētes in Deo creaturas acciperent virtutem efficiendi in re ipsa tales creaturas, haberent propriè exemplaria seu ideas creaturarum, & non per cōceptum formalem seu verbum quod ipsi forment, quia re vera non formant tale verbum, vt multorum est opinio: ergo ipsę creaturę quas in verbo increato inspiciunt, haberēt tunc rationem ideæ: ergo pertinet per se ac formaliter ad rationem exemplaris, quòd sit obiectiuè in mente. Alia argumenta proponunt Durandus & Gabriel, quæ omitto, quia omnia supponunt exemplar habere rationem obiecti cogniti, & ex hac suppositione inferunt non posse esse rem aliam, nisi ipsammet, quæ per actionem fit, quatenus in esse cognito supponitur in mente artificis: quam consecutionem ego facilè concedam, vt in sequentibus dicam, nunc verò de eo quod supponunt inquirimus, an verum sit, scilicet, exemplar habere rationem obiecti cogniti.

Secunda sententia, exemplar esse subiectiuè in mente.

IX. SEcunda sententia est ideam esse in intellectu subiectiuè ac formaliter, atque adeò esse formalem conceptum quem artifex format de re quam facere instituit. Hanc opinionem tenet Alexan. Alens. 1.p. quæst. 23. memb. 4. artic. 1. vbi apertè dicit ideam esse sapientiam & exemplar Dei, & quòd secundum exemplar dicitur Deus sapiens. Quamquam ibi constituit nescio quam differentiam inter exemplar & ideam, quæ mihi non probatur. Eandem sententiam tenet Bonauent. in 1. distin. 35. artic. 1. quæst. 1. vbi hac ratione dicit, Deum cognoscere per ideas, & habere in se rationes & similitudines rerum quas cognoscit. Idem sentit Capreolus in 1. distin. 36. quæst. 1. artic. 1. ad 1. Durandi cont. 3. concl. quatenus dicit; ad ideam sufficere quòd sit talis secundum repręsentationem, qualis est res cuius est idea, & inferius, quòd si creatura non contineretur in diuina essentia, nisi obiectiuè, & nullo modo formaliter aut virtualiter, hoc non sufficeret vt haberet rationem ideæ. Eademque videtur esse sententia D. Thomæ 1.p. quæst. 15. nam artic. 1. ait ideam esse formam, id est, similitudinem rei faciendæ, quam in se habet artifex secundum esse intelligibile. Et solut. ad 2. ait, Deum per essentiam suam habere ideas, quia per essentiam suam cognoscit res à se operabiles: non cognoscit autem Deus creaturas per eas in esse cognito, sed per conceptum formalem earum. Et solutione ad 3. ait, in tantum diuinam essentiam esse ideam in quantum ipsa est similitudo rerum omnium: quod non potest intelligi de similitudine naturali, sed de similitudine seu repræsentatione intentionali, quę habetur per formalem conceptum. Et de eadem intelligendus est in artic. 2. dum ait, in diuina essentia esse ideam quatenus est participabilis secundum aliquem modum similitudinis à creaturis, & solutione ad 1. ait, ideam esse essentiam in quantum est similitudo vel ratio: vbi posterior illa vox, scilicet *ratio*, declarat priorem, scilicet *similitudinem*: nam ratio propriè non dicitur, nisi de conceptu formali expresè repræsentante intellectui rem in eo ideatam. Et solutio. ad 2. ait, Deum intelligere plures rationes rerum, quatenus intelligit se intelligere res plures extra se, & hoc modo esse in Deo plures ideas, & idem proportionaliter dicit ibidem de exemplari cuiuscunque artificis. Et hæc sententia mihi magis probatur. Vt autem distinctiùs proponatur & probetur, nonnullæ assertiones proponendæ sunt.

Alens. Bonauent. Capreol.

D. Thom.

Prior assertio contra priorem sententiam.

X. DIco primò. Exemplar non est res obiectiuè cognita, seu obiectiuè tantùm existens in mente artificis. Probatur, quia vel est res eadem quàm artifex facit, seu facturus est, aut facere potest, vel est alia obiectiuè cognita, & à formali cōceptu distincta, ad cuius imitationem alterā facit; neutrum horum dici potest: ergo. Antecedens quoad vtramque partem ostenditur primò in exemplaribus diuinis, deinde in creatis.

Probatur assertio in diuinis exemplaribus.

XI. PRior pars probatur, quia idea diuina, iuxta sententiam magis consentaneam Sanctis Patribus, magisq; Theologis probatam, non est aliquid creatū vel creabile, sed ipsamet diuina essentia increata. Quod sumitur ex Dionys. c. 5. de diui. nom. dicente; *exemplaria esse rationes substantificas existentium. & singulariter præexistentes, quas Theologia prædestinationes vocat, & bonas voluntates.* Quibus verbis significat ideas non esse res aliquas extra Deum, nec creaturas obiectiuè existentes in mente Dei, sed rationes earum substantificas, id est substantiales, vel substantiarum factiuas singulariter, id est, vnitè & simplicissimè existentes in Deo, vt in sequentibus manifestè exponit.

Dionys.

Similiter August. 11. de Ciuit. c. 29. ait; *in verbo Dei esse causas rationesq; rerum secundum quas factæ sunt, incōmunicabiliter permanentes*, quod dici non potuit, nisi propter ideas increatas. & tract. 1. in Ioan. ita exponit verba illa; *Quod factum est in ipso vita erat, quia quod factū est, in Deo habet rationem, quæ vita est.* Idque declarat exemplo artificis: qui in arte sua habet arcam: *Quæ in arte (inquit) vita est, quia viuit anima artificis*, vitam appellat in artifice, quia est opus vitæ, in Deo autem, quia est ipse conceptus Dei, qui est vita per essentiam. Eodem modo hoc exponit lib. 65. quæst. q. 26. & lib. 5. Genes. ad lit. c. 13. similiter ideas vocat *diuinas, incommutabiles æternasq; rationes* & statim c. 14. rationes illarū intelligit scriptum esse; *Omnia quæ facta sunt in Deo viuere*, scilicet in Dei cognitione. Idem significat 12. de Ciuit. c. 25. & 26. & in lib. 83. quæst. q. 46. vt suprà retuli, dicit; *ideas esse principales formas, vel rationes rerū stabiles atq; incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo sese habētes, quæ in diuina intelligentia continentur.* Et infrà ait; *has ideas nō posse videri, nisi visione beata*, & inferius ait; *eas verè esse, earumq; participatione fieri vt sit quidquid est.* Est ergo aperta sententia Augustini ideas non esse creaturas, sed rationes increatas in ipsa mente Dei verè & realiter existentes.

August.

XII. August.

Quod etiam non obscurè senserit Ambros. 2. Hexame. cap. 1. & 2. vbi improbat Platonis & Philosophorum sententiam, ponentium exemplaria distincta à Deo, ad quæ intendens Deus res creauit: sentit ergo creaturam, vt est aliquid à Deo distinctum, non posse esse exēplar quo Deus operatur: ergo siue creatura sumatur existens actu, siue potentia seu secundū esse essentiæ, non potest esse exemplar diuinum: nam vtroque modo est extra Deum. At eodem modo alij Patres Iustin. martyr oratione Parænet. ad Gentes, sub finem, & Eusebius Cæsarien. lib. 11. de Præparat. Euangel. cap. 11. & Gregorius Nazianzenus orat. 33. quæ est prima de Theologia in fine, & in eundem locum Helias Cretens. damnant sententiā Platonis quantum ad eam partem qua asseruisse fertur Deum

XIII. Iustin. Eusebius. Nazian. Helias Cretens.

Deum intuentem ad exemplaria, extra se res condidisse: idem enim necesse est dicant qui docent creaturas vt obiectas diuino intellectui esse ideas eius, nam re vera creaturæ etiam sic sumptæ, sunt aliquid extra Deum, parumq; refert quòd secundum existentiam actualem, vel secundum essentiam ponantur habere rationem ideæ. Ratione etiam probatur hęc pars, quia exemplar est vera causa effectionis rei, sed creatura possibilis vt obiecta menti Dei non est vera causa sui ipsius vt factæ, ergo. Maior infrà probabitur, minor constat, quia aliàs non posset Deus creaturam causare nisi cum illo cōcausante ipsa creatura verè ac propriè, quod est absurdissimum. Alias probationes generales proferemus statim.

XIII. Vlteriùs probatur altera pars, scilicet, neque aliam rem obiectiuè cognitam, & distinctam à formali conceptu, posse inueniri in intellectu Dei, quę habeat rationem exemplaris. Et primum quidem hoc confirmant testimonia Patrum, præsertim Augustini: nam ideas collocat in ipsamet arte, quatenus per eam formatur ratio vel conceptus rei efficiendæ: in quo conceptu dicitur contineri effectus, quia illum repræsentat, & ita ex illius sententia idea in Deo non est nisi essentia intellectualiter repræsentans rem faciendam. Secundò argumentor ratione, quia in Deo non est obiectum cognitum ratione distinctū à cognitione, nisi vel primarium, quod est essentia diuina, vel secundarium, quod sunt creaturæ; de hoc autem posteriori iam ostensum est non habere rationem ideæ, de priori ergo probatur, quia in essentia diuina, vt sic condistincta à cognitione, non contineretur creatura vt in causa exemplari, sed vt in causa efficiente, quæ solùm eminenti virtute continet creaturas, non formaliter vllo modo: ergo secundum eā rationem non potest habere rationem exemplaris. Probatur minor simul cum cōsequentia, quia de ratione exēplaris est vt sit forma extrinseca, atq; adeò vt formaliter contineat rem exemplatam, vel per conuenientiam formalem, & similitudinem, vel per repræsentationem intentionalem seu intellectualē.

XIIII. Et confirmatur ac declaratur in hunc modum, nam, essentia diuina si consideretur priùs ratione quam sit cognoscens vel cognita à se, non potest intelligi vt exemplar creaturarum secundum proprias rationes earum, quia licet eminenti virtute contineat illas, non tamen formaliter vllo modo eas continet aut refert: sicut lux solis, licet eminenter contineat calorem, non potest dici idea caloris, quia secūdum se nec formaliter, neq; repræsentatiuè exprimit calorem. Rursus ergo diuina essentia vt cognita non potest habere rationem exemplaris. Probatur consequentia, tum quia esse cognitum (vt ita dicam) nō constituit exemplar in esse exemplaris, sed supponit illud, & ad summum esse potest conditio necessaria vt causet, si ergo essentia diuina secundum se nō habet rationem exemplaris, ex eo præcisè quòd cognita sit, non habebit illam. Tum maximè, quia vel consideratur essentia præcisè & secundum se cognita: & vt sic non potest esse exemplar, quia vt sic est omnino dissimilis creaturis, vel consideratur vt in illa cognita cognoscuntur tanquam in causa creaturæ, & hoc modo obiectum talis cognitionis iam non est solum primarium, sed etiam secundarium, si ergo obiectum sic cognitum est idea, creaturæ ipsæ sunt ideę, vel saltem complent rationem ideę: quod æquè improbatur rationibus factis in priori membro.

XV. Obiectioni facitis.

Dicetur fortasse, neq; essentiam absolutè cognitam, neq; creaturas cognitas, sed essentiam cognitā vt participabilem à creaturis esse ideam. Sed contra, quia cognoscere essentiam vt participabilem à creatura nihil aliud est quàm cognoscere, ex vi talis essentiæ posse creaturam talem gradum entis participare. Sed hoc non est aliud quam cognoscere ipsam creaturam quatenus ex vi eminētis virtutis Dei potest ab illa prodire: ergo talis cognitio re vera est cognitio creaturæ in Deo: ergo si obiectum illius cognitionis est idea, creatura erit idea. Et confirmo, quia in Deo tantùm sunt cognita aut ea quæ sunt eminenter in ipso, aut quæ sunt formaliter, ergo si essentia vt obiectiuè cognita, est idea, vel est secundū ea quæ formaliter in ipsa continentur, & hoc non, aliàs absolutè & præcisè cognita absq; creaturis esset idea, quod constat esse impossibile, quia vt sic omnino est dissimilis creaturis, & eas secundum propria earum nō repręsentat, vel est idea secundum ea quæ habet eminēter, & secundū quod talia cognoscūtur in ipsa, & sic potiùs ipsæ creaturæ cognitę vt eminēter contentę essent idea. Vel idea dicetur ipsa essentia secundū mediam quādam rationem, scil. secundū id quod formaliter est nō absolutè, sed vt dicit habitudine quandā ad res quas continet eminēter, ratione cuius potest esse primarium obiectum in quo creaturæ secundariò cognoscantur: & hoc etiam non rectè dicitur, tum quia illa habitudo potiùs est ex parte creaturarum quatenus à Deo possunt pendere, & sunt quædā participationes eius, tum maximè, quia essentia Dei non est obiectum primarium in quo cognoscantur creaturæ, vt in aliqua imagine repræsentante, sed vt in causa effectiua eminenter illas cōtinente, & ideò vt sic nō potest habere rationem exemplaris: ergo exemplar in mente diuina non est res obiectiuè cognita vt sic, & vt præcisa secundum rationem ab ipsa cognitione. Quod si quis tandem dicat cum Durando essentiam diuinam habere rationem exemplaris saltem imperfecti, quatenus saltem Analogicè est imitabilis à creaturis, illud sanè impropriissimè dictum est, tum quia exemplar dicit propriam aliquam rationem effectus, illa autem est cōmunissima ratio, tum etiam quia essentia sub illa ratione non habet proprium concursum causæ exemplaris. Hic. n. non cōuenit rei quatenus est, sed quatenus cognoscens est, vt seq. sect. ostendam. Deniq; quia illa esset imperfectissima ratio exemplaris.

Probatur assertio in exemplaribus creatis.

XVI. EX his facilè potest vtrumque membrum probari in exemplaribus artefactorum, quæ sunt in intellectibus creatis. Primo quidem, quia licet hæc exemplaria creata nobis notiora sint, tamen in se sunt imitationes quædam diuinorum exemplarium: vnde eandem proportionem seruant. Quapropter mihi semper displicuit eorum sententia, qui in hoc negotio aliter sentiendum putant de diuinis, quàm de creatis exemplaribus, vt illa dicant esse posita in formali conceptu, hæc in obiectiuo, vel è conuerso: id enim nulla ratione fulcitur, nam licet in perfectione longè inter se distent hęc exemplaria, tamen in modo existentiæ, repræsentationis, & causalitatis seruant proportionem, vt ratio facta probat, quia vnum est participatio & imitatio alterius, sicut etiam in genere efficientis aut finis causa secunda imitatur primam, quantum potest. Et ideò longè melius D. Thomas parem rationem quoad hoc esse censuit de diuinis & creatis exemplaribus, vt patet ex citatis locis, præsertim 1. p. q. 15. art. 2. ad 2. & idem supponunt Scotus & alij, ac meritò.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XVII. Secundò idem probatur ferè eodem discursu, nã A si exemplar artificiosum est aliquid cognitum ab artifice, vel hoc est illud ipsum artificiatum quod efficiendum est, vt obiectiuè præexistens in cognitione, vel est aliquid aliud imitandum in effectione alterius. Hoc posterius dici nõ potest, quia sæpissimè nullum aliud obiectum interuenit, quod artifex intueatur. In humano enim artifice cessat illa ratio, quę est in Deo, qui nihil potest extra se cognoscere nisi vt secundarum obiectum cognitum in sua essentia vt in primario: & ideo in diuina cognitione semper interueniunt quasi duo obiecta: de quibus oportuit figillatim dicere. At verò artifex creatus directè & immediatè concipit artificium, & media illa cognitione illud operatur: ergo non est ibi alia tertia res quæ possit habere rationem exemplaris. Responderi potest artificem creatum nõ concipere illud ipsum artificiatum in particulari & in indiuiduo quod facturus est, sed solùm in confuso artificiatum talis rationis vel figuræ; & ideò semper habere idolum obiectiuè conceptum distinctũ ab artificiato, quòd facit posteà ad imitationem illius idoli. Sed in primis, vt statim dicam, ille modus præconcipiendi non est B per se in artifice vt sic, sed in artifice imperfecto, aut imperfectè cognoscente. Deinde ille conceptus cõfusus non est in re distinctus ab effectu, sed tantùm ratione, vt commune à particulari, & si effectus consideretur vt per se cadit sub intentionem talis artificis, non includit nisi illam rationem cõfusam: exemplar autẽ solùm respicit id quod per se cadit sub intentionẽ agentis; ergo quatenus ibi põt interuenire causalitas exemplaris, nõ distinguitur obiectũ præconceptũ ab effectu per se facto ex intẽtione agẽtis.

XVIII. Dicere aliquis potest aliquando saltem interuenire externum exemplar, quod intuendo ad eius similitudinem artifex operatur: & tunc saltẽ dici posse exemplar esse rem obiectiuè cognitam, & in intellectu tantùm obiectiuè existentem. Respondeo, nos loqui solùm de exemplari interno, vt in principio diximus: quia illud solùm censemus esse propriam & per se causam exemplarem respectu actionis operãtis. Nam illud aliud externum exemplar, vel solùm est remotum, quatenus est causa cognitionis operãtis, vel interdum etiam non est causa, sed tantùm terminus extrinsecus actionis operantis: quomodo aliquando potest reperiri etiam respectu Dei, vt videbimus, & declarabimus sect. seq.

XIX. Nec etiam dici potest ipsummet artificiatum vt præcognitum ab artifice creato esse exemplar sui ipsius vt faciendi. Quia si creaturæ præcognitæ à Deo non sunt ideæ, cur erit res artificiata vt præcognita ab artifice? Respondent aliqui esse discrimen, quia Deus non accipit cognitionem à rebus, sicut humanus artifex. Sed hoc non video quid referat ad rem præsentem, nam si in cognitione, quæ sumitur ex rebus ipsis, posset res cognita esse exemplar sui, multò magis in cognitione quæ non sumitur ex rebus, sed quam Deus ex se ipso habet, possent res cognitæ esse exemplaria, quia ante talem cognitionem nullo modo supponuntur esse secundum suum formale esse: per cognitionem verò exprimuntur & quasi formantur (quod fortasse appellauit Scotus fieri in esse cognito.) Ergo ẽ conuerso, si in Deo, qui præconcipit res non sumendo scientiam à rebus, nihilominùs res cognitæ non habent rationem exemplarem, neque in humano artifice habere poterunt. Eò vel maximè quod possumus constituere artificẽ non sumentem scientiam à rebus, sed habentem illã per se infusam. Alij conantur rationem reddere ex eo quod scientia Dei est distinctissima, conceptio verò humani artificis est confusa. Sed hoc nec est per se, nec satisfacit vt dictum est, & declarabitur amplius in seq. ratione.

Secundò ergo argumentor, quia humanus artifex nunquam præconcipit rem à se faciendam, omnino, & in indiuiduo eandẽ quam posteà facit, quia nunquam potest certo scire quæ & qualis sit in indiuiduo futura res per artem à se elaboranda, nam terminatio effectus in indiuiduo pendet ex variis circumstantiis, vel ex superiori agente, vt in præcedentibus tactum est. Quę ratio bẽnè probat, regulariter & humano modo loquendo, non cadere sub exemplar humanum idem artificium in indiuiduo, quod posteà fit: neq; id mirum est, quia etiam determinatio actionis ad talem effectum in indiuiduo nõ cadit per se sub intentione humana: exemplar autem solùm est respectu illius rei ad quam dirigi potest humana intentio. Tamen illa ratio nõ probat, quod saltem secundum communem rationem talis artificiati, secundum quam cadit sub intentionem agentis, idem vt præcognitum non sit exemplar sui ipsius vt per artem facti. Item non probat illa ratio quin absolutè etiã idem numero possit esse exemplar sui ipsius, vel in mente Angeli, vel etiam hominis, si diuinitus confortetur ad præconcipiendum effectum, vt in indiuiduo perficiendus est. XX.

Probatur ergo aliter, quia exemplar est causa vera XXI. & realis rei quæ per illud fit: ergo non potest esse ipsamet res quę posteà fit vt antea erat præconcepta. Antecedens infrà probabitur: consequentia patet, quia idem non potest esse vera ac propria causa sui ipsius. Nec verò satis est quod res præconcepta, & res producta distinguatur vt res in potentia, vel in actu existens: nam huiusmodi res in actu & potentia eãdem est, & eandem existentiam vt actu exercitam, vel vt possibilem includit: & ideò non potest res vt in potentia esse causa sui ipsius vt in actu. Et hæc ratio generaliter procedit etiam de ideis diuinis.

Sed respõderi adhuc potest, in iis causis, quæ solùm influunt secundum esse menti obiectum non esse inconueniens idem esse causam sui ipsius, vt patet in causa finali, de qua Arist. dixit coincidere in eandem rem numero cum forma facta. In hoc autem reperitur quædam conuenientia inter exemplar & finem, nam vtrumq; causat vt in cognitione existes. Sicut ergo eadem res in ratione finis mouet ad effectionem sui, ità in ratione exemplaris diriget aut cõcurret suo modo ad effectionem sui. Ratio enim vtriq; communis est, quia in aliis generibus ideò non potest idem esse causa sui ipsius, quia supponitur esse vt causet: ergo quod non supponitur esse nisi vt cognitum vt causet, non repugnabit causare se ipsum in existentia reali. Maximè cùm vtraq; causalitas, finis & exemplaris, non tendat in effectum nisi quodammodo medio agente, mouendo vel dirigendo actionem eius.

Sed hoc improbari potest primò ex ipsamet ratione explicandi causalitatem exemplarem, & differẽtia quę versatur in hoc, inter illam & finalem. Exemplar enim dicitur esse forma ad cuius instar vel imitationem aliquid fit: in quo causandi modo videtur necessariò includi distinctio inter formam, quæ est exemplar, & formam exemplatam seu rem effectam, quia idẽ non dicitur fieri ad imitationẽ sui, nec assimilari sibi ipsi: ergo non potest idem dici exemplar vel idea sui ipsius. Sed hæc ratio videtur in solo XXII.

loquendi

loquendi modo habere vim & efficaciam suam. Posset enim quis respondere non esse de ratione exemplaris vt effectus fiat ad instar, vel imitationem eius. Seneca. sed, vt Seneca dicit, *exemplar esse ad quod respiciens artifex, id quod destinabat, efficit*: his enim verbis non inuoluitur relatio, quæ distinctionem petat inter exemplar & exemplatum, & tamen sufficienter declarant rationem exemplaris. Assumptum patet, nam potest artifex, mente respiciens ad aliquod artefactum possibile, illud ipsum destinare efficere: ergo saluatur tota & sufficiens definitio exemplaris absq; distinctione, quam petat similitudo vel imitatio effectus respectu exemplaris. Et confirmatur hoc ac declaratur amplius, nam si quando artifex concipit rem vnam, & ad instar vel imitationem illius aliam distinctã facere ꝓponit, hoc satis est, vt res prior habeat rationem exemplaris: cur non res eadem obiectiuè concepta, si in re ipsa efficienda proponitur, sicut concepta est, non habebit rationem exemplaris respectu sui ipsius? Nam re vera videtur eodem modo dirigere actionem agentis: imò tantò perfectiùs, quanto est maior adæquatio rei factæ ad rem conceptam, quæ tantò erit maior, quantò fuerit maior B identitas.

XXIII. Propria ergo ratio huius partis petenda videtur ex hoc vltimo, quod nũc dicebamus, sc. munus proprij & interni exemplaris, de quo agimus, esse dirigere actionem agentis, quoad specificationem (vt aiunt:) hoc autem munus non est obiecti cogniti, sed cognitionis eius, quatenus in illa continetur in esse repræsentatiuo. Quę ratio magis explicabitur ex seq. assertione.

Secunda assertio & approbatio secundæ sententiæ.

XXV. Dico secundò. Exemplar inest formaliter intellectui tanquam conceptus formalis eius. Cum verbo inhærendi hìc vtimur, quoniam nunc abstractè & in communi loquimur de exemplari, siue creato, siue increato, latè intelligendum est siue per vnionem & propriam inhærentiam, siue per identitatem & simplicitatem. Sic igitur coclusio posita est valde consentanea locutionibus D. Tho. & Sanctorum suprà adductis. Dum enim aiunt mentem esse sedem idearum, & ideas diuinas esse rationes rerum C incommutabiles & æternas, & formas intelligibiles, satis significant, & esse veras res existentes ex æternitate, & esse in Deo intrinsecè, & esse in eo formaliter quatenus intelligens est, & intellectualiter repræsentans omnia, quod conuenit illi ratione sui conceptus seu actus intelligendi. Eodem modo sensisse Platonem de ideis, docuerunt multi, & præsertim indicat Aug. citatis locis. Explicuitque optimè Cœlius Rhodigin. lib. 16. lect. antiq. cap. 17. his verbis, Cœll. Rhodiginus. *Deus, qui omnipotens est, & dicitur, in mente sibi inhærente creandarum rerum naturas effingit, ac pingit quodammodo, quæ in corporibus istis sentimus omnia: illic cœlorum globi ac elementorum moles: omnia deniq;, etiam animalium gignũtur formæ, quas in diuina confert as mente, Dei fomento esse ac dici ideas non ambigunt Platonici.* Similiter Eugub. lib. 1. de Peren. Philosoph. cap. 12. refert ex Plutarcho Eugubin. Socratem & Platonem posuisse *ideas in cogitationibus sensisque Dei, hoc est menti subsistentes*: & infrà ex eodem Plutarcho obseruat *idem esse diuinam mentem atque ipsas ideas*, & ex Philone & Plotino *idem esse totam idearum seriem, atque ipsam immensam Dei sapientiam*, & ex Trismegisto & Chaldæis, *ideas esse Patris cogitationes, & rationes vniuersales naturæ.* Eandemque esse Aristote-

lis sententiam de exemplari creato, paulò inferiùs ostendam.

Ratione probari potest hæc sententia à sufficien- XXVI. ti partium enumeratione, nam exẽplar est in intellectu, & non obiectiuè tantùm: ergo est in eo formaliter seu inhæsiuè: non est autem ipsemet intellectus, quatenus est vel intelligitur à nobis vt nuda potentia, quia vt sic non est forma repræsentans, quod est de ratione exemplaris: & eadem ratione non est aliquis habitus ex iis qui iudicatiui dicuntur, & tenent se ex parte potentię, vt esse potest v. g. ars in intellectu humano, quia etiam huiusmodi habitus non est forma repræsentans formaliter, sed inclinans tantũ ad iudicium. Nec etiã in intellectu humano est species intelligibilis, tum quia, iuxta veriorem sententiam, species hęc non repręsentat formaliter, sed est tantũ semen obiecti efficienter cooperans ad formalem repræsentationem, quę fit per actum aut verbũ: tum etiam, quia species per se ipsam non est causa operatiua ad extra, seu directiua operationis, quod cõuenit exẽplari. Superest ergo vt cõceptus ipse formalis practicus rei efficiendæ, sit propriè exemplar.

Secundò probatur ex munere seu officio ipsius XXVII. exemplaris: eius enim est determinare actionem ex- Exemplaris munera varia. ternam intellectualis agentis: & ideò quoad hoc gerit munus formæ, nam res naturales determinantur Primum. per naturales formas vel qualitates ad suas actiones: agens verò intellectuale per formam intellectualem sibi proportionatam, vt rectè notauit Diuus Thomas dictis quæstionibus 15. 1. part. & 3. de veritate. Est ergo exemplar forma actuans & informans ipsum intellectuale agens: non est autem alia forma nisi Secundum. conceptio eius, vt declaratum est. Rursus pertinet ad munus exemplaris dirigere actionem agentis intellectualis, vt in certum terminum & scopum tẽdat, vt non casu, neque irrationali modo fiat: & ideò dixit Augustus. tam esse certum Deum habere exemplaria, quam est certum operari ex ratione: hęc autem directio non fit nisi per actualem mentis repræsentationem, quæ est veluti quoddam lumen, quod præit ostendens viam & modum ac terminum operationis: hoc autem totum fit formaliter per ipsummet conceptum formalem mentis. Et ob hanc causam res ipsa directè concepta non potest propriè dici exemplar: nam si illa res sit ipsamet quę facienda est & omnino eadem in indiuiduo, non est illa quę dirigit, sed ad quam dirigitur actio medio exemplari: neq; illa propriè imitanda proponitur, sed facienda: quod vt rectè fiat, dirigitur actio per exemplar mente conceptum. Si autem illa res concepta sit alia, vt est in artifice creato imago externa, vel aliquid simile, talis res non est per se necessaria ad operationem artis, quæ fit per exemplar, nam meliùs fieret per propriam & immediatam cognitionem ipsiusmet rei arte efficiendæ: illud ergo externum adminiculum (vt ita dicam) menti obiectum, non est proprium & per se exemplar, sed est quasi materia remota, vel obiectũ adiuuans ad formandum aliquale, seu imperfectum exemplar. Denique, si illa res alia concepta, sit tantùm causa virtualiter continens rem faciendam per exemplar, vt est in increato artifice diuina essentia, illa vt sic non potest esse exemplar, quia non est vllo modo forma formaliter continens, aut repręsentans rem faciendam, vt superiùs argumentabamur. Neque illa vt sic dirigit actionem artificis, sed solùm est quasi ratio (remota secundum rationem) concipiendo exemplar seu ideam, quę dirigit operationem artificis.

Tertiò

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXVIII. Tertiò solet attribui exemplari, esse mensuram & regulam veritatis & proprietatis rei factæ. Quo sensu (vt suprà tractauimus disput. 8.) dicunt multi authores, & interdum D. Thom. veritatẽ entium creatorum sumi ex cõformitate ad exemplaria, quæ sunt in intellectu diuino, tãquam ex mensura earum: veritatem autem rerum artificialium sumi ex conformitate ad intellectum humanum: nam exemplar artificis est mensura artificiati. Hoc autem propriè cõuenit conceptui formali; nam cõceptus obiectiuus, si sit omnino proprius & adæquatus rei faciendæ, nõ distinguitur ab ipsamet re; idem autem nõ est mensura sui ipsius: si verò sit conceptus alterius rei, vel per accidens, & remotè tantùm se habet vt dictũ est, vel non habet in se formam effectus, nec formaliter, neque repræsentatiuè, & ideò vt sic non potest habere rationem mensuræ.

Tertium.

XXIX. Quartò tribuitur ideæ, esse principium cognitionis, vt notat D. Thom. dicta quæst. 15. art. 1. id autem non est intelligendum de principio effectiuo, quia vt diximus, species intelligibilis non est propriè exemplar: ergò oportet intelligi de principio formali: nam, obiectum præcisè vt cognitum, seu vt terminatiuum, non dicitur propriè principium cognitionis, cùm potiùs sit finis & terminus: principium autẽ formale cognitionis est ipsemet conceptus formalis: ergo ille est propriissimum exemplar, si sit cõceptus rei efficiendæ.

Quartum.

Assertio tertia.

XXX. Dico ergo tertiò. Non est de ratione exemplaris vt sic non esse quantum ad esse eius, quod sit actu & directè cognitum vt obiectum quod: tamen vt causet, oportet vt aliquo modo cognoscatur, & quò perfectiùs fuerit cognitum, cò, cæteris paribus, perfectiùs causabit. Hæc conclusio proponitur ad dissoluendum fundamentum contrariæ sentẽtiæ, & in ea supponimus exemplar causare, quãuis nõdum probatum sit, quia ita in cõmuni sumptum, est per se manifestum: & nunc est nobis necessarium ad distinguẽdum in quo consistat proprium esse exemplaris, quid verò sit conditio requisita, vt causet. Cõmuniter enim dici solet de ratione exemplaris esse vt sit actu cognitum, quia nõ videtur satis animaduersum, quòd sicut in fine distinguuntur illa duo, scilicet esse ipsius finis per quod causat, & esse cognitũ, quod est conditio necessaria ad causandum: ita in exemplari sunt hæc duo distinguenda: nam esse cognitum vt sic quatenus dicitur de obiecto directè cognito, cùm sit sola extrinseca denominatio, non potest esse propria ratio constituens ipsum exemplar, nec potest esse in illo formale principium causandi.

C

XXXI. Præterea, sicut de fine dicebamus non mouere ad appetendum secundum esse cognitum quoad denominationem (vt ita dicam) sed quoad rem denominatam, seu quoad ipsum esse quod cognoscitur, ita exemplar non dirigit ad efficiendũ in effectu ipsum esse cognitum quoad denominationem, neq; tale esse, quale est esse in cognitione: ergo exemplar in esse exemplaris non cõstituitur per esse cognitum vt sic. Vnde etiam in exemplari externo & remoto, cùm imago visui proposita dicitur exemplar ad cuius imitationem alia fit, licet oporteat illam imaginem esse visam aut cognitam, non tamen constituitur in illo modo exemplaris per esse visam, sed hæc est conditio necessaria, esse autem sic depictam vel figuratam est proprium esse talis exemplaris. Et iuxta opinionẽ asserentem artificium ipsum, vel creaturam menti obiectam esse exemplar, dici non potest, quod esse cognitum, quantum ad denominationem cogniti, constituat illã in esse exemplaris, cùm in effectu nõ intendatur similitudo seu conformitas quoad illam denominationem, sed quoad esse naturale, vel artificiale quod in tali re cognoscitur: ergo idem dicendum est in omni sententia, quòd nimirum exemplar non constituitur in esse exẽplaris formaliter ac præcisè ex eo, quod cognoscitur, sed ex proprio & quasi intrinseco esse, quodcunque illud fit, quod vel cognoscitur, vel potest cognosci.

A

XXXII. Hinc ergo videtur satis probata prior pars cõclusionis; nam si exemplar non constituitur formaliter per esse cognitum: ergo cognosci vt sic, præsertim directè & vt obiectum quod, non est de ratione exemplaris quatenus exemplar est. Et hoc etiam conformari potest ex prima conclusione; nam dictum est exemplar non esse, formaliter loquendo, conceptũ obiectiuum, qui formaliter in esse talis conceptus constituitur per esse cognitũ: ergo hoc esse non est formaliter de ratione exemplaris vt sic.

XXXIII. Alteram verò partem conclusionis confirmant ex parte argumenta prioris sententiæ, eamq; sumo ex D. Thom. 1. parte quæst. 15. art. 2. ad 2. Et declaratur primò in exemplaribus diuinis; nam Deus cognoscendo in sua essentia creaturas, format (vt more nostro loquamur) rationes, seu conceptus earum, per quos illas directè cognoscit, licet vt secundaria obiecta suæ scientiæ. Quia verò eius scientia est perfectissima, cognoscendo & formando exemplaria creaturarum, cognoscit in seipso conceptum illum qui intellectualiter repræsentat creaturas: quod est cognoscere in se exemplaria creaturarum. Vbi ratione distinguendo illa duo, intelligimus priùs esse formalia ipsa exemplaria, & deinde cognosci, quæ licet videatur esse reflexio quædam, in Deo tamẽ propter summam simplicitatem & infinitatem illius actus, eodem simplicissimo actu vtrumque cognoscitur. Hoc igitur modo est in Deo idea (vt ita dicam) non tãtùm formata, sed etiam cognita, & vt sic habet totum id quod ex parte intellectus necessarium est, vt in suo genere causet, quia & est forma existens in mẽte artificis, & est ita proposita & applicata, vt possit ad illam respiciens, rem per eam repræsentatam efficere ad illius imitationem. Et ita distinguẽtes in Deo secundum rationem ideam à cognitione ideæ, sicut etiam distinguere possumus ratione cognitionem directam à reflexa, & ideam quoad suum esse consistere intelligimus in conceptu formali, quem directè Deus habet de re operabili seu facienda prout facienda est: cognitionem autem ideæ intelligimus esse quasi perfectam quandam applicationem, & coniunctionem ad ipsum artificem, vt ad illius imitationem producat effectum.

B

XXXIV. Ad hunc ferè modum ratiocinatur D. Thom. suprà de exemplari existente in mente artificis; *Nam dũ artifex (inquit) intelligit formam domus in materia dicitur intelligere domum: dum autẽ intelligit formam domus vt à se speculatam, ex eo quòd intelligit se intelligere eam, intelligit ideã vel rationem domus.* Vbi planè distinguit aliud esse formare ideã, aliud intelligere ideam. Nam si artifex dum intelligit formam & rationem domus, vt à se speculatam intelligi ideam: ergo dum ipsam rationẽ & formam domus speculatur, format ideam: vt tamen per illam operetur, & ad imitationem eius domum efficiat, reflectitur supra rationem domus vt à se speculatam, & ita agnoscit ideam, & per eam cognitionẽ, quasi applicat exemplar vt per illud causet.

Sic igitur constat quomodo cognitio ideæ ad causalitatem deseruiat.

XXXV. Statim verò oritur dubium an huiusmodi reflexio sit simpliciter necessaria in artifice, vt per exemplar à se conceptum possit exteriùs operari: in Deo enim semper est necessaria illa, quasi reflexio, non tam ob causalitatem quàm ob infinitam perfectionem illius scientię, quę non potest ita terminari ad aliquod obiectum, quin intrinsecè seipsam sub omni ratione & repræsẽtatione intueatur. At verò in artifice creato cùm illa reflexio fieri debeat per actum distinctũ, difficilè creditu est, vel necessariam esse, vel semper interuenire quoties artifex per suam artem, seu per exemplar illa formatum operatur. Imò experientia videtur contrarium ostendi; nam qui scribit, aut ædificat, non semper est in illa actuali reflexione dum operatur.

Qualis cognitio exemplaris requiratur vt artifex operi possit.

XXXVI. Vnde dicunt aliqui non esse necessariam illam reflexionem, & creatum artificem vti exemplari suo cognoscendo illud, non vt est qualitas quædã mẽti inhærens, sed vt est forma & imago repræsentans obiectiuè artificiatum. Sicut multi censent, verbum mentis esse qualitatem distinctam ab actu cognoscendi, deseruientem cognitioni vt obiectum proximum in quo res repræsentata cognoscitur: nam quod in speculabilib⁹ est verbum, creditur esse exẽplar in operabilibus. Et hoc quidem postremum existimo verum esse in rebus creatis: tamen sicut illa sententia de verbo mentis falsa est, ita etiam in præsenti non est vera illa ratio explicandi cognitionem exemplaris seu ideæ per cognitionem directam rei exemplatæ, quod scilicet sit obiectum proximum in quo aliud cognoscitur, quia neq; ille modus repræsentationis obiectiuæ per formalem similitudinem intelligi potest in illa qualitate, quæ nec formalem nec realem conuenientiam habet cum externo obiecto, nec etiam intelligi potest quomodo in illa directè cognoscatur externum obiectum, illa nullo modo cognita. Sed hæc communia sunt de verbo mentis illo modo explicato: & ideò illa omitto: & suppono, conceptum formalem immediatè terminari ad rem ipsam quam repræsentat, ipsumq; non aliter repræsentare quam referendo intellectui obiectum ipsum, vt intellectualem formam constituentem in actu vltimo ipsum intellectum: & eundem conceptum formalem dici verbum mentis, quatenus est internus terminus intellectualis actionis seu conceptionis eius: exemplar verò dici quando est de re artificiosa seu operabili.

B

C

XXXVII. Ad difficultatem ergo positam alij concedunt necessariam esse cognitionem reflexam, per quam artifex respiciens ad exemplar, id est, ad conceptum directum quem de re formauit, possit talem rem facere, qualem cogitationem concepit. Et ad experientiam respondent, huiusmodi internos actus nõ semper cadere sub experientiam, sæpe enim intellectus comparat vnam rem ad aliam, & nõ aduertit se comparare: & ita etiam potest comparare suammet cognitionem & exemplar, vt per illud mensuret rem quæ ante fit, quamuis non aduertat se vti ea comparatione: si autem aduertat, intelliget se id non facere sine reflexione super suam cognitionẽ. Et mihi quidem non displicet hoc, si solum intelligamus hanc reflexionẽ interuenire quando artifex perfecto modo vtitur suo exemplari ad commensurandam & definiendam formã, quam præbere debet suo effectui: & hoc planè videtur voluisse D. Thomas suprà.

D. Thom.

XXXVIII. Addendum tamen existimo non toto tempore quo durat operatio exterior procedens ab arte, necessariam esse illam reflexionẽ formalem: quod mihi quidem satis probare videtur experientia & ratio, quia ipsa directa repræsentatio, & quasi intuitus mentis circa rem vel operationem faciẽdam, sufficit ad dirigendam operationem. Tunc ergo non est necesse vt exemplar cognoscatur tanquam obiectum quod, sed satis est vt implicitè & per modum tendentiæ ad obiectum aliquo modo cognoscatur, eatantùm implicita & virtuali reflexione, quam quilibet actus mẽtis in se includit, ratione cuius dicitur cognosci seipso vt quo, quamuis non cognoscatur vt quod. Et ideò dixi in conclusione exemplar cognosci aliquo modo, eò tamen perfectiùs applicari ad suum opus, quo perfectiùs cognoscitur.

A

Satisfit argumentis prioris sententiæ.

XXXIX. Ad argumentum ergo primum prioris sententiæ iam respõsum est, longè diuersam rationẽ esse de fine, & de exemplari; nam licet in eo conueniant, quod vtrumq; causat vt in cognitione existẽs, tamen in modo causandi habent diuersitatem ratione cuius, finis esse potest ipsamet res quæ terminat actionem agentis, quia ad se trahit eius affectum: exemplar verò nõ possit esse illa eadem res, sed alia quæ sit mẽsura & regula eius. Quo fit, vt finis ita sit in cognitione, vt non necessariò sit cognitio: exemplar verò per se ac proximè requisitum ita sit in cognitione, vt intrinsecè etiam sit cognitio quædam seu intellectualis conceptus: nam est intellectualis regula ac mensura.

Finis & exẽplar quoad cognitionis necessitatem in quo cõueniant, & differant

B

XL. Ad secundum respondetur, illam locutionem, exemplar esse ad cuius similitudinem fit effectus, & quod artifex imitatur operando, facilè verificari de ipso conceptu formali, quia non sunt illę locutiones intelligendæ de similitudine formali, quæ naturalis est, seu entitatiua: sed de similitudine secundum repræsentationem intellectualem, quam habet conceptus formalis, circa rem quam exprimit, & hanc imitationem vel conformitatem, intendit artifex in sua operatione. Illa verò locutio, quod artifex respiciens ad exemplar, operatur ad illius imitationem, non oportet, vt cum omni proprietate sumatur. Ortus enim videtur ille loquendi modus ex sensibilibus exemplaribus, quibus homines ob imperfectionẽ suã vti solent, & ad illa respicere vt ad obiecta proxima q̃ imitentur. Veruntamen iam dixi huiusmodi exemplaria esse quasi per accidens: per se enim exemplar internum sufficit & requiritur ad actionem, & illius imitatio immediatè intenditur: & ideò sufficienter posset explicari ratio exemplaris, dicendo, esse illud quo artifex sibi repræsentat rem quam effecturus est vt illud imitetur, sed potiùs vt illius repræsentationem expleat. Quia verò, vt diximus, ipsum etiam exemplar potest reflexè cognosci, & illa reflexio confert, vt perfectè & completè exerceat munus exemplaris, ideò propriè etiam verificari potest, quod artifex respiciens ad suum exemplar, operatur.

C

XLI. Tertium argumentum nullam habet difficultatem; nam multitudo idearum in Deo non est secundum rẽ, sed tantùm secundum rationẽ, per respectus rationis ad diuersas res creabiles, & ideò non repugnat, q̃ illa pluralitas vel distinctio rationis intelligatur in ipsomet conceptu formali seu scientia Dei. Qualis autem & quanta sit illa pluralitas idearum, & per quem intellectũ fiat illa distinctio, & respectu quarum rerum distinguendæ sint ideæ, plus habet quæstio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæstionis de nomine, quam de re: illa verò qualiscunq; disputatio Theologorum est, non nostra.

XLII. Ad quartum respõdetur inprimis supponere falsum, quòd beati non formant verbũ, verè enim concipiunt, Deum prout in se est, & ita formant in se conceptum formalem, quo sibi repræsentant Deum prout in se est: & ille conceptus est verbum, & non aliud. Vnde si in Deo cognoscunt creaturas, etiã formãt in se rationem seu verbum earum, & illud habere posset vim exemplaris, si cum illo daretur vis operandi, quę per tale exemplar dirigi posset. Addo præterea, Beatum videndo Deum & creaturam in Deo, etiam videre ideam quã Deus habet de creaturis, & ideò ipsummet conceptũ formalem Dei posse quodammodo subire rationem ideæ, etiam respectu alterius intellectus, cui per se & immediatè obiicitur sed illud etiam esset remotè & mediatè: proximum enim exemplar semper est illud, quod ipsum operans in suomet intellectu format.

SECTIO II.

Vtrùm exemplar propriam rationem causæ constituat, vel ad aliquam aliarum reuocetur.

I. SVpponit hæc quæstio exemplar verè ac propriè esse causam: id enim ex communi sententia Philosophorũ ac Theologorum vt certum sumimus: in iis enim, quæ per intellectum operantur, per se necessarium est exemplar vt rationabili modo possint actionem suam indefinitam effectum dirigere; nam cùm à natura sua non sint limitata ad determinatas formas effectibus tribuendas, sicut naturalia agentia, oportet vt suo proprio & intellectuali modo determinentur. Quamuis autem quoad exercitium suæ actionis determinentur per voluntatem; tamen quoad specificationem & directionem ducũtur per intellectum: ad hoc autem indigent propriis exemplaribus talium effectuum, vt artificiosò & intellectuali modo possint illos efficere. Et quãuis Seneca epist. 66. existimet, hac ratione solùm probari exemplar esse quid requisitum: non verò propterea esse inter causas per se numerandum, alioqui multa alia possent similiter inter per se causas recenseri. Nihilominùs verius est per se pertinere ad aliquod genus causalitatis, vel aliquem causandi modum, quamuis fortasse non augeat causarum numerum, nec per se cõstituat nouum causandi genus. Vtrumque autem declarabitur commodiùs, explicando ad quod genus causæ exemplar pertineat.

Exemplar nec materialem, nec finalem causam esse.

II. ET vt à clarioribus incipiamus, certum est, exemplar nec per se pertinere, nec reduci ad genus causæ materialis, quia nullam habet cum illa causa proportionẽ aut similitudinem, quia exemplar neq; indicat potentiale quid, sed potiùs actuale formale: neq; concurrit aliquo modo recipiendo, sed potiùs suo modo actuando ac determinãdo. De causa verò finali posset aliquis dubitare; nam munus exemplaris esse dicitur, vt ad illius similitudinem vel imitationem effectus fiat, sed hæc est habitudo finis: ergo concursus exemplaris non est, nisi concursus quidam finalis. Minorem & discursum totum probo ex D. Thom. 3. cont. Gent. cap. 19. vbi hac potissimùm ratione probat omnia tendere in Deum, vt in vltimũ finem, quia omnia intendunt illi assimilari: ergo commutata ratione rectè nos colligimus, cùm Deus producit res vt ipsi assimilentur, cõcurrere vt finem carũ, ac tunc concurrit vt exemplar: ergo. Imò in ratione 2. sic colligit D. Thom. *Agens dicitur finis effectus, in quantum effectus tendit in similitudinem agentis: sed Deus ita est finis rerum quòd est etiam primũ agens earum: ergo omnia intendunt sicut vltimum finem, Deo assimilari:* Deus ergo vt est id, cui assimilatur creatura, habet rationẽ finis: ergo & vt imitabilis à creaturis; nam hæc verba *esse imitabilem à creaturis & esse id cui assimilatur creatura*, eandem habitudinem significare videntur, sed esse imitabilem dicit habitudinem causæ exemplaris: ergo coincidit cum habitudine causæ finalis. Vnde clariùs in ratione 4. ait D. Thom. res omnes creatas, esse veluti quasdam imagines primi agentis: perfectionem autem imaginis in hoc consistere quòd repræsentet suum exemplar, ideòque omnes creaturas intendere hanc repræsentationem vt finem suum. In quo discursu planè videtur exemplar cum fine confundere.

III. Sed nihilominus authores omnes lõgè diuersam esse censent causalitatem exemplarem à finali, quia causalitas finis cõsistit in metaphorica motione voluntatis: ratio autem exemplaris præcisè consistit in hoc quòd sit forma determinans actionem agentis, vt sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 44. a. 3. Difficultas aũt proposita procedit, ac si exemplar esset aliqua res cognita, quæ imitanda proponitur, & non potiùs ipsemet intellectualis cõceptus rei. Vt verò omnibus modis respondeamus, admisso illo modo loquendi, dicendum est, licet contingat eandem rem esse finem & exemplar eiusdem effectus, vt argumenta facta probant: tamen sub diuersa ratione causalitatis. Nam, vt finis, mouet ad efficiendam sui repræsentationem: vt exemplar verò, determinat actionem agentis, & quodammodo dat speciem effectui; vnde rationem finis exercet vt est quoddam bonum: rationem verò exemplaris vt est quædam forma. Addere verò possumus ad hoc magis declarandum, exemplar posse considerari, vel vt terminum quendam, ad cuius imitationem tendit actio, vel vt principium dirigens ac regulans actionem agentis. Sub hac posteriori ratione exercet causalitatem exemplaris; nam prior magis pertinet ad rationem finis, quia sub ea ratione est id, cuius gratia actio fit. Cùm enim Christi imago depingitur, vt eum nobis repræsentet, re vera Christus sub ea ratione habet rationem finis, & hoc etiam probat difficultas tacta. Et ideò mihi non placet quod quidam aiunt, causalitatem exemplaris consistere in passiua imitatione rei factæ ad instar illius: nam hæc passiua imitatio fini propriè conuenit, quando in eo nihil aliud intenditur, nisi eius repræsentatio. Ideò in ipsamet actione passiua distinguendum est, an sumatur vt alliciens affectum, an vt determinans, & quasi specificans actionem, seu formam per eam inductam; nam sub priori ratione pertinebit ad causalitatem finis, sub posteriori ad rationem exemplaris.

IV. Et propter hanc causam probabilissimum existimo, propriam causalitatem exemplarem, distinctam à finali, per se reperiri in interno conceptu formaliter exprimente & repræsentante rem arte efficiendam: nam licet per actionem intendatur conformitas cum illo conceptu sic repræsentante, non tamen intenditur vt finis actionis, formaliter loquendo, de conformitate, sed intenditur ipsa forma in qua est conformitas: ipsa verò conformitas solùm attenditur vt commensuratio quædam, & quasi regula formæ

formæ inducendæ. At verò in exemplari externo distinctione opus est, nam illud magis induit rationem finis, maximè quando per se intenditur eius repræsentatio, propter eius honorem, vt aliquid simile: aliquando verò etiam habet solam rationem mẽsurę, & non finis, vt quando artifex exterius conficit paruum idolum totius ædificij, tunc enim intendit conformitatem ad illud, non tanquam finem, sed tanquam regulationem, vt sic dicam.

V. Et simili modo videtur satis probabiliter dici posse (distinguendo in Deo secundum rationem ideas intellectuales, prout à nobis sunt explicatæ sectione præcedenti, & essentiam diuinam vt participabilem in esse & in perfectionibus essendi à creaturis) sub priori ratione habere propriam causalitatem exemplarem, & vt sic intendi conformitatem creaturarum ad ideas, non secundum habitudinem earum ad finem, sed ad mensuram & regulam: sub posteriori autem ratione habere essentiam diuinam rationem finis, & sic etiam intendi similitudinem creaturarum ad Deum, vt ad suum finem. Nam sub priori ratione intenditur vt creatura talis sit, qualis repræsentatur in idea: sub hac verò posteriori intenditur vt ipsa repræsentet diuinum esse & diuinam perfectionem quantum potest: & ideò posterior habitudo non est ad Deum vt ad exemplar, sed vt ad finem.

VI. Tandem hinc censeo conuenientissimè dici, in actionibus & effectibus Dei, vt sunt ab ipso, nihil extra eum exercere posse causalitatem exemplarem propriè sumptam, sed ipsum esse singulare exemplar omnium suarum actionum & effectuum, quia nihil extra ipsum potest esse regula & mensura actionum eius, vt ab eo sunt. Vnde si aliquando dicitur aliquid creatum, esse exemplar alterius, vt Christus in quantum homo dicitur exemplar iustorum hominum, vel intelligendum est latè de exemplari quasi materialiter, prout induit rationem finis proximi: sic. n. potest dici Christus exemplar, quia in eius honorẽ alij iusti efficiuntur similes illi. Vel exponendum est respectu causarum secundarum: quo etiam modo Christus dici potest exemplar hominum, quia propositus illis est vt in illum tanquam in exemplar respiciant, quod imitentur.

Proponitur sententia reducens exemplar ad causam formalem.

VII. OMissis ergo causa materiali & finali, de aliis duabus est controuersia inter authores. Multi enim reuocant exemplar ad genus causæ formalis, creduntque esse opinio Aristotel. qui numerando causas, simul cum formali exemplarem nominauit. Et hanc opinionem tenet Albertus in 1. distinct. 20. articulo primo. Caietan. prima parte, q. 6. a. 3. in fine, & q. 44. a. 3. Tho. de Argent. in 1. d. 45. a. 2. Sumitur ex Durando ibi quæst. 2. quatenus negat exemplar pertinere ad genus causæ efficientis. Idem tenet Ægid. proposit. 37. de Eucharistia. Hi authores supponunt exemplar concurrere solùm vt obiectum cognitum, ad cuius imitationem agens aliquid operatur: & ideò non putant posse habere efficientiam, & hinc concludunt habere formalem causalitatem extrinsecam, quę in hoc solum consistit quod per imitationem passiuam concurrit ad dandam similẽ formam & speciem effectui. Imò sunt qui censent exẽplar non reduci ad genus causæ formalis intrinsecũ, sed constituere per se & directè nouum genus causæ formalis extrinsecę: quod sentit Henr. quodl. 9. q. 2. quem nonnulli moderni sequũtur. Et quidem supposita priori parte, satis consequenter loquuntur: nam licet exemplar in nomine conueniat cum forma, vt ipsum nomẽ ideæ præ se fert, & suprà ex Aug. notauimus, tamen in causando habet longè diuersam rationem. Nam forma informans est intrinseca, & pars essentialis compositi: exemplar autem est forma extrinseca: vnde ex hac parte magis inter se differunt quam materia & forma, & non minùs quàm forma efficiens & forma facta, nam etiam forma efficiens est forma, & est causa extrinseca, cuius participatio est forma informans ab ea procedens: ergo si exemplar est causa formalis extrinseca, tam constituit nouum genus causę sicut forma efficiens.

Præfertur sententia, exemplar ad causam efficientem reuocans.

VIII. MIhi tamen magis probatur sententia eorum, qui negant exemplarem causam constituere proprium genus causæ, sed illam pertinere dicunt ad causam efficientem. Quam tenent Alensis prima parte quęstione 23. memb. 4. articulo primo. Bonauent. in 3. distinct. 11. articulo primo, quæstione. 3. Scotus in 1. distinct. 2. quæst. 2. & distinct. 36. artic. 1. & ibi Heruæus quæstione prima. Et primò probatur hæc opinio ex mente Aristotelis, cui opposita sententia, videtur modestè contradicere, quia constituit quintum genus causæ distinctum ab his quæ Aristoteles numerauit. Nam licet exemplar nomine formæ appellent, tamen re vera est causa non minùs diuersa à forma informante quàm sit forma efficiens, vt explicando ipsammet sententiam declarauimus, illaque conuenientia cum forma vix est plus quàm in nomine, nam ratio est longè diuersa, cùm altera sit forma essentialiter & intrinsecè constituens rem, alio vero modo solùm dicatur forma, quia extrinsecè repręsentat aut mouet ad faciendum aliquid sibi simile. Vnde Aristoteles non in hoc sensu exemplar cum forma numerauit, sed vel quia ideæ nomen quo vtitur, idem significat generatim quod forma, vel quia (prout ipse refert) Plato ita ponebat ideas formas exemplares, vt in eis constitueret rerum essentias & species. Adde quod Aristoteles semper numerat inter causas efficientes ipsam artem, sub qua exemplar comprehendit: vnde in 7. Metaphysicor. dixit sanitatem extra fieri efficienter à sanitate quæ est in mente, id est ab exemplari sanitatis.

XI. Secundò videtur illa sententia fundata in falso principio, scilicet quòd exemplar sit res aliqua obiectiuè & directè cognita, ita vt in illa p se primò cõsistat ratio causæ exemplaris: nam hoc falsum esse ex dictis præcedente sectione constare potest. Et declaratur præterea in hunc modum, nam in artifice creato non est per se necessarium tale exemplar: illud enim quod humani artifices solent exteriùs sibi effingere, solùm est adminiculum quoddam, quod iuuet ad rem interiùs concipiendam, & memoriam conseruandam: vnde si absque tali obiecto sensibili possent exactè domum faciendam concipere, & interiùs præsentem habere, non indigerent illo extrinseco exemplari. Rursus neque etiam interiùs est per se necessarium aliquod obiectum distinctum ab effectu arte faciendo: nam licet in hominibus regulariter ita cõtingat, tamen (vt suprà argumẽtati sumus) & illa distinctio est quasi per accidens, quia artifex non intendit effectũ nisi quatenus est omnino idem, & in eo quod est diuersum, nõ

Universidad de Deusto
Biblioteca

procedit ex causalitate exemplari. Et præterea id nõ A est vniuersale in artifice creato vt sic: Angeli enim etiam possunt facere res artificiales, & non oportet vt eas confusè concipiãt, sed distinctè, & easdem numero quas affingunt. Et Christus Dominus in quãtum homo, si aliquid artefactum operari voluisset, ad nullum aliud obiectum respiceret nisi ad ipsummet in indiuiduo distinctè cognitum, quod esset facturus. Non est ergo per se hæc causalitas ab obiecto distincto, neq; etiam potest esse ab eodem numero, vt in superiori sect. ostensum est & à fortiori probari idem potest de ideis diuinis ex superiùs dictis: ergo non consistit hæc causalitas in illa veluti informatione extrinseca, quæ est quasi per comparationem & imitationem vnius formæ ad aliam.

X. Addo præterea, etiam quando interuenit extrinsecum exemplar distinctum, nihil per se efficere circa effectum artis, quod possit habere propriam rationem causalitatis realis, & verè ac per se dici possit causalitas formalis. Nam si loquamur de sensibili exemplari, illud primò ac per se mouet ad sui notitiam, & in eo genere concurrit efficienter tanquam obiectum motiuum. Deinde potest mediatè mouere ad concipiendam vel efficiendam aliam rem similem, vel proportionalem, & quoad hoc etiam comparatur per modum finis, vel efficientis remotæ, & ferè per accidens. Nam si res attentè consideretur, per se solùm mouet ad sui conceptionem, ex qua intellectus aliam rem similem fabricatur: seu concipit, & per voluntatem intendit illam efficere, quod si ipsam voluntatem tale obiectum moueat, vt quando imago, quæ placet, mouet ad faciendam aliam similem, & motio ad finem pertinet, non ad exemplar. Nulla ergo causalitas ibi interuenit, quæ mereatur nomen causalitatis formalis. Præterea vel illa causalitas est circa conceptionem intellectus, & hoc non: quia respectu illius potiùs est efficientia obiectiua, vt dictum est: vel est circa rem arte factam: & hoc etiam non: tum quia respectu illius valdè remotè se habet tale exemplar: proximè .n. non regulatur artificiatum, nisi iuxta conceptionem mentis: tum etiã quia (secluſa causalitate finis) quod artifex intendat assimilare effectum extrinseco obiecto, solum est habitudo vel denominatio extrinseca prouenies ab actu voluntatis eius, & nõ addit effectui essentialem dependẽtiã ab alio obiecto, quæ ad genus causæ formalis pertineat: imò neq; ad vllum genus causæ per C se, nisi fortasse, vt dixi, talis repræsentatio vel similitudo sub ratione finis intendatur. Artifex .n. per se solùm intendit talẽ formam inducere in suum effectũ, ad quod per se solùm indiget propria conceptione illius formę: quòd verò hæc forma assimiletur alteri extrinsecę, per accidens est ad causalitatem artis vt sic: ergo & ad causalitatem exemplaris. Atq; hęc ratio, pbat de cognitione cuiuscunq; alterius obiecti creati, siue particulari, siue vniuersali seu cõfusa.

XI. In Deo verò potest videri intercedere specialis ratio, quia Deus non cognoscit creaturas à se faciẽdas nisi in essentia, & per essentiam suam: & hoc est illi per se. Sed nihilominùs, quamuis nostro modo intelligendi essentia sit veluti medium ad cognoscendas creaturas, tamen in ordine ad operationem ad extra Deus per se non operatur vt cognoscens præcisè suam essentiam, sed vt cognoscens creaturas ipsas, quas est productus: & ideò ille ordo secundum rationem qui est per se inter essentiam vt cognitam, & creaturas vt cognitas, scilicet quòd essentia est ratio cognoscendi creaturas, respectu causalitatis exemplaris creaturarum est remotus & per accidens: ergo ratione illius non potest essentia vt cognita dici causa formalis extrinseca creaturarum. Vnde si verum esset, quod multi opinantur, essentiam diuinam non esse rationem cognoscendi creaturas vt medium seu vt obiectum cognitum, sed solùm vt speculum, seu tanquam speciem intelligibilẽ eminentissimam, quod ad causalitatem exemplarem attinet, nihil referret, nam æque bene posset Deus sua arte increata producere creaturas, quales concepit: ergo quòd illa cognitio creaturarum secundum rationem intelligatur à nobis orta ex cognitione essentiæ vt causæ eminenter continentis creaturas, est remotum quid, & quasi per accidens ad causalitatem exemplarem. Maximè cùm superiùs ostensum sit, non posse essentiam vt cognitam præcisè absq; creaturis formaliter cognitis, veram rationem exemplaris habere, neq; etiam possit inter cognitionem essentiæ præcisè, & cognitionem creaturarum in essentia alia cognitio quasi media intelligi, quæ dicatur cognitio essentiæ vt participabilis à creaturis, quia, vt suprà etiam dicebã, hoc nihil aliud est quam B cognoscere creaturas, vt participatiuas essentiæ (vt sic dicam.) Superest igitur vt propria causalitas exẽplaris non sit in aliquo obiecto cognito distincto ab effectu, qui ad illius imitationem fit: ergo non erit eius causalitas formalis, quandoquidem ob solam illam obiectiuam seu passiuam imitationem ad illud genus pertinere dicebatur.

XII. Vltimò probatur directè, causalitatem exemplaris ad efficientiã pertinere. Primò quidem, quia ars est principium efficiendi: vnde Aristoteles agens de causis ait Polycletum esse causam per accidẽs statuę, statuarium autem esse causam per se, quia nimirum formaliter dicit artem, quæ est principium per se illius effectus: sed ars non causat nisi mediante idea: docet enim ars fabricari in mente tum rem efficiendam, tum etiam viam & modum exequendi illam: atque in hunc modum est principium artificiosi effectus: vnde Diuus Thomas tertia parte, quæstione 78. articulo secundo, sic ait: *Forma artificialis est similitudo vltimi effectus in quem fertur intentio artificis, sicut forma artis in mente ædificatoris est forma domus ædificatæ principaliter, ædificationis autem per consequens*: Ergo etiam ipsum exemplar comparatur ad artificem vt proxima forma per quem suo modo operatur: sicut ergo forma agentis ad efficientem causam pertinet quatenus est illi principium agendi, ita & exemplar quatenus est forma artificis, qua operatur, ad efficientem causam pertinet. Quod etiam confirmat communis modus loquendi Philosophorum, & Theologorum: sic enim aiunt exteriorem domũ procedere à domo quæ est in mente artificis, sicut de sanitate suprà ex Aristotele referebamus: & Diuus Thomas quodlibet. 7. articulo tertio, sic inquit, *Similitudo rei cognitæ dupliciter est in cognoscente: vno modo sicut causata à re, alio modo sicut causa rei, vt patet in artifice, qui cognoscit artificiatum per illam formam, per quam ipsum facit*. Ex quo inferiùs infert *rationes ideales in mẽte Dei existentes, esse efficaces ad cognoscenda singularia quorum sunt causa*. Idem repetit quodlib. 8. art. 2. & simili modo loquuntur de ideis diu. Dio. c. 5. de diuin. nomin. & Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei, c. 25. Vocant enim eas effectrices rerũ. Et propter eandẽ causam dicunt Theologi, Deum esse causam efficientem rerũ per intellectum & volũtatem: intellectus .n. & scientia non causat ad extra nisi per ideam: ergo si scientia est principium efficiendi ad extra, etiam exemplar.

Vnde

XIII. Vnde confirmatur; nam ad actionem artificis tria A concurrunt, ars, voluntas, & potentia exequens, sed voluntas, vt mouens potentiam exequentem pertinet ad genus causæ efficientis: ergo & ars vt dirigens & determinans illam: dirigit autem & determinat mediante exemplari: ergo exemplar ad idem genus causæ pertinet. Confirmatur præterea, quia sicut agens naturale completur in ratione principij agendi per formam, ita agẽs intellectuale completur in suo ordine per exemplar; nam sicut agens naturale per formam continet similitudinem effectus, & determinatur ad illum, ita agens intellectuale per exemplar habet in se similitudinem effectus, & recipit quandam determinationem ad illum, saltem quoad specificationem; nam quoad exercitium non determinatur per solum exemplar: & ideò indiget voluntate: ergo pertinet exemplar ad genus efficientis causæ tanquam forma suo modo complens quoddam genus causæ efficientis, scilicet intellectuale seu artificiosum.

XIV. Dices. Eadem ratione dici posset, finem non constituere proprium genus causæ, sed complere quoddam genus efficientis, vt sit sufficienter constitutus B ad agendum nimirum intellectuale agens, quod nisi à fine moueatur aut determinetur, agere non potest. Respondetur negando consequentiam, quia finis non comparatur ad agens vt constituens illum proximè aptum ad agendum, sed potiùs supponit illud ita constitutum, & mouet vt agat: at verò exemplar non supponit completè cõstitutum quoad suum peculiarem modum agendi, nimirum artificialem seu intellectualem. Deinde finis vt sic comparatur ad effectus secundum quendam peculiarem modum dependentiæ, quem ab illo habent, quatenus propter illum sunt: exemplar autem non habet peculiarem habitudinem per se ad effectũ, nisi solùm quatenus dirigit vel determinat actionem agentis. Quocirca, sicut voluntas agentis non constituit per se nouum genus causæ, sed determinat talem modum agendi, scilicet, voluntariè, ita scientia, vel ars, seu (quod idẽ est) exemplar non constituit nouum genus causę, sed complet peculiarem modum efficiendi, scilicet artificiosè.

Corollaria præcedentis doctrinæ. C

XV. Atque hinc potest obiter alia ratio colligi, cur Aristoteles simul cum forma exemplar nominauerit: est enim exemplar forma quædam non tam respectu rei per illud efficiendæ, quam respectu ipsius artificis: quem suo modo informat, & constituit in suo genere in actu vt sit sufficiens ad agendum. Quòd si respectu rei exemplatæ exemplar vocatur forma, non est propter causalitatem formalem, quã circa illud habeat, sed quia illud in se aliquo modo continet per modum imaginis, seu in esse repræsentatiuo: omnes autem imagines solent formæ appellari: vnde etiam quarta species qualitatis vocatur forma & figura.

XVI. Secundò obiter etiam intelligitur vulgaris illa distinctio triplicis formæ, à qua, ex qua, & ad quam; nam per has voces nec significantur tres formæ distinctæ; neq; etiam tres causalitates formales distinctæ: sed tantùm tres habitudines, quæ possunt eidem formæ respectu diuersorum conuenire. Nam eadem forma ignis, quatenus est principium à quo procedit alius ignis, dicitur forma à qua: quatenus verò ipsum ignem generãtem in suo esse constituit, dicitur forma ex qua: quatenus verò ad eius similitudinem fit forma in genito, dici potest forma ad quam. Vnde illa particula *à qua* denotat habitudinem efficientis causæ: *ex qua* habitudinem causę formalis intrinsecę: *ad quam*, quamuis censeatur denotare causam exemplarem: tamen re vera est æquiuoca; nam ignis propriè generat ignem ad sui similitudinem, & tamen forma eius non est exemplar. Vnde per illam particulam potest in illa forma denotari habitudo causæ finalis, sicut suprà ex D. Thom. referebamus, quodlibet agens naturale agere propter se vt finem, quatenus agit, vt effectum sibi similem producat, in quo conseruetur saltem secundum speciem, vel in quo eius perfectio aliquo modo repræsentetur, si generaliùs de agente loquamur. Et iuxta hanc considerationem vniuersalẽ, omnis forma à qua, est etiam ad quam, sub diuersa ratione causæ extrinsecæ, & sine causalitate formali. Vt ergo forma ad quam peculiariter dicatur de exemplari causalitate, subintelligendum est, esse formam proximè regulantem effectum ad quem dirigitur propria intentio agentis, & ideò dici potest ad cuius normam sit effectus. Vnde sicut forma à qua, non ita appellatur, quia causalitatem formalẽ exerceat circa effectum, quia est ab ipsa, sed quia est forma ipsius causę, ita quamuis exemplar dicatur forma ad quam, non oportet intelligi ita appellari, quia causalitatem formalẽ exerceat respectu eius, quod ad illius imitationem fit, sed respectu artificis quem informat, nisi latiùs dicatur forma, non ob causalitatem, sed ob repræsentationem. Cùm autem dicimus exemplar esse formam artificis, ita accipiendum est, sicut de forma agentis: nam in artifice, vel agente creato est verè forma: in increato verò solùm est forma nostro modo intelligendi, seu habet quidquid est perfectionis in forma, secluſa imperfectione, id est intrinseca causalitate seu informatione.

Tertiò intelligi potest ex dictis, cur causa exem- XVII.
plaris distingui soleat ab efficiente, si & ipsa efficiens est; nam & hoc etiam obiici potest contra nostram sententiam: sicut D. Thom. 1. p. q. 44. cum art. 1. & 2. ostendisset Deum esse causam efficientem omnium in art. 3. inquirit, an Deus sit causa exemplaris. Dico tamen exemplarem causam non tam esse distinguẽdam à causa efficiente, quàm sub causa efficiente, vel sub his formis aut conditionibus, quæ constituunt peculiare genus efficientis. Vt in dicto exemplo, postquam constat Deum esse causam agentem, idem est, quærere an sit exemplaris, quod quærere an sit agens per intellectum, & an ex se habeat quidquid necessarium est ad illum causandi modum. Verum est tamen, si vim nominum attendamus, causam exemplarem non dici de omni agente quod per exemplar operatur, sed de sola forma, quæ habet vim & rationem exemplaris, artifex enim non dicitur causa exemplaris artificiati, sed habere exẽplar, aut operari per exemplar, quia exẽplar significat quasi in abstracto ipsam formam. At verò Deus, quia per se ipsum scit & repræsentat omnia, ideò simpliciter dicitur causa exemplaris omnium.

Vltimò tandem constat ex omnibus dictis hoc XVIII.
genus causalitatis propriè & intrinsecè in solis agentibus intellectualibus reperiri, quatenus ad extra aliquid operantur per artem seu scientiam suam. Vnde perfectissimè reperitur in Deo, imò in illo solo est hæc causalitas respectu substantiarum omnium & accidentium omnium naturalium, vt suprà etiam tactum est, quia nulla creatura intellectualis per se potest aliquid huiusmodi per artem facere, sed ad summum per accidens applicando actiua passiuis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vnde solùm rerum artificialiũ potest inueniri propria exemplaris causalitas in agentibus creatis. Et respectu etiam eorum Deus habet vim & proprietatem primæ causæ exemplaris, non solùm quia prima exemplaria etiã ipsorum artefactorum sunt in mente diuina, sed etiam quia per ea actu influit, & immediatè in suo genere cum omnibus inferioribus artificibus. Imò sub hac etiam ratione omnes actiones & effectus causarum naturalium immediatè sunt à diuina causa exemplari, &, sub ea ratione seu in eo genere non habent aliam propinquiorem causam: nã sicut Deus immediatè per potẽtiam suam ad omnes illas actiones concurrit, ita per suas ideas eas dirigit, atque hoc modo sicut Deus est causa prima & immediata omnium actionum in genere efficientis & finis, ita & in ratione exemplaris.

DISPVTATIO XXVI.

De comparatione causarum ad sua effecta.

POstquam de singulis causis disputatũ est, oportet ad huius tractatus complementum, nonnulla, quę omnibus possunt esse communia, disserere, quod commodè fiet, comparando tum causas ad affectus, quod nunc agimus, tum etiam inter se, quod præstabimus disputatione sequenti. Comparari autem possunt causæ ad effectus, vel in perfectione, vel in sufficientia, vel in duratione, seu in ratione prioris & posterioris.

SECTIO I.

Vtrùm omnis causa sit effectu suo nobilior.

I. POtest effectus comparari in perfectione, vel ad singulas causas suas, vel ad omnes simul sumptas, idque vel omnes simpliciter, vel ad omnes eiusdem generis seu rationis.

II. Primò igitur certum est, non posse effectum excedere in perfectione, omnes causas suas simul sumptas. Probatur, quia nihil est perfectionis in effectu, quod non habeat à causis suis: ergo nihil perfectionis habere potest effectus, quod non præexistat in aliqua causarum suarum, vel formaliter, vel eminenter, quia causæ dare non possunt, quod nullo modo in se continent.

Comparatio effectus ad intrinsecas causas.

III. SEcundò dicendum est, si comparetur effectus ad eas tantùm causas quibus intrinsecè constat, nõ posse excedere in pfectione oẽs illas simul sumptas vt actu causantes. Quod est dicere substantiam, verbi gratia, compositam, quæ est effectus intrinsecus materiæ & formæ non posse excedere in perfectione ipsam materiam & formam simul sumptas & vnitas: ideò enim addidi *actu causantes*, vt earum vnionẽ cõprehenderem. Atq; ita facilè probatur assertio, primò, quia ille effectus non distinguitur in re ab huiusmodi causis simul sumptis & actu causantibus, vt infrà ostendam tractando de substantia materiali: ergo non potest esse inter ea inæqualitas perfectionis. Secundò quia effectus nõ habet aliunde formaliter, seu entitatiuè perfectionem, nisi ab eis causis, quibus intrinsecè constat: ergo non potest excedere in perfectione omnes illas cum suis causalitatibus, quia non est vnde habeat illum perfectionis excessum. Dices multa conuenire composito, quæ ad perfectionem pertinent, & causis eius intrinsecis attribui non possunt, vt sunt per se esse, per se operari, vt in rebus viuentibus composito conuenit viuere, quod nec materiæ nec formæ conuenit. Respondetur, has perfectiones non conuenire singulis causis intrinsecis per se sumptis; conuenire autem eis vt simul & actu causantibus; vnde solùm concluditur ex vnione seu causalitate harum causarum aliquid perfectiùs consurgere, quàm sit aggregatum (vt sic dicam) harum causarum absque vnione & causalitate earum inter se.

IIII. Hinc verò infertur, & dicitur tertiò, comparando effectum totum ac simpliciter ad singulas causas intrinsecas, perfectiorem esse effectum qualibet earum. Probatur apertè, quia includit totam perfectionem cuiuscunque earum, & præterea includit perfectionem alterius, & præterea perfectionem vnionis earum inter se. Item, si talis effectus sit substãtia composita, constat esse perfectiorem, quàm materiam: suprà etiam ostensum est, esse perfectiorem, quàm formam. Neq; hoc mirum videri potest, quia talis effectus ex neutra talium causarum per se sumpta habet intrinsecè totam perfectionem suam, & ideò quamlibet earum per se sumptam excedere potest ratione alterius. Dixi autem, *si totus effectus simpliciter comparetur* secundum totam perfectionem quã habet, nam si solùm fiat secundum quid comparatio in eo præcisè, quod effectus habet à tali causa, non potest excedere in ea ratione perfectionem causæ, cùm ab illa nihil ampliùs habere possit quàm ipsa in se contineat. Imò sub ea consideratione causa quodammodo excedit, in quantum ipsa est, quæ communicat alteri suam perfectionem, & in quantum effectus ab ea pendet sub ea ratione. Dices, quando hic effectus est aliquod compositum accidentale, nõ semper est perfectior altera causa per se sumpta, nimirum materiali, quæ est ipsamet substantia. Respõdetur, etiam hoc compositum superare substantiam ipsam saltem in perfectione accidentalis formæ, eiusque informatione: hęc enim aliqua perfectio est. Quod si contingat, totam hanc perfectionem eminenter in sola substantia contineri, illud non erit ratione causalitatis materialis, sed alia superiori ratione. Vnde illud est per accidens ad comparationem causæ materialis vt sic ad suum effectum quam nunc facimus. Poterat verò hic vlteriùs fieri comparatio inter ipsasmet causas materialem & formalem, quatenus vna potest esse effectus alterius, sed hanc comparationem attingemus meliùs, sectione sequente.

Comparatio effectus ad efficientes causas.

V. QVartò dicendum est, effectum nunquam posse excedere in perfectione omnes causas efficientes, quæ ad illum concurrunt, simul sumptas: imò neque aliquam earum, quæ vt causa principalis & totalis in aliquo genere ad illum concurrat: econuerso verò causa efficiens principalis sæpe excedit in perfectione suum effectum. Hæc assertio quoad omnes partes est facilis ex iis, quæ de causa efficiente latissimè disputauimus. Et prima quidem pars probatur, quia tota perfectio effectus manat à causis efficientibus: ergo fieri non potest vt aliqua perfectio sit in effectu, quæ non æquali, vel nobiliori modo sit in aliqua causarum efficientium: ergo non potest excedere effectus in perfectione omnes

omnes suas causas efficientes simul sumptas. Dices, Præter causas efficientes habet effectus alias sibi intrinsecas: ergo ratione illarum potest excedere in perfectione causas efficientes. Respondetur, ipsas intrinsecas causas componentes effectum manare necessariò ab aliqua efficiente causa extrinseca; & ideò fieri non potest vt effectus comparatus ad causam efficientem sibi adæquatam habeat aliquam perfectionem à suis causis intrinsecis, quæ non sit æquali vel nobiliori modo in extrinseca seu efficiente.

VI. Altera verò pars, qua comparatur effectus ad singulas causas efficientes, declaratur facilè ex distinctione causæ principalis & instrumentalis. Nam instrumentalis potest esse ignobilior effectu, vt suprà dictum est, & notauit Diuus Thomas in 4. distinctione prima, quæstione prima, a. 4. quæstiunc. 1. ad 3. quia effectus non procedit principaliter ex virtute eius. At verò causa principalis nunquam potest esse ignobilior, præsertim si sit integra & totalis in suo genere, nam de partiali res est magis dubia. Quamuis loquendo propriè de perfectione intensiua, probabilius sit etiam causam partialem principalem nũquam esse intensiuè minùs perfectam suo effectu, quia in hoc maximè differt à causa instrumentali, & quia talis causa licet ex parte actionis sit partialis, tamen ex parte effectus agit in totum illum, & ideò excedere nõ potest suæ perfectionis gradum, vt in superioribus tactum est. Et hinc à fortiori cõstat, quãdo causa est totalis principalis, non posse esse inferiorem perfectione suo effectu, quia non posset illi dare perfectionem quam in se non haberet. Inter causas autem principales quædam sunt vniuocæ, aliæ æquiuocę, vt suprà diximus: ex quibus priores necessariò sunt effectibus nobiliores, quia cum sint diuersæ speciei ab effectibus, necesse est vt non contineant perfectionem eorum formaliter & secundum eandem rationem: ergo oportet vt illam habeant eminentiori modo, vt notauit D. Thom. 1. p. q. 4. art. 2. ad 3. & est frequens apud omnes Philosophos. At verò causa vniuoca, quamuis non possit esse effectu inferior, non tamen necesse est vt illum excedat, communicat enim illi totam suam perfectionem, quem in eadem specie producit; & ideò inter ea inuenitur æqualitas. Quòd si obiicias Augustinum lib. 83. quæ. quæstione secunda, dicentem: Omne quod fit, ei à quo fit, par esse non potest. Respondeo primùm, intelligi posse, effectum nunquam esse parem causæ in omnibus, nam saltem in relatione dependentię est inferior: non tamen in absoluta & intrinseca perfectione. Vel secundò, & fortasse magis ad mentem Augustini respondeo id esse intelligendum de eo, quod fit ab alio tãquam à necessario principio à quo essentialiter pendet: effectus autem nunquam habet huiusmodi dependentiam à causa vniuoca, sed ab aliqua superiori; & ideò de tali effectu verum est nunquam posse peruenire ad æqualitatem cum causa.

VII. Aliunde obiicere quis potest, quando plures causæ principales per se subordinatæ ad eundem effectum concurrunt; etiam si vnaquæque in suo genere & gradu sit totalis, nihil obstare quòd effectus excedat inferiorem seu proximam causam; dummodo non excedat superiores omnes, quia satis est quòd tota perfectio effectus sit in tota serie causarum, quamuis non sit in singulis. Atque ita contingit, vt brutum minùs perfectum generet aliud perfectioris speciei; & frequentiùs euenit, vt vnus homo generet alium melioris ingenij, atque adeò in indiuiduo perfectiorem. Respondetur ad argumentum ex superioribus, nullas causas esse per se & essentialiter subordinatas in agendo nisi secundam & primam, causæ enim secundæ inter se non habent illam adeò intrinsecam subordinationem: quamquam inter secundas dentur aliquæ vniuersales & superiores, quæ suo modo adiuuant inferiores ad suos effectus. Causa igitur prima, quando agit cum secunda principaliter operante in suo ordine, accommodat actionem suam perfectioni & naturæ talis causæ; & ideò nũquã potest effectus excedere perfectionem causæ secundæ, nec potest aliqua perfectio dimanare à causa prima in effectum, nisi per secundam: alioqui in communicanda illa perfectione iam non ageret causa prima vt concurrens cum secũda, sed per sese vt supponens aliquem defectum causæ secundæ. Ac simili modo si interdum effectus ex influentia cœlorum habet aliquam maiorem perfectionem quam causa particularis vniuoca, quoad illam perfectionem nõ procedit à particulari causa, saltem vt à principali, sed à cœlo, vel alia causa vniuersali, quæ in eo effectu gerit vicem proximæ causæ principalis.

VIII. Vndead exempla de animantibus, quæ in perfectiori specie videntur generari ab aliis minùs perfectis, vel negandum est assumptum, quia semper alterum saltem ex generantibus est æq; perfectum, vel perfectiùs in specie; vel certè dicendum est, talia generantia ad eum effectum non concurrere vt causas principales, sed vt instrumentales disponẽtes materiam: generationem autem perfici virtute alicuius superioris causæ: sicut contingit etiam in effectione misti, quod ex mutua actione & mistione elementorum generatur. De inęqualitate autem indiuiduali, si teneamus indiuidua eiusdem speciei non esse inæqualia nisi in accidentalibus dispositionib⁹, vt multorum est opinio, facilis est responsio, nam perfectio talis dispositionis seu cõplexionis nõ prouenit semper à proximis & vniuocis causis, sed ex aliis circumstantibus, & præsertim ex cœlesti influentia, vt est omnium Philosophorum concors sententia. Quòd si fortasse in ipsismet indiuiduis est inæqualitas perfectionis, & indiuiduum perfectiùs generatur ab imperfectiori, necessariò dicendum est, etiam illum excessum perfectionis prouenire ex concomitantia & concursu aliarum causarũ; quæ sicut iuuant ad perfectiùs disponendam materiam, ita & ad introducẽdam formam indiuidualiter perfectiorem. Quæ res propriè disputari solet in libris de anim. & benè à Fonseca 5. Met. c. 28. q. 16.

Comparatio effectus ad finalem causam.

IX. VLtimò dicendum est, finalem causam non semper esse perfectiorem suo effectu: quamquam si finis sit vltimus, & ordo in finem sit rectus, & iuxta institutionem naturæ, semper sit perfectior suo effectu, seu re ordinata in finem. Prior pars constat primò inductione: nam sæpè quis exercet nobilissimas actiones propter pecuniam, vel hominum æstimationem, qui fines imperfectiores sunt. Et ratio est, quia finis solùm mouet agens Metaphoricè ad operandum; & ideò non oportet vt vel formaliter, vel eminenter contineat effectum; sed satis est quòd habeat aliquam rationem boni sub qua possit mouere voluntatem. Posterior pars etiam constat inductione, nam quatenus Deus propter finem operatur, clarum est finem vltimum quem ipse intendit esse nobiliorem cęteris rebus propter talem finem procreatis. Rursus naturalia agentia, cùm nõ operentur

Universidad de Deusto
Biblioteca

propter finem vltimum à Deo intentum,etiam agũt propter nobiliorem finem. Quòd si considerentur præcisè quatenus agunt ex naturali impetu naturæ, vno ex tribus modis operantur. Primus est propter indiuidui perfectionem vel conuenientem statum, vt quando mouetur lapis vt quiescat in centro, vel brutum vt vitam conseruet; & in hoc modo operãdi ipsummet agẽs est finis illius actionis, & aliquo modo vltimus, scilicet in illa serie: & ita constat finem huiusmodi esse perfectiorem tali actione,vel formali termino eius. Secundus modus est,quando hæc agentia agunt propter conseruationem suę speciei, vt cum ignis generat ignem &c. & tunc finis quodammodo est æquè perfectus,quatenus ipsa forma geniti dicitur ab Aristotele finis generationis, vel quatenus ipsummet generans est finis suæ actionis: quodammodo est finis perfectior, quatenus bonum cõmune totius speciei ac perpetuitas eius est excellentius bonum quam sit vnum vel alterum indiuiduũ. Tertius modus est, quando hæ causæ operãtur propter communicandum aliquo modo esse quod habent,vt cùm sol illuminat, & idem est de omnibus influentiis cœlorum: non enim agunt vt se conseruent,cùm sint incorruptibiles: solùm ergo agunt vt se communicent, vel (quod idem est) vt alia conseruent aut perficiant. In qua actione si consideretur finis proximus ipsius actionis,ille quidem minùs perfectus est quàm sit ipsum agens,tamen ille non est finis ipsius agentis, sed solius actionis: si autem consideretur finis vltimus, propter quem dici possint agere huiusmodi agẽtia, ille secundũ quandam rationem aut seriem est bonum totius vniuersi: simpliciter autem est Deus ipse, quem hæc agentia imitantur, dum se communicant: & vtroq; modo finis est quid excellentius eo, quod ad finem ordinatur.

X. Denique intellectualia agentia creata, si rectè & ordinatè operentur propter finem, per suas operationes tendũt in verum vltimum finem, qui est Deus, vel expresè,aut saltem implicitè, quatenus propter virtutem & honestatem operantur. In quo etiam aliquo modo operantur propter se, quatenus operãtur propter propriam perfectionem, non quidem sistendo in se ipsis tanquam in fine vltimo cuius gratia operantur, sed tanquam in fine cui perfectionem illam procurant. Atq; ita finis quem vltimatè intendunt,absolutè est perfectior omni eo quod ad finem ordinant;nam de Deo constat: de ipsismet autem agentibus,quatenus ad se aliquid ordinant,& ad illud comparantur vt vltimus finis in aliqua serie, etiam necesse est vt sub ea ratione sint perfectiora,nam hęc agentia, perfectiora sunt suis operationibus. Quòd si ipsa dicuntur esse propter suas operationes, nõ ita in eis sistunt, quin ad se illas ordinent, ita vt cõpletè intendãt se ipsa in statu perfecto; qui potest dici intrinsecus finis vltimus talis actionis, non tamen simpliciter vltimus, cùm tota illa actio vel referatur,vel ex se tendat in vlteriorem finem vltimum extrinsecum qui est Deus.

XI. Aliquando verò possunt hæc agentia ordinare res alias perfectiores se, etiam Deum ipsum ad se ipsa vt ad vltimum finem simpliciter; tamẽ ille est peruersus ordo, & à recta ratione,& ab eo quod naturæ rerum postulant, alienus: & ideò dixit in conclusione, *si ordo in finem sit rectus ex ipsa naturæ institutione.* Atque hoc modo intelligendum est quod Aristoteles dixit, finem esse optimum vniuscuiusque rei: loquitur enim de fine vltimo respectiuè,vt sic dicam,id est vel simpliciter,vel secundum quid, in ordine ad id cuius est finis vltimus. Et ratio est, quia finis vltimus propter se appetitur,& alia propter ipsum; & ideò etiam magis amatur quàm cætera, iuxta illud, *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis*; & ideò si rectè,& consentaneè ad rerum naturas ametur,oportet vt ipsum magis amabile sit, & consequenter maius & excellentius bonum.

Secus verò est de fine non vltimo: rectè enim potest, & conuenientissimo ordine res perfectior ad minùs perfectam vt ad finem proximum ordinari, dummodo ad alium finem vltimum & perfectiorem tota series referatur, quia nunc non tam attenditur finis proximus vt per se amabilis est ex propria bonitate & perfectione, quàm vt est amabilis ex relatione ad perfectiorem finem. XII.

SECTIO II.

Vtrùm omnis causa sit prior suo effectu.

I. Dubitandi ratio.

RAtio dubitandi est, quia Aristoteles 5. Metaphys. capite secundo, sine vlla distinctione asseruit causam in actu simul esse cum effectu in actu: ergo non est prior illo. Quòd si dicas causam in potentia esse priùs effectu in actu; hoc sanè nihil est, tum, quia id non prouenit ex ratione causæ,sed ex ratione potentiæ & actus illi correspondentis: sic enim ens in potentia dici etiam potest prius ente in actu. Tum etiam,quia non rectè fit comparatio: aliàs etiam dici posset, effectum in potentia esse priorem causa in actu: debet ergo proportionatè fieri; & hoc modo sicut causa in actu non est prior suo effectu in actu,sed simul,ita nec causa in potentia est prior quã effectus in potentia. Quòd si vlteriùs dicas, Aristotelem solùm fuisse locutum de simultate temporis seu durationis; cõtra hoc est primò, quia ipse nihil distinxit. Secundo quia in c.11. eisdem lib 5. Metaph. enumerans varios modos prioris & posterioris secundum naturam, non meminit eius qui est inter causam & effectũ. Tertiò quia causa & effectus dicũtur relatiuè: relatiua autem non solùm sunt simul tẽpore,sed etiam simul natura. Contrà est, quia omnis causa est principium: omne autem principium,præsertim in rebus creatis, est aliquo modo prius eo cuius est principium, vt suprà visum est. Vnde etiam Arist. in Postpræd. c. de modis prioris dixit, omnem causam esse priorem natura suo effectu.

II. Hæc quæstio, prout tactum est,de duplici prioritate intelligi potest, scilicet temporis & naturæ: & quia de illis diuersa est ratio, sigillatim est de eis dicendum discurrendo breuiter per singulas causas, quoniam non potest vna generalis responsio de omnibus tradi. Considerandum est autem aliud esse inquirere quid per se conueniat causæ, sc. an per se & necessariò sit simul vel prior effectu, quid verò possit ei conuenire, etsi necessarium non sit. Deniq; loqui possumus de re quæ est causa, vel vt esse potest, aut quatenus est actu causa.

Expeditur quæstio quoad causam finalem.

III. Causa finalis non necessariò prius existit quam effectus.

INcipiẽdo igitur à causa finali, constat ex superioribus non semper requirere realem existentiam ad causandum: aliquando verò posse illam habere, quando, scilicet, finis non mouet vt fiat, sed vt acquiratur, vel accidentaliter perficiatur. Hinc ergo fit, aliquem finẽ, quantũ ad rem ipsam quę est finis, posse esse priorẽ in reali existẽtia suo effectu: id tamẽ nõ esse necessariũ: imò neq; ẽt vt finis actu causans simul tempore existat cum primo effectu suo: sed solùm cum vltimo: quia id, quod est primum in intentione, est vltimum in executione. Quod si obiicias, Aristotelem generaliter proferentem, *causam in actu esse simul cum effectu in actu.* Respondendum est illud esse cum porportione intelligendum de causa in actu secundum illud esse, quod est illi necessarium ad causandum,& quia in causa finali sufficit esse necessariò esse simul finis actu causans cum suo effectu, quia non potest actu mouere agens, nisi sit apprehensum.

IV. Prioritatẽ tamen naturæ habet ad effectum vt ab ipsa pendẽtẽ.

De prioritate autem naturæ nihil peculiare habet causa finalis, præter id quod commune est omni causæ, scilicet, quod quatenus ab ea pendet effectus: & ipsa non pendet ab effectu, sit prior natura illo: de qua prioritate naturæ quid sit & quomodo sit intelligenda, inferiùs dicemus latiùs. Et hæc sola prioritas naturæ per se conuenit causæ finali. Alij verò modi prioritatis naturæ, qui sunt vel prioritas perfectionis, vel in subsistendi consequentia, per se non requiruntur in causa finali: quomodo autem illi cõuenire possint, satis patet ex dictis, tum in sect. præc. de perfectione finis, tum in hac etiam assertione de eius reali existentia.

Resoluitur quæstio, quoad materialem causam.

V. SEcundo loco facilè etiam potest hæc res expediri in causa materiali: nam quoad prioritatem existentiæ, per se conuenit huic causę, vt non sit tempore posterior illo effectu quem causat. Et quoad hoc verum habet in illa pronunciatum illud; *Causa in actu simul est cum effectu in actu.* Et ratio est, quia non potest actu causare, nisi actu realiter existat, vt suprà probatum est, & ideò fieri non potest vt sit tempore posterior suo effectu. Non est autem de ratione huius causæ, vt res ipsa quæ causat ita sit simul tempore cũ suo effectu, vt nõ priùs ẽt extiterit: potest enim priùs tempore extitisse, quã talis effectus, non quidẽ actu causando illum, sed quoad ipsam entitatem absolutam talis causæ. Et hoc sensu verum habere potest in hac causa aliud pronunciatum Aristot. *Causa in potentia non est necessario simul cũ effectu, sed potest esse prior:* cõparatio enim fit inter ipsas res causæ & effectus in ordine ad actualem existentiam: non enim appellatur causa, quæ esse potest, seu quæ causare potest. Et hoc modo de illa dicitur, non semper esse simul in reali existẽtia cum effectu, sed posse esse priorem, quod manifestum est in hac causa; nam materia ligni, ex qua potest ignis generari, est causa in potentia ignis nondum geniti, & est prior tempore illo.

VI. Materia nequit omnes suos effectus duratione antecedere.

Addendum verò est, peculiare esse huic causæ, vt licet possit esse prior tempore, quocunque effectu suo signato, non tamen possit esse prior tempore omni effectu suo, collectiuè id intelligendo: quod maximè verum est in causa materiali substantiæ: tamen seruata proportione inuenietur etiam verum in materiali causa accidentium? Et ratio est, quia hæc causa talis est naturæ, vt in nullo momento possit actu existere; quin in actu etiam causet, quia nec materia potest esse naturaliter sine forma, nec substantia capax accidentium potest absque omni accidenti: atque ita semper datur aliquis effectus huius causæ æqualis illi in duratione: ergo respectu talis effectus non est prior tempore. Quod tamen id sit respectu huius determinati effectus, accidentarium est, potuisset enim talis materia sub alia priori forma fieri, atque ita tempore præcedere. Omitto materiam cœli, cui connaturale est, semper esse sub tali determinata forma, id enim prouenit ex peculiari ratione & connexione: nunc autem ex generali ratione loquimur.

VII. Quotmodis materia prior natura suo effectu.

Atque hinc facilè intelligitur, qua ratione materia prima sit prior natura suo effectu. Duobus enim modis potest dici prior natura, vel ex intrinseca ratione causandi, ratione cuius ab ea pendet effectus, ipsa verò ab effectu pendet. Quod erit intellectu facilius, si materia non pendet à forma, vt à priori, & vt à propria causa, vt superiùs tactum est, & iterum attingendum erit disputatione sequenti. Secundò dici potest prior natura ob subsistendi consequentiã: quod exponendũ est iuxta nuper dicta de prioritate in existendo. At verò, si priùs natura sumatur ratione perfectionis, sic hæc causa non est simpliciter prior natura, sed priùs posterior, quia est minùs perfecta quàm effectus eius. Atque hæc est communis sententia, quæ est clarissima, si comparatio fiat respectu totius compositi, quod est etiam effectus causæ materialis. Si verò comparatio fiat respectu formæ, eam ita interpretor, vt in substantiis intelligatur materia simpliciter posterior perfectione: secundum quid autem excellens, scilicet, in ratione subsistendi, seu modo per se essendi: in hoc enim excedit materia formam materialem, quæ est effectus eius, quia illam sustentat. Vnde talis forma quodammodo inhæret ipsi materiæ: materia verò, eò quod sit primum subiectum, nulli inhærere potest, sed per se esse debet, & in hoc dicimus excedere hanc causam hunc effectum suum, quod magis constabit ex dicendis infra de subsistentia creata. At verò in accidentibus e conuerso accidit; nam causa materialis est simpliciter perfectior effectu, qui est forma accidentalis, cùm causa ipsa sit substantia: tamen secundum quid, est minùs perfecta, quatenus cõparatur vt potentia passiua ad actum suum.

Quid de forma dicendum sit in præsenti quæstione.

VIII. Forma sæpe est tempore simul cũ suo effectu.

TErtiò dicendum est de forma, per se & ex natura sua nunquam esse priùs tempore suo effectu, neque etiam posteriùs, sed simul. Vnde in hac causa non habet locum, quod prior sit causa in potentia, quàm effectus, quia hæc causa non priùs tempore est actu ens, & potentia causa, quàm sit etiam actu causa, quia non priùs tempore existit, aut habet potentiam realem causandi, quàm actu causet, vt rectè docuit Aristoteles duodecimo Metapyhsicæ cap. 3. Et ratio est manifesta, maximè in his causis formalibus, quæ in suo esse pendent à materia, vt sunt omnes præter animam rationalem: nam huiusmodi formæ non possunt naturaliter existere, extra sua subiecta: ergo neque extra sua composita: ergo neq; possunt existere sine suo effectu. In anima verò rationali, quamuis non sit hęc necessitas dependentię, est tamen connaturalis proprietas talis rei, nam cum esse eius sit ad componẽdum compositum, natura sua postulat, vt non fiat, nisi quando actu est compositum ex illa componendum, & ita nunquam naturaliter est prior duratione suo effectu, quamuis possit postea durare cessante effectu: in quo habet genus quoddam prioritatis quoad subsistendi consequentiam, vt iam dicam.

IX. Quas prioritatis naturæ rationes

De prioritate autem naturę si sumatur quoad perfectionem, iam suprà facta est comparatio inter formam & compositum, & diximus formam esse minùs perfectam simpliciter, in quo sensu potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

sortiatur forma respectu sui effectus.

dici posterior natura suo effectu: respectu verò materiæ erit prior natura, si tamen materia dicenda est effectus formæ. Si verò prioritas naturæ sumatur in subsistendi consequentia, sic non oportet formam esse priorem aut posteriorem natura suo effectu, sed sed sunt simul, quia nec compositum esse potest sine forma, nec forma saltem naturaliter sine composito. Solam rationalem animam excipio, quæ licet aliqua ratione sit simul, quatenus esse nō potest, quin aliquando etiam sit homo, tamen simpliciter non conuertitur, quia aliquando potest existere anima, etiamsi homo non sit: & secundum eam rationem potest dici prior quoad subsistendi consequentiam.

X. Formane prior suo effectu in causalitate.

De prioritate autem naturæ, quæ per se sequitur rationem causæ, difficile est ad explicandum quomodo huic causæ conueniat ex propria ratione sua, omissa peculiari conditione animæ rationalis. Et ratio difficultatis est, quia videtur impossibile quòd forma sit priùs natura, quàm informet: ergo non potest esse prior natura, quàm effectus eius. Antecedens patet, quia non est priùs natura in se, quàm in subiecto: hoc enim est proprium formæ subsistentis: ergo non est priùs natura, quàm informet, & consequenter nec est prior natura, quàm compositum, quia simulac forma informat materiam, cōsurgit compositum. Respondent aliqui, formam priùs natura informare: non tamen priùs natura esse quàm compositum: nam esse priùs conuenit composito, & per illud formæ, qui à fortiori idem dicent de materia, Veruntamen hæc responsio nec difficultatem euacuat, nec veram doctrinam continet. Primùm enim Aristoteles non tantùm dixit causam priùs natura causare, sed etiā priùs natura esse, quàm eius effectū. Deinde, si forma priùs natura informat in hoc ipso includitur, vt priùs natura sit, tum quia esse est prædicatū transcēdens inclusum in quolibet p̄dicato reali: informare aūt, p̄dicatū reale est: tum etiam quia informare nihil aliud est quàm actuando dare proprium esse: ergo informare intrinsecè includit esse. Denique, si forma priùs natura informat, quàm compositum sit, ideò est quia esse compositi consurgit ex informatione formæ; sed etiam entitas compositi consurgit ex entitate formæ: ergo priùs natura est entitas formæ quam entitas compositi: ergo forma sicut priùs natura informat, ita priùs natura est.

XI. Aliter responderi potest, tria hîc interuenire, scilicet formam esse, formam informare, & compositum esse, seu (quod idem est) formatum, seu constitutum esse: quæ tria non solùm ratione, sed etiam ex natura rei aliquo modo distinguuntur, vt ex tractatis in superioribus constare potest. Formam ergo esse, & informare, priùs natura est, quàm compositum, quia comparantur quodammodo vt via & terminus, & vt fieri & factum esse. Atq; ita etiam in hoc genere causæ verum habet generale pronunciatum Aristotelis: *Causa est prior natura suo effectu.* Quod non solùm de re, quæ est causa in potentia, seu in actu primo, sed etiam de causa in actu secundo causante verum est: quia vt sic exercet actionem causæ, & ab ea pendet effectus, sicut etiam in causa agente explicabimus. Forma autem est actu causans, quatenus actu informat: ergo vt sic est prior natura cōposito, quod est effectus eius. Neque contra hoc procedit difficultas tacta, quia potiùs ex eo, quod compositum resultat ex informatione formę, sequitur informationem ipsam, & formam vt informantem esse priorem natura composito. At verò comparando alia duo inter se, scilicet, esse & informare, concedi potest neutrum esse prius natura altero in iis formis, quæ fiunt dependenter à subiecto: hoc enim videtur intendere, & satis probare difficultas tacta, quo concesso illi satisfit. Neque obstat illud principium, quod causa est prior natura: non enim dixit Aristoteles omnem causam priùs natura esse, quàm causet, sed dixit causam esse priorem natura suo effectu: potest autem hoc posteriùs esse verum, etiamsi prius non sit; nam ipsummet causare est prius natura effectu vt dixi. Nō videtur autem necessarium, vt causare sit posterius natura, quàm esse causæ: vbi ipsum causare non est propriè effectus ipsius esse causæ, sed est ipsummet esse communicatum seu vnitum subiecto: quæ vnio est effectus agentis, sicut ipsum esse formæ, simulq; fit cum existentia formæ.

XII. Hæc responsio quoad priorem partem de prioritate naturæ respectu compositi, vera est, & optimè satisfacit. Quoad alteram verò partem, licet probabilis sit: mihi tamen non omnino probatur, quia nō videtur posse negari, quin ipsamet causalitas formæ sit ab illa aliquo modo, sicut causalitas agentis est ab agente: vnde sicut agens non tantùm est prius natura suo effectu, sed etiam sua actione, diuerso tamen modo; nam quatenus actu agens, est prius natura effectu, non verò actione, quia per illam formaliter constituitur actu agens, tamen quatenus actu ens, est vt minimū prius natura sua actione: ita videtur forprius natura esse, quàm eius actualis causalitas, cùm hæc etiam ab illa causetur: ergo prius natura est, quàm informet. Vnde hæc causalitas est vera, quia forma est, ideò informat seu causat compositum: & hoc ipsum in superioribus dictum à nobis est. Concedamus ergo formam prius natura esse, quàm informet.

XIII. Ad difficultatem autem suprà positam dicendum est, etsi forma quæ natura sua pēdet à materia, priùs natura sit, quàm informet, non tamen priùs natura esse in se aut per se quàm in materia, sed præcisiuè tantùm (vt sic dicam) priùs natura esse, quàm tali modo sit, scilicet, informādo materiam. Quòd si inquiratur in illo priori naturæ qualiter sit, in se, vel in alio, respondetur in primis non rectè interrogari de illo priori naturæ, ac si esset aliquod instans, in quo forma sit, & non informet: hæc enim prioritas causalitatis non est explicāda per priùs in quo, sed à quo. Non enim alia ratione dicitur forma priùs natura esse, quàm informare, nisi quia informare aliquo modo manat ex esse: quamquam in re, in nullo signo etiam rationis intelligatur forma simpliciter esse priùs quàm materia informet. Si autem intellecta prioritate, ad interrogationem factam dicendum est in illo priori formam non esse in se nec in alio, sed tantùm esse per tale esse, quod intrinsecè postulat esse in alio; quā rem explicabimus latiùs disputatione sequente, tractando quomodo causę sint sibi inuicem causæ.

Tractatur quæstio in causa efficiente.

XIV. QVarto loco dicendum est, causam efficientem ex se posse esse priorem tempore suo effectu quantum ad suam entitatem absolutam, seu vim agendi, quam vocauit Aristoteles causam in potentia seu in actu primo, non tamen semper esse id necessarium: potest enim effectus huius causæ interdum esse æqualis illi in duratione, quod si talis causa sumatur in actu secundo, necessariò simul tempore est

est cum suo effectu, quamuis sit simpliciter & propriissimè prior natura. Probatur prima pars, primò inductione, nam Deus qui est prima causa efficiens rerum, per æternitatem priùs extitit, quàm quicquā effecerit, & in cœlis, & aliis causis secundis res est manifesta. Ratio verò est, quia hæc causa, per se loquendo, non indiget suo effectu vt sit, neque aliunde habet necessariam connexionem cum actione sua. Vnde si interdum est aliqua causa efficiens quæ non antecedat tempore suum effectum, id non est ex præcisa ratione talis causæ, sed ex aliqua peculiari conditione.

XV. Potest autem id tribus modis accidere (quo probamus secundam partem conclusionis) primò, si efficientia sit minùs propria per solam resultantiam naturalem: quomodo essentia non præcedit tempore passiones ex ea manantes. Secundò si causa sit naturaliter agens, & à primo instanti sui esse habeat omnia requisita ad agendum absque vllo impedimēto: quomodo lumen productum à Sole potest esse illi coæuum: tertiò si causa sit libera, & simul ac est, velit agere: quomodo angeli in primo instanti quo creati sunt, aliquid facere potuerunt: & Deus ab æterno potuisset aliquid creare si voluisset. In his autem omnibus modis supponendum est, effectum debere esse talem vt per indiuisibilem actionem fieri possit: nam si efficiendus sit successiuè, non poterit omnino simul esse cum sua causa; nisi alioqui supponatur etiam causa ipsa incipere & esse successiuè, seu ad modum successiuarum. Alioqui successiuus effectus necessariò incipit post aliquod instans, in quo iam supponitur causa existens, vel ex se vt Deus, vel per creationem aut generationem, saltem ex natura rei, & secluſis miraculis. Qua ratione motus cœli non potuit simul tempore esse cum suo motore, sed hic præcedere debuit saltem per instans. Dico autem secluſis miraculis, quia, si verum est potuisse Deum creare angelum per vltimum nō esse, etiam verum erit, talem angelum potuisse simul esse & mouere cœlum sed de hoc aliàs.

XVI. Tertia pars conclusionis, præter authoritatem Aristotelis est per se euidens, quia causa est in actu per actionem, actio verò non est sine termino: terminus verò actionis est effectus causæ agentis: ergo de primo ad vltimum causa agens in actu, non est sine suo effectu in actu. In hoc autem duo includuntur, vnum est non posse effectum actu manare à causa, quin causa ipsa simul existat, quod suprà probatum est contra aliquos qui dixerunt posse effectum actu manare à re iam non existente, neque in se, neque in aliqua virtute sua: quod est planè impossibile, & contra hoc Aristotelis dogma, quòd causa in actu & effectus in actu, debent esse simul. Dicitur autem effectus in actu, non ille qui actu est ens per actualem suam existentiam, sed ille qui actu est effectus, id est qui actu manat à causa: potest enim illa res actu esse, & non actu emanare, sed emanuisse, & tunc constat posse esse sine sua causa, quæ tunc sit, licet supponat eam fuisse, & causasse. Secundò includitur in illo pronunciato, causam non posse priùs tempore esse actu causam, quàm effectus actu sit, quia est actu causa, quatenus actu influit: non potest autem actu influere, nisi iam sit aliquid, in quod influat. Sed obseruandum est, ita effectum esse simul cum causa in actu, sicut ab illa manat: nam si manat totus simul per actionem momentaneam, erit simpliciter, & secundum totum suum esse, simul tempore cum sua causa in actu, quia in huiusmodi effectu (vt aiunt) simul est fieri, & factum esse: & consequenter simul etiam est causam agere, & effectum esse. At verò si effectus fiat successiuè, causa etiam erit in actu successiuè: & tunc effectus solùm in fieri, vel secundum aliquid sui erit simul cum causa in actu.

XVII. Solùm potest quis obiicere, Deum ex æternitate fuisse causam in actu non solùm primo, sed etiam, secundo modo, & tamen nullum fuisse effectum ex æternitate. Hæc verò obiectio solùm habet locum in eorum sententia qui ponunt totam actionem, qua Deus ad extra agit, esse in Deo immanentem & æternam. Iuxta quam respondendum erit, id esse peculiare in actione diuinæ voluntatis, quæ potens est non solùm ad influendum esse in effectum, sed etiam ad influendum pro eo tempore quo ipsa præscribit, & non antea, quamuis antea ipsa sit. Qui verò ita sentiunt, meliùs loquentur, si dicant illum actum immanentem seu volitionem Dei non constituere illum actu agentem ad extra, nisi prout actu influit: & vt sic connotare coexistentiam effectus.

B Nobis verò facilior est responsio: negamus enim Deum esse causam actu agentem ad extra per actum solùm in ipso manentem, sed per actionem extra transeuntem, quæ non est prior tempore quàm effectus.

XVIII. Vltima denique pars de prioritate naturæ constat primò ex generali sententia Aristotelis, quòd causa est prior natura suo effectu, quæ prioritas nihil aliud est quàm dependentia effectus à causa, & independentia causæ ab effectu: hæc autem dependentia ex parte effectus, & independentia ex parte causæ, maximè cernitur in causa efficiente, vt disputatione sequenti latiùs declarabimus. Et ideò dixi efficientem causam non solùm esse priorem natura, sed etiam maximè propriè hoc ei conuenire; quia & causa efficiens maximè requirit existentiam ad causandum, & secundum eam est omnino independens à suo effectu. Est autem circa hanc prioritatem naturæ considerandum, posse esse sermonem de causa efficiente, aut vt actu efficiens est, vel secundum se, seu prout est in actu primo proximè dispositа ad agendum. Rursus comparari potest vel ad proprium effectum,

C vel ad actionem seu causalitatem suam. Igitur comparatione effectus simpliciter est prior natura causa in actu etiam vt actu agens, quia actio ipsa est prior natura suo termino. At verò comparatione ipsius actionis non potest esse prior natura causa in actu secundo, vt bene notauit Soncin. 5. Metaph. quæst. 7. quia ipsa actione constituitur formaliter agens in actu secundo: ergo non potest esse prior natura eadem actione. Respectu igitur actionis solùm dici potest causa prior natura, quatenus considerатur in actu primo.

XIX. Dices. Hoc modo non solùm est prior natura, sed etiam tempore. Respondetur, si loquamur de causa in actu primo sufficiente, & non impedito, & cum omnibus requisitis ad agendum, non ita esse, nisi fortè in potentia libera, in qua id est speciale. Deinde dicitur, etiamsi prioritas temporis antecesserit, posse etiam prioritatem naturæ interuenire pro illomet instāti, in quo iam sunt simul duratione actio & causa agens: & ita etiam causa libera non solùm eo tempore quo non operatur, est prior sua actione, sed etiam pro illo instanti quo operatur, est etiam prior saltem natura: & ideò potest pro illomet libera esse, vt suprà diximus. Et ratio est, quia ipsa actio

manat

Universidad de Deusto
Biblioteca

manat ab actu primo, non tamen manat media actione, sed se ipsa; & ideò est posterior natura quàm causa in actu primo, non tamen quàm causa in actu secundo.

Satisfit argumentis in principio positis.

XX. Explicatur Aristotelicum axioma.

EX dictis soluta est ratio dubitandi in principio posita, & explicata propositio Aristotelis, *Causa in actu, & effectus in actu simul sunt.* Loquitur enim apertè de causa actu causante, & de effectu in actu in ratione effectus, vt explicuimus, & de simultate tẽporis, non naturę, vt ex contextu apertè cõstat. Vnde nil refert, quòd expressis verbis ibi non distinguat, tum quia res ipsa est satis perspicua, tum etiam quia in ipso contextu, vt dixi, satis declaratur: maximè cùm ipse Philosophus in Postprædicam. dicat ea simpliciter dici simul esse quę simul tẽpore sũt. Et eodem modo accipiendũ est, quod ibidem ait Aristoteles, causam in potentia non esse simul, scilicet tempore, cum suo effectu: vocat enim, vt dixi, causam in potentia, non ipsam rem, quæ est causa, vt in potentia existentem, sed rem actu existentem, & in potentia ad causandum: & de hac negat esse simul tempore cum effectu, non quia esse non possit, sed quia id necessarium non est.

XXI. Ad alia argumenta contra prioritatem naturę respondetur. Ad primum dicitur inprimis satis esse, quod Aristotel. in prædicamentis hunc modum prioritatis naturæ posuerit, nam in quintum Metaphysicæ, non videtur omnes modos Prioris alibi positos repetiuisse. Vel dici potest, hanc prioritatem naturæ comprehensam fuisse sub illa quæ est in subsistendi consequentia, nam causa in tantum dicitur prior natura suo effectu ratione causalitatis, in quantum id quod dependet, vt sic esse nõ potest sine eo, à quo pendet, in quo habet rationem posterioris; è contrariò verò id à quo aliud pendet, vt sic est independens ab illo, & ex vi huius independentiæ esse potest sine illo: quòd si fortasse aliunde pendeat, est per accidens ob aliam causalitatem. Atq; ita causalitas in tantum dicitur naturæ prioritas, in quantum virtute includit prioritatem in subsistendi consequentia, vel absolutè, vel saltem quantum est ex illo capite.

XXII. Ad vltimum de relatione, sæpè iam dixi in hoc tractatu de causis nihil nos curare de relationibus prędicamentalibus consequẽtibus causalitatem, nã siue illæ sint rei, siue rationis, sunt posteriores causalitate, & propriam habent considerationem & collocationem in prædicamento Ad aliquid. Non sumuntur ergo hic causa & effectus vt de formali dicere possunt relationes prędicamentales: quo sensu verum est esse simul non tantùm tempore, sed etiam natura, si sumantur vt relatio & actu terminus: sed est sermo de causa & effectu quantum ad actum causantis & causati; & ita non sunt simul natura, etiamsi transcendentalem habitudinem includant, quia hæc non requirit simultatem naturæ inter extrema, vt in multis aliis rebus per se notum est.

SECTIO III.

Vtrùm eiusdem effectus esse possint aut debeant plures causæ.

I. Exponitur quæstionis titulus.

SVb hoc titulo multa comprehenduntur, quæ oportet distinguere, & breuiter expedire. Potest enim esse sermo vel de causis diuersorum generum, vel de causis diuersi ordinis seu speciei in eodem genere, vel de causis eiusdem rationis & speciei in eodem genere. Rursus potest esse quæstio de causis totalibus in suo ordine, vel de partialibus: est autem causa totalis quæ præbet totum concursũ necessarium ad effectum in illo ordine: partialis verò è contrario dicitur, quæ per se sola non confert sufficientem, totumque necessarium concursum. Præterea aliud est quærere an plures causæ sint necessariæ ad effectum, in quo simul inquiritur tam connexio effectus cum causis, quàm connexio ipsarum causarum inter se in ordine ad causandum effectum: aliud verò est quærere an possint plures causæ ad eundem effectum causandum conuenire, esto necessarium non sit. Illud denique est considerandum, quando inquiritur de influxu plurium causarum in vnum & eundem effectum, non inquiri de vnitate effectus quoad relationem effectus, id est an talis effectus vno & eodẽ respectu referatur ad plures causas: hæc enim quæstio parui momenti est, & proprium locum habet in prædicamento relationis. Neque etiam inquiritur de vnitate seu identitate causalitatis plurium causarum in eundem effectum: sed inquiritur de ipso esse seu absoluta entitate effectus, an in illam possint vel debeant plures causæ influere, siue vnaquæque influat distincto influxu, siue non: id enim iudicandum erit ex modo causarum, & ex principiis suprà positis de causalitatibus singularum causarum, vt ex dicendis etiam facilè constabit.

Expeditur quæstio in causis genere diuersis.

II. PRincipio igitur de causis diuersorum generum certum est aliquos esse effectus, ad quos causæ omnium generum concurrere necessario debent, si sint propriè & per se effectus. Huiusmodi sunt inprimis omnes substantiæ naturales, de quarum ratione est vt ex forma & materia componantur, & ita iam ibi duæ causæ concurrunt: materia autem non potest per se esse, nisi ab aliquo fiat: neque etiam habet formam, nisi aliquod agens illam inducat: agens autem non inducit illam, nisi aliquem finem intendat, & ita necesse est vt aliæ etiam duæ causæ concurrant. Quo fit, vt idem causarum concursus necessarius sit tam ad materiam, quàm ad formam materialem, seu materiam informantem, non tamen eodem modo. Tum quia nec materia causat se ipsam: nec etiam forma. Tum etiam, quia aliter concurrit materia ad formam, quàm ad compositum, & è conuerso, & sic de aliis, vt ex superioribus satis constat. Idem causarum concursus proportionaliter necessarius est vt quodlibet accidens connaturali modo per se causetur, quia non fit nisi ex subiecto, ab aliquo efficiente, propter finem. Dixi autem, *si fit propriè & per se effectus*, quia in effectu contingenti, & per accidens, vt talis est, neque est causa finalis, neque propriè & per se efficiens: tamen ille vt sic nec est effectus per se, nec propriè est vnus effectus, sed aggregatio plurium, in quorum singulis prædictæ causæ inuenientur. At verò in solis substantiis simplicibus seu immaterialibus, duæ tantùm causæ concurrunt, scilicet efficiẽs & finalis, eo quod materialem non habeant, nec formalem habere possint; nisi fortasse formam Metaphysicam quis causam appellet: illam autem non esse propriè & physicè causam, suprà ostendimus.

III. Nullus effectus ab vnius causa pẽdet.

Ex his intelligitur primò, nullum esse effectum in rerum natura, qui vnicam tantùm habeat causam formaliter loquendo. Nam inprimis necessarium est, vt quidquid est causarum, habeat causam efficiẽtem, vt patet tum inductione facta, tum etiam, quia quod est causatum, non habeat esse à se: debet ergo habere datum ab alia causa extrinseca, causa autem, quæ realiter influit esse, vt causa extrinseca, est efficiens. Deinde, quia omne causatum habet causam finalem; nam hæc est prima causarum, quidquid autem habet causam finalem, habet etiam efficientem vt docuit Auerroes libro de substantia orbis, capite 2. quia finalis causa est cuius gratia agens operatur. Vnde suprà ostendimus, causalitatem finis primò ac per se exerceri circa aliquam actionem agentis. Et è conuerso causa etiam efficiens per se nihil operatur, nisi concurrente etiam fine propter quem operatur. hæ igitur duæ causæ vt minimum necessariæ sunt: habentq; inter se necessariam connexionem, eo modo, quo suprà declarauimus, quomodo omne genus operetur propter finem. Dixi autem *formaliter loquẽdo*, quia vbi contigerit efficiens & finem in eandem omnino rem coincidere, potuit quidẽ effectus realiter esse ab vna sola causa, prout exercente tamẽ duplicem rationem causandi, secũdum quam duæ causæ formaliter nuncupantur. Et eadem proportione qui numerant exemplar vt causam distinctam, dicent habere connexionem cum efficiente & fine, saltem ratione primi agentis, iuxta superiùs declarata.

IV. Dices, posse intelligi rem aliquam ex se esse propter alium finem, etiamsi non sit ab alio efficiente, ita vt adæquata ratio finis non sit esse id cuius gratia aliquid sit, sed cuius gratia vel fit, vel est. Sicque Aristotelem sensisse de quibus rebus quod habeant causam finalem, & non efficientem, existimant Gregorius & alij, de quare partim suprà diximus, partim infrà dicemus. Nunc quod ad rem præsentem spectat, impossibile in primis est, rem, quæ ex se est, esse propter aliud à se, nam quod à se est, propter se etiam est, quia tale ens est omnino perfectum, nec est cur habeat esse ordinatum ad aliud, si ex se illud habeat. Deinde, etiamsi fingeretur talis ordo, non esse per propriam causalitatem finis, respectu ipsius esse talis entis, quia tale esse esset ex se simpliciter necessariũ, cùm supponatur non indigere causa efficiente: ergo non pendet ab alio etiam vt à finali causa, quia alias illa ablata amitteret suum esse, quod repugnat enti simpliciter necessario. Vnde neq; in operari posset pendere ab alio vt à fine, quia quale est esse, tale est & operari. Igitur hæ duæ causæ vt minimum requirũtur ad quemlibet effectum.

V. Secundò sequitur ex dictis, nullum effectum habere causam materialem intrinsecam, qui non habeat omnes alias, neque etiam habere causam formalem intrinsecam, qui non habet cæteras, ac denique intrinsecam causam materialem, & formalem habere necessariam connexionem, non solùm inter se, sed etiam cum efficiente & fine. Hæc omnia sunt clara & certa ex dictis, quia materia & forma sub prædicta ratione habent inter se relationem, seu trãscendentalem habitudinem mutuam, quia nec materia causat intrinsecè nisi per complexum formæ, nec forma nisi per informationem materiæ, & ita non potest vna causare intrinsecè sine alia. Dico autem *intrinsecè*, quia quatenus materia causat ipsam formam non tam intrinsecè causat, & ideò vt sic non requirit formam vt concausantem seipsam, sed solùm vt causatam, & consequenter vt concausantem compositum. At verò quælibet ex his causis, & amba etiam simul habent connexionem eum efficiente, & consequenter etiam cum finali, quia tum materia, tum forma, tum etiam compositum ex ipsis est ens adeò imperfectum, vt non possit ex se habere esse, & ideò sicut neutra ex his causis est sine efficiente, ita neque causat sine efficiente: efficiens autem, vt sæpe dictum est per se non efficit sine concursu finis.

VI. Materialis & singulæ aliæ causæ cur totales appellentur.

Vltimò intelligitur ex dictis, quomodo hæ causæ dicantur totales, cùm tamen nulla earum per se sola sufficiat ad effectum. Sunt enim totales in suis generibus, quia vnaquæque in suo genere sufficit, & adhibet totam causalitatem in eo ordine necessariam, & quia vnaquæque habet suam causalitatem diuersæ rationis ab alia, & non componunt vnam integram causam: ideò vnaquæque absolutè existit totalis causa. Dices, saltem sequitur quamlibet ex his causis esse imperfectam in absoluta & communi ratione causæ, esto vnaquæque dicatur perfecta in suo genere. Patet sequela, quia quælibet earum est absolutè insufficiens ad affectum in rerum natura constituendum sine aliarum consortio. Consequens autem est falsum, aliàs etiam Deus in ratione causæ esset quid imperfectum. Respondetur primò, absolutè negando sequelam, propter instantiam de diuina causalitate. Secundò additur cõsequens est verum in omni alia causa præter Deum; vtriusque autem dicti rationem sic declaro. Nam inprimis causæ materialis & formalis imperfectæ simpliciter sunt, tum quia non causant, nisi componendo, qui modus ex suo genere imperfectus est, tum etiam, quia cum vtraque causet, veluti dando suammet entitatem ad entitatem effectus constituendam, neutra per se sola ad id satis est, quia vnaquæque habet entitatem imperfectam & incompletam, vt ex vtriusque coniunctione completa entitas totius effectus consurgat. Denique vnaquæque dat aliquid proprium, quod altera nullo modo potest conferre. His ergo rationibus vtraque est simpliciter imperfecta.

VII. Finalis causa & efficiẽs ex suo genere purè perfectæ.

Causa verò finalis, & efficiens, vt sic nullam dicunt imperfectionem, neque in modo causandi, neque ex eo, quod aliæ causæ cum illis interdum concurrant. In creaturis autem semper habent aliquas imperfectiones admistas: quoad modum quidem, quia vel operantur cum mutatione seu mutabilitate, vel propter suum commodum, vel aliquid huiusmodi. Quoad indigentiam verò aliarum causarum (quod ad rem præsentem spectat) quia omnis causa efficiens creata indiget materiali causa vt efficere possit, quod imperfectionis est, tum propter limitatum modum agendi, tum etiam quia ipsa materia quam supponunt, nullo modo est ab ipsis. Rursus indigent aliqua causa finali extra se; nam licet propter se operentur, tamen necesse est, vt etiam operentur propter aliud saltem vt vltimum finem. Et præterea indigent concursu superioris causæ in ratione efficientis superioris rationis. Ac simili proportione omnis finis creatus habet imperfectionem in causando, ob quam, & ob limitationem suam, indiget & alicuius efficientis distincti, & alicuius materiæ vel subiecti concursu, vt aliquem effectum habere possit.

VIII. At verò in Deo solo est causalitas sine imperfectione; nam inprimis absolutè non indiget concursu materiæ vel formæ ad efficiendum. Deinde quando hæ causæ sunt necessariæ in aliquo effectu, etiamsi fiat à Deo, non concurrit aliqua earum vt simpliciter

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter suppositа causalitati Dei, sed vt ab ipsomet facta & conseruata. Et præterea necessitas talium causarum non est ex defectu virtutis Dei: alioqui non daret Deus esse etiam ipsis causis, sed est ex intrinseca indigetia effectus, cuius natura est, vt ex talibus causis constet. Quo etiam fit, vt tales causæ, quatenus concurrunt ad effectũ Dei, magis cõcurrant vt effectus eius, quàm vt concausæ cum ipso. Adeò vt ipsæmet causalitates talium causarum exerceri non possint, nisi Deus illas efficiat. Rursus Deus ad causandum effectiuè ita indiget concomitantia causæ finalis, vt non indigeat fine à se distincto, quia ipse est finis vltimus omnium suarum actionum. Quod si interdum vult actionem suam ad alium finem proximum ordinare, & illud non est ex indigentia, sed ex perfectione & voluntate sua, & præterea talis finis proximus non posset esse finis, nisi à Deo reciperet perfectionem & bonitatem qua posset illud munus subire. Et similiter è contrario, vt Deus causet per modum finis, non indiget consortio alterius agentis, sed suæ virtutis. Vt omittam in illismet generibus finis & efficientis habere Deum summam independentiam. Ita ergo fit vt concursus plurium causarum ad vnum effectum non minuat perfectionem Dei in absoluta ratione causandi, etiamsi in inferioribus causis illud sit indicium imperfectæ virtutis.

Tractatur quæstio in causis eiusdem generis diuersis in specie.

IX. SEcundo loco dicendum est de pluribus causis eiusdem generis, diuersæ tamen rationis vel ordinis in tali genere. Et hoc poterit breuiter expediri, quia res est facillima. Dicendum est enim, in causa materiali & formali non posse hoc modo plures causas concurrere ad eundem effectum: in efficiente autem & finali, posse. Prima pars de materia probatur, quia materia non concurrit, nisi recipiendo formam: duæ autem materiæ diuersæ rationis, vel in essendo, vel in causando, non possunt ad eandem formam recipiendam concurrere, quia neque eadẽ forma potest in pluribus materiis recipi: quòd si plures materię plures formas recipiant, iam non ad vnum effectum concurrunt, sed ad plures.

Plures materiæ eiusdem effectus esse non possunt.

X. Dices, quamuis ratio facta concludat, respectu formarum substantialium, quæ à materia pendent, non tamen respectu animæ rationalis, quia plures materiæ concurrunt cũ eadẽ anima ad eundem hominem componendum, vel simul ratione diuersarum partium, vel successiuè ob continuam mutationem materiæ. Respõdetur ob partium diuersitatem non esse propriè plures materias, sed vnam adæquatam, constantem ex pluribus partibus, præsertim cùm neque illę partes possint eadem anima informari, nisi sint inter se aliquo modo vnitæ & coniunctæ ad componendum vnum adæquatum susceptiuum. Addo præterea, quatenus plures illæ materiæ partiales ad vnum effectum concurrunt, eatenus ipsummet effectum esse multiplicem & variarum secundum partes. Vnde ad alteram partem de successiua mutatione materiæ respondetur, illum effectum esse quidem vnum ratione animæ, tamen ex ea parte qua variatur materia, etiam effectum aliquo modo variari, vt suprà disputatione quinta tractatum est.

XI. Dices rursus, quamuis in substantiali effectu, verum hoc sit, non tamen in accidentali. Et ratio differentiæ est, quia causa materialis proxima formæ substantialis, non habet aliam in qua fundetur, quia est ipsa primum subiectum, & ideò tantùm potest esse vnica causa materialis vnius formę, & vnius compositi: at verò forma accidentalis potest immediatè habere aliquam materialem causam, quæ indigeat alia materia in qua sustentetur, quia, vt suprà diximus potest accidens immediatè inhærere accidenti. Sic ergo poterit idem accidens habere duas causas materiales, vnam proximam, & aliam remotam, vt eadem intellectio, verbi gratia, causatur materialiter à subiecto in quo recipitur, & à substantia animæ. Respondetur primò, illud remotum subiectum non propriè concurrere per se ad vltimum actum, sed solùm sustentando illud accidens cui aliud inhæret, & ita est suprà posita assertio declarãda aut limitanda de causa materiali immediata, ac per se. Quod, si quis velit defendere idem accidens, verbi gratia, eundem actum vitalem, immediatè afficere vtrumque subiectum, proximum, & radicale, necesse est, vt dicat, illa duo tunc concurrere per modum vnius adęquati susceptiui, & singula tantùm partialiter cõcurrere: conclusionem autem intelligendam esse de causis totalibus.

XII. Plures formæ eiusdem effectus, nec diuersarum rationum, nec inter se subordinatæ, non possunt ad eundem effectum concurrere.

Iam de causa formali euidentior est assertio posita, quia plures formæ non possunt ad eundem effectum constituendum conuenire. Nam quod ad formas substantiales attinet, suprà ostensum est non posse esse plures simul in eadem materia, quamuis autem successiuè sint, non componunt cum illa eũdem effectum, sed diuersos, quia diuersa esse formaliter tribuunt. Vnde licet potentia absoluta simul essent plures formæ in eadem materia, non concurrerent ad vnum effectum, sed vnaquæque suam speciem, & suum effectum constitueret. Quod verò spectat ad formas accidentales, quamuis plures possint simul in eodem subiecto esse, non tamen ad eundem effectum concurrere, sed vnaquæque suum proprium ac distinctum habet effectum. Nec refert, quod interdum compositum ex talibus formis denominatur aliquo modo vnum, vt vnus artifex, etiamsi habeat plures artes specie distinctas: nam illa denominatio singularis sumitur ex vnitate subiecti subsistentis in illis formis: vnde formaliter non cadit in effectum talium formarum, ille enim re vera non est vnus sed cadit in ipsum suppositum, quatenus vnum & idem omnibus illis formis seu accidentibus substat. Denique, si aliquando fortè plures formæ, vel accidentales, vel etiam substantiales, dicuntur concurrere ad vnum quid constituendum, id non efficient vt formæ totales, sed vt partiales vt forma sanguinis, carnis, & ossis ad constituendum animal, & calor, figura, &c. ad constituendum rem pulchram, vel si quid est aliud simile. Semper itaque tales formæ concurrunt vt componentes vnam, neque est maior vnitas in effectu, quàm sit proportionaliter in forma: nunquam ergo plures causæ formales ad eundem effectum concurrunt.

XIII. At verò in efficientibus & finibus, si sint diuersarum rationum, & inter se subordinata, res est manifesta ex iis, quæ de his causis differuimus. Nam possunt plures causæ huiusmodi ad eundem effectum concurrere, & quando effectus est à causa creata, semper id est necessarium propter dependentiam causæ particularis ab vniuersali.

SECTIO IIII.

An possit idem effectus esse simul à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & speciei.

I. REstat ergo dicendum de tertio puncto, qui est præcipuè intentus in hac sectione, scilicet de pluribus causis eiusdem generis, & speciei seu ordinis in illo genere. Et, vt ad punctum difficultatis statim accedamus, excludendæ sunt causæ intrinsecæ materialis & formalis, nam in eis locum non habet hæc quæstio vt à fortiori patet ex dictis in secundo puncto præcedentis sectionis. Habet ergo locum quæstio in efficientibus, & est ferè eadem ratio de finibus, vt in fine subiiciemus: idemque ostendemus dicendum esse de qualibet causa quatenus fuerit extrinseca. Rursus difficultas est de causis totalibus in suo ordine: nam de partialibus nulla est difficultas, quia constat multos effectus naturales esse à pluribus efficientibus proximis partialibus, vt idem filius à patre & matre, supponẽdo matrem effectiuè concurrere: & idem lumen aut calor à multis lucernis vel ignibus, & sic de aliis. Et ratio est, quia quando causæ tantùm sunt partiales, ex omnibus consurgit vna tantùm totalis & sufficiens, ergo nihil obstat quo minùs plures causæ illo modo concurrant, quia ille nõ tam sunt plures causæ, quã plures partes vnius causæ. Neque enim necesse est vt causa totalis ita sit vna, vt vel sit simplex, aut per se ac propriè composita per realem vnionem causarum partialium, sed sufficit vt coalescat ex pluribus sese iuuantibus ad agendum, & sufficienter coniunctis vel approximatis vt suo partiali modo influere possint. Itaque in hac parte nulla est difficultas.

II. De causis verò totalibus duplex adhuc quæstio versatur. Vna est, an simul & coniunctim possit idẽ effectus à pluribus causis prodire. Altera est, an saltem successiuè vel diuisim possit idem effectus à variis causis fieri, id est an qui fit ab vna, fieret idem numero ab alia, si eidem materiæ eodem tempore applicaretur. Priùs dicemus de priori quæstione, & deinde de posteriori.

Prima sententia negans omnino hoc esse possibile.

III. ESt ergo prima sententia docens tam esse impossibile plures causas simul concurrere eo modo ad eundem effectum, vt implicet contradictionem, ideoq; nec de potentia absoluta fieri posse. Ita opinatur Scotus in 3. d. quęstione secunda & in 2. distinctione 20. quæstione secunda. Et idem sentiunt multi Thomistæ, qui dum dicunt hoc esse impossibile, probationem adiungunt inferendo implicationem contradictionis: ita Caiet. 3. par. quæstione 67. articulo 6. prope finem. Soncin. 5. Metaph. q. 6. & Capreol. in 2. d. 20. quæstione vnica, articulo 3. ad argumenta Scoti contra 3. conclus. & in tertiũ distinctione 1. q. 1. art. 3. ad argumenta Scoti cont. 2. cõcl. & Ferrar. 3. cont. Gent. c. 68. & Iauell. 5. Metaph. q. 7. Soleq; hæc opinio in hoc sensu tribuit D. Th. quia interdũ absolutè dicit hoc esse impossibile, vt in 1. p. q. 52. art. 3. & 3. p. q. 82. art. 2. ad 2. & in 1. d. 37. q. 3. art. 3. & 5. Metaph. c. 2. & idẽ sentit Marsil. 1. de Gen. q. 8. Et nõ dubito quin hęc fuerit illorũ Philosophorum sententia, qui putarũt id esse simpliciter impossibile, quod per naturales causas fieri non potest: de quo statim dicemus.

Scotus.

Caietan. Soncin.

Ferrar.

IIII. Fundamentum propositæ sententiæ. A Fundatur autem hæc sententia primò, quia cõtra rationem causę totalis est, vt habeat cõsortiũ alterius in eodem ordine, nã causa totalis est illa, quę agit tota virtute necessaria in illo ordine ad talẽ effectum: ergo repugnat causæ totali vt sic, habere consortiũ alterius causæ similis in effectione eiusdem effectus. Patet consequentia, quia hoc ipso quod habet aliam causam concurrentem, iam ipsa non adhibet totam virtutem necessariam. Vel certè si ipsa adhibet totã virtutẽ, & nihilominùs alia etiam suã exhibet, plus virtutis actu applicatur ad illũ effectum: ergo prodibit etiam maior effectus, & cõsequẽter fiet ab illis vt à causis partialibus, & à neutra vt totali. Manifestã enim repugnantiam inuoluere videtur, vt causa potentior, secundum totam virtutem actu operetur, & tamen nõ plus operetur quã si sola causa minùs potens efficeret. Et cõfirmatur secũdo in hunc modũ, nam si vna causa efficit effectum vt causa totalis: ergo vel alia nihil agit, & sic falsò dicitur esse causa, vel actum agit, & hoc est impossibile, quia agere est de non esse educere ad esse, nam teste Aristotele, inter hos terminus fit omnis actio: sed id quod actum est ab vna causa, iam est extra non esse: ergo nõ potest fieri ab alia. Tertiò confirmatur hoc ipsum, quia aliàs posset vna causa totalis non tantum simul & eodem instanti, sed etiam in posteriori tempore producere rem priùs iam ab alia productam, quod est contra rationem productionis, vt diximus. Vnde vlteriùs fieret vt eadem res producere posset se ipsam, quia si non posset, maximè quia ad agendum supponitur esse, sed etiam si res iam sit, potest ab alia causa iterum produci: ergo & à se.

B

V. Quartò. Impossibile est eãdem actionem esse à duabus causis totalibus, ergo & eundem effectum. Patet consequentia, tum à paritate rationis, tum etiam quia vnus effectus non potest nisi vna actione fieri. Antecedens verò probatur, quia actio omnino essentialiter pendet ab agente: non potest ergo vna & eadem actio simul à pluribus agentibus, & à singulis totaliter dependere. Vnde est quinta & vulgaris ratio, quia aliàs sequitur talem effectum pẽdere, & non pendere essentialiter ab illis causis, quæ est contradictio. Sequela patet, nam quod pendeat, in eo ipso asseritur, quod vtraque illarum dicitur esse causa per se & totalis, namcausa per se est à qua per se pendet effectus, & totalis est à qua totaliter pendet. Quòd verò non pendeat, probatur, nam si hæc tollatur, nihilominùs remanebit effectus ex influxu alterius, cùm dicatur esse causa totalis: ergo nõ pendet ab hac. Rursus si hæc maneat, quamuis destruatur altera, manebit effectus: ergo etiam non pendet ab altera: ergo à neutra pendet. Quod si dicatur pẽdere ab alterutra cõfusè aut disiunctim: ergo de facto neutra earum determinatè & per se sumpta, est causa totalis, quia à neutra earum determinatè sumpta pẽdet effectus. Sextò tandem argumentor, quia si talium causarum concursus absolutè non repugnat, nec naturaliter repugnabit, quod hæc opinio supponit esse omnino falsum.

C

Secunda sententia affirmans etiam naturaliter.

XI. SEcunda opinio extremè contraria esse potest, nec implicare contradictionem, nec, per se loquendo, ex natura rei repugnare, duas causas totales eiusdem ordinis simul efficere eũdem effectum. Dico *per se loquendo*, quia fortasse ex parte antece-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dentium conditionum necessariarum ad agendum, non possunt secundum naturæ ordinem duæ causæ ita applicari, vt simul ac totaliter eundem effectū efficiant: tamen per se & ex vi causalitatis etiam naturalis non repugnat. Nam si duo agentia ita applicentur alicui passo prout necessarium est vt singula possint aliquem effectum totaliter efficere, ambo etiam simul & eodem modo illum efficient. Atque hanc sententiam, vt videtur, tenet Caietan. 1. p. q. 52. art. 3. vbi licet interpretetur D. Thomam, dicentem nō posse vnum effectum esse à duabus causis totalibus, intelligendum esse non de potentia logica, sed naturali, tamen in discursu ita explicat vt illam naturalem repugnantiam solum ponat in applicatione causarum: at verò ex hypothesi quòd causæ sint applicatæ, apertè docet effectum naturaliter simul emanaturum ab illis vt à causis totalibus.

Caietanus.

VII. Fundamentum propositæ sententiæ.

Potest autem fundari hęc opinio in vltimo argumento facto pro priori sententia, sumendo contrarium principium hoc modo. Non implicat contradictionem dari duas causas totales vnius effectus: ergo si duo ignes verbi gratia eidem materiæ B eodem modo dispositæ æquè applicarentur, naturaliter agerent quantum possent: ergo agerent vnū & eundem effectum, quia supponimus eandem materiam non esse simul capacem plurium: tunc autem vnusquisque ageret vt causa totalis, quia supponimus vnumquemque habere sufficiens principium ad totum illum effectum efficiendum, & vterque naturaliter ageret quantum posset: ergo vterque produceret totum effectum vt causa totalis eius, cùm aliunde nulla sit adiuncta repugnantia. Et confirmatur, nam tunc vel vterque ignis ageret, vel neuter, quia non est maior ratio de vno quàm de alio, non potest autem dici quod neuter ageret, quia nihil est quod eos impediat, cum enim sint in virtute similes, vnus non impedit alium: supponimus autem nullum aliud impedimentum interuenire: ergo agit vterque, & tota virtute, atque adeò vt causa totalis.

VIII. Atque hinc vlteriùs concludi potest non solum in prædicto sensu, sed absolutè posse naturaliter cōtingere vt idem effectus à duabus causis totalibus procedat, quia illa suppositio, scilicet quod duo agē- C tia sufficientia simul & æquè ad eundem effectum applicentur non est cur naturaliter repugnet: Caietanus enim nullam aliam rationem adducit, nisi quia natura abhorret superfluitatem. At hoc non satis est, primò quia licet natura abhorreat superfluitatem, non tamen abundantiam, nec semper dicendum est superfluum, quod simpliciter non est necessarium. Esset quidem superfluum duas causas exigere vbi vna sufficit: tamen quod natura fuerit tam prouida vt pluribus causis sufficientem virtutē ad eundem effectum contulerit, non superfluum, sed liberale potiùs dicendum est. Quod verò illæ duæ causæ simul concurrant, licet non fuerit à natura per se primò intentum, potest tamen esse permissum & contingens, cùm nihil habeat naturis rerum repugnans. Secundò magis abhorret natura monstrosum effectum, quam superfluitatem, & tamen illum interdum non recusat, si ordo & concurrentia naturalium causarum illum pariat: cur ergo idem dici non poterit de totalium causarum multitudine? Tertiò quamuis natura adeò abhorreat superfluitatem, tamen causa libera non semper illā abhorret: ergo duo Angeli possunt pro sua voluntate applicare totam virtutem ad mouendum lapidem, & tunc vnusquisque mouebit vt causa totalis. Idem dici potest de duobus hominibus, si vnusquisque habeat totam virtutem sufficientem ad portandum lapidem, & ambo simul pro suo arbitrio illam totam applicent. Atque hæc sententia tribui solet Ochamo & Adamo, quos Capreolus in tertia distinctione 1. refert ex 1. d. 1. dub. 4. sed ibi nihil reperio, & allegatio est ambigua, quia ibi nullum est dubium quartum, sed varię quęstiones, & nec in quarto, nec in aliis quicquam dicunt.

Approbatio tertiæ sententiæ, & quæstionis resolutio.

IX. INter has sententias mediam viam tenendam cēseo: dicendum primò non implicare contradictionem quòd idem effectus à duabus causis totalibus proueniat. Quoad hanc partem placet opinio Caietani, quam etiam insinuat 3. parte quæstione 3. articulo sexto. Nec melius probari potest, quàm respondendo ad priora argumenta, nam si nihil est quod contradictionem probat, non erit cur credatur aut asseratur. E contrario verò, cùm Deus possit facere omne id in quo repugnantia non ostenditur, poterit etiam facere vt duæ causæ totales eundem effectum efficiant. Et declaratur breuiter in hunc modum, nam Deus potest existente hoc Sole in hoc hemisphærio creare alium æquè perfectum, & æquè ad illuminandum applicatum. Rursus posset per alium Solem efficere in aere idem numero lumen, quod nunc facit hic Sol præsens diuisim, seu non concurrente nec assistente hoc Sole: quæ est enim repugnantia quòd Deus per vnam causam faciat quod potest facere per aliam? Quin potiùs sequēti puncto ostendam naturaliter etiam hoc posse fieri. Igitur simul existentibus & applicatis his duobus luminosis, potest Deus vtrique præbere totum concursum necessarium ad idem lumen producendum, & facere vt vnumquodque illorum illud producat sua propria actione totali & independente ab alia, quod est esse propriè causam totalem: nulla enim in hoc interuenit repugnantia, vt ex argumentorum solutionibus facilè patebit.

X Quid sit ratione causæ totalis.

C Ad primum negatur assumptum, scilicet esse cōtra rationem causæ totalis vt habeat aliam similem & æquè influentem in eundem effectum. Nam licet vt causa sit totalis, necessarium sit, quòd actu operetur tota virtute necessaria in illo ordine ad effectum, tamen in hoc non tollitur aut impeditur ex eo, quòd alia causa simili virtute & actione agat, sed vtraque exercebit totam suam vim & actionem circa illum effectum. Cùm verò infertur iam tunc maiorem vim actu adhiberi, & consequēter crescere effectum, distinctione vtendum est de maiori virtute, aut intensiua, aut extensiua. Et de intensiua negandum est assumptum, quia plura agentia æqualia in intensiua virtute, per se loquendo, non componunt vnum intensioris virtutis aut efficaciæ, sed solum conferre potest illa multitudo ad intensiorem effectum quando neutrum agens agere poterat secundum totam intensionem ob aliquod impedimentum, vt in superioribus latè tractatum est. In præsenti autem supponimus singula agentia agere secundum totam intensionem sibi possibilem: vel certè Deum non præbere concursum ad intensiorem effectum, sed vsque ad certum gradum, qui possit à singulis fieri,

fieri, & vnicuique dare totum necessarium concur- A sum. Non ergo crescit intensiuè virtus agens vt sic, & ideò necesse non est vt intensiuè crescat effectus. Dici tamen potest illa virtus maior extensiuè, quod non tam est esse maiorem, quàm esse plures virtutes. non tamen inde necessariò sit, vt effectus etiam sint plures, quia saltem ex directione primi agentis potest influxus vtriusq; causæ secundæ ad eundem effectum determinari, cùm nulla in hoc sit repugnantia ex vi multitudinis seu pluralitatis virtutum agētium: nam sicut plures viæ tendunt ad eundem terminum, ita & plures virtutes agentes tendere possunt.

XVI. Modus quē seruarent plures causæ eiusdem ordinis ad eōdem effectū cōcurrentes.

Ad secundum & tertium respondetur, quando duæ causæ totales sic agerent eundem effectum, vnam quidem agere totum, & totali actione, & alteram nō agere nihil, sed agere illū eundē totum effectum alia totali actione. Duobus autem modis intelligi possunt illæ causæ efficere: primo vt omnino simul & in eodem instanti efficere incipiant, & ita neutra, propriè loquēdo, actum agit, quia neutra agit priùs quam alia, nec tempore nec natura. Supponimus enim esse æquales nec inter se subordinatas, B sed merè cōcomitāter se habentes: neutra ergo supponit effectum alterius vt iam factum, vel tempore vel natura priùs: neutra ergo actum agit, sed vtraq; agit idem quod agit alia, educendo illud de non esse ad esse: & hoc satis erat ad conclusionem nostram. Alio vero modo intelligi potest vt altera harum causarum priùs tempore produxerit illum effectum, & postea altera eundem incipiat efficere actione totali. Et quidem si prior iam cessauit ab actione sua, nihil est difficultatis, nec est casus de quo disputamus, quia illæ duæ causæ non concurrunt simul ad eundem effectum, sed successiuè, prior vt efficiens, & posterior vt conseruans: quod etiam naturaliter euenire posse infrà dicam. Oportet ergo ponere vt priori agente durante in sua actione totali per modum conseruationis, aliud incipiat eundem effectū efficere: & hoc etiam dicimus non repugnare. Nam efficere, latiùs patet, quàm de nouo producere, quia etiam conseruare est efficere. Illud ergo agens posset de nouo efficere eundem effectum conseruando illum: quæ actio, licet potuisset esse productio, ta- C men iam tunc in eo casu non potest eam denominationem recipere, quia productio vt sic connotat ex parte effectus quādam negationē prioris existētiæ. Quamuis ergo repugnet actum agere, id est de nouo producere id quod præexistit, non tamen repugnat, quod factum est conseruare. Nec etiam obstat, quod ab alia causa conseruetur, quia sicut in principio potuit à duobus fieri, ita posteà potest à duobus conseruari, quamuis priùs ab vno tantùm fuerit productum.

XVII. Idem in sua substantiā efficientiam participare potest supernaturaliter.

Quòd verò vlteriùs in tertio argumento infertur, posse eandem rem habere efficientiam in se ipsam, mea sententia nullum est inconueniens de potentia absoluta loquendo, & de efficientia conseruatiua, dummodo supponatur iam res producta & conseruata per aliam actionem: de qua re latiùs scripsi in tertio tomo 3. part. disputatione quadragesima nona sectione prima, & disputatione quinquagesima sectione quarta in fine, quia miraculum illud proprium est illius mysterij, ideoq; ad Theologicam disputationem spectat. Ne verò præsens resolutio videatur necessariò connexa cum illa sententia, responderi aliter potest negando sequelam, quia in efficientia sui ipsius est peculiaris difficultas,

quæ nō est in efficientia alterius, etiamsi ab alia causa res simul fiat & conseruetur. Quia causa efficiens videtur necessariò postulare distinctionem in re ab effectu; & ideò nulla res quatenus actiua est, includit se ipsam sub obiecto actiuitatis suæ: & ideò fortasse fieri non potest vt habeat actionem in se ipsam secundum proprium esse suum: duæ autem virtutes actiuæ possunt claudere sub obiecto suæ actiuitatis vnam & eandem rem ab ipsis distinctam, vt paulò inferiùs declarabimus. Et ex hac parte potest esse maior repugnantia in efficientia conseruatiua sui ipsius, quam alterius rei, quamuis non sit cōuincens: nam licet illud assumptum sit verum de obiecto contento sub virtute naturali, non tamen de omni re, ad quam efficiendam eleuari res potest per potentiam obedientialem: sed de hoc aliàs.

XVIII. In quarta ratione petitur an effectus factus à duabus causis totalibus, fieri possit aut debeat vna vel duabus actionibus. Dicendumque est, necessarium esse vt fiat duabus actionibus, vt rectè probat argumentum ibi factum. Imò addo, in hoc potissimum consistere differentiam inter duas causas eiusdem ordinis, quando agunt vt causæ totales, vel vt partiales: si enim agunt vna actione, non possunt esse causæ totales, sed tantùm partiales. Quod probo, quia causa non dicitur totalis propter virtutem in actu primo, quamuis illa sit integra & totalis virtus, quia ex vi illius non constituitur causa in actu, sed in potentia: hìc autem non agimus de causa totali in potentia, sed in actu. Constituitur autem causa in actu per actualem influxum, qui non est aliud quàm ipsa actio: ergo vt causa sit totalis, oportet vt actione totali sibi propria in suo genere influat in effectum: ergo quoties actio est quasi diuisa inter duas causas eiusdem ordinis, à neutra earum est totaliter seu vt à causa totali: atque ita vtraque tantùm erit causa partialis, partialitate ex parte causæ, vt aiunt.

XIX. Dices. Hac ratione probaretur etiam causam primam & secundam esse partiales, dum influunt in eundem effectum. Respondetur ita loqui multos, vt suprà diximus, considerantes non genus causalitatis, sed causalitatem simpliciter: meliùs tamen negatur sequela, est enim ratio longè diuersa, nam inter causam primam & secundam est subordinatio & dependentia essentialis & consequenter diuersus ordo causarum: & ideò vnaquæque potest esse totalis in suo ordine, etiamsi per eandem actionem cum altera influat. At verò quando duæ causæ sunt eiusdem ordinis, si concomitanter tantùm concurrunt, & per eandem actionem influunt, nec simpliciter, nec in illo genere possunt dici totales: erunt ergo partiales. Igitur si huiusmodi causæ debent esse totales, oportet vt diuersis actionibus influant in eundem effectum: repugnatque vt vna & eadem actio sit à duabus causis eiusdem ordinis vt à causis totalibus, quod etiam conuincit quintum argumentum suprà factum, vt ex solutione eius constabit. Nego tamen esse parem rationem de effectu seu termino actionis, nā effectus manat à causa, media actione: potestque idem numero effectus per varias actiones fieri, vt suprà declarauimus tractando de causalitate causæ efficientis: cùm ergo variæ actiones possint à diuersis agentibus prodire, etiam potest idem effectus numero per plures actiones distinctas & totales procedere à diuersis causis eiusdem ordinis: & hoc ipsum est procedere

Universidad de Deusto
Biblioteca

Actionem vnicam à pluribus agentibus totalib. non subordinatis manare implicat.

ab illis vt à causis totalibus. Actio verò nõ procedit à causa per aliam actionem, sed se ipsa, & ideò non potest vna actio nisi ab vno agente, vel à pluribus per modum vnius procedere: & ideò non potest simul esse à multis causis vt totalibus in eodem ordine, quod magis declarabitur in sequenti solutione.

XX.

Ad quintum ergo argumentum respondetur negando sequelam, & contradictionem illam, cuius partem affirmantem admittimus, nimirum illum effectum pendere ab illis causis, & ab vnaquaque earum. Cùm autem probatur non pendere, quia ablata qualibet illarum causarum manet idem effectus totus, respondetur negando consequentiam. Est enim æquiuocatio in illo verbo *dependere*, nam vt vna res ab alia pendeat, non est necesse, vt illa ablata, hæc etiam de medio auferatur, sed satis est quod ab illa recipiat esse, etiamsi illa non dante esse, possit retinere esse vt datum ab alia. Sic enim lumen huius aeris verè pendet nunc ab hac lucerna, & nihilominùs hac extincta posset idem lumen conseruari, si in eodem momento aliud luminosum applicaretur sufficiens ad tale lumen conseruandum. Igitur cùm res dicitur pendere à causa, quia illa ablata tollitur, intelligitur de causa quæ est vnica: & quia regulariter & naturaliter ita esse solet causa totalis ideò solet illo modo declarari dependentia ab illa. Vel certè subintelligenda ibi est conditio, nimirum ablata causa, à qua effectus pendet, tolli etiam effectũ, nisi aliunde succurrat alia causa quæ effectum possit in esse conseruare, vt in præsenti fit.

XXI. Ablato agẽte dependẽtiã effectus ab illo auferri necesse est.

Rectè autem ac necessariò sequitur, vt ablata causa auferatur aliqua dependentia effectus ab illa, ratione cuius auferretur etiam effectus, nisi ab alia causa conseruaretur. Probatur, nam omnis effectus quatenus à causa est, pendet ab illa; solum autem potest pendere quamdiu causa est, quia ab eo quod non est, nihil pendet. præsertim efficienter, vt in superioribus ostensum est: ergo ablata causa à qua effectus efficienter procedebat, necesse est vt tollatur aliqua dependẽtia talis effectus à tali causa. Hæc autem dependentia non est aliud ab actione, vt suprà etiam probatum est: ergo etiam necesse est vt ablata causa auferatur aliqua actio eius circa talem effectum: non tamen necesse est auferri ipsum effectum, quia alia causa sufficiens per aliam actionem propriam & totalem illum in esse continet. Et hinc confirmatur quod antea dicebamus, quamuis effectus sit vnus, si causæ sint plures & totales eiusdem ordinis, necessarium esse vt actiones sint plures, quia cessante influxu vnius causæ, ex necessitate tollitur eius actio, quia tollitur dependentia ab illa, & nihilominùs manere potest actio alterius causæ, quia cũ totalis sit, & non sit subordinata alteri, conseruare potest actionem suam, etiamsi alia cesset ab agendo: ergo necesse est actiones esse distinctas.

Secunda assertio.

XXII. Naturaliter nequit idem effectus à pluribus nõ subordinatis agentib. totaliter dimanare.

SExtum argumentum postulat vt de secũda sententia iudicium feramus. Dico ergo secundò, fieri non posse naturaliter, vt idem effectus à pluribus causis totalibus simul efficiatur. In hac conclusione ferè conueniunt Philosophi: eamque significauit Aristoteles quinto Metaph. capite secundo: dicens enim posse dari plures causas eiusdem effectus, addidit, *sed non eodem modo*, vt notarũt Diuus Thomas, & cæteri interpretes. Qui omnes non solum intelligunt hoc non posse fieri naturaliter, quia applicatio plurium agentium per se sufficientium naturaliter fieri non potest: hoc enim & incertum est, vt argumenta tangunt, & valde remotum & accidentarium: sed intelligunt, etiam facta applicatione plurium agentium ex se sufficientium (siue illa applicatio naturaliter contingat, siue ponatur supernaturaliter fieri) dummodo illa agentia relinquantur naturæ suæ, non efficient effectum vt causæ totales, sed vt partiales tantùm.

XXIII. Varię rationes secundæ assertionis.

Ratio autem huius conclusionis sic intellectæ nõ est admodum facilis. Quidam rationem reuocant ad aliud principium, scilicet, quod nulla causa naturalis potest naturaliter efficere aliquem effectum eundem numero quem potest alia. Ex quo principio ita philosophandum est. In primis enim dicendum est, illas duas causas æquè applicatas non posse vnum & eundem effectum simul producere, ita vt vtraque illum faciat vt causa totalis, quia hoc ipso quod continetur in virtute vnius, non continetur in virtute alterius. Atque ita fit, vt si aliqua earum sola virtute sua efficit effectum quem continet, alia nihil efficiat, tamen id solum continget quando vna priùs tempore applicatur quàm alia: tunc enim posterior nihil efficiet, quia iam inuenit capacitatem passi impletam. At verò quando ambæ simul applicantur, non potest rationaliter dici vnam efficere proprium effectum sibi adæquatum, & aliam nihil causare, cùm non sit maior ratio de vna quam de alia. Nisi forte quis recurrat ad concursum & voluntatem primæ causæ, & dicat necessarium esse alteram tantùm operari, & ideò Deum sua voluntate dare concursum cui vult: & ideò illam operari, & non aliam. Sed hoc licet à prima causa fieri possit, tamen non videtur Philosophicum, nec consentaneum naturis rerum: nam cùm vtrumque agens æquè sit potens, & æquè præparatum seu approximatum ad agendum, vt supponimus, non est magis debitus concursus vni quàm alteri.

XXIV.

Dicendum ergo est vtramque simul vt partiales causas vnum effectum producere. Nam quamuis non possint simul operari, aut plures effectus solo numero distinctos, quia supponimus subiectum non esse capax eorum: aut vnum & eũdem per modum causarum totalium, quia nullus est effectus qui idem numero in singulorum agentium virtute contineatur: non tamen propterea necesse est vt alterum tantùm ex illis agentibus efficiat suum proprium effectum: possunt enim ambo per modum vnius concurrere ad aliquem effectum in illis simul sumptis contentum, qui necessario erit distinctus ab illis effectibus, quos illa agentia sigillatim ac per se possent totaliter producere. Ergo magis consentaneum est rerum naturis, vt Deus præbeat illis agentibus concursum ad agendum hoc modo, quàm vt alteri totum præbeat, alteri omnino deneget. Ergo illa agentia simul efficient prædicto modo: atque ita semper agent vt causæ partiales, & non vt totales, quia ille effectus ita procedit ab vtraque illa causa, vt à neutra possit prodire: & ita etiam procedet sola vnica actione, quia ita pendet ab vtraque illa causa coniunctim, vt sine alterutra esse non possit.

XXV.

Hic verò discursus, quamuis ex principio posito rectè procedat, tamen ipsum principium mihi est valdè incertũ, neq; existimo posse probari vlla sufficiẽti ratione, vt in sequenti puncto declarabimus.

Et

Et ideò non videtur fundanda certior conclusio in re minùs certa: magis autem constans est in Philosophia nõ posse plures causas totales coniunctim efficere eundem effectum, quàm quòd non possint diuisim. Meliùs ergo fundatur conclusio in hoc, quòd vnus numero effectus non potest naturaliter simul fieri nisi vnica actione: vnica autem actio nõ potest esse à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, vt suprà probatum est: ergo neque vnus effectus potest naturaliter fieri à pluribus causis totalibus. Maior probatur primo, quia vnitas actionis aliquo modo sumitur ex termino: dico autem *aliquo modo*, quia etiam necessaria est habitudo ad agens: tamen cùm necessaria etiam sit vnitas termini, saltem ex eo capite ad vnum terminum vnica actio naturaliter postulatur. Secundò, quamuis agentia sint plura, & alias possent sigillatim efficere, tamẽ etiam possunt coniungi ad agendum per modum vnius: & hic modus agendi est magis consentaneus vnitati termini: ergo naturaliter loquendo ita semper agunt. Tertiò denique, cùm vterque modus agendi sit possibilis absolutè, quamuis ipsa agentia naturalia non possunt sese determinare ad alterum illorum, sed per concursum primæ causæ determinanda essent, non esset eis debitus duplex concursus ad agendum duabus actionibus totalibus, quia nõ est eis necessarius, & natura abhorret superfluitatem: ergo etiam ex definitione concursus primæ causæ non possunt illa secunda agentia naturaliter simul agere vt causæ totales. Quæ ratio magis declarabitur in puncto sequenti: & post eius resolutionem meliùs respondebitur ad argumenta suprà adducta in secunda sententia.

Prima ratio pro relata sententia.

SECTIO V.

Vtrùm diuisim possit idem effectus naturaliter esse à pluribus causis totalibus.

I.

REstat dicẽdum an saltem diuisim possit idem effectus fieri à pluribus causis totalibus, quod est quærere, an lumen quod hic & nunc producitur in hoc aere ab hac lucerna in hoc loco applicata, produceretur idem numero ab alia lucerna numero distincta, omnino tamen simili in virtute agendi, si eidem aeri eodem tempore & loco applicata fuisset, & sic de cæteris effectibus. In quare nõ est controuersia de potentia Dei absoluta: sic enim nullus quem ego viderim, negat posse Deum per vnam causam naturalem facere eundem numero effectum quem facit per aliam: quanquam hoc etiam declaratione egeat in opinione eorum qui negant hoc naturaliter fieri posse, si consequenter locuturi sunt, vt infrà declarabo.

Prior sententia negans.

II.

EST ergo disputatio de naturali virtute causarũ: & hoc modo multi negant posse vnam causam naturalem efficere eundem numero effectum quem facit alia, etiamsi eidem passo cum eisdem conditionibus applicaretur. Quam sententiam significat Diuus Thomas quodlib. 5. articulo 8. & Capreol. in secundum distinctione 20. quæstione prima & tenet Marsil. 1. de Generat. quæstione octaua & Soto in 4. distinctione tricesima quarta quæstione prima artic. 3. Estque opinio commentatoris in 7. Metaph. commentario 31.

D. Thom. Capreol. Marsil. Soto.

III.

Rationes adducuntur variæ. Prima est, quia quãdo hic effectus producitur talis in indiuiduo, aliqua proxima causa naturalis reddenda est, cur tale indiuiduum producatur potiùs quam aliud: hæc autem nulla esse potest nisi quia ab hac singulari causa talis effectus producitur, non quòd illa sola sit ratio adæquata productionis talis effectus in indiuiduo, sed quod sine illa non possit adæquata ratio consistere: hoc enim satis est vt hic effectus numero non possit nisi ab hac causa numero produci. Illatio est clara, antecedens verò probari potest discurrẽdo per omnia, quæ ad productionem huius indiuidui effectus cõferre possunt. Quia neque hoc subiectum sufficit, quia indifferens est ad plures formas, neq; tempus, locus, &c. tum propter eandem causam, tum quia sunt valde extrinseca, vt latè suprà disput. 5. tractatum est.

IIII. Refutatur.

Veruntamen hæc ratio in nostra sententia nullâ vim habet, nam si sit sermo de intrinseca ratione indiuiduationis effectus, iam suprà diximus, in ipsis intrinsecis principiis rei seu in propria eius entitate positam esse. Si verò sermo est de ratione ob quam agens determinatur ad hunc effectum numero, nõ rectè redditur ratio, quia est hoc agens, nam etiam hoc agens est potens & de se indifferens ad plures effectus numero distinctos producendos. Quòd si dicatur hoc particulare agens non esse indifferens ad producendum plures effectus numero distinctos hic & nunc circa hoc subiectum, sed esse determinatum ad vnum: adhuc restat inquirenda causa huius determinationis, quæ non redditur sufficienter ex indiuiduatione causæ, quia illa per se est potens ad plura: neque etiam ex aliis circumstantiis illi adiunctis, vt dicto loco probaui, quia vel sunt etiã indifferentes, & ex multis indifferentibus non fit vnũ principium determinatum: vel sunt valde extrinsecæ, vt extrinsecum tempus, vel locus. Propter quod probabilius censuimus causam secundam determinari quoad hoc ex concursu primæ: hęc autem determinatio ex parte causæ primæ tam potest fieri cum hac indiuidua causa, quàm cum alia simili numero distincta in ordine ad eundem numero effectum, vt paulò inferiùs ostendam: ergo ex hoc capite non probatur, ad hunc singularem effectum necessariam esse hanc singularẽ causam secundam.

V. Secunda.

Obiicit verò Soto (qui præcipuè magnificat hanc primam rationem) quia non est Philosophicum reuocare hanc determinationem ad primam causam, eo quod causa prima de se non concurrit nisi generali influxu & indifferenti. Verum hoc ab ipso nulla ratione probatur, neque est verum, vt ex suprà dictis de concursu Dei constat: estque magis consentaneum perfectioni diuinæ prouidentiæ, vt Deus sua voluntate decernat, quæ indiuidua ab omnibus causis futura sint.

Secunda ratio reddi solet, quia si hic numero effectus potuisset ab alia causa numero distincta produci, non penderet per se & essentialiter ab hac causa singulari à qua nunc producitur, & consequenter talis causa non esset causa per se huius effectus, sed solum per accidens, quia à causa per se, effectus pendet per se & essentialiter. At verò supponebatur, sermonem esse de causa per se: ergo vt saluetur ordo per se inter causam & effectum, necesse est dicere effectum singularem qui fit ab hac numero causa, non posse naturaliter fieri ab alia numero distincta. Prima sequela probatur, quia si loco huius causæ alia numero distincta applicata fuisset, idem numero effectus ab illa fuisset productus: ergo per acci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dens est quod hic effectus ab hac causa producatur. Et confirmatur primò, nam omnis effectus determinatus & singularis natura sua postulat determinatam causam per se à qua fiat, quia ab aliqua per se pendet: ergo non potest naturaliter nisi ab illa fieri. Et confirmatur secundò, quia hæc actio numero, quæ ab hac causa totali fit, nō potest fieri ab alia numero distincta, sed hæc actio numero tendit in hūc effectum numero, & actiones numero distinctæ in effectus numero distinctos: ergo etiam hic effectus qui ab hac causa fit, non potest fieri ab alia consimili & eiusdem ordinis, & numero distincta.

VI. Improbatur. Sed neque hæc omnia sunt efficacia ad persuadēdam opinionem. Et quidem in principali ratione distinguendi sunt illi duo termini *dependere per se* vel *essentialiter*: non enim sunt æquiualentes, sed magis est dependere essentialiter, quàm per se: vt enim effectus per se pendeat à causa, satis est quòd verè ac propriè ab illa suum esse recipiat, quia recipere esse, & dependere ferè idem sunt. At verò pendere essentialiter, addit quòd effectus ex intrinseca sua natura & essentia postulet influxum talis causæ, ita vt sine illo esse non possit: quod satis probatur ex significatione illius vocis *essentialis dependentia*. Cùm ergo infertur, si hic numero effectus posset ab alia causa totali eiusdem ordinis produci, sequi non pēdere per se & essentialiter ab hac causa, à qua nunc producitur, quoniam consequens duplex est, duplex etiam adhibenda est responsio, & neganda prior pars sequelæ, & concedenda posterior.

VII. Nego igitur sequi effectum non pendere per se, quia pendet à causa propriè & per se influente esse in illum. Nec refert quòd posset fieri ab alia, quia de facto non fit ab alia, sed ab hac sola in ordine causarū: ergo id satis est vt ab illa pēdeat tanquam à causa totali. Cùm verò instatur, quia posset applicari alia, & ita per accidens est quòd ab hac fiat: respondetur æquiuocationē esse in illo termino *per accidens*, quia iam non sumitur vt opponitur causæ per se, sed vt opponitur causæ simpliciter necessariæ vel vnicæ. Concedo igitur respectu effectus, per accidens, id est, contingens, & extra essentiam, & præter rationē C eius esse quod ab hac causa numero potiùs quàm ab alia fiat. Item ex parte causæ, per accidens dici potest quòd hæc causa potiùs quàm alia applicetur, quia vel nō applicatur à se, sed ab alio, vel quia id est accidentarium & contingens respectu illius. Sed hæc omnia sunt remota & extrinseca ad causalitatē per se, quia iam in eo instanti in quo hæc causa est applicata, verè ac propriè influit esse in hunc effectum: & hoc satis est vt & illa sit causa per se, & effectus ab illa per se pendeat. Sicut etiam hæc causa hîc & nunc applicata huic passo posset non hanc formam, sed aliam numero inducere, & hac ratione dici potest per accidens respectu illius, quòd hanc numero potiùs quàm aliam faciat, quia extrinsecum illi est & accidentariū, quod Deus definiuerit eōcursum ad hunc effectum potiùs quàm ad alium. Nihilominùs tamen iam sic applicata, per se facit hunc effectum: sic ergo effectus etiam hic & nunc per se pendet ab hac causa à qua propriè fit, etiamsi posset ab alia fieri. Rectè autem sequitur, & concedenda est altera pars sequelæ, nimirum, quòd talis effectus non pendeat essentialiter à tali causa: estque illud consequens verissimum. Imò, vt constat ex suprà dictis de concursu primę causæ, nullus effectus pendet essentialiter à causa vniuoca, imo nullus effect⁹ A creatus quatenus est ab efficiente causa, pendet essentialiter à causa creata, sed à solo Deo, quia ab ipso solo fieri potest sine quocunque alio, ab aliis autem fieri non potest sine ipso.

VIII. Quòd si dicatur hoc esse verum sumpta illa voce *essentialiter* in rigorosa significatione: hic autem non ita sumi, sed vt idem est quod connaturaliter: atque hoc modo pendere posse creatum effectum à causa creata, & vniuocum ab vniuoca: sicque vnum effectum tantùm habere vnam causam à qua connaturaliter pendeat. Respondeo, verum quidem esse, actualiter solum pendere vnum effectum ab vna causa totali vnius ordinis, connaturali dependentia: nego tamen vnum numero effectum solum posse dependere ab vna numero causa, quia si ab alia simili fieret, tam connaturaliter ab illa penderet, sicut ab altera.

IX. Vndead primam confirmationem absolutè nego antecedens, quia hic numero effectus, si eius individua natura & entitas absolutè consideretur, non determinat, nec postulat necessario (necessitate scilicet connaturali & intrinseca) vt ab hac B numero causa fiat, & non ab alia: vel saltem hoc nulla ratione ibi probatur, quia hæc res natura sua solum postulat, quòd fiat ab aliquo habente sufficientem virtutem ad illam faciendam. Quòd si plura agētia habuerint illā virtutē, nihil refert ad naturam talis effectus: neque quidquam impedit quo minùs per se fiat à quocunque quod applicari contigerit, vt declaratum est.

X. Ad secundam confirmationem concedo hanc numero actionem tantùm posse esse ab hoc agente, & ad hunc terminum. Nego tamen distinctas numero actiones necessariò terminari ad effectus numero distinctos: id enim necessarium non esse sæpè in superioribus probatum est: aliàs nec de potentia absoluta, posset effectus qui ab vno agente fit, fieri ab alio numero distincto, etiam diuisim, quia actio vnius non potest ab alio fieri. Quod si dicatur, actiones distinctas numero, necessitate quidem naturali tendere in effectus numero distinctos, non tamen necessitate absoluta, & in ordine ad diuinam potentiam. Contra hoc est, quia illa necessitas naturalis nulla ratione probata est. Quando enim plura agentia simul concurrunt, est aliqua necessitas, vel saltem naturalis congruentia, vt vna potiùs quā duabus actionibus agant ad eundem effectum. Quòd verò diuersa agentia totalia quoad virtutem agendi, non possint habere suas proprias actiones distinctas circa aliquem effectum, vt vnumquodque possit per se illum efficere, saltem quando solū & sine altero applicatur, nulla ratione hactenus ostensum est. Non est ergo cur sit necessarium naturali necessitate, vt vnus effectus vna tantùm actione indiuidua & particulari naturaliter fieri possit, etiam diuisim.

Secunda sententia præcedenti contraria.

XI. QVia igitur hactenus efficaciores rationes inuentæ non sunt ad eam sententiam confirmādam, aliis authoribus probata non est, sed aiunt eundem effectum numero, posse diuisim fieri à diuersis causis totalibus: & nunc quidem fieri hoc lumen in hoc aere ab hac lucerna, quia hæc applicata est, idem tamen nihilominùs fuisse futurum, si alia lucerna applicata fuisset. Hanc opinionem tenet Scotus

Fundamētū Scotus. Scotus in secundum, distinctione vigesima, quæstione secunda, quæ ab eodē probatur argumento Philosophico, & Theologico. Theologicum argumentum est, quia Deus ante præuisum originale peccatum elegit ad gloriam hos singulares homines quos prædestinauit, ex quibus multi nunc generantur ab hominibus reprobis: si autem Adam non peccasset, generarentur ab aliis hominibus numero distinctis, quia tunc nulli essent reprobi à quibus generarentur. Sed argumentum hoc multa inculcat, quæ prætermittenda nobis sunt, ne Metaphysicos terminos transgrediamur. Re tamen vera ratio non est efficax: & præter multa quæ supponit incerta, illud apud me certum est, Deum elegisse prædestinatos cum præscientia saltem conditionata lapsus humani generis, quæ satis est vt simul velle potuerit hos prædestinatos ab his numero parentibus generari. Quòd si Deus præuidisset, etiam in conditionali scientia, Adam non fuisse peccaturum, vel non habuisset decretum eligendi hos homines quos nūc elegit, vel simul cum illis elegisset parentes eorum quos nunc elegit, vel certè permisisset etiam tunc aliquos esse reprobos. Non enim est verum, aut saltem certum, quod si Adam non peccasset, nulli alii homines peccassent, aut damnarentur. Itaque (vt hæc omittamus) certum est propter certitudinem prædestinationis non esse necessarium dicere vnum hominem posse naturaliter generari ab aliis parentibus, quam ab illis, à quibus de facto generatur.

XII. Ratio Physica est, quia duo agentia eiusdem speciei sunt æqualis virtutis: ergo quidquid potest vnum efficere ex tali materia hic & nunc sibi applicata, potest fieri aliud: aliàs non essent æqualis virtutis: ergo effectus qui ab vno fit, posset idem numero fieri ab alio. Verùm neque hæc ratio conuincens est: nam ex æqualitate virtutis solum potest colligi æqualitas effectus, non verò identitas: nam sicut in ipsa virtute aliud est esse æqualem, aliud esse eandem, ita etiam in effectu. Respondetur ergo facilè, æqualem virtutem posse ex eadem materia æqualem effectum efficere, non tamen eundem. Aliæ item rationes fieri solent in fauorem huius sententiæ, quæ leuiores mihi videntur & ideò eas omitto.

Punctus difficultatis aperitur.

XIII. VT ergo punctus controuersiæ attingatur, in C hoc insistendum est vt videamus, an effectus contentus sub obiecto vnius potentiæ actiuæ possit contineri sub obiecto alterius, & an hoc possit certa ratione in alterutram partem definiri. In quo est notanda differentia inter causam particularem & vniuocam, & æquiuocam ac vniuersalem, quod vniuersalis, quia non formaliter, sed eminenter continet effectum, potest per se respicere totam speciem, & omnia individua sub illa contenta. Et hinc certum esse censeo, eundem numero effectum qui fit à causa particulari & vniuoca, posse fieri connaturali modo à causa æquiuoca vt à causa totali & proxima, si absque interuentu causæ vniuocæ sola causa æquiuoca & de se vniuersalis applicetur ad generandum talem effectum immediatè & se sola. Hoc est certissimum in causa vniuersalissima & eminentissima, quæ est Deus, nam hac ratione potest quemcunque effectum sua virtute facere, quem causæ secundæ possunt. Idem A censeo de virtutibus cœlestibus quoad eius effectus quos verè continēt eminenter & vt causæ per se sufficientes. Vt verbi gratia si Sol est causa sufficiens ad generandum aurum vel ignem, quantum est ex se, sufficiens est ad quodlibet indiuiduum auri vel ignis, quia eius virtus, vtpote eminentior, respicit adæquatè totam illam speciem; & ideo quantum ex se potest in quolibet indiuiduo illam efficere.

XIIII. Aequiuoca causa efficere potest eūdem numero effectum, quem efficeret inferior. Quoad has ergo causas nulla ratio apparet cur negandum sit, quin effectus productus ab igne vel gratia in hoc ligno, posset produci idem numero à Sole, si eidem passo, & cum cæteris circumstantiis sufficienter applicaretur. In quo propriè non comparamus causam particularem ad vniuersalem, quatenus vniuersalis causa dicitur quæ cum alia particulari operatur, sed comparamus duas causas particulares & proximas operantes per diuersas virtutes, formalem scilicet, vel eminentem. Ex quo etiam obiter intelligitur, esse longè diuersam rationem de causis totalibus coniunctim vel diuisim operantibus, nam huiusmodi duæ causæ totales quę operātur vt causæ particulares & proximæ, nō possūt cōiunctim & simul efficere eundē numero effectum suis propriis & distinctis actionibus totalibus, etiamsi vna sit æquiuoca, altera vniuoca: nam ratio & resolutio facta in superiori puncto æquè in his procedunt: diuisim autem optimè potest idem effectus procedere ab alterutra istarum causarum, vt dictum, & declaratum est. B

XV. Vniuoca causa non habet pro adæquato obiecto totam speciem suā. D. Thom. At verò causa vniuoca non potest habere pro obiecto adæquato suæ potentiæ actiuæ totam speciem talis effectus, vt Diuus Thomas notauit prima parte, quæstione quadragesimaquinta, articulo quinto ad primum, quia aliàs talis causa se ipsam concluderet sub obiecto potentiæ suæ naturalis, quod est impossibile: alioqui posset producere se ipsam. Neque etiam satis est, si quis respondeat, quantum est ex parte potentiæ posse producere se ipsam, tamen ex alia parte repugnare vt illa potentia reducatur in actum respectu sui ipsius, quia ad agendum, necessario supponitur causa ipsa iam producta. Hoc (inquam) non satisfacit, quia efficientia ex intrinseca sua natura respicit rem distinctam: ergo & potentia efficiendi natura sua non habet pro obiecto nisi rem à se distinctam: ergo nullo modo continet se ipsam sub obiecto suo adæquato: & ideò C non potest causa vniuoca respicere speciem suam vt obiectum adæquatum potentiæ suæ. Quæ ratio non procedit in causa æquiuoca, nam licet hæc respiciat adæquatè totam aliquam speciem, non reflectitur in se ipsam, quia ipsa non est individuum illius speciei, sed altioris ordinis. Hinc ergo suboritur dubium, quam latè pateat obiectum potentiæ actiuæ vniuocæ: nam cùm non sit tota species, nec sit vnum individuum tantùm illius speciei, vt per se constat, oportet vt sint plura individua illius speciei: quot igitur illa erunt? aut quæ est seruanda regula in assignando obiecto adæquato talis potentiæ? In quo omnes conueniunt, non posse designari finitum numerum individuorum, quia potētia actiua quantū est de se, si nō corrūpatur aut labefactetur, semper pōt aliud & aliud individuū producere. Vnde dici pōt de se esse indifferentē ad infinita individua syncategorematicè successiuè seu di siunctim. Tamē hęc ipsa infinita multitudo potest

Universidad de Deusto
Biblioteca

variis modis intelligi: duo tamen sunt præcipui, A qui ad rem præsentem spectant.

Varij modi assignandi obiectum adæquatum virtuti actiuæ agentis vniuoci.

XVI. Primus. VNus est, si dicamus talem causam posse efficere quodlibet indiuiduum suæ speciei extra se ipsam. Potestque non improbabilis ratio reddi, nam circa se non potest habere efficientiam propter idētitatem: quod si hoc impedimētum tolleretur, nullum esset inconueniens quin talis potentia haberet pro obiecto adæquato totā illā speciē: ergo, cùm hæc ratio cesset circa omnia alia indiuidua eiusdem speciei, quia omnia alia sunt distincta ab hoc numero agente, verisimile est quodlibet indiuiduum talis speciei concludere sub obiecto adæquato suæ potentiæ actiuæ omnia indiuidua eiusdem speciei alia à se. Quòd si hic modus verus est, euidenter sequitur, posse duas causas totales eiusdē speciei diuisim efficere eundem effectum numero. Imò potiùs sequitur, nullum effectum posse fieri ab vna, qui non possit fieri ab alia, se ipsis reciprocè exceptis, nam quælibet potest efficere aliam, non tamen se. Vnde B vlteriùs etiā sequitur, quamlibet causam vniuocam, quantum est ex parte potentiæ suæ, habere vim ad efficiendū illud indiuiduum à quo ipsa genita fuit, vt Petrum verbi gratia habere potentiam ad generandum suum parentem vel etiam auum, & quemcunq; progenitorem suum, quantū est ex vi potentiæ actiuæ: quod videri potest maximum inconueniens omnium, qui in hoc modo dicendi excogitari possunt. Neque negari potest quin sequatur, nam omnia illa indiuidua comprehenduntur sub obiecto adæquato talis potentiæ, vt supponitur: ergo quantum est ex vi potētiæ actiuæ, ac per se loquēdo, posset quodlibet illorum producere. Negari tamen facilè potest hoc esse inconueniens. De facto enim non potest hæc res numero, illa indiuidua efficere, à quibus ipse processit, & facta est, quia illa indiuidua antecesserunt in esse, & fuerunt producta ab aliis causis: tamen si considerarentur secundum se, & nulla conditio repugnans præsupponeretur, nihil obstaret quo minùs illa indiuidua, quæ nunc sunt causæ aliorum, essent effectus illorum, & è conuerso.

XVII. Secundus modus. C Alius modus explicandi obiectum adæquatum huius potentiæ est, si dicamus singulas virtutes actiuas singulorum agentium determinare sibi certa quædam indiuidua suæ speciei, quæ tantùm efficere possunt, & è conuerso totam illam seriem indiuiduorum determinare sibi ex natura sua talem causam vniuocam à qua fieri possint, & non ab alia intra illam speciem. Quæ indiuiduorum series in infinitum quidem procedit, nihilominùs tamen solum continet peculiarem ordinem aut gregem (vt sic dicam) indiuiduorum dicentium ex se habitudinem ad talem causam: qui ordines indiuiduorū in infinitum intra eandem speciem multiplicari possunt, nam intra vnam speciem non solum possunt esse infinita indiuidua, sed etiam infinities infinita, & infinitæ indiuiduorum series, quæ omnes distincta indiuidua contineant, & in singulis in infinitum procedatur. Et iuxta hunc modum apertè sequitur, non posse effectum singularem qui ab vna causa vniuoca fit, fieri ab alia, quia indiuidua contenta sub obiecto vnius potentiæ non continētur sub obiecto alterius.

Quæ diffi- Non video autem rationem sufficientem, quæ reddi possit ex parte talium causarum, cur ita determinent obiecta sua, vt vnaquæque tendat ad propriam collectionem distinctorum indiuiduorum, sed solum affirmari potest ratione suæ indiuiduationis ita esse vnamquamque determinatam in agendo. Sicut intellectus Petri verbi gratia natura sua est determinatus ad efficiendos tales actus intelligendi numero, quos nullus alius intellectus numero distinctus potest efficere: & idem est de singulis intellectibus: ad hunc enim modum philosophatur illa sententia prædicto modo exposita. Tamen re vera non est eadem ratio de potentiis, quæ actus immanentes eliciunt, & de iis quæ efficiunt in exteriorem materiam, nam in prioribus potentiis vnaquæque determinatur ad efficiendum tantùm in se & ex se, nam hoc est de intrinseca ratione actus immanentis: & quia in diuersis subiectis diuersi actus numero distincti recipiuntur, idcò vnaquæque harum potentiarum determinatur natura sua ad actus distinctos ab actibus alterius. At verò potentia quæ agit in exteram materiam, non determinat sibi certum subiectum in quod agat; & B ideò agentia numero distincta possunt agere in idē passum numero, vel in diuersis temporibus, vel in eodem, vel coniunctim vt causæ partiales, vel diuisim vt totales; & ideò non est in eis eadem ratio ob quam determinentur ad formas numero distinctas efficiendas, etiam respectu eiusdem passi.

XVIII. Quocirca ex parte causæ nulla probabilis causa occurrit huius determinationis: nam certè indiuiduatio sola ipsius causæ non est sufficiens ratio vt determinetur ad hæc indiuidua efficienda potiùs quàm alia: nec etiam vt causæ numero distinctæ determinentur ad indiuidua numero distincta. Aliàs eadem facilitate dicere quis posset indiuiduam causam ex vi suæ indiuiduationis determinari ad vnum tantùm indiuiduum efficiendum, præsertim ex eodem subiecto, sicut causa vniuoca vnius speciei determinatur ad effectum vnius tantùm speciei faciendum. Ex parte verò effectus reddi potest ratio suprà tacta, quia vnus effectus natura sua postulat vnam determinatam causam à qua fiat, quia cùm effectus naturalem habeat dependentiam à causa, effectus singularis etiam habet naturalem dependentiam à causa singulari: & ideò etiam ipsa potentia non claudit sub obiecto suo nisi illos effectus qui ab illa possunt naturaliter dependere.

XIX. Veruntamen hoc etiam principium quod de effectu sumitur, non video qua sufficienti ratione probari possit: & aliunde occurrunt vehementes coniecturæ, ob quas non videatur admittendum. Prima quia dependentia effectus à causa vniuoca est illi accidentalis, cùm sit tantùm in fieri, & sit separabilis ab ipsa re: nulla est autem ratio ob quam hæc res indiuidua determinet natura sua tale accidens: sicut ergo idem subiectum est indifferens ad plures calores numero distinctos, & naturaliter recipit illum, quem potest efficere agens primò occurrens, ita idem effectus indifferens est ad dependentias sibi accidentarias quanquam dum fit, naturaliter ac per se fiat per dependentiam quæ esse potest ab eo agente quod tunc applicatur. Prima difficultas ratio.

XX. Secundò declaratur hoc amplius, quia si consideretur entitas ipsius effectus, illa est absoluta, id est in se nō includens respectū, etiam transcendētalē, ad aliquod agens vniuocū, quia cū nō pēdeat ab illo essētialiter & in suo esse, nō est vnde includat in se Secunda.

in se talem respectum: ergo talis effectus ex vi suæ A entitatis non postulat dependentiam ab hac numero causa vt magis cōnaturaliter sibi, quàm ab alia.

XXI. Tertia. Tertiò idem effectus numero qui fit à causa vniuoca, potest per se, & connaturaliter fieri à causa æquiuoca nō solum prima, sed etiam secunda & creata, si eminenter contineat talem inferiorem speciē, vt paulo anteà diximus & probauimus: ergo comparatione facta inter illas duas causas vniuocam & æquiuocam, ille effectus singularis non magis determinat sibi ex natura sua emanationem ab vna, quàm ab alia: nam æquè indifferenter potest à qualibet earum fieri, quę primùm fuerit sufficienter applicata: ergo comparatione facta inter causas vniuocas non est cur ille effectus determinet sibi ex natura sua dimanationem ab vna earum tantùm, sed poterit indifferenter à multis vel à qualibet simili produci. Patet consequentia, tum quia si connaturale esset omni effectui determinare sibi vnam tantùm causam, deberet determinare simpliciter vnā, vel vniuocam, vel æquiuocam, saltem inter creatas. Tum etiam, quia ratio, quæ videtur mouisse alios authores vt dicerent vnum effectum singularē ha- B bere naturalem dependentiam ab vna causa singulari, scilicet, vt per se & non per accidens videatur ab illo produci: hæc (inquam) ratio ęquè applicari potest ad causam vniuocam & æquiuocam, quia etiam dici poterit per accidens ab altera earum produci, cùm æquè bene posset ab alia fieri, si applicata fuisset: quòd si hoc non impedit causalitatem per se eius causæ quæ de facto applicatur, siue vniuoca illa fuerit, siue æquiuoca, non impedit etiam in causis vniuocis, siue hęc numero applicetur, siue alia. Quòd si quis dicat esse disparem rationem in causa æquiuoca, quoniam illa eminenter continet totam speciem, & consequenter omnia indiuidua eius. Respondetur id non referre ad præsentem rationem, in qua consideramus determinationem aut indifferentiam ex parte effectus, non ex parte causæ. Si autem effectus natura sua esset determinatus ad dependendum ab vna tantùm causa singulari, non posset virtute contineri in pluribus causis: quod si ex parte effectus non est hæc determinatio, ergo nec ex parte eius repugnat contineri in multis causis, & C posse à singulis dependere, ergo non est cur hoc magis verum sit respectu causæ vniuocæ & æquiuocæ, quam respectu causarum vniuocarum. Maximè si tam prima comparatio quam secunda fiat ad causas creatas: nam licet causa vniuoca non contineat totam speciem sicut æquiuoca, potest tamen virtute continere quælibet indiuidua sibi similia & à se distincta.

XXII. Quartò possumus similem rationem sumere ex eo, quòd vnus numero effectus potest diuisim dependere à duabus causis totalibus æquiuocis, etiam creatis, vel specie, vel numero distinctis: nam quælibet earum continet eminenter totam speciem inferioris effectus: vnde quantum est exse, potens est ad efficiendum quodlibet indiuiduum illius speciei, & consequenter omne indiuiduum quod potest fieri ab vna illarum causarum, potest fieri ab alia; ergo idem potest esse in causis vniuocis. Patet consequentia ex suprà dictis, quia illud est sufficiens indicium, ex parte effectus non repugnare quin naturaliter pendere possit ab hac vel illa causa: nec potest assignari ratio cur ex parte eius magis repugnet in ordine ad causas vniuocas, quam ad æquiuocas. Quod si ex parte effectus non est repugnantia, re vera ex parte causarum nulla potest assignari. XXIII.

Atque hoc modo habet vim alia ratio quæ hic fieri potest, quod idem effectus numero fit ab vna causa, & conseruatur ab alia: hoc enim non habet locum in causa vniuoca, nam effectus eius non pēdet ab illa in conseruari per se loquendo: nam cū dicitur ignis conseruare in ligno calorem quem produxit, non intelligitur de conseruatione directè & per se, sed per accidens, defendendo à contrariis, & idcò mirum non est quòd talis conseruatio, vel potiùs defensio possit à qualibet agente similis virtutis fieri. In causis verò æquiuocis videtur certum, effectum ab vna productum posse conseruari ab alia, vt lumen huius aeris factum ab hac lucerna, conseruatur ab alia sufficienter applicata, etiamsi hæc statim extinguatur. Neque enim verisimile est fieri subitam & insensibilem mutationem luminis. Ergo eadem ratione potuisset vna lucerna efficere à principio idem lumen quod alia fecit, si applicata fuisset: tum quia huiusmodi conseruatio est, vera efficientia, & ex se & natura sua posset esse productio: tum etiam quia nisi hoc lumen contineretur sub obiecto alterius lucernæ, non posset B ab illa naturaliter conseruari: si verò continetur, potest etiam fieri.

XXIIII. Ex causis verò vniuocis potest aliquale argumētum ex eo sumi, quòd vna potest intendere eandem numero qualitatem, quam alia inchoauit: ergo etiam potest illam inchoare seu efficere: mirum est enim dicere, vnam & eandem qualitatem secundum diuersos gradus determinare sibi diuersa agentia naturalia alioqui inter se omnino similia. Tandem non videtur verisimile non posse vnum angelum efficere in eodem corpore eundem numero localem motum, vel idem vbi intrinsecum quod alius efficeret, si eodem tempore illud mouisset. Et idcò in hoc exemplo etiam authores contrariæ sententiæ admittunt eundem numero effectum posse fieri à diuersis causis totalibus disiunctim; sed negant inde sumi sufficiens argumentum ad alios effectus, quia per motum localem non fit in mobili noua entitas absoluta. Sed hæc responsio non satisfacit, tū C quia licet per motum localem non fiat noua res absoluta distincta à mobili, fit tamen modus realis absolutus & ex natura rei distinctus à mobili: ex quo non leue argumentum sumitur ad effectum qui fit forma distincta. Tum maximè quia etiam respectu localis motus & vbi, intercedit vera causalitas efficiens & dependentia per se huius effectus ab hac causa: ergo si hoc non obstat quominùs talis effectus possit fieri ab alia causa numero distincta, non etiam obstabit in effectibus qui sunt res vel formæ distinctæ. Verum est, hoc exemplum etiam procedere de causis æquiuocis, quia in motione locali semper motor est causa æquiuoca: tamen iam ostendimus ex causis æquiuocis sumi argumentum sufficiens ad vniuocas.

Totius quæstionis resolutio affirmatiua.

XXV. PEnsatis ergo vtriusque partis rationibus, quā- uis neutræ omnino cogant aut demonstrent, tamen hæ posteriores maiorem veri similitudinem præse ferunt. Quapropter in genere loquendo dicendum censeo, non repugnare eundem numero effectum dependere à pluribus causis proximis & totalibus disiunctim, seu è conuerso (& in idē redit) plures

Universidad de Deusto
Biblioteca

plures causas posse habere virtutem, vt singulæ possint per se efficere eundem numero effectum: quod est certius, si vtraque vel altera sit causa æquiuoca: tamen etiam est probabilius in causis vniuocis. Oportet tamen nonnulla obseruare. Primum, supponendum esse effectum vel esse æqualem, vel inferiorem causæ: quod idcò aduerto, quia si vera esset sententia quæ affirmat indiuidua eiusdem speciei posse esse inæqualia in perfectione, non oporteret vt quælibet causa indiuidua in aliqua specie, posset efficere omnia alia indiuidua eiusdem speciei propria virtute, sed solum ea quæ sibi essent proportionata vel æqualia. Deinde oportet loqui de effectibus omnino similibus in indiuiduo, vt sunt duo calores eiusdem subiecti: nam si effectus, quamuis sint eiusdem speciei, non sint omnino similes, sed (vt ita dicam) aliquo modo heterogenei indiuidualiter, fieri potest vt ob peculiarem conditionem, quam singula indiuidua habent, vnicam tantùm causam naturalem vnius ordinis sibi determinent, quod non solum in causis vniuocis, sed etiam in æquiuocis accidere potest. Vt v. g. species visibiles Petri & Pauli eiusdem speciei sunt (suppono enim vtrumque esse album) & nihilominùs nec Petrus potest efficere speciem Pauli, nec Paulus Petri, quia illæ species licet sint similes in natura specifica, tamen ex indiuiduatione sua habent proprias habitudines ad distincta obiecta, & in eo voco illas species dissimiles, & quasi heterogeneas indiuidualiter & obiecta illa, licet sint suo modo causę æquiuocę talium specierum, tamen non habent virtutem eminentem ad totam speciem, sed vnumquodque ad illas species tantùm quæ ipsum repræsentant. Simile quid conspicere licet in actibus immanentibus, vt suprà dicebamus: & idem est de habitibus. Itaque vbi peculiaris ratio seu determinatio interuenit, accidere potest vt causa sit determinata ad aliqua indiuidua vnius speciei & non possit ad omnia: & inde etiam prouenire potest vt effectus qui ab vna causa fit, non possit fieri ab alia numero distincta: absolutè tamen illud non repugnat naturis rerum.

XXVI. Vltimò est obseruadum hactenus nos solum explicuisse quid possit fieri ex vi causarum particularium, non verò quid fiat: id enim multo magis incertum nobis est, ita vt non possit aliqua ratione definiri. Nam licet duæ causæ particulares habeant virtutem ad eundem numero effectum efficiendum, tamen actualis determinatio huiusmodi causæ vt hoc indiuiduum faciat potiùs quam aliud, à prima causa pendet vt à primaria origine talis determinationis: & ideò, quamuis hæc causa nunc applicata, hunc singularem effectum efficiat, ad quem à prima causa determinatur, an verò, si alia similis vice illius eodē tempore, & loco, & circa idem subiectum applicata fuisset, eundem numero effectum fecisset, non nobis constat. Non quia non sit in illa potentia, quod hactenus egimus, sed quia illa potētia etiam est indifferens ad plura indiuidua, & nescimus an in eo casu determinaretur à prima causa ad idem indiuiduum numero faciendum: solum ergo affirmamus posse ita determinari: actualem vero determinationem ex concursu & voluntate primæ causæ dependere.

Satisfit argumentis secundæ sententiæ, ex præcedenti sectione relictis.

XXVII. EX his etiam respondendum est ad eam interrogationem quæ fiebat in fundamentis secundæ opinionis principalis in principio præcedentis sectionis adductis, nimirum, quid agerent duæ causæ totales in virtute seu in actu primo, si eidem passo simul & æquè applicarentur, & iuxta naturam suam agere relinquerentur. Distinguendum est enim, nam vel illæ duæ causæ applicarentur simul & in eodem instanti, vel vna priùs tempore quàm alia. Rursus vel passum est capax plurium effectuum numero distinctorum, vel vnius tantùm. Deinde si effectus sit vnus, potest esse indiuisibilis, vt est forma substantialis, vel habens latitudinem dimensionum: item potest dependere à causa tantùm in fieri, vel etiam in conseruari. Primò ergo, si causæ simul applicentur, & passum sit capax plurium effectuum, efficient illos, & vnaquæq; suum, & sic cessat omnis controuersia: hoc enim modo duo obiecta alba, æquè applicata, duas species intentionales efficient. Nam in hoc exemplo illæ duæ causæ nec sunt, nec esse possunt causæ totales eiusdem numero effectus, quia neutrum obiectum potest facere speciem alterius. Vnde non existimo posse inueniri exemplum in quo vtraque causa possit esse totalis respectu vtriusque effectus, & tamen quòd passum possit simul vtrumque recipere, quia duæ formæ vel accidentia solo numero distincta, & omnino similia nō possunt simul esse in eodē subiecto. Si tamen id admittatur iuxta opinionem ponentem plura lumina in eodem aere, etiam dici posset tunc illas causas operaturas vt causas totales, non tamen ambas eundem effectum, sed vnamquamque suum. Quanquā & hoc etiam incertum esset: pendet enim ex determinatione primæ causæ, quæ posset dare concursum vel ad diuersos numero effectus, vel tantùm ad vnum & eundem: tamen, cum illæ causæ ex illa hypothesi sint tunc aptæ ad operandum vt causæ totales, verisimile est recepturas naturalem concursum ad sic operandum, & consequenter effecturas diuersos numero effectus.

XXVIII. Supponendo autem subiectum non esse capax nisi vnius formæ, tunc causæ illæ simul applicatę eūdem effectum simul efficerent, non tamen vt causæ totales, sed vt partiales: non quia ille effectus idē numero, non posset fieri à singulis illarum causarum, nec ab altera earum sola, sed ab vtraque simul partialiter: incredibile est enim aliquem effectum naturalem determinare sibi natura sua hunc modū dependentiæ à multis causis simul, quibus per accidens est sic coniungi ad operandum. Ratio ergo solum est, quia ille modus agendi est tunc magis cōsentaneus naturis rerum, vt suprà declaratum est. Quòd si effectus sit indiuisibilis, nō poterit esse perfectior propter coniunctionem duarum causarum: si autem sit capax maioris vel minoris intensionis, interdum erit intensior, quando scilicet neutra illarum causarum per se sola potuisset operari secundum totam aptitudinem intensionis vel actiuitatis suæ, vel propter distantiam, vel ob resistētiam passi, vel ob peculiarem proprietatem suæ naturæ: quomodo experimur duas lucernas inter se æquales simul efficere intensius lumen in aere, quàm singulæ per se possent efficere.

XXIX. Ad verò si vna talium causarum priùs tempore applicetur quàm alia, ea statim efficiet totum effectum quem eo tempore vel instante efficere potest: & tunc magis incertum est quid efficiat altera causa superueniens. Et quidem si effectus non pendeat in conseruari, sed in fieri tantùm, & sit indiuisibilis, vel iam totus productus, clarum est posteriorem causam

causam nihil posse efficere, quia iam inuenit factū, & quia iam altera causa nihil facit, sed fecit. Quòd si effectus pendeat in conseruari, dicunt aliqui periturum effectum qui à priori causa factus fuerat, & nouum ab illis duabus simul fore producendum, & in futurum conseruandum. Sed id incredibile est, quia nulla est ibi causa cur corrumpatur prior effectus, neque etiam est naturæ consentaneum vt Deus suspendat concursum quo conseruat illum, nulla superueniente, causa corrumpente.

XXXI. Alij probabiliùs dicunt ab eo instante in quo posterior causa est applicata, incipere illum effectum conseruari à duabus causis simul, qui priùs ab vna tantùm conseruabatur, quia non debet esse otiosa, cùm ad hoc possit operari. Sed hoc etiam difficultatem habet, quia vel ille effectus incipit conseruari à posteriori causa per nouam actionem, quę ab illa sola manet, perseuerante etiam priori causa in sua actione: & sic sequitur conseruari illum effectum ab illis duabus causis simul vt causis totalibus, quod nō admittimus. Vel prior causa desistit à sua propria actione, & incipiunt ambæ causæ habere nouam actionem communem qua conseruāt eundem effectum: & hoc etiam est difficile, quia nihil est quod cogat priorem causam vt remittat suum influxum, vel vt desistat à priori actione. Neque id potest reduci ad determinationem primæ causæ variantis cōcursum suum, & determinationem actionis causæ secundę, quia non est debitum superuenięti causæ, quòd mutetur actio vel cōcursus vt ipsa possit aliquid agere. Quare probabile est in eo casu posteriorem causam nihil effecturam, quia inuenit factū quidquid posset facere.

XXXI. At verò si effectus ille esset intensibilis, & non esset productus secundum totam latitudinem talium causarum, tunc posterior causa efficeret intensionem eius. Duobus autem modis id intelligi posset, primò vt prima causa præcisè perseueraret in priori actione, posterior verò adderet tot gradus qualitatis: & tunc vtraque esset causa totalis alicuius partis (vt ita dicam) seu aliquorum graduum illius effectus: esset autem vtraque causa partialis respectu totius effectus, partialitate, vt aiunt, non tantùm ex parte causæ, sed etiam ex parte effectus. In quo dicendi modo solum est difficile, cùm agentia illa sint similia & æqualia, vt supponimus, cur illa maior intensio fiat à solo posteriori agente, cū illa actio maioris intensionis, perfectior aliquo modo videatur. Neque enim dici potest priorem causam & conseruare totam actionem quam priùs efficiebat, & iuuauare superuenientem causam ad intensionem talis effectus; quia per priorem actionem agebat quantum poterat: ergo non potest aliquid vltrà agere nisi aliquid de priori actione remittat. Et ideò probabile est in eo casu cessare priorē causam ab actione, quam totaliter exercebat, & coniungi posteriori, vt ambæ simul & conseruent effectum, & intensiorem eum reddant. Atque hactenus de causis efficientibus,

Breuis resolutio de concursu plurium causarum finalium.

XXXII. VLtimò facile ex dictis constat, quid dicendum sit de finalibus causis: in eis enim multo facilior est resolutio. Nam si sit sermo de fine intrinseco, ille nō potest esse nisi vnus respectu vnius actionis; quia & vna actio non potest habere nisi vnum terminum totalē: & natura intrinsecè & ex se semper tendit ad vnum. At verò si sit sermo de fine extrinseco quem liberum operans suo arbitrio intendit, aut ille est proximus tantùm seu particularis, aut est finis simpliciter vltimus & vniuersalis. Quādo est prioris modi, nihil repugnat dari plures causas finales & totales eiusdem actionis, vt experientia constat: nam potest quis facere eleemosynam, tum vt satisfaciat pro peccatis, tum etiam vt Deum honoret, & vt proximo subueniat, ita hæc omnia intendendo vt propter singula habeat absolutam voluntatem faciendi illud opus. Et ratio est, quia quādo finis est ita extrinsecus respectu actionis vel effectus, non addit illi intrinsecam entitatem aut modum realem, sed solum subordinationem ad extrinsecam intentionem seu voluntatem agentis, & ideò nullum est inconueniens quod hoc modo procedat eadem actio à multis finibus totalibus. Verum est, quod, si illi fines comparentur non ad actionem externam, sed ad internū actum voluntatis creatæ, sic non poterunt duo fines eiusdem rationis, id est æquè proximi, esse causæ totales eiusdem omnino actus, quia respectu actus interioris habent rationem obiecti, si sint fines proximi: non potest autem vnus & idem actus internus tendere in plura obiecta totalia. Et ratio est, quia respectu interiorum actuum tales fines non sunt extrinseci, sed intrinseci, cùm sint eorum propria, ac formalia obiecta: nos autem locuti sumus de finibus extrinsecis: de qua re videri possunt quæ scripsimus in 1.tom.3.par.disp.5. sect.3. At verò si fines sint vltimi simpliciter respectu operantis, non possunt esse plures totales respectu eiusdem, etiam ex intentione ipsius operantis, quia de ratione finis sic vltimi est vt omnia referantur in ipsum, & ideò repugnat multiplicari; de qua re multa disputantur à Theologis in 1.2.q.1. art.5.

SECTIO VI.

Vtrum eadem possit esse causa plurium effectuum, præsertim contrariorum.

I. Ordo consecutionis inter hanc & præcedentē disputationem.

OMparauimus plures causas ad vnū effectum, nunc è conuerso comparamus vnam causam ad plures effectus. Et quia in effectibus contrariis peculiaris est difficultas, de illis potissimū dicemus; & maximè quia Aristoteles tractando de causis peculiarem de hac re mētionem fecit, dicens posse idem esse causam contrariorum. Potest autem quæstio tractari de pluribus effectibus, vel simul, vel successiuè. Et quia in causa materiali, formali, & finali res est facilis, de eis priùs dicemus, posteà de efficiente. Quanquam quod ad contrarios effectus pertinet, de omnibus possumus sine disputatione sumere, non posse vnam causam simul causare effectus contrarios, quia includunt repugnantiam si sumantur respectu eiusdem, vt sumi debent: nam, si sumantur respectu diuersorum, iam non sumuntur vt contraria. Quamuis enim Sol eodem tempore exsiccet lutum, & liquefaciat ceram, nō faciet propriè effectus contrarios.

Expeditur quæstio in formali causa.

II. HIs autē suppositis, de causa formali dicēdum est, nō posse vnā causam nisi vnū effectū causare: vnde à fortiori fit nunquā posse conferre effectus cōtrarios. Probatur, quia inprimis hęc causa non causat

Universidad de Deusto
Biblioteca

causat nisi præbendo se ipsam effectui: ipsa autem A tantum est vna entitas: ergo ex hac parte semper id quod causat, & quod præbet effectui, est vnum & idem. Rursus causa formalis causat effectum dando illi complementum in suo esse: ergo etiam ex hac parte vna formalis causa semper causat vnum tantùm effectum. Potestque inductione confirmari, tã in qualibet causa indiuidua & vna numero, quàm in ea quæ est vna genere vel specie: nam illa semper constituit eundem numero effectum, hæc eundem specie vel genere.

III. Sed instari potest de anima rationali, in aliis enim quæ à subiecto pendent, & ideo de subiecto in subiectum non mutantur, nulla est difficultas, anima verò rationalis eadem numero vnitur paulatim diuersæ materiæ: ergo iam habet varios effectus, vel quatenus conseruat varias materias, vel quatenus cũ eis componit diuersa composita. Alia instantia esse potest, quod vna forma secundum speciem dat effectui vnitatem specificã & genericam, cùm illa non participet genus illud, vt patet in eadem anima rationali, quæ dat homini esse animal, cùm ipsa sensitiua non sit. Tertiò instari potest, nam Aristoteles B de causa efficiente dixit, posse idem esse causam cõtrariorum, quia sicut præsentia est causa conseruationis, ita absentia eiusdẽ causæ est causa corruptionis: ergo pari ratione dicendum est, lumen esse causam formalem cõtrariorum seu oppositorum, quia sicut præsentia luminis formaliter causat lumen, ita absentia causat tenebrosum.

IIII. Qualiter homo variatis materiæ partibus per nutritionẽ. Ad primum respondendum est ex dictis de principio indiuiduationis, hominem, physicè loquẽdo, semper esse eundem: nec posse fieri cõsentaneè ad naturas rerum, vt eadem anima informet etiam successiuè materias totaliter diuersas. Quòd si illas supernaturaliter informaret, adhuc effectus esset idẽ, quamuis non omnino, magis tamen esset idem, quã diuersus numero. Nos autem Physicè loquimur: neque agimus de materia ipsa quæ impropriè dicitur effectus formæ, sed de ipso composito quatenus per formã cõstituitur: de qua re plura dici solẽt à Theologis de resurrectione tractantibus. De secundo argumento multa etiam dicunt Philosophi in libris de anima. Breuiter tamen dico, physicum effectum vnius formæ realis esse vnum realiter & essentialiter. Quòd si in effectu metaphysicè distinguantur gradus specifici vel generici, iidem poterunt in forma proportionaliter distingui, ita vt nunquam forma constituat effectum vnũ genere cum effectibus aliarum formarum, nisi etiam ipsa habeat proportionalem vnitatem genericã cum illis formis. Quod in anima etiam rationali verum est: non enim constituit animal nisi in quantum est principium sentiendi: in quo genere conuenit cum animabus brutorũ, & sub ea ratione verè est anima sentiens. Non est enim de ratione animæ sensitiuæ quòd sit materialis; vel si in hoc sensu sumatur illa vox, non est illa forma adæquatè constituens animal vt sic. Ad tertium respondetur, priuationem formę non esse formam ipsam, sed potiùs illi oppositam; & ideo illam nullam esse instantiam. De exemplo autem illo causæ efficientis infrà dicetur.

Resolutio quæstionis in causa materiali.

V. DE causa materiali dicendum est, vnam & eandem posse esse aliquo modo causam plurium & contrariorum effectuum, non simul, sed successiuè. Probatur, nam eadem materia prima est causa plurium formarum, quæ successu temporis in ea succedunt, & compositorum quæ ex eis resultant. In quo partim materia conuenit cum forma, partim differt: conuenit quidem, quia etiam causat dando seipsam compositò: vnde ex hac parte semper confert idem esse effectui, scilicet suum proprium esse potentiale, quod idem semper est, sub quibuscunque formis existat: & ideo effectus non est diuersus in ipsa materia, sed in forma. Differt autem materia à forma, quia solùm inchoat, & quasi præbet fundamentum effectus consummandi per formam: propter quod etiamsi materia prima in variis effectibus sit eiusdem speciei, nihilominùs effectus simpliciter sunt differentes ratione formarum: & ipsæ etiam formæ vel secundum suum esse si materiales sint, vel saltem secundum informationem sunt propriè effectus materiæ. Ac deinde materia quia est commune subiectum, variis formis successiuè substare potest, cùm tamen forma non possit mutare materiam, aut plures vt sic successiuè informare. Et ideò eadem materia numero potest simpliciter esse causa plurium effectuum, successiuè quidẽ, non autem simul, quia non potest simul plures formas, saltem totales & adæquatas, recipere. Loquimur autem de materia & forma substantialibus, nã si extendatur sermo ad causam materialem accidentium, potest quidem eadem res simul esse causa materialis plurium effectuũ, quia vt suprà dictum est, eadem materia sustentat quantitatem, & formam substantialem, & idem subiectum potest simul plura accidentia sustentare, vt per se notum est. De quibus autem accidentibus id sit intelligẽdum, scilicet an specie, vel genere, vel numero distinctis, dictum est suprà disputatione 5.

VI. Atque hinc facile constat quomodo eadem materia possit successiuè esse causa contrariorum effectuum: non enim sumimus contraria in omni proprietate, sed prout termini oppositi in motu vel generatione, dicuntur contrarij. Sic ergo materia successiuè est causa tum formæ, tum etiam priuationis illi oppositæ, eo modo quo priuatio potest habere causam: eadem namq; materia est causa generationis & corruptionis rei. Vnde etiã est causa formarũ sibi succedentium in eadem materia, quæ quatenus C formaliter repugnant inter se, aliquo modo cõtrariæ dici possunt. Idem autem subiectum accidentiũ cum maiori proprietate dicetur causa materialis contrariorum effectuum, quia propria cõtraria circa idem versantur. Imò huiusmodi materialis causa quodam modo potest simul esse causa contrariorum effectuum, saltem in gradibus remissis: quanquam illa vt sic verè contraria non sint.

Responsio ad quæstionem, quoad causam finalem.

VII. DE fine dicendum est, eundem finem verè ac propriè posse esse causã in suo genere, & plurium, & contrariorum effectuum: plurium quidem, & simul, & successiuè: contrariorum verò successiuè tantum. Hæc omnia facilè constant ex dictis suprà de causa finali, vbi ostendimus plures esse actus seu actiones agentis, quæ ex eodem fine causari possunt, nimirum electio mediorum, executio, & ipsa etiam intentio & amor finis. Quas actiones, vel omnes, vel earum aliquas, non repugnat fieri simul propter eundem finem, cùm inter se aliquo modo subordinatæ sint. Verũ est q; cõparatæ ad finẽ quodammodo habent rationẽ vnius adæquati effectus.

Vnde

Vnde non solum in voluntariis, sed etiam in natu- A ab eadem anima: atque ita illa virtus actiua non est
ralibus contingit plures actiones fieri propter eun- ex se omnino definita ad vnum numero effectum.
dem finem: nam cum finis generationis sit forma Quod est probabile, quamuis posset in controuersi-
substantialis, propter illam fit non solùm generatio am reuocari, quod ad præsens non refert: satis est e-
ipsa, sed etiam alteratio præcedens. Hoc tamen ve- nim quod principium propriè efficiens non limita-
rum semper est de fine aliquo modo extrinseco, vel tur de se ad vnum numero effectum. Et ratio est,
qui non sit per ipsammet actionem: nam finis ita in- quia in primis non est principium intrinsecum, nec
trinsecus solùm per vnam actionem naturaliter fit. confert suum proprium esse reale, sed aliud sibi si-

VIII. Ac proportionali modo facilè patet, quo modo mile, quod sua virtute efficit: postquam autem vni
idem finis, nimirũ extrinsecus, causa possit esse con- effectui contulit tale esse, tam integra manet eius
trariarum actionum, nõ quidem simul, id enim re- virtus sicut antea, per se, vt loquimur: ergo si appli-
pugnat, nisi fiant in diuersis subiectis, qua ratione cetur materia capax alterius formæ numero distin-
contrariæ non sunt. Sed in hoc est considerandum, ctæ, æquè poterit alium effectum efficere. Quod si
aliud esse loqui de internis actibus, qui in ipsa volũ- sit causa, quæ non indiget materia ad agendum,
tate causantur à fine, aliud de externis actionibus, multo magis id poterit sola sua potestate & volun-
quæ sunt media ad consequendum finem: nam in tate.
prioribus non potest idem finis, si propriè ac for- Atq; hæc ratio communis est omnibus causis tam XL
maliter idem sit, esse causa cõtrariorum effectuum, vniuocis, quam æquiuocis. Veruntamen causæ vni-
qui verè contrarii sint: huiusmodi enim effectus cõ- uocæ, quatenus tales sunt, determinantur ad vnum
trarii sunt amor vel odium, gaudium & tristitia, & effectum in specie, quia ratio causæ vniuocæ in eo
similes: non potest autem idem finis mouere ad a- consistit vt efficiat effectum sibi similem in eadem
morem & odium sui, neq; simul, neq; eodem tem- B specie: nam si in altera etiam specie posset efficere,
pore, & consequenter neq; ad alios actus contrarios iam esset causa æquiuoca. At verò causa æquiuoca,
qui ad hos consequuntur. Dixi autem, *si propriè ac* cùm sit superioris rationis, quam effectus, ex se po-
formaliter idem sit finis, quia si materialiter tantùm su- test esse vniuersalis in causando plures effectuum
matur, eadem res quæ sub vna ratione boni mouet species, & quo fuerit eminentior & superior in vir-
ad amorem sui, sub aliqua ratione mali poterit mo- tute, eò poterit ad plures extendi. Dico autem cau-
uere ad odium. Dixi etiã *qui verè contrarij sint*, nam i- sam æquiuocam posse hanc vniuersalitatem, & non
dem finis qui mouet ad gaudium de sui consecutio- necessariò illam habere, quia non video cur repu-
ne, mouet ad tristitiã de sui amissione, & sic de aliis: gnet dari etiam causam æquiuocam determinatam
tamen illud gaudium & tristitia, non sunt propriè ad vnum effectum in specie, ita vt propter aliquam
contraria, sicut tristitia de peccato, & gaudium de eminentiam suam, vt v. g. quia natura sua inge-
bono opere non sunt formaliter cõtraria: quin po- nerabilis & incorruptibilis est, vel ob aliam causam si-
tius vnus effectus ex alio consequitur, si supponа- milem, non possit producere effectum vniuocum,
tur obiectum. At verò circa ipsas actiones externas & sibi omnino similem in specie vltima: possit ta-
idem finis formaliter & secundũ eandem rationem men efficere aliquem effectum inferioris ordinis,
boni potest mouere ad actiones contrarias diuersis vnius tamen speciei tantum; eò quod in illo ordine
temporibus, vt ex affectu sanitatis nunc excitamur sit virtus nimis limitata, & ex infimis. Nullam e-
ad motum, nunc ad quietem, semper tamen illa cõ- nim repugnantiam inuenio, quod aliqua æquiuoca
traria cadunt sub causalitatem finis, vt aliquo modo causa huiusmodi sit: an verò de facto detur, vel o-
sunt vnum, id est quatenus conueniunt in ratione mnes se extendant ad effectus specie distinctos, in-
boni vtilis ad finem consequendum. certum mihi est.

Tractatur quæstio in efficiente causa. Neque in hac assertione occurrit difficultas ali- XII.

IX. DE causa efficiente non potest eadem generalis C cuius momenti, nisi ea quæ in superioribus tacta est
esse responsio, sed distinctione opus est. Pri- de determinatione causæ naturalis ad vnum effe-
mum inter causam liberam, & naturalem, deinde ctum, si ipsa est indifferens ad plures. Nam cùm in
inter causam per se & per accidens, vniuersalem & naturalibus causis maximè verum habeat illud Phi-
particularem: aliterq; iudicandum est de pluralita- losophicum principium, *Idem manens idem semper fa-*
te effectuum, aliter de contrarietate. *cit idem*, quod sumptum est ex Aristotele, secundo

X. Primò ergo dicendum est omnem causam efficien- de Generatione, capit. 10. non apparet quomodo
tem, si per propriam causalitatem efficiat, posse idem agens naturale manens idem, possit determi-
successiuè efficere plures effectus, non tamen eo- nari ad varios effectus, etiam diuersis temporibus,
dem modo, nam causa particularis & vniuoca tan- vel certè ad vnum ex multis in eodem tempore.
tum potest efficere plures effectus numero distin- Sed ad hoc iam responsum est in superioribus, hu-
ctos: causa autem æquiuoca etiam specie diuersos. iusmodi agens determinari ex concursu aliarum
Tota assertio inductione potest facilè ostendi. Di- causarum, vel circumstantiarum: nec posse aliter
xi autem si per propriam causalitatem efficiat, quia per semetipsum determinari. Cùm autem dicitur,
quando est efficientia per solam naturalem resul- *idem manens idem, facere idem*, subintelligendum est,
tantiam, interdum est causa determinata ad vnum manens idem non tantùm in se, sed etiam in con-
tantum numero effectum, vt hæc anima rationalis cursu, & in concausis & circumstantiis ad agen-
ad hunc numero intellectum vel voluntatem: nec dum requisitis: quod aliter contingit in agente li-
enim possunt aliæ potentiæ numero distinctæ ab bero, prout in superioribus fusè declaratum est.
hac anima naturaliter dimanare. Dici verò posset, Dico secundò. Nulla causa efficiens potest simul XIII.
id prouenire ex eo, quod hæ potentiæ nunquam efficere plures effectus adæquatos suæ virtuti: po-
possunt ab anima naturaliter separari: si tamen de test tamen efficere plures inadæquatos. Probatur
facto separarentur diuina virtute, & non poneretur prior pars, quia repugnat effectum adæquatum
aliud impedimentum, statim fluerent aliæ potentiæ multiplicari, nam si est adæquatus, est æqualis (vt
ita dicam) virtuti agentis: ergo est clara repugnan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tia, quod effectus sint adæquati, & sint plures: alias A ageret res vltra suam virtutem, & virtus vltra suam adæquatum obsectum. Vnde nec Deus ipse potest simul efficere plures effectus adæquatos suæ virtuti: potest tamen efficere plures in quocunque numero, etiamsi in infinitum procedatur, quia nullus effectus, aut effectuum multitudo adæquata est virtuti ipsius. Atque eadem ratione proportionali virtus finita potest ita esse superior respectu vnius duntaxat effectus, vt non adæquetur illi quantum ad efficacitatem, quam simul & eodem tempore potest exercere: tunc ergo poterit simul efficere plures effectus suæ virtuti inadæquatos vsque ad eam multitudinem quæ adæquata sit efficacitati virtutis: nam virtus finita semper in hoc habebit aliquem terminum, cò quod finita sit. Atque ex hoc principio docent Philosophi & Theologi non posse hominem vel etiam Angelum intelligere simul plura vt plura, posse tamen per modum vnius: quod breuiter hunc habet sensum, scilicet, per modum vnius effectus adæquati, de quo alias. Potest autem notari differentia, quoad hanc pluralitatem effectuum, inter agentia libera & naturalia: nam agens liberum per se & ex intentione sua & libertate potest determinari ad plures effectus, si sub virtutem suam cadere possunt: at vero agens naturale intra sphæram actiuitatis suæ naturaliter, & eodem modo agit: quia verò contingit intra illam sphæram esse distincta subiecta, ideò ex illis plures etiam efficit effectus: quomodo vnus ignis potest plures efficere calores in diuersis subiectis, si intra sphæram actiuitatis eius contineantur.

XIIII. Tertiò dicendum est, solum agens liberum per se ac propriè posse efficere contrarios effectus vel successiuè in eodem, vel simul & disiunctim etiam in eodem, vel simul atque coniunctim in diuersis. Hęc sumitur ex Philosopho 9. Metaphy. text. 3. vbi hoc sensu ait proprium esse rationalium potentiarum posse in oppositа. Et constat etiam ex iis, quæ diximus suprà de causis liberè vel naturaliter agentib. Et breuiter declaratur, nam hæc oppositа sumi possunt, vel priuatiuè, vel contrariè: quæ correspondent duobus modis, seu partibus libertatis, scilicet, C quoad exercitium vel quoad specificationem. Priori ergo modo clarum est solum agens liberum, vt sic posse in oppositа per se loquendo, id est, positis omnibus requisitis ad agendum: potest enim & amare, & non amare, & in vniuersum operari, ac non operari. Agens autem naturale tantùm potest operari si requisita adsint, si verò nõ adsint, tantùm potest non operari: & ideò solum per accidens dicitur posse huiusmodi oppositа, scilicet ex defectu alicuius rei necessariæ ad operandum. Quam differentiam docuit Aristoteles 9. Metaph. ca. 9. his breuissimis verbis. *Potentiæ omnes contradictionis sunt, quæcunque scilicet secundum rationem.* Vtique per se & ex virtute sua, vnde subdit. *Irrationales verò, eo ipso, quod adsunt & absunt, contradictionis erunt eadem*, id est, quia vel ipsæmet possunt applicari, & non applicari, vel materia necessaria aut alia ad agendum requisita. Qui locus Aristotelis notatione dignus est, nam ex eò plane colligitur definitio facultatis liberæ suprà à nobis expositа. Vnde agens liberum non solum dicitur causa suæ operationis, sed etiam carentiæ operationis, quãdo liberè illam habet, quia nimirum non ex defectu, sed ex potestate sua quam habet ad suspendendam suam actionem, causa est talis carentiæ actionis. Neq; necesse est, vt hęc causalitas sit per positiuum & realem influxum, sed per suspensionem influxus ex potestate ipsius causæ, nam causalitas debet esse proportionata effectui: cùm ergo effectus sit priuatiuus, non debet causari per influxum positiuum, sed per suspensionem influxus, quę sit in potestate ipsius causæ, naturalis autem causa non ita propriè dici potest causare priuationem suæ operationis, quia re vera illa priuatio non prouenit ex potestate eius, sed potius ex impotentia, seu ex alio defectu.

Atque in hunc modum intelligendum puto, XV. quod Aristoteles ait de gubernatore nauis, eundem esse causam contrariorum: quia sicut præsentia eius est causa conseruationis, ita absentia est causa submersionis ipsius nauis. Non enim de sola absentia & præsentia gubernatoris nauis id intelligendum est, nam hoc modo non assignaretur idem causa contrariorum, sed causæ contrariæ contrariorum effectuum: quia absentia & præsentia contrariæ inter se sunt, sicut conseruatio & submersio nauis: intelligendum est ergo de ipsomet gubernatore, qui & per præsentiam est causa conseruationis, & per absentiam dicitur causa submersionis nauis. Quod in tantum verum esse potest, in quantum ipsemet gubernator est causa suæ absentiæ, sicut & præsentiæ: nam si ipse non esset causa suæ absentiæ, non censeretur causa detrimenti seu submersionis inde subsecutæ. Est autem animaduertendum causalitatem illam, quæ dicitur esse per absentiam, si consideretur respectu priuationis seu carentiæ actionis, qualis est non defendere aut non gubernare nauem, sic esse posse causalitatem per se etiam Physicam, eo modo quo inter priuationes intercedere potest, quia est ordo per se vnius ad aliam. At verò respectu effectus positiui inde subsecuti, qualis est demersio nauis, illa tantum est causa per accidens, Physicè loquendo, nam causa per se sunt venti, &c. Moraliter autem dicetur gubernator causa per se, si potuit & tenebatur adesse, & gubernare nauim, vt latiùs in scientia morali tractatur. Quapropter ille modus tribuendi effectus contrarios eidem causæ præsenti vel absenti, propriè ac C per se loquendo, in solis causis moralibus locum habet: sol enim non ita propriè dicetur causare tenebras sua absentia, quia ipse non est causa absentiæ suæ: vnde licet tenebræ sequantur ex absentia, non tamen ex causalitate solis, sed eius, qui absentiæ illius causa fuit.

Posteriori modo contrarietas propriè est inter XVI effectus positiuos, vel formas repugnantes: & hoc etiam modo agens liberum per se & propria virtute, & positis omnibus requisitis ad agendum põt efficere effectus contrarios, vel eliciendo illos per potentiã liberam, quo modo potest vel amare vel odio habere; vel imperãdo illos, quomodo põt homo vel assentire vel dissentire eidem rei propositæ, & medicus (quod est exemplum Arist.) potest eadem medicinæ arte sanare ægrotum, vel interficere. Atq; ita potest efficere contraria tribus illis modis suprà positis, scilicet vel successiuè circa idem, nam potest nunc amare, posteà odisse eandem rem; vel pro eodem instanti, & circa idem, non tamen coniunctim, sed diuisim, quia potest in eodem instanti vel amorem vel odium exercere: vtrumq; autem simul repugnat: vnde coniunctim & pro eodem instanti solum hoc potest circa diuersa, vt potest medicus simul applicare vni medium salubre, alteri nociuum.

Sic

Sic igitur causa libera per se & propria virtute po- A test actus vel effectus contrarios operari. Secus verò est in causa naturaliter agente, quia est natura sua determinata ad vnum; & ideò per se non potest contraria efficere. Et licet interdum contrarii effectus videantur ab eadem causa naturali prouenire ob eminentem virtutem eius, tamen vel non fiunt circa idem, & eodem modo dispositum, sed circa diuersa diuersimodè affecta, & ita non fiunt propriè vt contrarii sunt, quomodo Sol exsiccat lutum, & liquefacit ceram: vel vnus fit per se, & alius per accidens, vt de effectu per Antiperistasim in superioribus diximus; vel certè talis causa non efficit se sola vtrumque contrariorum, sed concurrentibus aliis causis & dispositionibus: sic enim Sol ad varias & repugnantes formas in his inferioribus concurrit: de quibus ferè omnibus in superioribus diximus; & de speciali difficultate quę in motu cordis esse videtur, dictum est disp. 18.

XVII. Aristoteles. Solùm contra priorem partem potest obiici, quod Aristoteles 9. Metaphys. tex. 3. significat, etiam potentias rationales non posse per se in vtrumq; con- B trariorum, sed in vnum per se, & in aliud per accidens. Veruntamen, vt ibi adnotauimus, illud, *per se & per accidens*, ibi non sumuntur in ea significatione qua distinguunt causam præter intentionem, & præter proprium influxum & virtutem operantem, à causa per se: sed prout distinguunt primariam & secundariam inclinationem virtutis operantis, & voluntas dicetur hoc modo per se amare, per accidens autem odisse, non quia non per se & proprio influxu eliciat actum odii, sed quia prosecutio per se primò conuenit potentiæ appetitiuæ, fuga verò ex consequenti & quasi per accidens, id est, ratione alterius.

DISPVTATIO XXVII.

De comparatione causarum inter se.

DVæ tantum comparationes faciendæ supersunt inter causas ipsas, vna in perfectione, altera in causalitate: ex quibus simul etiam constabit quo- C modo in prioritate comparentur, seu quæ illarũ prior censenda sit. In his autem comparationib. obseruandum est, generatim esse intelligendas, conferendo nimirum vnũ genus causę cum alio: nã speciatim descendere ad singulas causas singulorũ generũ, res esset infinita, & præter scientiam.

SECTIO I.

Quænam ex quatuor causis perfectior sit.

I. POssunt hæ causæ comparari vel in ratione & perfectione entis, vel in ratione causandi, & perfectione quam in illa habent: estq; hæc posterior comparatio formans (vt ita dicam) & per se ad præsens pertinens: tamen, quia causalitas consequitur rationem entis, & est proprietas seu attributum eius, ideò maior perfectio in causando consequi solet ex maiori perfectione in essendo: & ideò non possumus ita posteriorem comparationem facere, vt priorem omnino omittamus.

Comparantur intrinsecæ causæ ad extrinsecas.

II. PRimò igitur certum est, comparando materiam & formam ad efficiens & finem, illas esse causas minùs perfectas ex suo genere, tam in esse quàm in causalitate. Probatur, quia cum sit comparatio inter genera, illud est præferendum alteri in quo forma & perfectissima species excedit perfectissimam alterius generis, vt colligitur ex doctrina Aristot. lib. 1. de Cœlo cap. 11. tex. 115. & 116. vbi docet metiri perfectiones potentiarum ex eo, quod in vnaquaq; maximum est: sed supremum efficiens & supremus finis superant quamcunque materiam vel formam, vt per se notum est: ergo. Item in genere entis materia & forma sunt entia incompleta, & aliquo modo imperfecta, & hoc intrinsecè includunt ex vi suarum rationum, & in tota sua latitudine, efficiens autem & finis, minimè, sed quo ens fuerit magiscõpletum, actualius, & perfectius, eo per se loquendo aptius erit ad perfectam rationem efficientis vel finis exercendam. Item materia & forma in ipso modo causandi imperfectionem includunt, quia non causant nisi componendo: efficiens autem & finis, quæ sunt causæ extrinsecæ, per se loquendo nullam inuoluunt imperfectionem in causalitate sua.

Comparantur inter se forma & materia. III.

SEcundò comparando materiam ad formam dicendum est, formam præstare materiæ tam in ratione entis, quam in ratione causæ. Hæc assertio præcipuè habet locum in materia & forma substantiali: de quib. satis tractata est suprà cùm de his causis egerimus, vbi vtramq; partem ostendimus ex eo, quod forma plus actualitatis habet quam materia: vnde ipsa est quæ complet rei essentiam, & quæ est principium omnium operationum & perfectionum compositi. Ex quo intelligitur, comparationem hanc in ratione causæ debere intelligi respectu compositi, nimirum quatenus hę duæ sunt causæ illius: nam si comparatio fiat inter materiam, & formam præsertim materialem ad inuicem, sic magis propriè videtur causalitas materiæ in formam, quã formæ in materiam, quia dependentia talis formæ à materia est magis à priori, vt à proprio sustentante: dependentia verò materiæ à forma magis est à posteriore vt à conditione seu actualitate requisita ad connaturalem & debitum statum materiæ, vt in superioribus dictum est. Neq; hoc obstat quo minùs materia in genere entis simpliciter sit minus perfecta, licet secundum quid in aliqua conditione excedat.

IIII. Accidẽtalis forma per fectior sit suosubiecto, an imperfectior.

Quocirca si hæc comparatio extendatur ad formam accidentalem, & subiectum eius, intelligenda proportionaliter est respectu concreti, vt formaliter cõstituti in tali ratione: sic enim perfectius causatur à forma accidentali, quam à subiecto, & sub eadem cõsideratione forma accidentalis excedit subiectum, quatenus comparatur ad illam vt actus ad potentiam: tamen ille excessus tantùm est secũdum quid: nam absolutè in perfectione entis subiectum primarium accidentis est substantia, quæ simpliciter perfectior est. Et in ratione etiam causandi, subiectum magis est causa accidentis, quàm è cõuerso, quia subiectum simpliciter sustentat accidẽs in suo esse, accidens verò vt sic solùm accidentaliter perficit subiectum, & ad summum aliquando est conditio vel dispositio necessaria ad sui subiecti conseruationem. Atque ex his duabus comparationibus colligere licet, absolutè loquendo de generibus causarum, materiam esse in primo & infimo gradu; in secundo esse formam, solum ergo superest vt finem & efficiens inter se comparemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Finis & efficiens inter se comparantur.

V. Finis & efficiens in perfectione entitatiua non necessario se excedunt.

Dico tertiò. Si finis & efficiens in perfectione entitatiua comparentur, neutrum est perfectius alio, sed eiusdem sunt perfectionis, quamuis in ratione finis formaliùs illa perfectio exprimatur, quàm in ratione efficientis. Probatur prior pars, quia finis & efficiens, sumpta in tota latitudine sua, non necessariò distinguuntur in ratione entis, sæpe enim in idem coincidunt, quod maximè contingit in perfectissimo efficiente, & in perfectissimo fine: hæ namq; duæ rationes in vna & eadem re coniunguntur, nempe in Deo: ergo cõparando has duas causas in suo genere, & in summo vtriusq;, neutra excedit alterum. Et ratio propria esse videtur, quia vtraque harum causarum ex suo genere dicit perfectionem sine imperfectione, & vtraque, vt habeat summam perfectionem possibilem in suo genere, requirit infinitam perfectionem simpliciter in genere entis, & ideò neutra ex suo genere alteram necessario excedit.

VI. Posterior verò pars declaratur, nam in fine propria & formalis ratio causandi est bonitas & perfectio eius, vt suprà dictum est: efficiés verò causat per suam formam seu naturã vt sic: & ideò dicitur causa finalis formaliùs exprimere perfectionem & bonitatem quam causa efficiens, quod magis pertinet ad distinctionem ex conceptibus nostris, quàm ex ipsa re. Hinc verò proportionaliter intelligitur, in aliis agentibus & finib. sæpe etiã has duas causas esse eiusdem perfectionis, quatenus quodlibet agens aliquo modo propter se ipsum operatur, vel quatenus operatur propter finem vniuocum seu sibi similem vel æqualem: aliquando verò causam efficientem superare in perfectione finalem, quando finis est proximus, & non vltimus, sæpius verò & connaturalius finem excedere in perfectione causam agentem, nam quando causa agens non est summè perfecta, vt optimo modo operetur, propter aliquod excellentius bonum operatur.

VII. Dico quartò. Si finis & efficiens comparentur in ratione causandi, in multis etiam habent æqualitatem, in aliis verò se mutuò excedunt secundum proprias ac præcisas rationes formales, simpliciter autem causa finalis censetur prima ac præcipua in causando. Vt breuius agamus, totam conclusionem hanc in Deo, qui suprema causa finalis & efficiens est, declaremus. Quanquam enim omnia quæ in Deo sunt, prout in eo sunt, sint æquè perfecta, vel potius vna perfectio, tamen prout à nobis varia attributa secundum proprias ac præcisas rationes cõcipiuntur, intelligimus vnum ex suo genere esse eminentius alio, vel munus aut opus vnius, munere alterius, quomodo dicunt Theologi misericordiam esse maximam virtutem in Deo. Sic ergo comparãdo rationem causæ efficientis & finalis, inuenientur æquales primo in effectibus, quia non potest causa efficiens perfectissima habere plures vel nobiliores effectus, quam possit finalis causa etiam summè perfecta, & è conuerso: nullus enim effectus est à Deo vt efficiente, qui non sit propter eum vt vltimum finem, & è contrario. Imò vlterius addi potest in hoc etiam esse æqualitatem, quod sicut omnes effectus omnium causarum efficientium sunt à primo efficiente, ita omnes effectus omnium causarum finalium sunt à supremo fine: & mutata proportione sicut omnes effectus omnium causarum finalium sunt in suo genere à primo efficiente, ita omnes effectus omnium causarum efficientium sunt in suo genere à supremo fine. Tertiò est in hoc etiam quædam æqualitas, quod vtraque ex his causis ex suo genere dicit perfectionem simpliciter, vnde neutra includit imperfectionem, vt limitationem, aut dependentiam, vel aliquid simile, & sicut vna est connexa (vt ita dicam) cum altera in causando, ita etiam vicissim altera cum illa, neutra tamen dici potest propriè dependens ab altera, sed effectus ipsi sunt dependentes necessariò ab vtraque, seu à Deo sub vtraque ratione. Et ita patet prima pars assertionis.

VIII. Efficiens in quo excedat finem.

Secunda declaratur, quia ratio causæ efficientis in hoc multum videtur excedere, quod influxus eius est maximè proprius & realis per essentialem dependentiam & emanationem effectus ab illa, vnde efficiens propriissimè dicitur dare esse effectui, & Aristoteles illud definiuit esse principium, *vnde incipit motus*, seu productio vel factio rei. Et hinc etiam ortum habuit vt effectus, cùm sit adæquatum correlatiuum causæ, per Antonomasiam ab efficiendo nominetur, propter quod Stoici solam causam efficientem nomine causæ dignam censuerunt, vt patet ex Seneca epistol. 66. & Laertio in vita Zenonis. Finis autem excedit primum in hoc, quod est veluti vltimus terminus in quem omnis actio efficientis dirigitur, ita vt, si ita fas est loqui, dicere possimus efficiens fini deseruire, & Deum ipsum sibi quodammodo ministrare, dum quidquid agit, propter se operatur. Et ob hanc rationem, cùm effectus aliquo modo sit propter suam causam (particula enim *propter* generatim potest causalitatem indicare) tamen per Antonomasiam de solo fine dicitur, *esse propter quem res fit*, & hinc etiam Socrates solam causam finalem, causam appellauit apud Platonem in Phædone. Deinde ac præcipuè videtur superare finis in hoc, quod ipse est primum initium & principium omnis actionis, quia ipsummet efficiens excitat & allicit ad efficiendum: quod, quamuis in primo efficiente inueniatur absque causalitate finis in ipsum efficiens, sed tantum in externam actionem eius, nihilominus secundum eam rationem intelligimus primum motorem, vel (vt ita dicam) primum procuratorem omnis causalitatis esse finem. Qui propterea appellari solet. *Prima, & Causa causarum*, vt notauit Albertus, libro secundo Physicor. tract. 2. capit. 5. vbi quosdam alios ordines inter has causas considerat: sed illi quos explicuimus, videntur esse præcipui.

Seneca. Laertius. Plato.

IX. Causa dicitur Analogicè de quatuor generibus.

Sed quæri tandem hîc potest, quod suprà huc remisimus, an hæc inæqualitas causarum tanta sit, vt Analogiã inter eas constituat in ratione causæ. Ad quod breuiter dicendum est cum cõmuni sententia, rationem causæ nõ esse vniuocam, sed Analogam, primò quidem propter rationem suprà tractatam, quòd causa accidentium & substantiarum non est vniuocè causa. Secundò, quia ratio causæ dicta de Deo, & de materia & forma, non potest esse vniuoca propter eandem rationem, qua nec ratio entis aut cuiusuis alterius prædicati realis cõmunis Deo & creaturis potest esse vniuoca. Quæ duæ rationes non solum probant rationem causæ in communi, sed etiam rationem causæ efficientis (& idem est de fine) non esse vniuocam, siue vt communis est causæ efficienti accidentium & substantiæ, siue vt communis est primæ causæ & secundis, propter essentialem dependentiam secũdarum à prima. Quod maximè

ximè verum est, si comparentur in virtute causandi, nam si comparentur in actione ipsa, non est tam propria Analogia, eò quod & actio ipsa quid creatũ sit, & sæpe vnamet actio sit ab vtraq; causa, quod in superioribus tactum est.

X. Prætercà comparando materiam & formam inter se, nulla apparet inter eas Analogia in ratione causæ, tamen si conferantur cum fine, videtur sanè alia ratio Analogiæ hîc intercedere. Nam efficiens propriissimè influit esse: materia aũt & forma non tam propriè influunt esse, quã componunt illud per se ipsas, & ideò secundũ hanc rationem videtur nomen causæ primò dictum de efficiente: ad materiam autem vel formam esse translatum per quandam proportionalitatem. Vnde licet illæ duæ causæ sint propriè partes essentiales, & principia intrinseca rei naturalis, causæ verò dictæ videntur per dictam Analogiam, licet iam secundum communem vsum simpliciter sit illis tribuendum nomen causæ.

XI. At verò comparando inter se causam efficientem & finalem, mihi quidem videtur, si nominis impositionem & vim attendamus, primò & maximè dictum esse de causa efficiente, cuius influxus & notior est, & maximè realis, & propriissimè attingens ipsum esse, quod communicat effectui. Quoad rem tamen significatam, iam dictum est propriè & aliquo modo primariò conuenire causæ finali. Non video autem quæ sit necessitas constituendi propriam Analogiam inter has duas causas modò à nobis propositas, finem scilicet ac efficientem, si per se comparentur, & cæteris paribus ex parte effectus, & secundum totam perfectionem, quam vnaquæque potest habère in suo ordine, quod est comparare rationem finis & efficientis, prout in Deo sunt. Nam vtrique conuenit propriè & intrinsecè ratio causæ, & in ea possunt concipi, vt habentes aliquam conuenientiam veram ac propriam, & non habent inter se dependentiam essentialem in ea ratione, quamuis habeant connexionem, vt declarauimus: nulla est ergo ratio Analogiæ inter ipsas: erit ergo sub ea ratione nomen vniuocum. Nec enim repugnat nomen alioqui Analogum ad plura, vniuocè aliquibus conuenire, vt inferius dicemus tractãdo de Analogia entis & accidentis. Et hæc de hac comparatione sint satis.

SECTIO II.

Vtrùm causæ possint esse sibi inuicem causæ.

I. Dubitandi ratio pro parte negatiua.

Ratio dubitandi est, quia causa, vt suprà est dictum, est prior effectu, & consequenter effectus posterior causa; ergo non potest id quod est effectus, esse causa suæ causæ: alioqui vel esset simul prius & posterius, vel non omnis causa esset prior suo effectu. Nec satisfaciet si quis respondeat, non repugnare idem esse prius & posterius altero natura tantum, & secundum diuersas rationes: nam prioritas naturæ, quæ in causa requiritur respectu effectus, non est tantum prioritas secundum vnam vel alteram considerationem, sed est absoluta prioritas, quæ dici potest præsuppositionis, quatenus, absolute loquendo, in causa debet præsupponi esse, vt causare possit. Vnde sic concludi potest: in causa absolutè supponitur esse ad esse effectus, nam effectus non habet esse nisi media causalitate, & ad causalitatem simpliciter supponitur esse in causa: ergo ad esse effectus simpliciter supponitur esse in causa: ergo causa simpliciter & omni ratione debet esse prior natura effectu: nam prioritas naturæ non videtur esse aliud quam quædam prioritas præsuppositionis: ergo fieri non potest vt causa sit effectus suæ causæ.

II. Rationes affirmatiuæ partis.

In contrarium autem est, quia Aristoteles agens de causis, illud docuit axioma, quod à cæteris Philosophis receptum est. Quapropter non tam inuestigamus an hoc verum sit, quàm quo sensu intelligendum sit: quod præstabimus melius conferendo singulas causas inter se: nam in generali loquendo non est necessarium neque possibile omnes causas esse sibi inuicem causas, siue secundum diuersa genera, siue intra idem genus conferantur. Quia in primis non omnes causæ habent causam, vt constat de prima causa efficiente & vltimo fine. Deinde, quamuis aliqua causa, efficiens verbi gratia habeat causam, non tamen habet causam à se causatam, neq; etiã semper habet causam materialem vel formalem. Non ergo debet illud axioma vniuersè intelligi, sed indefinitè seu non repugnanter, quia nimirum non repugnat aliquas causas esse sibi inuicem causas, vel certè quod in aliquibus etiam necessarium sit, & ideò videndum superest in quibus non repugnet, vel necessarium sit.

Sensus quæstionis exponitur.

III. Est autem aduertendum duobus modis posse intelligi causas esse sibi inuicem causas: primo formaliter tantùm (vt sic dicam) seu secundum generales rationes causarum: secundo in particulari, & secundum eas dem res causantes & causatas. Prior sensus est facilis sine & difficultate, sed nõ est in præsenti præcipuè intentus, quia in eo solum asseritur, efficientem causam verbi gratia posse habere causam materialem: & è conuerso causam materialem posse habere causam efficientem, & sic de aliis, quod in omnibus generibus manifestum est, nam & materia est effecta, & multæ causæ efficientes sunt res causatæ à materia, & quatenus actu causæ sunt, earum causalitas etiam causatur à materia. Neque in hoc sensu procedit difficultas suprà tacta, quia non comparatur eadem res in ratione causæ & causati, sed vna res comparatur ad alteram vt ad effectum suum in quodam genere causæ, ad aliam verò vt ad causam suam in alio genere, quod genus causæ participatur ab effectu alterius, sic autem nullum est inconueniens vt aliqua causa materialis, sit posterior aliqua causa efficiente à qua fit, & prior alia quã ipsa materialiter causat. Comparari ergo debent causæ in indiuiduo, & in eisdem rebus. Rursus autem inter istasmet res potest intelligi comparatio vel secundum idem, vel secundum diuersa: secundum idem, vt si vna sit causa esse alterius, & vicissim ab illa causetur quantum ad suum esse: nam cùm vnaquæq; causa per suum esse causet, si secundum illud etiam causatur à suo effectu, tales res, & eædem, & secundum idem erunt sibi inuicem causæ. Secundum diuersa autem erunt, si vna sit causa alterius secundum esse eius, alia verò sit causa alterius solùm secundum causalitatem ad aliquam aliam superadditam perfectionem, quæ omnia exemplis clariùs patebunt ex sequentibus.

Quomodo materia & forma sint sibi inuicem causæ.

IIII. Dico ergo primò. Materia & forma sunt sibi inuicem causæ, & aliquo modo secundum idem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tamen omnino. Hæc assertio primo declaratur in materia prima, & substantialibus formis materialibus, de quib. certum est causari à materia, & quoad esse suum, quia ex ea fiunt, & in ea sustentantur, & quoad suâ causalitatem, quia earum informatio eodem modo pendet à materia. E conuerso verò etiam forma est causa materiæ in suo genere, quia illam informat & actuat, & quia sine illa informatione non potest materia naturaliter esse. In quo est considerandum duo contineri in hac causalitate formæ circa materiam: vnum est, quod forma perficit materiam ipsam informando illam, aliud est, quod media hac informatione materia suum esse retinet. Quâtum ad primum, forma & materia sunt sibi inuicem causæ, nõ tamen secundum idem, quia illa perfectio quam forma formaliter præbet materiæ, distinctum quid est ab ipso esse materiæ, quia non est aliud ab ipsa forma seu informatione eius, vnde sub hac ratione, forma non tam est causa materiæ absolutè, & simpliciter, quam materiæ informatæ. Atq; ita materia est causa formæ simpliciter & secundum esse eius, forma verò est causa materiæ B solum quatenus formata est, & secundum hanc rationem dicimus non esse secundum idem sibi inuicem causas materiam & formam.

V. At verò secundum aliud quod habet materia per formam, possunt dici inuicem causari & causare secundum idem, nam materia per suum esse causat formam, & in eodem dici potest causari ab illa, quatenus illud habere non potest sine illa, nam hoc est signum dependentiæ & causalitatis alicuius. Tamen si vera sunt quæ de his causis suprà diximus, in hoc quasi circulo, non est omnino eadem proprietas & similitudo, nam materia per suum esse directè & per se causat ipsum esse formę, ita vt in nulla ratione debeat aut possit intelligi esse formæ, vt quid præsuppositum ad influxum materiæ, sed vt causatum per illum. At verò è conuerso esse materiæ simpliciter concipiendum est vt præsuppositum ad esse talis formæ, quia est principium ipsius influxus materialis, sine quo non fit talis forma: adeò vt eius naturalis effectio, si secundum propriam rationem concipiatur, non possit ita præscindi, quin præsupponat materiam, quia essentialiter est eductio de potentia C materiæ. Igitur esse materiæ solum est à forma pendens vt à conditione & actualitate superaddita, sine qua naturaliter esse non potest, quæ à multis dicitur (vt suprà notaui) dependentia à posteriori & non à priori. Ob hanc ergo causam dixi, quod licet hæc mutua causalitas sit aliquo modo secundum idem, nõ tamen omnino, quia nimirum directè & immediatè est secundum diuersa, consequenter verò terminatur aliquo modo ad idem, quatenus ipsummet esse materiæ pendet aliquo modo à forma.

VI. Explicatur assertio in materia prima & rationali anima. Et iuxta hæc facilè explicatur conclusio in materia, & forma substantiali subsistente, illa enim forma non causatur à materia secundum suum esse, sed tantùm secundum informationem: est autem causa materiæ eodem modo quo aliæ formæ substantiales, & ita minor quodãmodo est in illa mutua causalitate difficultas. Inter subiectum item & accidens proportionali modo interuenit illa mutua causalitas, nam subiectum est causa materialis accidentis, & propriissimè causat fieri & esse illius, quia sustentat illud: accidens verò non est propriè causa subiecti secundum esse illius, est tamen causa aliquo modo actuans & perficiens illud, quod potiùs est esse causam formalem illius esse quod confert subiecto, quam ipsius subiecti. Interdum verò hæc causalitas redundat aliquo modo in ipsummet subiectum, quandovidelicet talis est connexio inter subiectum & accidens, vt naturaliter manere non possit subiectum sine tali accidente seu dispositione: & tunc aliquo modo dici potest talis causalitas mutua secundum idem esse subiecti: veruntamen illa non tam est causalitas propriè & dependentia à priori, quam condicio quædam necessaria secundum naturalem ordinem, vt sæpe dictum est.

Quomodo finis & efficiens sunt sibi inuicem causæ.

VII. Dico secundò. Finis & efficiens sunt sibi inuicem causæ, non tantum secundum diuersa, sed etiam secundum idem. Hæc assertio quoad primam partem est Aristotel. 5. Metaph. cap. 2. & lib. 2. Physicor. cap. 3. Vbi non adhibet exempla huius mutuæ causalitatis, nisi inter finem & efficiens. Communiter autem exponitur secundum diuersa, scilicet, finem esse causam efficientis quoad causalitatem eius, efficiens verò esse causam finis quoad esse illius. Ita ferè D. Thom. super Arist. & Alen. in Metaph. & Alber. 2. Physic. tract. 2. cap. 6. sed non existimo esse omnino excludendum, quin aliquo modo hæ duæ causæ sint sibi inuicem causæ etiam secundum idem, vt ex his quæ dicemus, constabit. Nunc declaratur facile sententia communis, quoad, id, quod affirmat. Nam finis quem agens habet in agendo, non est causa esse illius, nam supponit in illo esse, vt possit & agere & Metaphoricè moueri a fine ad agendum, si capax sit talis motionis. Quod autem finis sit causa efficientis quoad causalitatem patet, quia excitat & mouet efficientem causam ad agendum. Quod verò è contrario finis sit effectus agentis secundum suum esse, patet, quia eadem forma quæ mouet agens ad agendum, est terminus actionis eius. Ratio denique à priori est, quia finis, vt causet, non requirit actualem existentiam, sed tantùm esse in apprehensione: & ideò prius quam in re sit, potest mouere in suo genere agens ad agendum, & rursus potest ab eo existentiam recipere per veram efficientiam.

VIII. Aliquot obiecta contra resolutionem de efficiente & fine. Sed obiicitur primò contra vtramq; partem. Primò quia finis non confert efficienti vllo modo vt sit id, vnde primum motus proficiscitur, sed à se id habet, vel ab aliis causis prioribus, ergo finis non est causa efficientis quoad causalitatem. Secundò, nam aliàs sequitur Deum quatenus efficiens est, causari à fine, quod dici nullo modo potest. Tertio è contrario videtur, finem non solum esse causam efficientis quoad causalitatem, sed etiã quoad esse, vt patet in exemplo Aristotelis: nam laborare vel ambulare est causa effectiua sanitatis, causatur autem à sanitate in genere finis: causatur autem non tantum quoad causalitatem, sed etiam quoad esse: nam ipsummet esse deambulationis, seu fieri (quod in ea idem est) est propter sanitatem. Quartò falsum etiã videtur finem esse ab efficiente quoad suum esse, nam finis operantis est ipsummet agens, quod non potest esse à se ipso effectiuè.

IX. Propter primam obiectionem quidam in vniuersum negãt finem esse causam efficientis quoad causalitatem: imò in omnibus causis negant esse sibi inuicem causas quoad causalitatem, quia nec materia habet à forma vt sustineat formam, nec forma à materia, vt informet. Sed vereor ne sit æquiuocatio in his terminis, nam loqui possumus vel de causalitate

salitate in actu primo, vel in actu secundo. Cùm ergo dicitur, vnã causam esse causam alterius quoad eius causalitatem, propriè ac per se est sermo de causalitate in actu secundo: argumenta autẽ procedunt de actu primo. Sic enim verum est materiam nõ habere à forma sustẽtare, id est vim illam, quam habet ad sustentandam formam & è contrario formã non habere à materia vim quam habet ad informãdum. Quanquam hoc posterius non sit in vniuersum verum, sed in anima tantũ rationali, nam aliæ formæ sicut habent suum esse dependenter à materia, ita & omnem suam vim & substantialem aptitudinem, vt per se satis constat. Vnde si etiam è contrario dicatur materia habere suum esse à forma, fatendum est ab illa etiam habere vim sustentandi formã, nos autem non ita loquimur, quia non censemus propriè loquendo, habere materiam propriè suum peculiare esse à forma, sed habere illud depẽdenter à forma vt à posteriori conditione, vt sæpè declaratũ est. At vero quoad actualem causalitatem falsum est materiã & formam non esse sibi inuicem causas, nam & materia est in suo genere causa actualis informationis formæ, quia non potest forma informare nisi materia causante materialiter ipsammet informationem formæ, & è conuerso materia similiter non potest actualiter sustinere formã, nisi eadem forma causante in suo genere ipsammet sustentationem materiæ, quidquid illa sit. Vnde re ipsa spectata hæc mutua causalitas in causando non est aliud nisi mutuus cõcursus vtriusque causæ ad suas proprias causalitates.

X. Sic igitur facilè constat quomodo finis sit causa efficientis causæ quoad causalitatem eius, quidquid sit de virtute causandi, de quo inferiùs dicã. Est ergo finis causa alliciens virtutẽ agentis vt causet, & consequenter in suo genere influens in actualem causalitatem eius. Ex quo vlteriùs colligo etiam efficientem causam posse dici in suo genere causam finis quoad actualem causalitatem. Quãuis enim virtus causandi finis prout antecedit in intentione non sit ab ipso efficiẽte, tamen actualis causalitas finis non potest esse sine efficientia agẽtis, vt suprà demõstratum est, & ideò sicut causa efficiens constituitur in actu secundo, concurrente fine ꝓpter quem causat, & ob hãc rationẽ dicitur causari à fine quoad causalitatẽ suam, ita è conuerso causa finalis non constituitur in actu secundo nisi concurrente causa efficiente in suo genere ad causalitatem eius, ergo habẽt in hoc mutuam inter se causalitatem in suis generibus, sicut materia & forma inter se. Et quoad hanc C partem verum in primis habet, quòd in conclusione dixi, finem & efficiens esse sibi mutuò causas non tantùm secundum diuersa, sed etiam secundum idem.

XI. Secundò. Ad secundum responderi potest primò, nõ oportere conclusionem positã vniuersè intelligi de omni fine & de omni efficiente. Quod. n. in principio notauimus propositionẽ Aristotelis nõ esse vniuersalem de omnib. causis, potest ad præsentẽ etiã conclusionem applicari, quia, vt statim dicemus, non omne efficiens dat esse illi fini propter quẽ operatur, & simili modo nõ omne agens mouetur à fine ad operandum per ꝓpriam finis causalitatẽ. Secũdò verò dicit, loquendo de Deo vt de efficiente nõ quoad vim efficiendi, nec quoad internã voluntatem causandi, sed quoad actualem & transeuntẽ causalitatẽ suam, verum esse, hanc causalitatem, qua denominatur Deus actu efficiẽs, causari ab ipso Deo, vt fine, nam hæc causalitas Dei non est aliud quã actio eius transiens ab ipso, & in creatura recepta, quæ verè etiam causatur ab ipsomet Deo vt à fine, vt in superioribus visum est. Atque ita etiam in Deo verum est non constitui actu agentem nisi cõcurrente se ipso vt fine ad suam causalitatem actiuam, & è conuerso non constitui actu finem nisi concurrente se ipso actiuè ad suam causalitatem finalem.

XII. Tertiò. Ad tertium concedendum est id totum quod intendit, nam aliqua est causa efficiens quę totũ suum esse habet à fine in genere causæ finalis, quẽ & propter quem causat. Quod non solum Aristotelis exemplo, sed etiã aliis ostendi potest, nam finis intellectus verbi gratia, est intelligere: imò in vniuersum potentia vel agens creatũ, dicitur esse propter operationem: ergo in genere finis intellectus causatur ab intelligere, non solùm quoad causalitatem, sed etiam quoad esse, nam propter intellectionem fit, & est. Et hinc etiam intelligitur interdum finem esse causam agentis, non solum quoad actualem causalitatem in actu secundo, sed etiam quoad virtutem causandi in actu primo, vt verbi gratia sanitas est causa finalis rhabarbari, non tantum vt actu expellentis, vel applicati ad expellendam choleram, B sed etiam quoad ipsam virtutem innatam quam habet ad illum effectum, nam propter hunc finem illã recepit ab authore naturæ vt sanitatem causaret. Et hoc secundum à fortiori colligitur ex primo, vt suprà in simili dicebam, nam si ipsum esse rei quæ est causa efficiens, causatur finaliter à suomet effectu, multò magis virtus effectiua ad causandum, quæ consequitur ad ipsum esse, poterit ab eodem fine causari. Atq; in hoc etiam verificatur quod in conclusione diximus, finem & efficiẽs posse esse sibi inuicem causas secundum idem, nã & finis in suo genere causat efficiens quoad esse eius, & efficiens in suo causat finem quoad suum esse reale. Et ratio est eadem quæ suprà tacta est, quia finis vt causet, non supponitur esse secundum esse reale, & ideo, si supponatur apprehensus in causa efficiente aliam efficiẽtem causam ipsiusmet finis, potest finaliter illam mouere, vel cum illa finaliter concurrere ad dandũ esse illi rei, à qua posteà idemmet finis secundũ realem existentiam procedit, & sic domus in mente artificis, est causa finalis fabricandi ferram verbi gratia, à qua ferra domus ipsa postea efficienter fit.

XIII. Quapropter, cùm graues authores dicunt, finem & efficiens esse sibi mutuo causas secundũ diuersa, exponendi sunt, ꝙ explicuerint id quod magis per se cõuenit his causis ac formaliùs vt actu causantibus. nõ verò ꝙ excluserint omnem alium modum mutuæ causalitatis, qui inter has causas haberi potest. Itaq; specialiter attribuitur fini, ꝙ sit causa agentis quoad actualem causalitatẽ seu actionem, quia hoc est semper ac per se necessarium, eò ꝙ omnis actio est aliquo modo propter finem: quòd verò sit causa ipsius esse agentis, nõ est ità per se aut necessarium, quãuis sæpè ita contingat. Et quãuis agens etiã concurrat ad causalitatem finis, vt declarauimus, tamen hoc magis attribuitur fini, quia ipse est primus in mouendo & influendo ad causalitatem agentis, vt suprà etiam declaratum est. E conuerso autem efficiens dicitur causare finem secundum esse eius, quia hoc per se ac semper illi conuenit, quia non potest operari propter finem nisi aliquo modo efficiat ipsum finem.

XIIII. Hoc autem (vt ad quartam obiectionem iam respondeamus) intelligendũ est de fine cuius, vel etiã de fine quo seu formali, ꝙ est adeptio finis obiectiui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam finis cui, non fit ab efficiente, vt rectè probat A illa quarta obiectio: nec etiam finis obiectiuus fit, sed obtinetur: finis aũt cuius, est terminus intrinsecus ad quem tendit & terminatur actio agentis, & ideò per se, & secundum suum esse est effectus agentis. Et similiter quando bonum amatur seu desideratur, non vt fiat, sed vt possideatur, ipsa consecutio vel possessio finis fit ab ipso agente, quia tota intentio, & applicatio mediorum ad illam tendit, & tunc in illa serie, illa est quidam finis, cuius gratia & propter quem fit operatio.

Quomodo materia & finis sint sibi inuicem causæ.

XIIII. TErtiò dicendum est, finem & materiam posse mutuò sibi inuicem esse causas. Probatur, quia Aristoteles ait formam & finem coincidere in idem numero: est autem forma non tantùm finis generationis, sed etiam ipsius materiæ, quia materia natura sua est propter formam tanquam propter finem, & simul etiam est propter compositum, quia hæc duo non repugnant, sed subordinata sunt. Est ergo materia effectus formæ & compositi in genere causę finalis: sed eadem materia est causa materialis formæ & cõpositi: ergo est reciprocatio inter has duas causas in ratione causæ & causati. Quod quidem generale est ex parte materiæ, non verò ex parte finis, sed tunc solum, quando talis est finis vt materia cõstet vel ab illa pendeat: omnis enim materia ordinatur ad aliquam formam vel compositum vt ad finẽ, & ideò in quacunq; materia respectu talis intercedit semper dicta causalitas mutua: non autem omnis finis constat materia aut pendet ab illa, vt per se notum est, & ideò ex parte eius non potest esse vniuersalis illa reciprocatio. Atq; ita explicata hac assertione nulla manet in ea difficultas, & fundamentum eius est idem quod suprà tactum est, quia finis vt causet, non supponit præexistere realiter, & ideò potest esse causa suæ materiæ, licet ab illa realiter causetur in suo genere.

Mutua causalitas inter formam, & finem excluditur.

XV. DIco quartò. Forma & finis, propriè ac per se loquendo, nũquam possunt esse sibi inuicem causæ. Loquor de forma vt exercet genus causæ formalis, & ideò dixi *propriè & per se loquendo*: nam interdum contingit vnam formam, quę est effectus alterius in genere causę finalis, esse causam eiusdem formæ quæ est finis, tamẽ nunquam est causa formalis C eius, sed aut efficiens, aut materialis. Vt lumen gloriæ est effectus visionis beatificæ in genere causæ finalis, & est etiam causa eius, non formalis, sed efficiens: & intellectus etiam est effectus eiusdem visionis in genere finis, quia propter illam fit, & est causa eius, & materialis, & efficiens, formalis autem esse non potest. Et ratio conclusionis est, nam vel consideratur forma vt est finis generationis, vel vt ordinatur in aliam formam seu operationẽ vt in finem. Priori modo forma & finis incidunt in idem numero, & ideò non potest illa forma esse causa formalis illius finis, quia non potest esse causa formalis sui ipsius: quod secus est in causalitate finali, nam eadẽ forma vt antecedens in intentione est causa sui ipsius in executione secũdum causalitatem finalem, quæ non requirit præexistentiam in re. At verò in genere formalis causæ nõ potest forma causare seipsam, sed compositum, quia causalitas eius consistit in compositione & vnione ad materiam.

XVI. Vt autem conclusio quoad hanc partem omnẽ careat difficultate, intelligenda est de forma comparata ad proprium effectum suum, vt est compositum: quod dico, quia si comparetur ad ipsammet vnionem vel actualem informationem, re vera in genere finis est effectus eius, nam forma est vt informet & propter hunc finem fit, & tamen ipsamet informatio est à forma in genere causæ formalis, tamen non tam propriè est effectus eius, quàm causalitas eius: si tamen ipsa etiam vnio vel informatio, effectus formæ vocetur in genere causæ formalis, quoad talem effectum limitanda est posita cõclusio propter specialem connexionem quã habet cum ipsa forma vt exercet rationem formę. Nã sicut efficiens est propter operationem, & ideò inter illa est mutua causalitas, nam operatio est causa finalis potentię actiuæ, & potentia est causa efficiens operationis; ita forma est propter informationem, & in suo genere est causa eius. At verò comparando formam prout est finis generationis, ad eandem propriam formam vt informantem, non potest intercedere dicta mutua causalitas, quia est vna & eadem prorsus forma.

XVII. Si autem formas duas comparemus, quarum vna ad alteram vt ad finem ordinatur, etiã non potest illa mutua causalitas intercedere, quia vna forma nõ potest esse causa formalis alterius, quatenus etiam forma est: si enim contingat vnã formam alia accidentali informari, necesse est vt ea quæ informatur, exerceat sub ea ratione causalitatem materialẽ, non formalem. Scio nonnullos ita loqui, vt dicant actus immanentes dependere ab anima vel à potẽtia vitali in genere causæ formalis, cùm tamẽ ipsimet actus immanentes sint causæ formales accidentales: & similiter dici solet passiones, vel potentias animæ pẽdere ab illa in genere causę formalis, cũ tamen illam informent. Sed hæ locutiones sunt impropriæ, nam neq; actus neq; potentiæ pendent à forma nisi aut materialiter aut effectiuè: quia verò illa efficientia est valde intrinseca, aut per resultãtiam naturalem, dici solet secundarius effectus formæ, tamen propriè & in rigore non pertinet ad effectum formalẽ.

Excluditur mutua causalitas inter efficientem causam respectu materialis & formalis.

XVIII. DIco quintò. Causa efficiens non potest habere mutuam causalitatem cũ materia vel forma, sed solum cum finali causa, vt iam explicuimus. Sensus cõclusionis est, quòd si aliqua causa verè ac propriè efficiat aliquam formam, nõ potest ab illa causari in genere causæ formalis, & è conuerso, si aliqua forma formaliter constituit aliquam rem, non potest ab illa effectiuè fieri. Et quoad has duas partes nulla est difficultas in conclusione posita. Et ratio est, primò quia causa efficiens supponitur absolutè existens ad efficiendum: ergo non potest formaliter constitui per formam quam efficit. Patet consequẽtia, quia si illa res in suo esse per formam constituẽda est, iam forma supponitur constituta, quia iã supponitur habens esse: ergo non potest formaliter cõstitui per formam à se factam. Secundò, quia forma est principium agendi: ergo forma quę est terminus actionis, non potest esse causa formalis ipsiusmet agentis: hac enim ratione Aristoteles dixit 2. Physicorum cap. 7. text. 70. formam quæ fit non coincidere in idem numero cum efficiente, sed in idem specie. Ex his autem rationibus facilè colligitur, cõclusionem intelligendam esse de causalitate formali quantum ad proprium esse ipsius causæ efficientis:

cientis: nam si loquamur de causalitate formali A quantum ad aliquod aliud esse superadditum ipsi efficienti, sæpè accidere potest vt forma facta à causa efficiente suam causam informet, vt amor informat voluntatem à qua fit, non verò informat illam quoad dandum ei illud esse, per quod ab ipsa causatur: vnde nec informat illam vt efficiens est, sed vt subiectum & causa materialis esse potest.

XIX. Simili modo intelligenda est conclusio comparando efficiẽtem causam ad materialem. Nam si res aliqua efficit aliquam materiam, non potest ab illa materialiter causari; & è cõuerso, si vna res materialiter causat aliam, nõ potest ab illa effectiuè fieri. Et quidem, si sermo est tãtùm de materia prima, est res euidentissima, quia materia prima non potest fieri nisi per creationẽ, & ideò causa eius est remotissima ab omni dependentia à materia: ergo impossibile est vt quidquid ex tali materia causatur, sit causa efficiens materiæ, non modo eiusdem numero, verùm neq; vllius omnino. Tamen extendendo cõclusionem (vt re vera intelligenda est) ad omnem causam materialem seu subiectiuã, ratio generalis est, quia causa efficiẽs supponitur simpliciter & absolutè ex- B istens ad agẽdum, & ideò si indiget aliqua causa, vel causalitate materiali vt sit, talis causa supponit ante omnem efficientiam eius, ac proinde non potest talis res esse causa efficiens suæ materiæ. Et confirmatur, nam causa materialis est intrinseca si comparetur ad compositũ, vel est intimè coniuncta, si comparetur ad formam: ergo siue res quæ dicitur causa efficiens, sit compositum, siue forma, non potest efficere materiam vel subiectum à quo pendet. Patet consequentia, quia intrinseca rei constitutio vel vnio est simpliciter prior quam efficientia eius: item etiam quia intrinseca constitutio non potest esse effectiuè ab ipsamet re quę constituitur; nec intrinseca vnio materialis potest esse effectiuè ab ipsa forma quæ vnitur: aliàs etiam ipsa eductio formæ posset esse effectiuè ab eadem forma quæ educitur.

XX. Dispositio vltima nõ est effectiuè à forma. Solent autem contra hanc partem nonnullæ instantiæ afferri. Vna est de forma & dispositione vltima; sed de hac multa dicta sunt disp. 13. de causa materiali; vbi probabilius esse ostendimus, dispositionem vltimam, quæ verè præparat materiam, nõ esse effectiuè à forma: quæ verò est effectiuè à forma: nõ esse præparantem materiam, nec participare causalitatem materialem, sed esse dispositionem ornantem, & quasi fouentem, & conferentem vnionem formæ cum materia.

XXI. Expulsio vnius formæ an causa materialis introductionis alterius. Altera instantia est de introductione vnius formæ, & expulsione alterius, nã hæc expulsio est quasi causa materialis illius. Sed hęc magis ptinet ad mutuam causalitatem inter materiam & formã quàm ad præsens, nã forma introducta non expellit alterã effectiuè, sed formaliter, vt suprà visum est: si autem sit sermo de forma actiuè introducẽte aliã, respectu illius, expulsio formæ nullam habet causalitatẽ, sed tantũ est effectus secundarius illius actionis. Addo etiã, expulsionẽ formæ impropriè dici causam materialem introductionis alterius formæ, nam potius est remotio cuiusdam impedimẽti non tam antecedens, q̃ subsequens, vel concomitans, vel si aliquis est ordo vel prioritas, est magis secundum considerationem nostrã, quàm secũdum verã causalitatem.

XXII. Fenestræ apertio an habeat causalitatem respectu ingressus lucis. Alia instantia esse solet de apertione fenestræ, & introductione lucis, quæ magis videtur vulgaris, q̃ Philosophica, nam apertio fenestræ est remotio cuiusdam impedimenti simpliciter antecedens ordinis naturæ, quia nullo modo est effectus introductionis lucis. Quòd si fingamus fenestram aperiri ab externo vento impellente & introeunte, sic apertio quidem est effectiuè ab aere impellente: tamen ille aer vt impellens & efficiens, nullo modo est effectus ipsius apertiõis in genere causæ materialis, quia aer impellens non effecit illum motum fenestræ vt introductus iam in locum eius, sed vt contingens, & imprimens illi impetum, quod facit priùs tempore vel instante, quàm in locum fenestræ introducatur, & quàm fenestra ipsa à loco suo moueatur, & ita respectu illius efficientiæ nulla est causalitas materialis in effectu eius. Quòd si consideretur aer vt iam occupans locum fenestræ quæ aperitur, sic non est causa effectiua apertionis, sed formalis, per formalem nimirum incompossibilitatem illorum duorũ corporũ in eod em spatio. Et secundum hanc rationem si est mutua causalitas inter apertionẽ fenestrę, & introductionem aeris, pertinet ad materialem & formalem, non ad efficientem: & idem iudicium de illa est, quod de introductione vnius formæ, & expulsione alterius. Atq; ita in vniuersum verum est, B causam efficientem non habere mutuam causalitatem cum suo effectu nisi in genere finis: neque Aristoteles vnquam aliam docuit. Statim verò occurret hic Theologis difficultas de vltima dispositione ad gratiam, quàm illis remittimus: existimamus autem iuxta hæc principia verum iudicium de illa ferendum esse.

Quomodo inter causas eiusdem generis esse possit causalitas reciproca.

XXIII. In eodem genere causæ simpliciter nullæ sunt sui mutuò causæ. VLtimò dicendum est intra idem genus causæ nõ posse duas res esse sibi inuicem causas simpliciter & secundum idem: secundum quid autem, & secundum diuersas rationes veluti specificas intra idem genus causæ non repugnare. Prior pars est sententia Aristotelis citatis locis, quam absolutè etiam docent omnes eius interpretes; & potest inductione probari, nam res quę aliam efficit, non potest ab ea vicissim fieri, & sic de cæteris. Ratio autem in singulis potest propria reddi, nam materia vel non habet materialem causam, vt materia prima, vel si habet, vt materia secunda, non potest eadem res, quam ipsa componit aut recipit, esse materia eius. C Quia materia comparatur vt pars, vel potentia receptiua ad suum effectum, & ad illum supponitur: si verò ipsa habet causam materialem, ad illam comparatur vt totum ad partem, & generationis seu existendi ordine illam supponit: & ideò non potest esse talis circulus inter causas materiales. Nec verò inter formales, quia forma non habet causam formalem, vt suprà dicebamus. In causa etiam finali est res manifesta, quia causa finalis vt sic non habet causam finalem: quòd si illam habeat quatenus induit aliquam rationem medij, non potest in eandem rem, quæ est medium ad illam, vt in finem ordinari: alioqui in eodem ordine intentionis esset prior & posterior, quod repugnat. In efficientibus est etiam manifesta ratio, quia res quæ efficit aliam, supponitur esse, & consequenter facta, si effectione indigeat: & ideò impossibile est vt à suo effectu effectiuè fiat. Quod semper intelligendum est (quod in finibus etiam est obseruandum) loquendo de actuali causalitate mutua, quæ simul sit: nam loquendo tantùm de potentia causandi, & diuisim, non repugnat vt res, quæ nunc est finis alterius, cesset ab illa causalitate, & postea ordinetur

Intra causam materialem probatur.

Intra formalem.

Intra finalẽ.

Intra efficientem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dinetur ad alteram vt in finem ex libertate agentis. Et similiter non repugnaret vt res quæ nunc efficit aliam, fieret ab illa, si ordo causandi à principio fuisset mutatus, & res quæ nũc sit ab vna causa, non fieret ab illa, sed ab alia, nam tunc sine inconuenienti posset illa efficere eandem rem à qua nunc facta est, vt suprà tractaui. Nunc autem non diuisim, sed coniunctim loquimur, & sic impossibile est vt res fiat ab effectu quem facit.

XXIIII. Alia ratio generalis hìc tradi solet, quia aliàs idẽ esset causa sui ipsius, nam q̃ est causa causæ, est causa causati: quod axioma tenet in causis eiusdem generis, vt omnes dicunt, & specialiter adnotauit Scotus in 4. dist. 49. quæst. 2. & in Theorematib. 22. cõclus. vniuersali. Nõ immeritò autem interrogare potest aliquis, quare illa consecutio teneat in causis eiusdem generis, non autem diuersorum. Deinde dubitare quis potest, quia nõ sequitur q̃ aliquid sit causa sui per se, sed tãtùm per accidens, sicut auus est causa nepotis, quòd non videtur magnum inconueniens. Ad priorem partem respondeo rationem esse, quia in diuersis generibus, hoc ipso quòd mutatur causandi modus, mutatur etiam ratio essendi quę in causa supponitur ad effectum. Et cõsequenter id q̃ est causa suæ causæ, non est causa eius secundum id quod habet à sua causa, sed secundum aliud, vt quãis finis sit causa sui efficientis, non est causa eius secundum esse existentiæ exercitum quod ab illo habet, sed vt apprehensum. At verò si in eodem genere duo se mutuò efficerent, & secũdum eundem ordinem vnum supponeretur ad aliud, & è conuerso, q̃ repugnat; & vnum causaret aliud secundum illudmet esse quod ab illo habet, & è conuerso, & ideò virtute causaret se ipsum. Vnde ad alteram partem respondetur illã causam dici per accidens, quia non immediatè influit in effectum mediatum: tamen est causa per se sui immediati effectus; in quo virtute continetur alius effectus, & per se ab illo manat: & ideò perinde repugnat aliquid hoc modo esse causam sui, ac si per se & immediatè se efficeret.

XXV. Læuiores obiectiones contra prædicta soluuntur. Aliæ obiectiones leuiores fieri solent contra hãc conclusionem, quia in omnib. generib. causarũ videtur pati calumniã: in efficiente, quia duæ manus si sint calidę, & simul se cõtingant, se mutuò fouent & conseruant: si verò sint frigidę, confricatione se mutuò calefaciũt. In dispositionib. quæ ad materialem causam pertinent, calor verè disponit ad raritatẽ, & raritas ad calorem. In finib. potentia est gratia operationis, & operatio propter potẽtiam. In formalib. deniq;, quatenus physicè nõ inueniatur illa vicissitudo, reperitur tamen Metaphysicè, dũ vna differẽtia contrahit aliã, & vicissim potest contrahi ab illa, nã mortale cõtrahit rationale, vel intellectuale latè sumptum, vt si homo dicatur viuens, intellectuale, mortale: & è contrario rationale contrahit mortale.

XXVI. Manus inuicem se fricãtes qualiter se mutuò calefaciant. Respondetur tamen ad primam, duas manus, si æquè sint calidę, non se conseruare mutuò agendo, sed fortiùs resistendo contrario, aut expugnãdo illud. Si verò sint frigidæ, non per se, se calefacere, sed per accidens medio motu: & tunc vna non agit in aliam, quatenus calorem recipit media cõfricatione alterius, sed vi mouendi ac tangendi, quam habet. & hoc modo non est inconueniens duas res mutuò agere in se ipsas, si per se agant per proprias virtutes, & non per id quod ad inuicem recipiant, vt stomachus calefacit vinum calore formali & innato, & vinum calefacit stomachum calore virtuali quem ex se habet: & hoc modo non repugnat duo mutuò in se efficere, id tamen non est secũdum proprium esse per quod causant: & ita formaliter loquendo, non fit causa ab effectu suo, quod repugnare dicimus.

XXVII. Duæne formæ sibi mutuæ dispositiones. Ad secundam instantiam respondetur inprimis, causam dispositiuam propriè non esse causam materialem, sed secundum quid, & reductiuè. vnde illa non tam est mutua causalitas materialis, quàm mutua quædam cõcordia vel proportio inter duas formas in eodem subiecto existentes: in qua nulla est repugnantia. Deinde dicitur, has dispositiones semper esse aliquo modo diuersarum rationum, vt in exemplo posito de calore & raritate, calor videtur esse non tantùm dispositio, sed etiam aliquo modo efficiens, & tunc raritas non tam est dispositio præparans, quàm consequens, quæ nõ habet propriam rationem causæ. Et similia multa diximus de his causis suprà disputat. 13. sect. 3.

XXVIII. Duo partiales fines sibi inuicẽ sunt finales causæ. Deniq; de hac dispositionum connexione intelligi potest posterior pars conclusionis. Sed præcipuè posita est propter instantiam tertiam, ad quam concedimus secundum diuersas rationes finium non repugnare vt duo sint sibi inuicem fines, vt argumentum probat, tamen illud est tantùm secundum quid, nam illi sunt quasi fines partiales, ex quibus vnus integer coalescit, qui totus cadit sub vnam adæquatam intentionem: tamen ad illam qualemcunq; mutuam habitudinem necesse est vt illi fines in suo genere sunt aliquo modo diuersarum rationum. Ad quartum respondetur, hìc non agere de causis propriis & realibus: differentię autem non sunt huiusmodi, sed tantùm secundum rationem; & adhuc illo modo differentiæ non se mutuò contrahunt per se, sed ad summum quatenus in vno communi genere coniunguntur.

Satisfit rationi dubitandi positæ in principio.

XXIX. VLtimò ex dictis manet expedita ratio dubitandi in principio posita. Nam si quis attentè consideret quæ diximus, nunquam duæ causæ ita mutuò comparantur, vt vna simpliciter supponat aliam in existendo, & è conuerso, etiam ordine naturæ: nam finis vt est causa agentis, non necessariò supponitur existens: vt verò est effectus, supponit causam efficientem vt existentem: forma item supponit materiã, non tamen materia simpliciter supponit formam, sed eam tantùm requirit vt concomitantem seu consequentem ordine naturæ. Atq; ita facilè vitatur circulus prioris & posterioris in existendo, etiam secundum naturæ ordinem. In causando verò secundum diuersa genera causarum nullum habet incommodum, quia vel vna causalitas talis est vt non supponat existentiam, vt contingit in fine, vel, si existentiam requirit, non sunt sibi mutuò causæ secundum esse simpliciter: & ita, si in vna causa supponitur esse, secundum illud non est propriè effectus alterius, sed secũdum aliquid quod illi adiungitur: sicut in forma respectu materiæ, & in accidentibus respectu subiecti declarauimus: & ita vitantur facilè omnia incommoda in hac mutua causarum connexione & causalitate. Atq; hactenus de causis entis, & de prima principali huius operis parte dicta sint.

Primi tomi Metaphysicarum disputationum finis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCVPLE-TISSIMVS IN METAPHY-SICAM ARISTOTELIS,

IN QVO ORDO ET RATIO LIBRORVM AC CAPITVM eius aperitur, omniumq; breuis summa proponitur, & Quæstiones omnes quæ in eis moueri solent aut possunt, designantur, cum locis in quibus in sequenti opere disseruntur. Quòd si quæ breuiores, ad textus intelligentiam pertinentes, in ipso opere omissæ sunt, in hoc Indice pro cuiusq; rei difficultate & vtilitate breuiter expeduntur.

LIBER PRIMVS METAPHYSICÆ.

TOTVS hic liber proœmialis est, & in duas partes diuiditur. Prior propriè proœmium continet, in quo materia & dignitas huius doctrinæ aperitur; priùs generaliùs in primo capite, deinde specialiùs in secundo. In posteriori parte per septem alia capita antiquorum Philosophorum opiniones de principiis rerum referuntur ab Aristotele, & confutantur.

Caput primum proœmiale.

Quæst. 1. Quis sit verus sensus illius axiomatis Aristotelis, Omnis homo naturaliter scire desiderat, disput. 1. sect. 6. à num. 2. vsque ad 12.

2 An visus vtilior cæteris sit ad scientiam, & ob eam causam præ illis diligatur. ibid. num. 8.

3 Quæ animalia bruta solum sensum, quæ verò memoriam, quænam etiam experientiam vel prudentiam participent, & quomodo. ibidem num. 12. 14. 15. 17.

4 Qualiter homo per memoriam experientiam, per experientiam verò artem & scientiam acquirat, & quæ sit inter hæc constituenda differentia, ibid. nu. 18. & 19. Sententia verò Poli, quam Aristoteles hîc affert, scilicet, *Experientia genuit artem, inexperientia fortunam*, apud Platonem in Gorgia sic habet, *Multæ quidem artes insunt hominibus ex peritia peritè adinuentæ. Peritia enim efficit vt via nostra per artem incedat, imperitia verò vt per fortunã temerè circumvagetur.* Quæ sententia & verborum significatione & sensu videtur satis diuersa: verba tamen Aristotelis explicant nomina *peritiæ* & *imperitiæ* apud Platonem non tam latè sumenda esse, quàm in absoluta significatione præ se ferunt: peritia enim non solum de experientia, sed etiam de arte dicitur, & ideò non propriè dici potuit, peritiam generare artem, nisi ratione experientiæ. Secunda verò pars illius sententiæ, meliùs videtur apud Platonem explicari: inexperientia enim non tam generat fortunam, quàm fortunę & casui hominem exponit.

5 An experientia sit absolutè necessaria ad scientiarum principia cognoscenda, ibidem à num. 20. vsque ad 26.

6 Quo sensu dictum sit ab Aristotele, actiones omnes circa singularia versari. Disp. 34. sect. 9. De substãtia.

Hic tamen circa textum Aristotelis obseruare oportet, eum asserere, medicum per se curare Socratem seu singularem hominem, per accidens verò hominem: & rationem insinuat, quia accidit Socrati vt homo sit. Vtrumque verò habet difficultatem: quia Petrus non per accidens, sed per se est homo. Quòd si accidere ibi non significet ex accidente cõuenire, sed absolutè inesse, vt Diuus Thomas exponit, non rectè infert Aristoteles hominem per accidens curari. Neque etiam satisfacere videtur expositio alia, quam idem Diuus Thomas, & Alensis afferunt, nimirum, quòd licet Petro absolutè non accidat esse hominem, Petro tamen vt curato accidit: id enim non videtur verum, quia vt Petrus curari possit, necesse est quòd sit homo: non ergo medici curatio per accidens circa hominem exercetur, cùm ex propria ratione sua non possit circa aliam naturam fieri: sicut visio non fit per accidens circa calorem, etiamsi semper, ne-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cessarioque exerceri debeat in singulari circa particularem colorem: nam sicut color est obiectum visus, ita suo modo corpus humanum est obiectum medicinæ. Respondetur, Aristotelem non loqui de curatione absolutè & abstractè, quo modo potiùs concipitur quàm exerceatur: sed loqui de hac actione curandi prout in re exercetur: & hanc ait per accidens versari circa hominem, non quia omnino hoc ei accidat, sed quia non per se primò & quasi adæquatè versetur circa hominem vt sic, sed vt contractum ad hunc singularem hominem, ex cuius propria complexione & affectione maximè pendet curatio. Vnde illud *per accidens*, idem esse videtur quod *per aliud*, saltem ratione distinctum, vel est idem quod *per partem*, eo modo quo singulare est pars subiectiua specifici totius: sic enim totum quodammodo per accidēs dicitur moueri ratione partis. Et iuxta hæc optimè quadrat expositio alterius propositionis, scilicet accidere Socrati quòd homo sit, id est conuenire ei tanquam parti subiectiuæ contentæ sub homine. Vel certè dici potest accidere eo modo quo inferior differentia accidit generi, id est, extra rationem eius: sic enim propriè conditiones indiuidui sunt extra rationem speciei: quod satis est vt homo per accidens, id est per aliud sanari dicatur. Quanquam in hoc sensu potiùs dicendum esset Socratem accidere homini, quàm è conuerso: tamen in re idem significatum est, & eodem omnia tendunt, nimirum, vt intelligatur, actionem maxima ex parte pendere à conditionibus indiuidui, quæ magis sub experientiam quàm sub artem cadunt, & ideò artem sine experientia expositam esse errori & fortunæ, vt superiùs dictum est.

7 An sola scientia speculatiua, vel etiam practica, propter veritatis cognitionem appetatur. Disput. 1. sect. 6. num. 27. 28. 29.

8 Vtrùm scientia Metaphysicæ sit propter se maximè appetibilis ab homine. Disput. 1. sect. 6. per totam.

Caput secundum Procemij.

Exponitur fere totum hoc caput disp. 1. sect. 2. & 3.

Quæst. 1. Quidnam sapientia sit, & quot modis hæc vox vsurpetur. Disp. 1. sect. 5. à num. 7.

2 Quomodo sapientia res omnes, earumque causas & principia contempletur. Disp. 1. sect. 2. per totam. & sect. 4. num. 11. & sequentib. & sect. 5. nu. 14. & 15.

3 An vniuersalissima sint nobis cognitu difficillima. Disp. 1. sect. 5. nu. 16. 17. 18. & 19.

4 An Metaphysica scientias alias, præsertim Mathematicas, certitudine superet; ibid. à n. 20. vsq; ad 24. & n. 30.

5 An Metaphysica seu sapientia certior sit quam habitus principiorum. ibid. à n. 25. vsq; ad 29.

6 An Metaphysica per omnes causas propriè demonstret. Disp. 1. sect. 5. n. 33. 34. & 35.

7 An Metaphysica cæteris scientiis aptior sit ad docendum. ibid. n. 32.

8 An Metaphysica sit sciētia speculatiua, qua veritatis cognoscendæ causa inquiritur. Disp. 1. sect. 4. à princip. & sect. 5. à principio.

9 An & quo modo sapientia seu Metaphysica imperet aliis scientiis ibid. 38.

10 An omnes scientiæ subalternentur Metaphysicæ. Disp. 1. sect. 5. nu. 39. 40. & 41.

11 An Metaphysica simul sit scientia & sapientia. Disp. 1. sect. 5. per totam, & specialiter n. 42.

12 Quàm sit Metaphysica ad alias scientias vtilis sect. 4. à n. 3. vsque ad finem.

13 An & quomodo Metaphysica demonstret obiecta aliarum scientiarum. ibid. n. 5. 6. 7. & 8.

14 Quomodo Metaphysica ad alias scientias comparetur ordine doctrinæ. ibid. num. 9.

15 Quomodo Metaphysica prima principia demonstret. Disput. 1. sect. 4. num. 11. 12. 17. 18. 19. 20. & 21.

16 Habitus principiorum quid sit. ibid. num. 15. & 16.

17 Tradatne Metaphysica instrumenta sciendi, an Dialectica, quidve in hoc munere sit vtriq; proprium. Disputat. 1. sectione 4. à num. 24. vsque ad finem.

18 Vtrùm admiratio ex ignorantia oriatur. Hoc enim axioma solet ex hoc capite sumi: ait enim Aristoteles, *propter admirationem cœpisse homines philosophari*, vt nimirum acquisitione scientiæ ignorationem depellerent. Oportet autem aduertere Aristotelem tantum dixisse, *Qui dubitat & admiratur, planè se ignorare existimat*. Duo itaque coniunxit, dubitationem scilicet & admirationem: non ergo necessarium videtur vt omnis qui admiratur, ignoret, sed solùm is qui dum admiratur, dubitat. Quod obiter notetur propter Christi admirationem, quæ licet vera admiratio fuerit, non tamen fuit ex ignorantia profecta, vt latè declaraui tom. 1. 3. p. in commen. artic. 8. quæst. 15. D. Thomæ, ex quo loco vera expositio seu potius limitatio illius axiomatis petenda est.

19 An expediat homini studio sapientiæ vacare. De hac quæstione, quòd clarissima sit, satis erit Aristotel. consulere: & quæ in laudem, & commendationem sapientiæ eo loco dicit, diligenter notare. Habet enim nonnullas sententias consideratione dignas. Prima est, *Diuina scientia seu contemplatio de Deo, quæ sapientia dicitur, maximè libera est, ideoque in humana natura, quæ multis modis serua est, perfecta esse non potest, sed solus Deus honorem suum sibi vendicat*. Oportet autem aduertere, afferre Aristot. hoc vltimum dictum ex quodam Simonide: & significare, vt D. Thom. Boetius, & alij interpretantur, illum sensisse non debere hominem diuinam quærere sapiētiam, quia non congruit naturæ eius, sed solius Dei. Et ideò (inquit Arist.) si, vt Poetæ aiunt, in Deū cadere potest inuidia, maximè inuidere hominibus hanc diuinam sapientiam quærentibus. Cui consonat illud Socratis. *Quæ supra nos, nihil ad nos*. Faciet etiam consilium sapientis, *Altiora te ne quæsieris*. At verò meritò Philosophus dictum illud in eo sensu reprehendit, vel potiùs, vt Aphrodisæus exponit, ita sententiam illam intelligit ac moderatur, vt Deus solus hanc sapientiam exactè ac perfectè possidere credatur. Ex quo non sequitur hominem non debere studio sapientiæ vacare, sed potius sequitur eum maximè ac totis virib. debere hanc sapientiam quærere, vt Deo similis fiat quantū potuerit. Et hoc est ꝙ sub disiunctione inferiùs Arist. ait, *Et eam*, scilicet sapientiam, *aut solus ipse Deus, aut maximè habet*. Ideoq; negat hominem quærentem hanc scientiam esse Deo inuisum, tum quia diuinitas inuida esse non potest, tum etiam quia aliàs infelix esset homo qui hanc scientiam assequeretur. Quæ enim maior infelicitas quā habere Deum aduersarium, & propriis commodis inuidentem? Absurdum autem est dicere, sapientes, eò quòd sapientes sint, esse infelices, cū in sapientia potiùs hominis felicitas & præstātia consistat. Et in eandem

eandem sententiā idem Philosoph. 10. Ethic. c. 7. reprehēdit dicentes, oportere nos, cum simus homines, humana sapere, & mortalia, cū simus mortales. Ipse verò ait, oportere nos, quoad fieri possit, à mortalitate vendicare, atq; omnia facere, *vt ei nostri parti quæ in nobis est optima, id est menti, conuenienter viuamus*: & c. 8. subdit, eum, qui sic viuit, & sapientiam colit, esse Deo charissimum, & ab eo maximè honorari & remunerari. Hæc autē intelligenda sunt de his qui sobriè & pro captu suo diuinam sapientiam quęrūt: nam qui ratione aut iudicio suo diuinitatem comprehendere aut metiri volunt, in fine dubio Deo sunt inuisi. Quibus consulit sapiens, ne altiora se quærant: quia, vt alibi dixit, *Scrutator maiestatis opprimetur à gloria*. Non quia Deus illi inuideat, sed quia temeritatis & superbiæ eius est vltor. Quòd si hæc, quæ Aristoteles dixit de naturali sapiētia vera sunt, vt re vera sunt, multò altiori ratione in supernaturalem ac diuinam contemplationem conueniunt, quæ homines reddit pene diuinos, & à corporis seruitute quodammodo liberos, atq; immunes: sed de hoc aliàs.

20 An hæc scientia differat de Deo vt de obiecto, an solum vt de principio & causa omnium rerum. Disp. 1. sect. 1. à nu. 7. Quomodo autem iuxta rationem naturalem verum sit Deum esse principium & causam rerum omnium, & habere in se quidquid est perfectionis & exellentiæ, & nulli inuidere, sed omnibus benefacere: solumque ipsum se perfectè cognoscere ac sapere (hæc enim omnia Aristot. de Deo indicat) tractatur latè in Disp. 30. & 31. quæ sunt de naturali cognitione Dei.

Caput tertium.

De variis opinionibus antiquorum Philosophorum circa rerum principia.

Quæst. 1. Quot sint causæ rerum naturalium: hæc circa lib. 5. tractatur latè à Disp. 12. per plures.

2 Quæ fuerint antiquorum opiniones de rerum principiis. ibid. disp. 13. sect. 2. & 3.

3 An idem possit se ipsum mouere, latè disput. 18. sect. 4. per totam. Hoc autem loco verba Aristotelis sunt, *Neq; id quod subiicitur, suam ipsius mutationem efficit*: quæ in fine dictæ sectionis exponuntur.

4 Vtrùm sit euidens ordinem huius vniuersi non casu, sed ex intentione alicuius agentis esse institutum latè disp. 30. sect. 2. & nonnulla disput. 23. sect. 1. Verba autem Aristotelis hoc loco sunt valde notanda. *Neque æquum est* (inquit) *tantam rem* (scilicet ordinem vniuersi) *casui & fortunæ tribuere. Itaque qui mentem, quemadmodum in animantibus, sic in natura, causam tum mundi, tum etiam totius ordinis esse dixit, is præ superioribus temerè loquentibus quasi sobrius visus est*: sic etiam apud Platonem in Phedone loquitur Socrates, in hoc valde Anaxagoram laudans quòd dixerit, *Mentem omnia exornare, omniumque causam esse*. Comparatio autem illa quæ fit cum animantibus, dupliciter intelligi potest, primò vt per animalia quasi per Antonomosiam homines intelligantur, vt ex paruo ad magnum mundum argumentum fiat. Secundò potest generatim sumi pro animantibus omnibus, in quibus compositio, & ordinatio membrorum omnium tam est artificiosa, vt pro comperto habuerint cordatiores Philosophi fieri non posse sine authore mente prædito. Ex quo sumitur argumentum ad probandum, maiori ratione id existimandum esse de toto vniuerso, in quo omnia sunt ita composita & ordinata, vt ea ratione tanquam vnum animal à multis etiam Philosophis appellatum sit, vt notauit Albert. in principio Metaphys. tract. 3. cap. 3.

Caput quartum.

De eisdem opinionibus.

Hoc capite noua non occurrit quæstio. Adnotetur solum confirmare hoc loco Aristotelem, quæ superiori capite opin. 4. de Mente & mundi opifice dixerat, & adducto pulcherrimo exēplo antiquos Philosophos qui eam veritatem agnouerant, simul laudare & reprehendere. *Quemadmodum* (inquit) *in exercitati in pugna faciunt: ij enim cum in omnem partem feruntur, insignes plagas persæpè inferunt: verum neq; illi ex arte faciunt, neq; hi videntur ea quæ dicunt, scientia tenere.*

Caput quintum, & sextum.

De eadem re.

Quæst. 1. Peculiaris quæstio posset circa hęc capita tractari de opinione Platonis; quoniam illa celebrior est, an scilicet ideas posuerit eo modo quo illi Aristoteles attribuit: & an eo sensu rectè impugnetur ab Aristotele: præsertim cum infert hic cap. 6. abstulisse efficientiam ideis, ponendo illas immobiles. De hac verò re dictum est tractando de vniuersalibus. Disp. 5. & de causa exemplari. Disp. 25. & de efficientia intelligentiarum, Disp. 35. sect. vlt.

Secunda quęstio hic esse potest circa finem cap. 6. an præter quatuor causarum genera ponenda sit exemplaris, vel alia, tractatur disp. 25. sect. 2. & tangitur disp. 12. sect. vltima.

Caput septimum.

Impugnantur veterum opiniones.

1 Circa hoc cap. duo vel tria potissimum possunt inquiri. Primùm an rationes Aristotelis contra antiquos Philosophos præsertim contra Platonicos, efficaces sint. Secundum, an quę de numeris & magnitudinibus Arist. c. 7. tractat, vera sint. Tertium, an forma sit tota quidditas rerum materialium, vt Aristot. hic c. 7. tex. 51. significat. Sed primam quæstionem omittendam censui, tum quòd opiniones illæ antiquorum Philosophorum, prout ab Aristotele tractantur, antiquatæ iam sint, & prorsus à Philosophia relegatę: tum etiam quòd in illis rationibus nihil Philosophus attigit quod ad alias res cognoscēdas aliquid vtilitatis afferre possit: & ideò inutile reputo in illis rationibus, aut explicandis, aut defendendis immorari, sed legantur expositores, & præsertim Fonseca, cuius translatio tam est elegans & dilucida, vt ferè sine expositore à quouis intelligi possit. Secunda quæstio multas amplectitur, quæ à nobis tractantur in disputationibus de quantitate, quæ sunt 40. & 41. Tertia tractatur disp. 36. sect. 1.

LIBER SECVNDVS Metaphysicæ.

De hoc libro varia sunt expositorum placita, quia non videtur cæteris cohærere: quibus omissis, pars quædam procemij, vel quoddam eius additamentum mihi esse videtur. Idque sumo ex ipso Aristotele lib. 3. text. 2. vbi se referens ad ea, quæ in hoc libro dixerat, ait, *In iis quæ procemij loco dicta sunt*. Nam quia in procemio Aristoteles hanc scientiam potis-

Universidad de Deusto
Biblioteca

simum contemplari veritatem, & postea ostenderat quantum priores Philosophi in illius inuestigatione errauerint, hoc loco iterum aperire voluit difficultatem, quæ in veritatis inuestigatione inest, & quismodus in ea tenendus sit, & quo principio vel fundamento vtendum nobis sit, ne frustra laboremus.

Caput primum.

Difficile esse veritatem inuenire quam hæc sapientia inquirit.

Quæst. 1. Vtrùm pro dignitate veritatem assequi sit homini non solùm difficile, sed etiam impossibile. Hæc quæstio magis Theologica est quàm Metaphysica: tractatúque solet à Theologis in principio doctrinæ de gratia Dei. Proponit vero eam Aristoteles in principio huius capitis, & satis consentaneè ad doctrinam catholicam eam definit. Absolutè enim negat posse quenquam hominum pro dignitate veritatem assequi. Quid autem significet cùm ait, *pro dignitate*, intelligi potest ex eo, quod subdit inferiùs, cognitionem veritatis ex parte esse facilem, quia iuxta vetus prouerbium, *Ecquis ab ostio aberret?* id est, vt D. Thomas & Auerroes exponunt, quis non facilè assequatur principia, quæ sunt veluti ostium & ianua veritatis inueniendæ? vel, vt exponit Alexander, quis non assequatur saltem ea quæ facilia sunt? Sicut enim iaculator, si ei totum ostium in scopum proponatur, non errat propter facilitatem attingendi, ita veritates aliquas, & faciles assequi possumus, non tamen omnes. Vnde subdit Aristoteles, *Quòd autem totum & partem*, id est principia & conclusiones, *habere non possumus*, scilicet integrè & sine errore, *id eius difficultatem declarat*: Vbi etiam per *totum & partem* intelligere possumus quod Theologi aiunt, singulas veritates, aut omnium collectionem. Veritatem ergo pro dignitate assequi, est totum & partem cognoscere: hoc est non vnam tantùm vel alteram veritatem, sed omnes absque errore. Quem sensum fortasse Aristoteles ipse non omnino est assecutus, tamen, cùm naturali ductus lumine hominis imbecillitatem ad veritatem contemplandam subodoraret, illis verbis eam declarauit, quæ rem ipsam comprehenderent, & cum catholica doctrina consentirent. Et hoc ipsum confirmat indicium illud quo vtitur, nimirum, *Quia singuli eorum qui veritatẽ inquirunt, parum ad eam conferunt: ex omnibus verò in vnum congestis magnitudo quædam existit.* Vbi etiam obseruatione dignũ est, non dixisse vnam perfectam & exactam veritatis cognitionem ex omnibus confici, sed solum magnitudinem quandam: quia re vera quod vnusquisq; suaq; industria inuenire potest, vel nihil, vel parum est. Quod verò omnes simul, aut vnusquisque aliorum laboribus & industria adiutus scire valet, aliquid maius est, non tamen perfectum, nec omnibus erroribus liberum: & ideò absolutè est homini impossibile humanis viribus pro dignitate veritatem contemplari. Quid verò in hoc per diuinam gratiam possit, altioris contemplationis est: & ideò de hac quęstione pro loci opportunitate hæc sunt satis.

2 Vnde oriatur difficultas quæ in cognitione veritatis homini accidit, tractatur latè disp. 9. sect. 2. à num. 10. vsque ad finem.

3 An prima principia sint naturaliter nota. Hæc quæstio implicitè tantùm ab Aristotele tangitur: quare immeritò hîc disputatur: eam verò pro huius doctrinæ opportunitate attigimus. disp. 1. sect. 6. & disp. 2 sect. 3. in principio.

4 An possimus in hac vita quidditatiuè cognoscere res actu, & maximè intelligibiles, substantias scilicet separatas. disp. 35. sect. 2. latè.

5 An scientia speculatiua & practica differant ex fine, quòd illa in contemplatione veritatis sistat: hæc ad opus illam referat: ideoq; illa causam veritatis per seipsam inquirat, cùm non sit absoluta scientia veritatis sine causa; hæc verò solum causam inuestiget, quantum ad opus confert: de hac re aliqua tacta sunt disputat. 1. plura in 44. quæ est de habitibus.

6 Quis sit verus sensus illius pronuntiati, *Quod cæteris est causa vt talia sint, ipsum est maximè tale.* Ex hoc loco elici solet alio modo hoc axioma, videlicet, *Quod est maxime tale, cæteris est causa vt sint talia.* Ita refert hoc principium D. Thom. 1. p. qu. 2. artic. 3. rat. 4. & q. 44. artic. 1. & lib. 1. contra Gent. cap. 13. quibus locis Caiet. & Ferrar. in hoc sensu illud defendunt: & Capreol. in 2. dist. 14. quæst. 1. artic. 1. in fine, & Iat. in 1. distinct. 3. quæst. 1. Ab Aristotele autem non profertur nisi vt à nobis propositum est: & in rigore vnum ex alio non sequitur: quia propositio vniuersalis affirmatiua non conuertitur simpliciter. Quòd autem hæc sit mens Aristotelis, patet, tum ex verbis, tum ex contextu, ac intentione Philosophi. Concludere enim intendit scientiam hanc esse de rebus maximè veris, quia differit de primis causis & principiis veritatis cæterarum rerum: quod autem est causa veritatis in aliis rebus, est in se maximè verum: quia vnumquodque maximè tale est, quod cæteris est causa vt talia sint. Atque hoc modo explicatum axioma coincidit cum illo proposito lib. 1. Poster. c. 2. *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis:* hîc verò explicatiùs dicitur, causam debere esse talem vt in nomine & ratione cum effectibus conueniat: quod Scotus exponit de vniuoca conuenientia: satis verò est, si de vnitate rationis formalis, seu eiusdem conceptus obiectiui intelligatur, vt latiùs tradetur à nobis infrà explicando analogiam entis Disputat 28. sect. 3. Atque hoc modo exponunt illud pronuntiatum hoc loco ferè omnes expositores: Alexand. Comment. & Diuus Thomas, de quo plura tractantur infrà disputat. 29. sect. 2.

Caput secundum.

Non dari processum in infinitum in specie aut numero causarum.

Vide Aristot. lib. 7. Physic. c. 1. & lib. 8. c. 5. & lib. 2. Poster. c. 11. 17. &c. & lib. 1. Eth. c. 2. Auicen. 3. suæ Metaph. c. 5.

Tractatum hunc inseruit hoc loco Philosophus, tum vt ostenderet veritatis cognitionem, quæ ex causarum notitia pendet, etsi difficilis sit, non tamen esse impossibilem: tum etiam vt ostendat dari primas entium causas, circa quas dixerat hanc sapientiam versari. Quia verò materia ad disputationem de causis spectat, in disputationibus de causis omnes quæstiones nos inseruimus quæ hic desiderari possent.

Quæst. 1. Vtrùm genera seu species causarum, sint in aliquo definito numero. Disput. 12. sect. 3. per totam.

2 Vtrùm in causis materialibus detur progressus in infinitum, vel in aliqua prima materia sistendum sit. Disputat. 15. sect. 6. à num. 67. vsque ad finem sectionis.

3 Vtrum in causis formalibus physicis detur processus

cessus in infinitum. Disputat. 15. sect. 6. num. 66.

4 Vtrùm in causis formalibus Metaphysicis seu in prædicatis quidditatiuis detur processus in infinitum. Disp. 15. sect. 7. à num. 19. vsque ad finem sectionis.

5 Vtrum prædicata essentialia eiusdem rei differant formaliter ex natura rei vel sola ratione. Disp. 5. sect. 2. n. 6. & Disp. 6. sect. 1. & latiùs in sect. 5.

6 Vtrum dari possit processus in infinitum in causis efficientibus tam per se, quam per accidens subordinatis. Disp. 29. sect. 1. à num. 25. vsque ad 40.

7 Vtrùm dari possit processus in infinitum in causis finalibus. Disp. 24. sect. 1.

8 Vtrùm infinitum cadat sub scientiam ita vt exactè cognosci possit. Hæc quæstio solet hoc loco tractari occasione verborum Aristot. text. 11. *Cognitio quoq; ipsa euertitur: quæ enim hoc pacto infinita sunt, quo modo intelligi possunt?* & text. 13. *Id autem quod additione infinitum est, tempore finito percurri nequit.* Iuxta quæ posteriora verba, priora sunt exponenda, vel limitanda, & ita quæstio non habet difficultatem. Tractari enim potest aut de ente infinito simpliciter, & in tota entis latitudine, aut de infinito creato & secundum quid. Item sermo esse potest vel de intellectu increato, vel de quouis creato, vel specialiter de humano, de quo solo Aristot. locutus est. Ac denique potest quæstio esse de cognitione quacunq; etiam confusa & imperfecta, vel de cognitione perfecta distincta, de qua similiter Aristoteles est locutus.

De ente igitur infinito, qualis est solus Deus, tractamus latè disput. 30. sect. 11. & sequen. vbi declaramus quo modo Deus, cum se ipsum comprehendat, inuisibilis sit, & incõprehensibilis omni creaturæ. De ente aũt creato, cùm verius existimemus esse impossibile dari ens creatum actu infinitũ in quacunq; ratione, id est, tam in intensione, quàm magnitudine, aut multitudine, consequenter constat huiusmodi infinitum cognosci non posse vera ac distincta cognitione. Nam id quod non clauditur sub latitudine entis, ex se non est verum, nec intelligibile: hoc autem infinitum, cum sit impossibile, non clauditur sub latitudine entis: non est ergo, priè cognoscibile, cùm hæc sit proprietas consequens rationem entis: sed solum per ens finitum adiuncta negatione limitationis, aut termini, concipi aut excogitari potest vt impossibile. Posita verò contraria hypothesi, nimirum hoc infinitum esse possibile, dicendum esset ab intellectu diuino facillimè cognosci ac comprehendi posse, cùm sit infinitę virtutis longè eminentioris. De intellectu autem creato non potest ferri vniuersale iudiciũ, quia nec tanta vis intelligendi conuenit necessariò omni intellectui creato, neque etiam omni intellectui repugnat. Vnde intellectus humanus cum sit imperfectissimus omnium, tantam virtutem non habet: angelicus verò, vt opinor, illam habere potest, quia eius virtus est ordinis superioris, & abstractiori ac subtiliori modo intelligit.

Quocirca esto non possit dari in reb. ens creatum actu infinitum, potest tamen in infinitum augeri, vel in intẽsione, vel in magnitudine, vel in multitudine, totumq; illud argumentum potest simul vno intuitu cognosci, quod de intellectu diuino certissimũ est, vt prædicta disp. 30. sect. 12. ostendimus. De intellectu autem creato videnter clarè diuinam essentiam, & creaturas in ipsa, id etiam frequentiùs admittunt Theologi, & meritò, vt tractaui tom. 1. 3. p. disp. 26. sect. 2. & 3. Extra illam autem visionem nonnulli id negant de cognitione infiniti in se ipso, quam Theologi vocant in proprio genere. Existimo tamen non repugnare, nõ solum per cognitionem eleuatam & supernaturalem, vt de scientia infusa animæ Christi prædicto loco 3. p. tractaui, sed etiam propria & naturali vi alicuius intellectus creati: præsertim si non sit sermo de tota collectione infinita creaturarum possibilium, sed in aliqua determinata ratione. Nam, vt dicebam, licet necesse non sit omnem intellectum creatum habere tãtam virtutem: & ideò nec intellectus humanus, nec fortè inferiores Angeli illam habeant, tamen non excedit totum ordinem intellectus creati: quia non est necessaria ad hanc cognitionem virtus infinita simpliciter, nec infinita perfectio in genere entis, sed sufficit virtus finita superioris speciei & rationis.

Neq; obstat quòd virtus finita quò versatur circà plura, eò minuatur in singulis, vt ea ratione videatur non posse singula perfectè cognoscere si infinita sint. Illud enim axioma intelligendum est, quando illa plura talia sunt vt singula adæquent virtutem potentiæ: & ideò multitudo illorum excedat talem virtutem: quando verò omnia comprehenduntur sub vna adæquata ratione & virtute talis potentiæ, non est necesse ita minui cognitionem & attentionem, vt non possint exactè singula cognosci, & omnia simul, quia tunc cẽsentur cognosci per modum vnius. Atq; ad hunc modum dicunt Theologi, & attingemus infrà, superiores Angelos per vnam speciem intelligibilem simul cognoscere plura genera vel species rerũ exactè & sufficienter cognoscendo singulas. Et pari ratione tam perfectus potest esse Angelus vltima specie vt vno intuitu cognoscat aliquam rerum multitudinem infinitam (vt aiunt) syncategorematicè sub aliquo certo genere vel specie contentam: quia hoc non requirit in cognoscente infinitatẽ simpliciter, sed solùm secũdum quid, seu eminentiam superioris rationis.

Dixit autẽ semper *vno intuitu*, quia successiuè impossibile est huiusmodi infinitum cognosci ita vt exhauriatur, quia impossibile est, successiuè numerando, exhauriri infinitum: aliàs numeraretur successiuè totum quod innumerabile est, & perueniretur ad finem eius quod infinitum est, quod inuoluit apertam repugnantiam contra rationem ipsius infiniti, vt cõstat ex 3. Phys. c. 7. Atq; hæc de causa, quia homines non simul, sed paulatim rerum causas cognoscũt, pro eodem duxit Aristot. absolutè prius inferre, cognitionẽ rei per infinitas causas esse homini impossibilem, & postea quòd sit impossibile cognoscere infinitas causas. Maximè cum ea successio solum tempore finito duret in quolibet homine. Veruntamen non solum in intellectu humano, sed etiam in diuino id verũ habet: quia hæc repugnantia non oritur ex defectu virtutis intellectiuæ, sed ex ipsa natura infiniti, quæ in hoc consistit vt successiuè pertranseri non possit. Præcipuè cum successio semper esse debeat in re actu finita: quod ex parte vnius extremi, scilicet posterioris, seu termini desitionis omnes admittunt, & est per se euidens, quia in eo semper finitur successio: ex parte verò alterius extremi anterioris, seu inceptionis, multi aliter sentiunt: at ego id etiam verum esse opinor: quia existimo non posse esse realem successionem, siue continuam, siue discretam, quæ principio careat, & æterna sit, vt infrà attingam, disp. 29. sect. 1. & disput. 30. sect. 2. Hac ergo ratione vniuersè & absq; limi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatione verum est non posse infinitum successiuè cognosci: quod hoc loco Aristot. præcipuè intendit. Neque contra hoc difficultas alicuius momenti occurrit.

Caput tertium.

De modo & ordine in veritate indaganda seruando.

Cùm dixisset Philosophus veritatis cognitionem esse difficilem, non verò impossibilem, hic declarat quis modus in ea inquirenda tenendus sit, & quæ impedimenta vitanda: estque eius sententia perspicua, circa quam pauca interrogari possunt.

Quæst. 1. Vtrùm dicendi ratio consuetudini sit accommodanda: tractatur hęc quæstio sufficienter in textu. Vbi primũ declarat tantam esse consuetudinis vim, vt sæpè ratione illius veris præferantur fabulosa; & quæ præter consuetudinem sunt, statim peregrina iudicentur. Vnde fit vt, ppter varias consuetudines, diuersas etiã discendi rationes homines appetant: alij enim coniecturis, alij exemplis, alij testimoniis, alij verò exquisitis rationibus delectantur. Ex quo tacitè concludere videtur Aristot. non posse regulam certam ex consuetudine sumi, sed addiscentem debere instituí, vt iuxta rei exigentiam, vnamquamq; inquirat & approbet.

Vbi duo obseruare oportet: vnum est nõ esse idẽ iudicium ferendum de omni consuetudine: quædã enim est praua & præter rationẽ, vt eorum qui consueuerunt, rerũ omniũ æqualem demonstrationem petere: vel è contrario eorum, qui ea tantum credẽda putant, quę inueniũt in authorib. sibi familiarib. & reliqua omnium vt noua & insoluta statim reiiciũt. Quos oporteret Philosophi verba lib. 1. Ethic. c. 6. attentè legere, & perpendere. *Melius* (inquit) *forsitan, & oportere videbitur, sua quoq;, præsertim Philosophos pro veritatis salute refellere: nam cum ambo sint amici, sanctum est honori veritatem præferre.* Itaq; quando cõsuetudo huiusmodi est, non est illi ratio docendi accõmodanda, sed potiùs ipsa rationis efficacitatem superanda est, aut moderanda. Aliquando verò consuetudo est optima, & accommodata sanę doctrinę, & tunc optimum consilium est, dicendi rationem consuetudini accommodari: quia, vt Aristot. hîc ait, quod consuetum est, semper est notius: discendi autem ratio à notioribus, quoad fieri possit, sumenda est. Cõsuetudo etiam altera censetur, quæ vero magis sunt naturæ cõsentanea, faciliùs addiscuntur. Vt igitur Arist. ait 2. Ethic. c. 1. *Non parum, sed plurimum, quin potius totum refert, vt sic vel non sic homines ab adolescentia consuescant.* Quod non solum in moribus, sed etiam in scientia addiscenda verum est.

Alterum notandum est, non solum ex consuetudine, sed ex naturali ingenio ac peculiari cuiusque constitutione oriri, vt alij aliter discere, aut docere appetant, vt hic recte Fonseca notauit. Et quando ex hoc capite oritur vt disciplina aliter quam debeat, tractetur, difficilius est naturam corrigere aut mutare, vt per se constat.

2 Quo sensu dictum ab Aristotele sit, *Absurdum est scientiam simul & modum scientiæ quærere.* Omnes ferè interpretes per modum sciendi dialecticam intelligunt: vnde sumunt aliqui occasionem tractãdi hoc loco de natura dialecticæ, an scilicet scientia sit, & an necessaria ad alias scientias: quoniam Aristoteles in prędictis verbis videtur eam à scientia distinguere, & docere ante scientiam præmitti debere. Verũtamen has quæstiones in ipsam dialecticam reiiciẽdas censeo: & supponendum, doctrinam propriam dialecticæ, quam dialecticam docentem vocant, esse veram scientiam. Procedit enim ex principiis euidentibus ad demonstrandas conclusiones suas, interdum à posteriori seu ab impossibili, interdum etiam per propriam causam, vt ex discursu illius doctrinę satis cõstat. Tamen quia tota illa doctrina eò tẽdit vt modum sciendi doceat, quamuis illum demõstratiuè doceat, ex fine appellata est ab Aristotele modus sciendi, & ab aliis scientiis distincta, quæ tãtùm scientię sunt, & modum sciendi non demonstrant, sed tantùm participant ipsum à dialectica.

Dices. Ergo saltem in dialectica ipsa non erit absurdum, simul quærere scientiam, & modum sciendi. Respondetur concedendo sequelam, quia in illa scientia modus sciendi latè ac generatim sumptus inquiritur vt finis, seu vt obiectum cognoscẽdum: scientia verò ipsa inquiritur vt forma & perfectio tali studio obtinenda. In aliis verò scientiis cũ modus sciendi non quæratur vt obiectum aut finis, debet supponi vt instrumentum deseruiens ad scientiam obtinendam; ideoque in aliis scientiis absurdum & operosum esset simul inquirere scientiam & sciendi modum, & de illis, vt dixi, locutus est Aristoteles.

Quod verò in dialectica nõ sit impossibile simul inquirere modum sciendi & sciẽtiam; ratio est, quia intellectus reflectitur in seipsum, & ita, dum in suismet actib. modum inquirit, quo aptè ad scientiam acquirendam disponantur, hanc ipsam formam, seu dispositionem suorum actuum per proprias causas inuestigat, & in eis demonstrandis eandem dispositionem seu ratiocinandi modum tenet, atq; ita in inquisitione & ostensione illius modi sciendi, modum scientię seruat, & ita simul scientiam acquirit. Ad quod etiam iuuatur naturali dialectica, quæ in homine est principium omnis sciẽtiæ, quantum ad formam & modum discurrendi. Deniq; ideò specialiter in Dialectica hoc non est absurdũ, quia non potest aliter fieri, nec ante illã supponi potest alius sciendi modus acquisitus, nec procedi debet in infinitum, sed sistendum est in forma quæ simul sit q & quo, id est scientia & modus sciendi.

Addi denique potest, pręter dialecticam quæ generalis est omnibus scientiis, esse in vnaquaque scientia peculiarem ac proprium procedẽdi modum, qui etiam modus sciendi appellari potest. Quo sensu distinxit Auerroes logicam communem, & propriam vnicuiq; scientiæ, vt Alexand. Alens. hîc notauit: modum enim illum proprium sciendi, appellauit propriam logicam: est enim applicatio quædã dialecticæ, vel alicuius partis eius. Et hic etiam modus sciendi in singulis sciẽtiis præmittendus est, ne confusè procedatur, vt tetigit etiam Arist. 1. de partib. animal. c. 1. & lib. 1. Ethic. c. 3. & in Physica, aliisq; ferè scientiis obseruat. Et hoc etiam in tradẽda Dialectica ferè ab omnibus authoribus seruatur, vt in principio perfunctorię, & absq; exacta demonstratione viam sciendi præparent: posteà verò per ipsam dialecticam, sciendi modum demonstratiuè perficiant.

Quæst. 3. Vtrùm in omnibus scientiis æqualis sit certitudo vel euidentia. Hæc quæstio mouetur occasione verborum Arist. text. 16. *Mathematicorum accurata docendi ratio non in omnib. postulanda est.* Quæ ferè repetit infrà lib. 6. c. 1. & similia habet lib. 1. Eth. c. 3. & 7. Et in genere quo modo in certitudine possit esse inæqualitas tractatur in lib. 1. Posteriorum, quãuis Theologi exactius id edisserant in materia de fide: in præsenti verò de gradu certitudinis Metaphysicæ comparatæ ad Mathematicam & Physicam, disserimus infrà disp. 1. sect. 5. n. 20. & sequentib.

Quæst. 4. An omnis res naturalis habeat materiam, proponitur propter particulam illam *fortasse*, quam ponit Arist. tex. 16. dicens, *Fortasse omnis natura materiam habet*, vbi nomine naturæ res naturales & motui Physico subiectas intelligit iuxta phrasim suam, vt patet ex lib. 12. c. 7. & aliis locis. Putant aliqui ergo adhibuisse Arist. illam particulam *fortasse*, quod non crederet cœlos habere materiam. Sed facilius dici potest eam posuisse, quia existimabat eos habere materiam, licet non cum tanta certitudine sicut de aliis naturalibus rebus: Vel certè eam adhibuit quia materia cœlorum alterius rationis est. Verius tamen existimo nullum esse in ea voce mysterium, sed esse morem Aristot. ita loqui modestiæ causa, quando ex professo rem non disputat. Itaque illa quæstio parum est hoc loco necessaria, tractatur autem infrà disp. 13. sect. 10. & 11.

Quæst. 5. An sit vna scientia rerum omnium vel plures. Hanc attigit Philosophus in vltimis verbis huius capitis, & pro huius scientiæ opportunitate disseritur, Disp. 1. sect. 2. & 3.

Quæst. 6. An Metaphysica ante vel post alias scientias addiscenda sit. Tangitur ab Arist. ibidem, expeditur breuiter Disp. 1. sect. 4. n. 10.

LIBER TERTIVS Metaphysicæ.

Dubitationes omnes quæ in hac scientia occurrunt, summatim continens.

Solent expositores inquirere cur Arist. hoc loco in quæstionibus proponendis absque earum resolutione integrum librum consumpserit. Existimo tamen id fecisse ad exaggerandam huius doctrinæ difficultatem, & vtilitatem, & fortasse ad excitandum lectori desiderium inquirendi scientiam, in qua tot dubia expediuntur: & propter alias rationes quas ipse tetigit c. 1. & sunt in eo satis perspicuę. Proponit ergo Aristoteles in primo capite varias quæstiones, in cęteris verò rationes dubitandi in vtramque partem affert, nihil autem definit. Et in proponendis his quæstionibus nullam ferè methodum, vel certum ordinem seruat, sed prout in mentem veniebant, ita eas effudisse videtur. Quod ideò moneo, ne quis putet teneri nos, aut rationem illius ordinis reddere, aut illum seruare, cùm de his quæstionibus disputauerimus. Ob vtramq; ergo rationem proponemus quæstiones omnes cum locis vbi à nobis tractatæ ac definitæ sunt. Quod si omissæ aliquæ fuerint vt inutiles ac parui momenti, hoc etiam admonebimus.

Caput primum.

Quæst. 1. Sitne vnius scientiæ an plurium, omnes causas contemplari. Agitatur ab Aristotele statim cap. 2. in principio. Veritas est hoc esse munus præcipuè Metaphysicæ, quatenus vnius scientiæ esse potest; vide Disp. 1. sect. 1. & 5.

2 An hæc scientia simplicia tantũ substantiæ principia consideret, vel etiam prima principia complexa. Disputatur in vtramq; partem ab Aristotele hic c. 2. tex. 4. definitur verò affirmans eius pars lib. 4. c. 3. & à nobis, disp. 1. sect. 4. & disp. 3. sect. 3.

3 An hęc scientia disputet de substantiis omnibus, versatur in vtramq; partem hic à Philosopho cap. 2. tex. 5. & definitur lib. 4. c. 2. lib. 6. c. 1. & à nobis Disput. 1. sect. 2.

4 An præter substantias sensibiles dentur aliæ separatæ. Hæc solum tractatur hic ab Aristotele de ideis, & de rebus Mathematicis, de quibus suprà lib. 1. c. 6. & 7. & infrà lib. 7. c. 12. & sequentibus. Sed hoc sensu censeo inutilem quæstionem, ideoq; breuiter expeditur à nobis disp. 4. sect. 1. & 2. & disp. 5. per totam; & aliqua addimus in disp. 25. de causa exemplari. Propria verò quæstio est de substantiis angelicis, quæ tractatur à Philosopho, lib. 12. cap. 8. & à nobis Disput. 35.

5 An eadem scientia sit de substantiis, & de illis quæ per se substantiis accidunt. Versatur c. seq. text. 6. & definitur pars affirmans lib. 4. cap. 1. & 2. Et est res clara, magisq; Dialectica, quam Metaphysica. & in ordine ad hanc scientiam expeditur à nobis. Disput. 1. sect. 1. & 2.

6 An communes affectiones entis, vt idem ac diuersũ & similes, cõsiderentur in hac scientia, ibidẽ.

7 An genera & differentiæ censenda sint principia rerum, vel potiùs partes Physicæ vt materia & & forma. Hanc versat in vtramq; partem Aristoteles in c. 3. huius libri. Nobis verò non videtur specialem disputationem requirere: vtraq; enim censemus dici posse principia, illa Metaphysica, hæc Physica. Quia verò compositio Metaphysica solum per rationem est, Physica verò realis; ideò principia Physica censemus esse propria rerum materialium, de illisq; disputamus per totas disputationes 13. 14. 15. & 16. Principia verò Metaphysica solum sunt principia secundum modum nostrum concipiendi & secundum rationem, de eisque dicimus tractando de vniuersalibus, disp. 5. sect. 1. & 2. & disp. 6. per totam.

8 An inter genera ea sint magis principia quę magis vniuersalia sunt. Hanc versat latissimè Aristoteles fere toto c. 3. Est verò inutilis, nam genera remota dici possunt magis principia extensiuè: propinqua verò intensiuè: vel illa magis in ratione potentiæ & materiæ, hęc in ratione formæ & perfectionis; sed hæc solum pertinent ad loquendi modum.

9 An præter materiam aliqua sit per se causa, atq; ea separabilis necne, & an vna vel plures numero. Hanc ponit Aristoteles eisdem ferè verbis versus finem capitis: habet autem ambiguum sensum. Nam si priora verba, vt sonant, sumantur, videtur quæri an vltra causam materialem detur formalis, & aliæ. Et hoc sensu tractatur hæc quæstio infra lib. 5. c. 2. & à nobis latè disp. 12. de causis in communi & in sequentibus. Non videtur autem hic esse sensus Aristotelis, quia statim c. 4. quæstionem hanc cum aliis sequentibus disputat in sensu longè diuerso. Alius ergo quæstionis sensus erit, an *præter materiam*, id est extra res singulares, *sit aliqua per se causa.* Ita enim vti solet Aristoteles voce illa *præter*, in sensu Platonico, cum Platone enim hanc sæpe agitat quęstionem, & in hoc sensu tractat illam, c. 4. tex. 12. & à nobis definita est disp. 5. & 6. tractando de vniuersalibus. Solum manet difficultas, quia tunc sequens quæstio cum hac videtur coincidere.

10 Est ergo decima quæstio, an sit aliquid præter ipsum totum materiale indiuiduum. Hanc quęstionem proponit Aristoteles text. 2. illis obscuris verbis, *Sitne aliquid præter simul totum.* Exponit autem quid intelligat per *simul totum*, dicens, *Voco autem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

simul totum, cum aliquid de materia prædicatur, id est, vt interpretor, species de materiali indiuiduo. Videtur ergo quærere, an in rebus materialibus species sit aliquid præter indiuidua: & in hoc sensu quæstio est cum Platone. Apparet autem eadem cum præcedente prout à nobis exposita est. Nisi dicamus, ibi quæri ex ratione causæ, hîc ex ratione quidditatis, & ita materialiter esse eandem quæstionem, formaliter verò diuersam. Vel certè ibi quæri de reali separatione, hîc de formali seu ex natura rei, prout à nobis disputatur disp. 5. sect. 2. Alii verò intelligunt generatim hîc quæri, an quod quid est in rebus materialibus, sit idem cum eo cuius est. Quam quæstionem latè Aristoteles prosequitur lib. 7. ca. 4. & 15. & nos latè Disp. 34. ferè per totam.

11 An principia non solum specie, sed etiam numero definita sint, id est, vnicuique rei propria, & indistinctis rebus diuersa. Hæc tractatur infrà. c. 4. tex. 13. & lib. 12. c. 4. Sed non est in ea immorandum, nam certum est principia intrinseca multiplicari numero multiplicatis indiuiduis, & non plusquam illa: idq; aliter in formis, aliter in materia verum esse. Formæ enim multiplicantur secundum suas entitates in diuersis indiuiduis; materia autem non semper: quia vno numero entitas materiæ subest successiuè diuersis formis: variatur autem secundum dispositiones, atque ita materia proxima semper est diuersa, vel specie vel numero pro ratione formarum. Principia autem extrinseca non ita multiplicantur, quia vnum esse potest diuersarum rerum principium: aliquando verò multiplicantur, & semper sunt in numero finito, quia in nulla multitudine causarum datur progressus in infinitum, vt suprà lib. 2 annotatum est.

12 An rerum corruptibilium, & incorruptibilium sint eadem principia. Tractatur ab Arist. infrà, cap. 1. text. 15. & lib. 12. c. 4. A nobis verò in disp. 13. sect. 11. vbi de principiis intrinsecis: de extrinsecis verò Disp. 29. sect. 2. à num. 15.

13 An omnia principia etiam corruptibilium rerum sint corruptionis expertia. Tractatur ab Aristotele eisdem locis, sed in particulari differitur de materia à nobis in propria disputatione. De forma verò solum habet controuersiam in anima rationali, quæ non spectat ad hanc scientiam. In causis autem extrinsecis ferè non est locus huic quæstioni: causa enim proxima & vniuoca rerum corruptibilium esse debet corruptibilis: causa verò superior esse potest incorruptibilis & æterna. Necessarium etiam est species omnes incorruptibiles ab aliqua re æterna & incorruptibili ducere originem, vt demonstratur à nobis. Disp. 29. sect. 1.

14 An vnum & ens sit ipsa rerum substantia, an verò aliquid aliud eis subiiciatur. Hæc disputatur ab Aristotele, capit. 4. tex. 16. Est tamen inutilis, & Platonica. Namque si de ente & vno transcendentibus sit sermo, satis constat non esse aliquid præter substantiam seu essentiam indiuisam vniuscuiusq; rei, de quo satis in disp. 4. & 5. disserimus. Si verò sumatur per Antonomasiam pro primo ente per se vno, sic constat esse quid separatum à cæteris rebus, non tamen esse substantiam earum, nec subiectum, sed primam earum causam, de quo disp. 22. sect. 1. & disp. 29. sect. 1. & 2. copiosè disserimus. Si tamen aliis occultis & Metaphoricis significationibus sumantur ens & vnum, explicentur illæ, & facilis erit responsio.

15 An principia rerum sint ipsa vniuersalia, vel res singulares. Hæc quæstio tractatur infrà capit. 6. tex. 20. & lib. 7. à c. 13. & intelligi potest moueri contra Platonem, an scilicet ideæ sint principia rerum, & sic iam tractata est dicto loco & aliàs sæpè. Potest etiam coincidere cum illa qua quæritur an actiones sint singularium, quæ tacta est in lib. 1. & tractata disputat. 34. sect. 9. Vel vt D. Thomas exponit, an principia talia sint secundum rationem vniuersalem, vel singularem, & sic tacta est Disputat. 5. sect. 3. 4. & 6.

16 An principia rerum causent aliter quam per motum. Hæc de sola efficiente causa videtur propriè tractari, vt in disp. 22. sect. 1. Aristoteles autem nunquam in hoc sensu eam ex professo disputauit, sed videtur eam proponere propter ideas Platonis, quas ille dicebat alio modo inducere formas: & videtur illam discutere infrà, c. 6. tex. 18. Quo etiam sensu traditur à nobis. Disp. 15. & 18. Vbi de eductione substantialis formæ, & principio eius effectiuo disserimus.

17 An principia rerum sint actu vel potentia. Hæc de singulis principiis infrà suis locis disputatur, scilicet de materia, forma, &c. At videtur hîc proponi ab Aristotele propter elementa, quæ sunt principia misti, de quibus quæstio est an sint actu vel potentia in misto. Quam quæstionem disputat c. 6. tex. 19. & nos Disp. 15. sect. 10. n. 41. & sequent.

18 An numeri, figuræ, longitudines & puncta, substantiæ quædam sint, necne. Tractatur ab Aristotele infrà c. 5. & lib. 13. & 14. latissimè: in ea verò nihil dicendum est præter ea quæ inferiùs de quantitate disputamus, Disp. 40. & 41.

Caput secundum.

Afferuntur quinq; primarum quæstionum rationes dubitandi.

Superuacaneum censeo singulas rationes adnotare, cùm in textu & aliis expositoribus & legi, & facilè intelligi possint. Quanquam verò Aristoteles inter proponendum has rationes, nonnullas sententias proferat scitu & disputatione dignas, tamen cùm hinc & inde argumentando semper procedat, nihil firmum de illius sententia habere possumus, vt etiam Auerr. initio commentariorum huius libri adnotauit. Et ideò, si rectè procedendum est, nullum in toto hoc libro præbet Aristoteles fundamentum ad quæstiones, quas incidentes seu textuales vocant, pertractandas. Nihilominus solent circa hoc caput sequentes tractari.

Quæst. 1. An scientiæ Mathematicæ demonstrent per causam efficientem & finalem: Partem enim negantem assumit vt veram Aristoteles argumentando in tex. 3. Tamen cum illo argumento aliquid falsum Aristoteles apparenter confirmare nitatur, scilicet, nullam esse scientiam, quæ omnes causas consideret, constat ex illo testimonio nihil de Aristotelis sententia affirmari posse. Illam autem quæstionem prætermittendam censui in hoc opere, tum quod ad naturam & rationem scientiarum Mathematicarum declarandam potius spectet, tum etiam quod facillima sit. Nam constat res illas de quibus Mathematicæ disputant, secundum se habere causas efficientes & finales, nam quantitas, linea, puncta, ab aliquo, & propter aliquid fiunt. Tamen prout considerantur à scientiis speculatiuis Mathematicis, abstrahuntur ab his causis, quia abstrahuntur à motu, & ab omni vsu. Et ita non dixit Aristoteles

teles res Mathematicas non habere causam efficientem, & finalem, seu Mathematicas scientias non demonstrare per has causas.

Et ratio à priori esse videtur, quia Mathematicæ non considerant propriam essentiam & naturam quantitatis, sed solum proportiones quasdam, & proprietates, quæ ad eas consequuntur, non per causalitatem realem, sed per consecutionem tantùm illatiuam. Ex quo intelligere licet, Mathematicas etiam non demonstrare per causalitatem materialem, quod vt notius videtur Aristoteles reliquisse, quia hæ scientiæ abstrahunt à materia. Vnde nec per formam propriam ac Physicam demonstrare possunt, quia forma & materia sunt quasi correlatiua. Atque hinc tandem inferunt aliqui, Mathematicas non demonstrare per vllam causam, ideoque non esse propriè scientias propter quid, solumque demonstrare conclusiones suas veras esse, interdum ab impossibili, interdum à signo & quasi ad sensum. Sed licet de multis demonstrationibus Mathematicis hoc verum sit, tamen negandum non est quin interdum fiat in illis scientiis demonstratio propter quid, quæ est per causam. Sed distinguendum est de causa: alia enim est realis per proprium influxum, quæ dicitur in ordine ad esse, & de hac est verum non interuenire in Mathematicis demonstrationibus, vt insinuauit Auerroes 1. Physic. in princip. Alia est causa in ordine ad cognitionem, quæ magis dicitur ratio, quæ sufficit ad demonstrationem à priori, vt patet cùm vnum attributum diuinum per aliud demonstramus: & hoc modo demonstrat Mathematicus per causam, vt cùm per definitionem trianguli aliquid ostendit de hoc vel illo triangulo. ¶ Quæst. 2. Solet autem occasione verborum Aristot. secundò hîc quæri, an entia Mathematica sint bona, quam satis attigimus in Disp. 10. sect. 2.

3 Vtrùm omnes actiones sint cum motu. Hoc enim etiam affirmat Aristoteles in discursu illius rationis; vbi etiam multa dicit pertinentia ad materiam de causis, vt quod immobilia non habeant efficientem, neque finem. Quod de intelligentiis creatis est falsum; sed, vt dixi, nihil eorum quæ hic assumuntur ab Aristotele, necesse est ab eo affirmari ex propria sententia. De priori tamen propositione disputamus latè tractando de creatione, disput. 22. sect. 1. vbi partem negatiuam demonstramus. Quod verò hîc sumit Aristoteles, exponi potest de actione Physica, nam supponit res Mathematicas non habere aliam superiorem actionem. Altera verò propositio disputatur ibidem, & disput. 29. sect. 1. & 2. & disp. 35. sect. 1. Hoc autem loco per immobilia solùm Mathematica intelliguntur: & hæc non secundum rem, sed secundum talem abstractionem & considerationem dicuntur non habere causam, vt declaratum est.

Caput tertium.

Tractatur quæstio de principiis, an sint ipsa genera vel elementa seu principia Physica.

De quæstione quam Aristoteles ex professo disputat, nihil nouum occurrit præter ea quæ c. 1. q. 7. notata sunt. Circa ea verò quæ obiter attingit Philosophus, nonnullæ quæstiones occurrunt præsertim circa tex. 10.

Quæst. 1. An genus prædicetur per se de differentiis quibus contrahitur, vel, vt aliter quæri solet. An sit de ratione generis, vt habeat differentias extra sui rationem, id est, in quarum intrinseco & essentiali conceptu genus ipsum non includatur. Hoc enim apertè supponit Philosophus in ratione quam text. 10. confic. Et ne quis dicat non procedere hîc definiendo, sed argumentando tantùm, id ex professo probat idem Philosophus libro sexto, Topic. capit. 3. Quocirca quæstio hæc in vno sensu Metaphysica est, in alio Dialectica. Est enim Metaphysica quatenus attingit distinctionem inter genus & differentiam, & præcisionem vnius ab alio, ac modum compositionis speciei ex illis, & in hoc sensu indicatur posterioribus verbis suprà positis, & satis est à nobis tractata, disput. 6. sect. 5. nume. 23. & sectio. 6. & ad eandem conferent, quæ in Disputat. 2. sectio. 6. & disputat. 39. sect. 2. tractantur.

Est autem Dialectica hæc quæstio, quatenus inquirit qualitatem prædicationis, scilicet an illa prædicatio generis de differentia, vel è conuerso fit per se, vt *rationale est animal*, vel *animal est rationale*. Et hoc sensu tractant eam hîc latè Iandunus quæst. 12. qui affirmat esse per se; & Antonius Andr. quæst. 2. & Iauellus, quæstio. 2. qui id negant: & Niphus disputat. 2. qui variis distinctionibus vtitur, sed res est & aliena, & satis clara. Illæ enim propositiones non sunt in primo, aut secundo modo dicendi per se, quos Aristoteles posuit in lib. 1. Posteriorum, quia in eis nec prædicatum est de ratione subiecti, nec subiectum de ratione prædicati. Et ratio à priori sumitur ex decisione prioris sensus. Nam cum genus & differentia ita comparentur, vt vnum sit extra conceptum & rationem essentialem alterius, & alioqui differentia non sit proprietas manans ex natura generis, vt est per se notum, fit vt vnum de alio, nec per se primò, nec per se secundò prædicari possit. Quod si quis velit loqui iuxta alios modos *per se* positos ab Aristot. libr. 5. Metaphysic. cap. 18. vel alios qui excogitari possunt, scilicet, vt *per se* distinguitur contra per aliud, vel vt excludit compositionem per accidens, sic differentia sicut per se coniungitur generi, id est immediatè & non per aliud, vel sicut genus & differentia per se, & non per accidens vnum componunt, ita dici potest vnum de alio per se prædicari. Sed hi modi per se applicati ad prædicationes, non sunt ita vsitati sicut priores: præterquam quod illæ prædicationes non sunt admodum naturales, sed aliquo modo impropriæ; & in hoc etiam deficiunt à propositionibus per se. Nam licet differentia diuisiua comparetur ad genus per modum formæ, tamen minus vniuersalis est quam genus: è contra verò licet genus sit vniuersalius, comparatur tamen ad differentiam vt potentia, & non vt actus, & ideò non tam propriè & directè prædicatur. Absolutè ergo propositiones hæ reiiciendæ sunt, à numero propositionum per se.

2 An habere differentias extra sui rationem, in quibus non includatur, nec de eis per se prædicetur, sit non solum de ratione proprii generis, sed etiam de ratione omnis prædicati vniuoci, vel habentis vnum conceptum obiectiuum communem omnibus contentis sub illo. Hanc quæstionem attigimus, disputatio. 2. sectione 5. & 6. vbi ostendimus, non oportere vt ea proprietas conueniat omni prædicato communi secundum eundem obiectiuum conceptum, & disputat. 39. sectione secunda ostendimus, non conuenire omni prædicato

essentiali

Universidad de Deusto
Biblioteca

essentiali seu quidditatiuo. Et Aristotelem hoc loco solum de proprio genere locutum fuisse; quidquid nonnulli expositores contendant. Idemq; attigimus. disp. 32. & 39.

3 An species per se prædicetur de differentia constituente ipsam, vt *rationale est homo.* Hanc tractant hoc loco authores supra citati, & quidam affirmant, alii negant, alii distinctionibus vtuntur. A nobis verò prætermissa est, tum quod Dialectica sit: tum q; (vt bene Fonseca in Comment. indicauit) Aristoteles tam claram existimauerit partem negantem, vt eam sine probatione reliquerit, & declaratione. Neq; obstant, quæ alii obiiciunt, scilicet in ea propositione subiectum esse de ratione prædicati: & ideò esse in secundo modo dicendi per se, nam hæc est eius definitio. Item quia hæc propositio *homo est rationalis*: est in primo modo dicendi per se: ergo conuertens erit etiam per se saltem secundo modo. Hæc (inquam) & similia non obstant: nam illa propositio non est naturalis, sed indirecta, impropriissima & præter naturam: & ideò est extra omnem latitudinem propositionum per se. Nam definitiones illæ modorum per se intelligendæ sunt de prædicatis & subiectis propriis, & connaturalibus, non de iis quę à nobis inuerso, & contranaturali ordine cõponuntur, & conuertuntur. Vnde etiam dici potest, genus in illis definitionibus propositionum per se, esse propositionem propriam & naturalem. Atque eadem ratione non est necesse propositionem per se conuerti in aliam per se, quando per conuersionem fit indirecta & impropria. Adde etiam hanc esse per se primo modo, *homo est animal*: hanc verò, *animal est homo*, nullo modo. Video controuersiam esse de modo loquendi: & multos censere hanc propositionem, *Risibile est homo*, esse per se in primo modo, licet sit indirecta. Sed nihilominus prior modus est formalior & magis proprius. Alioqui etiam illa propositio *rationale est homo*, esset in primo modo per se: nam si in definitione risibilis ponitur homo, cur non in definitione rationalis? Atq; ita eadem propositio, *rationale est homo*, esset in primo & secundo modo per se: quod est absurdum. Sunt ergo hæ propositiones indirectæ extra ordinem propositionum per se. Vide Caietanum lib. 1. Poster. cap. 4. & 18.

Caput quartum.

Disputat hîc Aristoteles in vtramque partem plures quæstiones in primo capite propositas, scilicet à quæst. 9. vsque ad 14. Nihil tamen definit, nec nouum quid, aut nostra disputatione, aut notatione indigens affert.

Caput quintum.

Hîc disputat quæstionem 18. de rebus Mathematicis, seu quantitate, an scilicet hæc sit substantia, necne: nihilque dicit notatione dignum, aut noua disputatione indigum; sufficiunt ea quæ de quantitate differimus Disput. 40. sect. 1. & 2. Est tamen hic locus obseruandus pro iis, quæ ibi traduntur.

Caput sextum.

Hîc disputat cæteras quæstiones suprà præmissas: & semper ferè reuertitur ad inutilem disputationem de ideis cum Platone. Quare nihil noui solet hic etiam disputari.

LIBER QVARTVS Metaphysicæ.

De subiecto huius doctrinæ, eiusq; partibus, affectibus, ac principiis.

Caput primum.

De subiecto Metaphysicæ.

Quæst. 1. Vtrùm Ens in quantũ ens sit Metaphysicæ subiectum: id quod in hoc loco Aristoteles affirmat. Disp. 1. sect. 1. per totam.

2 Quænam entia seu quas rationes entium Metaphysica sua contemplatione attingat. Disp. 1. sect. 2. per totam.

3 An ens secundum se habeat passiones, quæ per se illi insint, & in hac scientia de illo demonstrentur Disp. 3. sect. 1.

4 Quotnam illæ passiones sint, quemue ordinem inter se seruent. Disp. 3. sect. 2.

5 An hæc scientia versetur circa prima principia, & quid muneris circa illa exerceat. Disput. 1. sect. 4. num. 12.

6 An ratione obiecti vel principiorum aliæ scientiæ subalternentur Metaphysicæ. Disput. 1. sect. 5. num. 43.

7 An hæc scientia habeat aliqua prima principia ex quibus demonstret. Disp. 3. sect. 2.

8 An hæc scientia consideret primas rerum causas & principia, & quo modo. Disput. 1. sect. 4. n. 5. & disp. 12. in principio.

9 An ens in quantum ens habeat causas reales, locis proximè citatis.

10 An ens in quantum ens dicat vnam aliquam rationem obiectiuam. Hæc quæstio hîc habet locum propter ea verba Aristotelis, *Quoniam verò principia summasq; causas quærimus, illud necessarium esse perspicuum est, naturæ alicuius per se eas esse.* Et in fine capitis concludit, *Quapropter à nobis primæ causæ entis quatenus ens est, sumendæ sunt.* Ex quibus sententiis inter se collatis constare videtur ex sententia Aristotelis ens in quantum ens, dicere aliquam naturam, vel aliquam rationem communem per modum vnius naturæ, cuius proprietates per se, principia & causæ possunt in hac scientia inuestigari. Tractamus autem dictam quæstionem disp. 2. sect. 2. Cui quæstioni annexæ sunt sequentes.

11 Vtrùm ens habeat in nobis vnum conceptum formalem communem omnibus entibus. Disput. 2. sect. 1. per totam.

12 Vtrùm ens in quantum ens sit aliquid re ipsa præcisum ab inferioribus. ibi sect. 3.

13 Vtrùm præscindi saltem possit secundum rationem. Disp. 4. sect. 2. n. 14. & sequentibus.

14 Vtrùm ens in quantum ens includat actu vel potentia inferiora. Disp. 2. sect. 2. n. 20.

15 Vtrùm ens in quantum ens significet immediatè omnia suprema genera, vel tantùm mediatè. Disput. 2. sect. 2. n. 21. & sequentib.

16 In quo posita sit communis ac præcisa ratio entis. Disp. 2. sect. 4.

17 An ens dicatur essentialiter vel accidentaliter de particularibus entibus maximè de creatis. Disp. 2. sect. 4. n. 12.

18 An ratio entis trãscendat omnia, ita vt in omnib. modis & differentiis includatur. Disp. 2. sect. 5.

19 Quo modo contrahatur ens ad inferiora. Disput. 2. sect. 6.

20 Hîc

20 Hîc etiam tractari potest, an existentia creaturæ distinguatur ab eius essentia, de qua re est copiosa disp. 31. Quæ plures continet quęstiones, quæ tum ibi, tum etiam in indice disputationum Disp. 31. videri possunt.

Caput secundum.

De Analogia entis & nonnullis eius proprietatibus.

Quæst. 1. An ens sit vniuocum vel Analogum tum ad ens creatum & increatum, tum ad substantiam & accidens. Prior quæstio tractatur. Disput. 28. sect. 3. posterior, Disp. 32. sect. vltima.

2 An rectè Aristoteles Analogiam entis cum Analogia sani comparauerit. Et ratio difficultatis est, quia videtur longè diuersæ rationis, vt ex prædictis disputationibus constat. Duobus modis responderi potest: primo comparasse illa in Analogia absolute, non tamen in modo Analogiæ: quia in modo nõ sunt similia. *Sanum* enim ita est Analogum, vt forma quam significat, vni tantùm significato intrinsecè insit: aliis per denominationem extrinsecam. *Ens* verò significat formam seu rationem omnibus significatis intrinsecè inhærentem. Vnde fit vt *sanum* non significet vnum conceptum communem omnibus significatis, sicut significat *ens.*

Ex quo fit vlterius, cùm Aristoteles æquiparat ens & sanum in eo, quod sicut vna scientia agit de sano quoad omnia significata eius, quatenus ab vna sanitate deriuantur, ita vt scientia tractat de ente: cùm (inquam) hæc comparat, intelligi etiam debere secundum similitudinem, non secundum æqualitatem. Nam sanum secundum totam Analogiam suam, non est adæquatum obiectum vnius scientiæ, directè sub se comprehendens sua significata, tanquam proprias partes subiectiuas talis obiecti, directè, vel (vt aiunt) in recto pertinentes ad obiectum talis scientiæ: solum enim principale significatum sani, est adæquatum & directum obiectum medicinæ: reliqua verò quæ Analogicè dicuntur sana, in obliquo pertinent ad illam scientiam, vt signa sanitatis, vel instrumentum, vel aliquid huiusmodi. At verò ens est obiectum adæquatum directè complectens suas quasi partes subiectiuas, vt in disputationibus cap. præcedenti citatis ostensum est. Vnde fit, vt ens secundum adæquatam significationem possit esse extremum demonstrationis in qua proprietates illi adæquatæ de ipso demonstrentur: sanum verò minimè, sed solum ratione primarii significati.

Secundò responderi potest, de ente dupliciter posse nos loqui, vno modo vt comprehendit tantùm vera entia realia, & illa omnia transcendit & sub se continet. Alio modo vt extenditur ad multa, quæ verè & intrinsecè entia non sunt, solumq; per quandam attributionem extrinsecam entia dicuntur, vt sunt priuationes, vel entia omnino per accidens aut rationes. Priori modo videtur locutus de ente Aristoteles in capit. superiori: & illo modo est propriè adæquatum obiectum & directum vnius scientiæ: & habet Analogiam cum vnitate conceptus, & rationis obiectiuæ intrinsecè inuentæ in omnibus significatis etiam secundariis, vt dictis locis ostendimus, & quoad hæc est comparabile cum *sano* non secundum æqualitatem, sed tantùm eo modo quem nunc explicuimus. Posteriori modo videtur hic locutus Aristoteles de ente; & sic includit respectu multorum significatorum Analogiam pluriumq; conceptuum, & secundum extrinsecam denominationem respectu aliquorum, & quoad hæc comparatur cum sano, etiam in modo Analogiæ, & in modo quo sub vnam scientiam cadit, vt facile ex dictis constat.

Nec mirum videri debet, quod in diuersa significatione sumat Aristoteles nomen entis in his duobus capitibus: nam in eis diuerso modo loquitur: in priori enim cùm adæquatum obiectum Metaphysicæ cõstituat, agit de ente secundum proprium eius conceptum obiectiuum: in hoc verò capite agit de tota amplitudine significationis nominis entis: vnde satis expresse plura numerat, quæ vera entia non sunt, vt priuationes & similia, quæ ipsemet excludit ab obiecto Metaphysicæ, directo, scilicet, & adæquato, lib. 6. in fine.

3 Vtrùm ad Metaphysicum spectet agere de propria ratione substantiæ, propriisq; principiis eius. Disp. 1. sect. 2.

4 Vtrùm Metaphysica tractet de speciebus entis, secundum proprias rationes eorum, & in vniuersum scientia de genere sit etiam de speciebus. Tractatur disp. 1. sect. 2. Et resolutio simpliciter est negatiua. Verba autem Aristotelis in tex. 2. in quibus hæc quæstio fundatur, scilicet, *Vnius generis vna est scientia; quare & entis quotquot sunt species, vnius scientiæ genere est contemplari, & specierum species:* hæc (inquam) verba ambigua sunt, & ibidem latè explicantur, num. 21. Solum hîc notetur, sermonem esse formalem de speciebus entis in genere scibilis. Et ita dici potest genus entis scibilis vt sic, pertinere ad genus scientiæ: varias autem species scibilium ad varias species scientiarum. Vel etiam omnia entia quatenus in vna aliqua ratione scibilis conueniunt, cadere sub vnam scientiam, quæ licet sit vna specie, generalis dicitur ob vniuersalem tractationem omnium entium sub illa ratione. Nihilominus tamen entium species sub propriis rationibus (obiectorum vtique scibilium) ad scientias specie diuersas pertinent.

3 An ens & vnum idem sint & vna natura, disp. 4. sect. 1. & 2.

4 An ens & vnũ conuertantur, seu (vt Aristoteles ait) mutuò se sequantur. Disp. 4. sect. 4.

5 An in hac reciprocatione rectè comparauerit Aristoteles ens & vnum ad principium & causam. Disp. 13. sect. 1. In solutionibus argumentorum.

6 An quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur, vnum sint. Disp. 7. sect. 2. n. 15. & 17.

7 An vnum priuatiuè opponatur multitudini, vt hîc Aristoteles significat. Disp. 4. sect. 6.

8 An Dialectica & Sophistica versentur circa omne ens, & in eo conueniant aliquo modo cum Metaphysica. Hoc enim videtur affirmare Aristoteles in textu: spectat tamen ad Dialecticos potiùs quàm ad nos. Et ideò breuiter obseruandum est, id non debere intelligi de propria doctrina Dialecticæ, & Sophisticæ artis, sed de vsu earum. Nam doctrina Dialecticæ seu Topicæ (hîc enim in eadem significatione sumitur) solum versatur in docendo modo probabiliter concludendi, aut argumentandi, præsertim ratione materiæ. Sophistica verò circa modum apparenter concludendi. Vnde sub hac ratione non versantur circa ens aut entia omnia, sed circa talia opera intellectus. Vsus verò Dialecticæ & Sophisticæ artis ad omnia extenditur: quia

in omni

Universidad de Deusto
Biblioteca

in omni re seu materia fieri possunt probabiles seu apparentes rationes. In quo excedunt hæ partes logicæ doctrinam demõstratiuam: nam vsus eius non extenditur ad res omnes, sed in veris tantùm ac necessariis versatur. Non ergo æquiparatur doctrina Metaphysicæ cum doctrina Dialecticæ, sed cum vsu, estq; comparatio proportionalis, non omnino similis, & ita est res clara.

Quamuis autem Aristoteles in hoc capite non tam disputet de vno, quam dicat esse disputandum, solent hîc tractari quæstiones omnes ad vnitatem pertinentes, imò & ad alias passiones entis. De quibus fusè egimus à disp. 4. vsq; ad 11. vt videre licet in indice sequenti, ne hîc fiat inutilis repetitio. Aliqui etiam hîc disputant de esse existentiæ quomodo ad ens vel essentiam comparetur. De qua re latè dictum est disp. 31.

Caput tertium.

Pertinere ad hanc scientiam prima principia, & maximè illud, quod est omnium primum.

Quæstio vnica. An hoc sit primum omnium principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, disput. 3. sect. 3.

Cætera quæ de tractatione principiorum hîc dicuntur tum ibi, tum etiam disput. 1. sect. 4. tractata sunt, & in superioribus sunt annotata.

Caput quartum vsq; ad octauum.

Defenduntur principia prima, Impossibile est idem simul esse & non esse. *Et* Necesse est quodlibet aut esse, aut non esse.

Hæc quinque capita consumit Aristoteles in redarguendis quibusdam Philosophis, qui hæc principia vel negabant, vel se negare fingebant: nisi fortasse id ipse finxit disputandi gratia. Vtcunque id sit, nihil fere occurrit in his capitibus, quod vtilitatem specialem afferat, aut occasionem alicuius quæstionis præbeat, præter vnum vel alium locum.

Quæst. 1. tractari cap. 4. potest, circa text. 13. & 14. An vnum accidens possit esse subiectum alterius, quam quæstionem tractauimus disp. 14. sect. 4. Et locus præsens exponitur num. 14.

2 Posset circa text. 16. tractari, An quod non est possit aliquid efficere: occasione illorum verborum Aristotelis, *Ea verò quæ non sunt, quomodo aut loquentur, aut ambulabunt?* verum talis quæstio est satis aliena à præsenti instituto Aristotelis, solumq; indicata est, vt dicta verba Aristotelis notentur: tractatur autem à nobis fusè disp. 18. & disp. 31.

3 Circa cap. 8. moueri potest quæstio, An & quale definitum iudiciũ boni requiratur ad mouendam voluntatem. Est enim hic locus ad illam quæstionem diligenter notandus, vt obseruamus disput. 23. sect. vbi quæst. illam tractamus.

4 Quæst. 4. esse potest circa finem eiusdem capitis 4. an veritas & falsitas recipiant magis & minus, id est, sit vna maior alia. Arist. enim tam certam existimauit partem affirmantem, vt eo principio vsus fuerit ad demonstrandum primum principium, *Idem simul esse & non esse impossibile est*. Quanquam, vt ipse præmittit in principio huius capitis, in his rationibus non argumentetur ex notioribus, sed redarguat aduersarium ex concessis. Vnde verisimile est illam affirmatiuam partem fuisse ab aduersario concessam. Absolutè tamen videri potest falsa illa sententia, nam cum veritas consistat in indiuisibili, & in omnimoda adæquatione intellectus ad rem, non videtur posse recipere magis nec minus. Et eadem ratione neque falsitas, quia si tollit veritatem, omnino tollit, & ita nulla potest esse maior. Dicendum verò est, in falsitate posse esse magis & minus, non formaliter per admistionem veritatis & falsitatis, vt rectè probat ratio facta, sed quasi radicaliter per maiorem vel minorem distantiam à veritate. Et hæc planè est intentio Philosophi, nam hoc satis est ipsi vt concludat aliquid esse determinatè verum. At verò in veritate non dicitur esse magis vel minus per accessum vel recessum à falsitate: falsitas enim opponitur veritati per modum priuationis, & ideò mensuratur ex illa, non verò è contrario. Solum ergo ratione fundamenti, aut maioris firmitatis seu necessitatis eius rei, in qua veritas fundatur, potest vna veritas dici maior alia. Hæc tamen res tota plenius constare potest ex his quæ disp. 8. & 9. de veritate & falsitate tractamus.

An contraria ita repugnent circa idem subiectum, sicut contradictoria circa quodlibet. Id enim videtur Aristoteles hoc loco affirmare. Ex quo aliqui inferunt, etiam in ordine ad potentiam absolutam repugnare, duo contraria perfecta esse in eodem subiecto. De qua re dicimus in prædicamento qualitatis Disp. 45. Nunc constat Aristotelem solum loqui quatenus vnum contrarium infert alterius priuationem, vel negationem, quod si hæc impediatur, constat non esse æqualem repugnantiam. An verò impediri possit, Aristoteles non nouit, & negaret quidem ille: nos autem non est cur negemus, nisi vbi specialis ratio interuenerit, de quo dicitur citato loco. Circa cap. 6. textu 17. quæst. 1.

6 An duo contraria in esse remisso possint naturaliter simul esse in eodem, vt hîc Aristoteles sentit, disputatur ibidem.

7 Tractari præterea posset an omnia moueantur semper, vel omnia semper quiescât, & an aliquid sit penitus immobile, quod est primum mouens. Sed hæc in Physica tractantur: suntq; illius scientiæ propria: quanquam de primo motore non sub ratione primi motoris, sed primæ causæ, vel primi entis agimus disp. 20. & 29.

8 Circa hæc omnia capita quæri solet, an sit veritas pura & sine falsitate in affirmationibus & negationibus, eaq; percipi à nobis possit. De qua re quod disputatione dignum videtur diximus Disp. de veritate & falsitate.

LIBER QVINTVS Metaphysicæ.

De communium & Analogorum nominum multiplici significato, eiusq; distinctione.

Nondum Aristot. rem ipsam aggreditur, nimirum propriam obiecti huius scientiæ tractationem. Sed prius nominum quorundam significationes in hoc libro distinguit. Nam, quia ens, quod obiectum huius scientiæ constituerat in superiori libro, communissimũ est, etiam proprietates, causæ, principia, & partes eius nominibus communissimis significantur, quæ multiplicia esse solent. Et ob hanc causam necessarium visum est Aristoteli ante rerum tractationem harum vocum Analogiam exponere. Et hic est scopus huius libri, vt Commentator notauit. Nam licet hæc doctrina non de vocibus, sed de rebus præcipuè disserat: tamen quia res non possunt, nisi vocibus explicari, necessarium visum est Philosopho exactam ipsarum vocum notitiam tradere. Quo fit vt hic etiam liber si Aristotelis mẽtem spectemus inter preambula ad veram scientiam Metaphysicę tradendam annumerandus sit. Si verò morem interpretum consideremus, in eo res ipsę ad obiectum Metaphysicę pertinentes, præsertim prędicamẽta omnia, & causę entis in quantum ens, tractari solent: in quarum cognitione magna huius doctrinę pars consistit.

Caput primum.

De communi ratione variisq; significationibus huius vocis, Principium.

Caput hoc ex professo declaratur in disp. 12. sect. 1. vbi sequentes quęstiones breuiter expediuntur.

Quæst. 1. Quot modis principium dicatur, & quomodo significationes eius ad certam aliquam rationem reuocari possint, ibi à num. 3. vsque ad 8.

2 An esse prius commune sit omni principio. ibi num. 8. 9. & 10.

3 Quæ sit definitio principij in communi. ibi num. 11. & in 12. declaratur definitio ab Aristotele data, & diuisio ibidem subiuncta.

4 An principium sit analogum, & qualis sit analogia eius à num. 13. ad 24.

5 An principium & causa conuertantur. ibid. à nu. 25. vsq; ad finem. Ibiq; varia de hac re Aristotelis dicta, tum in hoc capite, tum in aliis, exponuntur.

Caput secundum.

De causis.

Eandem hoc loco doctrinam de causis Aristoteles tradit quam in lib. 2. Physicor. docuerat, ac pene eisdem verbis, cùm tamen Metaphysicę dignitas & amplitudo accuratiorem & vniuersaliorem disputationem postulare videretur. Cur autem id fecerit, expositores variis rationibus declarãt. Ego verò existimo Aristotelem nihil habuisse quod adderet prẽter ea quę lib. 7. & 8. de principiis substantię, & lib. 12. de Deo & intelligentiis disputat. In expositione verò huius capitis magnam sequentis operis partem consumpsimus à disput. 12. vsque ad 27. in quibus priùs in communi, generalem fecimus causarum partitionem, deinde sigillatim de singulis in specie, & de membris seu subdiuisionibus earum copiosè disseruimus, ac tandem eas & inter se, & cum effectibus contulimus: ad quæ tria puncta doctrina huius capitis reuocatur. Esset autem superuacaneum hoc loco titulos sectionum omnium, vel dubitationum transcribere, cùm in sequenti disputationum indice ordinatè contineantur, & ex illo facilè peti possint.

Caput tertium.

De elemento.

Quæst. 1. esse potest in hoc cap. an elementum rectè sit ab Aristotele definitũ. Hęc verò parui est momenti, nam descriptio ab Aristotele data, solum est quędam explicatio significationis illius vocis iuxta communem vsum eius, & ideò breuiter illã declaramus in disp. 15. sect. 10. nu. 55. Atq; idem censendum est de omnibus quęstionibus quę ex illa voce pendent: sunt enim magis de nomine, quàm de re.

2 An materia sit elementum, de quo disputat. 15. sect. 10. num. 56.

3 An forma sit elementum. ibidem.

4 An genus & differentia sint elementa. De qua nihil dicendum videtur, quia est solum quæstio de nomine: sed legi possunt quæ de simili quæstione sub nomine principij notaui suprà lib. 3. cap. 1. quæst. 7.

5 Potest etiam hîc quæri an sit de ratione elementi vt formaliter ac per seipsum componat id cuius est elementum. Quod ferè incidit in illam celebrem quæstionem, an elementa maneant formaliter in misto, de qua dictum est disp. 15. sect. 10. à num. 51.

Caput quartum.

De natura.

Quæst. 1. Caput hoc quantum ad Metaphysicam considerationem spectat exposuimus disp. 15. sect. 11. num. 4. 5. & 6. vbi illam quæstionem communẽ breuiter expediuimus, quod sit proprium huius vocis significatum, & an rectè ab Aristotele traditum sit. Neq; hîc occurrit difficultas alicuius momenti, vel in litera Philosophi, vel in re ipsa, quia non agitur hîc nisi de significatione vocis.

2 Quæstio autem de definitione naturæ in lib. 2. Physicor. tradita, non est huius loci, licet eam aliqui hîc disputent.

3 Aliqua verò quæstio, quæ hîc obiter tractari solet, an partes materiæ quæ diuersas habent formas, possint esse continuę in disp. 40. inter explicandam necessitatem quantitatis continuæ expedita est.

Caput quintum.

De necessario & modis eius.

Modi necessarij quos Arist. tradit, satis clari sunt: ponit enim duplex necessarium ex fine, scilicet, vel simpliciter, vel ad melius esse, & tertium ex efficiente quod violentum appellat.

Quæst. 1. Circa quem modum quæri posset, an omne necessarium ex causa efficiente sit violentum. Sed quia res est facilis, notetur breuiter, dupliciter posse esse aliquid necessarium ex causa efficiẽte. Vno modo ex sola illa: alio modo non ex sola illa, sed simul ex parte passi seu recipientis. Quod hoc posteriori modo est necessarium, non est violentum, vt patet de motu lapidis deorsum, etiamsi contingat fieri ab extrinseco agente: solùm ergo prior necessitatis motus qui prouenit mere ab extrinseco, pertinet ad violentiam. Sed rursus in illo distinctione opus est; nam aliquando passum non repugnat effectui seu motioni, licet eam nõ appetat, & tunc etiam necessitas illa non est violentia, vt patet de motu cœli, vel (extra omnem opinionem) de motu ignis in propria sphæra. Sola ergo illa necessitas est violentia, quæ fit passo repugnante, quod satis Aristoteles declarauit hîc in illis verbis: *Præter propensionem, electionemq;*. Vbi obiter insinuauit violentum generatim dictum superiùs quid esse ad coactum: nam coactum propriè sumptum, est contra electionem (vbi subintellige omnem appetionem elicitam) violentum verò est, aut contra hanc, aut contra naturæ appetitum & propensionem, in naturali potentia, siue actiua, siue passiua fundatam: Aristoteles enim nihil inter hæc distinxit. Vnde etiam tacitè explicuit lib. 3. Ethic. cap. 1. & dixit violentum esse *quod est ab extrinseco, passo non conferente vim*, positiuè esse intelligendum, *non conferente*, id est repugnante, vel (vt sic dicam) non patienter ferente.

Dices. Ergo addi potest alius modus necessarij, scilicet, quod est ab efficiente causa absque violentia vel connaturalitate. Respondetur huiusmodi necessarium vel nullum esse, vel reduci ad quartum modum, quem statim Aristoteles ponit, scilicet, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

non potest aliter se habere, quod dixit esse necessarium simpliciter, & per eius participationem reliqua omnia necessaria nominari. Hoc autem ita declaro, nam vel ille effectus est à causa agente ex necessitate naturæ, & sic tale necessarium pertinet ad necessarium simpliciter, quia non potest aliter se habere, & nõ habet aliam specialem rationem necessitatis. Vel ille effectus est à causa libera, solumque dicitur necessarius ex suppositione: quia illa agente, passum resistere non potest. Et hic modus necessitatis, respectu agentis, ad illum reducitur, quo res quando est, necessariò est, quia hic prætermissus videtur, vtpote impropriissimus, & nullam inducens necessitatem nisi conditionatam: respectu verò recipientis pertinet ad quartum modũ, quia passum illud non potest aliter se habere, altero sic agente. Vnde statim Aristoteles videtur diuisionem quandam adiungere illius quarti modi necessarij; nam aliquod est habens causam talis necessitatis, aliud verò quòd non habet causam, sed per se tale est.

2 Circa hanc verò partitionem quæritur, An secundum Aristotelem & veritatem dentur aliqua entia necessaria per seſe, nullamq; habentia causam suæ necessitatis. Nam Aristoteles ita videtur hîc affirmare, & multi censent Aristotelem ita sentire. Sed hic locus non cogit vt hoc Aristoteli imputetur. Nam inprimis illa diuisio intelligi potest, non de entibus quoad existentiam, sed solùm quoad esse essentiæ, seu quoad veritatem complexionum abstrahentium à tempore, quæ necessariæ dicuntur, quia sunt æternæ veritatis. Et inter eas quædam sunt habentes causam suæ necessitatis, vt propositiones mediatè, quæ priora principia demonstrantur: aliæ quæ nõ habent causam, vt principia per se nota. Vel si Aristot. loquatur de entibus existentibus, licet in plurali tradat diuisionem, necesse non est vt vtrumque membrum in plurali verificetur. Vnde in fine solùm sub conditione concludit, si aliqua sunt huiusmodi entia, illa esse sempiterna. Quid verò aliis locis senserit, videbimus in sequentibus & rem totam disputamus variis locis sequentis operis, nam disput. 20. per totam tractamus de diminatione omnium entium ab vno per creationem: disp. autem 29. sect. 1. de necessitate primi entis; & sect. 2. quomodo hoc ei sit proprium: at verò in disput. 30. sectio. 16. an primum ens agat ex necessitate naturæ, & quid in hoc Aristoteles senserit.

3 E contrario verò etiam hîc queri potest an sint aliqua entia, quæ licet habeant causam, dici possint entia necessaria. Tractatur disp. 28. sect. 1. & in disp. 35. sect. 3. prope finem.

4 Vltimò quæri potest an veritates complexę, quę necessariæ dicuntur, habeant causam suæ necessitatis & qualis sit earum necessitas. Hanc tamen attigimus disput. sect. 4. numero 12. & disput. 8. de vero sect. 1. & 2. & latiùs, disputatione 31. sect. 2. & sect. 12. versus finem.

Caput sextum.

De vno & variis modis eius.

Quæ circa hoc caput disputari possunt, & ad rem maximè pertinent, tractantur in disp. 4. 5. 6. & 7. per plures quæstiones, quæ sequenti indice videri possunt. Circa textum verò nonnulla possunt de vnitate quantitatis, & de continuatione disputari: vt, An rectè definiatur continuum per motum, scilicet, illud esse continuum quod per se vno motu mouetur. Secundò, an corpora heterogenea sint verè continua. Tertiò an partes vel substantiæ habentes plures formas diuersas, verè possint continuari. Quartò an vnum sit principium numeri, & quale principiũ sit. Quintò an hoc æquè conueniat omni vnitati, vel speciali modo vltima vnitas dicatur forma numeri. Sextò an ratio mensuræ speciali ratione conueniat vnitate. Hæc tamen omnia in se facilia sunt, ideòque breuiter atitnguntur, & expediuntur inter disputandum de quantitate continua & discreta, disputatione 40. & 41.

7 Septimò inquiri potest, quomodo Aristoteles dixerit, esse vnum vel idem, verùs prędicari de rebus specie diuersis cum adiectione generis remoti quàm proximi vt homo & equus verùs dici idem viuens, quã idẽ animal. Et ratio dubii est, quia maior est vnitas in genere proximo, quàm in remoto. Respondetur, Aristotelem non agere de re, sed de figura locutionis. Nam quoad rem certum est maiorem esse vnitatem in genere proximo, tamen in modo prædicationis verior fit prædicatio minùsq; æquiuoca sub ea forma quam Aristoteles posuit. Et ratio est, vt notauit Diuus Thomas, quia respectu generis remoti conueniunt species non solùm in genere ipso, sed etiam in differentia contrahente illud; vnde cùm homo & equus dicuntur idem viuens, significatur non solùm conuenire in genere viuentis, sed etiam in differentia contractiua eius, quod verum est: cùm verò dicuntur esse idem animal, similiter significatur non solùm vtrumque esse animal, sed etiam esse eiusdem rationis in aliqua ratione determinata animalis: illa enim sunt determinata animalia, quæ differẽ eiusmodi animalis differẽtiis: cùm ergo dicuntur vnum vel idem animal, indicantur conuenire in aliqua differentia contrahente animal, & eadem porportionali ratione, Petrus & Paulus non dicuntur vnus homo, absolutè loquendo: facilius autẽ dicuntur idem animal. Quamquam, quia hæc spectant solùm ad modum loquendi, seruandus est communis vsus, & cauenda omnis æquiuocatio.

Solent etiam multa quæri circa diuisionem illam quam Aristoteles ponit tex. 12. *Alia sunt vnum numero, alia specie, alia genere, alia analogia.* Videlicet quo modo hæc diuisio differat à prima qua diuiditur vnum in *vnum continuatione, vnum ratione formæ, vnum genere, definitione, seu specie, & vnum omnimoda indiuisione*, id est, indiuiduum, seu indiuisibile vt alij volunt. Dico tamen breuiter, diuisionem partim esse eandem, partim diuersam, quia aliqua membra formaliter continentur in prima, quæ in secunda omittuntur, & è contrario, licet virtute in idem incidant. Nam vnitas continuationis & indiuisionis, quæ in priori distinguuntur, sub vnitate numerali cõprehẽduntur. Vnitas item definitionis & forma ad vnitatẽ specificam pertinent, sicut & vnitas differentiæ, cuius Aristoteles in neutra definitione expresse meminit: pertinet autem ad vnitatem speciei. Ad quam etiam reducitur (secundum aliquos) vnitas proprij, & accidentis: sed hæ magis pertinent ad vnitates per accidens. At verò vnitas analogiæ, quia imperfecta est, omissa fuit omnino in prima diuisione. imò in secũda videtur omissa vnitas analogiæ attributionis: nam Aristoteles solius proportionalitatis meminit. Sed Aristotelis verba facile possunt ad vtramque accommodari, vel potest vna facile ad aliam reduci, maximè illa analogia proportionis, quæ merè extrinseca est: nam illa quæ est per intrinsecã & propriam conuenientiã, aliquo modo potest ad vnitatẽ generis reuocari. Atque ita patet tum diuersitas & conuenientia inter illas diuisiones, tum etiam earum sufficientia.

Sonc. q. 11. Iauel. q. 13. Anto. Andr. quæst.

9 Sed quærũt vlteriùs, an hæ diuisiones sint rationis vel reales, & an sint logicæ, an metaphysicę. Quæstio tamen est parui momenti, si supponamus (quod dicto loco fusè disputatum est) omnem vnitatem vniuersalem esse rationis: formalem autem esse rei aliquo modo. Nam hinc facilè constat, plura membra illarum diuisionum posse vel secundum rem, vel secundum rationem, atque adeò & logicè & metaphysicè, explicari. Ab Aristotele autem potissimum traduntur vt reales sunt, quamuis vnitates communes sæpe declaret per terminos logicos, quia sunt aptiores ad explicandum fundamentum, quod in re habent hæ vnitates: vnitatem autem numericam, quia magis realis est, simpliciter per terminos reales declarat. Posũt ergo ambæ diuisiones partim reales partim rationis censeri.

10 Rursus circa illam definitionem Aristotelis: *Vnum numero sunt, quorum est materia vna*, hîc latè tractari solet de principio indiuiduationis: de qua re integram ferè disputationem quintã confecimus. Quoad sensum autem propositionis Aristotelis, licet Scotistæ contendant non loqui de materia, quæ est pars compositi, sed de materiali differentia, quam hæcceitatem vocant: simplicior tamen & verior sensus est, loqui Philosophum de propria materia: hoc est enim apud Aristotelem significatum illius vocis, & non aliud. Et in eodem illa vtitur agens ferè de eadem re lib. 7. tex. 28. & lib. 12. tex. 49. vt in dicta disp. latiùs ostendi. Et ideò difficilè est accõmodare verba illa, vt adæquatam definitionem contineant vnitatis numericæ, quia in Angelis & accidentibus est vnitas numerica sine materia. Quapropter Commentator ait, non definiri ibi adæquatè vnum transcendens, sed vnum quantitatiuè. Et in idem ferè incidit Diuus Thomas dum ait, non definiri indiuiduum in communi, sed explicari in rebus materialibus. Imò addendum est tantùm explicari in substantiis materialibus, simulque existentibus, vel intelligendum est de materia non absolutè, sed signata certis accidentibus. Et re vera Aristoteles hîc non satis declarauit indiuiduationis principium, sed quoad nos aliquo modo indicauit, quod sit indiuiduum.

11 Per veritatem genericam Aristoteles planè hîc intelligit vnitatem prædicamentalem: vnde quæri etiam hîc solet an prædicamẽta differant prædicamẽti figura: quia verò hæc quæstio propriam difficultatem habet in diuisione nouem prædicamentorum accidentium, ideò illam tractamus explicando illam diuisionem disp. 39. sect. 2.

12 Vltimò inquiritur, quo modo verum sit *posteriores vnitates sequi priores*, vt Aristoteles dicit, id est, quæ sunt vnum numero, esse etiam vnum specie, genere, & analogia. Nam Petrus qui est vnus numero, non est vnus analogicè, & Petrus & Paulus qui sunt vnum specie, non sunt analogicè vnum. Respondetur, sensum esse, in re indiuidua & singulari esse omnes vnitates superiores, atq; ita ea, quæ sunt vnum in inferiori vnitate, necessariò esse vnum in superiori, etiamsi illa analoga sit, nõ est tamen necesse vt respectu illorũ sit illa vnitas analoga, sed satis est, quod ipsũ prædicatum analogũ illis cõmune sit. Quo sensu æquialet hæc regula illi quam tradunt dialectici, quod de quocunque dicitur prædicatum inferius, dicitur & superius, quocunque modo vnum sit. Nam si Petrus est hic homo, erit & homo & substantia, & ens, & ita si Petrus & hic homo sunt idem numero etiam sunt vnum specie, genere, & analogia, id est sunt vnum in ratione formali, specifica, generica, & analogica.

Caput septimum.

De ente, eiusq; variis modis seu significatis.

Quæst. 1. prior quęstio hîc esse potest, de diuisione in per se, & per accidens, quàm latè explicamus disp. 4. sect. 3.

2 Altera est, de diuisione entis in ens in actu, & ens in potentia. De hac nonnulla tacta sunt disp. 2. sect. 4. Ex professo verò tractatur in disp. 31. per tres primas sectiones.

3 Addi hîc potest quæstio, quid sit aliquid esse verũ vel falsum, propter ea, quæ hîc Aristoteles interposuit de esse, quod est in veritate propositionis. Sed ea res partim tractatur in disputatione 8. & 9. quæ sunt de veritate & falsitate, partim in disputatione vltima, quę est de entibus rationis. Hoc enim esse verum, quod hîc Aristoteles distinxit, solùm est esse obiectiuũ in compositione mẽtis vera vel falsa, quod solùm est esse rationis, seu per denominationem extrinsecam ab opere rationis. Quod verò ad Aristotelem attinet, aduertendum est, ideò hîc interposuisse sermonem de hoc esse, vt indicaret, licet de negationibus dicatur aliquo modo hoc esse verum, non tamen pertinere ad entia propria ac per se, neque ad prædicamenta, nisi reductione quadam.

4 Deniq; hîc etiam tangitur diuisio entis in prædicamẽta, quam in disp. 32. & disp. 39. tractamus. Hîc tantùm aduerto, solùm septem membra accidentis Aristotelem numerasse, omissis *Situ* & *Habitu*, quod licet casu fortè factum sit: nos autem libenter aduertimus ex Commentatore, illa duo prædicamẽta parui esse momenti, & nullius ferè considerationis, & ideò de illis breuissimè in disp. 52. & 53. huius operis disserimus.

Caput octauum.

De substantia.

In hoc capite nihil occurrit notatione dignum, de ipsa verò re disputamus late à disp. 31. vsque ad 36. per plures quæstiones, quarum tituli & loca videri possunt in indice sequenti.

Caput nonum.

De Eodem, Diuerso, & Simili.

Quas diuisiones Aristoteles tradidit de vno per accidens, & per se, & de variis modis vnius, tradit hîc etiam de eodem: & cõsequenter de diuerso, quod tot modis dici potest, quot suum oppositum, & ideò nihil rei disputandum hîc occurrit. Nam, quæ dicũtur de distinctione inter diuersum & differens, solùm spectant ad vsum terminorum, sicut etiam, quæ de similibus & dissimilibus dicuntur. De Eodem autem & Diuerso breuem addidimus quæst. ad disp. de vno disp. 7. sect. 3.

Caput decimum.

De oppositis & specie differentibus.

Quæstio vnica. Hîc quæri solet an duo accidentia solo numero differentia possint simul esse in eodem subiecto, occasione verborum Aristotelis in fine capitis, vbi inter ea quæ specie differunt, ponit, *omnia quæ cùm in eadem substantia sint, differentia habent.* Tractatur autem latè à nobis disp. 5. sect. 8. vbi num. 18. Aristotelẽ non vniuersè intelligendum censuimus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed de accidentibus omnino similibus in ratione indiuiduali, vt ibi latè exponimus. Reliqua quæ de oppositis & contrariis Arist. hîc dicit, in Dialectica copiosè disputantur, aliqua tamen attigimus in disp. 45. vbi de contrarietate qualitatum disserimus.

Cur autem post oppositorum & contrariorum enumerationem redierit Arist. ad diuersitatem specificam declarandam, non oportet quærere: quia neq; in ordine horum capitum, nec in singulis eorũ mẽbris, aut in enumerandis harum vocum significationibus certam aliquam rationem aut methodum video ab Arist. obseruari. Cur enim priùs egit de vno; posteà de ente & substantia: deinde de eodem & diuerso? Nulla sanè ratione id fecit, sed solùm quia parum interesse putauit hoc vel illud præponere in his præsertim minutioribus rebus.

Caput vndecimum.

De modis prioris & posterioris.

Quæst. 1. Primum omnium hîc quæri potest, quæ sit ratio prioris & posterioris, & an consistat in aliqua relatione reali vel rationis. Potest autem quæri vel de sensu Aristotelis, vel de re ipsa. Aristoteles enim in principio capitis, ait Priora esse *quæ sunt alicui principio* (seu *primo*) *propinquiora*. In qua descriptione videtur ponere rationem prioris in relatione propinquitatis ad aliquod tertium: non verò inter se. Ex quo videtur sequi, illud quod est primum, non esse prius cæteris: quod est absurdum. Propter quod aliquibus non placet vt ea sit descriptio generalis Priorum vt sic: sed assignatio cuiusdam modi Priorum. Duobus enim modis intelligi potest vnum dici prius alio: vel per respectum ad aliquod tertium, vel per habitudinẽ quã inter se habeant. Prius mẽbrum attigit Arist. in prædicta descriptione: vnde etiam tacitè diuisionem insinuauit, dum ait *Quædam priora* talia esse. Deinde post illius membri explicationem & subdiuisionem ita concludit, *Atque hæc quidem hoc pacto priora dicuntur*. Et statim videtur aliud membrum principale subiungere, dicens, *Alio autem modo, &c.* Hoc autem posterius membrum non declarat Philosophus aliqua descriptione communi, sed solũ per quandam bimembrem diuisionem, videlicet quia quædam inter se ita comparantur, vt vnum sit vel prius ratione alio, vel prius natura seu subsistendi consequentia.

Est quidem hęc interpretatio probabilis, sed rectè potest prima illa descriptio ad omnia priora accommodari. Quando enim dicitur illud esse prius alio, quod est propinquius primo, clarum est supponi, & tacitè dici, ipsum primum multò magis esse prius cęteris, quia (si licet dicere) multò magis est propinquum sibi ipsi, vel aliquid magis quàm popinquum: vt verbi gratia, si corpus illud est prius loco in vniuerso, quod primo cælo propinquius est, multò magis ipsum primum cœlum est priùs cæteris. Itaq; generaliter prioritas in quadam habitudine seu relatione consistit, inter ea quæ prius & posterius denominantur: interdum verò hæc habitudo mensuratur per aliquod tertium, & quasi fundatur in alia habitudine seu propinquitate & distantia ab illo: interdũ verò in sola conditione aliqua extremorum, quæ inter se comparantur vt prius & posterius: quia nimirum vnum habet existentiam quando aliud nondũ habet: vel quia vnũ est causa, aliud effectus, vel quia vnum est dignius alio. Et quidem prioritas per se & intrinsecè spectata, in hac habitudine extremorum inter se consistit: in ordine autem ad tertium est remotè & fundamentaliter, vel (vt sic dicam) quasi mensuratiuè.

Hæc verò relatio, cum sit cuiusdam ordinis, vt nomen ipsum prioris præ se fert, esse potest vel in ordine loci, vel temporis, vel motus seu generationis, vel causalitatis, vel cognitionis, vel naturæ vel subsistendi consequentia. Et ita numerantur varij modi prioris qui sunt satis perspicui in Aristotele tum hîc, tum in Postpræd. Ex quo fit hanc relationem prioris per se loquendo non esse realem: quia sæpè tribuitur iis quæ in re non distinguuntur. Vt homo dicitur prior Petro subsistendi consequentia. Interdum tribuitur respectu rei non existentis, vt ego dicor prior tempore Antichristo. Nonnunquam verò ratio prioris negatione quadam consummatur: dicitur enim aliquid prius tempore alio, quia existentiam habet vel habuit, altero nondum existente. Interdum verò consistit in quadam comparatione relationum, vt cùm dicitur prius, quod est primo propinquius. Denique aliquando hæc prioritas habet fundamentum in natura, aliquando verò in sola humana existimatione vel designatione, vt etiam Arist. hîc notauit. Per se igitur ad prioritatem non requiritur relatio realis: quatenus verò talis relatio coincidit aliquando cum aliqua alia, quæ est realis: potest etiam esse realis vt v.g. cum causa dicitur prior natura effectu: illa relatio prioris re vera non est alia in re præter relationem causæ: quæ propter quandam cõuenientiam vel proportionalitatem, prioritas nominatur: tunc ergo relatio prioris erit etiam realis: & fortasse nunquam alio modo inuenietur realis.

Tandem facilè intelligitur ex dictis hanc enumerationem priorum non esse diuisionem aliquam vniuocam, sed Analogam, imperfectam, & proportionalitatis. Non est enim hîc attributio ad vnũ primum significatũ: sed est proportio quædam. Et videtur quidẽ primũ dicta ratio prioris & posterioris in motu aut tempore: inde verò per quandam proportionalem similitudinem ad alia translata.

2 Vltimò potest hic quæri, cur Aristoteles hîc prætermiserit eam prioritatem naturæ quæ existit in causalitate. Respondetur vel omisisse illam, quia, nisi includat aliquam aliam prioritatem in subsistendi consequentia, impropria est: vel certè sub prioritate naturæ illam comprehendisse, vel sub his quæ dicũtur priora potestate. Videantur dicta de hac re disp. 26. de causis. sect. 1. Damasc. certè in sua Dialect. c. 7. non agnoscit aliam prioritatem naturæ nisi eam quę est in subsistendi consequentia.

Caput duodecimum.

De potentia.

Quæst. 1. Primò quæri solet de definitione potentiæ actiuæ, scilicet, *Est principium transmutandi aliud, aut quatenus aliud est*: habet enim plures difficultates. Prima, quia non comprehendit potentiam creandi: de hac vide disput. 20. sect. 1. Breuiter dicatur, Aristotelem notioribus verbis vsum fuisse: posse tamen accommodari vel extendi, si nomine *mutationis* non rigorosè, sed latè vtamur, pro quauis eductione de non esse ad esse: & consequenter *per aliud* non intelligamus solum subiectum, sed etiam terminum effectionis.

Secunda difficultas est, quia non comprehendit potentias actiuas actione immanente. Et tertia sit, quia non comprehendit grauitatem, & leuitatẽ, quæ sunt principia mouendi, non aliud, sed ipsum in quo sunt. De his disputat. 18. sect. 3. & disputat. 43. sect. 2.

Dico

Dico breuiter comprehendi ratione illius particulę, *quatenus aliud est*, quia non agunt in proprium subiectũ nisi quatenus carent tali actu vel motu. Nec est necesse quòd talis potentia quando inest ei qui per illam mouetur, per accidens ei insit: vt quidam interpretantur. Nam licet in exemplo quod Arist. affert, de medico curante se, ita contingat: non tamen dixit Aristoteles necessarium esse vt semper ita sit. Alij reiiciunt has facultates, grauitatem &c. quia solũ sunt instrumenta motus. Sed non mihi placet, quia re vera sunt propriissimè potentiæ actiuæ, licet respectu generantis denominationem instrumenti accipiant, satis impropriè ac latè vt explicui disp. 17. sect. 2. Quarta difficultas è contrario est: quia sub hac definitione non solùm comprehenduntur potentię, sed habitus etiam, vt ars, in qua ponit exemplum Aristotelis. Respondetur (quia res est facilis) hîc non sumi potentiam strictè pro secunda specie qualitatis, sed latè pro quouis principio agendi, & ita comprehendi etiam formam substantialem quatenus aliquid agere potest. Sicut & potentia passiua, de qua statim Arist. agit, comprehendit materiam & quantitatem, vt receptiua est. Et similiter in alia acceptione potentiæ quam statim ponit, nempe vt posse dicatur qui bene potest, comprehenditur habitus, & dispositiõ, quæ confert eam facilitatem, ratione cuius dicitur aliquis bene posse.

2 Rursus quæri potest quid sit potentia resistendi quam etiam hic Arist. inter potentias numerare videtur: itemq; an impotẽtia sit priuatio potentiæ, vel etiam positiua potẽtia. Sed prior q. tractatur. disp. 43. sect. 1. Alia verò disput. 40. sect. 3.

3 An potentia obiectiua sit aliqua potentia realis, & consequenter vnde dicatur res possibilis quando actu non est. De hac re partim dixi disp. 31. sect. 3. partim disput. 43. in principio. Reliqua quæ de potentia passiua, & de aliis acceptionibus potentiæ hîc dicuntur, non habent difficultatem suppositis quæ de potentia actiua sunt notata: nam per proportionem ad illa reliqua sunt intelligenda: nam vt in fine c. Arist. dixit, illæ est prima potentia, & per aliquam habitudinem ad illam omnis alia potentiæ denominatio sumpta est. De hac verò materia, scilicet de Potentia, & actu, latè agimus Disput. 43.

Caput decimumtertium.

De quanto, seu quantitate.

Circa hoc caput graues occurrunt quæstiones quas prosequimur disp. 40. & 41. & ideò eas hoc loco recensere necesse non est. Circa textum verò Aristotelis, nulla specialis difficultas occurrit quæ ibi tractata non sit, eò vel maximè quod litera est perspicua, totaq; difficultas est in rebus.

Caput decimumquartum.

De quali & qualitate.

Hoc caput ex professo exponimus à dis. 42. vsque ad 46. neque est quod hîc aliquid addamus.

Caput decimumquintum.

Hoc etiam caput copiosè tractamus Disp. 47. & ideò nihil annotare necesse est.

Caput decimumsextum.

De perfecto.

In hoc capite nulla occurrit quæstio, quæ nostra disputatione indigeat. Tradit enim Aristoteles cõmunem descriptionem vel significationem perfecti, dicens illud esse perfectum cui nihil deest, eorum scilicet, quæ ibi debita sunt ad suum complementũ. Quam descriptionem in variis generibus declarat, seu diuersos modos proponendo quibus aliqua dicuntur perfecta, scilicet, magnitudine, & partium integritate & complemento, & virtute, & finis consecutione, quæ omnia in textu sunt perspicua, & in disp. 10. tractantes de bono, quæ de perfecto necessaria videtur, tradimus: quoniam bonum & imperfectum, vel sunt idem, vel multum inter se connexa esse videntur, vt ibi notamus.

Caput decimumseptimum.

De termino.

Nihil etiam hoc loco occurrit notandum, aut disputandum, quia solùm hîc agitur de significationibus huius vocis *terminus*, quæ in textu satis sunt perspicuæ, & inprimis etiam Dialecticæ rudimentis tradi solent. De re verò ipsa nulla occurrit quęstio, tum propter magnam Analogiam & amplissimam significationem: nam *terminus* dicitur, & de voce ipsa significatiua, quo modo tractatur à Dialecticis: & peculiari ratione dicitur de definitione, vt hîc Aristoteles annotat: dicitur etiam de termino reali, vel quantitatis, de quo agitur in prædicamento Quantitatis, vel temporis, motus, habitudinis seu relationis, inquisitionis, potentialitatis, de quibus variis locis disseritur. Tum maximè, quia communis appellatio termini, prout Metaphysicè consideratur, vel in quadam negatione consistit, quatenus res non tẽdit vltra terminum, vel in denominatione extrinseca, quia est id ad quod aliud tendit, vel in quo sistit, vt dis. 46. sect. 10. attingimus, explicando terminum relationis.

Caput decimumoctauum.

De secundum quod, & secundum se, ac per se.

Ex ipsa capituli summa constat hîc non agi de rebus, sed de significationibus harum vocum: sunt enim hæ voces syncategorematicæ, quæ non significant res aliquas, sed habitudines rerum. Et ita ait Aristoteles dictionem *secundum quod*, sæpè significare habitudinem causę formalis, vt si dicamus hominem esse studiosum secundum virtutem: aliquando verò dicere habitudinem causæ materialis proximè, vt cùm dicitur paries albus secundum superficiem: sæpè etiam extendi ad alia causarum genera. Ac deniq; aliquando significare habitudinem situs, vt cùm dicitur Petrus sedere secundum regem. Quæ vltima acceptio est notanda, est enim in scholis parum vsitata: re tamen vera est latina, & in rigore significat esse proximè post alium. Vnde non solùm ad ordinem situs, sed etiam ad ordinem perfectionis significandum extenditur, vt si dicas fidem esse perfectissimam virtutem secundum charitatem, id est proximè post charitatem.

Deinde transfert Aristoteles sermonem ad significationem huius vocis *secundum se*, & *per se*, quas reputat vt synonimas, indicans *secundum* sæpè idem significare quod *per*, vt ex prioribus significationibus ipsius *secundum quod* colligi etiam potest: nam habitudines causarum particula *per* optimè significat. Significationes autem vocis *secundum se*, aut *per se* claræ sunt in textu. Aduerte tamen, omissos hîc videri aliquos modos, *per se*, positos in lib. 1. Poster. Nam modus per se secundò, scilicet cùm passio prædicatur de subiecto, hîc non ponitur, nisi reducatur ad tertium hîc positum, qui est vniuersalior, & dicitur de omni

Universidad de Deusto
Biblioteca

eo quod primo alicui ineſt, ſeu conuenit, quod poteſt proprię paſſioni attribui reſpectu proprij ſubiecti. Quartus etiam modus dicēdi per ſe ratione cauſalitatis hîc prætermiſſus eſt. Poſſunt etiam aliæ ſignificationes harum vocum annotari, quæ hîc non tanguntur, vt quod dictio *ſecundum quod* interdum diminuit ſignificationem, vt cùm dicitur *Albus ſecundum dentes*, & dictio *per ſe* aliquando excludit vnionē per accidens, vt ſuprà, circa tertium capitulum libri tertij, annotauimus. Satis ergo eſt, Ariſtotelem attigiſſe præcipuas ſignificationes ad quas vel alię reduci poſſunt, vel ex eis intelligi. Neq; hîc occurrit quæſtio aliqua diſputatione digna.

Caput decimumnonum.

De diſpoſitione.

Hoc caput ex profeſſo exponimus diſp. 42. ſect. 2. explicando primam ſpeciem qualitatis.

Caput vigeſimum.

De habitu.

Prior pars huius capitis pertinet ad ſpeciale prædicamentum Habitus, & ideò illam exponimus diſp. 52. quæ eſt de hac re. Poſterior verò pars ſpectat ad eam ſignificationem, qua ſpeciem quandam qualitatis propriè conſtituit, & ad alias etiam qualitates ſignificandas transfertur: & ideò hanc partem tractamus in dict. diſp. 42. & latiùs in diſp. 44. quæ eſt propria de habitibus.

Caput vigeſimumprimum.

De paſſione.

Significationes huius vocis hîc tactas ab Ariſtotele, & multò magis ſignificata ipſa tractamus diſp. 42. ſect. 2. explicando tertiam ſpeciem qualitatis, quæ eſt paſſio & paſſibilis qualitas, & in Diſp. 49. quæ eſt de prædicament. Paſſionis.

Caput vigeſimumſecundum.

De priuatione.

Caput hoc quantum ad varios modos priuationum quos Ariſtoteles in eo tradit, perſpicuum, & tritum eſt in Dialectica, vel mediocriter exercitatis. Nonnullæ verò quæſtiones in eo excitari poſſunt pertinentes ad entitatem priuationis vel ad oppoſitionem priuatiuam. Vtan priuatio aliquid reale ſit, aut ens rationis, & quomodo. An in priuatiua oppoſitione detur aliquod medium, vel abſolutè, vel reſpectu talis ſubiecti. Item an priuatio magis vel minùs ſuſcipiat. De quibus diſſerimus partim in diſp. 45. quæ eſt de oppoſitionibus, & partim diſp. vlt. totius operis, quæ eſt de entibus rationis.

Quæſt. 1. 2. 3.

Caput vigeſimumtertium.

De habere; & in aliquo eſſe.

Circa hoc caput præter notata de habitu nihil occurrit: videantur ergo dicta in diſputationibus quas citauimus c. 20. & de modis *eſſendi in* videri poteſt ipſemet Philoſophus 4. Phyſ. cap. 3. & aliqua annotamus in Diſp. 37. quæ eſt de eſſentia accidentis.

Caput vigeſimumquartum.

Ex aliquo eſſe, *quot modis dicatur.*

Hoc etiam caput non continet nouam rem aut proprietatem entis, ſed ſignificationes huius dictionis *ex*, & varias habitudines quas poteſt indicare, quę in textu ſunt ſatis perſpicuæ.

Caput vigeſimumquintum.

De parte.

Hîc diuidit Ariſtoteles partem in integralem, ſeu quantitatiuam, aliquotam, vel non aliquotam, ſubiectiuam ſeu poteſtatiuam, eſſentialem, vel Metaphyſicam, quæ omnia ſatis per ſe conſtant.

Caput vigeſimumſextum.

De toto.

Totum, ſignificat Ariſtoteles, dupliciter dici, ſcilicet, vel reſpectiuè ad partes, quia ex illis conſtat, vel vt opponitur mutilo, vt ſcilicet totum dicatur cui nulla pars deeſt: & hæc ſignificatio poſterior cōſtabit ex c. ſeq. vbi de mutilo agit: priorem hîc proſequitur. Et priùs varia eius ſignificata enumerat, quæ ex iis quæ dicta ſunt de parte, poſſunt eſſe perſpicua: quia quot modis dicitur vnū oppoſitorum, tot etiam modis dicitur & reliquum. Item cùm hoc totum ſit vnum compoſitione, quæ dicta ſunt ſuprà de vno, applicari hîc poſſunt ad totum: nam ferè quot ſunt modi vnius, ſunt & totius, ſi vnum cum compoſitione ſumatur, & ideò de hac parte nihil addere oportet.

Deinde verò exponit Philoſophus vſum horum terminorum *omne*, & *totum*, ſed is cōſiſtit tantùm in loquendi proprietate & conſuetudine, quæ ſeruanda eſt. Neq; n. ad rem quicquā refert, ſiue omnem, ſiue totam aquam dixeris, ſiue totam domum, vel omnem, licet priùs cum maiori proprietate, minorique ambiguitate, vel æquiuocatione dicatur.

Caput vigeſimumſeptimum.

De mutilo.

In hoc etiam capite nihil occurrit quod alicuius momenti ſit: ſolùm enim declarat Ariſtoteles, quæ conditiones requirantur, vel ex parte rei quæ mutilatur; vel ex ea parte quæ abſcinditur aut abeſt, vt res mutila dicatur. Et ex priori capite ait requiri, vt quod mutilum ſit, ſit aliquod totum conſtans ex partibus, vt per ſe patet. Deinde vt ſit continuum, nam numeri non mutilantur: nam per ablationem cuiuſcunque vnitatis eſſe deſinunt. Vnde tertiò neceſſe eſt vt ſit totum heterogeneum: nam homogeneum mutilari propriè non poteſt, cùm in qualibet parte maneat ratio totius, nec totum requirat certam partium compoſitionem. Neceſſarium etiam eſt vt res quæ mutila manet, maior ſit, quàm quæ abſcinditur, eandemque ſubſtantię & eſſentię denominationem accipiat: aliàs non erit res mutila, ſed alia. Ex quo etiam neceſſe eſt vt pars quæ deeſt non ſit ex præcipuis, ſine aliqua enim ex his res manere non poteſt, vt ſunt caput, & cor, &c. Oportet tamen vt ſit ex prominentibus, & diſſimilaribus: quia non quælibet particula abſciſſa facit rem mutilam, vt cōſtat ex vſu loquendi. Denique ait Ariſtoteles talem debere eſſe partem vt iterum generari non poſſit: non enim dicitur res mutila, etiamſi pili radantur, quia naſci iterum poſſunt. Sed hęc omnia, vt ex ipſiſmet conſtat, ſolùm ſpectant ad vſum vocis: poſſet enim res dici mutila pro eo tempore quo caret parte, etiamſi poſſet illam reſtaurare nutritione: ſed hoc vſus non habet.

Caput vigeſimumoctauum.

De genere.

Hîc etiam non de re agitur, ſed numerātur ſolùm ſignificationes huius vocis *genus*, quę ſūt ſatis vulgares, &

res, & à Porphyrio etiam traduntur in lib. Prædicab. Hac verò occaſione docet Ariſtoteles, duobus modis poſſe aliqua differre genere, nempe aut Phyſico, id eſt ſubiecto ſeu materia, aut metaphyſico ſeu logico, id eſt prædicamento. De qua diſtinctione aliqua infrà notabimus lib. 10. circa c. 5. & plura in diſp. 13. ſect. 2. num. 23. diſp. 35. ſect. 1. Quia verò vna ſignificatio generis eſt vt ſignificat primum prędicabile, ideò aliqui Scriptores hîc latiſſimam texunt diſputationem de Prædicabilibus. Sed quæ de tractatione vniuerſalium Metaphyſica poſtulat, ea traduntur à nobis diſp. 5. 6. & 7. Reliqua verò, quæ Dialecticorum ſunt propria, eis relinquimus.

Caput vigeſimumnonum.

De falſo.

In hoc capite declarat Philoſohus, quo modo falſitas, falſique denominatio & rebus & orationibus, & hominibus tribuatur. Quæ omnia, quātum ad vocum ſignificationem attinent ſunt ſatis in textu perſpicua. De re verò occurrit hîc diſputatio an ſit, & quid ſit falſitas, & an inter paſſiones entis numeranda ſit, & vbi formaliter ſit, vbi verò per ſolam denominationem extrinſecam. De qua re propriam diſp. inſtituimus, quæ eſt numero 9.

Caput trigeſimum.

De accidente.

Accidēs dupliciter dicitur, aut in ratione effectus aut in ratione entis, quod eſt extra eſſentiā alicuius, eique aliquo modo ineſt, etiamſi per ſe ſecundo aut quarto modo poſterioriſtico, id eſt vel ex intrinſeca dimanatione ab eſsētia vel ex certa aliqua & p ſe cauſa inſit. Has ergo duas ſignificationes accidentis attingere videtur hoc loco Ariſtoteles & de eis poſſunt graues quæſtiones pertractari. Nam circa priorem occurrit grauis diſputatio de cauſis & effectibus cōtingentibus, & de fortuna, & caſu, de qua rē in diſp. 19. copioſè diſſerimus. Circa priorem verò ſignificationem dicendum occurrebat de natura accidentis in communi, & comparatione eius ad ſubſtantiam, eiusq; diuiſione. De qua re latè agimus in diſp. 37. 38. & 39. & ideò circa librum hunc nihil ampliùs notandum occurrit.

Quæſt. 1.

LIBER SEXTVS Metaphyſicæ.

De ente prout in huius ſcientia conſiderationem cadit, vel ab illa reiiciendum eſt.

Adhuc immoratur Philoſophus in procœmiis, & (vt ita dicam) in veſtibulo huius doctrinæ: non enim incipit de re ipſa dicere, ſeu ad conſtituendum eius obiectum regreditur. Et primò ſtatuit obiectū huius ſcientiæ eſſe ens in quantum ens, prout includit entia immobilia, & re ipſa ſeparabilia, & hac occaſione multa docet de proprietatibus huius ſciētiæ, & de diuiſione ſcientiarum ſpeculatiuarum, earumque comparatione. Deinde excludit quædam entia ab huius ſcientiæ conſideratione, ſcilicet ens per accidens, & ens verum.

Caput primum.

Hanc ſcientiam eſſe de ente vt ens: ideòque eſſe primā ſcientiam ſpeculatiuam, & ab aliis diuerſam.

Omnia quę docet Ariſtoteles in hoc capite de hac ſcientia & obiecto eius, tractantur à nobis in diſp. 1. procœmiali, & ab eodem ferè tractata ſunt in lib. 1. c. 1. & 2. & lib. 4. cap. 1.

Quæſt. 1. Vt an obiectum huius ſcientiæ ſit ens in quantum ens, diſp. 1. ſect. 1.

2 An hæc ſcientia ſit ſpeculatiua, & in eo ordine ſit prima, diſp. 1. ſect. 5.

3 An hæc ſciētia ſit vniuerſalis, & tractet de omnibus entibus, & quo modo, diſp. 1. ſect. 2.

4 An hæc ſcientia conſtituat aliis ſcientiis obiecta, & eorum quod quid eſt aliquo modo oſtendat, eadē diſp. 1. ſect. 4. num. 5.

5 Solet etiam hîc quæri an ens in quantum ens habeat principia & cauſas, quæ in hac ſcientia conſiderentur, quod diſp. 3. ſect. 3. tractatum eſt.

6 Deniq; propter vltima verba Philoſophi in hoc cap. queri ſolet, ſi nulla eſſet ſubſtantia immaterialis, an ſcientia metaphyſica diſtingui poſſet à phyſica, quam quæſtionem locumq; Ariſtotel. tractaui diſp. 1. ſect. 1. num. 12. & ſequentibus.

Alia multa ſolent hoc loco queri de habitu & actu practico & ſpeculatiuo, nempe quo modo differant, & in quo vniuſcuiuſq; propria ratio conſiſtat, & præſertim agi ſolet de illa diuiſione ſciētię ſpeculatiuę in phyſicā, mathematicā, & metaphyſicā, ſed hęc quātū ſpectant ad procœmiū huius ſciētiæ, ſatis à nobis tractantur diſp. 1. ſect. 5. & 6. Quantum verò ad res ipſas, magis ſpectant ad ſcientiam de Anima, quæ de intellectu eiuſq; muneribus conſiderat: tamen pro huius ſcientię complemento attinguntur à nobis infrà declarando illam ſpeciem qualitatis, quæ eſt habitus, diſp. 44. ſect. 8.

Tandem multa Dialectica hîc attinguntur, quæ ad libros Poſter. pertinent, quæ à nobis propterea prætermiſſa ſunt, vt an ſcientia ſupponat an eſt, & quid eſt, de ſuo obiecto, vel illud aliquo modo demonſtret, & ſimilia.

Caput ſecundum.

Ens per accidens & ens verum ab huius ſcientiæ conſideratione excludi.

Quæſt. 1. Circa priorem huius capitis partem in qua remouet Ariſtotel. ens per accidens à conſideratione huius ſcientiæ, queri poteſt primò, de quo ente per accidens loquatur. Dupliciter enim poteſt ens per accidens dici: primò in ratione entis, quia non eſt vnum per ſe, ſed pluribus eſſentiis conſtat: ſecundò in ratione effectus, quia nō habet cauſam, per ſe, ſed præter intentionem agentis euenit, qui alias dici ſolet effectus contingens. Cùm ergo ens per accidens æquiuocè his duobus modis dicatur, videtur Philoſophus ineptè procedere; nam in principio loquitur priori modo, & excludit illud ens per accidens quod non eſt vnum, ſed plura: poſteà verò à textu 5. loquitur de ente per accidens poſteriori modo. Nam vt probet eſſe huiuſmodi entia per accidens, probat eſſe effectus contingentes, & non omnia ex neceſſitate euenire.

Dicendum verò eſt, Ariſtotelem vtroque modo excludere ens per accidens, vt ex contextu conſtat. Neque eſt æquiuocatione vſus, ſed ab vno ente per accidens ſecundum eſſe, ſeu per aggregationem diuertit ad effectum per accidens. Quia modus, quo conſurgunt entia per accidens priori modo, eſt cauſalitas per accidens, & præter intentionem agentium naturalium. Nam licet interdum acidentale compoſitum videatur vna actione fieri, & per ſe: ſub ea tamen ratione nō eſt omnino ens per accidens, ſed aliquo modo per ſe iuxta ea, quæ tradimus diſp. 5. Cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

igitur ens per accidens non sit vnum propriè loquendo, neque vna generatione fit, neque per se intenditur à natura, & ideò ex eo, quo sub scientiam non cadunt, quæ per accidens & contingenter eueniunt, rectè infert Aristoteles entia per accidens, vt sic non cadere sub scientiam. Nec refert quod ens per aggregationem potest interdum per se intendi ab agente intellectuali: quia vel sub ea ratione est aliquo modo per se in ordine ad aliquem finem à tali agente intentum, vel certè illud idem est merè contingens, & per accidens, atque ita vt tale est, sub scientiam non cadit.

2 Iam verò quæstio relinquitur, quo sensu verum sit ens per accidens non cadere sub scientiam. Sed quia res hæc tractatur in 1. Posterior. vbi agitur de subalternatione scientiarum, & per se satis est clara, dicendum est breuiter, ea ratione qua scientia non est nisi de necessariis, ens per accidens non esse obiectum scibile, quatenus tale est. Item, quia ens per accidens, vt sic non est ens, sed entia, & ita non cadit sub vnam scientiam.

Et ex prima ratione collige, non tantum ea, quæ rarò & per accidens eueniunt, sed etiam ea, quæ ad vtrumlibet, & per se moraliter seu ex intentione agentis fiunt, vt sunt libera, vt sic non cadere sub scientia. Vt hinc intelligatur, vanas esse doctrinas, quæ diuinant de futuris liberis in particulari & definitè: de quo alias.

Ex secunda verò ratione collige, ens constans ex multis diuersorum generum, licet absolutè sit ens per accidens: tamen si consideretur sub aliqua ratione per se vna in ordine ad aliquos effectus, vel proprietates, posse cadere sub scientiam, maximè subalternatam, vt latiùs in Dialectica tractatur.

Vltimò est considerandum aliud esse loqui de ente per accidens quoad rem subiectam huic denominationi, aliud de ipsamet formali ratione entis per accidens, quod aliter dicitur, aliud esse loqui de ente per accidens in actu exercito, & in actu signato: ens ergo per accidens quoad rem subiectam seu exercitam, non cadit sub scientia, & hoc est per se enidens ex dictis. Atque hoc modo ostendimus in disp. 1. sect. 1. ens per accidens non comprehendi sub obiecto huius scientiæ. At verò ratio formalis entis per accidens considerari potest scientificè: nam concipitur per modum vnius rationis formalis per se, quæ habet suas proprietates, & hoc modo egimus de diuisione entis in ens per se & per accidens: propriáque rationem entis per accidens quoad esse declarauimus disput. 4. sect. 3. Similiter inter disputandum de causis efficientibus, diximus de entibus per accidens quoad contingentias, an sint, & quas causas habeant, disput. 19. ferè per totam. Vbi etiam hac occasione de facto & fortuna, aliisque causis per accidens disseruimus. Quæ simili modo vt exercent causalitatem per accidens, sub scientiam non cadunt: ratio autem formalis illius causalitatis, in quo posita sit & vnde oriatur sub scientiam cadit. Atque hæc de priori parte huius capitis.

In posteriori autem excludit Philosophus à consideratione huius scientiæ ens quod appellat verum, cui opponitur falsum vt non ens. Et rationem reddit, quia hæc tantùm sunt in compositione, & diuisione mentis, & ita sunt entia rationis. Circa quam partem multa dubitari possunt. Primum; an veritas sit solùm in compositione & diuisione intellectus. vel etiam in simplicium apprehensione. Aristoteles enim hìc apertè videtur affirmare primum, & negare secundum, illis verbis; *Quod autem, tanquam verum ens, & non ens vt falsum: quoniam circa compositionem & diuisionem est, &c.* Et infra. Nõ est autem verum & falsum in rebus sicut bonum & malum; sed in mente, *Circa simplicia verò, & circa ea, quæ quid sunt, nec in mente.* Vbi apertè & affirmat veritatem esse in compositione, & negat esse in rebus, sed in mente, & declarat non esse in qualibet mentis operatione, quia non in simplici qua cognoscitur quid est, sed tantùm in cõpositione. Cùm autem sermo sit doctrinalis & indefinitus, æquiualet vniuersali, & quæcunque exceptio vel distinctio fiat, erit aperta contradictio, vel limitatio doctrinæ Aristotelicæ, & extra mentem eius. Vnde Cõmentator, Alexander Aphrodisæus, Scotus & alij ita simpliciter exponunt absque declaratione vel limitatione.

Diuus Thomas verò & Alexander Alensis apertè limitant, & aliquam veritatem fatentur esse in simplici mentis conceptu. Quam sententiam latè defendimus disp. 8. sect. 3. Et breuis resolutio est quam tetigit Ægidius, quodlib. 4. quæst. 7. duplicem esse veritatem: vnam quæ habet falsitatem oppositam, alteram quę non habet oppositam falsitatem, sed ignorationem. Aristoteles ergo hoc loco de prioti falsitate loquitur: & de illa vniuersaliter verum est, solùm reperiri in compositione & diuisione. Posterior autem veritas in simplici conceptione locum habet.

Hanc verò esse legitimam Aristotelis intelligentiam ex eodem Aristotele colligimus. Nam in primis distinctio illa duplicis veritatis ex ipso desumpta est lib. 3. de Anima capite 6. text. 26. & lib. 9. Metaphys. cap. 12. vt ibi expositores, præsertim Aphrodisæus, & Diuus Thomas, & Alensis notarunt, Themistiusque 3. de Anima, capite suo 45. In priori itaque loco sic ait Aristoteles. *Est autem dictio quidem aliquid de aliquo, quemadmodum affirmatio: est ḡ, vera vel falsa omnis, at intellectus non omnis, sed qui est ipsius quid est ex ipso quid erat esse, & verus est, & non aliquid de aliquo, sed vt visus proprij verus est.* Vbi apertè distinguit alium modum veritatis præter illum, *qui est vt aliquid de aliquo*, id est, in compositione. Quod autem illa veritas non habeat falsitatem oppositam, declarat Aristoteles libro 9. Metaphys. capite vltimo, vbi cùm text. 21. dixisset verum & falsum in compositione & diuisione reperiri: interrogat deinde textu 22. quo modo possint in simplicibus inueniri, & respondet, suo etiam modo reperiri in eis verum & falsum: sed verum propriè, falsum autem solùm impropriè & per ignorationem, seu per accidens. Nam *attingere* (inquit) *& dicere verum.* (Ne tamen quis putaret hìc sumi, *dicere* pro *componere*, sicut in citato loco de anima, interponit dicens) *Non enim est idem affirmatio & dictio* (hìc enim *dicere* sumitur pro eo, quod est concipere rem sicut est.) At, *non attingere*, ait, *est ignorare*, quasi dicat, ibi non est falsitas, sed ignorantia, *nisi secundum accidens*, id est adiungendo compositionem, & tribuendo alienum conceptum ei, cuius conceptus non est.

Quo etiam modo dixit libro tertio de Anima, capite tertio, textu 161. in phantasia & sensibus esse interdum falsitatem: intelligit enim non propriè & per se, sed per accidens. Nam sensus ipse cùm decipitur, solùm deficit non apprehendendo quod est, sed aliud, quæ est impropria falsitas, & potiùs quædam ignoratio: per accidens verò sequitur falsitas, non tam in sensu quàm in intellectu, quia id quod sensui apparet, tribuit rei cui non conuenit. Hanc verò differentiam inter veritatem & fallsitatem simplicium

Quæst. 3.

plicium, quod illa sit propria, hæc verò impropria: Aristoteles satis explicat in citato loco 9. Metaphys. dum veritatem illam, simpliciter veritatem appellat: alteram verò potiùs ignorationem & falsitatem per accidens, seu potiùs occasionem falsitatis, vt disp. 9. sect. 1. nu. 13. & 14. latiùs declaramus ex eodem Arist. lib. 5. Metaph. cap. 29.

Deniq; quod hoc loco 6. Metaph. solùm loquatur Philosophus de veritate illa, quæ habet propriã falsitatem oppositã, patet tum quia aliis locis ponit distinctionem duplicis veritatis, & alteram extra cõpositionem admittit, tum ēt, quia hoc loco non sine consideratione semper cõiunxit verum & falsum, vt significet se loqui, de illo ente vero, cui non ens falsum opponitur. Tum præterea, quia suprà lib. 5. cap. 7. text. 14. inter alias acceptiones entis posuit illam, qua esse significat veritatem cõpositionis, & ad illud ens verum alludit hìc, cùm dicit ens verum solùm in compositione reperiri. Nam in principio huius capitis resumpsit Aristoteles tres diuisiones entis, quas in illo 7. cap. lib. 5. Metaph. posuerat, scilicet, in ens per se, & per accidens: in ens verum, & non ens falsum, & in ens actu, & potentia. Et potiùs exclusit ens per accidẽs, statim autem ens verum: ergo de eodem loquitur hìc, de quo lib. 5. locutus fuerat.

4 Ex his facilè expeditur alia quæstio, an verum & falsum reperiantur in rebus: videtur enim hìc Arist. negare. Sed eandem habet interpretationem: nam in rebus etiam nõ est veritas, quæ habeat propriam falsitatem oppositam: est tamen sua propria veritas, de qua latè dictum est disp. 8. sect. 7. Constatq; hanc veritatem cognitam fuisse ab Aristot. cùm dicat lib. 2. Metaphys. cap. 1. Vt *vnumquodq; est, ita & verum esse*: eaque esse verissima entia, quæ sunt maximè perfecta.

5 Rursus quæri hoc loco posset, an bonum & malum sint in rebus: de qua re dictum est disp. 10. & 11. Discrimen autem ab Aristotele hìc positum est, bonitatem quæ habet propriam malitiam oppositam, in rebus reperiri: veritatem autem quæ habet propriè falsitatem oppositam non reperiri in rebus, sed in mente, & ita est res clara.

6 Tandem esse potest quæstio, an entia rationis pertineant ad Metaphysi. considerationem. Quia ea ratione qua Aristot. excludit verum ens, excludit etiam omne ens rationis. Quod est verum loquendo de obiecto directo & proprio, vt disp. 1. sect. 1. dixi. Hoc verò non obstat quo minùs per occasionem & ad distinguendum illud ab ente reali, consideretur ens rationis in hac scientia, vt in disp. vlt. huius operis annotamus, sic enim Arist. cùm hìc excluserit ens verum, aliquã de alio tractationem promittit, eamq; tradit lib. 9. cap. vlt.

LIBER SEPTIMVS
Metaphysicæ.

De præcipuo entis significato, quod est substantia.

In hoc libro incipit Philosophus agere de principali subiecto, & quodammodo vnico (vt ipse primo cap. dixit) obiecto huius scientiæ, quod est substantia: & priùs intentionem proponit; deinde declarat quid sit substantia, & præsertim agit de Quod quid est: ac tandem in agitandis opinionibus Philosophorum de variis modis substantiarum plurimum immoratur.

Caput primum.

Substantiam esse primum ens, primumq; huius scientiæ obiectum.

Quæst. 1. posset hoc loco tractari primò quæstio de analogia entis inter substantiam & accidentia, quoniam apertè hìc Aristoteles eam docet. Videatur disp. 32. sect. 3.

2 Secundò quæri solet vtrum accidentia in abstracto sint entia: quoniam Aristotoles hìc eam videtur quæstionem mouere. Sed præter ea, quæ de diuisione entis inter substantiam & accidens ibi diximus, nihil addendum occurrit. Quia cùm dicuntur accidentia in abstracto, nihil additur vel adimitur ipsis accidentib⁹: nã illud *in abstracto*, solùm dicit denominationẽ extrinsecam ex nostro modo concipiendi, aut significandi desumptam. Quare solùm esse potest quæstio de ipsis formis vel modis accidentalibus, non prout hoc vel illo modo significantur, sed secũdum se, seu prout tales formæ sunt: sic enim merito dicuntur accidentia in abstracto: quia, vt formæ sunt, non sunt aliter significabiles. De his ergo formis nulla supereſt quæstio quin sint entia, diminuta quidem & imperfecta: tamen vera entia, & quæ simpliciter & sine addito possunt ita appellari, vt citato loco dixi.

Est autem differentia inter accidens concretum & abstractum in modo significandi: quia illud includit subiectum in sua significatione: hoc verò non, sed significat tantùm ipsam formam. Et ex hac parte videtur concretũ magis absolute ens, tanquam id quod est, quàm solùm abstractum: hoc enim argumentum Aristoteles hìc proponit. Dicendum verò est accidens abstractum & concretum idem esse, idemq; ens importare, si formaliter ac per se sumantur, vt sumi debent: nam materialiter certum est cõcretum ratione subiecti, quod connotat, esse magis ens, quia est subsistẽs, seu compositum ex subsistente & forma accidentali. tamẽ licet sub ea ratione plus habeat entitatis, minorem tamen vnitatem per se habet: est enim ens per accidẽs. Sed de hac distinctione accidentis in abstractum & concretum dixi plura disp. 39. sect. 2.

Vbi etiam vulgarem quæstionem attigi, quæ hìc tractari solet, scilicet, an concreta accidentium significent de formali subiectum, vt vult Auicenna, quem nõnulli Nominales sequuntur, fumentes fundamẽtum ex hoc loco Aristotelis: an verò de formali significent qualitatem. vt Commentator, D. Thomas, & frequentiùs doctores docent ex Aristotele in Prædicam. cap. de substãtia, dicente; *Album solam qualitatem significat.* Sed neutra sententia satis ex Aristotele sumitur: nam hìc solùm argumentando dicit, videri magis ens concretum, quam abstractum propter inclusionem subiecti, quod est verum, etiamsi subiectum includatur vt connotatum. in cap. autem de substantia non dicit, *Album solam qualitatem*, sed *solum quale significat*: in quo etiam subiectum includitur: quamquam mens Aristotelis ibi solùm fuerit dicere non significare quale quid, vt secundas substantias, sed quale accidentale, quod vocauit *solum quale*. Nihilominùs posterior sententia, sicut communior, ita & verior est, vt ex ipso vsu vocum satis constat, & dicto loco satis probatũ est. Videri etiam potest Cajetan. cap. de ente & essentia.

4 Rursus hìc quæri solet, vtrum inhærentia sit de essentia accidentis, eò quòd Aristot. hìc ait, accidens esse entis ens. Tractatur disp. 37. sect. 1.

Præte-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prætereà quomodo verum sit quod hîc dicit Aristoteles, natura, cognitione, ratione & tempore esse substantiam priorem accidente: tractatur Dispu. 38. per totum, vbi textus Philosophi latè exponitur.

Caput secundum & 3.

Quid sit substantia, & quotuplex.

Quæst. 1. & 2. Hæ duæ quæstiones, quid nimirum substantia sit, & quotuplex in disp. 33. latè tractantur. Vbi specialiter disputatur illa diuisio substantiæ in primam & secundam, ad quam reuocat hîc Diuus Thomas quadrimembrem diuisionem, quam hîc ponit Philosophus, substantiam, diuidens in *quod quid erat esse*, id est essentiam & quidditatem rei, *ipsum vniuersale*, id est supremum genus substantiæ, & *genus*, subintellige sub illo contentũ, adde etiam & speciem, & *primum subiectum*, id est primam substantiam. Nam primum membrum non est propriè substãtia, imò nec proprium prędicamenti substantiæ, sed Analogum ad omnem rei quidditatem: & ideò in Prędicam. substantiæ omissum est. Secundum verò & tertium continentur sub secundâ substantia: quartum verò idem est quod prima substantia. De qua etiam quo modo dicatur maximè substantia, ibidem declaratum est.

3 Tertiò posset hîc tractari diuisio substantiæ in materiam, formam, & compositum: quam etiã tradit Aristoteles infrà capit. 10 huius lib. & capite 13. & 15. ac lib. 8. capite secundo & tertio, & lib. 12. capite tertio, tex. 14. & in principio secundi de Anima. Tractatur autem à nobis disp. 33. sect. 1. Id solùm videtur hîc notandum Aristotelem hoc loco diuisisse primam substantiam in illa tria membra, quæ eadem proportione sumenda sunt. Potuisset tamen pari modo diuidere vel substantiam secundam, vel substantiã in cõmuni, vt fecisse videtur in lib. de Anim. Sed hoc parũ refert: intellexit. n. Arist. ex vna diuisione in particulari data, alias subintelligi facilè posse.

4 Quartò quæri hîc solet circa text. 7. in fine, an forma sit prior ac pręcipua substantia quàm materia & compositum. Solet enim ita intelligi textus hic Aristotelis, vt patet ex interpretatione Diui Thomę, Alensis, Scoti, & Commentatoris. Sed occasio errandi fuit quod infideliter Antiquus interpres transtulit: vbi enim textus Græcus habet *& ipsum*, ipse vertit *& ipso*. Vnde Aphrodisæus aliter exponit, scilicet, non solùm formam, sed etiam compositum esse perfectius materia: quod Aristoteles statim tradit text. 8. Vel certè sensus est, si forma est perfectior materia, compositum esse vtraque perfectius. Tractatur hoc ex professo disputat. 15. sect. 7. num. 6. Vbi etiam forma cum materia comparatur, & explicatur ratio Aristotelis, qua probat formam esse perfectiorem materia, quia est separabilis. Intelligitur enim permissiuè, seu de forma & materia vt sic: nam in tota latitudine formę est aliqua separabilis, non verò in tota latitudine materię: id enim satis indicat excessum formæ respectu materiæ, ex genere suo, & ex communi ratione actus & potentiæ eiusdem generis.

5 Quinta quæstio huius loci maximè propria est, qualis substantia sit materia, & an sit pura potentia, vel aliquid habeat actualitatis: de qua re latè disputatione 13. sectione quarta, & sequentibus. Cum qua quæstione coniuncta necessario est quæstio de forma substantiali, an detur, quam etiam hîc Aristoteles attigit, eamque latè disseruimus disputatione 16. Quod ergo hoc loco Aristoteles definit, solùm est, materiam solam nòn esse illam substantiam primam, quam appellamus maximè substantiam, sed esse quandam potentiam ad illam: non tamen negat Aristoteles, habere materiam suam substantialem entitatem, quamuis potentialem ad formam recipiendam. Cùm ergo ibi Aristoteles significat materiam esse notissimam, vel argumentando tantùm loquitur: vel certè intelligit materiam esse notissimam sub communi ratione materiæ, seu subiecti transmutationum, non verò sub propria ratione materiæ primæ.

6 Sextò quæri potest, an quantitas sit substantia, quòd hîc Aristoteles negat, & merito: de qua re egimus disp. 43. sect. 2.

Caput quartum.

De definitione seu quidditate rei.

Aristoteles in fine præcedentis capitis, de substantiali forma se acturum promisit: quia verò substantialis forma est, quæ complet substantiæ quidditatem, seu *quod quid erat esse*, vt ipse loquitur, ideò ab ipso quod quid erat esse disputationem exorditur. Et tacitè inchoat disputationem contra Platonem, vt ostendat formas separatas seu ideas non esse necessarias, nec propter definitiones, nec propter esse indiuiduorum, nec propter rerum generationes. In hoc ergo capite tractat de quidditate, seu quod quid est (hoc enim nomen magis propriũ, concretumque est quàm quidditas) agit (inquam) *logicè* vt ipse dicit, seu in ordine ad definitiones. Quia verò quod quid est, latiùs patet quam forma substantialis rigorosè sumpta, ideò hîc generalhùs de illo disputat. Et hac occasione multa prefatur de ordine doctrinæ in procedendo à notioribus ad minùs nota: circa quę immorari aut mouere quęstionẽ superuacaneũ est, cùm ea methodus passim ab Arist. repetatur, sitq; proprium dialectici declarare illam.

Quæst. 1. Primò ergo quæri potest, an verum sit quod in principio huius capitis Arist. ait, illud esse quod quid erat esse rei, quod per se primò prædicatur de re, id est ita vt in definitione prædicati non ponatur subiectum, vt ipsemet declarat. Et ratio dubij esse potest, quia genus prædicatur per se primò de specie, vt animal de homine & tamen nõ est quod quid erat esse hominis. Rursus differentia, vt rationale, non dicit quod quid est, quia non in quid, sed in quale prædicatur, & tamen prædicatur per se primò. Veruntamen hæc quæstio reiicienda est in lib. Poster. vbi de modis per se latè Arist. disputat. Et breuiter dicendum est, quod quid erat esse, logicè sumptum, nihil esse aliud quam definitionem essentialem ac quidditatiuam rei, quæ vt est formaliter in mente aut voce, est opus Dialecticę, vt verò est essentia rei menti obiecta, aut definitione explicata, est essentia Metaphysica, quæ dum in ordine ad definitionem explicatur, logicè declarari dicitur, & ita loquitur Philosophus hic.

Hęc autem definitio potest aut tota distinctè prędicari de definito & tũc est propria & adęquata prędicatio quidditatis: potest idem prædicari per partes, enunciando vel solùm genus, vel solam differentiam: & tunc licet absolutè non prædicetur totum quod quid est, tamen explicitè prædicatur aliquid eius, & implicitè totum, quia nec genus, nec differẽtia prædicantur vt partes, sed vt aliquo modo dicunt totum. Et ideò sub *quod quid erat esse* non sola definitio, sed etiam genus, & differentia, ea ratione qua prædicantur de definito, comprehenduntur. Et hoc modo

modo animal dicitur esse quod quid erat esse hominis, non integrum formaliter, confusè tamen totum. Nec refert quòd differẽtia dicatur prædicari in quale, quia prædicatur in quale quid, id est essentiale, & constituens rei essentiã. Vnde constat, omnia prædicata accidẽtalia, qualiacũq; sint, excludi à qp quid erat esse: quia non prædicantur per se primò de re.

2 Secundò hic quæri potest an accidentia habeãt quod quid erat esse, id est an definiri possint, & quo modo. Quam rem latissimè tractat Aristoteles hic tex. 12. & sequentib. & toto c. seq. Sed vix potest hîc esse quæstio de re, sed de nomine tantùm. Summa ergo eorum, quę Aristotel. tradit, in hoc continetur. Quòd si Metaphysicè loquamur de quod quid erat esse, id est de essentia, constat accidentalia aliquam habere realem essentiam, sicut sunt entia realia, nam ens, per essentiam in ratione entis constituitur. At, sicut accidentalia Analogicè & secundum quid sunt entia, ita solùm habent essentiam secundum quid, & cum eadem proportionali Analogia.

Atque hinc vlteriùs loquendo logicè de quod quid erat esse, id est de definitione, eadem proportione constat esse dicendum, accidentia posse aliquã definitionem habere, nam habent realem essentiam, & Metaphysicè non omnino simplicem: omnis autem essentia realis & composita potest oratione aliqua & expressa mentis conceptione declarari: & hoc est definiri. Item accidentia habent sua propria genera & differentias: ergo per ea definiri possunt. Sicut autem essentia accidentalis est imperfecta, ita non nisi imperfectè potest definiri. Quæ imperfectio consistere potest, vel in eo quòd genus & differentia eius in latitudine entis valde incompleta sunt & imperfecta multò magis quàm sit genus animæ, vel materiæ: vel certè in eo, quod non possunt definiri accidentia, nisi ponendo in definitione aliquod additum, vt per ordinem ad illud talis essentia declaretur. Quomodo superiùs dictum est substantiã esse priorẽ definitione accidente, quia nõ potest accidens nisi per substantiam definiri. Nam vt definitio eius verè ac propriè declaret essentiam eius, necesse est vt per aliquam habitudinem ad substantiam illam explicet, de qua re diximus disput. 37. sect. 1.

Illud autem aduerte, videri in hoc textu Aristotelem aliquando loqui de ente per accidens, aliquãdo verò de accidente: de quibus tamen non est omnino eadem ratio in ordine ad definitionem. Nam ens per accidens vt sic, re vera nõ habet definitionẽ, sed per plures definitiones seu aggregatum definitionum explicandum est: quia sicut non est ens, sed entia, ita non habet essentiam, sed essentias, & idem proportionaliter est de definitione. Accidens verò propriè sumptum est ens per se (inquam) non prout distinguitur contra in alio, sed prout distinguitur contra per accidens: seu est per se non in ratione entis, sed in ratione vnius, & ita vna etiam definitione definiri põt, non tamen omnino perfectè vna, quia in ea ponendum est aliquod additum, & quoad hoc comparatur aliquo modo enti per accidens.

Caput quintum.

Soluuntur dubitationes circa definitiones accidentiũ.

Quæst. vnica. Hic nihil occurrit notatione dignum, præter regulam quandam, quæ communiter ex hoc capite colligitur, nempe, Non committi nugationem cùm accidẽs in concreto adiectiuè coniũgitur subiecto quod connotat, vt cùm dicitur nasus simus, aut capillus crispus, aut etiam corpus album: hæc enim regula non solùm in accidentibus propriis, vt quidam significant, sed etiam in communibus locum habet respectu adæquati subiecti, quod connotant. Nam horum omnium eadem est ratio apparentis nugationis, eo quòd altera dictio videatur idem significare, quod vtraq; simul: nam *album* significat corpus disgregatiuum visus, & *simũ* nasum curuum, vnde fit argumentum, loco nominis posse poni definitum, atq; ita perinde esse dicere *capillus crispus*, quòd capillus capillus talis figuræ.

Nihilominus certum est quod Aristoteles docet, in his non committi nugationem, quòd satis constat ex communi modo loquendi, qui proprius & non abusiuus censetur. Ratio verò est, quia hæc concreta non significant de formali subiecta, sed tantùm ea connotant, & quando adiectiuè seu ex parte prædicati ponuntur, propriè non ponuntur ratione materialis significati, sed ratione formalis tantùm quod applicant materiali, & ideò non fit vlla repetitio seu nugatio. Neq; etiam in his licet totam definitionem ipsius accidentis concreti ponere loco ipsius cõcreti adiectiui, quia in sua definitione includit (ait Diuus Tho. hic) aliquid quod est extra essentiam suam. Vel clariùs, quia in definitione ponitur ipsum subiectũ seu materiale loco generis, & tamen in prædicatione vel compositione cum ipso materiali, solùm adiungitur ratione formalis.

Caput sextum.

An quod quid est sit idem cum eo cuius est.

Hoc capite tacitè probat Aristoteles propter esse indiuiduorum non esse necessarias separatas quidditates quia quod quid est, non separatur ab eo cuius est, de qua re multa in expositionem huius capitis dicimus disp. 34. sect. 3. vbi de natura & supposito eorumque distinctione agimus. Solùm aduertatur diligenter quid intelligat Aristoteles per *quod quid est*, & quid sit id cum quo illud comparat: nam ex horum intelligentia pendet sensus Aristotelis, & explicatio quæstionis. Igitur per *quod quid erat esse* intelligit Aristoteles definitionem essentialem rei, eodem enim modo hîc accipit *quod quid est*, quo in præcedentibus capitibus, vt manifestè patet ex connexione contextus, & in superioribus semper hoc sensu egerat de quod quid, & quoad hanc partem omnes expositores conueniunt.

Quidam verò aiũt Aristotelem comparare quod quid cum definito. Sed obstat, quia secundum hunc modum non solùm in substantiis, sed etiam in accidentibus quod quid est, esset idem cum eo cuius est: quod Aristoteles negat. Et sequela patet, quia in omnibus rebus definitum esset idem cum sua definitione, & è conuerso. Respondent non negare hoc Aristotel. in accidentibus, sed in entibus per accidẽs, quæ nõ habent quod quid est. Sed obstat, quia Arist. hîc de his quæ accidentaliter dicuntur non dicit non habere quod quid est, sed potiùs supponit habere illud, licet minùs perfectum, vt superiori c. tradiderat, & negat illud esset idem cum eo cuius est.

Quocirca mihi valde placet expositio Alex. Alensis, quam ex Commentatore sumpsit, comparari hîc quod quid est ad primam substantiam, seu ad subiectum cui attribuitur: omnia enim quę habent aliquo modo quod quid est, sunt ipsius primæ substantiæ. Et hoc modo clarissima est doctrina Philosophi, quod est esse idem cum eo cuius est, id est cum eo subiecto, cui attribuitur in eo quod quid, ac per se, nõ verò cum eo de quo dicitur per accidens. Itaq;

comparat

Universidad de Deusto
Biblioteca

comparat Philosophus quod quid est ad omne subiectum de quo dicitur, & duas generales regulas cõstituit. Prima est, Respectu eius de quo dicitur per se, esse idem cum illo, Alia, respectu eius de quo dicitur ex accidenti non esse idem. Et quia quod quid est substantiale, quia vt tale est de nullo dicitur per accidens, sed tantùm per se, ideò simpliciter est idem cum eo cuius est. Quod quid autem accidentale, si formaliter comparetur ad rem sui generis, & sibi per se subiectam in prędicatione, etiam est idem cum eo cuius est, vt quod quid est albedinis cum albedine, vel cum hac albedine. Quia verò huiusmodi quod quid est accidentale, potest etiam dici per accidens de substantia, ideò respectu eius cuius hoc modo est, non est idem cum eo, quia non est eius vt quod quid est eius, sed vt accidens eius.

Atque hoc modo explicata sententia Aristotelis, aptissimè per illam paratur via ad ostendẽdum ideas non esse separatas à rebus & substantiis particularibus, quod Arist. intendit. Sic etiam cessant hîc quæstiones de distinctione naturæ à suppposito, & de distinctione abstracti à concreto in substantiis, etiam vniuersè conceptis, vt sunt homo & humanitas, quæ à nobis tractatę sunt d. Disp. 34.

Quæst. 1. Pertinet autem huc propriè q. de identitate definitionis cũ definito, sed quia dialectica est, & nihil habet difficultatis, eam prætermitto.

2 Posset etiam hîc tractari quæstio, quomodo definitum in communi, seu species, sit idem cum indiuiduo de quo per se dicitur, quæ Disput. 5. de vnitate indiuiduali tractatur. Hinc tamen collige, cùm Aristoteles ait quod quid est, non esse idem cum eo cuius est, non excludere omnem distinctionem rationis, siue fundatam in modo concipiendi, vt inter definitionem & definitum, siue in re concepta, vt inter speciem & indiuiduum: excludit ergo distinctionem rei, & ex natura rei, & omnem illam quæ impedit prædicationẽ formalem, ac per se, & sic erit facilis litera Philosophi quoad reliqua.

Caput septimum.

Quomodo, & à quo formæ rerum fiant.

Hîc incipit perficere tertiam partem disputationis contra Platonem, quòd ideæ non sint necessarię propter generationem, & ea occasione in hoc & sequenti cap. varia distinguit principia & modos generationum scil. ab arte, vel natura, vel casu, & alia quæ latissimè disputantur à nobis in Disput. 18. de causa efficiente.

Quæst. 1. Hîc verò specialiter disputari solet occasione textus Arist. primò, An omnia quæ fiunt, fiant ex aliqua materia: quod tangit quæst. illam, an Arist. cognouerit creationem. Sed hîc Arist. de actionibus naturalibus loquitur: & in his verum habet generalis propositio quæ affirmat, omnia fieri ex materia aliqua. Et eodem modo accipienda est alia propositio quam habet tex. 24. *Quare, quemadmodum dicitur, impossibile est fieri, si nihil præexistat.*

2 Secundò quæri solet, an omnia quæ materiam habent, possint esse, & non esse, propter verba Philosophi text. 22. *Cuncta quæ natura fiunt, habent materiam, possibile enim est esse & non esse eorum vnumquodq; hoc autem materia.* Sed in hoc textu non habet fundamentum illa quę. quia hîc solùm dicitur omne quod potest esse, & non esse, id habere ex materia: non potest autem hæc affirmans propositio conuerti simpliciter, nec Arist. id dixit. Tractatur verò illa quæstio d. 13. sect. 8. & seq.

3 Tertiò quæri potest, an omnia quæ generantur ex semine, possint ex putrefactione, & sine semine generari. Nam Aristotel. hic. text. 22. clarè affirmat, eadem, quæ ex semine fiunt, contingere fieri sine semine. Propter quod Auerroes 8. Physicor. comm. 46. de omnibus animalibus sine distinctione id affirmat. Auicen. verò lib. 2. sufficien. in vniuersum negat id fieri posse: putat enim specie distingui ea animalia quæ sine semine fiunt ex putrefactione ab aliis, quæ similia videntur ex semine generatis. Sed vtraque opinio satis est repugnans experientiæ. Nam videmus nonnulla animalia generari ex putrefactione omnino similia iis quæ per seminalem propagationem fiunt, & in plantis idem est euidens. Et è cõtrario præter omnem naturalem euentum est quòd animalia perfecta, vt equi, leones, &c. generentur nisi per propriam & per se generationem.

Quapropter D. Thom. hoc loco rectè distinguit, expendens accuratè verba Philosophi dicentis, *Quædam enim eadem ex semine, & absque semine fiunt.* Dixit enim *quædam*, quia non est id commune omnibus. Distinctio ergo est de perfectis & imperfectis viuẽtibus: hæc.n. possunt fine semine virtute cœlestium corporum causari: quia sunt adeò imperfecta, vt dispositiones ad eorum formas necessariæ casu possint in subiecto confurgere ex contingente concursu aliorum agentium: at priora viuentia adeò sunt perfecta, & tam exactam ac mirabilem organizationem postulant, vt minimè possit nisi à causa propria ac per se fieri. Atque ita hoc ipsum docet experientia de vtroque viuentium ordine, vt dixi. Et in hac resolutione conueniunt contra Auicennam & Commentatorem sectatores vtriusq; scholę D. Tho. & Scot. hîc, Alex. Alens. & alij.

4 Hinc verò nascitur altera quæstio, quęnam causa inducat formas substantiales in hęc viuentia, & an cœlum habeat ad hoc sufficientem virtutem, de qua re dixi disp. 15. sect. 1.

5 Quæri item potest, an huiusmodi rerum generatio sit dicenda casualis. Hoc verò facilem habet resolutionem: nam respectu particularium agentium est casualis, respectu verò Solis non ita. Ita Diuus Thomas: cuius sententia defenditur contra impugnationes Ianduni à Iauello quæstione 10. Sed est res facilis. Aliter dici potest, illam generationem quantum ad concursum causarum disponentium materiam esse per accidens, & à casu; posita verò illa dispositione per se & ex intentione agentis vniuersalis induci talem formam substantialem, quod attigimus Disputatione vlt. sect. vlt.

6 Præterea hîc quæri potest quomodo exemplaria artium ad suos effectus cõcurrant: quia Arist. hic ait sanitatem in materia oriri ex sanitate in mente seu sine matetia. Hanc quæstionem & locũ exponimus disp. 25. sect. 2.

Denique potest quæri, vtrùm actiones immanentes, sint verè actiones: ita enim expresè videtur affirmare Philosophus, dum ait: *Generationum autem & motuum, hæc quidem intellectio, illa verò effectio seu factio vocatur.* De hac re latè disputatum est disp. 48. sect. 2. & disp. 49. sect. 4.

Caput octauum.

De eadem re, & quod forma non per se fiat, sed compositum.

Quæst. 1. Primò ab ipso Philosopho tractatur an forma per se generetur, quam quæstionem expediuimus breuiter disp. 15. sect. 4.

2 An

2 An hoc non solùm in formis substantialibus, sed etiam accidentalibus verum sit, ibid. nu. 6. vbi breuiter affirmantem partem resoluimus.

3 An formæ substantiales introducantur in materiam ab aliquo agente vniuersali, vel à particularibus. De hac q. latè disp. 15. sect. 2. à num. 9. & disp. 18. sect. 1. & 2.

4 An vnumquodque generet sibi simile. Hæc quæstio ex eisdem locis expedita est, & ex diuisione causę efficientis in vniuocam & æquiuocam, quę traditur & explicatur disputatione 17. sectione secunda. Solùm aduertenda sunt duo. Vnum est Aristotelem loqui propriè de generatione, sub ea comprehendẽdo alterationem quæ ad illam disponit: non verò de omni effectione: sic enim qui localiter mouet, non propriè agit simile: nec per omnes actiones immanentes intendunt agentia productionem sibi similium: sed vnaquęque potentia dicitur agere id, quod proportionatum, & accommodatum est ad suam perfectionem. Hæc enim non tam agunt vt se communicent, quam vt se perficiant: & ideò non agunt propriè sibi similia. Quamquam si latè extendatur similitudo ad causam æquiuocam, possunt etiã hæc dici agere sibi similia. Secundò igitur aduertendum est, Aristotelem hîc non dixisse omnia generari à sibi similibus, sed indefinitè ait, *In quibusdam manifestum est quòd generans tale est, quale id quod generatur.* Est ergo generaliter & in omni proprietate verum in caulis vniuocis, in æquiuocis autem secundum eminentiam, & virtualem similitudinem, in artificialibus verò seu intellectualibus causis secundum idealem seu intentionalem repræsentationem, & ita nullam habent difficultatem quæ de hac re tractari solent: vide Soncin. hoc lib. quæstione 14. Iauell. quæst. 12. & alios.

Caput nonum.

De eadem re dubitationes nonnullæ cum solutionibus earum.

Quæst. 1. Primò quæri solet hîc de eductione formæ de potentia materiæ quæ & qualis sit, & an aliquid formæ actu præcedat in materia. De qua re latè Disp. 15. sect. 2. & 3. vbi in 2. nu. 28. ex professo exponitur tex. 29. huius capitis.

2 Quomodo virtus seminis, vel accidentales virtutes efficiant substantialem generationem: de quo latè disp. 18. sect. 2.

Quæstiones etiã omnes in superiori capite annotatæ in hoc habent locum, qui ab Aristotele ferè repetitur eadem doctrina.

Caput decimum.

De quidditate in ordine ad definitionem.

Quæst. 1. Principio hîc quæri posset, Ad Philosophumne primum pertineat de definitione disputare: sed de hoc disputat. 1. procemiali sectione quarta, à num. 24. vbi ostendimus formam definiendi tum mente, tum consequenter verbo, ad Dialecticum spectare: Metaphysicum verò explicare fundamentum definitionis, quod est essentia rei. Tamen quia hęc ipsa essentia & quidditas, prout in se est, difficilè cognoscitur, ideò Aristoteles multa tradit de ipsa definitione prout à nobis fit, aut fieri debet, vt in ordine ad nos rationẽ essentię declaret, & maximè vt ostendat materiam pertinere ad essentialem rationem aliquarum rerum, vt hac etiam ratione contra Platonem ostendat, non posse dari talium rerum ideas à materia separatas. Hac ergo ratione in his capitibus agit de definitione, in quorum tractatione nos ea omnia quæ merè Dialectica sunt breuiter attingemus.

2 Secundò ergo inquiritur an de ratione definitionis sit vt partibus constet. Sed in hoc satis expressa est sententia Aristotelis hîc affirmantis, &, si nomen ipsum & munus definitionis explicetur, dubitationem non habet. Nos enim per simplices conceptus non possumus distinctè cognoscere & explicare rerum essentias: & ideò ad distinctè concipiendam vel explicandam naturam rei, eam in plures conceptus diuidimus, vt quid ei proprium, quid commune, quid essentiale, quid accidentale sit, cognoscamus: atq; ita tandem aptè coniungendo conceptus essentiales rei, ipsam distinctè concipiamus, eamque distinctam conceptionem, definitionem essentialem vocamus, vel mente conceptam, vel voce expressam: & proportionali modo cõicimus definitiones quas descriptiuas appellant. Sic ergo constat de ratione definitionis esse vt sit oratio, & cõsequenter vt partes habeat, vnde proprius modus venandi definitionem est per diuisionem conceptuum communium vsq; ad proprios, alienos reiiciendo, vt latiùs Arist. lib. 2. Poster. cap. 14.

3 Tertiò, an partes definitionis correspondeant partibus rei definitæ: id enim affirmare videtur Philosophus initio huius capitis dicens, *Sicut ratio ad rem, similiter & pars rationis ad partem rei se habet.* Idque colligi potest ex munere & fine definitionis. Nam cùm distinctè declaret totam rei essentiam, & ad hoc munus vtatur (vt sic dicam) partialibus conceptibus, videtur necessarium, vt illis correspõdeant partes proportionatæ in definito. In contrariũ est, quia sępè definitum est res simplex & nõ habet veras partes. Item, licet eas habeat, non semper illis respondẽt partes definitionis, sed potiùs quęlibet pars definitionis dicit totam rei essentiam, licet minùs distinctè quàm ipsa definitio: genus.n. & differentia licet sint partes definitionis, non significant partes definiti, sed totũ confusa & incompleta ratione. Aliqui putãt Arist. loqui de rebus tantùm naturalibus & cõpositis, & in illis veram esse in vniuersũ propositionem eius, quia generi correspõdet forma generica, & differentiæ forma specifica, quę distinctę sunt. Sed hæc responsio primũ supponit falsam sententiam de pluralitate formarum iuxta ordinem prædicatorum essentialium, quam improbamus disp. 15. Deinde est contra verba Aristotelis absoluta & generalia.

Duobus ergo modis exponi potest Philosophus. Primò, eius locutionem solùm esse per proportionalem comparationem, nec esse absolutam, sed cum distributione accommoda. Vult enim, partes definitionis eam proportionem inter se, & ad definitum seruare, quam partes rei inter se & cum toto. Non quòd necesse sit omnem rem definitam habere partes, sed q̃ comparatio fiat ad illam, quæ eas habet. Consistit autem proportio in hoc, quòd partes definitionis comparantur vt potentia & actus, sicut partes rei. Altera expositio est, vt partes rei dicantur vel partes Physicæ, si res Physicè ac propriè composita sit, quibus respondent partes definitionis, vel secundum rem, si definitio detur modo Physico: vel secundum proportionem & imitationem, si definitio sit propria ac Metaphysica per proprium genus & differentiam. Vel latiùs etiam dicantur partes rei, ipsi gradus Metaphysici præcisè concepti, qui per genus & differentiam, vt sunt partes definitionis, indicantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Quarta ac præcipua quæstio circa hoc caput est, Vtrùm materia sit pars quidditatis substantiæ materialis, & consequenter an in definitione talium rerũ ponatur materia. Sed prior quæstio ex professo tractatur disput.36.sect.2. Vbi cum Aristotele & Diuo Thoma affirmantem partem amplectimur. Ex qua sequitur in definitione quidditatiua substantiarum materialium poni materiam: non vt additum; hoc enim est præter perfectionem & naturam substantię completæ,sed vt de intrinseca essentia talium rerum existens. Ponitur autem materia in tali definitione, vel expresè, si definitio detur modo Physico, vt cùm dicitur homo constare corpore & anima: vel implicitè, vt inclusa in genere Metaphysico, vt cùm dicitur homo animal rationale. Denique ponitur materia in definitione secundum aliquam vniuersalem rationem, non tamen vt materia signata, nam hæc propria indiuiduorum est, vt hic docet Philosophus & Diuus Thomas, & alij latè exponunt.

5 Hinc oritur quinta quæstio, an singulare vt singulare definibile sit, & consequenter in eius definitione poni possit materia signata. Est autem quæstio de singulari non in actu signato (vt sic dicam) id est de communi ratione singularitatis: hoc enim modo iam aliquid commune sumitur, quod definiri suo modo potest, sicut persona, suppositum, & alia huiusmodi, sed est quæstio de singulari (vt sic dicam) exercito. Et hoc modo negat hìc Aristoteles text. 35. singulare definiri: ideò enim negat materiam signatam poni in definitione: idem habet infrà c.15. text. 53.& suprà cap.4.text.13. dixerat solam speciem posse definiri propriè:& 1.Poster.cap.7.ait, indiuiduorum neq; scientiam esse,neq; definitionem. Quo loco res hæc ex professo tractanda est.

Non enim caret difficultate cur non possit indiuiduum definiri, cum possit in duos conceptus resolui,scilicet in conceptum speciei, & proprię differentiæ indiuidualis. Quod enim quidam dicunt, nõ habere indiuiduum propriam differentiam indiuidualem,sed tantùm accidens indiuiduale, falsum est, vt ex dictis à nobis in disput. 5. constat. Præterea de indiuiduis perpetuis est vera scientia, vt de Deo,hoc Angelo: (nam Aristotel. solùm de indiuiduis materialibus hoc negat) cur ergo non potest eorundem esse propria definitio? Quòd si illorum esse potest,etiam erit aliorum prout abstrahuntur à tempore, & ab actuali existentia.Propter quę non desunt qui existiment singulare ex se & natura sua esse definibile: à nobis tamen non definiri, quia propriam eius differentiam non attingimus.

Fauell. lib. 7. Met, quæ,16.

Ant. Andr. 8. Met. quæ.7.

Existimo tamen quæstionem esse de nomine, & Aristotelis locutionem magis esse propriam, sicut & magis receptam. Quia definitio propriè dicta,explicat essentiam rei: vnde sicut indiuiduum non habet aliam essentiam præterquam essentiam speciei, ita neque aliam propriam definitionem habere censetur. Item cõtractio speciei ad indiuiduum est quasi materialis ratione talis entitatis: & ideò id quod indiuiduum addit vltra speciem, non tam definitione propria explicatur, quàm applicatione definitionis essentialis ad hanc entitatem. Propriè ergo definitur species quæ genere & differentia essentiali cõstat. Genera verò summa & indiuidua non ita propriam definitionem habẽt,licet aliquo modo describi & explicari valeant. Quòd verò de singularibus non sit scientia vel demonstratio, intelligendum est ferè eodem modo,quia de eis vt talia sunt, solùm contingentia & mutabilia cognoscuntur.Quòd si aliqua necessaria demonstrari videntur, id semper est in vi alicuius medij vniuersalis,& ita potiùs est applicatio scientiæ vniuersalis ad particularem, quàm propria scientia particularium. Quod in omni re creata fortasse verum est: quia nulla res est essentialiter singularis præter Deum, de quo perfectissima scientia esse potest. Et maximè hoc intelligitur de humana sciẽtia, nam Angelica est alterius rationis per intuitionem singularum rerum,prout in se sunt.

6 Rursus quæri hìc potest, an partes definiti sint priores ipso definito. Item, an loco partis definitionis liceat eius definitionem semper ponere.

7 Quas quæstiones videtur hìc proponere Arist. Et priorem quidem magis ex professo tractat: & in summa respondet, partes formales esse priores, materiales verò minimè. Per formales autem partes intelligit eas quæ sumuntur à forma vt sic, vel quæ illi formaliter correspondent,vel deniq; quæ sumuntur æquè vniuersaliter ac ipsum definitum. Vnde per materiales partes intelligit indiuiduales vel omnes illas quæ contrahunt rationẽ definiti ad particularẽ materiam, quam ex vi suæ formalis rationis non requirit, vt est respectu sphæræ quòd ænea sit. Dicuntur autem partes formales priores definito,prioritate quadam naturæ, seu causalitatis, interdum etiam subsistendi consequentia:quamuis non semper:quia interdum sicut totum non potest esse sine his partibus, ita neq; è conuerso partes extra totum, vt Arist. etiam hìc notauit.

De altera verò quæstione nil ferè Aristoteles dicit, & resolutio sumi potest ex notatis suprà capit. 4. Nam si id quod ponitur in definitione est verè essẽtiale,& definitionem propriam habet, nihil impedit quin loco eius definitio ponatur: sic enim, cum homo definiatur esse animal rationale, rectè dicitur esse viuens sensibile rationale: imò sic distinctior est definitio. Si verò pars definitionis sit ita simplex vt definitionem nõ habeat, non oportet loco illius descriptionem eius ponere, vt patet in generibus summis,& differentiis: & hac ratione transcendentia nõ ponuntur in definitionibus. Similiter si id quod ponitur in definitione non sit essentiale, sed additum quoddam, non ponitur loco eius ipsius definitio, quia sæpè committeretur nugatio, aut circulus vitiosus,vt c.4.tactum est. Et iuxta hæc intelligendus est idem Arist.2. Topic.c.2.

Caput vndecimum.

Quæ sint partes formales, quæ verò materiales.

Quæst.1.In hoc capite,nihil noui quærendum occurrit, nam ferè nihil in eo additur,sed inculcatur iterum quæstio de materia an sit pars essentiæ specificæ, necne: & pars affirmans concluditur: & hac ratione dicitur, partes formales seu quæ sunt de definitione speciei non excludere materiam sensibilem in rebus naturalibus, nec intelligibilem in mathematicis:sed in prioribus excludere indiuiduam materiam,in posterioribus verò sensibilem. Vnde partes formales dicuntur,quæ secundum specificam rationem, & ad munus aliquod ratione illius conueniens, requiruntur,etiamsi materiam in vniuersali, seu modo proportionato includant:materiales verò dicuntur, quæ sunt quasi per accidens ad communem rationem speciei. Quæ omnia eò tendunt, vt contra Platonem concludat rationes communes & specificas harum rerum non posse ab omni materia abstrahi.

2 Rur-

2 Rursus inculcat quæstionem an quod quid est sit idem cum eo cuius est,quam suprà iam tetigimus: & hic locus in particulari, & verba etiam Philosophi explicata ex professo sunt in disputatione 34. sect.3. in fine.

Caput duodecimum.

Ex partibus definitionis, seu ex genere & differentia fieri per se vnum.

Quæst.1. Hic prima quæstio esse potest vnde habeãt definitum & definitio vnitatem per se. Non est autem sensus vnde habeant vnitatem definitum & definitio inter se cõparata: hoc enim iam est actum, habent enim illam ex identitate: sed est sensus, cùm definitio plura dicat vel contineat,vnde habeat definitum, de quo illa omnia dicuntur, quod sit vnum & non plura. Idemque consequenter de ipsa definitione intelligendum est. Et resolutio est per se satis clara. Definitio enim vna est, quia constat genere & differentia, quæ comparantur vt propria potentia & actus,& simili modo definitum est vnum, quia essentia eius constat genere & differentia vt proprio actu & potentia metaphysicis,ac per se ordinatis,ex huiusmodi autem actu & potentia semper fit vnum per se,etiam in rebus physicis, vt infrà lib.8. docetur de materia & forma, & sumitur ex lib. 2. de Anima, textu 7. ergo multò magis ex metaphysicis. Quod probatur ex altera ratione Philosophi in præsenti: quia videlicet,*genus non est præter ipsas species*, seu extra illas, vnde tantùm est ipsa essentia speciei confusè concepta.Et (vt rectè D.Tho.declarat) idcò genus non potest esse sine speciebus, quia *formæ specierum non sunt aliæ à forma generis*: ergo in re dicunt eandem essentiam, solùmque differunt vt determinabile & determinans secundum rationem: componunt ergo vnum per se.Hac ergo de causa,tam definitũ, quàm definitio habent vnitatem propriam.

Sed est aduertendum,definitionem & definitum posse considerari, vel vt sunt formaliter in mente, vel vt sunt obiectiuè. Priori modo definitio est propriè & secundum rem composita ex conceptibus mentis re ipsa diuersis: dicitur tamen habere vnitatem ad modum totius cuiusdam artificialis, ob subordinationem & cõiunctionem aliquam talium conceptuum. Obiectiuè autem non habet compositionem realem ex vi generis & differentiæ, sed solùm rationis per denominationem à compositione conceptuum mentis. Definitum autem neutro modo habet compositionem rei,sed tantùm rationis, etiam ex vi generis & differentiæ.Hoc autem nomen *Definitum*, propriùs dici videtur de conceptu obiectiuo quàm de formali,licet è conuerso *Definitio* proprius videatur dici de conceptu formali, quàm de obiectiuo:& ideò hæc vnitas magis cernitur per se in definito, quàm in definitione: atque ita Aristoteles in hoc capite præcipuè loquitur de vnitate per se ipsius definiti seu essentiæ, quatenus ex genere & differentia componitur. De hac autem compositione, & extremorum distinctione, & comparatione videnda sunt, quæ latè tractantur disputat. 6. sect. 9. 10& 11.

2 Quæri verò vlteriùs potest an genus possit extra omnes species reperiri. Et ratio dubij est: nam Aristoteles sub disiunctione dicit: *Genus non est præter eas, quæ vt species generis sunt, aut si est quidem, sed tanquam materia est.* Vnde innuere videtur posse genus interdum reperiri extra species,saltem per modum informis materiæ. In contrarium est, quia genus nullo modo potest extra omnes species reperiri, cùm in re ab ipsis non distinguatur, nec dicat aliam essentiam ab ipsis.

Duobus modis intelligi potest genus esse extra omnes species, vno modo realiter per separationem in re ipsa:& hoc modo simpliciter est impossibile genus esse extra species vt rationes factæ cõcludunt, & hoc vbique docuit Aristoteles agens contra ideas Platonis,& inferens hoc inconueniens, quod si darentur ideæ specierum abstractæ ab indiuiduis, dandæ essent ideæ generum separatæ ab speciebus. Si ergo de hac separatione hic textus intelligatur, vt cõmuniter intelligitur à D.Thoma, & aliis, disiunctio solùm additur ad tollendam quarundam vocum æquiuocationem, quæ videntur significare genera, quæ separantur ab speciebus, re tamen vera vt sic nõ significant genera, sed partem materialem totius compositi. Vt patet in exemplo *vocis*, quo Aristoteles vtitur:*vox* enim significare potest articulatum sonum in cõmuni, & vt sic est genus: vt verò significare potest tantùm sonum vt capacem talis formationis,est materia. Et idem est de *corpore*, vt D. Thomas hìc notat: nam vt significat compositum ex materia & forma substantiali in cõmuni,est genus & vt sic nõ est vllo modo separabile ab omnibus speciebus: vt verò significat primum subiectum aptum informari substantialiter, dicit materiam. Alio verò modo dici potest genus esse separabile ab speciebus secundum rationem, ita vt non sit prædicabile de illis, & hoc modo etiam est verum dictum Aristotelis, vel non esse separabile,vel non sumi vt genus,sed vt materiam. Et ex vtroque membro concluditur intentum, nempe genus esse separabile propter identitatẽ,& vnitatem, & quatenus separatur aliquo modo significari,vel cõcipi vt materiam,& ideò aptum esse ad componendum per se vnum cum differentia.

3 Tertia quæstio esse potest, quo modo verum sit differentiam superiorem diuidi per inferiores: sic enim Philosophus ait: *Oportet diuidi differentia differentiam.* Est autem ratio dubij,quia differentia indiuisibilis videtur: alioqui si differentia per differentias diuisibilis est,& in infinitum procedetur, & non cõstituet speciem indiuisibilem. Respondetur, Aristotelem clarè loqui de differentiis subalternis,quas diuidi dicit,non quia ipse vt differentiæ sunt, diuidantur,sed quia constitutum ex illis vt tale est, ampliùs est diuisibile per alias formales differentias. Nec proceditur in infinitum, quia in aliqua vltima differentia sistitur,vt idem Aristoteles dicit.Neque etiam fit,vt talis differentia non constituat speciem, sed vt non constituat speciem vltimam.

Aduertit verò Philosophus hanc diuisionem debere esse formalem, ita vt posterior differentia per se determinet priorem, & sit modus seu actus eius. Intellige autem, aliquando posteriorem differentiam esse eiusdem ordinis cum priori, & tunc esse solùm, quasi determinationem eius in eadem latitudine, vt sensibile determinatur per talem sentiendi modum; interdum verò posteriorem differentiam pertinere ad superiorem ordinem, & secum euehere priorem differentiam, quo modo rationale comparatur ad sensibile.Et tunc non solũ determinat illã quasi modificando intra suum gradũ, sed addendo etiam gradum superiorem: tamen quia illud additum est formalis actuatio prioris gradus, simulq; est perfectio illius intra suum gradum, non solùm illa est propria & formalis differẽtia, verum etiam est perfectissima.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4 Quarta quæstio est, num differentia inferior superiorem includat. Id enim affirmare videtur Philosophus, cùm ait. *Si ergo hæc ita se habent, manifestum est, quòd vltima differentia, rei substantia erit, & definitio,* & infrà, *si igitur differētiæ differentia fiat, vna quæ vltima est, erit species & substantia.* Adhibetq; exemplum in his, *animal habens pedes, bipes*: nam hæc secunda includit primam, vt per se constat, & hinc concludit, in definitione, non esse ponendam, nisi vltimam differentiam: nam si simul priores ponantur, committetur nugatio. Vt si in dicto exemplo dicatur, *animal habens pedes bipes*. In contrarium verò est, quia differentia superior includitur in genere, vt sensibile in animali: ergo non potest includi in differentia inferiori. Patet consequentia, tum, quia genus omnino extra rationem differentiæ est, vt in lib. 3. est dictum, tum etiam quia aliàs semper committeretur nugatio adiungendo differētiam generi, quod est planè falsum. Item quoties in definitione ponitur genus remotum, non satis est ponere differentiam vltimam, sed oportet addere intermedias, vt hic etiam dicitur: ergo non includuntur in vltima: aliàs esset nugatio.

Aliqui exponunt, & significat S. Thomas, Aristotelem loqui de differentia, non secundum præcisum conceptum eius, vt est pars definitionis, sed vt est quoddam totum includens confusè, non solùm superiores differentias, sed etiam genus ipsum. Nam solum in hoc sensu potest esse verum, quod differentia vltima sit substantia rei & definitio, nimirum æquiualenter & implicitè. Aliter Alensis, & indicat etiam Scotus, ait vltimam differentiam appellari substantiam rei, & definitionem, quia complet illam, non quia omnia superiora includat, sed quia illa per se supponit, & necessaria consecutione, cui vltima differentia conuenit, necesse est, omnes superiores conuenire. Sed licet hæc vera sint, tamen non sufficiunt ad explicādam Aristotelis argumentationem, nimirum committi nugationem, si simul cum vltima differentia superiores in definitione ponantur. Nam hoc per se loquendo, non sequitur, dicendo enim *viuens sensibile rationale*, non committitur nugatio, etiamsi *rationale* sumptum cōfusè & per modum totius superiora omnia includat, quia in illa definitione non ita adiungitur, sed secundum suam præcisam rationem. Neque etiam committitur nugatio, propterea quod *rationale* per se supponat superiora, & implicitè ac illatiuè illa indicet; satis est enim quod illa formaliter non includat. Videtur ergo Aristoteles sentire vltimam differentiam formaliter includere superiores, & ideò committi nugationem. Idque videtur clarum in exemplo Aristotelis: nam hæc differentia *bipes* includit formaliter hanc superiorem, scilicet, *habere pedes*.

Dicendum nihilominùs est, per se loquendo differentiā vltimam non includere formaliter superiores, sed præsuppositiuè, aut confusè, vt citati authores verè dixerunt. Ex qua etiam fit nō committi nugationem, per se loquendo & generaliter, ponendo in definitiones plures differentias per se subordinatas, quando definitio non datur per genus proximū, sed per remotum. Et hoc etiam est certissimum, & sumitur ex eodem Aristotele in hoc capite. Aliquādo verò talis esse potest diuisio differentiarum, vt in conceptu vnius alia formaliter includatur, & fiat repetitio vtramque ponendo, vt in dicto exemplo Aristotelis. Quo indicio particulari vtitur Aristoteles, vt ostendat, vltimam differentiam esse actum per se superiorum, & completiuam vnius essentię definiti, quod erat in hoc discursu intentum. Nam ex hoc indicio sumi potest, idem esse in aliis vltimis differentiis, etiamsi non ita formaliter superiores includant. Addi etiam potest, vt tacitæ obiectioni respondeamus, differentiam vltimam præcisè sumptam nunquam includere formaliter superiores: aliquādo verò ita esse coniunctam, vt nec concipiatur nec significetur, nisi includendo superiores, vt in exemplo Aristotelis constat: hocq; satis esse ad discursum Aristotelis. Fortasse etiam Aristoteles non loquitur de differentia vltima & subalterna, sed de vltima, quam vult ostendere tantum esse vnam, nec posse poni in definitione duas vltimas sine nugatione, vt statim declarabimus.

5 Alia quæstio in hoc capite definitur, nempe quas conditiones requirat definitio essentialis, vt rectè tradita sit: multæ enim cōditiones in hoc capite colliguntur. Prima, vt detur per ea, quæ definito conueniunt per se primò & secundum quod ipsum, quia debent explicare quod quid est eius. Secunda vt detur per propriam potentiam & actum per se ordinata: & si plures differentiæ ponantur, vna per se diuidat aliam. Tertia, vt differentia vltima, vna tantum sit: nam, si sint plures, vel vna includet aliam, & sic erit nugatio, vel neutra includet aliam, & tunc, vel sunt per accidens ordinatæ, & sic non component per se vnam essentiam, vel si per se ordinatæ sunt, vna est potentia, & alia actus, & hæc tantum erit vltima: altera verò generalior erit. Quartam conditionem colligit Alensis, quod, scilicet, vt definitio recto ordine constituatur, quæ communiora sunt, præcedant, & si plures ponantur differentiæ priùs ponatur subalterna, deinde vltima. Sed Aristoteles hanc non posuit, quin potiùs significat in fine capitis, hunc ordinem non pertinere ad substantiam, quod quidem verum est, si materialiter sumatur, formaliter tamen quoad rationem actus & potētiæ necesse est vt potentia supponatur, & sic sumatur, vt prior, licet, fortè non priùs proferatur & hoc sensu coincidit hæc conditio cum præcedenti. Vltima conditio, quæ colligitur est, definitionem debere esse propriam & reciprocam definito. Quam etiam Aristoteles expresse non ponit, in ea tamen includitur, quod definitio debet habere vnitatem ab vltima differentia, quę propriam rei substantiam & essentiam declarat.

6 Sexta quæstio hic tractari solet. An vnitas per se substantiæ compositæ vnam formam requirat. Hanc enim quæstionem sæpe inculcat hic D. Thom. colligens vnitatem formæ ex rationibus quibus hic Aristoteles vtitur. Scotus verò ibidem id redarguit, & rationes conatur soluere: D. Thomæ autem sententia præferenda est, quam latè tractamus disputat. 15. sect. 10.

Caput decimumtertium.

De substantia secunda seu vniuersali.

Ab hoc capite incipit Aristotel. dicere expressiùs & clariùs de secundis substantiis, præsertim ad concludendam disputationem de ideis, contra Platonē.

Quæst. 1. Vnde prima quæstio hic occurrit an vniuersalia sint substantiæ, quam Aristoteles hoc capite præcipuè tractat. Et potest primò intelligi de omnibus vniuersalibus, & sic constat non omnia esse substantias, quod attingimus disput. 6. sect. 7. Secundò potest in speciali intelligi de vniuersalibus prædicamenti substantiæ, quæ in prædicamentis secundæ substantiæ dicuntur. Vnde constat talia vniuersalia

substantias esse: de quibus latè disputamus disput. 33. sect. 2. Arist. autem hoc capite contendit non esse substantias simpliciter, id est per se subsistentes in se ipsis; & hoc probant rationes eius, de quibus legi possunt expositores.

2 Deinde hac occasione disputari hic potest de vniuersali, an rectè definiatur esse illud, *Quod pluribus natura aptum est esse*: ita. n. illud hic Philos. definit tex. 45. Sed hęc res disputatur latè disp. 6. per totam: vbi tractamus quid sit aptitudo ista, & quo modo sit in rebus, & ab ipsis distinguatur.

3 Hic etiam tractari potest, quo sensu vera sit illa vulgaris propositio, *Ex duobus entibus in actu non fit vnum in actu, sed ex duobus in potentia: actus enim separat*: hæc enim sunt verba Aristotelis hic text. 49. Sed de hoc axiomate dicimus latè tractando de existentia rei creatæ disp. 31. sect. 11. Quòd verò ad mentem Aristot. attinet, constat eū loqui de entibus in actu cōpletis, & quatenus talia sunt. Eam enim propositionem affert vt demonstret non posse vniuersalia esse substantias integras & per se subsistentes, & ita inesse indiuiduis substantiis, vt cum eis vnum per se & actu componant. Et ita nulla superest difficultas.

Caput decimumquartum.

Vniuersalia non esse substantias ab indiuiduis separatas.

In hoc capite nihil notatione dignum occurrit, superuacaneum enim existimo in re tam clara singulas Aristotelis rationes expendere, cùm in eis nullum sit peculiare principium aut Metaphysicum dogma, quod noua expositione indigeat: legantur ergo expositores.

Caput decimumquintum.

De eadem re.

Hic obiter tanguntur ab Arist. aliquæ propositiones notādæ, & quæ in quæstionem adduci possent

1 Prima est illa, *Rei singularis non est definitio, nec demonstratio, quia non habet materiam*; In qua ipsa propositio de inesse, & causalis difficultatem habent. Sed hæc res tacta sufficienter est circa c. 10.

2 Secunda est, *Quod habet materiam, esse & non esse cōtingit; & corruptibile est*. Sed intelligenda est iuxta subiectam materiam: hic. n. solùm agit de rebus subluna ribus ex materia & forma compositis.

3 Tertia est non fieri formam, sed compositum, & consequenter neq; ideam, sed rem singularem. De quo partim lib. 1. c. 2. partim in hoc lib. c. 8. dictū est.

4 Quarta est definitionē debere ex pluribus partibus seu nominibus constare, quæ tractata est c. 10.

5 An verò efficaciter inde Arist. concludat singulare non esse definibile, non est facilè ad explicandū. Summa enim rationis, vt ex interpretatione D. Th. & aliorum colligitur, est, quia vel vterque terminus definitionis est communis, vel singularis vterq; aut alter. Si primum, definitio non erit rei singularis adæquatè, sed aliis etiam de se conueniet. Si secundum, non erit definitio, sed erunt nomina synonyma quātum ad terminum singularem definitionis, & non definiti. Hæc verò ratio videtur inefficax quoad hoc posterius membrum, nam differentia indiuidualis, etsi sit conuertibilis cum re singulari, non est vox synonyma, quia alio modo & per alium conceptum illam rem significat, sicut differentia specifica non est synonyma speciei, licet cum ea conuertatur.

Discursus ergo Aristotelis maximè videtur concludere contra ponentes, ideas esse res subsistentes, & consequenter particulares, & tamen separatas ab omni contractione indiuiduali, sic. n. definiri non possunt per differentiam indiuidualem, & cōsequēter habere non possunt definitionem constantem ex terminis communibus, ex quibus non potest confici definitio ita propria ideæ vt idea est, quin possit aliis rebus conuenire; & ita procedunt aliæ rationes Arist. quæ non carent suis difficultatibus, sed inutile censeo in eis explicandis immorari. Quo modo item illa ratio possit habere aliquam vim quoad vera indiuidua, etiam materialia, suprà c. 10. tactum est.

Caput decimumsextum.

Quo modo possint substantiæ ex pluribus partibus componi.

Pauca de proposita intentione hic dicit Aristotel. statim. n. reuertitur ad impugnandas ideas Platonis: circa quam partem nihil noui occurit. Circa priorē verò, possunt hic quęstiones varię moueri de pluralitate formarum, sed duæ sunt præcipuæ. Prior est an elementa sint formaliter in misto. Posterior verò est an in partibus heterogenęis animalium sint partiales formę diuersarum rationum. Quas quęstiones breuiter attingimus disp. 15. sect. 10.

Caput decimumseptimum.

Quod quid est esse principium & causam eorum quæ rei conueniunt.

Circa priorem partem huius capitis tractari possunt quæstiones logicæ, vt an necessariò de re supponatur an sit, & quid sit; an verò hæc possint demonstrari. Item an quæstio propter quid locum habeat circa ipsum quid. Sed hæc & similia in lib. 2. Posteriorum tractantur, & difficultatem non habent. Nam integra quidditas rei non potest habere causam intrinsecā, nisi quatenus forma vel materia assignātur vt causa totius, vel vna pars assignatur aliquo modo vt causa alterius: quòd tamen essentia rei talis sit, seu quod ex talibus principiis, v. g. anima rationali & corpore, talis quidditas hominis consurgat, non potest habere aliam causam intrinsecam præter naturā talis formæ & talis materiæ. Et in hoc sensu verū est, non dari causam ipsius quod quid est, sed ipsum esse causam aliorum quę rei conueniunt. At verò loquēdo de causa extrinseca finali vel efficiente, aut etiam exemplari, interdū potest dari causa ipsius propter quid, quo modo vna definitio quidditatiua interdū demonstratur per aliam ēt à priori, vt in prin. lib. 2. de Anim. differitur, & in lib. 2. Poster. c. 8. & sequentib. Et de hac re aliquid attigimus disp. 1. sect. 4. n. 12.

Quæst. 2. Circa alteram verò partem huius capitis tractari solet quæstio, an totum distinguatur à suis partibus simul sumptis. Hanc tractamus disp. 36. sect. vlt. Et resolutio ibi data est consentanea Aristot. hic, qui apertè docet totum, quod est aliquo modo per se vnum, distingui à partibus tanquam addens aliquid vltra illas, non tamen ab illis sumptis simul cum illo addito. Quid autem illud additum sit, nunquam satis explicat Arist. nos autem breuiter diximus illud esse vnionem partium.

LIBER OCTAVVS Metaphysicæ.

De substantia sensibili, & principiis eius.

Liber hic videri potest ad Physicam doctrinam potiùs quàm ad Metaphysicam spectans: tamen licet

Universidad de Deusto
Biblioteca

res de quibus in eo tractantur, communes sint Physicę considerationi, modus & ratio disserendi de his est proprius Metaphysicę, vt disp.1.procemialiter latiùs exponimus. Vnde præsentis libri materia latè disputatur à nobis disp.12.13.14.& 15.

Caput primum.

Substantiam sensibilem materia constare, & quid illa sit.

In hoc capite præsertim est notanda illa propositio in tex.3. *Sensibiles verò substantiæ materiam habent.* Numerauerat autem paulò anteà in tex 2. inter sensibiles seu naturales substantias cælum seu partes cęli.& apertè loquitur in dict. tex.3. de materia substantiali, quam statim definit dicens, *Materiam autem dico, quæ cum non quod quid actu sit, potentia est quod quid.* Ex his ergo variæ quæstiones oriuntur.

Quæst.1. An materia substantialis sit in rebus, quę aliqua vera substantia sit.

2 An sit ens in pura potentia, & quo sensu id accipiendum sit.

3 An sit in omnibus rebus corporalibus, etiam in cœlis.

4 An sit vna in omnibus, vel diuersa. Pro qua sunt notanda illa verba Aristotelis in fine capitis, *Non enim est necesse, si quid materiam habet localem, hoc generabilem etiam & corruptibilem habere.* Vbi planè sentit in rebus generabilibus & ingenerabilibus esse diuersas materias. Hæ verò quæstiones omnes cum aliis quæ de materia desiderari possunt, tractantur latè disp.12.

5 Alia quæstio est an forma substantialis sit separabilis à materia. Aristotel. enim text.3.ait, *Esse ratione separabilem.* Resolutio verò est, materialem formam aliquando nullo modo separari posse in re à materia, vt in corporibus incorruptibilibus; aliquando verò separari posse; ita tamen vt separata non maneat, sed destruatur. At verò formam immaterialem realiter separari posse, ita vt separata conseruetur: de qua re nihil Aristoteles hìc tetigisse videtur. Quamuis Alexandr. Aphrod. indicet, Aristotelem hoc dixisse propter animam rationalem, sensumque esse, formam esse rationem separabilem, quia formæ vt sic ex ratione formæ non repugnat separari: nam aliqua separabilis est. Materia verò ex absoluta ratione materiæ separabilis non est. Alia verò expositio est, quòd forma sit ratione separabilis, id est cognoscibilis præcisè vt entitas distincta à materia, quamquam sine habitudine ad materiam plenè intelligi ac definiri non possit. Et ideò cùm dicit Aristoteles, esse ratione separabilem, non est intelligendum, id est definitione, ita vt sine materia definiri possit, sed intelligentia ac præcisione vt dictum est. Alij exponũt quòd est definitione separabilis à materia signata, & indiuidua, sed Arist. de hac re hìc non loquitur, vt constat.

6 Sextò quæri potest de composita substantia, quid sit, & quomodo comparetur ad partes suas: de qua re dicimus disp.36. Quod verò Aristoteles in tex. 3. ait, Compositum esse separabile simpliciter, non est intelligendum esse separabile à partibus, ita vt sine illis esse possit, id enim clarè repugnat, sed separabile dicitur, quia potest esse per se subsistens, distinctum & separatum à qualibet alia substantia. Et ita potest consequenter exponi ratio, quam subjungit his verbis. *Earum enim substantiarum, quæ secundum rationem,* supple, formæ, id est, quæ per formam constituuntur, *quædam sunt separabiles,* id est in se subsistentes, vt primę substantię, *quædam verò non,* sc. secundæ substantiæ. Aliter alij exponunt hæc posteriora verba, sed non declarant contextum, nec vim illius coniunctionis causalis *enim.*

7 Vltimò habet etiam hìc locum quæstio, an solum compositum per se generetur, quæ tractatur disp.15.sect.4.

Caput secundum.

De substantiali forma.

Vnica quæstio hìc occurrit, an detur substantialis forma, quam hìc Aristoteles probat esse, solùm ex proportione ad actus accidentales. Sed de hac re, & aliis quæ ad hanc formam spectent, dictum est latiùs disputat.15. Quæst.

Caput tertium.

De principio formali per comparationem ad positiones Platonis & Pythagoræ.

Duas partes cõtinet hoc caput, in priori agit Aristotel. de formis & speciebus rerum per comparationem ad ideas, quarum impugnationem semper inculcat: in posteriori comparat formas ad numeros.

Quæst.1. Vt priorem partem prosequatur, primò mouet quæstionem *An nomen compositum substantiam significet, an actum & formam.* Et quamquam non declaret de quo nomine loquatur, sine dubio tamen agit de nominibus absolutis significantibus substantiarum species, vt *homo, equus*: nam quæstionem hanc mouet, vt ex nominis significatione colligat, significata horum nominum non esse res aliquas à materia separatas. Non videtur autem quæstioni clarè ac distinctè respondere. Vnde Alex. Aphrod. ait, Aristot. non respondisse ad quæstionem hanc, quia erat clara eius resolutio, scilicet hęc nomina significare formam. Sed fallitur, vt patebit. Alij putant Arist. quæstioni respondere in illis verbis. *Erit autẽ vtiq; in vtrisq; animal, non vt vna ratione dictum, sed vt ad vnum.* Ex quibus Alexander Alens. colligit resolutionem esse, nomen significare vtrumque, scilicet compositum & formam, non tamen vniuoca ratione, sed vnum per prius, aliud verò in ordine ad aliud. Tamen hoc etiam verum esse non potest, eò quòd neq; nomen totius, propriè loquendo, significat formam absque materia, vt per se patet, neq; in his nominibus sit vera aliqua Analogia. Et ideò Scotus ait Aristotel. solùm respondere quæstioni Platonicè, & non ex propria sententia.

D. Thomas autem ait, Aristotelem in illis verbis non respondere quæstioni, nisi fortè indirectè & implicitè. Nam potiùs illud infert tanquam inconueniens, quod sequitur ex sententia Platonis, qui ponebat ideam hominis separatam, esse per se hominem, indiuidua verò participatione illius. Hinc ergo fit, si *homo* significat vtrumque, & formam sine materia, quæ est idea, & compositum, Analogicè significare illa, quod est absurdum. Quis enim dicat Petrum esse Analogicè hominem? ita ergo tacitè concludit Arist. hæc nomina significare ipsum totum, & non solam formam. Et hoc videtur esse, quod obscurissimè Aristot. subdit, sc. illam resolutionẽ Platonis, nimirũ, nomina hæc significare solas formas, ad aliquid fortasse aliud esse vtilẽ, putà in substãtiis abstrahẽtibus à materia, in sensibilibus verò nihil conferre, quia substãtia sensibilis nõ dicit solũ quod quid erat esse, *nisi homo anima dicatur,* q̃ est absurdum, & ideò

& ideò nomen significans substantiam sensibilem non potest significare formam separatam à materia.

Quæst.2. Ex hac verò interpretatione oriuntur aliæ duæ quæstiones. Nimirum an in substantia sensibili sola forma sit quidditas eius, vel etiã materia, seu constans ex vtraq;. Nam videtur Aristot. in prædictis verbis sentire, solam formam esse quod quid est, compositum verò esse id cuius est.

3 Vnde rursus pullulat alia quæstio, An in formis separatis quod quid est non sit aliud ab eo cuius est: in sensibilibus autem rebus hæc distinguantur. Vtrumque enim videtur Aristoteles docere in citatis verbis. Existimo autem esse magnam æquiuocationem in his verbis & quæst. prout nunc tractantur in scholis, & prout Aristoteles eas ponit, vt in superioribus tactum est, & ex hoc loco fiet manifestum.

Forma ergo nunc communi vsu, aut pro forma partis sumitur, aut pro forma totius, quę est, v.g. humanitas. Arist. verò de forma totius ferè nunquã facit mentionem expressam, licet possit comprehendi sub nomine quidditatis. Arist. ergo præter formam partis, quę est proprius actus materiæ, per formas intelligit frequenter in 7.& in hoc 8.lib. illas Platonicas, quę (iuxta sensum in quo Aristot. illã sententiam tractat) ponendæ erant separatę, & distinctæ non solùm à materia, sed etiam à formis singularibus actuãtibus materiam. Quia verò Plato asserebat, illas formas esse quidditates ipsorum singularium, videtur illas eadem posuisse secundum se abstractas & separatas: participatione autem quadam intrinsecas ipsis indiuiduis & exercentes in eis munus formæ, actuãdo materiam, & constituendo indiuiduum, & ideò Arist. ita etiam loquitur in ea sententia, ac si in substantia sensibili non sit alia forma præter ideã, ideòq; sæpe ab vna ad aliam transitum facit. Hinc etiam est, vt nomine *quidditatis,* seu, *quod quid erat esse,* sæpe non totam rei essentiam, sed solam formam significet, conueniens in hoc modo loquendi cum Platone, non vt in re illi consentiat, sed potiùs vt concludat nõ posse quod quid est rerũ materialiũ in sola forma consistere. Atq; hoc ferè modo loquitur in præsenti.

Vnde in prima quæstione mens eius est, hæc nomina significare in rebus sensibilibus substantiam compositam ex materia & forma. Quod vt pleniùs explicẽt, distinguere possumus adæquatũ significatũ nominis & formale seu quasi formale. Vt in hac voce *homo* adæquatũ significatũ est totus homo, formale verò est humanitas, formaliùs autem videri posset anima rationalis. Hęc igitur nomina adęquatè significant compositas substantias, vt est per se euidens, nam illud significat nomen, quod per definitionem explicatur, vt patet suprà lib.4. tex. 28. definitiones autem harum rerum non includunt solas formas, sed compositum ex materia & forma, vt constat ex dictis lib.7. text.18.& sequentibus: illud ergo significãt nomina. Idemq; satis constat ex modo concipiendi omnium: nemo enim per nomen *homo* solam animã concipit, nec animam esse hominem quispiam dixerit: significat ergo homo adæquatè compositum ipsum. Quin etiam de formali significat compositum ex materia & forma, scilicet, integram hominis naturam, quæ non est sola forma physica, licet dicatur forma metaphysica, seu totius, quæ est humanitas. Animã verò neutro modo propriè significat, sed eam includit in suo significato, sicut etiam includit materiam, licet in diuerso genere, nam animam includit vt formam constituentem quidditatem rei, materiam verò vt inchoantem illam.

Ex quibus colligitur resolutio secundæ quæstionis, & interpretatio Arist. in hoc loco circa illã. Simpliciter enim verũ est, & de sentẽtia Philosophi non solam formam, sed etiam materiam esse de quidditate substantię sensibilis, vt tractamus latè disp.36.sect. 1. Nihilominùs forma speciali ratione dicitur, quod quid est rei cuiuscunque, quia dat vltimam speciem & constitutionem. Et hoc sensu dicit Arist. hìc, substantiam sensibilẽ non solùm includere quod quid est, id est, formam constituentem quod quid est, sed etiam materiam, vt rectè Alensis.

Atque eodem sensu (vt tertiæ quæstioni respondeamus) ait in forma ipsa non distingui quod quid est ab eo cuius est, quia omnis forma seipsa talis est, nec habet formam constituentem esse specificum illius: in re autem materiali id quod formaliter constituit quidditatem, distinguitur ab habente ipsam formam: nam habens est totum compositum: forma verò est pars eius. Vnde Aristoteles hoc loco non comparauit naturam integram ad suppositum, quo sensu solet illa quæstio nunc tractari, vt latè diximus disp.34. Nec etiam comparauit hìc naturam specificam ad indiuidua, quia solet esse alius sensus illius quæstionis, vt tractamus disp.5. sect.1. & disp. 6. sect.1.& 2. Vnde nihil etiam hoc loco distinxit Philosophus inter materiam communiter sumptam, & materiam signatam seu indiuiduam, quia Plato (vt ipse ei tribuit) non solũ à materia signata, sed absolutè à materia separabat ideas, & essentias rerum sensibilium. Ac denique non declarat Aristoteles, an hæc nomina significent compositum substantiale in communi tantum, vel etiam in indiuiduo: de qua re diximus etiam tractando de vniuersalibus disp. 6. sect.5.

Aliæ præterea quæstiones occurrere possunt circa eandem partem, quas Arist. attigit, vt an indiuidua tantum per se generentur, vt Arist. hìc sentit, vel etiam species.

5 Item, an totum præter materiam & formam aliquid aliud includat, vt planè hìc Philosophus intendit.

6 Ac denique an res simplices definibiles sint, vel tantum compositæ, vt hìc Arist. significat, intelligẽdumq; est de re composita, vel reipsa, vel ratione ex genere & differentia. De qua re, & de cęteris quæst. satis in superioribus tactum est.

7 Circa alteram capitis partem quæri etiã solet, an numerus sit per se vnus.

8 Item an vltima vnitas sit forma numeri, quę duę quæstiones in disp.41. de quantitate discreta latè tractantur.

9 Rursus potest disputari, *An essentia rerum sint sicut numeri:* hoc enim axioma ex hoc loco sumi solet & ad verum illius sensum percipiẽdum, oportet præ oculis habere, illam particulam *sicut,* non dicere adęquatam, imò nec veram similitudinem, sed proportionem. Quæ in hoc consistit, quod sicut numeri, ex pluribus vnitatibus, ita essentiæ rerum materialium (de his enim hìc agitur, quamuis eadem ratio sit de omnibus creatis) cõponuntur ex pluribus prædicatis quidditatiuis, licet diuerso modo; vnitates enim sunt realiter plures, prædicata verò solùm ratione. Item sicut vnitates in quolibet numero finitæ sunt, ita & quidditatiua prædicata, vt suprà circa lib.2. tactum est. Quo etiam fit, vt sicut diuisio numeri non procedit in infinitum, ita nec resolutio speciei in prædicata quidditatiua, sed tandẽ sistit in aliquibus simplicibus, & primis. Rursus sicut vltima vnitas

Universidad de Deusto
Biblioteca

determinat rationem talis numeri, ita & vltima differentia rationem specificam. Quare sicut addita vnitate mutatur numerus, ita & addita differẽtia mutatur species. Et quoad hoc maximè dicitur vniuscuiusq; rei essentia esse, sicut numerus, & consistere quodammodo in indiuisibili, sicut ille consistit.

Quæst.10. Hinc verò suboriebatur altera quæstio. Quomodo formæ aliquæ possint suscipere magis vel minùs, & an tunc ipsa species mutetur, augeatur, vel minuatur, vel sola forma indiuidua, & an hoc habeat locum in accidentibus tantum, vel etiam in formis substantialibus. Sed hanc materiam de intensione formarum tractamus latè in disp.46. circa prædicamentum Qualitatis.

Caput quartum.

De principio materiali substantiarum.

In hoc capite nihil ferè nouum Arist. docet. Vnde ferè omnes quæstiones de materia, imò & de causis hic tractari possent.

Quæst.1. An materia prima omnium rerum generabilium vna sit.

2 Secunda, an materia proxima sit diuersa, & quo modo id debeat intelligi de materia proxima, & quo modo de remota, & qualis hæc distinctio sit.

3 Hæ tractatæ sunt in disp.13. in prioribus sect.

4 Rursus, an rerum naturalium quatuor sint causæ, in disp.12. latè.

5 An finis & efficiens in eandem coincidãt in disp. 27. Præterea, an in substantiis naturalibus incorruptibilibus sit materia, & qualis in disp.13. sect.9. & sequentibus.

6 Ac tandem tractari hìc potest de materiali causa accidentium, quod Arist. in fine capitis attigit, & de ea re disp.14. confecimus. Neque aliquid aliud notatione dignum hìc occurrit.

Caput quintum.

Quomodo materiale principium ad transmutationes deseruiat.

Quæst. In hoc capite celebris esse solet illa sententia Philosophi. *Quæcunque absque eo, quod transmutentur sunt aut non, horum materia non est*: cuius occasione tractari hìc solet quæstio de materia cœli, quia ex illa propositione dici solet cœlos iuxta Philosophi sententiam, materiam non habere, eo, quod transmutari non possint. Sed inprimis Aristotelis sententia aliena est ab hoc proposito. Cùm enim in principio huius capitis dixisset, quædam esse & non esse absq; generatione & corruptione, non loquit in dictis verbis de rebus incorruptibilib', illæ enim nõ sunt ex iis quę põnt esse & nõ esse, sed necessariò sunt: hìc ergo loquit de iis rebus, quæ possunt esse & non esse absq; generatione & corruptione, scili. quę ad illas pse primò sit, cuiusmodi sunt formæ ipsæ. De his ergo dicit in dicta propositione, non habere materiam, sed esse actus materiæ. Ipsa autem composita, quæ materia constant: esse propriè trãsmutabilia per generationẽ & corruptionẽ. Deinde, si illa propositio nudè sumpta, de cœlis etiam sumeretur, intelligenda esset iuxta superiora, scilicet, in illis rebus non esse materiam subiectam transmutationi, sed proportionatam, vt suprà dictum est.

Quæst.2. Circa finem huius capitis attingit Aristoteles quæstionem, An sit regressus ex priuatione ad habitum. Quæ potest intelligi aut de regressu ad eundem numero habitum, seu ad eandem numero formam & sic attingit materiam de resurrectione, quę ab hoc loco satis est aliena: tractauimus autem illam latè in 2.tomo 3.par. & in hoc opere sæpiùs illam obiter attingimus, præsertim disp.5. sect.3. & sequentibus, vbi de principio indiuiduationis agimus.

Vel potest intelligi quæstio de reditu ad eandem formam in specie, & sic non est dubium, quin possit esse regressus, non tamen in omnibus immediatè: nõ enim ex aceto fit immediatè vinum, nec ex cadauere animal, licet ex aëre, & fiat aqua, & ex aqua aer. Et ratio, quam Aristoteles insinuat, & D. Thomas meliùs declarat, est, quia aliquæ sunt formæ, quas æquali ordine & immediatè respicit materia, aliæ verò, quæ certum ordinem requirunt, vt ita vna post aliam in materia introducat, seu vt vna res ex alia vt ex termino à quo generetur. Forma.n. aceti, vel cadaueris naturaliter introduci non potest, nisi post formam vini, vel animalis, & ad recessum eius: & hìc non potest mutari naturalis ordo generationis, vt ex aceto fiat vinum, sicut ex sanguine fit semen: non verò è conuerso, & ideò in his necesse est, vt materia priùs redeat ad elementum, vel ad alias formas, vt iterum tandem disponi possit ad formam eiusdem speciei, cum ea quam amisit.

Caput sextum.

Cur ex genere & differentia, materia & forma fiat per se vnum.

Quæst.1. Totum hoc caput consumit Aristoteles in explicanda hac quæstione, quam suprà etiam tetigit lib.8. cap.12. vbi aliqua adnotauimus, & plura in disp. de materia & forma, præsertim disp.15. sect.1. Neque in eius discussione aliquid aliud Aristoteles docet notatu dignum. Solùm obseruatur, cùm Aristoteles in fine capitis videtur excludere omne medium, vt ex materia & forma fiat vnum, non excludere modum vnionis: id enim impossibile est, vt ostendimus eadem disp.15. sect.6. sed excludere aliam entitatem distinctam à qua sit illa vnitas, & sic est res clara.

2 Obseruetur etiã, quomodo Arist. hìc ait, res simplices & abstrahentes à materia seipsis habere vnitatem & esse vnum quid, confirmans planè expositionem à nobis datam suprà cap.3.

3 Ex doctrina etiam huius cap. confirmari potest, quod de modo determinationis entis ad vniuersalissima genera tradimus disp.3. sect.6.

LIBER NONVS
Metaphysicæ.

De diuisione entis in potentiam & actum.

Celebris est diuisio entis in ens actu, & ens in potentia, seu in potentiam & actum, ex qua solet Aristotelis varias quæstiones dissoluere, vt an quod fit, antea existeret: ait enim præexistere in potentia & non in actu, & proximè in fine superioris libri ex eadem partitione definierat quæstionem de vnitate substantiæ compositæ. Ob hãc ergo causam postquam Philosophus de substantia tractauit in hoc libro prædictam diuisionem declarat. Est autem pro totius libri intelligentia aduertendum, aliud esse diuidere ens in ens in potentia, vel in actu, aliud verò diuidere ens in ens quod est potentia, vel quod est actus; nam prior non est diuisio in entia essẽtialiter diuersa, sed in diuersos status eiusdẽ entis secundũ rationẽ existẽdi: & de hoc sensu pauca dicit Philosoph. in toto hoc lib. illã verò diuisionẽ nos applicamus in disp.31. sect.3. Posterior autem

autem diuisio est secundum diuersas rationes essentiales entium, siue existentium actu, siue in potentia tantùm: vterq; enim status habet locum in vtroque membro, & hoc sensu tractatur à Philosopho in discursu huius libri. Sic autem sumpta diuisio potissimè locum habet in substantia & qualitate, & ideò secundum priorem rationem tractatur à nobis inter disputandum de materia & forma disp. 13. & 15. Posteriori verò modo tractando de qualitatis speciebus, disp.43.

Caput primum.

De variis significationibus nominis potentiæ.

Quæst.1. In hoc capite ferè repetit Aristotel. quæ tradiderat in lib. 5. cap.12. vnde quæstiones ibi tactæ hìc etiam locum habent. Addi verò possunt aliæ, vt an potentia vniuocè dicatur de potentia actiua, & passiua: hìc enim Aristotel. videtur docere dici Analogicè, & de potentia passiua dici per habitudinem ad actiuam. Resolutio verò est, si nomen potentiæ transcẽdentaliter sumatur, Analogicè dici de illis, si verò sumatur vt est species qualitatis, sic dici vniuocè: de qua re agimus latiùs cit. loc. Hìc verò obserua, Aristotelem hoc loco non agere de potentia vt est secunda species qualitatis, sed latè vt comprehendit omnia principia agendi: vnde artem, & alios habitus sæpè potentias nominat.

2 Rursus inquiri potest, An potentia actiua & passiua semper sint distinctæ potentiæ, vt hìc Arist. innuit, vel aliquando in eandem coincidant, vt videtur contingere in potentiis animæ. De qua re dicimus in prædict. disp. 44. sect.1.

3 Cum hac cõiuncta est alia quæstio, an idem possit pati à se ipso: nam Arist. hìc negat his verbis, *Propter quod nullum, prout connaturale factum, ipsum à se ipso patitur.* Quæ possunt inprimis exponi de passione propriè & rigorosè dicta, id est Physica, & aliquo modo corruptiua: ita vt non comprehendant passiones perfectiuas, vt sunt immanentes. Secundò & meliùs expendenda cẽseo verba illa, *prout naturale factũ*: duo enim includere videntur. Vnum est, nihil existens in suo naturali & perfecto statu pati à se ipso aliud est nihil pati à se *prout connaturale factum*, id est, secundum id præcisè quod habet à natura, sed indiget aliquo alio, vt speciebus, vel alia re simili, sed hæc res disputatur latissimè à nobis disp.18.

Caput secundum.

De potentiis rationalibus & irrationalibus.

In hoc cap. solùm agit Arist. de potentia actiua, quam suprà dixerat esse per se primò potentiam, idque facilè patet ex discursu textus, & ex diuisionibus quas tradit, & ex declaratione seu differentia quam subiungit. Quæri ergo primò potest quæ sit potentia vitalis, quæ verò non vitalis: hæc enim diuisio insinuatur à Philosopho cùm ait quasdam esse potentias animæ, alias verò rerum inanimatarum. Quæ diuisio magis spectat ad scientiam de Anima. Et ideò breuiter dicendum est, potentias vitales dici omnes illas, quæ consequuntur animam vt anima est, seu aliquem vitę gradum. Et quia gradus vitę à nobis non concipitur, nec discernitur, nisi per ordinem ad operationem propriam, qua viuens in se ipsum agit vt se actuet, vel perficiatur: ideò potentia vitalis illa est, quæ est principium proximum & intrinsecum operationis vitalis, per quam ipsum viuens se ipsum perficit & actuat. Et in hoc genere potest vlteriùs distingui duplex potentia, vna quæ est proximũ principium, quo viuens se ipsum perficit, non tamen secundum eandem potentiam: alia quæ secundum eãdem potentiam est principium proximum actuandi se ipsum: & hæc est propriè potentia ad actum immanentem, quæ perfectiori modo vitalis est. Et hæc rursus distinguitur in rationalem & irrationalẽ, quã diuisionem expressiùs hìc Aristoteles posuit.

2 Circa quam quæri vlteriùs potest, An dicta diuisio conueniens sit, & quæ sit potentia rationalis, & quotuplex sit. Quæ quæstiones etiam spectant ad scientiam de Anima. Et ideò dicendum est breuiter, Potentiam rationalem appellari omnem illam, quæ consequitur gradum intellectualem vt sic, omnem verò inferiorem potentiam vocari posse irrationalem. Vnde duplex distingui potest potentia rationalis, alia eliciens, vel imperans, alia exequẽs cum subordinatione ad priorem potentiam, & potest vno verbo dici imperatiuè rationalis: iuxta doctrinam Philosophi lib.1. Ethic c.13. Priori modo dicitur rationalis illa potentia, quæ in se rationalis est, elicitq; actum modo rationali. Quæ rursus subdistingui potest, nam quædam est ipsa ratio formaliter seu per essentiam, vt est intellectus, alia est rationalis participatiuè, seu per concomitantiam & regimen, vt voluntas, & de vtraq; loquitur Aristoteles hìc, quia vtraque gradum rationalem sequitur. Vel potiùs de illis videtur Philosophus loqui per modum vnius, quia ex vtraq; completur, veluti vnum adæquatum principium humanarum actionum, quatenus altera quoad exercitium, altera quoad specificationẽ mouet. Potentia imperatiuè rationalis dicitur illa, quæ cum in se rationalis nõ sit, natura sua obedire potest rationi, quo modo Arist. citato loco 1. Eth. appetitum sensitiuum hominis vocat rationalem per participationem, licet sit irrationalis simpliciter, & ad hunc ordinem reduci potest potentia executiua ad extra, quatenus subiacet motioni voluntatis, & rationis, qualis est potentia motiua secundum locum, de qua Philosophus libro tertio, de Anima, cap.9. & sequentibus.

Ex illo verò loco, præsertim text. 41. & 42. oritur specialis dubitatio, quia ibi videtur Arist. reiicere vt insufficientem hanc diuisionem potentiarum, in rationales & irrationales. Respondeti potest primò, illam diuisionem dupliciter dari posse. Primò vt adæquatam potentiarum animæ, & hoc sensu non probari ab Aristotele citato loco: alio modo vt propriam & specialem diuisionem potentiarum hominis seu animæ rationalis, & hoc modo tradi ab Aristotele tam hìc, quàm libro 1. Ethicor. cap.13. Ratio verò differentiæ est, quia potentiæ hominis habent aliquo modo ordinem ad rationem, quatenus omnes in eadem anima rationali radicantur, & ideò possunt conuenienter diuidi per ordinem ad rationem, aut participationem vel carentiam actus. Potentiæ verò brutorum, vel aliarum rerum naturalium non habent ordinẽ ad rationem, & ideò nec rationales nec irrationales propriè dicuntur. Sed hęc responsio non rectè accommodatur huic loco Aristotel. nam apertè sub potentiis irrationalibus includit omnes, quæ naturaliter agunt, & sine ratione. Vnde expressè ponit exemplum irrationalis potentiæ in calore. Item, quia per illam differentiam quasi priuatiuam, scilicet, irrationale, circumscribi potest, modus agẽdi omnium potentiarum naturalium, & vitalium, quæ gradum rationis non attingunt. Non videtur ergo dubiũ quin hæc possit esse adæquata diuisio potentiarũ non solùm in homine, nec solùm in anima, sed ab-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed absolutè in omni agente. Aristoteles ergo in 3. de Anima, non definiendo sed disputando tantùm procedit, vt D. Tho. notat, vel certè non impugnat illam diuisionem vt insufficientem, non absolutè, sed quia non satis erat ad explicandum numerum, & varietatem potentiarum animæ.

3 Tertia quæstio principalis hîc est, an rectè assignetur ab Aristotele discrimen inter has potentias, ex eo quod solæ rationales potentiæ sunt principia contrariorũ: de qua re latè dictũ est disp. 19. in qua de causis liberis & necessariis fusè disserimus, & explicamus quænam potentiæ liberæ sint, & quomodo sint principia contrariarum actionum. Item in disp. 26. sect. 6. tractamus, an eadem causa possit efficere contrarios effectus, & in vtroq; loco hunc Arist. locum explicamus.

Caput tertium.

Potentiam esse separabilem ab actu.

In hoc capite reprobat Aristoteles quorundam sententiam, qui dicebant potentiam non esse, nisi dum actu operatur; quæ tam est absurda, vt per sese statim falsa appareat. Vnde rationes Arist. perspicuæ sunt. Hinc q; sumitur hoc principium, *Potentia præcedit actum suum.* Quod si intelligatur de antecessione secundum naturæ ordinem, est in vniuersum verum, quia cum potentia sit causa sui actus, præcedit illum ordine naturæ. Loquimur. n. de potentia comparata ad actum, qui ab illa propriè manat. Quod aduerto vt excludam potentiam generandi vel spirandi, quæ est in diuinis personis, de qua alia est ratio & consideratio. At verò si intelligatur de antecessione durationis, sic intelligendum est illud principiũ, de possibili, seu indefinitè, non de necessitate, seu vniuersaliter. Potest. n. potentia tum actiua, tum etiam passiua præcedere tempore actum suum: non est tamen necessarium, nec in qualibet potentia, neq; respectu omnium actuum: potentia enim illuminandi non præcedit tempore omnem illuminationem, nec potentia materiæ omnem formam.

2 Ex eodem cap. in fine sumptum est illud vulgare axioma continens definitionem possibilis, scilicet, *Possibile illud est, quo posito in esse nihil sequitur impossibile.* Quod est euidens, si cum proportione sumãtur possibilitas & reductio in actum. Aliquid enim est possibile secundum actum successiuum & non simultaneum, vt continuum diuidi in infinitum est possibile, non ita vt tota diuisio possibilis simul ponatur, sed vt successiuè ponatur, & nunquam finiatur. Sic ẽt aliquid est possibile diuisim, non tamen compositè, vt album fieri nigrum. Si ergo reductio ad actum cũ proportione fiat, manifesta est illa propositio, cuius rationem in seq. cap. magis declarabimus.

Caput quartum.

Non omne quod non fit, possibile esse fieri.

Vt Aristoteles confirmet descriptionem possibilis, quam in fine superioris capitis tradidit, hîc reprobat sententiam eorum qui dicebãt, vnumquodque esse possibile, etiamsi futurum non sit: quod tam est apertè falsum vt nulla egeat refutatione, aut declaratione.

Quæst. 1. Solum est aduertendum, nonnullos ex hac litera Aristotelis colligere, non solùm non omne quod futurum nunquam est, esse possibile, sed etiam omne quod nunquam futurum est, esse impossibile, sed (quod idem est) omne quod possibile est, aliquando esse futurum: quia omne id quod semper non est, impossibile est esse. Et hęc videtur esse expositio Commentatoris hîc text. 8. & 9. quam defendit Iandun. hîc quæstione 5. vt refert & latè impugnat Iauellus quæstione 10. Veruntamen non solùm repugnat menti & verbis Aristotelis, tum hîc, tum etiam aliis locis, sed est etiam euidenter falsa: & repugnans etiam principiis fidei Catholicæ. Primum patet, nam Philosophus hîc, vtrectè Diuus Thomas & alij exponunt, expresè docet quædam quidem esse possibilia quæ nunquam futura sunt, quamquã non omnia, quæ nunquam futura sunt, sint possibilia esse, vel fieri. Et libro 2. de generatione, capite 11. tex. 64. dicit, *Qui iam iam ambulaturus est, facile non ambulabit*: vbi non solùm ait aliquid possibile, sed etiam quod iam est in proposito, vel quasi in vestibulo vt fiat, interdum non fieri. Et ratio est euidens ex principio posito in præcedenti capite, quia potentia potest esse prior tempore quam suus actus: vnde fieri potest vt aliquem actum nunquam exerceat, etiamsi possit. Deinde in effectibus diuinis est hoc non solùm euidens, sed etiam de fide certum: multa enim potest Deus facere quæ nunquam facit: sic enim dixit Christus Matth. 26. *An non possum rogare Patrem meum, &c.* Deniq; ex cõtingentia & libertate aliquorum effectuum vel causarum, necessaria consecutione id sequitur. De qua re latè tractamus disput. 19. sectione 2. & sequentibus. Neq; est verum omne id quod nunquam est, esse impossibile, sed quod ex se & ab intrinseco nunquam est, ita vt careat capacitate essendi.

2 Vltimò considerandum est quod in textu nono Aristoteles infert, scilicet, quando in propositionibus de inesse vnum necessariò infertur ex alio, eodẽ modo sequi in propositionibus de possibili, vt si antecedens possibile sit, etiam & consequens sit possibile. Vt si rectè infertur, currit: ergo mouetur, rectè etiam inferatur, potest currere, ergo potest moueri: quia aliàs si possibile esset currere, impossibile autem moueri, aut possit poni cursus sine motu contra priorem illationem, aut posito in re motu, qui supponitur possibilis, sequeretur aliquid impossibile, scilicet cursus ille qui dicebatur esse impossibilis. Est ergo euidens illud dogma, & in idem ferè incidit, quod Dialectici aiunt, in bona consequentia non posse esse antecedens verum, & consequens falsum, quia sicut ex possibili non sequitur impossibile, ita nec ex vero falsum. Et ratio à priori est, quia consequens virtute continetur in antecedente, impossibile autem est vt possibile virtute contineat id quod est impossibile, aut verum aliquod falsum, quia hoc ipso iam illud non esset possibile, cùm possibile respiciat actum, & non possit respicere actum impossibilem: quia ad impossibile non est potentia: & eadem ratione illud non esset verum cum de ratione veri sit, vt nihil falsum contineat. Item est alia ratio, quia actu esse, necessariò infert possibile esse, cum actus supponat potentiam, & ideò si inter actus est necessaria consecutio, à fortiori etiam inter potentias. Rectè autem aduertit D. Thom. hîc esse sermonem de possibili in communi, vt abstrahit à necessario vel contingenti, quia fieri potest vt in bona illatione de inesse, antecedẽs sit possibile tantùm contingens, cõsequens verò necessarium, vt, si ridet, est risibilis, aut est homo: & ratio est, quia etiam ipse actus abstrahit ab esse necessario, vel contingente: & quia ex proprietate necessaria sequitur actus contingens, qui actus necessariò includit vel supponit potentiam, non tamen sub eadẽ conditione necessarij aut contingẽtis.

Caput

Caput quintum.

De ordine inter potentiam & actum.

Quæst. 1. Hîc primò inquiri potest, an in vno & eodem subiecto actus interdum antecedat potentiã, quod hîc Aristot. affirmare videtur. Sed hæc quæstio facilè dissoluetur, si aduertatur quod suprà notatum est: Aristotelem hîc vocare potentiam omne principium agendi, etiãsi sit ars vel habitus. Hoc ergo sensu constat aliquas potentias, id est, principia agendi supponere actus suos, quibus generantur, sic enim ars & habitus consuetudine acquiruntur. At verò propria naturalis potentia actiua, vel passiua semper supponitur ad actum suum vel tempore, vel saltem natura, nec fieri potest vt in eodem præcedat actus talem potentiam, vt apertè hîc docet Aristot. Et ratio est, quia talis potentia est causa sui actus, & non est effectus illius, nisi forte in genere causæ finalis, quæ causa non præcedit in esse, sed fortasse in apprehensione & intentione, & sic est res clara, quam iterum in cap. 8. Aristot. attingit.

Secundò inquiri hîc potest quo modo potentia reducatur in actum, & quænam differentia in hoc sit inter potentias rationales & irrationales. Sed hæc res latè tractata est disp. 19. Hîc solùm notetur ex hoc loco Aristotelis planè colligi definitionem potentiæ liberæ, quam dicto loco latè declarauimus, scilicet esse illam, *quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere & non agere.* Hoc enim est quod hîc Philosophus ait; *Quoniam verò potest, aliquid potest, & aliquando, & aliquo modo, & quæcunque alia necesse est adesse in definitione*: hæc enim verba æquipollent illi particulæ definitionis prædictę, *positis omnibus requisitis ad agendum.* illa enim omnia ait Aristoteles, & exponit optimè D. Thomas, sumenda esse, seu supponenda, vt aliquid dicatur posse, seu esse possibile simpliciter. De potẽtia autem sic sumpta subdit Aristoteles hanc esse differentiam inter potentias naturales, & liberas, seu (quod idem est) irrationales & rationales, vt ipse loquitur, quod *in prioribus necesse est, vt cùm, quod ad posśmt, passiuum & actiuum approximent, hoc quidem faciat, illud verò patiatur.* De aliis verò ait; *Illas verò non est necesse.* Quod perinde est ac si diceret, potẽtiam liberam talem esse, vt approximata ad agendum cum omnibus requisitis, non necessariò agat, sed possit agere & non agere, & subdit optimam rationem. Quia cùm potẽtia libera sit per se, & ex se potẽs ad cõtraria, si approximata ad generandum ex necessitate ageret, simul ageret contraria, quod est impossibile.

3 Tertiò quæri potest quid determinet potentiam rationalem, vel liberam ad actum: hoc enim in fine huius capitis Aristoteles inuestigat. Et nihil aliud respõdet, nisi hanc potentiam determinari *electione & proposito, seu desiderio quo posito* (supple efficaci & absoluto) *ex necessitate operatur quod potest.* Quod per se satis clarum est. Restabat autem vlteriùs inquirendum quid determinet hanc potentiam ad ipsam electionem: sed de hoc nihil inquisiuit Philosophus, quia nihil esse credidit ampliùs inquirendum, quia hæc potentia sua vi naturali vt actu primo (loquor in naturalibus & moralibus electionibus, ac per se loquẽdo) & ipsamet volitione seu electione, vt actu secundo sese determinat ad volendũ & eligẽdum; nam volendo eligit, & eligendo vult: non tamen se sola seu sine concursu & auxilio superioris causæ requisitæ: hoc enim semper supponitur. Quam sententiam attigit Soncin. 5. lib. 9. Metaphysicæ, quæst. 14. eamque non improbat, sed defendit, putatque esse consentaneam doctrinæ Philosophi hoc loco. Postea verò ipse addit, ad hanc determinationem saltem quoad specificationem concurrere iudicium intellectus, sed quo sensu id verum sit, & an hæc determinatio sui ipsius sit ipsi potentiæ liberæ tribuenda, latissimè tractauimus in dicta disputatione 19. tam comparatione iudicij intellectus in sect. 6. quam comparatione diuini concursus in sect. 4. & disp. 27. sect. 2. 3. & 4.

Caput sexturn.

Quinam actus sit.

In hoc capite nulla occurrit quæst. alicuius momenti: Solùm notetur, Aristotelem hîc non tam explicare quid sit actus, qui propriè respondet potentiæ actiuæ aut passiuæ, quam absolutè quid sit esse in actu, prout distinguitur ab esse in potentia. Et hoc modo esse in actu latissimè patet, & est veluti transcendens quoddam, & ideò ab Aristotele non declaratur definitione, seu exemplis, & inductione quadam, quia vix potest definitione hoc explicari, nisi vtendo ipsomet actu ad id explicandum: nam esse in actu non est aliud, quam actu seu de facto habere id quod erat in potentia. Itaque si esse in actu distinguatur ab esse in potentia, nihil est aliud, quàm actu existere, de quo quid sit dicimus latè disp. 31. Si verò *in actu* dicatur de potentia actiua, idem est, quod actu operari. Si de passiua, idem erit quod actu recipere seu informari. Quæ omnia exponuntur à nobis partim disp. 43. vbi de potentia actiua & passiua, & actibus earum agimus, partim disp. 48. & 49. vbi agimus de actione & passione, quæ sunt immediatiores actus harum potentiarum.

Caput septimum.

Quando dicatur res propriè esse in potentia.

In hoc etiam capite nihil occurrit notatione dignum: solùm enim docet Philosophus tunc rem dici propriè & absolutè esse in potentia, cùm est in potentia proxima, ita vt per vnius agentis effectionem possit reduci ad actum. Quãdo verò est solùm in potentia remota, non dicitur propriè & absolutè esse in potentia, vt aqua non est in potentia homo vel equus, simpliciter loquendo, imò nec sperma (ait Aristoteles) quia multis transmutationibus indiget vt inde fiat homo. Quæ omnia solùm ad modum loquendi spectant; nam res per se satis constat.

Deinde verò declarat quo modo materia dicatur de re, & docet prædicari denominatiuè, non abstractè seu essentialiter, dicitur enim lignum aereum, non aer, & arca lignea, non lignum. Et ratio est clara, quia pars non prædicatur de toto, nisi denominatiuè, quia non prædicatur per modum totius, quia id quod afficitur tali denominatione est ipsum totum. Quare hîc nulla relinquitur quæstio, quæ alicuius momenti sit.

Caput octauum.

Actum esse priorem potentia.

Quæst. 1. Primò inquiri potest, an actus sit prior potentia definitione, seu ratione & cognitione, vt hîc Arist. docet. De qua re ex professo agimus, disp. 43. sect. vlt.

2 Secundò, an actus præcedat tempore naturalem potentiam, saltem secundum speciem, seu in diuersis subiectis. Hæc etiam quæstio tractata est ibidem.

3 Vltimò

Universidad de Deusto
Biblioteca

3 Vltimò, an potentia quæ vsu acquiritur, id est, habitus, sit posterior tempore suo actu: & quomodo per illum generetur, quod etiam cap.5. tactum est, de qua re diximus disp.44. quæ est de habitibus.

Caput nonum.

Actum esse priorem substantia seu perfectione, quàm potentiam.

Quæst.1. Prima quæstio, & in hoc capite directè intenta est, an actus sit perfectior quam potentia. Hæc tractatur disp.43.sect.vlt.

2 An posteriora generatione, sint perfectiora. Hãc propositionem assumit hoc loco Aristoteles vt principium, ex quo infert actum esse perfectiorem potentia. Cuius principij sensus verus est, quando aliquid ita est generatione prius, vt ad posterius ordinetur tanquam via ad terminum, vel tanquam id, quod inchoatum est, ad id quod est consummatum, tunc quod est posterius, esse perfectius: & hunc sensum declarant exempla Aristotelis de viro & puero, & de semine & homine. Et ratio etiam quam subdit dicens; *Illud enim* (scilicet quod posterius est generatione) *iam habet formam, hoc verò non*: id est, illud productum est ad terminum & cõsummationem comparatione alterius. At verò quando aliquid est posterius generatione tanquam quid consequens & dimanans ab alio, vt passio seu proprietas respectu formæ, tunc non oportet vt sit perfectius, vt per se constat. Nisi fortè ita fiat comparatio, vt quod posterius est, includat id quod est prius, & addat aliquid: sic enim perfectior est anima suis potentiis affecta, quàm in sua nuda substantia: & sic est res clara.

3 Quæstio hìc tractari poterat de distinctione duplicis finis in eum, qui est operatio tantùm, vel qui est aliquid factum. Sed hanc diuisionem sufficienter attingimus in disp.23.sect.2.

4 Quartò hìc occurrit quæstio de differentia, quam hìc Aristoteles tangit inter actionem immanentem & transeuntem, quòd illa in agente manet, hæc verò in patiente recipitur: de qua re inter explicandum prædicamentum actionis latè tractamus disp.48.sect.2.

5 Quintò ex hoc capite sumpta est quædam vulgaris propositio, *Omnis potentia simul contradictionis est*, seu vt communiter circumfertur, est potentia contradictionis. Cui difficile est verum ac doctrinalem sensum tribuere. Nam inprimis, vt Diuus Thomas notat, videtur non posse intelligi de potentia actiua: quia suprà dictum est ab eodem Philosopho, non omnem potentiam actiuam esse oppositorum, sed rationalem tantùm. De potentia etiam passiua non potest esse vniuersaliter vera, maximè in doctrina eiusdem Philosophi: quia materia cœli est potentia ad formam, & tamen non est potentia contradictionis, quia non est subiecta priuationi, nec est in potentia ad repugnantem formam. Et cœlum ipsum habet potentiam & motum, & tamen iuxta doctrinam Philosophi, non est in potentia contradictionis, quia non potest quiescere. Quod si quis dicat, Aristotelem loqui de potentia, quæ est coniuncta, vel subiecta priuationi, hoc, sensu erit planè inepta & quasi identica propositio, nihilque ad doctrinam deseruiens. Perinde enim est, ac si diceretur, potentiam ad habitum & priuationem esse potétiam contradictionis.

Dicendum verò est, Aristotelem apertè loqui de potentia, quæ simul includit esse in potentia, quæ non dicit solam potentiam receptiuam, quoad positiuam entitatem & capacitatem eius, sed includit etiam statum in quo dicitur esse in potentia & carere actu. Hanc verò esse Aristotelis mentem perspicuum est: nam hoc sensu ait; *nihil potentia æternum esse*, quod aliter verum non esset (iuxta eius sententiam) de de materia vel quantitate cœli aut intellectu, vel voluntate Angeli. Rursus ait in cœlo non esse potentiam ad moueri absolutè: quod etiam esset plane falsum, si de sola potentia receptiua quoad eius positiuam rationem sermo esset: loquitur ergo de potentia vt includit esse in potentia. Et hoc modo potest intelligi non solùm de potentia passiua, sed etiam de actiua. Quod ipsemet inferiùs videtur declarare, cũ ait, potentias rationales per se esse potentias contradictionis, id est; quæ possunt agere & non agere: potentias autem irrationales, *solum quia adsunt & absunt*, id est, solùm, quia possunt esse & non esse applicatæ: sic enim possunt interdum agere, interdum non agere, quem locum exponimus disp.26. sect.4. num.14.

Quòd verò in hoc sensu sit nimis clara expositio, non obstat, tum quia in rigore non est identica, tum etiam quia in eo deseruit intentioni, seu discursui Aristotelis quo vult concludere, rem in actu esse perfectiorẽ potentia; nam ob hãc causam res æternæ in actu sunt, & non in potentia. Dici etiam potest hoc ampliùs explicando, potentiam quæ non solùm est ad formam recipiendam, sed etiam ad propriam actionem, vel passionem, esse potentiam contradictionis, vel simpliciter respectu totius mutationis, seu formæ, vt in potentia ad generationem, vel saltem secundum partes diuersas, vt in potentia ad localem motum cœli iuxta sentẽtiam Philosophi, & sic nullam patitur exceptionem propositio. Et ratio est, quia nulla potentia receptiua, quæ per propriam actionem potest recipere actum suum, secũdum Aristotelem habet illum ex æternitate congenitum, & immutabilem: nam potentia, quæ huiusmodi est, non actuatur per propriam actionem, sed concreatur coniuncta suo actui, & natura sua determinata est, vt sub illo semper sit. Quod quidem ita existimauit Aristoteles esse verum in rebus incorruptibilibus, vt eas propterea æternas esse crediderit: & in hoc sensu negat in eis esse potentiam, id est, quæ possit esse in potentia, & carere actu simpliciter loquendo.

Iuxta veram autem doctrinam dicendum est, res omnes creatas ex se & absolutè consideratas, esse potentiales seu in potentia tantùm, non passiua, sed actiua creatoris, cum non repugnantia ex parte earũ: res autẽ incorruptibiles hoc habent speciale, vt postquam creatæ sunt, ex se non habeant potentiam intrinsecam ad non esse, & hoc modo est verum illas non habere potentiam contradictionis, quantum ad illud esse in quo sunt incorruptibiles. Inde tamen nõ sequitur illas esse æternas à parte ante, quia vt absolutè sint, pendent ex libera Dei voluntate.

6 Vltimò posset hìc disputari, an secundum Arist. detur plura entia per se necessaria, & puri actus absque vlla potentia: id enim videtur hoc loco significare, cùm ait, *Ea quæ necessaria sunt*, non esse in potentia, quia illa sunt prima entia; *Si enim ipsa non essent, nihil esset profectò*. Sed de hac re latè disserimus disp.30. sect.2. & disp.35. sect.1. Quod verò ad hunc locum attinet, D. Thom. & alij illum exponũt de complexionibus necessariis ex sola essentiali vel intrinseca connexione prædicati cum subiecto, quę etiam in entib⁹ corruptibilib⁹ reperiuntur. Et quatenus necessaria

sunt, non sunt in potẽtia, sed semper in actu, quoad veritatem seu essentialem connexionem. Quòd si quis velit Aristotelem intelligere de substantiis, & rebus necessariò existentibus, de quibus sanè loqui videtur, dicat, vel doctrinaliter locutum fuisse plurali numero, non definiens an talia entia sint plura, vel vnum tantùm, ac si diceret quæcunque illa sint, esse in actu & non in potentia. Vel certè, sicut posuit plura entia æterna, ita etiam posuisse plura necessaria, non tamen æqualiter, sed vnum ex se necessarium, alia ex necessario influxu alterius, seu per necessariam emanationem ab alio.

Caput decimum.

Actum esse meliorem potentia in bonis, secus in malis.

Hìc videtur Aristoteles limitare conclusionem superioris capitis, nimirum, actũ esse perfectiorẽ potentia, dicitque intelligendum esse quando actus est bonus potentiæ, non verò si sit malus.

Quæst.1. Circa quam assertionem non parua difficultas occurrebat, an id intelligendum sit tantùm de actu bono & malo in moralibus, vel etiam in naturalibus. Et si hoc posterius verũ est, an id sit intelligendum respectu potentiæ passiuæ, vel tantùm respectu actiuæ. Hæc verò omnia tractantur dicta disput.43.sect.vltima.

2 Obiter etiam hìc attingit Aristoteles quæstionem de malo. An sit aliqua propria natura, vel quid in rebus sit. De qua re instituimus propriam disputationem, quæ est vndecima.

3 Item attingit quęstionem, An in rebus incorruptilibus malum esse possit. Aristoteles enim hìc absolutè negat: quia & malum omne est quædam corruptio, & corruptio quoddam malum. Optimè verò id expedit D. Thomas vno verbo, id esse verum de incorruptibilib. formaliter quatenus incorruptibilia sunt: nã vt sic nõ possunt priuari esse: malum autem non est nisi cum priuatione aliqua. Nihilominus ea, quæ sunt incorruptibilia in substantia, possunt esse mutabilia in accidentibus, motibus, aut actibus, & vt sic potest in eis habere locũ aliquis modus corruptionis physicæ, seu secundum quid. Similiter quæ sunt indefectibilia in naturalibus, possunt in moralibus habere defectum, & vt sic potest malũ morale habere locum in incorruptibilibus: quæ res à Theologis disputatur copiosiùs, aliquid tamẽ attingimus disp.35.sect.5.

Caput vndecimum.

Actum esse priorem cognitione quàm potentiam.

Hanc conclusionẽ declarat hìc Philosophus exemplo geometriæ, in qua, reducendo in actum, per diuisionem id, quod in potentia continetur in lineis continuis, peruenitur ad cognoscendas veritates geometriæ: & circa textum quidem nihil notatu dignum occurrit: conclusio autem ipsa dicta disp. 43. sect.vlt. declaratur.

Caput duodecimum.

De veritate & falsitate, quomodo sint in simplicium cognitione.

Vt caput hoc connexionem habeat cum præcedentibus, ait D. Thomas hìc, in eo ostendere Philosophum, veritatem in actu potiùs, quàm in potẽtia reperiri. De qua re nihil ferè in textu legitur. Vnde verisimile est Aristotelem digressionem facere, & redire ad tractandum aliquid de ente vero. Tribus enim distinctionibus entis præcipuè vtitur in toto hoc opere, scilicet, entis per se (omisso ente per accidens) in decem prædicamenta: entis in actu vel potentia: & entis veri, vel non entis falsi. Quoniam ergo de primis duabus dixerat in his tribus libris 7. 8. & 9. licet ens verum, simul cum ente per accidens excluserat lib.6. à consideratione huius scientiæ, nihilominùs in hoc capite breuiter ad illud redit, præsertim vt declaret quomodo in simplicium cognitione veritas inueniatur: hoc enim in 6. lib. omnino prætermiserat. Et in primis repetit quod 6. libro dixerat, scilicet, veritatem & falsitatem in compositione reperiri. De qua sententia multa dubitari possũt, quæ tractata sunt disp.8.sect.1. vsque ad 6.

2 Vlteriùs autem quæritur, an veritas compositionis sumatur ex compositione rerum, vt Aristoteles significat. Sed res est clara, non enim est sensus compositioni mentis, vt vera sit, debere correspondere compositionem in re, sed vnionem & coniunctionẽ extremorum, quę per compositionem mentis significatur. Quanquã enim mens nostra, non enuntiat esse vel non esse, nisi realiter componendo suos conceptus simplices, non tamen attribuit rei conceptæ illum compositionis modum, sed rem in se simplicẽ intelligit per modum compositæ. Veritas ergo cõpositionis mentis fundatur in vnione vel identitate quam extrema compositionis habent in re, siue illa sit absoluta identitas & simplex, siue vnio cum aliqua compositione. Nisi fortasse in ipsamet compositione mentis exprimatur modus identitatis, vel vnionis: vt si dicas. Bonitas Dei est eius sapientia, vel aliquid eiusmodi; tunc enim necesse est vt talis modus identitatis correspondeat in re ipsa inter extrema, qualis per copulam significatur.

3 An eadem propositio possit esse vera & falsa, nõ quidem simul: hoc enim modo certum est absolutam veritatem, dum inest excludere omnem falsitatem: quod tactum est in dis. 9. sect.1. sed successiuè, nam Aristoteles hìc affirmat, & non caret aliqua difficultate: tamen sententiam Aristotelis defendimus dis. 8. sect.2.

4 An in simplicium intelligentia sit aliqua veritas, dictum est disp.8.sect.3. & suprà in fine lib.6, nõnulla notata sunt pro huius capitis expositione.

5 An in simplicium intelligentia sit aliqua falsitas propria, & quo modo per accidens interueniat: disput.9. sect.1.

6 An intellectus humanus possit quidditates substantiarum immaterialium cognoscere. Aristoteles enim ait habere ignorantiam earum nõ vt negationem, sed vt priuationem: significans habere intellectum humanum potestatem consequendi illam cognitionem. Et ita D. Thomas hìc notat, Aristotelem in hoc loco definiuisse affirmantẽ huius quæstionis partem, quam indecisam reliquerat lib. 3. de anim. textu 36. Sed si quis rectè consideret, Aristoteles in 3. de anima, loquitur de intellectu coniuncto: vt autem vera sit huius loci sententia, quod ignoratio, quam nunc habemus de essentia substantiarum materialiũ, est ad modum priuationis, satis est quod in nostro intellectu secundum se sit capacitas naturalis ad illam cognitionem, etiamsi propter impedimentum sensuum non possit in hac vita experi. Quapropter ex præsenti sententia non omnino habetur resolutio illius quæstionis propositæ in 3. de anim. Vnde D. Thomas ibi affirmat nullibi esse ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aristotele definitam. De ea verò dicimus latè disp. 35. sect. 2.

7 Obiter etiam hîc quæri potest, an ex sententia Aristotelis omnes substantiæ immateriales sint ex necessitate entia in actu: & an rectè intulerit, si sint in potentia, esse generabilia & corruptibilia: in hoc enim videtur Aristoteles profiteri se non agnoscere alium productionis modum, & indicare omnia incorruptibilia esse necessariò entia in actu. Sed de hac re disputamus latè Disp. 20, sect. 1. & Disp. 30. sect. 2. disp. 35. sect. 1.

LIBER DECIMVS
Metaphysicæ.

De vnitate ac multitudine, eorumque oppositione ac differentiis.

Quamuis lib. 4. & 5. nonnulla dixerit Aristoteles de vno, tamen quia semper illud annumerauit enti, tanquam præcipuam eius proprietatem, hoc loco redit ad eius considerationem, eamque fusiorem, magisque elaboratam tradit in toto hoc libro. Omnia tamen quæ ad illum pertinent, traduntur à nobis in disput. 4. vsque ad 8. & in disput. 40. & 41. In prioribus enim agimus de vnitate & multitudine transcendentali, in posterioribus de numero quantitatis & vno illi proportionato, & ideò circa textũ pauca notabimus.

Caput primum.

De ratione vnius in communi.

In hoc capite repetit Aristoteles quæ libro 5. cap. 6. dixerat, videantur ibi notata: nihil enim addendum occurrit.

Caput secundum.

Rationem mensuræ per se primò vnitati quantitatis conuenire.

Quæstio 1. Quæri solet hoc loco, an primum in vnoquoque genere sit mensura cæterorum: supponitur enim Aristotelem in principio capitis id affirmare, cuius verba hæc sunt.

Maximè autem mensuram esse cuiusque generis, primam & maximè propriè quantitatis: hinc enim & ad alia aduenit. Quæ dupliciter legi possunt, & exponi. Primò vt hîc notata sunt, ita vt illa dictio *primum*, non sit nomen, sed aduerbium: vnde planus sensus est, esse mensuram in quolibet genere, primò & propriè cõuenire quantitati, & fauet subiuncta probatio, scilicet, quia alia non mensurant, nec mensurantur, nisi per quandam proportionem ad quantitatem: hanc enim vim habent illa verba; *hinc enim & alia aduenit.* Et totus discursus capitis ad hoc tendit. Secundò legi possunt illa verba, ita vt *primum*, nomen sit, & ibi fiat diuisio, scilicet, *Maximè autem mensuram esse cuiusque generis primum*. supple dicimus, & deinde addatur, *& maximè propriè quantitatis*. Et ita ex prioribus verbis sumptum est illud axioma, Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, quod est facile, ac verum, si rectè intelligatur.

Aliqui enim ita exponunt, vt per illud significetur, omnia quæ sunt in aliquo genere participare suam perfectionem ab eo, quod est præcipuũ & primum in illo genere: & ideò natura sua per illud mẽsurari, tanquam per mensurã extrinsecam maximè accõmodatam. Sed licet hoc interdum ita sit, vt v. g. quando illud primum est tale per essentiã, & reliqua per participationẽ; tunc enim illud primũ est dicto modo mensura quasi à priori (vt sic dicam) cęterorum; non tamen id est in vniuersum necessariũ, nec ab Aristotele alicubi assertum, vt lib. 2. tex. 4. notatũ est. Quapropter vt sit generale pronunciatum, intelligendum est de mensura extrinseca, nostro modo cognoscendi accommodata, & siue sit causa, siue non, & siue sit à priori, siue solum ex quadam debita & necessaria proportione. Sic enim rectè colligimus, quod magis accedit ad id quod est perfectissimum in aliquo genere, esse etiam perfectius: subintelligendum est autem, cæteris paribus, ac simpliciter, & non tantùm secundum quid, vt legitimè accommodetur mensura: & sic est res facilis, nec maiori indigens discussione.

Quæst. 2. Quæstiones igitur huius loci propriæ ad tractatum de quantitate spectãt. Nimirũ, An ratio mensuræ sit ab Arist. tradita, quam explicamus Disp. 40. sect. 3.

3 Rursus an ratio mensuræ primò ac propriè in quãtitate reperiatur: in aliis verò quasi secundario & per analogiam: id enim est quod Arist. hîc sentire videtur: dictum est autem de ea re disput. 5. sect. 6. num. 4 & latiùs disput. 40. sect. 3.

4. Altera quæstio est an ratio mensuræ per se primò vnitati seu vno conueniat, vt etiam Arist. significat, & quo modo dictum hoc cum priori conueniat, quandoquidẽ vnum, quantitas non est, sed principium numeri, vt statim hîc dicitur: de quo disp. 40. sect. 3.

5 Quo modo verum sit, vnum esse principiũ numeri, & de quo vno id accipiendum sit: disp. 41. sect. 2.

Caput tertium.

Prosequitur Philosophus eandem materiam.

1 In hoc capite quęri solet an mensura esse debeat homogenea, eiusdem generis cũ re mensurata: hoc enim addit Aristoteles in hoc capite. Habet tamen facilem solutionem: sensus enim Aristotelis nõ est, mensuram & mensuratum debere esse semper eiusdem generis propriè sumpti. Nam Primum ens est mensura cæterorũ, & cum illis in genere non conuenit. Est ergo sensus, inter mensuram & mensuratũ debere esse formalem conuenientiam, nam si omnino sint æquiuoca, & solo nomine conueniant, non poterit vt ũ per accessũ ad aliud mensurari: nã erunt omnino diuersa: hæc autẽ conuenientia interdũ est tantùm analoga, vt inter Deũ, & alia entia, interdũ est generica, vt inter albedinem & reliquos colores. Additq; Alensis hîc, nõ posse esse specificã, quia indiuidua sunt eiusdẽ rationis, & ideo nõ est maior ratio cur vnũ sit mensura, quã alia. Veruntamen hoc solũ procedit de indiuiduis quatenus æqualia sunt: quatenus verò inæqualia esse possunt, põt quod perfectissimũ fuerit, vel maximè vnũ, esse mẽsura cæterorũ, vel in intensione, vel in duratione, vel etiã in singulari perfectione: si in hac põt esse inæqualitas inter indiuidua eiusdẽ speciei. Procedit etiã de mensura ex natura rei: nã secudum humanã accommodationem sumi potest quantitas vnius indiuiduj ad aliam similem mensurandam.

2 Altera quæstio, vel propositio hîc notanda est. An scientia ex reb. vel res ex scientia mensurẽtur. Arist. enim hoc posteriùs affirmare videtur in illis verbis, *At scientiã quoq; & sensum mensurã rerũ dicimus esse.* Sed nõ intelligit esse mensurã obiectorum, sed rerũ, quas per mensuras cognoscimus, nam applicando ad sensum vel intellectum ipsam mensurã, fit mensuratio. Quod patet ea ratione quam subdit, dicens *propterea quia per ea aliquid* cognoscimus. Sicut ergo 4. Phys. c. 14. animam vocauit Aristoteles numerum numerantem partes motus, ita hic vocauit scientiã, & sensum mensuram mensurati. At comparatione obiectorum subdit statim Philosophus. *Atqui mensurantur magis quam mensurent.* Hæc enim verba Diui Thom. & omnes referunt ad mensurationẽ cognitionis ex obiecto. Quamuis Aristoteles solum explicare voluerit in ipso etiam actu mensurandi, vnam quantitatem per aliam etiam ipsam scientiã & sensum mensurari, quia mensurando rei quantitatem, simul mensuratur cognitio, quæ de illa quãtitate habetur, quatenus illam repræsentat. De illa verò quęstione, scilicet, de mensura veritatis, videri possunt dicta in disp. 8. de verit. vbi diximus, veritatẽ nostræ scientiæ ex rebus mensurari, & non è conuerso: sciẽtiam autem Dei esse mensuram rerum, & ab eis non mensurari: & declarauimus quid discriminis in hoc sit inter naturalia & artificialia respectu humani intellectus; & inter res secundum esse essentiæ, & secundum esse existentiæ respectu diuini.

Caput quartum.

Vnum non esse substantiam à rebus indiuiduis separatam.

Præcipuè hîc quæri solet an detur vnum ens primum quod sit mensura cæterorum, vel vna substãtia quæ sit aliarum mensura. Veruntamen quod ad mentem Aristotelis attinet sciendũm est, ipsum in hoc capite directè non tractare an detur vna substãtia quæ sit mensura cæterarum, vel vnum ens primũ quod sit omnium mensura; vix enim aliquid de hac quæstione in toto textu reperitur: & Diuus Thom. qui optimè exponit, nullam ferè de hac re mentionem facit. Sed tractat Philosophus quæstionem cũ Platone, an ipsum vnum sit substantia quædam abstracta quæ non habeat aliam naturam nisi vnitatẽ, & ex professo probat non dari talem substantiam, quæ sit ipsum vnum; quod est euidentius, quàm vt probatione indigeat: neque existimo tale vnum à Platone vnquam excogitatum. Hinc ergo cõcludit Aristoteles, quòd sicut in quantitate, qualitate & aliis rebus, vnitas nihil aliud est, quam entitas vniuscuiusque rei indiuisa, ita etiam in substantiis. Ex quo tandem obiter infert, quòd, sicut in coloribus datur vnus primus color, ita in substantiis vna substantia, quæ non erit aliquid separatum, sed singularis aliqua substantia.

Hinc sumpserunt expositores occasionẽ quærẽdi, quæ sit hæc substantia vna. Et Scotus hîc quem transcripsit Antonius Andr. quæst. 1. lib. 10. dicit nõ esse Deum, sed primam intelligentiam, quia hæc est in genere substantiæ, non verò Deus. At verò Commentator, & latiùs Alex. Alens. declarant esse Deũ. Sed lis ferè est de nomine & parui momenti.

Non est enim dubium quin Deus sit extrinseca mensura omnium multò altiori modo quàm possit esse intelligentia: Primò, ratione summæ perfectionis suæ, simplicissimè, & eminentissimè continentis õnes perfectiones. Secundò, ratione ipsarũ rerũ omnium, quas in se habet. Tertiò, quia omnia ẽtia sunt entia per analogiam ad hoc ens, & per participationem eius: & omnes substantiæ creatæ similiter sunt participationes huius substantiæ & non alterius. Quartò, quia si sit sermo de mensura secundum se, sic constat, Deo maximè conuenire quia est maximè indiuisibilis, immutabilis, & perfectus: si quoad nos, nobis etiam est notior, quàm prima intelligentia. Neque oportet, vt Deus sit propriè in genere, sed satis est vt habeat conuenientiam aliquam formalem, vt præced. cap. dictum est.

Si quis autem velit assignare mensuram intrinsecam substantiarum cõtentam in prædicamẽto substantiæ, non est dubium quin prima intelligentia possit eam rationem subire. Nam habet perfectionem tali muneri accommodatam, scilicet, vt per comparationem ad illam, cæterarum perfectio mẽsuretur & cognoscatur. Item suprema species in toto genere animalium, vel viuentium, vel corporum, potest esse mensura omnium specierum sub tali genere contentarum, seruata proportione, ergo & prima species totius generis substantiæ poterit esse reliquarum mensura. Dices, Mensura secundum Aristotelem debet esse minima: perfectio autem Dei vel angeli non est minima, sed magna, vel infinita, ex qua parte magis repugnat Deo ratio mensuræ, quia infinitè, atq; ita æqualiter superat omnia. Respondetur, Mensura quanta debet reduci ad minimam aliquam quantitatem, vt sit aliquo modo indiuisibilis: tamen mensura perfectionis non debet esse minima sed summa, maximè autem indiuisibilis & simplex. Infinitas verò nõ obstat, quia inæqualiter à creaturis participatur: & ita ex parte earum est inæqualis accessus ad illam Dei magnitudinem; & hoc modo per illam mensurantur.

Caput quintum.

De oppositione inter vnum & multa.

1. Prima quæstio hîc est quomodo vnum & multa opponantur, quam breuiter tractamus disput. 5. sect. 6.

2 An vnum sit prius multitudine, & diuisio indiuisione. ibid. sect. 7.

3 An idem & diuersum adæquatè diuidant ens, & quomodo opponantur, disp. 7. sect. 3. & inde cõstat, quid sit dicendum de simili, & dissimili; æquali, & inæquali: hæc enim omnia eandem proportionem seruant.

4 Quo modo intelligenda sit illa propositio, *Ea genere differunt, quorum non est materia vna*, Disput. 35. sect. 2.

5 An genera diuersorum prædicamentorum dicenda sint propriè differre, vel esse diuersa. Aristoteles enim hîc primum insinuat, ac communiter cẽsentur primò diuersa. Sed de hac re satis disputat. 32. sect. vlt. disputatio 39. sect. vlt. nonnihil disp. 4. sect. 1. & 2.

Cætera quæ de diuersitate ac differentia hîc dicuntur, à Philosopho sufficienter tractantur: & insinuata etiam sunt suprà lib. 5. capite 9. & 10.

Caput sextum.

De contrarietate.

Hinc ad finem vsque libri agit Aristoteles de oppositis, & præsertim de cõtrarietate quæ res parum difficilis est, & ferè dialecticorum propria: & ideò pauca in hoc opere de oppositis disputamus. Ea verò, quæ necessaria visa sunt, inter disputãdũ de qualitate, in quo solo genere propria cõtrarietas reperitur, dicta sunt, disp. 45. per totã. Oppositio verò relatiua in disp. de relatiuis quæ est 47. proprium locũ habet. De negatione autem & priuatione in vltima disputatione de entibus rationis dicimus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæstio 1. In hoc ergo cap. disputari posset primò de illa propositione, quæ in principio capitis supponitur, *Vbi datur maior & minor distantia, datur etiam maxima seu summa.* Videtur enim non esse in vniuersum vera, nam in numeris est maior & minor distantia: magis enim distat binarius à quinario, quàm a ternario: & tamen non datur maxima. Idem est in figuris, & in speciebus rerum substantialium: magis enim distãt inter se homo & leo, quàm leo & equus: & tamen nõ datur maxima distantia, quia data quacunque specie perfecta potest dari perfectior. Item non sequitur, datur maior & minor distantia, ergo potest dari minima: ergo nec sequitur dari maximã. Patet antecedens, quia inter extrema maximè distãtia possunt in infinitum multiplicari media magis & minus distantia, ita vt nunquam perueniatur ad vltimum quod minimè possit distare ab extremis, vt calor summus & minimus in intensione (supposito quod dentur) maximè distant, & dantur inter hos quidam magis, alij minùs distantes, & tamen nullus datur calor distans à summo qui minimè distet. Denique in quantitate datur maior & minor pars, & tamen non datur maxima aut minima; & ideo dari potest maior vel minor inæqualitas, non tamen maxima.

Respondeo argumenta conuincere consecutionem non esse formalem, sed solum in iis tenere in quibus non datur processus in infinitum. Supponit autem Philosophus de facto non dari hunc processum in speciebus rerum, aut qualitatum; & ideo nõ probat specialiter illationem; sed tanquam certum sumit, sicut datur in qualitatibus, v.g. maior & minor distantia, ita etiam dari maximam. Quod inductione, & experientia confirmat ex proximis terminis mutationũ, quæ fiunt inter aliquos vltimos terminos, & maximè distantes. Denique secluso processu in infinitum, quia solum datur aut in rebus possibilibus, de quibus nõ est sermo, aut in diuisione continui, vel aliqua proportione quæ inde resultet, vt ferè in omnibus exemplis adductis fit; secluso (inquam) hoc processu, optima est illatio. Vnde D. Thom. in Commentario non aliter eam probat, nisi quia non datur processus in infinitum. Et eodem modo inferri potest dari minimam distantiam, si versus alterum extremum nõ detur ille processus.

Et preterea ex vi illationis, non infertur dari maximam distantiam positiuè, sed negatiuè tantùm, id est aliquam, qua nulla sit maior: hoc autem euidenter infertur ex eo quod non proceditur in infinitũ. Quòd verò illa sit tantum quæ cæteris sit maior, & quòd sub eodem genere non possint dari duæ distãtiæ specierum inter se repugnantium seu oppositarum æquè distantium, non potest satis colligi ex illo antecedente, neque ex negatione processus in infinitum, vt per se constat. Fortasse verò ad contrarietatem sufficit distantia maxima illo modo: tantum enim distare videtur iustitia ab iniustitia, sicut temperantia ab intemperantia: & vtraque distantia est sub genere habitus moralis. Et sub genere vitij tantum distat prodigalitas ab auaritia, sicut temeritas à pusillanimitate. Itaque licet in vna veluti linea & latitudine, extrema maximè differant, non tantùm negatiuè, sed etiam positiuè comparatione mediorum; tamen secundum diuersas lineas, & considerationes possunt esse plures distantiæ maximæ, etiam sub eodem genere prout ad contrarietatem sufficit, vt declaratum est.

2 Secundò potest inquiri an bona sit definitio cõtrarietatis quæ ex hoc capite sumitur, scilicet, est, *Maxima distantia eorum quæ sub eodẽ genere maximè differunt, & ab eodem subiecto se expellunt.* Ita enim ferè omnes expositores definitionem colligunt: & ita cẽsendus est Aristoteles alias definitiones, quas hìc refert, probare, vt huic æquiualeant. De quo Disput. 45. dictum est.

3 Vbi etiam tractamus quæstionem illam an contrarietas in solis qualitatibus reperiatur: quoniam definitio videtur etiam aliis conuenire nisi aliquid subintelligatur.

4 Item an vni vnũ tantum cõtrarium sit, & quomodo media opponantur extremis, & inter se.

5 Præterea quomodo extremè contraria sint in mediis, vel possint esse simul in eodem subiecto.

6 Et ea occasione ibid. agitur de cõtrariorum permistione: De eorum verò intensione & remissione agimus in Disp. 46.

Caput septimum,

De differentia inter contrarietatem & alias oppositiones.

In hoc cap. nihil ferè occurrit notatione dignum. Nam quod Aristoteles ait, primam contrarietatem esse habitum & priuationem, hunc habet sensum, omnia contraria esse aliquo modo priuatiuè opposita, & illud esse quasi radicẽ suæ oppositionis. Duobus autem modis potest intelligi in cõtrarietate includi priuatiuam oppositionem, scilicet, vel quia vnum contrarium infert priuationem alterius, vel quia vnum est imperfectum & deficiens respectu alterius: & ideo ad illud per modum priuationis cõparatur: & vtrumque verum est, hoc autem posterius magis intendit Philosophus.

Quod etiam hìc dicitur inter priuatiuè opposita dari medium, ita intelligendum est, vt in ipso medio recedatur à proprietate priuationis: datur enim medium tum formæ, tum etiam aptitudinis ad formam: de qua relatiùs in prædicto loco.

Caput Octauum.

Quo modo vnum vni contrarium sit.

Hæc res tractatur à nobis dicta disp. 45. Quod verò hìc Aristoteles tractat de æquali, quo modo opponatur duobus, scilicet maiori, & minori, difficultatem non habet: opponitur enim quasi relatiuè, seu potiùs per carentiam cuiusdam relationis quam posset habere: & ideo ait Aristoteles opponi quasi priuatiuè. Ait etiam illam oppositionem posse reduci ad eam quæ est inter vnum & multa: quia æqualitas in vnitate fundatur, magnum autẽ & paruum in carentia illius vnitatis, seu in varietate magnitudinis, vel quantitatis.

Caput nonum.

Quo modo vnum opponatur multitudini & numero.

Quæst. 1. In hoc cap. dubitatio nõ habet quod ait Arist. multitudinẽ comparari vt genus ad numerũ, & numerum addere multitudini rationẽ mensurati seu mensurabilis per vnitatem: ideoq; multitudinẽ opponi vni quasi contrariè, vel priuatiuè, numerũ verò opponi relatiuè. Et ratio difficultatis est, quia sicut omnis numerus est multitudo, ita õnis multitudo est numer⁹: quo modo ergo multitudo se habet vt gen⁹ ad numerũ. Itẽ õis multitudo vnitatib. cõstat ergo

ergo per vnitatem mensurari potest: nõ ergo in hoc differt à numero. Hic locus dupliciter explicari potest: primò vt Aristoteles hìc sentiat solam multitudinem ex rebus quantis constantem esse numerum, ac mensurabilem vnitate quantitatiua, solamque hanc esse principium numeri: ideoque multitudinem appellari genus vel quasi genus, quia comprehendit numerum quantitatiuum, & omnẽ multitudinem trascendentalem. Secunda interpretatio est, numerum significare multitudinem definitã ac terminatam: multitudinem verò abstrahere, & de se cõprehendere etiam infinitam multitudinem: & ideo numerum dicere multitudinem mensurabilẽ vnitate: multitudinem verò abstrahere, quia multitudo ex vi huius communis rationis potest esse immensurabilis. Quod horum sit magis ad mentẽ Arist. non videtur ab ipso satis declaratum. Prior tamẽ expositio est D. Thom. & cõmunis. Iuxta quam hìc est sermo de mensura quãtitatiua, & sensibili. Quid autem in re verum sit tractatur disp. 41. sect. 2.

Caput decimum.

Medium inter contraria esse eiusdem generis, ex illisque constare.

Quæst. 1. Primò quæri potest, de quo genere contrariorum loquatur hìc Aristoteles: Et non est quæstio de medio per abnegationem extremorum, tum quia certum est hoc medium non constare vllo modo ex extremis, & de illo non posse verificari alia, quæ hìc Aristoteles de medio docet: tum etiã quia inter priuatiuè, & relatiuè opposita innenitur hoc medium: quod hìc Aristoteles negat. Certum est ergo hìc loqui Aristotelẽ de medio positiuo, quod est aliqua forma positiua media inter extremè contrarias. Hoc autem medium triplex videtur reperiri: vnum per formalem mistionem contrariorum in gradibus remissis, vt est tepiditas: alterum per virtualem continentiam seu participationem extremorum, vt sunt colores medij inter extremos: aliud denique per recessum ab vtroque extremo; vt virtus inter duo extrema vitia.

Quæri igitur potest an quę Aristoteles hìc docet de medio, vera sint absolutè & vniuersè de medio formali seu positiuo, an de aliquo horum in particulari. Aristoteles enim nihil distinguit, & doctrinaliter loquitur: vnde videtur sermo eius esse vniuersalis. At obstare videtur, quòd medium tertij generis non potest verè dici constare ex extremis, nec esse in eodem genere cum illis, neque esse quasi proximum terminum transmutationis ab vno vitio ad aliud extremum: has autem tres conditiones potissimè tribuit Aristoteles hoc capite mediis inter contraria.

Sed dicendum, sermonem esse vniuersalẽ vt expressiè constat præsertim ex fine capitis. Verificatur autem doctrina propriissimè de medio primo modo sumpto (quanquam quæstio specialis sit an tale medium detur, de qua in dict. disp. 45.) In medio autem secundo modo satis etiam propriè locum habent duæ primæ conditiones: tertia verò non est ita intelligenda, vt necesse sit media, non per quod proceditur ab extremo in extremum esse semper eiusdem rationis, sed in quibusdam contrariis continget transiri per medium formale seu formaliter continens extrema refracta, in aliis verò per medium virtuale: solum verò accidit hoc posterius, quando qualitates extremæ non possunt formaliter coniungi; de quo etiam in citato loco dictum est.

At verò de medio tertio modo non verificantur dictæ conditiones ita propriè, sed per quandã proportionem. Est autem considerandum, habitum virtutis qui est medium inter extrema vitia, posse considerari, vel solum in ratione habitus inclinantis ad talem operandi modum, vel in ratione virtutis & honesti boni. Priori modo habet propriè rationem medij, & ita conuenit in genere cum extremis: secundo autem modo minimè; vnde non opponitur illis vt medium sub eodem genere, sed vt extremè oppositum ratione generis contrarij: quo modo ait Aristoteles capite de Oppositione in Postprædicam. opponi bonum & malum. Vnde sub hac secunda consideratione nullo modo cõstat hoc medium ex extremis. Priori autem ratione licet non propriè constet, sapit tamen aliquo modo naturam extremorum, nam aliquid habet de opere seu inclinatione vtriusque extremi. Liberalitas enim inclinat ad dandum, in quo aliquo modo conuenit cum prodigalitate: simul verò inclinat ad retinendum aliquando, in quo accedere videtur ad aliud extremum. Et hac etiam de causa, licet non sit necesse transire à vitio ad vitium per virtutem, necesse tamen est transire per quãdam quasi materialem participationem vel imitationem virtutis: nemo enim ex auaro fit prodigus, nisi prius cœperit expendere, quod posset sæpè studiosè facere si vellet.

Quanquam principium illud, *Non transitur ab extremo in extremum nisi per medium*, intelligi debet de transmutatione, quæ fit per motum physicum ac proprium: nam quæ fit per actus immanentes aut instantaneas mutationes, non oportet ita fieri, vt per se constat.

Caput vndecimum.

Contraria esse specie diuersa, & specificam diuersitatem includere differentiarum contrarietatem.

Quæstio 1. Præcipua quæstio & huius loci propria est, an differentiæ diuidentes genus in varias species sint contrariæ, & è conuerso, an contraria specie differant. Vtrumque enim videtur Aristoteles affirmare. Et posterior pars difficultatem nõ habet, quia clarum est, quæ sub eodem genere contraria sunt, necessariò esse specie diuersa, nam quæ sunt eiusdem speciei, vt talia sunt, non possunt esse contraria, cùm similia sint.

Altera verò pars videtur vel impropria, vel falsa, scilicet omnes differentias, diuidentes genus in species distinctas, esse contrarias. Aliàs etiam in substãtia & in omni genere esset propria cõtrarietas: quod falsum est, vt constat ex Aristotele in Prædicamentis & ex iis quę tradidimus disputatione 45. Sed dicendum breuiter, contrarietatem inter formas physicas, esse propriam qualitatum: contrarietatem verò inter formas seu quasi formas metaphysicas extẽdi ad alia genera. Adde etiam hanc contrarietatem, quę dici potest metaphysica, esse minùs propriam quia genus non comparatur ad differentias propriè vt subiectum, à quo mutuò se differentiæ expellant: sed vocatur contrarietas, quia est repugnantia inter formas positiuas, & ita maximè assimulatur propriæ contrarietati.

3 Rursus posset hìc obiter inquiri an genus ita cõtrahatur p differentias, vt ipsummet in diuersis spe-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciebus diuidatur. & essentialiter diuersificetur. Expresse enim id affirmat Philosophus vt notarunt D. Thomas, Alensis. & alij. Videtur tamen habere difficultatem propter generis vnitatem & vniuocationem fundatam in re ipsa. Nihilominùs sententia Aristotelis verissima est: ex qua habes genus in re non differre ab ea specie in qua cõtractum est: hæc enim est mens Aristotelis hîc quam latiùs tractaui disp. 6. sect. 9. Habes etiam hinc principium seu formam à qua sumitur genus, non esse eiusdem essentiæ in rebus differentibus specie, atq; ideo non esse in re formas distinctas à quibus differentia generica & specifica sumuntur, vt latè disputatione decimaquinta, sect. 10.

Quæst. 4. Vltimò hîc quæri potest an genus & species inter se differant specie, vel sint eiusdem speciei: Aristoteles hîc vtrumque negandum censet: quod explicui disp. 7. sect. 3.

Caput duodecimum.

Contrarietatem aliquam esse sine specifica diuersitate.

Quæstio 1. Hîc statim occurrit quæstio de ipsa assertione à Philosopho intenta: quoniam videtur repugnare quòd contraria non sint essentialiter diuersa, vt ex definitione suprà tradita colligitur, & ex eo quod dictum est cap. præcedenti, quòd contrarietas esse non potest inter similia vt talia sunt: quæ verò sunt eiusdem speciei, similia sunt. Sed res est facilis, possunt enim contraria formaliter inter se cõparari vt sunt sub genere sub quo per se constituuntur vel respectu subiecti cui denominatiuè tribuũtur. Priori modo differunt specie, vt album & nigrũ quatenus talia sunt, & sub colorato per se collocantur: & sic procedit ratio dubitandi tacta. Posteriori modo non causant semper specificam diuersitatem in subiecto: & hoc sensu procedit dubitatio & resolutio Aristotelis in hoc capite. Perinde enim est, ac si quæsiuisset, cur differentiæ quædam inter se oppositæ sint per se respectu subiectorum, & indicent essentialem differentiam inter illa: quædã verò sint per accidens, & solam indiuidualem distinctionem ostendant. Imò interdum neq; hanc demonstrant, sed accidentalem mutationem eiusdem indiuidui In hoc ergo sensu verum est aliquam contrarietatẽ non constituere specificam diuersitatem in subiecto.

Reddit autem Aristoteles rationem, quia quædam contrarietas sequitur formam, & illa est per se, & ad essentialem differentiam pertinet: alia sequitur materiam; & hæc est vel indiuidualis, vel accidentaria. Vbi solum notetur, aliquid posse consequi materiam vt per se ac necessariò connexum cũ essentia talis materiæ secundum se: & contrarietas quæ sic sequitur materiam, etiam facit essentialem diuersitatem, vt de corruptibili, & incorruptibili dicetur capite sequenti. Et ratio est, quia etiam materia pertinet ad essentiam rei. Aliquid verò dicitur cõsequi materiam, quia ex dispositionibus, vel mutationibus materiæ consequitur: nam quia materia est passiua potentia, est principium & radix omniũ extrinsecarum mutationum. Contrarietas ergo quę hoc modo ex materia sequitur, est vel accidentaria omnino, si ab extrinseco, merè per accidens eueniat, vel ad summum indiuidualis, si ex peculiari & indiuiduali dispositione materiæ consequatur, vt est conditio sexus fœminini, vel masculini, de qua in particulari hoc capite Arist. quęstionẽ proposuit.

Caput decimum tertium.

Contrarietatem interdum esse inter ea quæ differunt genere.

Hîc solum occurrit quæstio de illa propositione, *Corruptibile & incorruptibile differunt genere*, quo sensu vera sit; quæ tractata est disp. 35. & in superioribus sæpe notata est.

LIBER VNDECIMVS
Metaphysicæ.

In toto hoc libro nihil nouum Aristoteles docet, sed in summam quandam redigit, quæ in superioribus libris tradiderat, adiungens multa ex iis, quæ in libris Physicorum docuerat: & ideo ferè omnes interpretes & scriptores nullam quæstionem circa totum hunc librum mouent, neque aliquid notant, præter ea, quæ ad textus intelligentiam conferunt. Quæ D. Thomas præter alios, satis perspicuè docet.

In duobus ergo primis capitibus proponit iterũ Philosophus quæstiones ferè omnes quas libro tertio proposuerat, nihil definiens: quare iterum eas hîc repetere superuacaneum duco.

In capitibus tertio, quarto, & quinto ea resumit quæ in toto libro quarto, latissimè tradit. Nimirum in tertio capite proponit huius scientiæ obiectum & analogiam entis, secundum quam ait posse vnum obiectum huius scientiæ constitui, ad quam proinde pertinet prima principia, primasque rerum causas, proprietates & oppositiones considerare. Vbi obiter attingit quo modo inter priuatiuè oppositа possit esse medium, quod iam notatum est in libro decimo, circa caput septimum. In quarto verò & quinto capite defendit Aristoteles veritatem illius primi principij, *Impossibile est idem de eodem simul affirmari & negari*: nihilque addit iis quæ in libro quarto dixerat. Obiter verò in cap. tertio, attingit quęstionem de continuitate alterationis & augmentationis, De qua re in Disputatione 46. aliqua tractamus.

Rursus in sexto capite repetit, quod sit munus & obiectum huius scientiæ, attingitque diuisionem illam scientiæ in speculatiuam & practicam; & huius in factiuam seu mechanicam, & actiuam seu moralem: illius verò in Physicam, Mathematicam, & Metaphysicam: quam etiam tradiderat in libro sexto. Et hac occasione declarat diuersos modos definiendi Physici & Metaphysici per materiam & sine materia, de quibus latissimè in septimo libro dixerat. Hîc etiam repetit propositionem, quam circa lib. 6. cap. secundo notauimus, quod scilicet, si nulla est substantia separata à materia, scientia naturalis ac physica est omnium prima, quam etiam declaramus loco ibi notato. Denique in eo capite habet propositionem hanc, *Si aliqua est in rebus natura & substantia separabilis & immobilis, in eo ordine diuinitatem esse: & hoc* (inquit) *erit primum & principale principiũ.* Quæ notanda est pro iis, quæ de mente Aristotelis de primo principio disputamus disputatio. 29. sect. 2. Cui coniungi potest illa quam in capite secundo (licet disputando) proponit, vbi ait à peritioribus Philosophis positum esse aliquod tale principium, talemque substantiam. *Quo namque pacto ait ordo erit non existente aliquo perpetuo, separato & permanente?*

Deinde

Deinde in capite septimo repetit Aristoteles quę lib. 6. Metaph. docuerat, nimirum, ens per accidens, & ens verum, sub scientiam hanc non cadere, & huius occasione recolligit etiam quæ de contingentibus effectibus, fortuna, & casu, tum ibi, tum etiam 2. Physic. docuerat; de quibus in superiorib. iam sunt signata disputationum loca: nam de vero ente dicimus disput. 8. de contingentia verò in disputatione 19.

In reliquis capitibus ab 8. vsque ad 11. recapitulat Aristoteles multa ex iis quæ in Physic. à 3. libro vsq; ad 6. docuerat. In capite enim octauo definitionem motus inuestigat, & quo modo ad mobile, ad mouẽtem, ad actionem & ad passionem comparetur: & eandem doctrinam habet, quam in 3. Physic. quam nos prout ad Metaphysicum spectare potest, tractamus in disputatione 48. & 49. quæ sunt de actione & passione. Hac occasione, aliqua tangit Philosophus de actu & potentia, quæ in disputatione 43. fusè tractantur.

In nono autem capite repetit quæ de infinito docet libro 3. Physic. & in libro de Cœlo. Solum aduerto, hîc Philosophum extendere aliquantulum sermonem, & probare non posse esse infinitum, non tantùm in corporibus sensibilibus, sed simpliciter in entibus etiam separatis. Veruntamẽ semper supponit infinitum esse passionem rei quantæ; & ita nihil affert quod infinitati Dei obstare possit.

In capite 10. materiam de motu prosequitur, varias species motuum ac mutationum distinguens. In quo solum obserua, cum inductione omniũ prædicamentorum ostendat, solum ad quale, quantum, & vbi esse mutationem: cùmque per cætera discurrat, solum Quando, habitum, & situm omittere: fortasse quia de quando & de motu seu passione eandẽ rationem esse censuit, quod tempus sit passio motus: habitum autem & situm, sæpe prætermittit (vt suprà libro quinto capite septimo notauimus) tanquam parui mouenti, & impropria, parumque à cæteris diuersa.

Tandem in capite 11. Aristoteles recolit explicationem quorundam terminorum, quibus vti solemus in his rebus quæ motum circumstant; vt esse simul, vel separata tangi, consequenter se habere, cõtiguum, vel continuum esse, & similia, quæ in libro quinto huius operis, & lib. 5. Physic. cap. 11. tradita sunt, & neque expositionem, neque disputationem requirunt.

LIBER DVODECIMVS
Metaphysicæ.

Caput I. II. III. IIII. & V.

In his quinque primis capitibus repetit Aristoteles, & in summam redigit ea quæ superiùs lib. 7. de de substantia & principiis eius tractauerat, & multa quæ in primo libro Physic. docuerat. Nam capite 1. solum proponit, Metaphysicam scientiam primò ac præcipuè de substantiis disputare, quæ est res per se perspicua, & ab ipso sæpissimè repetita, quam in disputatione prima seu procœmiali fusiùs declaramus.

In capite secundo, post diuisionem substantiæ in sensibilem & separabilem seu insensibilem, & in corruptibilem, & æternam, proponit tria principia rei naturalis seu substantię sensibilis, & ex professo probat dari materiam; additque eam communem esse omnibus corporibus, non tamen eandem, quæ omnia dictis locis dixerat: eaque tractamus in disputatione 13.

Quæst. 1. Hîc verò disputari poterat, an secundũ Aristotelem sit possibilis creatio: quia hîc significat ex non ente simpliciter nihil fieri. De quo in disputatione 21. dictum est.

2 Item disputari poterat an secundum Aristotelẽ omnes substantiæ immateriales sint immobiles: ita enim hîc eas appellat: de quo disputatio tricesima quinta.

Deinde in capite tertio ostendit, præter materiã necessarias esse formas, non separatas, vt Plato ponebat, sed materiam informantes, quæ licet nõ propriè generentur, sed composita ex illis & materia, non tamen antea sunt quàm generatio fiat: quæ etiam in libro septimo dicta fuerant, & tractãtur disputatione 15. Proponit verò hîc Aristoteles grauem quæstionem, scilicet, esto forma non sit ante generationem, an post corruptionem totius maneat; & absolutè respõdet, in quibusdam nihil obstare quin ita sit, scilicet in anima intellectiua: *nam in cæteris* (ait) *fortasse id impossibile est.* Sed hanc considerationẽ remittimus in libros de Anima.

Postea verò cap. quarto docet tria principia posita eadem esse secundum analogiam & proportionem in omnibus generibus accidentium: quia in omnibus considerari possunt, potentia seu subiectũ, forma seu ipsum accidens, & priuatio eius. Vbi quæri potest an accidentia constent propria potentia. & proprio actu physicis, siue in abstracto, siue in cõcreto sumpta. Quæ quæstiones satis sunt extra intentionem præsentis libri: in quo hæc omnia cursim præmittuntur ad disputationem de superiorib. substantiis. Nec Aristotelis mens fuit tribuere singulis accidentibus proprias & distinctas potẽtias receptiuas suorum generum: sed solum explicare proportionaliter in eis illa tria principia rerum: illæ verò quæstiones tractantur à nobis disputatione 14. quæstione 3. Vlterius verò extendit Philosophus sermonem ad omnes causas, dicens easdem secundũ proportionem seu analogam rationem esse in accidentibus, quæ sunt substantiarum. Et obiter nonnulla hîc recolligit de principio, causa, & elemento, quæ in libro quinto dixerat fusiùs, & ibi sunt exposita: latiùsque tractata in disputationibus de causis à 12. vsque ad 27. Addit verò hîc propositionem notandam: nempe, *præter causas omnes particulares esse causam cuncta mouentem tanquam omnium primam*; de qua dicto loco disputationẽ vigesimã 21. & 22. instituimus, præter alia, quæ in cæteris disputationibus præsertim in 24. & 25. sparsim diximus.

Tandem in capite quinto hoc ipsum prosequitur, variis modis ostendens eadem esse principia rerum omnium: vel quia substantiæ sunt causæ omnium accidentium, & ita principia substantiarum, sunt principia reliquorum entium. Vel quia inter substantias quædam sunt primæ, & causæ cæterarũ, vt cœlestia corpora, & animæ eorum, id est, vt Diuus Thomas exponit, motrices intelligentiæ (siue propriè dicantur animæ, siue per metaphoram) & ideo addit *vel intellectus, appetitus, & corpus*, id est substantiæ intelligentes & amantes, & corpora quibus proximè vtuntur, seu quę mouent, & per ea causant. Ac tandem repetit actum & potentiam esse principia omnium, non tamen eadem, sed per analogiam: quæ omnia ex disputationibus citatis constant, neque hic aliquid addendum occurrit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caput sextum.

Præter naturales substantias dari aliquam perpetuam & immobilem.

Quæst.1. Prima quæstio hic occurrit an ostendere huiusmodi substantias esse, sit Physici muneris an Metaphysici: tractatur disput. 29. sect. 1. & Disp. 35. sect. 1.

2 An recte Aristot. hoc demonstrarit in præsente. Summa rationis eius est. Impossibile est omnes substantias esse corruptibiles: ergo necessaria est aliqua substantia æterna. Antecedens patet, quia si substantiæ omnes essent corruptibiles, nihil esset sempiternum, cùm substantiæ sint prima entia sine quibus alia esse non possunt. Consequens autem est falsum, quia necesse est motum saltem esse sempiternum: ergo. Minorem probat, quia tempus non potuit de nouo incipere, ita vt antea nõ fuerit: quia sine tempore non potest esse prius & posterius: sed tempus non est sine motu, quia vel sunt idem, aut tempus est quędam passio motus: ergo perinde oportet motum esse sempiternum, & continuum, sicut & tempus. *Quod* (ait) *de nullo nisi de circulari, & locali dici potest.* Itaque totus hic discursus reuocatur ad illam propositionem, quod sine tempore nõ est prius & posterius, & ideo non potest dari initium temporis.

Quæ ratio quoad hanc vltimam valde friuola est: quia, si modo nostro concipiendi loquamur, præter prius & posterius reale, imaginarium concipitur: & ita potuit tempus reale habere initiũ, ante quod non fuerit, illud verò ante quod non significat prius tempus, sed imaginarium tantum. Si autem loquamur secundum rem, ante hoc tempus præcessit infinita æternitas, cui hoc tempus non semper coextitit: & sic illud *ante* non dicit tempus prius, sed æternitatem, quæ in Deo præextitit, quando tempus nõ erat. Itaque processus Aristotelis nec firmus est, nec necessarius. Potest autem per dilemma fieri efficax: quia vel substantiæ corruptibiles semper fuerunt; vel non: si primum, necessaria est aliqua substãtia æterna illis perfectior à qua manauerint. Si verò non semper fuerunt, non minùs necessaria est illa substantia vt ab illa originem duxerint. De hac re disserimus latè disp. 29. sect. 1.

3 An satis ostendat Aristoteles illam substantiam non esse potentiam, sed actum, quia perpetuo mouet. Respondetur, iam ex dictis constare rationem hanc ex falso principio & insufficiẽter probato procedere. Adhuc tamen illo posito, non potest ex solo illo colligi, illam substantiam esse purum actum: nam substantia creata posset illum motum perpetuum efficere, si esset possibilis. Solum ergo colligitur ex illo motu substantiam illius motoris semper esse in actu mouendi. Adde, ad hoc etiam esse supponendũ, illam substantiam esse semper eandem, quod probatum non est: possent enim plures motores vicissim mouere, & sigillatim cessare. Denique etiam si idem motor sit semper in actu mouendi, non sequitur non posse cessare: quia potest non ex necessitate, sed ex libertate perpetuò mouere. De hac re latiùs disp. 30. sect. 8. & disput. 35. sect. 1.

4 An satis probetur à Philosopho has substantias esse immateriales, quia sunt perpetuæ. Difficile sanè est huic rationi efficaciam tribuere, cum statim appareat defectus illationis in ipsis cœlis, qui æterni sunt, & non sunt immateriales. Videatur disp. 30. sectione quarta, & disputatio 35. sectione prima, & secunda.

5 An idem senserit Aristoteles de omnibus intelligentiis, quod de prima quoad necessitatem essendi, & naturæ simplicitatem, & actualitatem: tractatur Disput. 39. sect. 2. & disp. 25. Et exponitur hic locus, in quo videtur Aristoteles confusè & indifferẽter loqui de illo supremo substantiarum ordine, quanquam interdum in singulari, interdum in plurali loquatur.

Cætera quæ Aristoteles hîc tractat de actu & potentia, circa lib. 9. sunt notata.

Caput septimum.

De attributis primi motoris.

Quæst. 1. An ex motu cœli sufficienter colligatur vnus primus motor immobilis: de hoc fusè disp. 30. sect. 1. & 8.

2 An ex sententia Aristotelis primus motor solũ moueat cœlum vt finis, vel etiam vt efficiens: hic enim priorem tantum causandi modum illi attribuere videtur: sed hoc solum facit, vt eius immobilitatem declaret, alioqui enim eius efficiẽtiam agnoscit, vt latiùs tractamus disp. 23. & disp. 30. sect. 17.

3 An secundum Aristotelem primus motor moueat primum orbem mediante alia intelligentia, vel per se ipsum. Hic enim priorem partem insinuat, nisi exponatur quod moueat vt amatus non ab alio, sed à se: ita enim melius explicatur immobilitas primi motoris, quia non solum in genere efficientis, sed etiam in genere finis mouet, vt non motus ab alio, sed quia propter se operatur absque motione. Nam sicut in genere efficientis, ita in genere finis est primum & supremum. At verò in reliquis omnibus dictis Aristoteles sentit non esse alium motorẽ illius cœli præter primum, & immobilem, sed de hac re latiùs in libris de cœlo.

4 An primus motor sit primum intelligibile in actu, tanquam simplicissima & actualissima substãtia. Ita enim de illo hîc sentit Philosophus, Tractatur disp. 38. sect. 11.

5 An primus motor sit primum appetibile; quod perinde est ac quærere an sit vltimus finis, de quo in disp. 24. disserimus. Ex hoc verò loco habes ab Aristotele distinctionem duplicis finis. Vnus est præexistens, alter non præexistens. Prior acquirendus per media, posterior etiam efficiendus: & ideò priorem rationem finis ait habere locũ in primo motore, non verò posteriorem.

6 An primus motor sit perpetua substantia omnium simplex, & secundum actum seu purus actus disp. 30. sect. 3.

7 An primus motor sit ens simpliciter necessarium natura sua, quod nullo modo possit aliter se habere. Disp. 29. sect. 1.

8 An secundum Aristotelem primus motor moueat ex necessitate naturæ, vel potiùs ex præconcepto fine eiusque necessitate. Disp. 30. sect. 16.

9 An cœlum & natura pendeant à primò motore secundum Aristotelem, non tantum quoad motũ, sed etiam quoad substãtiam: disp. 20. sect. 1. & disp. 29. sect. 2.

10 An primus motor optimam, ac perpetuam, & actualem vitam habeat, summa ac perfectissima iucunditate affectam, quæ ex sui contemplatione nascitur. Tractamus latè disputatione tricesima sectione 14. Non est tamen dubium, quin Arist. hoc loco optimè de Deo sẽtiat ac loquat. Cuius illa sunt verba notatione digna. *Si ita bene se habet Deus semper, sicut*

sicut nos aliquando, admirabile est, quod si magis adhuc, admirabilius est: at ita se habet. Videtur sanè Philosophus expertus aliquando magnam quandam iocunditatem in sua qualicunque speculatione substantiarũ separatarũ, & præsertim primæ, in qua proinde humanã felicitatem alibi constituit: hinc ergo ascendit, & in admirationem venit diuinæ perfectionis. Sicque ferè ratiocinatur, Intellectus intelligit per quandam coniunctionem ad rem intellectam, & illam in se habens contemplatur, & hæc operatio est optima dispositio eius: & in illo ordine speculatio est optima & maximè delectabilis: si ergo Deus est summum intelligibile, sibique coniunctissimum, & se per se ipsum perpetuo contemplatur, admirabilis est eius vita atque delectatio.

11 An Deus non solum sit sempiternum ac optimum viuens, sed etiam sit sua vita, quia est sua operatio, ac purus actus: ita enim hîc de eo Aristoteles sentit; & optimè, vt disputatione. 30. sectio. 3. & 14. tractamus.

12 Quo modo verum sit id quod hîc Aristoteles asserit, nempe Deo inesse æuum continuum, & æternum, Disp. 30. sect. 8. & Disp. 50. sect. 1.

13 An Deus, sicut est omnium entium principiũ, ita vt sit optimum & pulcherrimũ eorum. Tractatur à nobis in prædicta disputat. Habetque locum circa textum hunc, nam hæc omnia planè significat Aristoteles, dum reprehendit Pythagoricos, & Speusissum, cò quòd negaret Deum esse optimum & pulcherrimũ, licet sit principium: nõ enim semper principia sunt æquè perfecta, atque id quod ab illis fit, vt patet in semine. At ipse respondet principium proximum & instrumentariũ non semper esse æquè perfectum, principale verò ac præsertim primum, necessariò esse perfectissimum.

14 An senserit Aristoteles Deum esse simpliciter infinitum: rectèque id probauerit ex eo quòd infinito tempore mouet: disp. 30. sect. 2.

15 An primus motor immaterialis sit ac simpliciter impassibilis, idque satis demonstretur ratione naturali. Disp. 30. sect. 3. & 8.

Caput octauum.

De numero substantiarum separatarum.

Aristoteles in hoc capite ex numero cœlorũ mobilium probat numerum immaterialium substantiarum mouentium, & ordinem ac proprietates earum ex ordine cœlorum mobilium colligit. Circa quem discursum variæ quæstiones insurgunt.

Quæst. 1. An probari satis possit cœlos moueri ab aliqua substantia separata præter primam. Hæc spectat ad libros de cœlo, illam verò attingimus Disp. 35. sect. 1.

2 Esto ita moueantur, an necesse sit à tot substantiis separatis moueri cœlos, quot sunt ipsa corpora cœlestia. ibid.

3 An probari possit numerum substantiarum separatarum non esse maiorem quàm cœlorum, aut è conuerso, hunc numerum esse maiorem illo, vel neutrum possit satis ostendi. ibid.

4 An superius cœlum à superiori & perfectiori intelligentia moueatur, idque intelligendum sit de perfectione indiuiduali, vel specifica. Quo loco attingi solet quæstio an cœlum Solis sit perfectius superioribus planetarum cœlis. Sed non est huius loci: Nec refert ad rem præsentem, nam quidquid sit de substantiali perfectione, in ratione mobilis, certum est, cœlum quo superius, eo habere rationẽ mobilis perfectioris tum propter magnitudinem, tum quia est superius, & continet inferiora.

5 An ex incorruptibilitate cœli, vel motus ipsius æternitate, rectè colligatur substantias separatas esse incorruptibiles & perpetuas. Disputatione 35. sect. 1. & 2.

6 An ex cœli motu æterno colligi possit illas substantias esse sine magnitudine, & consequenter esse infinitas secundum Aristotelem. ibidem, & disp. 30. sect. 4.

7 An putauerit Aristoteles tales esse substantias motrices inferiorum cœlorum ac primi, & quo sensu, intellexerit hanc esse primam, illam verò secũdam. Hæ omnes quæstiones attinguntur à nobis in disp. 29. sect. 2. & in disp. 35. sect. 2. Et quæ ad Metaphysicum per se spectant, fusè tractantur: quę verò sunt propriè physicæ, & pertinent ad libros de Cœlo, solum breuiter expediuntur.

8 Et eadem ratione omittimus reliquam partem capitis, in qua Aristot. fusè agit de numero orbium cœlestium. Item agit de vnitate cœli, id est totius sphæræ cœlestis, & consequenter totius vniuersi, ostendens esse vnum. Ratio autẽ eius friuola est, scilicet, quia si essent plures cœli, haberent principia plura solo numero diuersa: quod impossibile probat, quia oporteret talia principia habere materiam. Sed illa prima sequela friuola est, quia possunt esse plures mundi ab eodem principio, vt latiùs tractamus disp. 29. sect. 1.

9 Impugnatio etiam illius consequentis attingit quæstionem de principio indiuiduationis, de qua latè disputatione quinta, sectione secunda, & seq. In toto verò hoc discursu Aristot. præ oculis habenda sunt illa verba eius satis modesta. *Ita rationabiliter arbitrandum est, quod enim necessarium est, relinquatur potentioribus dicendum.* Recte enim intellexit has nõ esse demonstrationes, seu discursus probabiles.

Caput nonum.

Dubia quædam continens circa diuinam intelligentiam.

Quæstio 1. Prima quæstio ab Aristotele posita est an diuina mens actu semper intelligat. Et rationem dubitandi proponit: quia si non actu semper intelligit: *quidnam præcellens erit? Erit enim vt dormiens.* Si autem semper intelligit actu: ergo ab actu intelligendi habet nobilitatem suam: nõ est ergo ipsa nobilissima substantia, Responsio verò est, semper actu intelligere, non intellectione addita substantiæ suæ, sed per suammet nobilissimam substantiam. Et ita satisfit vtrique rationi dubitandi. Quam rem ex professo tractamus disputatione tricesima sectione 15. Addit verò hîc Philosophus aliam probationem dictæ responsionis, scilicet quia si Deus nõ esset sua intellectio, laboriosa ei esset continuatio intelligẽdi. Sed ratio non est conuincens, aliàs idem probaret de omnibus aliis intelligentiis. Quamuis ergo actio non sit substantia, potest nõ esse laboriosa cõtinuatio eius: quia nullam repugnantiam habet cũ natura, nec contrariam aliquam alterationem, vel mutationem causat.

2 Quidnam intelligat diuina mens, an se, vel aliud; & an aliud, & aliud semper, vel semper idem. Responsio est, *Manifestum est, illud intelligere quod diuinissimum, honorabilissimumque est. Quo fit vt se ipsum intelligat.* Virtute ergo hunc concit discursum.

Diuina

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diuina mens est suprema ac nobilissima intelligentia seu intellectio ipsa: sed ad nobilitatem intellectionis multum refert nobilitas rei intellectæ: propter quod melius est quædam non videre quàm videre, si vilissima sint: non ergo quælibet intelligentia est optima, sed illa quæ est optimæ rei intellectæ: ergo diuina mens intelligit id quod optimum est: ergo intelligit se ipsam: aliàs esset quippiam aliud dignius ipsa.

3 Hinc verò oritur quæstio 3. An secundum Philosophum Deus nihil extra se intelligat, sed solum se ipsum. Nam prima facie videtur Aristoteles ita de Deo sentire. Sed exponi potest cum D. Thoma. non cognoscere aliud à se per se primo, aut ita vt ab eo perficiatur, vel ita vt à nobilissimo obiecto cognoscendo impediatur vel distrahatur. Sed de hac re latiùs dicta disp. 30. sect. 15.

4 Alia quæstio suboritur ex resolutione cuiusdam dubitationis, quam hîc Philosophus proponit; An scilicet in omnibus quę carent materia, & consequẽter in omnibus intelligentiis, idem sint intellectio & res intellecta: & consequenter angelus sit sua intellectio. Videtur enim hanc partem Aristoteles insinuare. Cùm enim proposuisset dubium quo modo diuina mens possit esse intelligentia sui, cum soleat intellectio ab obiecto distingui, respõdet intellectionem non distingui ab obiecto, nisi vt formam sine materia à forma quæ est in materia. Vnde cum diuina mens careat materia, non oportet vt in ea res intellecta ab intellectione distinguatur. Quæ ratio si efficax est, in omnibus intelligentiis locum habet. Sed dici potest, illam tantùm fuisse accõmodatam quandam proportionem ad explicandum, quo modo in diuina scientia propter summam eius immaterialitatem, & subtilitatem necesse non sit obiectũ proprium ab ipsa scientia distingui. Non est autem necesse vt id verum habeat in quauis intelligentia, neque est cur dicamus eam fuisse mentem Aristotelis, de qua re latè disp. 35. sect. 4.

5 Quinta quæstio est, An Deus semper ac necessariò permaneat in actuali cognitione sui, vt hîc definit Philosophus. Quod probat optimè, quia in deterius mutaretur, siue ita cessaret vt maneret in solo actu primo tanquam dormiens, vt in 1. quæst. dictũ est: siue (quod ad hanc quæstionem pertinet) à sui contemplatione ad alia transiret: quia semper transiret ad aliud minùs nobile: de hac quæst. agimus disputat. 30. sect. 15.

6 An Deus intelligat per simplicem intelligentiã, vel componendo: & definit priorem partem; & est res clara. Vide disputatione 30. sectione 15.

Caput decimum.

Vnum esse principem ac gubernatorem vniuersi.

Hæc assertio est ab Aristotele in hoc capite intẽta, quam etiam voluit esse totius operis cõclusionẽ, & quasi perorationem tanto Philosopho dignam. Eam verò huiusmodi discursu demonstrat; Vniuersi bonum consistit in debito ordine suarum partiũ, ita vt hoc bonum sit, quasi bonum intrinsecũ & inhærens ipsi vniuerso: sed non potest habere huiusmodi bonum nisi in eo sit vnus aliquis princeps supremus, & gubernator eius, qui simul sit extrinsecus & vltimus finis illius, à quo emanet, & ad quẽ tẽdat intrinsecũ bonũ vniuersi: ergo necessarius est in vniuerso vnus supremus princeps & gubernator.

Hunc discursum primò declarat Philosophus exemplo exercitus, cuius intrinsecum bonũ in debito ordine consistit; ad illum autem requirit ducẽ, qui maius bonum est totius exercitus: quia ab ipso & propter ipsum est ordo exercitus. Deinde declarat priorem propositionem assumptã, explicãdo breuiter ordinem partium vniuersi per comparationem ad domum & familiã bene ordinatam; & res est per se satis clara.

Minorem autẽ propositionẽ nõ expressè subsumit, eam tamẽ re vera intẽdit: & ea occasione diuertit hîc iterum ad attingendas leuiter & reiiciendas antiquorũ opiniones de principiis, vt inde colligat nullo ex dictis modis posse rectè intelligi, quo modo mirabilis ordo huius vniuersi ex illis principiis subsistat & cõseruẽt, sine vllo supremo gubernatore.

Et obiter optimas attingit rationes, quãuis breuissimè & subobscurè, qualis est illa, quod non satis est dicere omnia fieri ex cõtrariis nisi ponatur aliud superius principiũ, quod illa ita disponat, & ordinet vicissitudines eorũ, vt neutrum eorũ aliud prorsus absumat, sed successio generationũ perpetuo duret. Est item illa ratio, q̃ sine hoc principio non põt assignari causa, cur hoc individuũ nũc participet speciẽ & nõ antea, & aliud priùs, aliud posteri. Vtrãque verò rationẽ, vt optimè D. Thom. notauit, habet in verbis illis. *At tum illis qui duo principia faciũt, aliud principalius principiũ necesse est esse* (scilicet propter rationẽ primã) *tum illis qui formas* (id est ideas) *quia aliud principalius principium est: cur enim participauit, aut participat?* Ecce rationem secundã. Tandẽ verò in fine capitis hanc probationem illius minoris subiungit, *Pluralitas principatuum* seu primorum principiorum non est bona: nec confert ad bonum regimen: *ut entia nolunt male gubernari: vnus ergò princeps.*

Quæst. 1. Circa hanc Philosophi conclusionem, eiusque probationes variæ insurgunt quæstiones. Prima, an hoc discursu vel aliis naturalibus sufficienter demonstretur esse vnum tantùm Deum: quã latè tractamus disp. 29. sect. 1. & Disp. 30. sect. 10.

2 An Deus habeat huius vniuersi prouidentiam, & qualem, quidque in hoc Arist. senserit. Disp. 30. sect. 16. & 17. præter dicta Disp. 22.

3 An Deus dicatur summum bonum vniuersi sõlum tanquam finis vltimus eius, an verò etiã vt efficiens. Hæc sæpè tacta est in superioribus, & designata sunt disputationum loca. Hîc solum notetur, Aristotelem in hoc capite, sæpè concludere & coniungere vtrumque, & reprehendere antiquos qui alteram rationem omiserunt. Specialiter tamen approbat Anaxagoram quòd posuerit mentẽ, vt primum mouens, id est efficiens. Et subdit statim, *Verum alicuius gratia mouet, quare alterum, nisi sit vt nos dicimus*, scilicet, quod propter se mouet.

Cætera quæ de naturali cognitione Dei seu primæ causæ, & intelligentiarum desiderari possunt, disputamus latè in nostris disputationibus. Et de Deo quidem sub ratione primæ causæ in disp. 20. 21. & 22. sub ratione vltimi finis in 25. sub ratione primi exemplaris in 26. sub propria ratione Dei in 29. & 30. de intelligentiis autem creatis in Disput. 35. vt specialiùs sequens index monstrabit.

LAVS DEO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca